Universidad de Deusto
Biblioteca

BARONIVS.
ANNALES
ECCLESIAS
TOM. XI.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

ANNALES
ECCLESIASTICI

29085

AVCTORE
CÆSARE BARONIO
SORANO
EX CONGREGATIONE ORATORII
S·R·E· PRESBYT· CARDINALI
TIT·SS·NEREI ET ACHILLEI
ET SEDIS APOSTOLICAE
BIBLIOTHECARIO

TOMVS VNDECIMVS.

ROMAE ex Typographia Vaticana. MDCV.
Cum Superiorum concessione.



IN PETRA EXALTAVIT ME· ET NVNC EXALTAVIT CAPVT MEVM SVPER INIMICOS MEOS.

Universidad de Deusto
Biblioteca



BIBLIOTHECA SOCIETATIS JESU COLLEGII LOSSIENSIS

SIGISMVNDO III.

REGI POLONIAE

MAGNO DVCI LITVANIAE,

Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæ, Liuoniæq. necnon Suecorum, Gothorum, Vuandalorumq. hereditario Regi

CAESAR BARONIVS TITVLI SS. MARTYRVM NEREI & ACHILLEI Presbyter Cardinalis S.R.E. Bibliothecarius sempiternam felicitatem.

MAGNVS ille vertex Apostolorum, Christi Vicarius, legislator Ecclesiæ Petrus inter alias, quas sanciebat leges populo Christiano seruandas, quid ipsi Regibus deberent, breui ista sententia patefecit: REGEM HONORIFICATE. Quod si tunc a suis, quibus scribebat, & seruanda præscribebat, voluit ei, qui imperabat, homini impio, dæmonum cultori, Christianis infensissimo, honoris obseruantiam nihilominus exhiberi: quanto id maiori cum fœnore a posteris in Christum credentibus exacturus esset pro Christianis Regibus, optimeq. de Christiana religione merentibus? Propterea & nos, Sereniſſime Princeps, vt mei instituti aperiam rationem, consueuimus honoris causa, qui ex prescripto Apo-

 stolicæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſtolicæ legis debetur Regibus, poſt Eccleſiæ Romanæ Pontifices, quibus primitiæ iure debentur, Annalium Tomos primarijs Chriſtianæ Religionis Principibus orthodoxis ſua cuique epiſtola dedicare, abſque ordine tamen & prærogatiua eminentioris excellentiæ, prout rerum geſtarum diuerſa occaſio poſtularit. qua ratione factum, vt quæ prima fuerat compellanda Cæſarea Maieſtas, ipſam Decimo Annalium Tomo opportunius eo officio coluerimus. Cui cum tu, ſicut Regni dominio vicinior es, ita rerum geſtarum argumentis proxime iungaris: inſalutatum te præterire, non licuit; quem vt debito Regibus honoremus obſequio, ipſe Petrus exigit, qui ſuper ſuas leges inuigilat. Cum vero ad hæc illud inſuper accedat, quod eius ſucceſſor ſanctiſſimus Dominus noſter CLEMENS Papa Octauus, tui amantiſſimus, ac pariter ſtudioſiſſimus, hoc ipſum vt facerem, habere ſe gratum oſtenderit: plane efficit, vt maiori fiducia ad id præſtandum aſſurgam, accurramq. liberius, haud quaquam metuens, ne minus tibi placeat, quod ſentias tanti Pontificis voluntate munus impendi.

At vero, quanto maius nobis ex hac Pontificis ſuaſione pondus additum gaudemus, tanto cohibenda magis erit oratio, ne quid leue, aut ſolutum promat incauta, neve limites adulationis attingat, ſi liberior per latiſſimum tuarum laudum campum ſi-

natur

natur excurrere; ſed potius moderationis fræno coercita, intra terminos parcitatis ſe continens, non niſi quæ modeſta, ac ſobria, eademq. ſeria ſibi eſſe conceſſa nouerit, atque hæc ipſa conſtringat fibula breuitatis. Quod niſi fieret, diffluereret grauitas epiſtolaris in panegyrim, nuncupatio in encomium ſolueretur; digrediensq. oratio ab inſtituto, redderetur auribus tuis ipſa moleſtior, iam his audiendis iugiter ad nauſeam vſque exſatiatis. Si hæc enim ſemel ingrederetur, vbi ſubſiſteret? quonam duceret illud laudandi exuberans argumentum, cum tu vnus inter tot Principes Chriſtianos virtutum merito dignus habereris conſilio & ſententia optimatum, qui præeſſe deberes Regno Poloniæ, multarum acceſſione prouinciarum ampliſſimo? Vel quonam eam veluti torrens violentus abriperet copia affluens rerum in Regno abs te præclare geſtarum, atque illud potiſſimum (vt reliqua prætermittam, quæ quamuis grandia, magnoq. digna Rege, minima tamen huius comparatione ſint viſa) quod cum Fidem Catholicam depreſſam admodum & afflictam, ac propemodum areſcentem inueneris: eam mox erectam, & illuſtratam, ſuo iam decore virentem, & nitore florentem magna omnium admiratione reddideris? Ita vt qui terram denſis vepribus impietatis horrentem, hæreſum ſpinetis incultam, atque in truculentarum belluarum

Universidad de Deusto
Biblioteca

lustra pene conuersam excolendam acceperas: hanc tua cultura, diuina aspirante gratia, frugiferam & amœnam, tamquam alterum manu Dei consitum effeceris Paradisum, ex quo & lætos tu ipse fructus vitæ decerpas, & alij flores, quibus immortales contexant tibi coronas. Quod & si qui adhuc ibi aliquot remanserunt infelices cardui, conuertantur tandem (quod speramus) in lilia: quantis ista erunt digna præconijs? quibus laudibus attollenda, atque encomijs toto Orbe Christiano, longe lateq. tubis eloquentiæ personantibus, celebranda?

Quo nomine ipsa, quæ passa est inuita compedes in laudando, libera saltem in hortando fiat oratio; quæ licet currenti possit videri superflua, haud tamen desiderio impellentis existimari debet otiosa, & quæ ne audiatur, excludi; cum præsertim, vt sit efficax, sumat sibi vires ex Pontificia intentione. Perge magnanime Princeps, perge inquam, pijssime Rex, Regem Deo charum imitare, qui dixit: Nonne qui oderunt te, Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam? perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi. de quibus rursum: Persequar inimicos meos & comprehendam illos, & non conuertar, donec deficiant, & cadant subtus pedes meos. Felix casus, quo peccator, dum cadit a culpa, erigitur ad salutem, exurgit ad vitam, exaltatur ad gloriam. hanc vtique sumas licet de impietate vindictam, deq. impijs Dei hostibus vltionem; quæ ipsis etiam exoptanda sit, atque expetenda, si modo suæ salutis aliquam rationem aut sensum habeant. De huiusmodi victorijs tibi ab Ecclesia in terra trophæa, & a Deo in cælo opto triumphos. Perge, iterum dico, ac perfice gloriosum, quod aggressus es, opus; prœliare hæc prœlia Domini; qui te præcedet, quem sequaris ducem. Angelos habebis commilitones, & auxiliares copias Martyres & Sanctos omnes. iam confert Ecclesia Catholica stipendia precum, & qui ei præest summus Antistes, ad hæc præstanda, Apostolicam benedictionem impertit. aspirat Christus, cuius & nomine exhibetur, qui tibi non modo tyrannum hæreticum, sed ipsum etiam Principem infidelem, iniustum Orientalis Imperij possessorem iustis armis subijciat; Regnum denique tuum sic propaget, vt transgrediens angustos terminos terræ, diuini tandem Regni consortio superes cæli cardines, & fines contingas æternitatis, cum Deo in perpetuum regnaturus.

Vt demum promamus, quod Maiestati tuæ, honoris causa, debitum munus offerimus: ecce exhibemus Vndecimum Annalium Tomum, totius vitæ nostræ labores. quem enim concepit adolescentia, formauit iuuentus, firmauit consilio firmior ætas; eum modo peperit vltima senectus. Qui in

lucem

Universidad de Deusto
Biblioteca

lucem feliciter editus, expers vagitus infantium, vni tuæ festiuus arrideat Maiestati, vnum te nuncupet Regem, licet infans, scriptis tamen ipse vocalis; quibus tamquam fascijs inuolutus, in volumen se exhibeat perlegendum. Erit eius tota lectio haud inutilis, opinor, nec prorsus ingrata; delectabit vero ipsa magis dulci memoria rerum antiquarum Poloniæ, vt quibus veterum Regum feruens Christiana Religio plurimum commendetur, populiq. optime culta Fides Catholica prędicetur; aperiatur pariter memorandis atque admirandis exemplis tam Regum, quam populi erga sanctam Romanam Ecclesiam, a qua Euangelium acceperant, ardens & flagrans studium atque obseruantia; qua illi & prouinciam primum ipsam Apostolicę Sedi pensitatione census annui fecerint sua sponte vectigalem; & isti ob idem Regnum postea iam collapsum, sed eiusdem sanctę Sedis beneficio restitutum, gratitudinis ergo, capitatione perpetua sese constituerint eidem Romanę Ecclesię tributarios. Hęc tanta cum inter alia in eo omni fide testata reperies: recentiores plane Scriptores eadem parum æquos prętericisse, redargues. Sed & quod his omnibus præstat, cum triumphum contineat martyris, purpuram sacerdotis, suo ipsius illustratam sanguine, martyrium, inquam, sanctissimi Stanislai Cracouiensis Episcopi, quem abs te scimus pro-

propensiore studio coli, & vt ab omnibus Catholicæ Ecclesiæ Christifidelibus officio publico Pontificia auctoritate coleretur, tua cura perfectum: quin alacriore illum animo susceperus sis, minime diffido. Grato igitur & placido vultu accipe tot decoris notis insignitum volumen; quod Apostolica lege debitum, a Domino Apostolico persuasum, ab Apostolicæ Sedis Presbytero Cardinali honorificentiæ causa tuæ Maiestati Apostolicum munus exoluitur. Vale, Regnaq. feliciter.
Romæ v. Kal. Decembris. Anno salutis M DC IV.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Præsens vndecimus Annalium Tomus ab anno Redemptoris Millesimoprimo exordium sumens, ad annum se Millesimum centesimum exclusiue extendit, continens annos nonaginta-nouem.

Appositus est ad calcem libri Tractatus Humberti Siluæcandidæ Episcopi Cardinalis de Azymo & Fermentato. Adiecta sunt præterea quorumdam locorum additiones, elucidationes, & emendationes, tam huius, quam præcedentium Tomorum, prout numerus illis appositus edocet. Typographorum erit, eas proprijs locis, si quando noua paratur editio, collocare.

ANNALES ECCLESIASTICI.

C

VBSTITISSEM libenter, iam lassus, in Millenario, sed qui dixit: [a] Si quis te angariauerit mille passus, vade cum illo alia duo] vrget opus, hisq. verbis, tamquam stimulis, excitat renitentem, atque cunctantem impellit. Pareo, sed exactus ipse exigo ab exactore, agensq. iure meo, ipsum conuenio suis verbis astrictum: nam quod iubens, Vade cum illo, dixit, vt adsit ipse, quocum pergam, efflagito. Sit igitur ipse in itinere comes & ductor, vt quod reliquum est viæ, securus lætusq. conficiam. Sic & pater credentium Abraham diuturna peregrinatione lassatus, dicente ipsi Domino: [b] Ambula coram me] de inhærente tuto sibi comite tutus, sumptis viribus, reliquum vitæ cursum maiori alacritate confecit. Quo & monitus [c] Iacob non antea susceptum iter est prosequutus, quam nuncupato voto, ritu solemni, Deum pariter sibi in via comitem sociarit. Expeto hoc ipsum ego maiori fiducia ab eo, quem iam commercio humanæ naturæ factum esse scimus [d] viatorem in terris, & eiusmodi quidem, qui etiam non petitus coniungat se socium [e] iter agentibus: quibus & in via exhibeat se doctorem, atque mœroris animi depulsorem. Adsit igitur multo magis ipse rogatus, atque sua promissione conuentus, qui nos simul ducat & doceat. Accurrat festina & ipsa Dei genitrix Virgo Maria, nobis in omnibus assistere atque prospicere cõsueta; atque in via ista nos præcedens nostra benedicta Columba, pullum desidem diu cunctantem & renitentem suo volatu e nido prouocet ad volandum; deq. ipso ex more sollicita, opem latura semper vel circumuolitet laborantem, vel alis foueat quiescentem. Amen.

a Matth. 5.

DIVINI AVXILII IMPLORATIO.

b Gen. 17.

c Gen. 28.

d Ierem. 14.

e Luc. 24.

D

E

IESV CHRISTI ANNVS 1001. SILVESTRI II. PAP. ANNVS 3. OTTONIS III. IMP. 6. BASILII ET CONST. IMPP. 26.

NOVVM sæculum inchoatur. Incipit annus primus post millesimum, Indictione decimaquarta notatus, idemq. nonnullorum vana assertione prænuntiatus mundi postremus, vel ipsi propinquus; quo nimirum reuelandus esset ille homo [f] peccati, filius perditionis, dictus cognomine Antichristus. Fuerant ista in Gallijs promulgata, ac primum prædicata Parisijs, iamq. vulgata per orbem, credita a compluribus, accepta nimirum a simplicioribus cum timore, a doctioribus vero improbata. Inter alios enim ad redarguendum errorem ex diuinis Scripturis sibi laborandum

f 2. Thess. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ABBO CONFVTATOR FALSITATIS.

fuisse, Abbo Floriacensis Abbas, vir doctrina & sanctitate insignis testatur in libro Apologetico, quem ad Reges Francorum Hugonem atque Robertum, patrem & filium scripsit. Cuius fragmentum inter schedas ad nos Parisijs a Nicolao Fabro amico fidelissimo missas inuentum hic describere, haud fore inutile duximus: nam præter ista de interitu mundi, alia habet notatu digna. est huiusmodi.

Dominos meos cum familiariter alloquens, bona suadeo, multorum animos, scio, contra me concito, de quorum animositate non multum moueor (dulce decus meum Roberte, quem atauis Regibus editum, diuina pietas perduxit ad regni fastigium) si post Deum & Sanctos eius vestro specialiter sustenter auxilio & consilio, cuius mentionem in quotidianis orationibus meis numquam prætereo. Tandem capitulatim subtexam huic Indiculo, quæ maxime sunt corrigenda in vestro imperio; nec tam hæc verbis meis, sed authenticis Scriptorum dictis, vt postmodum Episcopos moneatis hæc canonice emendare in suis Concilijs] Sed antequam vlterius progrediamur, ne inconsideratum abire sinas, Lector, quod auctor Robertum alloquens Regem, eum atauis Regibus editum prædicat: redarguit enim plane leuitatem dicentium, Hugonem Roberti parentem ignobili ortum genere. sed de his actum suo loco Tomo superiori. Pergit Abbo, primum inculcans ea quæ spectant ad sana dogmata retinenda, dicens:

Primitus de Fide dicendum credidi, quam alternantibus choris & in Francia, & apud Anglorum ecclesiam variari audiui. Alij enim dicunt (vt arbitror) secundum Athanasium: Spiritus sanctus a Patre & Filio: non factus, non creatus, sed procedens. qui dum id quod est, Nec genitus, subtrahunt, Synodicam domini Gregorij se sequi credunt, vbi ita est scriptum: Spiritus sanctus nec genitus est, nec ingenitus, sed procedens . . . . .] Vides in his, Lector, iam ante sexcentos annos absque vlla dubitatione Athanasij Symbolum vere eius esse absque dubitatione creditum & prædicatum: pergit auctor.

De fine quoque mundi coram populo sermonem in ecclesia Parisiorum adolescentulus audiui, quod statim, finito mille annorum numero, Antichristus aduenire, & non longo post tempore, vniuersale Iudicium succederet. Cui prædicationi ex Euangelio & Apocalypsi, & libro Danielis, qua potui virtute, restiti. Denique & errorem, qui de fine mundi inoleuit, Abbas meus beatæ memoriæ Richardus sagaci animo propulit, postquam litteras a Lotharienſibus accepit, quibus me respondere iussit. Nam fama per totum mundum impleuerat, quod quando Annuntiatio Dominica in Parasceue contigisset, absque vllo scrupulo finis sæculi esset.

De initio etiam Aduentus, qui ante Natiuitatem Domini per singulos annos agitur, aliquando error grauissimus extitit, alijs inchoantibus post v. Kal. Decemb. alijs ante, cum numquam plus quatuor hebdomadis saltem vnum diem Aduentus habeat. Cumq. de huiusmodi diuersitate soleant contentiones in Ecclesia crescere: Concilio determinandum est, vt omnes qui in ea viuimus, vnum sapiamus. Quod vestræ industriæ concedat, qui nos vnanimes vult habere in domo sua.] hucusque ex scheda de Abbonis Apologetico.

At quod ad mundi casum prænuntiatum pertinet, quæ proxime accidissent anno superiori, tantæ cladis videri poterant esse prænuntia. nam de his Sigebertus anno millesimo: Multa, inquit, prodigia visa sunt: terræmotus factus est permaximus, cometes apparuit, Kal. Ianuar. circa horam nonam aperto cælo, quasi facula ardens cum longo tractu, fulguris instar, illabitur terris tanto splendore, vt non modo qui in agris erant, sed etiam in tectis, irrupto lumine ferirentur. Qua cæli scissura sensim euanescente, interim visa est figura quasi serpentis, capite quidem crescere cum cæruleis pedibus.] hæc Sigebertus.

Erant ad hæc credenda de fine mundi, & aduentu proximo Antichristi, Romanæ Ecclesiæ tot sæpe iterata naufragia, ex quibus (vt superiori Tomo vidimus) Gerbertus æque aduentare Antichristi tempora iactitabat. Sed & corruptio morum, quam magnam valde hoc tempore fuisse in hominibus, præsertim ecclesiasticis, Glaber [a] ea videns scriptis deplorat, idipsum poterat suadere. insuper & quod Ferreum hoc sæculum ob malorum excrescentiam, auctore Ditmaro, diceretur, vtique & esse pariter vltimum crederetur. Ad quod alluſisse visus est Glaber, ista deplorans, ad postremum

[a] Glab. lib. 2. c. 6.

mum dicens: Quandocumque enim deficit religiositas pontificum, & marcescit districtio regularis Abbatum, simulq. monasterialis disciplinæ vigor repescit, ac per illorum exempla cetera plebs mandatorum Dei præuaricatrix existit; quid aliud quam totum simul humanum genus rursum in antiquum præcipitij chaos perditionis spontanea voluntate illabitur?] & in fine: Quæ retulimus visa circa millesimum post nati Saluatoris annum.

At quodnam, dices, in his vane disseminandis captare lucrum hostis humani generis potest, dum potius damnum sentire debeat ex pœnitentia plurimorum, qui ea de proximo interitu mundi credentes, ad expectandum venturum Dominum se præparent? Sed licet ex his accipiat detrimentum; alia tamē ex parte inde sibi comparat locupletius emolumentum subdolus artifex, dum ita deludens humanum genus, serens ista mendacia, colligit fructus impietatis, vt cum viderint homines hæc sæpe prædicta semper euanuisse, facile leuiores sibi persuadeant, humana esse commenta, quæ diuinitus de futuro Iudicio in sacris libris inueniuntur esse conscripta. Quod plane [a] mysterium iam ipse diabolus eadem occasione operatus est in filios diffidentiæ, qui (vt suo loco proxime dicturi sumus) isthæc omnia de mundi fine euanuisse videntes, in transuersum acti, in eam erroris foueam præcipites se dedere, & alios adegere, vt dicerent mundum hunc æternum esse, & vana esse cuncta, quæ in diuinis Scripturis tradita esse leguntur. Quod summum malum callida arte ab hoste humani generis miseris mortalibus præparandum diuinitus prænoscens Petrus Apostolus, tamquam ab alta specula vniuerso orbi Christiano in salutem omnium illud, omnes monens, intonuit: [b] Hoc primum scientes, quod venient in nouissimis diebus in deceptione illusores, iuxta proprias concupiscentias ambulantes, dicentes: Vbi est promissio, aut aduentus eius? Ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseuerant ab initio creaturæ.] parat & his antidotum, quo tantæ impietatis veneno resistant. At de eiusmodi hoc tempore oborta hæresi, suo loco agemus inferius: hæc modo satis occasione vulgatæ vane de præsentaneo mundi interitu prophetiæ. iam vero anni huius res gestas enarrare aggrediamur.

[a] 2. Thess. 2.

DIABOLI VAFRVM CONSILIVM.

[b] 2. Pet. 3.

Atque in primis de temporis ratione diuerso modo disposita a diuersis, habenda accurata discussio atque exactissima disquisitio, qua prætermissa, sit necesse tamquam in obscuro labi pedibus, & in plures errores inuitum ferri. Quod igitur sciamus quamplurimos non mediocris æstimationis auctores hoc anno ponere obitum Ottonis Tertij Imperatoris, atque subrogationem in locum eius in regno Germaniæ Henrici Bauariæ Ducis: an hæc ita subsistant, vt eos secure sequi possimus, iam hic in limine subsistentes, de semitis rectis, per quas gradiamur, prius interrogemus. Qui hoc anno Ottonem Tertium diem obijsse scripsere, fuere in primis Germaniæ scriptores, Otto Frisingensis, Abbas Vrspergensis, Hermannus Contractus, quos sequuti recentiores, & inter alios Panuinus. At veriorem esse eorum assertionem, qui dixerunt anno sequenti illum obijsse, & hunc subrogatum esse, quæ dicturi sumus, apertissime demonstrabunt. Qui autem ita sensere atque scripsere, fuerunt Marianus Scotus, Lambertus, Sigebertus. idipsum sensisse Rupertum Abbatem Tuitiensem in Heriberto, ex eius scriptis colligimus. Sed quod ceteris præstat, hoc ipsum manifeste probatur ex antiquis eiusdem Ottonis Imperatoris diplomatibus hoc ipso anno datis, atque in primis ex priuilegio concesso ecclesiæ Nouariensi: quod acceptum ex Archiuo eiusdem ecclesiæ hic tibi describendum putauimus, ad confirmandam chronologiam eiusdem Ottonis Imperij, quem male aliqui hoc anno, mense Ianuarij ponunt extinctum. sic enim se habet:

TEMPORIS RATIO IN PRIMIS FIRMANDA.

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Otto Dei gratia Romanorum Imperator Augustus.

DIPLOMA OTTONIS III. IMP.

Si erga loca diuinis cultibus mancipata beneficia opportuna largimur, præmium nobis a Deo æternæ retributionis rependi, non ambigimus. Idcirco omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumq. præsentium scilicet & futurorum solertia nouerit, quia adiens serenitatem nostram Petrus sanctæ Nouariensis ecclesiæ Episcopus nosterq. dilectus fidelis, retulit, quosdam nostrorum antecessorum, nostri aui scilicet & patris Imperatorum, omnem liberorum hominum prædictæ Nouariæ ciuitatis, & ad tria milliaria circum pro tempore cohabitatorum districtum, publicæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

blicæ parti olim pertinens, iuri & poteſtati ſuæ eccleſiæ ſubdidiſſe; præfatamq. ſedem, in honorem ſanctæ Dei genitricis & Virginis Mariæ, nec non & beati Gaudentij Confeſſoris Chriſti dicatam, cum rebus & omnibus hominibus ad eam legaliter pertinentibus ſub ſua recepiſſe tuitione. Ideoq. iam dictus pontifex noſtram ſuppliciter exorauit clementiam, vt ſecundum noſtrorum prædeceſſorum auctoritates noſtram addere dignaremur confirmationem. A

Nos denique pro Dei amore, noſtræq. remedio animæ, dignæ memorati Præſulis petitioni aſſentientes: hoc noſtræ auctoritatis munimine fieri decreuimus. per quod decernimus, ſtatuimus, atque iubemus, vt nullus Marchio, Comes, aut Vicecomes, Sculdaſius, vel quilibet ex iudiciaria poteſtate, nec aliquis noſtri Imperij magnæ paruæq. perſonæ intra præfatam ciuitatem, ac prædictum ſpacium circum ingredi ſine ipſius licentia Epiſcopi ad Placita tenenda, aut liberos ipſius ciuitatis terminiq. ſupradicti homines, vel famulos alicubi diſtringere audeat; nec aliquis eiuſdem ciuitatis quandoque habitator murum ipſius ciuitatis, ad portas vel poſterulas faciendas ſine ipſius Epiſcopi licentia frangere præſumat. Nec quiſquam noſtri Imperij, vt diximus, præpotens, mediocris, aut parua perſona in eccleſias, caſtra, vel loca, aut agros, ſeu reliquas poſſeſſiones, quas in quibuſlibet pagis & territorijs intra ditionem noſtri Imperij iuſte & legaliter prædicta tenet & poſſidet eccleſia, ſiue quæ deinceps in iure ipſius ſancti loci voluerit diuina pietas augeri, ad cauſas iudiciario more audiendas, vel freda exigenda, aut manſionaticum, vel paratus faciendos, aut fideiuſſores tollendos, aut homines ipſius eccleſiæ diſtringendos, nec vllas redhibitiones, vel illicitas occaſiones requirendas, noſtris & futuris temporibus ingredi audeat; nec ea quæ ſupra memorata ſunt, exigere penitus præſumat: ſed liceat ad augmentum & honorem præſcriptæ ſanctæ eccleſiæ Epiſcopo, ſuisq. ſucceſſoribus, iam fatæ ciuitatis liberos, & totius Epiſcopij intus & deforis habitantes diſtringere, & ceteros, qui ante ſe vel ſuos. Miſſos legaliter diſtringi voluerint, diſtringat; & quidquid contentionis inter eos emerſerit, definiat, ſicut definiendum eſſet ante nos, vel noſtrum Miſſum, ſeu Palatinum Comitem; cunctasq. res iam dictæ eccleſiæ cum omnibus hominibus, ad eam pertinentibus, vel aſpicientibus ſub tuitionis noſtræ defenſione, remota totius iudiciariæ poteſtatis, omniumq. hominum inquietudine, quieto ordine poſſideat, & noſtro fideliter Imperio pareat. Et quidquid in præfatæ eccleſiæ rebus de illicitis conditionibus, aut ſeruitijs requirendis exigi poterat, in integrum eidem concedimus eccleſiæ, quantum id perpetualiter pro noſtræ animæ remedio ad peragendum in eadem Dei eccleſia ſeruitium, augmentum & ſupplementum fiat. B C D

Si quis igitur hanc noſtram auctoritatem quandoque violare tentauerit, centum libras auri componere cogatur, medietatem Cameræ noſtræ, & medietatem prætaxato Epiſcopo, ſuisq. ſucceſſoribus. Et vt hoc verius credatur, diligentiusq. obſeruetur, manu propria confirmauimus, & ſigillo noſtro ſubtus iuſſimus inſigniri.

Signum domini Ottonis Cæſaris inuicti.

Heribertus Cancellarius vice Petri Cumani Epiſcopi recognouit.

Datum X. Kalend. Iulij, anno Dominicæ Incarnationis milleſimoprimo, Indictione decimaquarta, anno Tertij Ottonis regni decimoſeptimo, Imperij * V. Actum Papiæ feliciter. Amen.] Hucuſque Ottonis Imperatoris diploma, ad rationem temporis haud dubiam conſtituendam, hic ipſo exordio noui ſæculi collocatum aduerſus eos, qui aſſerunt hoc anno, quinto Kal. Februarij eſſe defunctum. Sunt & alia vetera monimenta, quæ hoc ipſum indicant, de quibus in ſucceſſoris electione dicendum. iam vero ipſius res geſtas hoc anno, recto tramite proſequamur. * VI. E

CONGRESSVS OTTONIS III. IMP. CVM S. ROMVALDO.

Recedens Papia Rauennam ſe contulit Imperator, vbi monitu S. Romualdi egregiæ ſanctitatis viri, quem idem Otto plurimum coluit, vt quæ ſuperiori Tomo dicta ſunt, demonſtrant, monaſterium in honorem ſancti Adalberti conſtruxit. Cum idem Sanctus memor promiſſionis eius, qua in expiationem patrati delicti ob necem Creſcentianam, eidem Romualdo, cui peccata confeſſus ſua pollicitus fuerat, abdicato ſe ab Imperio vitam monaſticam amplexurum, acceſſit exactor, eoq. magis importunus, quo diuino afflatus Spiritu intellexiſſet, inſtare iam obitum eius: vt ſponte faceret, quod neceſſitate vrgente pati cogeretur inuitus, & Deo in odorem ſuauitatis offerret quod retinere non poſſet; & præſtaret amore Dei, quod quietis dumtaxat amo-

A amore exhibuiſſe ethnici legerentur Imperatores, ijdemq. Chriſtianorum acerbiſſimi perſecutores Diocletianus atque Maximianus Auguſti. At quod, cum diuino tantum intuitu quid agi decernitur, aduerſarias quiſque mox experiri conſueuit inferas poteſtates: talia prœlia paſſus infelix Otto ſuccubuit, non tamen renuens, ſed differens, & ex cauſa quidem, vt videbatur ipſi, legitima. Sic plane homines verſutus decipit aſſidue cacodæmon, quos a bono non poteſt auertere ne facere meditentur, vt differant ſaltem, prætextus ingerit varios, neceſsitatis colore fucatos; & ſic diſtineat miſeros, donec improuiſa mors irrepat, quam ipſi mox ſequantur ſæuiſsimi peccatorum vltores.

Scribit iſta paucis Petrus Damiani ſæculi huius auctor in Romualdo, his verbis: [a] Regem Romualdus protinus adijt, & acceptæ promiſſionis exactor, vt Rex monachus fieret, inſiſtere vehementius cœpit. At ille facturum ſe quidem, quod exigebatur, aſſeruit, ſi tamen prius Romam, quæ ſibi rebellabat, impeteret, & ea deuicta, Rauennam cum victoria remearet. Cui Romualdus: Si Romam, inquit, ieris, Rauennam vlterius non videbis: & apertiſſime illi mortem propinquam eſſe denuntians; quia eum reuocare non potuit, proculdubio de eius certus interitu, ab eo receſſit. Dum vero Rex Romam properat, Romualdus nauim aſcendens, ad ciuitatem Parentium transfretat. Rex itaque ſecundum beati viri prophetiam vix e Roma reuerti incipiens, mox languore correptus, apud Paternum defunctus eſt.] ſed id accidit anno ſequenti, quo de eius obitu agendum pluribus. B

[a] *Petr. Dam. in Romuald. apud Surr. 19. Iunij in vita eius c. 34.*

VATICINIVM S. ROMVALDI DE OTTONIS IMP. OBITV.

Quænam autem fuerint turbæ illæ, Romæ aduerſus Imperatorem concitatæ, quibus ſedandis, ipſe eo profectus eſt, licet nobis exploratæ non ſint; ex his tamen, quæ poſtea acciderunt, intelligere poſſumus, nimirum Romanorum potentiores infenſo tuliſſe animo imperium Germanorum; ob idq. tumultuatos eſſe in eos, qui tutarentur partes ipſius. Quid enim facere in eos prætermitterent, abſente, longeq. remoto Imperatore, qui in eum præſentem inſurgere non ſunt veriti? Quæ autem in eum hoc anno, cum ipſe Romam peruenit, ſunt auſi Romani duce Gregorio tunc Romæ reliquis potentiore, ex Ditmaro huius temporis auctore accipe: qui, dum agit de nouiſſimo hoc Ottonis Imperatoris Romam aduentu ſub Silueſtro, hæc habet: [b] C

Cunctis apud Tranſalpinos bene diſpoſitis, Romanum viſitabat Imperium, Romuleas quoque peruenit ad arces: vbi ab Apoſtolico, ceterisq. Coepiſcopis magnis laudibus ſuſcipitur. Poſt hæc Gregorius, qui Cæſari valde charus erat, dolo eum capere niſus, occultas tendebat inſidias. Quibus collectis, & ex improuiſo aduerſus eum iam inſurgentibus, Imperator de porta cum paucis euaſit, maxima ſuorum caterua ſociorum incluſa: & vulgus numquam ſuis contentum dominis, malum huic pro ineffabili pietate reſtituit. Dehinc nuntio ſuimet omnes Cæſar familiares conuenire illuc rogat, & præcipit, demandans ſingulis quibuſque, ſi vmquam de honore ſui vel incolumitate curarent; ad vlciſcendum eum ac amplius tuendum armato ad ſe milite properarent. Romani autem manifeſtati tunc ſceleris culpa erubeſcentes, ſeq. inuicem ſupra modum redarguentes, omnes incluſos emiſere ſecuros, gratiam Imperatoris & pacem modis omnibus ſuppliciter expetentes. Quos vbicumque vel in ipſis, vel in rebus ſuis Cæſar lædere potuit, verbis eorum mendacibus diffidens, nocere non tardauit. Omnes regiones, quæ Romanos & Longobardos reſpiciebant, ſuæ dominationi fideliter ſubditas, Roma ſolum, quam præ ceteris diligebat, ac per ſe excolebat, excepta, habebat. Conueniente tunc cum Heriberto ſanctæ ſedis Agrippinæ Archiepiſcopo plurima fidelium turba, Imperator lætatur: & quamuis exterius vultu ſemper hilari ſe ſimularet; tamen conſcientiæ ſecreto plurima ingemiſcens facinora, noctis ſilentio, vigilijs, & orationibus intentis, lacrymarum quoque riuis abluere non deſtitit. Sæpenumero omnem hebdomadam, excepta quinta feria, ieiunus producens, in eleemoſynis valde largus extitit.] Hæc Ditmarus, male a nobis ſub anno nongenteſimo nonageſimooctauo in priori editione relata, errore deceptis Scholiaſtis, qui hunc Gregorium Imperij perduellem Gregorium Papam fuiſſe notauit in margine: cum re accurate perſpecta, hæc omnia defuncto Gregorio, & iam ſedente Silueſtro accidiſſe, ex eodem Ditmaro luce perſpicua euidenter apparet. Subijcit idem Ditmarus, eodem tempore Germanos complures Principes vna cum Epiſcopis aduerſus eumdem Imperatorem in Germania rebellaſſe, quorum cauſa coactus fuit, re- D E

[b] *Ditm. lib. 4.*

QVAE PASSVS OTTO A ROMANIS.

SPIRITVALIA EXERCITIA OTTONIS IMP.

Universidad de Deusto
Biblioteca

licta Vrbe, illuc versus iter quamcito capessere, cum in via constitutus est defunctus. A
Sed de obitu est dicendum inferius: modo quæ sunt reliquæ Ottonis in Vrbe hoc anno
res gestæ, in medium deducamus.

TRANSFERT OTTO CORPORA MARTYRVM.

Constat etiam eumdem Ottonem hoc anno Romæ agentem nauasse operam, vt
quam erigeret ecclesiam sancti Adalberti in Tiberina insula, eamdem Sanctorum reli-
quijs locupletaret; & inter alias eius opera veneranda corpora sanctorum martyrum
Abundij, Abundantij, & Theodoræ in eorum Memorijs apud montem Soractem posi-
tis Romam fuisse translata, atque in eadem ecclesia S. Adalberti martyris collocata,
Scholiastes in vita & translatione eorumdem Sanctorum, ex antiquioribus moni-
mentis affirmat.

DE MONAST. ERIGENDO CONSILIVM.

Habebat vna secum Otto Imperator sanctum Heribertum Archiepiscopum Colo-
niensem monitorem & consultorem in rebus agendis, cuius consilio pro gratiarum B
actione de prosperis rerum euentis monasterium erigendum instituit, sed ne perfice-
ret, morte præuentus est. De his enim hæc Rupertus Abbas Tuitiensis in vita eius-
dem Heriberti, quam scripsit: [a] Denique cum nouissima profectione Italiam ingrede-
retur, Rempublicam dispositurus, beatum virum Otto habens in comitatu, cunctis
prospere succedentibus, tractans cum viro Dei de salute animæ suæ, & quodammo-
do dicens: Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? consilium hoc
accepit, qualiter ob salutem suam cœnobium construeret monachorum, in honorem
sanctæ Dei Genitricis, omniumq. Sanctorum. Hoc inito salubri consilio, necessaria
protinus ad hanc rem prædia Christo delegauit, quæ & beato viro in manum dedit,
cum pollicitatione & sponsione huiusmodi, vt quoniam vita mortalium incerta est;
si quem ex ipsis necessitas mortis præoccuparet, alter, quicumque sit superstes, votum C
perficeret.] hæc Rupertus.

[a] Rupert. Abb. Tuit. in vita S. Herib. cap. 12. apud Sur. die 16. Mart. to. 2.

FRVSTRA OTTONEM MONET S. HERIBERTVS.

At felix quidem Otto, si in omnibus eiusdem sancti viri monitis paruisset: contra
ipsius enim consilia iunxit sibi coniugem nobilem Romanam feminam, quæ fuerat
Crescentij vxor, in quem (vt dictum est suo loco) dire sæuierat. deceptus namque pul-
chritudine, haud considerauit, implacabile esse solere genus femineum, vt vindi-
ctam expetat, & dolosum, vt dissimulare sciat; & quod dum blanditur, venenum pa-
ret. Cæca mens illecebris feminæ semel capta, vt [b] Samsoni accidit, cum lumine pri-
uatur & viribus, eneruata languescens in tenebris, ferreis vincta compedibus iacet,
donec ipse, vt bos ad victimam, ducatur infelix ad necem, de qua anno sequenti dicturi
sumus. Porro de vxore Crescentij Ioanna dicta, quam domum introduxit, est diuer-
sorum assertio quoque diuersa. Glaber ait, [c] eam cum leuiter in vxorem accepisset, D
paulo post dimisisse diuortio. Leo Ostiensis non in vxorem, sed in concubinam ab Ot-
tone acceptam, illis verbis significare videtur, quibus ait: [d] Qua ille impudice abu-
tebatur.] Sed & Rupertus Abbas idem sentire videtur, cum de his agens, nullam pe-
nitus habet de coniugio mentionem. in quam sententiam iure pedibus abijsse recen-
tiores visi sunt plures.

[b] Iudic. 16.

[c] Glab. lib. 1. c. 4. prope fin.

[d] Leo Ost. Chron. Cass. lib. 2. c. 24.

Demum vero, quid his diebus Romæ acciderit memoria dignum de primario Iudi-
ce, qui chlamydem Ottonis Imp. oblatam ab ipso monasterio SS. Bonifacij & Alexij,
ponendam super altare sibi vendicauit, hic describendum putamus ex codice Cassi-
nate, in quo post homiliam S. Adalberti in eorum ecclesia dictam, plura subscripta
ab auctore eius temporis narrantur miracula, & inter alia id quod sequitur:

Diuæ memoriæ Tertius Otto Romanorum Imperator locum hunc toto mentis di-
ligebat affectu, cui dona multa largitus est, non dubitans se recepturum recompen-
sationem a iustissimo iudice Deo, suffragantibus meritis sanctorum Christi martyris
Bonifacij & Confessoris Alexij: inter quæ mantum, quo tegebatur coronatus, in quo
omnis Apocalypsis opere Phrygio erat auro insignita, eis supplex obtulit, & altari
S. Alexij decentissime coaptauit, perpetuo ibi mansurum optans. Cuius votum floc-
cipendens Adelbertus Abbas (de quo multa dicere dignum modo non arbitror) vt
erat impudens, vestem ipsam non causa vtilitatis monasterij, sed nequitia sua cogen-
te, aliquibus dedit in pignus, apud quos mansit, quousque scelere suo petente, vita
priuari meruit. Quæ denique vestis deinde venit ad manus cuiusdam Primicerij Iu-
dicum nobilissimi & prudentissimi, qui sæculari prudentia potius feruens, eam agni-
tam non reddidit Sanctis, sed quasi proprium thesaurum seruandũ in capsam retrusit.

DE CHLAMYDE OTT. IMP. DONATA S. ALEXIO.

Cuius

A Cuius clarissimi Confessoris nuditatis & expoliationis Deus miseratus, sicut postea
rei probauit euentus, nequissimo ministro flagellandi eum potestatem tribuit. Qui
sciens pœnitentiam Regis pro vxore [a] Abrahæ per flagella rerum designatam: non a
possessis rebus, sed ab ipso possessore cœpit flagellum; malens illum ex improuiso ex-
tinguere, quam post flagellatum ad pœnitentiam reuerti. Namque obuiauit ipsi iuxta
propriam domum, & inter cateruas comitantium equitum, de equo aspero deposuit,
ac elisum paralytica infirmitate attriuit. Fit exanguis, fit pene exanimis: currit an-
xia vxor, currunt fratres, & tota flebilis domus mirantur & deflent miserum cada-
uer: fit strepitus concurrentium, fit luctus maximus. Tandem manibus eorum in-
troducitur domum, non vt ei mederentur, sed vt defuncto debitis potiretur.

[a] Genes. 12.

Mox pietas Dei affuit immensa, volens ei, cur euenerit illud, clarius ostendere: & vi-
B tam ipsi seruauit, & oscitare cœpit. Fiunt alta silentia, imponitur modus gemitibus;
quæruntur medici, nec inueniuntur, qui proficere valeant. expectabatur itaque sola
medela Dei per aliquot dies. Cum ecce intempestæ noctis silentio, vt infirmus libe-
raretur, non vxori, seu filijs, non propinquis, sed ipsi paralytico, ipsi muto, ipsi om-
nem cibum fastidienti visi sunt sancti Bonifacius & Alexius (sicut idem retulit) torue
in eum aspicientes, & agitantes capita, ac dicentes: Putas ne te sanum nostra veste vti,
nobis expoliatis? Quos cum requireret tremula voce qui essent, vel vnde; aiunt: Ego
Bonifacius sum, iste vero est homo Dei Alexius, quem tu expoliatum habes. Et con-
uersus, sustentans pallium auro gemmisq. insigne, quo tegebatur, ostendit humerum
sancti Alexij, confitentis verecundiam rubore, nudum; quem cum vidisset vitro puriо-
rem, lacte candidiorem, cœpit plus ex ipsa visione, quam languore deficere. Iterum
C audiuit: E lecto isto valens non surges, priusquam veste mea, pro qua percussus es,
induar. Qui miti voce lætus euigilans, balbutiendo coniugem, qui hactenus nec os
aperire poterat, appellat suam: Chara coniux, compatrem meum Leonem, & patrem
spiritualem meum Benedictum Episcopum Portuensem ad me venire citissime facito.
erat enim Benedictus in diuinis & humanis disertissimus. Quibus accersitis, quæ au-
dierat, seriatim exposuit. Tunc Episcopus pia lætitia perfusus, talia cum lacrymis
cœpit: Gloria tibi, Christe, gloria tibi, Domine, qui irasceris vt placeris, flagellas vt
indulgeas, percutis vt sanes. Gloria tibi, bone IESV, qui loquentem me audire facis,
quem mortuum pene dimisi: procurator animarum & corporum, tua medicamina
non curant criticos dies, non petunt Indica pigmenta. Et conuersus ad ægrotum la-
crymis madefactum, dixit: Fili, redde vestem, vt reddaris sanitati, credens quod
D infectum non remanebit, quod amici Dei tibi interminati sunt. Cui ægrotus: Pater,
iam vellem vt supra corpus domini mei Alexij vestis iaceret: nam & ipsum tempus,
quo fiat, longius mihi videtur. Statimq. allata est vestis; quam tollentes venerunt
ad monasterium gallicinio eiusdem noctis, & supra venerabile corpus S. Alexij eam
posuerunt. Sicq. reuertentes, quem iacentem reliquerant; sedentem & glorificantem
Deum viua voce inuenerunt.] hucusque auctor, qui & quæ scripsit, se testatur vidisse.
Porro Benedictus ipse Cardinalis Episcopus Portuensis, vt suo loco dicetur, ex Por-
tuensi Episcopatu translatus est ad Cathedram Petri post Sergium Papam, qui Se-
cundus post Siluestrum sedit.

REDDITA CHLAMYDE SANCTIS SANATVR IVDEX.

His vero, cum de rebus vrbanis sit sermo, attexenda putamus ea, quæ de statu ip-
sius Vrbis in ijs quæ ad religionis cultum pertinent, habet huius quoque temporis scri-
E ptor fidelissimus Arnolphus Comes, quem hactenus delitescentem vendicauit in lucẽ
Henricus Canisius, collocatum suo tomo secundo lectionum antiquarum. Hic enim
inter alia quæ prosecutus est stylo, vbi agit de eiusdem Tertij Ottonis hoc nouissimo
in Vrbem aduentu; ea oblata occasione, de eadem Romana Vrbe plura differens, quæ
scilicet cum coleret idola, iure dicta Babylonia inueniretur; postea autem ob sacræ
religionis cultum in Dei ciuitatem conuersa, non amplius, Babylon, profano sit no-
mine appellanda, quæ Babylonis per veritatis cultum abstersisset infame nomen, sed
dicenda esset iure Ciuitas sancta: itemq. de cultu religionis, qui tunc in eadem ipsa
Vrbe vigeret, hoc ipso, inquam, Ottonis Tertij tempore, hæc habet post alia:

In tantum creuit in diuino cultu, vt pro ruinis murorum & veterum fanorum sur-
gant quotidie innumera ædificia ecclesiarum, siue monasteriorum, e quorum incredi-
bili numero (vt audiui a quodam sene, qui se dixit nutritum in eadem ciuitate) viginti

Universidad de Deusto
Biblioteca

possidentur a sanctimonialibus, quadraginta a monachis, sexaginta a canonicis, exceptis ijs, quæ extra ciuitatem sunt, & in alijs ecclesijs, siue capellis, quæ in eadem Vrbe abundant.] & paulo post: Hanc siquidem Vrbem quasi intuentes vndique colectæ plurimæ gentes, assumunt verba sacræ Scripturæ, & dicunt: Omnipotens Roma,[a] gloriosa dicta sunt de te, quia ciuitas Dei es facta.] hæc & alia Arnolphus de statu Vrbis huius temporis omnium deploratissimi, quo nescientibus ista videri potuisset cultus Christianæ religionis illic penitus friguisse, immo inundantibus malis, extinctus pene fuisse; cum tamen ita virens ac florens existeret, vt quod de ea, quæ typum tenebat Ecclesiæ, Arca Noe scriptum in diuinis litteris reperitur: [b] Multiplicatæ sunt aquæ, & eleuauerunt Arcam in sublime:] in Romana Ecclesia re ipsa appareret expressum, vt in diuino cultu existeret eminentior, cum existimari potuisset excrescentium malorum obruta fluctibus. Ita plane peculiari Dei priuilegio eidem Ciuitati in more positum, vt tunc degentes in ea fideles ciues promptiores exurgant ad pietatis opera exercenda, cum magis pulsentur persecutionum diuersarum flagellis. Cui illud Cantici canticorum conueniat: [c] Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. Et elogium Doctoris Gentium verax & loquens iugiter perseueret: [d] Fides vestra annuntiatur in vniuerso mundo.]

a *Psal. 86.*

STATVS VRBIS QVALIS.

b *Gen. 7.*

c *Cant. 8.*

d *Rom. 1.*

IESV CHRISTI ANNVS 1002. SILVESTRI II. PAP. ANNVS 4. VACAT. IMP. OCCID. 1. BASIL. ET CONST. IMPP. 27.

OTTONIS III. IMP. OBITVS.

SEQVITVR annus Redemptoris secundus post millesimum, Indictione decima quinta cœptus, quo Otto Imperator quinto Kalend. Februarij ex hac vita decessit; & in Germania eius in regnum Henricus Bauariæ Dux a Principibus Germaniæ Rex successor eligitur. De his acturi, primum omnium, more nostro, errantibus pluribus in his quæ ad certam rationem temporis spectant, qui anno superiori defunctum Ottonem & subrogatum ponunt Henricum, veriorem ac certiorem de tempore firmemus assertionem. Atque in primis, cum ex recitato, anno superiori, diplomate constet, illud datum Papiæ X. Kal. Iulij, & absque controuersia asseratur Otto defunctus quinto Kalend. Februarij: vtique in sequentem annum, hunc ipsum scilicet, sit necesse referre. His accedit, quod cum in diplomate eiusdem Henrici Regis successoris Ottonis, quo priuilegium continetur datum ab eo monasterio sancti Vincentij ad fontes Vulturni posito, annus Redemptoris millesimus decimusquartus, eiusdem Henrici Regis ponatur annus duodecimus: plane asserere necesse est, ipsum hoc anno regnare cœpisse. in fine enim ipsius ista leguntur: Henricus Cancellarius vice* Euphrardi Episcopi & Archicancellarij recognouit. Datum anno Dominicæ Incarnationis millesimo decimoquarto, Indictione duodecima, anno domini Henrici Imperatoris regni duodecimo, Imperij eius primo. Actum Romæ feliciter. Amen.] Ex quibus pariter intelligis, annos Imperij eius non ab hoc anno, vt faciunt multi, sed ab eo, quo a Romano Pontifice Romæ coronatus est Imperator, numerari cœptos. His adde, quod cum Rupertus Abbas eiusdem sæculi scriptor affirmet, Henricum ipsum creatum Regem fuisse, cum Heribertus Colonien sis Archiepiscopus tertium ageret annum in pontificatu, de quo dictum suo loco superius: plane non superiori, sed præsenti oportuit esse defunctum Ottonem, atque subrogatum Henricum. cui veritati astipulantur Marianus Scotus, Lambertus, ac Sigebertus, qui hoc pariter anno collocant egressum Ottonis, & ingressum Henrici.

* *al.* Euerardi

DE LOCO ET DIE OBITVS OTTONIS IMP. DIVERSAE SENTENTIAE.

De loco etiam, vbi defunctus sit Otto, haud est antiquorum eadem assertio, Ruperto Abbate Tuitiensi asserente, Romæ mortuum: Petrus autem Damiani in Romualdo, eum ab Vrbe digressum in itinere apud Paternum defunctum affirmat: item & Ditmarus. sed & de obitus die nec par est Scriptorum assertio. Nam Marianus Scotus quinto Kalend. Februarias eum ex hac vita decessisse tradit: Hermannus ponit extinctum decimo Kalend. eiusdem: duodecimo vero plures: Ditmarus nono Kalend. affirmat. Discessisse ab Vrbe vna cum Siluestro Pontifice Ottonem Imperatorem, auctor est Sigebertus. Quod enim ipsum sibi sensisset infestum, ab Vrbe deducere, & secum ducere, habuit in consilio. Necis illatæ veneno eam afferunt causam, quod eius ab

ab Vrbe recessu spe frustrata Crescentij quondã vxor, quæ conceperat animo ex amatorijs pollicitationibus se ab eo in vxorem ducendam, ac dicendam Imperatricem: sic deceptam se videns, vltionis stimulis agitata, molitur necem, venenum parat, chirothecis infundit, quas ei quasi pignus amoris dedit: quibus ille incautus vsus morbo lethali confectus extinguitur. Ditmarus, qui his diebus vixit, scripsitq. per dies ferme singulos quæ tunc acciderunt, nihil prorsus de commixtione Ottonis cum vxore Crescentij habet, nec veneno esse defunctũ; sed quo fuerit morbo confectus, sic narrat, primum ista præmittens: [a] Appropinquante eius obitu, multa præuenere importuna: nam nostri Duces & Comites non sine conscientia Episcoporum multa contra eum conspirare nituntur, Henrici Ducis Bauariæ postea successoris sui ad hoc auxilium postulantes. hic vltima patris suimet & æquiuoci monita, qui in Gandersheim obijt ac requiescit, memori seruans in pectore, & sibi hactenus in cunctis fidelis, nullum his præbuit assensum. Imperator hoc statim comperiens, & patienti ferens animo, in Paterna vrbe pustellis interiora prementibus, & interdum paulatim erumpentibus infirmatur, qui facie clarus ac fide præcipuus ix. Kal. Febr. Romani corona Imperij, exiuit ab hoc sæculo, suis insuperabilem relinquens mœrorem, quia tempore eo non fuit vllus largior, ac per omnia clementior illo &c.] Hæc Ditmarus vir sanctitate præstans, qui vel leue quoduis mendacium non secus, ac capitale piaculum, vt profitetur, exhorruit. Ceterum quid certum verumque, quidve vulgo sparsum, creditum, atque scriptum fuerit, in tanta auctorum discrepantia haud ausim sententiam ferre, ac reliquos omnes mendacij redarguere: quisque sibi arbiter Lector esto.

a *Ditm lib. 4.*

DITMARI DE CAVSA OBITVS OTTONIS SENTENTIA.

Adderat comes itineris Hugo Hetruriæ Marchio, Dux Vrbis (præcipuus hic erat magistratus) qui in illis Vrbis tumultibus eidem Ottoni præsto fuerat, liberans eum a coniuratione factiosorum perduellium Romanorum: potens quippe erat, & summæ in Vrbe ipsa auctoritatis ducatum gerens, fauens semper Imperatori. testatur id Sigebertus. Quod autem non amplius viri huius inferius mentio haberi contingat, hic eius velut sepulti describamus epitaphium memoria dignum, vtpote acrostichis noui generis versibus mira concinnatione descriptum, ista desuper inscriptione [b] signatum.

HVGO MARCHIO HETRVRIAE DVX ROMAN.

b *descriptum ex MS. cod. Cassiani, qui erat Maurolici Abbatis.*

EPITAPHIVM HVGONIS DVCIS, TVSCIAE MARCHIONIS.

DE HVGONE TVSCIAE MARCHIONE ET VRBIS DVCE.

	F	L	V	C	T	V	A	T	I	N	T	E	R	R	I
D	S	Q	V	I	S	E	M	P	E	R	V	I	V	E	R
	E	Q	V	A	E	R	I	T	L	V	M	I	N	I	S
	E	T	S	T	A	B	I	L	I	N	O	N	M	A	N
	E	T	I	L	L	E	G	R	A	D	V	N	E	G	O
	D	I	V	E	S	V	G	O	D	V	X	F	V	L	S
	I	N	O	M	I	N	E	C	L	A	R	V	S	R	E
	X	I	V	R	A	P	I	E	T	E	G	M	I	N	E
	C	A	R	N	I	S	I	N	H	O	E	T	D	O	C
	V	I	M	I	T	E	M	P	R	A	V	V	M	S	V
	B	F	A	S	C	E	C	O	E	G	I	M	E	R	A
	P	T	O	R	F	V	R	T	A	P	A	V	I	T	A
	M	A	R	E	M	A	L	A	F	R	V	M	M	E	C
	O	L	V	I	T	R	E	G	N	V	M	E	T	Q	V
	I	R	E	X	E	R	A	T	I	L	L	V	R	O	M
	A	I	H	I	P	A	R	V	I	T	V	T	P	A	T
E	E	R	H	A	N	C	D	O	M	V	I	I	S	T	E
	T	A	M	E	N	T	V	M	V	L	V	S	M	E	C
	L	A	V	D	I	T	M	A	R	M	O	R	E	P	A
	R	V	V	S	C	A	M	A	N	V	S	P	L	O	R
	E	T	M	O	R	T	I	S	H	O	N	O	R	E	S
	V	B	H	O	C	T	M	E	P	O	E	N	A	E	A
	R	D	O	N	O	N	V	R	A	T	L	E	C	T	O
	R	A	D	O	R	M	V	N	D	O	C	O	R	D	E
	V	M	Q	V	I	B	O	N	A	C	V	N	C	T	A
	R	E	G	I	M	O	R	E	B	E	N	I	G	N	O

Glaber [c] vocat Marchionum optimum, cum agit de eius obitu.

c *Glab. lib. 2. cap. 7.*

Legimus eiusdem duo donationum diplomata nobis ostensa a Domno Constantino Caietano monacho congregationis Cassinensis Archiuorum perueστigatoris diligẽtissimi: alterum datum anno Redemptoris nongentesimo nonagesimoquinto, Indictione octaua; alterum vero, anno nongentesimo septimo, Indictione decima. quibus apparet eumdem Hugonem filium fuisse Vberti, siue potius Alberti (vti in altero eorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

corum legitur) Marchionis Tusciæ, & Vuillæ filiæ Bonifacij Marchionis, quæ extruxit Florentiæ a fundamentis ecclesiam S. Mariæ vna cum monasterio eidem coniuncto, quam idem Hugo duabus illis donationibus redditibus amplissimis locupletauit. Porro eodem Hugone defuncto, successit in locum ipsius Bonifacius Marchio Alberti Comitis filius, germanus eius, vt apparet ex alio diplomate donationis eidem ecclesiæ factæ, dato anno Redemptoris millesimonono, Indictione septima, pridie Idus Augusti, in quo ipse Bonifacius se nominat filium Alberti. At de Hugone hactenus, in quem obiter incidimus occasione Ottonis Imp. ad quem reuocemus orationem:

a Rup. Abb. cap. 10. apud Sur. tom. 2. die 16. Martij.

RVPERTI DE CAVSA OTTONIS OBITVS SENTENTIA.

De ipso rursum Ottone, eius deplorans exitium, ista habet [a] Rupertus Abbas Tuitiensis in Heriberto eiusdē Ottonis tunc comite in itinere, & in rebus agendis consiliario, ab alijs diuersa nonnihil sic narrans: Qui nimirum Imperator, si vt in ceteris, ita & in causa, per quam mortem incurrit, consilium beati viri attendisset, multo melius sapientiæ appropinquasset, & non pœnituisset eum, quemadmodum ipsa Sapientia dicit: [b] Omnia fac cum consilio, & post factum non pœnitebis. Quod quia non fecit, incidit in insidias mulieris malæ, videlicet eius, cuius virum Crescentium sibi rebellantem captum iusserat capitalem subire sententiā: & ab illa non præcauens, quamuis a sancto viro sæpe esset commonitus, veneno intra cubiculum dormiens infectus est. obijt itaque Romæ anno post ordinationem beati viri tertio. Ierat autem nunc quoque Sanctus idem cum illo, vtpote ad disponenda perneccessarius maxima regni negotia. Cui cum die sequenti confessus fuisset pestem, quam perceperat, seq. mori persentiret: id quoque supremum ab eo postulauit; quatenus corpus eius, Aquisgrani sepeliendum, transferret.]

b Eccl. 32.

OTTONVM STEMMA DEO VINDICE EXTINCTVM.

Hæc ipse de obitu Ottonis Tertij Imp. in quo extinctum penitus stemma regnantium Ottonum, non nisi in nepotem Magni Ottonis, secundum heredem Imperij propagatum: ita diuinitate vlciscente delicta, quæ in Sedem Apostolicam perpetrarunt, pro arbitrio amouendo atque subrogando Pontifices, quamuis non nisi pietatis intuitu id facere præseferrent. Sed nec alium prætextum legitur habuisse [c] Saul, quando non expectato Samuele obtulit sacrificium, sibi male vendicans, quæ essent tantummodo sacerdotum, ob idq. regni atque vitæ priuatione mulctatus. Neque alius quam fuit pietatis obtentus, cum calcitrantibus bobus Arcam Dei [d] gestantibus, eam ad casum inclinatam, ne corrueret, tetigit Oza: cuius rei causa statim a Deo percussus interijt, qui videri poterat dignus magna mercede, quod festinus Arcæ cadentis periculo subuenisset. Magno quidem damno quouis prætextu pietatis a laicis quibuscumque, etiam Regibus sacra tentari, non his tantum, sed plurimis alijs exemplis sæpe superius contigit demonstrari, quorum causa eos male perijsse, & ad extraneos translata vidimus regna: vt non immerito Samuel ad Saul dixerit, causam aperiens regni iacturæ: [e] Quod si non fecisses, iam nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israel in sempiternum: sed nequaquam regnum tuum vltra consurget &c.] Sed de subrogato in regnū Germaniæ Henrico Duce Bauariæ quæ prosequatur idem Tuitiensis Abbas, videamus. pergit enim:

c 1. Reg. 13.

d 2. Reg. 6.

e 1. Reg. 13.

FVNVS OTTONIS IMP.

Hoc agere insistens vir Dei, nempe vt corpus Imperatoris Aquisgranum deferret, regalia quoque ornamenta, Regis scilicet, penes se habuit, & electioni non interfuit noui Principis Henrici tunc Bauariorum Ducis, quem secundum sæculi dignitatem locupletissimum, & litterarum studijs non tenuiter instructum Principes regni Regē sibi elegerunt. Hæc fuit occasio, quam aduersus illum rapere potuerunt aduersarij, quales in Ecclesia numquam defuerunt, ex quo sacrificia Deo primi obtulerunt Abel & Cain, scilicet falsi fratres, quibus Scriptura dicit: [f] Abierunt in viam Cain: quorum pressuram [g] Apostolus inter cetera pericula sua maxime gemit. at hæc quidem regalia repetita cito reddidit. Sed quia noui (vt iam dictum est) Principis electioni non interfuit, ex tunc illi suspectus erat; vnde & idem Rex obtrectatoribus Sancti pronius aurem præbebat. Deinde impacato semper eum odio persecutus est, donec a Domino redargui meruit paulo ante obitum Sancti, quod in loco suo præsens narratio non præteribit.] hæc Rupertus Abbas. Quod insuper ad sepulturam Ottonis spectat, intestina eius Augustæ Vindelicorū sepulta affirmant e corpore execta, ne ipsis corruptis reliqua pars corporis tabo inficeretur. Sed quod ad longius ductū funus Ottonis eiusq. sepulturam pertinet, ceteris omnibus locupletius atque sincerius Ditmarus narrat.

f Iud. Epist.

g 2. Cor. 11.

Idem

Idem vero agens de Henrico successore in regnum, eius cunabula repetens, & vitæ bene institutæ primordia, ipsum educatum fuisse a sancto Vuolfgango Ratisponensi Episcopo tradit his versibus:

DE HENRICO REGE SVCCESSORE OTTONIS.

Nutrit præclarum Vuolfgangus alumnum,
Qui sequitur Dominum toto conamine Christum.]

Qui quidem Sanctus inter cetera charismatum dona cum polleret spiritu prophetiæ, hæc de regno consequendo ipsi prædixit, vt eius temporis auctor, qui res ab eo præclare gestas conscripsit, testatur his verbis: Cum enim ad eum ob impertiendam benedictionem (vt crebro solebat) adductus esset, speciosissimam eius prolem Henricum, qui postea Dei nutu factus est Imperator, Regem appellauit; fratrem eius Brunonem vocauit Antistitem; sororem eius natu maiorem Reginam; minorem, quam ipse baptizauit & de sacro fonte suscepit, Abbatissam nominauit] quæ quidem omnia, vt prædixit, & patuit, euenere. Sed & quomodo idem sanctus Vuolfgangus, cum iam ex hac vita ad Deum migrasset, de Imperio adipiscendo, apparens eidem Henrico, prædixit, suo loco dicturi sumus.

Porro ipse Henricus Moguntiæ inauguratur Rex ab Archiepiscopo Moguntino Vuilligiso, tertio Id. Iunij: quæ autem tunc acciderint, & quos deinde passus sit aduersarios, idem Ditmarus pluribus narrat; adeo vt non solum quæ annis singulis, sed quæ mensibus & diebus quibuscumque suis acciderint, exacte describerit. quem consulat qui ea cupit.

ECCLESIA HVNGARICA SVB S. STEPHANO REGE FLORET.

Quo tempore Hungarica ecclesia sub Rege Stephano, & Gisela siue Gisla Regina, quam filiam Henrici Regis in vxorem accepit, mirifice culta floruit, & longe lateq. propagata & illustrata est: cuius sicut ortum & cunabula recensuimus Tomo superiori; ita progressus felicissimos describere minime prætermittemus, hic reddentes, quæ in rebus gestis eiusdem sanctissimi Regis Chartuitius Episcopus scripsit, nec alijs quam eius verbis. subdit enim hæc post ipsius coronationem enarratam: [a] Porro consortem regni præcipue prolis propagandæ causa sibi adsciuit Henrici Imperatoris filiam Giselam; qui Imperator ob morum comitatem & mansuetudinem, Pius, est appellatus. Ea autem Gisela chrismate vncta & corona regia insignita, qualem se præbuerit erga Dei cultum ornandum, quam frequens & benigna ac liberalis erga Christo seruientium congregationes fuerit, multarum ecclesiarum cruces, vasa sacra & vtensilia, miro opere effecta vel contexta in hunc vsque diem testantur; præcipue tamen ecclesia Vesprinensis, quam illa a fundamentis constructam rebus omnibus, quæ ad Dei ministerium sufficiant, in auro, argento, multigenisq. vestibus præclare ornauit.

a Chartuit. in vita S. Stephani Regis Hung. cap. 9. 10. 11. 12.

Ipse vero Rex nuper inchoatos Episcopatus, id est, tam metropolitanam, quam ceteras cathedrales ecclesias, amplissima singulis assignata diœcesi, & idoneo præfecto Antistite, Abbatias quoque prædijs, chortibus, familijs, & redditibus, regia plane munificentia instruxit, crucibus, vasis sacris, aliaq. supellectile ad Dei ministerium spectante, pro cuiusque necessitate vel indigentia satis exornauit, annisq. singulis, quoad vixit, munera & oblationes semper auxit, ne aliquid extrinsecus conquirere cogerentur, qui rebus diuinis peragendis præerant. Monachorum quoque vitam & conuersationem modo per seipsum, modo per alios accurate inuestigans, desides arguebat, alacres & vigiles charos habebat. Canonicorum ministerium Episcoporum moderationi & circumspectioni sub Christi Ecclesiæ testificatione commendabat, cum Apostolo [b] omnibus omnia factus, vt omnes lucrifaceret.

b 1. Cor. 9.

Ea tempestate in monasterio S. Martini erat monachus quidam Sebastianus nomine, cuius vita probabilis, & in Dei cultu religiosa deuotio habebatur. Eum venerabilis Rex miro cœpit amore complecti (quanto enim quisque esset religiosior, tanto illi quoque charior erat) atque ob vitæ eius merita dignum eum censens qui Episcopi dignitate polleret, Strigonienſis ecclesiæ Archiepiscopum eum esse voluit. Sed quia flagellat Deus omnem filium quem recipit, Sebastianum illum, vt eius patientia probaretur, ad tempus vtriusque luminis orbitate afflixit. Ne vero nouellus grex pastoris gubernatione destitutus, a recto itinere deflecteret & aberraret, Romano Pontifice assentiente, Astricum Colocensem Episcopum, cuius iam crebro est habita mentio, in eius locum Rex substituit. Triennio inde euoluto, Sebastianus ex Dei benignitate

Universidad de Deusto
Biblioteca

nignitate recuperauit visum, & Pontifice Romano approbante, Astricus cum pal- A
lio redijt ad suam Colocensem ecclesiam, Sebastianus Strigoniensem gubernandam
recepit.

Erat sane Rex ille fidelis & integer in omnibus factis suis, Deo toto pectore deditus
& addictus: seipsum quoque & regnum suum per votum & oblationem in perpe-
tuæ Virginis Mariæ tutelã assiduis precibus cõtulit. Cuius sacratissimæ Virginis ho-
nor & gloria tam est celebris apud Hungaros, vt festum Assumptionis eius, tacito
STEPHANI REGIS CVLTVS ERGA DEI GENITRICEM. proprio nomine, sua lingua, diem Dominæ appellent. Atque vt Rex pijssimus pro-
pensiorem tantæ Virginis defensionem & patrocinium posset promereri, in ipsa regiæ
sedis ciuitate, quam Albam vocant, in eiusdem perpetuæ Virginis laudem & hono-
rem grandem & insignem atque in primis celebrem basilicam condidit, opere sane
mirifico, cælatis chori parietibus, & pauimento marmore strato. Quam basilicam B
qui vidit, testimonium perhibet dictis nostris, innumera illic haberi palliorum & eo-
rum, quæ paramenta vocant, genera; tabulas altarium non paucas ex auro puriss-
mo, pretiosissimorum lapidum ordinibus conspicuas: Eucharistiæ ædiculam, quam
Ciboriũ dicunt, arte mirabili supra Christi mensam extructam: conclaue omni gene-
re vasorum crystallinorum, onychinorum, aureorum, & argenteorum abunde re-
fertum. Tantæ vero elegantiæ ecclesiam vsque adeo Rex sibi vni vendicauit, adeoq.
PRIVILEGIA IN ECCL. REGI CONCESSA. immunem esse voluit, vt nullus Episcopus quidquam in ea iuris haberet. Quibus au-
tem diebus absolutio esset pœnitentibus impendenda, aut sacrum chrisma conficien-
dum, eum Episcopum voluit in ea & absoluere pœnitentes, & chrisma conficere,
quem ipse vel præsens id facere iuberet, vel quem absens eo mitteret. Diuina quo-
que Missarum solemnia, Rege illic præsente, cum dumtaxat Episcopum celebrare, C
cui Rex, consentiente cum Fratribus Præposito, id demandaret: absente autem Re-
ge, absque Præpositi & Fratrum bona venia, nullum Episcopum illic sibi vel Missas
celebrandi, vel cuiuslibet pontificalis ministerij exercendi licentiam vsurpare. Præ-
terea eius ecclesiæ populum tanta libertate & immunitate gaudere voluit, vt nulli
omnino Episcopo decimas penderet, sed soli Præposito & Fratribus, prout ipse insti-
tuisset, seruitium exhiberet.] Porro ista omnia & alia ex priuilegio Apostolicæ Sedis
obtinuisse, reliqua innumera exempla de Regibus & alijs, qui eadem non nisi ab Apo-
stolica Sede obtinuisse sciuntur, aperte declarant. pergit vero:

RELIGIO STEPHANI REGIS COMMENDATVR.
a Psal. 8.
b Psal. 18.

Quæcumque autem seruus Dei per id tempus acquirere potuit, ea in Christum re-
fundere studuit, a quo illa profecta non ignoraret: vt qui eum huius mundi gloria [a] &
honore dignum fecerat, etiam cælestis patriæ ciuibus clementer adscribere dignare- D
tur. Et in Prophetis quidem de Apostolis scriptum legimus: [b] In omnem terram exi-
uit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Non debet autem hoc de solis il-
lis duodecim accipi, sed de omnibus a Deo ad euangelizandum missis, quorum fide,
verbis, & moribus Ecclesia suis augescit incrementis. Ex eorum autem numero ille,
de quo agimus, Christianissimus Rex non minimus fuisse putandus est, vt qui bonæ
voluntatis, & piorum operum famam, quam ecclesijs in propriæ ditionis amplitudine
construendis sibi peperit, in longinquas regiones & vrbes celeberrimas diffuderit ac
propagarit. Extruxit enim in ipsa Hierosolyma, vbi Dominus noster IESVS Chri-
stus in carne versatus est, monachorum cœnobium, idemq. prædijs & vineis, vnde eis
quotidiani victus copia suppetat, ditauit.

QVAS ROMAE STRVXIT DOMOS RELIGIOSAS.

Romæ quoque, quæ est mundi caput, sub protomartyris Stephani titulo, duode- E
cim canonicorum collegium condidit, rebus necessarijs & ad eiusmodi collegium
attinentibus abundans: domos quoque & hospitia Hungarorum, qui orationis cau-
sa Romam ad beati Petri Apostolorum principis limina venirent, exædificauit, muro
ea lapideo circumdans. Tum quoque vrbem regiam Constantinopolim noluit suæ
liberalitatis esse expertem, mirifici operis in ea condens ecclesiam, rebus omnibus ne-
cessarijs ei adiunctis. itaque non immerito suæ ditionis Apostolus appellatus est. Etsi
vero ille sibi euangelizandi munus non sumpsit; attamen ceu quidam concionato-
rum dux & magister, defensionis & sustentationis solatia eis suppeditauit.] huc-
usque Chartuitius de felici rerum Christianarum progressu in Hungarorum regno sub
sancto Stephano Primo Rege.

Qui quidem adeo pietate insignis, haud inferior militari fortitudine perhibetur.
Hoc

A Hoc siquidem anno lacessitus a Giula Transiluaniæ Principe auunculo suo, ob dispa-
rem cultum religionis, ægro illo animo ferente, Stephanum adeo addictum Christia-
no cultui; licet coactus aduersus patruum traheretur ad bellum, inuitus tamen, & ne-
cessitate compulsus, cum armis impeteretur, comparato exercitu Transiluaniam
petijt, profligatoq. hoste, eoq. vna cum suis captiuo ducto, eam sibi prouinciam sub-
iugauit, atque regno Hungarico iunxit: quam & reddidit Christianam. Simulq. ip-
se Giula Princeps cum vxore & filijs exemptus vinculis, Christi Fidem amplexatus li-
cet inuitus, vt asseritur, [a] omni excussa contumelia seruitutis, ab eodem Rege fuit re-
gio more tractatus. ista pluribus Annales Hungarici. Post hæc autem eidem Regi
certandum fuit cum Bulgaris, Hungariam inuadentibus; quos non sine magno la-
bore, Deo impendente auxilium, superauit.

TRANSILVANI AD FIDEM CONVERSI.
a Bonf. dec. 2. lib. 1. hoc an.

B Hoc eodem anno (vt ex Leone [b] Ostiense colligimus) Northmanni licet pauci nu-
mero, magna tamen virtute Italiæ innotuere, specimen edentes insignis pietatis, cum
ingenti animi robore ac fortitudine militari. Rem autem præclare gestam, ab eodem
fideliter scriptam sic accipe: Ante annos ferme sexdecim (scribebat tunc res gestas
anni Redemptoris decimioctaui supra millesimum) Northmanni quadraginta nume-
ro, peregrino habitu, quippe qui ab Hierosolymis, quo orationis causa perrexerant, re-
deuntes, Salernum applicuerunt, viri & statura proceri, & specie venusti, & armis
præcipui. Quam ciuitatem cum a Sarracenis obsessam reperissent, accensis nutu Dei
animis, a Guaimario maiore, qui tunc Princeps erat, equos, armaq. poscentes, subi-
to in illos irruerunt; plurimisq. peremptis, & reliquis in fugam versis, mirabili victo-
ria, Deo largiente, potiti sunt. Efferuntur miris omnium laudibus, magnisq. a Prin-
C cipe illustrati muneribus, vt manere secum debeant, multis precibus inuitantur. Illi
amore tantum Dei, & Christianæ Fidei assertione hoc se fecisse asserentes, & dona
respuunt, & manere ibi posse se denegant. Prædictus itaque Princeps, consilio habi-
to, cum eis Legatos suos in Northmanniam dirigit, & veluti Narses alter, citrina per
eos poma, amygdala quoque & inauratas nuces, ac pallia regia, & equorum pha-
leras, auro argentoq. distinctas illuc dirigens, ad huiusmodi gignentem humum il-
los non modo inuitabat, verum attrahebat.] Hæc Leo de primo in Italiam Northman-
norum aduentu, & missa ad eos legatione: quæ penitus effectu non caruit, cum illis
alia occasione aditus patuit in Italiam veniendi, vincendiq. tandem ac dominandi.
Quod autem ad peregrinationem Hierosolymitanam spectat, his quidem tempori-
bus fuisse frequentissimam ex partibus potissimum borealibus, auctor est Glaber &
D alij, qui res gestas temporis huius scripsere.

[b] Leo Ost. lib. 2. c. 38.
NORTHMANNI PRIMVM ITALIAE INNOTVERE MAGNA VIRTVTE.

IESV CHRISTI ANNVS 1003. SILVESTRI II. PAP. ANNVS 5. VACAT. IMP. OCCID. 2. BASIL. ET CONST. IMP. 28.

MILLESIMVS tertius sequitur annus, prima Indictione notatus, quo Silue-
ster Papa, vbi Sedis suæ annum iam quintum inchoasset, moritur die duodeci-
ma mensis Maij, vt ex epitaphio eius sepulchro a Sergio Papa appositio satis apparet:
quod hactenus in basilica Lateranensi seruatur integrum. nos vero ipsum hic tibi de-
scribendum curauimus, sic enim se habet.

OBITVS SILVESTRI PAPAE.

E

EPITAPHIVM SILVESTRI PAPAE.

SILVESTRI PAPAE II.

✠ ISTE LOCVS MVNDI SILVESTRI MEMBRA SEPVLTI
VENTVRO DOMINO CONFERET AD SONITVM.
QVEM DEDERAT MVNDO CELEBREM DOCTISSIMA VIRGO
ATQVE CAPVT MVNDI CVLMINA ROMVLEA.
PRIMVM GERBERTVS MERVIT FRANCIGENA SEDE
RHEMENSIS POPVLI METROPOLIM PATRIAE.
INDE RAVENNATIS MERVIT CONSCENDERE SVMMVM
ECCLESIAE REGIMEN NOBILE SITQ. POTENS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

POST ANNVM ROMAM MVTATO NOMINE SVMPSIT, A
VT TOTO PASTOR FIERET ORBE NOVVS.
CVI NIMIVM PLACVIT SOCIALI MENTE FIDELIS
OBTVLIT HOC CAESAR TERTIVS OTTO SIBI.
TEMPVS VTERQVE COMIT CLARA VIRTVTE SOPHIAE,
GAVDET ET OMNE SECLVM FRANGITVR OMNE REVM.
CLAVIGERI INSTAR ERAT CAELORVM SEDE POTITVS,
TERNA SVFFECTVS CVI VICE PASTOR ERAT.
ISTE VICEM PETRI POSTQVAM SVSCEPIT ABEGIT B
LVSTRALI SPACIO SECVLA MORTE SVI.
OBRIGVIT MVNDVS DISCVSSA PACE TRIVMPHVS
ECCLESIAE NVTANS DEDIDICIT REQVIEM.
SERGIVS HVNC LOCVLVM MITI PIETATE SACERDOS
SVCCESSORQ. SVVS COMPSIT AMORE SVI.
QVISQVIS AD HVNC TVMVLVM DEVEXA LVMINA VERTIS.
OMNIPOTENS DOMINE DIC MISERERE SVI.
OBIIT ANNO DOMINICAE INCARNATIONIS M.III. INDIC.I.M. MAII. D. XII. C

Porro nugas illas de obitu Siluestri, ab homine schismatico Bennone primum excogitatas, mendaciq. stylo vulgatas, superiori Tomo in ipsius Siluestri ingressu apertissime confutauimus: adeo vt non nisi inter vecordes leuesq. atque penitus ineruditos se constituat opus sit, qui ijsdem fidem aliquam adhibendam putarit. Sicut etiam erroris ex ipso quoque eius epitaphio redarguitur Sigebertus, dum (quo nescimus auctore) in dubitationem reuocat, num hic Siluester annumerandus sit inter Romanos Pontifices, an quem alij (nescimus quos) numerant Agapetum, de quo nusquam mentio penes Scriptores temporis huius, quod his temporibus sederit.

Optassemus eius res gestas in Pōtificatu sui ipsius epistolis notas fieri, sicut volumine centum quinquaginta nouem epistolarum ab ipso scriptarum ante Rhemensem D
adeptum Archiepiscopatū, quas legimus ad nos Parisijs missas ab amico Nicolao Fabro, quibus eius actiones innotescūt: esset profecto, vt ex eis nonnulla hauriret Lector,
SILVESTER PAP. IVRIVM ECCLESIAE VINDEX. quae de eius Pontificia in Romana Ecclesia functione laude digna perciperet. Etenim etsi ipsum ad conciliandos sibi in Ecclesia gradus superiores semper vidimus inhiasse; potitus tamen illis, munus explere, quod esset consecutus, omnibus numeris conatus esse videtur, ita vt nec leuissima prætermitteret in his quae spectarent ad defensionem Ecclesiae iurium. Adducimus in exemplum, quod cum Abbas esset monasterij S. Columbani, ad Bosonem Comitem breuiter istam scripsit ob fœnum ab eius famulis
a Gerb. epist.3. inde sublatum epistolam: [a]

Recedant multa verba, & sequamur facta. Sanctuarium Domini nec pecunia nec amicitia vobis damus; nec si datum est ab aliquo, consentimus. Fœnum E
quod vestri tulerunt, beato Columbano restituite, si experiri non vultis quod possimus cum gratia domini nostri Cæsaris amicorum consilio & auxilio. His conditionibus leges amicitiae non refutamus] hæc ad Bosonem generum Imperatoris. alias
b Id.epist.4. etiam grauiores de his dedit litteras ad [b] Petrum Papiensem Episcopum, dum eiusdem Abbatiæ bona surriperet.

Ceterum monimentorum eius præter dictas epistolas & alias superius recitatas, vel seorsum scriptas ad res Rhemensis Archiepiscopatus spectātes, nihil vidimus; cum alioqui constet, plures reliquisse sui ingenij indices lucubrationes, partas illas prioc Id. epist.28. ribus vitæ temporibus. Nam hæc ipse de se testatur scribens ad [c] Bernardum monachum: Interdum nobilissimis scholasticis disciplinarum liberalium suaues fructus ad
SCRIPTA ANTE PONTIFICATVM. vescendum offero. Quorum ob amorem & iam exacto Autumno quamdam figuram edidi

A edidi artis Rhetoricæ, dispositam in sex & viginti membranis sibi inuicem connexis & concatenatis, in modum antelongioris numeri, qui fit ex bis tredecim. opus sane expertibus mirabile, studiosis vtile ad res Rhetorum fugaces & caliginosissimas comprehendendas, atque in animo collocandas] Scripsit & librum de numeris ad Constantinum Floriacensem monachum. & si quæ alia huiusmodi curiosa. Quorum causa ingentem sibi comparare vndique bibliothecam indefesso studio laborauit, vt apparet ex diuersis epistolis ad diuersos scriptis. nam ad Adalberonem Rhemorum Archiepiscopum ista de his: [a] Historiam Iulij Cæsaris a domino Azone Abbate Dornensi ad rescribendum nobis acquirite, vt vos penes, quos habemus, libros scilicet, habeatis. & quod reperimus, speretis item octo volumina Boetij de Astrologia: præclarissima quoque figurarum Geometriæ, aliaq. non minus admiranda] & rursum
B de alijs libris ad eamdem facultatem spectantibus hæc ad Rainardum [b] monachum: Nosti quanto studio librorum exemplaria vndique conquiram: nosti quia Scriptores in vrbibus, aut in agris Italis passim habeantur. Age ergo, & te solo conscio, ex tuis sumptibus fac vt * me scribantur M. Manlius de Astrologia, Victorius de Rhetorica, Demosthenis Ophthalmicus &c.] & ad Abbatem Turonensem: [c] Cui rei præparandæ bibliothecam assidue comparo. Et sicut Romæ dudum ac in alijs partibus Italiæ, in Germania quoque & Belgica Scriptores, auctorumq. exemplaria multitudine nummorum redemi &c.] Porro ob Geometricas atque Astrologicas figuras, quibus incumbere consueuit, quas rude sæculum adeo mirabatur, & his coniunctam viri felicitatem admirandam simul obstupescentibus multis, de vulgo præsertim: illā
C de magicæ artis exercitio (quam diximus) calumniam subijt. vnde & illa commentandi Bennoni schismatico occasio est oblata: quæ omnia abunde satis confutata in eiusdem Papæ electione vidisti.

* f. rescribantur STVDIA PRIORA SILVESTRI.
a Gerb. epist.7.
b Id. ep.126.
c Id. epist.44.

Sed quod vnicum extat inter epistolas eius pietatis monimentum, nimirum Hierosolymorum ecclesiæ nomine ad vniuersalem Catholici orbis Ecclesiam Romanam ad ferendum aliquod subsidium, exhortationem per epistolam breuem (dicendi enim Laconice arripuit institutum) sed grauem sententijs hic tibi ex eodem codice describere non pigeat. sic se habet hoc præmisso titulo.

Ex persona Hierusalem deuastatæ Vniuersali Ecclesiæ. [d]
Ea quæ est Hierosolymis, vniuersali Ecclesiæ sceptris regnorum imperanti.]

d Id. epist.28.

HIEROSOLYMORVM NOMINE EXHORTATIO AD ECCLESIAS.

Cum bene vigeas, immaculata sponsa Domini, cuius membrum me esse fateor, spes mihi maxima per te caput attollendi iam pene attritum. An quidquam diffiderem de
D te rerum domina, si me recognoscis tuam? Quisquam ne tuorum famosam cladem illatam mihi putare debebit ad se minime pertinere? vtq. rerum infimam abhorrere? En quamuis nunc deiecta, tamen habet me orbis terrarum optimam sui partem. penes me Prophetarum oracula, Patriarcharum insignia. Hinc clara lumina mundi Apostoli prodierunt. Hic Christi Fidem reperit orbis terrarum; apud me Redemptorem suum inuenit. Etenim quamuis vbique sit diuinitate; tamen hic humanitate natus, passus, sepultus: hinc ad cælos elatus. Sed cum Propheta dixerit: [e] Erit sepulchrum
c Isa. 11. eius glorioſum, Paganis loca sancta subuertentibus, tentat diabolus reddere inglorium. Enitere ergo miles Christi, esto signifer & compugnator; & quod armis nequis, consilio & opum auxilio subueni. Quid est quod das? aut cui das? nempe ex multo modicum, & ei, qui omne quod habes, gratis dedit, nec tamen ingratus re-
E cepit; & hic enim multiplicat, & in futuro remunerat. per me benedicit tibi, vt largiendo crescas, & peccata relaxat, vt secum regnando viuas] hucusque ipse, vt plane primus inueniatur, qui sanctæ militiæ classicum occinuerit, commodiori tempore promouendæ] Eius quoque Siluestri Papæ nomine scriptam vidimus sancti Adalberti martyris Pragensis Episcopi vitam, cuius est exordium: Est locus in partibus Germaniæ &c.] habetur ea in bibliotheca Cassinensi.

Ad postremum nec silēatur de ipso, quod ex eiusdē epistolis consequi licuit, eiusq. laudi cedit, cultorem fuisse sanctorum virorum tunc viuentium, nimirum sancti Maioli Cluniacensis Abbatis; Eberardi æque magnæ sanctitatis viri, & aliorum tunc eodem nomine florentium; cupidumq. fuisse monasticæ obseruantiæ, malorum vero acerrimum correctorem. Et ne quid de ipso prætereamus: legimus apud breue Chronicon rerum Venetarum Andreæ Danduli, ab eodem Siluestro Papa, supplicante

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vitale Veneto Patriarcha, renouatum priuilegium & confirmatum de iuribus Gradensis sedis super Episcopos Istriæ atque Venetiæ prouinciarum. A

Quid autem eiusdem Siluestri Papæ tempore, increbrescente tyrannide impiorum, contigerit pati Petrum venerandum Abbatem monasterij Sublacensis, in eiusdem monasterij Chronico ita narratur: Petrus tertius huius nominis, sed vigesimus secundus Abbas Sublacensis, temporibus domni Siluestri Papæ Secundi. Hic Abbas sanctus fecit in monasterio libros, paraturas optimas & hereditates multas acquisiuit. Postea captus, & in castrum, quod dicitur Monticellus, ductus, in vinculis alligatus est. In quibus cum iaceret, meruit a beato Nicolao visitari in suæ sanctæ festiuitatis die; a quo omnia vincula eius disrupta sunt. nam idem Abbas deuotissime beato obsequebatur Nicolao. Cumq. custodibus ab eodem Abbate acceptum beneficium nuntiatum esset; duplicata sunt vincula super eum, & sustentatus est ibi pane tribulationis & aqua B angustiæ per aliquod tempus. Hoc autem patiebatur, quod castrum, Arsule, dictum noluit dare senioribus illis. Post hæc autem (vt a maioribus nostris audiui) iussu dominorum illorum phlebotomati sunt oculi eius, & cæcus factus, non multo post migrauit ad Christum. sepultus est iuxta idem castrum in ecclesia S. Vincentij, vbi operatus est Deus quædam beneficia meritis eius, ad laudem & gloriam nominis sui] hæc ibi. at de rebus Siluestri Papæ, & alijs eius Sedis temporibus gestis iam satis.

PETRI ABBATIS SVBLACENSIS MARTYRIVM.

Ceterum defuncto Siluestro, subrogatum in locum eius fuisse Ioannem cognomento Siccum, patria Romanum, eius nominis Pontificem Decimumsextum, dictum Decimumoctauũ, sedisseq. tantũ menses quinque & dies aliquot, habent Indices veteres Vaticani: in eiusq. locum subrogatum esse Ioannem Decimumseptimum eius nominis, dictum frequentius XIX. At Marianus Scotus huius sæculi scriptor, priorem C Ioannem appellat Decimumseptimum, hunc vero Decimumoctauum: tamen frequentior vsus obtinuit, vt hic posterior numeretur Decimusnonus, sed præter omnem rationem, dum hoc numero schismatici indigni Pontificis nomine includuntur.

IOANNES PAPA SVBROGATVS SILVESTRO.

Quod autem ex recitatis versibus Sergij Papæ liqueat, post obitum Siluestri Papæ turbatam fuisse Ecclesiæ pacem, atque inualuisse discordias: turbarum harum eam intelligimus extitisse causam, quod defuncto Ottone Imperatore, qui duos iam promouisset ad Pontificatum vltramontanos homines, Gregorium atque Siluestrum, quos æque Imperatoria auctoritate atque potentia in eadem Sede continuisset; iam res relapsa est ad Comites Tusculanos, præcipuos, vt vidimus, in Vrbe proceres: quorum factio cum præualuisset, duos hos Ioannes in Sedem Apostolicã collocandos elaborauit, quos & nomine prædecessorum eius factionis Pontificum voluerit nominari, & eo D pariter numero consignari, quo omnes ipsorum studijs promoti, & eo nomine insigniti etiam pseudopontifices includerentur. vt nefarius ille, qui sedit in schismate contra Gregorium Ioannes Placentinus, indignus penitus, qui Pontificis nomine censeatur. Hos tamen ad euitandam in numero eiusdem nominis Pontificum confusionem atque perplexitatem, quæ Lectoribus molestiam posset afferre, non pro meritis singulorum, sed pro communi assertione, nullum interim præiudicium inferentes veritati, numerabimus duos Ioannes hoc anno Pontifices, priorem Decimumoctauum, posteriorem Decimumnonum, quem tradunt cognomento dictum esse Fasanum, creatumq. hoc anno xij. Kal. Decemb. Sed rectius quidem Hermannus illum Decimumsextum, hunc vero Decimumseptimum, prætermisso Placentino illo, Papam appellat. E

IOANNES DICTVS XVIII. ET IOANNES XIX.

Ab eodem autem Ioanne missus est Legatus ad consecrationem noui Archiepiscopi Magdeburgensis, cui ecclesiæ ab Ottone Magno erectæ concessum fuerat a Romano Pontifice priuilegium, vt non nisi per Romanum Pontificem eius consecratio fieri deberet. Sed cum ob tumultus Vrbis ipse interesse non posset, nec electus se Romam conferre, missus est Legatus Apostolicus ad munus explendum. hæc omnia apud Ditmarum, cuius relatione habetur, hoc anno, octauo Kal. Februarij esse defunctum Gisilerum ipsum Archiepiscopum Magdeburgensem, atque in locum eius subrogatũ ab Henrico Rege fuisse Tagmonem præstanti vita virum, omniaq. facta Apostolico more secundum præcedentem prophetiam, ante decẽnium a S. Vuolfgango Ratisponensi Episcopo prænuntiatã. Rem gestam sic idẽ Ditmarus narrat sub anni huius rebus gestis: [a] Fuit hic, Tagmo scilicet, egregij clericus Vuolfgangi, qui Ratisponensem pius

LEGATIO APOSTOLICA MAGDEBVRGVM.

[a] *Ditm. lib. 5. prope fin.*

pastor

A pastor habitu & conuersatione monachus rexerat ecclesiam. Huic tam charus erat iste, vt in vicem filij a puero nutriens, eumdem iam adultum bonis suimet omnibus præfecisset. Insuper Ducis & Imperatoris gratiam in tantum ei acquisiuit, vt si quando se de hac luce diuina iussione subtraheret, hunc sibi successurum non dubitaret. Consummato tunc huius exilij cursu *Vulpo sanctitate admirabili venerabilis Antistes, cum iam vsque ad mortem ægrotare cœpisset, accersito ad se dilecto Tagmone: Pone, inquit, fili, os tuum super os meum, accipiens a Domino insufflationem spiritus mei, vt vbicumque ardore iuuentutis incalescente, in genuina charitate sis frigidus, a summa potestate, meiq. benevolentia temperamentum accipias. Et si meis honoribus forsitan priuaberis, post binos quinos solares annos, cum mea apud Dominum *Iue commissa, maioribus pro certo lætaberis. Post hæc vir sanctus, cum finem B suũ in spiritu præsciret, iussit se in ecclesiã portari, expletisq. ab eo orationibus, ceterisq. quæ a Fratribus facienda erant, se cum sibi commissis Domino cõmendans, pridie Kal. *Octobris, sanctũ emisit in pace spiritum] anno videlicet nongẽtesimo, nonagesimotertio, decennio nimirum ante promotionem Tagmonis, factam hoc anno secundũ prophetiam, vt a Ditmaro accepisti, qui multa laude digna de eodem Tagmone locutus, cui & familiaritate iunctus erat, hæc de eius consecratione, euoluto iam anno facta describit: Ibi tunc Tagmo venerandus quarto Non. Febr. id est Ἑβδόμῃ Domini, id est, obuiatione iusti Simeonis, accepta ab Hilderico Antistite licentia, qui primus horum in ordine fuit confratrum, a Vuilligiso Archipræsule Moguntino consecratus est, præsente Rege, ac Romano Nuntio, omnibusq. Coepiscopis ad hæc fauentibus, & quia is (vt scriptum eius testatur) a solo ordinandus Apostolico, huc venire per C instantem necessitatem non potuit, ibidem sacri chrismatis delibutione *tunc ciuium impleuit numerum, Vualterdo post se committens omnem Episcopatum] hæc Ditmarus, sed ex satis deprauato codice scripta.

* Vuolfgangus

* vice

* Nouembris, TEMPVS OBITVS S. VVOLFGANGI.

Ad hæc tempora spectant, quæ Glaber narrat de facta in orbe Christiano vbique innouatione ecclesiarum. ait enim: [a] Igitur infra supradictum millesimum tertio iam fere imminente anno, contigit in vniuerso pene terrarum orbe, præcipue tamen in Italia, & in Gallijs innouari ecclesiarum basilicas, licet pleræque decenter locatæ minime indiguissent: æmulabatur tamen quæque gens Christicolarum aduersus alterã decentiore frui. Erat enim instar, ac si mundus ipse excutiendo semet, reiecta vetustate, passim candidam ecclesiarum vestem indueret. Tunc denique Episcopalium sedium ecclesias pene vniuersas, ac cetera quæque diuersorum Sanctorũ monasteria, seu minoD ra villarum Oratoria in meliora quique permutauere Fideles] hæc Glaber. Sed vnde ista? non aliunde puto, quam ex eo, quod cum viderent Fideles iam lapso tempore euanuisse quæ de mundi interitu fuerant constanti assertione prædicta, & passim credita: quasi tanto discrimine liberati, mundoq. proxime ruituro iam stabilito, desuper ipsum ædificari posse, visum est tutum. qui igitur percussi timore homines, ad ædificanda etiam pia loca remissi fuissent, quod essent illa cum mundi casu proxime desolanda: transacto prædicto tempore, alacres ad ecclesias iam permansuras erigendas, vel innouandas, restituendas ac dilatandas insurrexere. Quod enim anno primo post millesimum Antichristum aduenturum prædictum esset, eiusq. sciretur esse regni tempus annos duos & semis, secundum illud ita interpretatum, quod regnaturus [b] esset tempus & tempora, & dimidium temporis: plane hoc anno iam elapsum esse E prænuntiatum tempus Fideles intellexere. Subijcit istis [c] Glaber de restitutione ecclesiæ sancti Martini Turonensis, facta per Henricum, siue Herineum dictum, eius Præpositum, cuius egregias narrat virtutes, & eximiam sanctitatem. Subinfert etiam de Vuillermo Abbate, quem in restitutione sacrorum locorum multum fuisse tradit: cuius occasione Cluniacensis familiæ monastici instituti obseruantissimæ originem prodit, atque successionem vsque ad dictum Vuillermum sic numerando, a Bernone fundatore incipiens, qui ope Vuillermi Aquitaniæ Ducis in pago Matisconensi illud cœnobium ædificauit: post Bernonem, successorẽ ponit Odonem, post hunc Heimardum, inde Maiolum, quem secutus est Odilo, omnesq. egregia sanctitate conspicuos, atque adeo, vt extiterit horum opera Cluniacense cœnobium veluti alueare, e quo in diuersa loca ad monasteriorum regimen progrederentur coloniæ monachorum, non tantum in Gallias, sed etiam in Italiam & Hispanias.

[a] *Glab. lib. 3. c. 4.*

AEDIFICATIO FREQVENS ECCLESIARVM.

[b] *Dan. 7. Apoc. 12.*

[c] *Glab. lib. 3. c. 4.*

CLVNIACENSES MONACHI PROPAGATI.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ABBO FLORIACENSIS ABBAS OBIT DIEM OCCISVS.

Hoc anno (vt auctor est Sigebertus) insignis ille vita sanctissimus atque doctissimus Abbo Floriacensis Abbas ex hac vita accitus ad Deum migrat martyrio coronatus. quomodo id acciderit, Glaber sic narrat: [a] His ita gestis, contigit vt venerabilis Abbo Pater monasterij S. Benedicti, Floriacensis cognominati, gratia propagandæ religionis monasticæ in prouinciam transiret meridianorum Vuasconum. Cumq. illuc deueniens in quodã moraretur cœnobio, ibiq. more solito ea quæ Dei sunt, sedulo exerceret, nimio a cunctis venerabatur affectu. Accidit igitur die quadam, vt in atrio eiusdem cœnobij exardescentibus quorumdam litigiosorum irarum stimulis, nimium acer oriretur tumultus: dumq. vir reuerendissimus, prædictus videlicet Abbo comperiens, ad eumdem tumultum sedandum, pugillares gerens in manibus tabellas cum stylo, processisset, vnus e vulgo afflatus spiritu diabolico irruens in eum, eiusq. latus lancea perforans, Christi martyrem fecit. Qui etiam, vt fertur, paulo post arreptus a dæmone, miserabiliter vitam finiuit. Corpus vero prædicti Patris tam sui quam ceteri quique Fideles eiusdem prouinciæ honorifice ibi sepelierunt: vbi etiam ad laudem sui nominis perplura postmodum Dominus largitus est hominibus beneficia] hæc Glaber.

[a] Glab. lib. 3. c. 3.

Extat ad eumdem Abbonem Fulberti postea Episcopi Carnotensis epistola, cuius est iste titulus, & exordium: Pleno virtutis & gratiæ charissimo Patri Abboni Fulbertus suus. [b] Quanam te resalutatione digner o sacer Abba, o magne philosophe? &c.] Agit autem ea epistola Fulbertus pro monachis Carnotensibus, quos tyrannice Theobaldus Comes Carnotensis cognomento Fallax, habebat: qua cum idem deploret miserandum statum ecclesiæ Gallicanæ, cui dominarentur Principes sæculares, par est vt ea, quæ tunc acciderunt, ex eadem epistola hic describamus, sic enim se habent: Abbate sancti Petri grauiter ægrotante, sed adhuc mentis & sermonis compote, Megenardus monachus, ante mihi non mediocriter charus, noctu sese de claustro surripuit, & ad Theobaldum Comitem, qui Blesis tunc morabatur, Abbatiæ petendæ gratia properauit. Comes illum postridie remisit ad nos cũ Legatis, qui denuntiarent recipiendum magnifice sicut Abbatem monachis & canonicis. at vero nobis fere omnibus ea res æque noua & horribilis fuit. Respondimus itaque, longe nobis aliter videri. Nec enim legitime fieri Abbatem, nec debere recipi, qui Abbatiam alterius, ipso viuente, per ambitionem quærit; qui a Fratribus non eligitur, & super illos nititur dominari: postremo, qui noster neque monachus sit, neque clericus, & plures habeat testes curialiter agitandi, quam monastice viuendi. Hæc ille non gratanter accipiens, ad Comitem redequitat, iramq. iuuenis aduersum nos vehementer inflammat.

[b] Fulb. epist. 1.

PRINCIPES INVASORES ECCLESIARVM.

Sed die quinto, postquam suum ambitum publicauit, prædictus Abbas ægritudinem suam morte limitat. Conueniunt ad Capitulum monachi nostri, & quidam canonici, quos ratio postulabat admitti. Interrogamus, an aliqui Fratrum incepto Megenardi faueant: negant singuli, negant omnes. Decreuimus ergo quosdam eorum esse mittendos ad Comitem, nobis videlicet designatum Episcopum, vt Patris obitum nuntiarent, & alterius eligendi regularem precarentur licentiam. Quibus missis, ecce alij duo, Viuianus scilicet, & Durandus, alter illitteratus, alter litterarum malesanus interpres, ambo Præpositi, simulantes causa communis commodi ad obedientias suas se velle exire, ac ne aliorsum pergerent, sibi interdicente Decano monasterij, Megenardum tamen secuti sunt, cui cœptam præsumptionem occulte persuaserant, & Blesis in præsentia domini Theobaldi ipsum Megenardum a Fratribus peti ac eligi, perfide mentiti sunt. Horum suffragio lætus Comes, statim eum baculo pastorali publice donat.

RESILIVNT MONACHI ADVERSVS MEGENARDVM.

Quo audito, Fratres, qui in claustro remanserant, contra hanc fraudulentiam zelo diuinæ legis accincti, libellum reprobationis fecerunt, atque subscripserunt huiusmodi:

Sciat omnis ecclesia, quia Megenardum monachum, nostrum Abbatem fieri non eligimus, non laudamus, non volumus, non consentimus, sed reprobamus, refutamus, & omnino contradicimus. Nos vero de cœnobio sancti Petri, quorum nomina scripta sunt, Durandus decanus, Gaudricus, Genesius, Robertus, Isembertus, Marcuinus, Alueus, Guarnerus, Richerus, Vuarinus, Herbertus, Eurardus, Benedictus,

A ctus, Galterus, Beringerus, Herbertus, Bernardus. Isti itaque omnes sua nomina aut subscripserunt, aut subscribi fecerunt, me videnteֵ.

Die proxima Comes Theobaldus redit, se in monasterium recipi cum processione præmandat: monachi respondent, se libenter hoc agere, si præsumptorem illum non adduxerit secum. Ille denuo iratus, ipso die tamen sustinuit, sed insequenti cum strepitu comitantium in sancti Petri monasterium suum Megenardum obtrusit. Ad cuius violentum ingressum, sancti Fratres contaminari ipsius communicatione timentes, Sanctuario Domini salutato, cum lacrymis exierunt, atque refugium aliud nescientes, ad limina principalis Ecclesiæ confugerunt. Ibi quoque nõ inuento pastore, vtrimque desertæ oues mœstis sese vocibus consolabantur. Sed recipit sancta Mater Domini solita pietate, recipit Rudolphus tuus dulci benignitate. Inde transierunt ad cœnobium

COMES MEGENARDVM NEFANDVM INTRVDIT.

B sancti Patris Herberti, cuius diues charitas de paupere censu, quæque potest, illis necessaria subministrat] Dignum plane exemplum, cum sancti monachi potius elegerint extorres fieri, quam pati intrusum a Principe præesse ipsis Abbatem. de quo mox idem pergit Fulbertus: Ceterum ille, cuius Fratres importunitate depulsi sunt, ab Heruiso quodam (vt addunt) Britannicæ * religionis Episcopo, quarto Non. Febr. Abbas simulatus est in suburbio Carnotensi, absente Clero, indignante populo, Legato Archipræsulis palam contradicente ne id fieret; reclamantibus etiam quibusdam monachis, qui in loco remanserant vero cultu, viua voce, atque regulari auctoritate. Sed quid inter furentes ratio? Sed & nunc ille Primas in Abbatiæ suggestu sæculari potentia fretus, de peracta victoria gloriosus, factores eius Abbates, Episcopos, atque ipsum Papam ambiendo, ne quid grauius statuatur in illum, modis omnibus elaborat.

* regionis

REGEDVNT MONACHI MAGIS QVAM CEDANT.

C Iacet interim victa confusaq. Fratrum expulsorum humilitas, nec est Præsul in Gallijs, cuius viscera tangat affectio pietatis, aut zelus sacræ legis inflammet, vt consurgat ad fragendos impetus eorum, ad releuandas spes dolore tabescentium. Defuncta etenim est Dionysij fortitudo, non comparet pietas Martini: tu quoque dereliquisti nos sancte Pater Hilari, qui olim vnitatem Ecclesiæ Spiritus sancti gladio tuebaris. O derelicta, o mœsta, o desolata Galliarum ecclesia! Quæ iam erit spes salutis vlterior? vbi amplius afflicta Christiani anima respirabit? Hoc nempe solum vel maxime nos confortare videbatur; quod si contingeret ruinas mœnium tuorum resarciri non posse, liceret saltem ad firmum adhuc Capitolium monasticæ vitæ confugere. Quod etiam si furibus irreptare, aut impune quibuslibet ambitiosis inuadere licet: proh dolor, funditus cecidisti] hæc Fulbertus Abboni, ab eo quod posset, implorans auxilium. Qui factus postea Episcopus Carnotensis, vt suo loco dicetur, libertatem ecclesiasticam, asylumq. ipsum sanctæ Ecclesiæ pro viribus tueri non destitit. sed agendum de his suo loco. Ceterum etsi Fulbertum contempsit Theobaldus Comes, coluit autem eum mirifice Vuillelmus Comes Pictauiensis, de quo hæc in fragmentis historiæ Aquitanicæ apud Glabrum: Fulberto quoque sapientia valde ornato Episcopo Carnotensi, pro reuerentia philosophiæ eius a Francia ad se euocato, Thesaurariam S. Hilarij gratis tribuit, & summo honore eum excoluit] sed hæc de Thesauraria S. Hilarij ante Episcopatum contigerunt.

D

IESV CHRISTI IOANNIS XIX. PAP. VACAT. IMP. OCCID. 3.
ANNVS ANNVS BASIL. ET CONST. IMP. 29.
E 1004. 2.

SEQVITVR annus Christi millesimusquartus, Indictione secunda inchoatus, quo, vt ex Glabro [a] colligitur, frequentes Synodi in Italia, atque in Gallijs sunt celebratæ. de his enim hæc ipse: Tunc igitur temporis in Italia, atque in Gallijs plerique Episcoporum nonnulla inter se de diuersis quæstionibus habuere Synodorum conciliabula. Nam de ieiunijs, quæ plerique Fidelium, scilicet inter Ascensionem Saluatoris, & Pentecosten obseruant, ita decreuerunt, vt ne per imperium sacerdotum fierent, excepto Sabbato Pentecostes, & a quibus fieri vellent, prohiberentur fieri. Simulq. incidit quæstio, cur monachi per tres vel quatuor Dominicas dies ante diem Natiuitatis Dominicæ, seu Quadragesimalis obseruationis tempore hymnum scilicet, Te Deum laudamus, decantarent contra morem Romanæ Ecclesiæ. Qua videlicet quæ-

[a] Glab. lib. 3. cap. 5.

SYNODI IN ITALIA ET IN GALLIIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſtione aggreſſi tam Abbates,quam monachi,reſponderunt ſe pro nulla re illud agere, A
niſi ex beati Benedicti nominatiſſimi atque excellentiſſimi Patris præceptione: cuius
etiam actus, ſimulq. dicta a ſummo Romanorum Pontifice videlicet Gregorio haberentur deſcripta, ac laudabiliter roborata. His denique comperti Epiſcopi vſus monachorum,* authentico ex more viguit. Nec non etiam de die Annuntiationis Dominicæ, quæ celebratur viij. Kal. April. ſi forte quolibet alio tempore præter Quadrageſimam excoli congruentius potuiſſet, ab ijſdem pontificibus non parua illata eſt quæſtio. Ferebatur enim a quibuſdam, eamdem videlicet Annuntiationem Dominicam more Hiſpanorum, quintodecimo Kal. Ian. die irreprehenſibiliter poſſe celebrari. Nam cum ego poſtmodum in monaſterio Cluniacenſi cum ceteris Fratribus degerem, conuenerunt illuc ab Hiſpanijs, quam partes * honeſtæ commiſerationis
iamdudum more viuentes propriæ regionis monachi. Propinquante vero die Na- B
tiuitatis Dominicæ,petierunt prædicti monachi venerabilem Odilonem eiuſdem loci
Abbatem,vt more ſuorum liceret eis celebrare Annuntiationem. Quod cum feciſſent,
ſegregati a ceteris,viſum eſt nocte eadem duobus ſenioribus loci,quod vnus de Hiſpanis fuſcina focaria arriperet deſuper altare puerũ, mitteretq. illum in ſartaginem prunis plenam, ita clamantem: Pater, Pater, quod tu dediſti,iſti auferunt. Quid plura? apud nos antiqua conſuetudo, vti decebat, præualuit.] hæc Glaber. Porro in Hiſpa-
nijs etiam exoleuit vſus ille, quo ex præſcripto * decimi Toletani Concilij, Annuntia-
tio celebrabatur decimoquinto Kalendas Ianuarij.

Quod pertinet ad Concilia Gallicana his temporibus celebrata ſub Rege vere Chriſtianiſſimo Roberto: admiratione dignum eſt, quanta animi demiſſione conſueuerit
idem Rex cum Epiſcopis intereſſe publicis hiſce conuentibus,& quidem tamquam fa- C
mulus illis inſeruiturus. de quo memoria dignum Helgaldus illius temporis auctor,
qui eius vitam conſcripſit,eiuſmodi factum narrat: Colloquium cum Epiſcopis regni
ſui habens Rex humilis, inter colloquium vnumquemque aſpiciens, vidit quemdam
eorum mole carnis grauatum, pedes ſuos dependere ab alto: pietate ductus, a longe
quærens ſuppedaneum reperit vnum, quod manibus,Deo & hominibus charus, ap-
prehendens, illud tanto pontifici offerre non recuſauit, & ſub pedibus eius ponere
non eſt dedignatus. erat autem hic Epiſcopus Lingonienſis, Lambertus nomine dictus, ſcientia, religione, & bonitate pollens. In magna etenim ex hoc admiratione
pro tali facto omnes Epiſcopi & Principes habuere ſæpefatum Robertum humillimum & inclytum Regem. Is quippe Rex Deo dilectus Robertus ſemper meminit
ſanctæ legis,quia memor fuit operis Dei in omnibus vijs ſuis. ſciebat etenim ſcriptum: D
Scientia virtus, cuſtos virtutis humilitas ſancta. & illud beati Papæ Gregorij: Qui ſine humilitate virtutes congregat, quaſi in ventum puluerem portat. Legerat quid dixerit quidam ex Patribus: Omnis labor ſine humilitate vanus eſt: humilitatis ſignum dat regnum cælorum. Nos ergo oremus omniporentem Deum, vt hic Dei electus, qui depoſito omni tumore ſuperbiæ cõiunctus eſt Chriſto Deo ſanctæ humilitatis virtute, ita illi iungatur in ſæculo venturo, &c.]

At qui humili obſequio inſeruire paratus erat Epiſcopis; eoſdem tamen, cum opus eſſet, id exigente zelo Catholicæ Fidei, quo iugiter æſtuabat, a Fide Catholica deuios redarguere,immo & comminari minime prætermiſit. Eſt de his præclarum illud
exemplum, quod idem Helgaldus itidem in vita ipſius ita deſcribit: Præſuli cuidam, E
Leutherico Senonenſi Archiepiſcopo ſcilicet, de Domino non bene ſentienti, & quærenti
pro quibuſdam cauſis probationem in corpore Domini noſtri IESV Chriſti: indigne tulit Rex amator bonitatis, & ſcripſit ei in his verbis:Cum ſit tibi nomen ſcientiæ, & non luceat in te lumen ſapientiæ; miror qua ratione quæſieris pro tuis iniquiſſimis imperijs, & pro infeſto odio, quod erga Dei ſeruos habes, examinationem in corpore & ſanguine Domini. & cum hoc ſit, quod a dante ſacerdote dicitur, CORPVS DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI SIT TIBI SALVS ANIMAE ET CORPORIS: cur tu temerario ore & polluto dicas: Si dignus es, accipe, cum ſit nullus qui habeatur dignus? Cur diuinitati attribuis ærumnas corporis, & infirmum doloris humani diuinæ connectis naturæ? Iurans Domini fidem Princeps Dei: Priuaberis,inquit,honore pontificis, niſi
ab his reſipueris, & damnaberis cum his qui dixerunt Domino: [b] Recede a nobis: & *b Iob 21.*
non cõmunicabis his,quibus dicitur: Appropinquate [c] Deo, & appropinquabit vobis. *c Iac. 4.*

His

* antiquo

* Concil. Tol. 10. c. 1.

QVALIS ROBERTVS REX IN SYNODIS CVM EPISCOPIS.

LEVTHERICVS ARCHIEPISC. SENON. A ROBERTO REGE REDARGVITVR.

A His verbis Præſul bene correctus, a Rege pio & bono ſapienter inſtructus, quieuit, obmutuit, & ſiluit a dogmate peruerſo, quod erat contrarium omni bono, & iam creſcebat in ſæculo. In ſinu matris Eccleſiæ collocatus iſte Dei ſeruus,ſcilicet Robertus Rex,factus eſt Dominici corporis & ſanguinis, vaſorumq. eius cuſtos fortiſſimus, ad vnguem ita perordinans cuncta, quaſi videretur Deus ſuſcipi,non vt in alterius,ſed in propria ſanctæ maieſtatis gloria. Hæc eius deuotio, hæc erat fortis prouiſio, vt corde mundo, & veſtitu candido Deus immolaretur pro totius mundi piaculo] ſubijcit de vaſis aureis,& argenteis,ad miniſteriũ Miſſæ ab eodem pio Rege Deo offerri ſolitis.

CVLTVS REGIS ERGA SACRAM. EVCHARISTIAE.

Audiſti, Lector, ſimul cum pietate Regis etiam ſibilos venenoſi ſerpentis in Leutherico Archiepiſcopo Senonenſi! ad hunc extant complures Fulberti Epiſcopi Carnotenſis epiſtolæ, quibus eum ſæpe contigerit diuerſis ex cauſis redargui. Iam vi-
B perini fœtus e portis inferi, tamquam e matris vtero enixi,in damnum Eccleſiæ emittebantur, qui ſe ſpiris ſinuoſis inferebant in ſancta,vt ſanctum ſanctorum,Sacramentum ſacramentorum, ſi poſſent, auferrent ab ea. Quod enim Leuthericus legitur inſuſurrare cœpiſſe,iam(vt audiſti)rumor ille tantæ blaſphemiæ increbreſcebat in ſæculo: etſi tacuit ipſe, reprehenſus a Rege, timore pœnæ, ne ira Regis caderet ab ampliſſima dignitate,& careret cathedra; haud ſerpens rumor ille eſt omnino repreſſus, ſed paulatim in dies creſcens, in manifeſtam tandẽ erupit hæreſim ſub patrocinio infeliciſſimi Berengarij, qui hoc tempore adoleſcens auditor extitit Fulberti poſt biennium Carnotenſis Epiſcopi, viri ſanctiſſimi, omniumq. doctiſſimi: a quo,ne diſputationis obtentu extra limites Catholicæ veritatis pedem auderet efferre, ſæpe Berengarius monitus fuit & redargutus.

PRIMORDIA NEFANDAE HAERESIS.

C Reuocauit in memoriam Berengario iſtiuſmodi ſub Fulberto tyrocinium ſuum, eiuſdem ſub eodem doctore condiſcipulus Adelmannus Epiſcopus Brixienſis, cum poſtea aduerſus eum diſertam valde ſcripſit epiſtolam; in qua habet inter alia iſta quidem memoria digna: [a] Collactaneum te meum vocaui propter dulciſſimum illud contubernium, quod tecum adoleſcentulo ipſe ego maiuſculus in Academia Carnotenſi, ſub noſtro illo venerabili Socrate, nempe Fulberto, iucundiſſime duxi. cuius de conuictu gloriari nobis dignius licet, quam gloriabatur Plato, gratias agens naturæ, eo quod in diebus Socratis ſui hominem ſe, non pecudem peperiſſet. Nos enim ſanctiorem vitam, ſalubrioremq. doctrinam Catholici & Chriſtianiſſimi hominis experti ſumus, & nunc eius ad Deum precibus adiuuari ſperare debemus. Neque enim putandus eſt memoriam, in qua nos tamquam in ſinu materno ſemper ferebat, ami-
D ſiſſe: haud vera charitas Chriſti, qua ſicut filios amplectebatur, in eo extincta eſt; ſed abſque dubio memor noſtri, diligens plenius quam cum in corpore mortis huius peregrinaretur, inuitat ad ſe votis, & tacitis precibus obteſtans, per ſecreta illa & reſperſiua colloquia, quæ nobiſcum in hortulo iuxta capellam de ciuitate illa, quam, Deo volente, Senator nunc poſſidet, ſæpius habebat, & obſecrans per lacrymas,quas interdum in medio ſermone prorumpens, exundante ſancti amoris imperu, emanabat, vt illuc omni ſtudio properaremus, viam regiam directim gradientes, ſanctorum Patrum veſtigijs obſeruantiſſime inhærentes, vt nullum prorſus diuerticulum, nullam in nouam & fallacem ſemitam deſiliamus, ne forte in laqueos & ſcandala incidamus. quia ſicut ait Pſalmiſta: [b] Iuxta iter ſcandalum poſuerunt mihi. Nam quod *b Pſal. 139.*
E eſt iuxta iter, hoc eſt extra iter. De via autem quid dicit? [c] Pax multa diligentibus *c Pſal. 118.*
legem tuam, & non eſt illis ſcandalum. Et quid eſt lex Domini, niſi via Domini? ſicut in alio verſu Pſalmi cantatur: [d] Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum. Ergo in via pax,extra viam ſcandalum. Hoc ſcandalum incurrunt,qui *d Pſal. eod.*
per hæreſes & ſchiſmata deuiantes,pacem Catholicam impijs contentionibus reſcindunt: quos nihilominus in Pſalmo decimotertio ita annotatos aduertimus: Contritio & infelicitas in vijs eorum: viam pacis non cognouerunt. Ecce ſcandalum,vel potius ſcandala, nempe contritio, & infelicitas æterna, quæ occurrunt in ſemitis hæreticorum, viam pacis Catholicæ recuſantium.

NISVS PVLBERTVS COHIBERE BERENGARIVM.

Auertat Dominus a te, ſancte frater, ſemitas tales, & conuertat pedes tuos in teſtimonia ſua,& mendaces oſtendat,qui famã tuam tam fœda labe maculare nituntur, ſpargentes vſquequaque,vt non ſolum Latinas, verum etiam Teutonicas aures, inter quas diu peregrinor,repleuerint, quaſi te ab vnitate ſanctæ matris Eccleſiæ diuulſeris,

VVLGARI COEPTA A BERENGARIO HAERESIS.

& de

[a] *extat tom. 3. biblioth. SS. PP.*

TYROCINIA BERENGARII.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& de corpore & sanguine Domini, quod quotidie in vniuersa terra super sanctũ altare A
immolatur, aliter quam Fides Catholica teneat, sentire videaris: hoc est (vt illorum de te dictis vtar) non esse verum corpus Christi, neque verum sanguinem, sed figuram quamdam & similitudinem. Hæc ante hoc biennium cum audissem, fraternitatem tuam per epistolam conuenire, idq. ex teipso certius scisciandum esse decreui. Sciens porro familiarem tuum dominum Paulinum Metensem Primicerium tibi propiorem, tibiq. aliquanto viciniorem esse, & mea petitione, & sua pollicitatione delegaui sibi huius negotij executionem. At ille (nõ enim in hac re laudare eum possum) negligens siue alterutrum, siue vtrumque nostrum, vsque adhuc reliquit me suspensum. sed diuina gratia nos numquam negligens, inopinato mihi obtulit melius quam optabam. Optabam autem inuenire hominem peregrinandi vsu exercitatum, regionis, & linguæ Francorum non ignarum: & ecce stetit mihi e latere G. ex tuo nomine B
me salutans. Obstupui præ gaudio, & tamen non potui tam repentino euentui fidem integram habere, quia frater idem nullum abs te signum litterarium, vti mos est inter amicos longe remotos, tamq. diu non visos, afferebat; quod tamen ipsum multis de causis facile persuasibilibus excusabat. Siue ergo vere, siue aliter hoc agebat, ego eum a Domino præparatum mihi esse non diffidens, nolui diutius dissimulare, quin ipse mente ac spiritu meo, præsentibus litteris, tamquam pennis indutus per tanta terrarum spacia transuolarem, obsecrans per misericordiam Dei, per suauissimam memoriam Fulberti, vt pacem Catholicam diligas, neque conturbes Rempublicam Christianæ ciuitatis bene compositam a maioribus nostris, pro qua tot millia Martyrum, contra idololatriam, & regnum diaboli fortiter certantes triumpharunt; subindeq. sancti Doctores bella ciuilia ab hæreticis commota, salutaris eloquentiæ fluminibus C
restinxerunt, atque eam circumquaque munierunt, vt iam nouus hostis nullus oboriri queat, qui aduersus eam aliquid nitens, non continuo mille iaculis desuper ruentibus obruatur] hæc Adelmannus, a nobis hic posita ad insinuandum tyrocinium Berengarij, postea infandam hæresim promulgantis, quam primum audisti a Rege Christianissimo condemnatam in perditissimo Leutherico Archiepiscopo Senonensi.

LVES IN VRBE. Hoc eodem anno Vrbs morbo vexata, plurimi interierunt: catharrus enim descendens in fauces, meatus obstruens, suffocatos miseros homines confestim mori cogebat. Quid autem mirandum tunc viderit Vrbs in peccatoris conuersione, dicendum. fideliter descripta reperitur historia in codice Cassinate post sancti Adalberti homiliã Romæ dictam in ecclesia SS. Bonifacij & Alexij, quæ sic se habet: Non solum qui assiduitate Romam plus solius Petri potestate quam Regum iudicio vrbium dominam D
incolunt, verum etiam qui a diuersis mundi partibus eam expetunt, pretiosissimum sciunt templum corporibus sanctorum Christi martyris Bonifacij & Confessoris Alexij decoratum. In quo dum fama sacræ religionis crescret, quidam nobilitate carnis pollens, & diuitijs affluens, monachicum habitum, abrenuntians quæ sæculi sunt, suscepit, nomine Ioannes Canaparius. Qui dum in sæculo esset, multos sibi amicos, propinquos, & fideles sincera charitate deuinxerat eũdem locum secum petere, eumdemq. habitum suscipere. Sed (vt est hominum mutabilitas) Omnes pene declinauerunt retrorsum; & quem colentem mundum diligebant, tollentem crucem suam & sequentem IESVM sequi neglexerunt.

IOANNIS CANAPARII AD DEVM CONVERSIO.

E quorum numero extitit (de quo dicere volo) conuicaneus & compater eius Franco, cognomento Maringus, homo non ignobilis, nec adeo pauper, & secula- E
ri scientia plus iusto refertus. Hic autem ea tempestate, qua Ioannes Papa præsulabat, residens ante ecclesiam venerabilium martyrum Cosmæ & Damiani, Via sacra; turgente gutture, vicina morte se premi omnino suspicatus est. nam innumera multitudo hominum illa clade Romæ perierat, quæ sibi viuendi spem penitus abstulerat. Mox itaque data dextera cuidam astanti, ad monasterium prædictorum sanctorum Bonifacij & Alexij citissime deduci se petijt, immemor parentum & horum, quæ paulo ante se præpedierant. Vbi illuc aduenies deficientibus viribus, & anhelitu, compatri suo velle loqui significauit. Qui, vbi ex more nuntiatum est, data licentia ab Abbate Leone, qui tunc eidem monasterio præerat, introductus est, & inductus est ad ecclesiam Sanctorum, vbi præstolabatur eum prænominatus Ioannes Canaparius, voluens animo ad hoc illum venire vespertino tempore, vt impleret

FRANCONIS VIOLENTA CONVERSIO.

quod

A quod promiserat: nam eidem Franconi vespertinus erat. Quem videns ægrotus, genibus eius aduolutus, rauca voce talia cœpit: Eia compater, eia domine, recipe me fallacem, recipe me infidelem, & consigna me tuis dominis Bonifacio & Alexio: fac me seruum eorum. quia scio, & veraciter scio, quod nisi eorum patrocinio non liberabor a potestate iniquorum spirituum, quibus ab ipsis seruiui cunabulis. quare moram patior, benignissime? Vitas me, despicis me, quod inuitus tuos requiro dominos? Vbi est quod mihi sæpe dicebas; quia & inuitis salus præstatur? sancte Bonifaci adiuua me: sancte Alexi succurre mihi.

Talibus denique perculsus prælibatus Ioannes Canaparius, Abbatem cõuocauit & Fratres, quibus rei veritatem ordine narrans, monachum illum fieri rogauit sine intermissione clamantem: S. Bonifaci, S. Alexi, seruus vester sum, & etiam seruus seruorum
B vestrorum. Cuius desiderium cognoscentes, ante venerandam Crucem eum statuerunt, monachumq. multis cum lacrymis effecerunt. Postquam igitur hæc acta sunt in monasterio, volens Deus ostendere, quantum intercessione horum Sanctorum flectatur ad misericordiam, & quam misericorditer liberet peccatores ad eos confugientes: permisit cuneum equestrium armatorum malignorum spirituum per supradictam Viam sacram visibiliter descendere, prædictum Franconem requirentem, quem iudiciaria definitione seruum se vicisse glorianter iactabat. Taliter enim altercando, ablatum perquirendo visi sunt venisse ad portam monasterij. Vbi non inuenientes eũ, reuersi sunt tristes, multa nefaria iactantes in Sanctos. Qui dum requisiti fuissent a vicinis monasterij, quid hoc esset; responsum: Franconem seruum eorum ablatum a Bonifacio & Alexio, & mussitando adijciebant, remansisse per quod eum vincere pu-
C tabant. Quod vbi Abbati & Fratribus ab audientibus nuntiatum est: subtiliter perquirentes, professionem regularem non illum feciſſe inuenerunt. Qua studiose facta, anima illa carne soluta est. Ex quo datur intelligi, quod misericordissimus Deus, quẽ cuncta monastici ordinis implere permisit, meritis sanctorum Bonifacij & Alexij, quorum suffragium toto corde petierat, ab omnibus insidijs inimicorum eripuit ad laudem & gloriam nominis sui. Amen.] hucusque de his ibi.

Quo pariter anno memoratus Ioannes vir nobilissimus vita functus, ibidemq. sepultus est, cuius epitaphium, quod hactenus in eorumdem Sanctorum ecclesia conseruatur haud longe ab altari primario, dignum existimaui hic describere. sic se habet:

D CHRISTE DEVS RERVM PVLCHERRIME FACTOR ET AVCTOR
SVSCIPE ME INDIGNVM SALVS ET OMNE BONVM.
OBSECRO FLAGITO, SERVVS, POSTVLO, QVAERO IOHANNES
CONFITEOR CVLPAM, DA CLEMENS VENIAM.
OMNE MALVM MERVI, CVMVLVMQ. REATIBVS AVXI
TARDVS AD OMNE BONVM, PROMPTVS AD OMNE MALVM
A CAPITE VSQVE AD PEDES MACVLANT MEMBRA OMNIA SORDES
SED TV SANCTE DEVS REX MISERERE PIVS
DA IN REGIONE DOMVM SVNT VBI CASTRA VIRORVM
AVRICOMVS REGNAT VBI AVREA SAECVLA CHRISTVS.
PROSA + PRECOR VOS OMNES, QVI HVC POST ME VENTVRI ESTIS,
E VT PRO ME PRECES FVNDATIS ET PROPTER CHARITATEM, QVAM
VIOLARE NON LICET NEMO SVVM NEC ALIENVM CADAVER SVPER
ME MITTAT. QVOD SI HOC PRAESVMPSERIT SIT MALEDICTVS
ATQVE IN PERPETVVM ANATHEMATE CONSTRICTVS.
CREDO QVOD REDEMPTOR MEVS VIVIT ET IN CARNE MEA VI-
DEBO DEVM SALVATOREM MEVM. AB INCARNATIONE DOM. NOSTRI
IESV CHRISTI ANNI SVNT MILLE IIII. OBIIT MENSE OCT. DIE XII. INDICT. III.]

quæ videlicet tertia Indictio hoc ipso anno incipit mense Septembris. At quam dispares ciusmodi antiquæ sepulchrorum inscriptiones a recentioribus? In illis enim magna animi submissione Fideles peccata sua maluerunt inscribi: in istis vero magno fastu virtutes vane atque mendaciter, vt plurimum, ambiunt vani homines prædicari.

IESV

Universidad de Deusto
Biblioteca

HENRICVS CONTRA LONGOBARDOS IN ITALIAM DESCENDIT. *a Ditm. lib. 6.*

ANNVS post millesimum quintus Indictione tertia inchoatus ordine temporum sequitur, quo Henricus Germaniæ Rex aduersus Harduigum, qui Longobardiam Regis titulo occuparat, in Italiam descendens, Clusas ope Carentanorum, fusis hostibus expugnauit; Papiamq. victor accedens, ibidem honorifice susceptus Rex coronatur. de his pluribus Ditmarus, deq. coronatione hæc habet: [a] Post hæc Papiam visitans vrbem, ab Archiantistite hoc, nempe Mediolanensi, & a primis illius regionis susceptus, cum admirabili laude ad ecclesiam ducitur, & communi electione sublimatus in solium regale collocatur] Pergit autem dicere Ditmarus, quomodo eadem die, oborta contentione inter ciues & milites, illi aduersus Regem rebellantes, palatium sunt aggressi: sed defenso illo a domesticis Regis, cum nec precibus S. Heriberti Colonienſis Archiepiscopi, qui aderat cum Henrico, coerceri possent; qui foris erant Regis milites expugnantes ciuitatem introgressi, eam cæde, incendioq. vastarunt, cum Rex eos cohibere minime potuisset. Inde vero idem Rex Mediolanū amore sancti Ambrosij (vt idem Ditmarus ait) accessit, cum interea tumultuantibus hostibus in Germania, ab Italia reuocatur, celebrata iam Pentecoste.

Sed quomodo, Deo propitio, hoste debellato Boleslao Poloniæ Duce, idem Henricus Rex diem Natiuitatis S. Mariæ Prägæ solemni ritu celebrans, ibi persuasus concione sancti Episcopi Frisingensis, perduellem Henricum, quem vinctum tenebat in carcere, liberum dimittens, recepit in gratiam: ex eodem auctore sic accipe:

GODESCALCVS FRISINGENSIS EPISC. CONCIONATVR CORAM REGE.

Cum ibi sanctæ Domini Genitricis ortum omni celebrem mundo Rex veneraretur, Godescalcus sanctæ Frisingensis ecclesiæ venerabilis pastor, nomen cum re possidens, Missam canere, ac populos instituere ab eo præcipitur, & ab Episcopo sedis illius permittitur. Perlecto tum Euangelio, præsentes idem admonet de timore diuino, & de conseruando geminæ dilectionis vinculo, de obedientia domini, sublimiorumq. honore potestatum. Et ad vltimū Regem suauiter aggreditur, vt semet agnoscere, & omnia quæ a primis vitæ huius cunabulis, vsque ad hoc tempus honoris alicuius aut commoditatis vmquam percepit, largitati diuinæ potius, quam suis meritis adscribere voluisset. Insuper misericordiæ mentionem fecit, quæ vnicum est salutis præsidium, venerabile Fidei ornamentum, & magnorum remissio peccatorum. In cuius opere seruando vnicuique Christo Fidelium tria sunt semper optanda, posse, & velle, ac perficere. Quæ cum a cunctis sint adimplenda, ab his maxime, qui nullum lædentes, sibi auent similia ad non recompensare, & vt acceptabile ab his Domino votum fiat, ex corde debet vnumquodque largiri, & cunctis debitoribus remitti, ne mali vice serui diris astringantur tormentis.

AD REGEM APOSTROPHE.

Et his concludens: Te, inquiens, obtestor per nomen & amorem eius, qui suo debitori decem millia talentorum, id est Iudæis recutitis suorum transgressionem præceptorum indulsit, Henrici quondam Marchionis, nunc autem vt spero, vere pœnitentis, Senior charissime, miserearis, vincula soluas, & gratiam dones, vt eo liberiori animo hodie Dominum interpelles, Dimitte nobis debita nostra &c. Hac Rex exhortatione lacrymabiliter profusa placatus, sic se facturum firmiter spopondit: & post hæc domum veniens, misericorditer adimpleuit] Hæc Ditmarus de Rege maxime pio, atque Episcopo, tanto munere digno. Qui & inferius eumdem Henricum, pro quo Episcopus interceſſerat, iam vinculis absolutum, & ad propria redire iussum affirmat. erat is, qui primum cum Rege militans, iam ab ipso defecerat, & in eum arma mouerat.

SYNODVS TREMONIENSIS. *b Id. lib. 6.*

Hoc eodem anno, vt idem [b] Ditmarus testatur, celebrata est in Germania magna Synodus Tremonienſis, in qua idem Henricus Rex questus de eius temporis sanctæ Ecclesiæ deformatione, egit magna instantia apud Episcopos pro eiusdem reformatione. Quod ab eisdem pro viribus præstitum est diligenter, statutis in ea communi consensu sacris canonibus, quibus in pristinum vsum reuocarentur sanctissimæ ecclesiasticæ leges, & exularent qui irrepsissent in Clerum ac populum praui mores. quibus statutis conciliauit sibi Rex Deum propitium, aperuitq. sibi viam ad victorias consequendas, & Romanum Imperium obtinendum. Periere eiusdem Concilij adeo celebris Acta, quorum tantum exordium ita descriptum apud eumdem Ditmarum inuenitur.

Anno Dominicæ Incarnationis millesimo quinto: anno autem domini Henrici Secundi regnantis quarto, *inchoato scilicet*, in die Non. Iulij . . . . .] desunt reliqua.

IESV CHRISTI ANNVS 1006. IOANNIS XIX. PAP. ANNVS 4. VACAT. IMP. OCCID. 5. BASIL. ET CONST. IMPP. 31.

SYNODVS FRANCOFORD. *a Ditm. lib. 6.*

ANNO Christi Redemptoris millesimo sexto, Indictione quarta, celebratur in Germania Synodus Francofordienſis, in qua inter alia ibi tractatum est de ecclesia Bambergensi erigenda in cathedram Episcopalem. Agit de ea pluribus [a] Ditmarus, & refert inter alia illud de Henrico Rege admiratione & commēdatione dignum, nimirum, quod cum allocuturus esset Episcopos, antea se humi prosterneret, nec eleuaret se, nisi qui Synodo præesset Archiepiscopus, eum suis manibus eleuaret. Cur autem eam ciuitatem in Episcopatum erigere concupierit, hanc affert idem Ditmarus rationem: Pacificatis tunc partibus his, generale Concilium in Francfort a Rege ponitur, & hoc ab omnibus Cisalpinis Antistitibus visitatur. causam vero præcedentem, Lector, auribus accipe. Rex a puero quamdam suimet ciuitatem Bauenberg nomine in Orientali Francia sitam, vnice dilectam præ ceteris excoluit, & vxore ducta, eamdem ei in dotem dedit. Postquam autem ad regni curam diuina miseratione promotus, semper tacita mente ibidem Episcopatum constructe gestit &c.] Agit de ecclesia ibidem ædificata, deq. Henrico Vuirceburgensis ecclesiæ Episcopo, qui quod nollet consentire in vnione facienda vnius parochiæ suæ cum ecclesia Bambergensi, nisi ipse fieret Archiepiscopus, ad Synodum venire noluit. At quomodo petitionem suam ipso exordio Rex, considentibus Episcopis, patefecerit, ab eodem Ditmaro, qui præsens erat, sic accipe:

*f. Suffraganeis TERRAE PROSTERNITVR ANTEQVAM LOQVATVR REX HENRICVS.

Considentibus ibidem ordine Archiepiscopis cū omnibus suimet * Suffragensis, Rex humo tenus prosternitur, & a Vuillegiso antistite *Moguntino*, in cuius diœceſi Synodus habebatur, eleuatus, cunctis præsentibus talia fatur: Ob recompensationem futuram Christum heredem elegi, quia in sobole acquirenda nulla spes remanet mihi. Et quod præcipuum habui, meipsum cum modo acquisitis, seu acquirendis in sacrificium Patri ingenito iamdudum secreto mentis obtuli. Episcopatum in Bauenberga cum licentia Antistitis mei facere hactenus concupiui, & hodie iustum hoc perficere volo desiderium. Ob hoc sereniſſimam vestrimet interpello pietatem, ne absentia eius, qui per me voluit obtinere, quod mihi non licuit huic concedere, propositum voluntatis meæ queat impedire, cum in baculo eius mutuæ confirmationis signo clarescat, hunc non propter Dominum, sed ob dignitatis nullatenus adipiscendæ dolorem fugisse. Moueat omnium corda præsentium, quod per ambitionem suam sanctæ matris Ecclesiæ augmentum annullare cum nugigerula legatione præsumpsit. Ad hæc firmiter constituenda, contectalis meæ præsentis, & vnici fratris & coheredis mei larga benignitas aspirat: & sibi placita adimpletione his me eadem restituere, vtique pro certo sciat. Si quando autem Episcopus venire, & promissa dignatur suscipere, paratum me ad omne quod vobis bonum videtur, procul dubio inueniet.

Finitis talibus alloquijs, Bernigerus Antistitis Henrici *Vuirceburgensis* Capellanus surrexit: propter timorem Regis Seniorem suum huc non veniſſe, & detrimentum ecclesiæ sibi a Domino commissæ in aliquo fieri numquam laudasse, testatur: & obsecrat cunctos præsentes per Christi amorem, ne talia fieri, absente eo, futurum sibi in exemplum paterentur. Priuilegia eiusdem ibi alta voce recitantur. Inter hæc quotiens Rex anxiam iudicum sententiam nutare perspexit, totiens prostratus humiliatur.

BAMBERGENSIS EPISCOPATVS ERIGITVR.

Tandem Archiantistiti Vuillegiso, quid de his faciendum foret, iudicio perscrutanti, Tagmo primus respondit, hæc tunc secundum Regis eloquium legaliter fieri posse. cunctis præsentibus eius sermonem tunc affirmantibus, & subscribentibus, Eberardo

Universidad de Deusto
Biblioteca

DITMARVS CREATVS EPISCOPVS MERSEBVRGEN.

tunc Cancellario cura pastoralis a Rege committitur: & hic a præfato Archipræsule eodem die consecratur. Post hæc autem Henricus Antistes auxilio confratris Heriberti *Archiepiscopi Colonienſis* Regis gratiam & adimpletionem sibi placitam acquisiuit] hucusque de Actis ibi in Synodo: reliqua desunt. Subijcit autem his Ditmarus de sua electione in Episcopatum Merseburgensem, deq. fame valida, quæ tunc Germaniam affligebat. Porro de nouo Episcopatu Bambergæ erecto Sigebertus agit anno millesimo quarto, Hermannus anno millesimo septimo, Marianus Scotus anno hoc ipso, quod & verius esse, quæ scribuntur a Ditmaro tunc præsente, manifestant.

FAMES INGENS ET PESTIS ORBEM VEXAT.

Quod autem spectat ad famem, hoc anno, vt idem testatur, Germaniam infestantem, de eadem agit hoc anno Sigebertus, quam vna cum peste vniuersum orbem afflixisse testatur. nam ait: Fames & mortalitas tam grauiter per totum orbem inualuit, vt sepelientium tædio, viui adhuc spiritum trahentes obruerentur cum mortuis] Quo tempore accidisse videntur, quæ de S. Odilone Cluniacensi Abbate Petrus Damiani in ipsius vita sic narrat: [a] In erogandis præterea eleemosynis ita largus erat, vt nonnulli, dum eum omnia dispergentem sine cunctatione conspicerent, non dispensatorem, sed prodigum iudicarent; præsertim quodam tempore, dum fames valida Aquitaniæ fines vehementer affligeret, ac plurimas Galliarum prouincias pestilenter arctaret, exhaustis iam in pauperum vsus ærarijs, & horreis quorumcumque prouentuum non mediocriter profligatis: mox etiam plurima sacra vasa confregit, insignia ecclesiæ ornamenta distraxit; coronæ quoque, quam sibi Imperator Henricus ob sui memoriam destinauerat, non pepercit. Vt igitur tam acerbæ famis, in quibus valuit, temperaret inopiam, quidquid hinc inde corradere potuit facultatum, in sustentationes & alimenta tradidit egenorum. Quadam sane die, dum per publicum pius equitator incedit, duos in itinere pueros fame peremptos reperit. Mox equo desiliens, laneam, qua indutus erat ad carnem, subduxit sibi interulam, eaq. prout velaminis quantitas permittebat, vtrumque cadauer obuoluens, exhibet mortuis sepulturam. Nam & vespillones mercede conduxit, & funereis vsque ad tumulum prosequutus exequijs, defunctis fratribus debitum humanæ pietatis exoluit.] hæc de S. Odilone Petrus hoc tempore.

[a] apud Sur. die 1. Ian.

QVID FAMIS TEMPORE S. ODILO.

S. ELPHEGVS ROMAM PRO PALLIO VENIT.

Eodem anno S. Elphegus translatus in Cantuariensem ecclesiam ex Vuintoniensi, Romam se contulit ad Ioannem Papam, ab eo pallium accepturus. hæc Osbertus in vita ipsius, & Vuilelmus Malmesburiensis. Quæ autem ei in itinere contigerint, quibus eius sanctitas est declarata, ab eodem Osberto sic accipe: [b] Anno autem Domini millesimo sexto, ab aduentu Anglorum in Britanniam quingentesimo septuagesimooctauo, anno suæ ætatis quinquagesimosecundo Elphegus Archiepiscopus Cantuariensis effectus est. Cumq. iter versus Romam pro pallio habendo arriperet, & quoddam oppidum hospitandi gratia intraret, oppidani hominem incognitum videntes, & auaritiæ suæ consulentes, in domum irrumpunt, res eius diripiunt, eumq. omni supellectili priuatum verbis & verberibus exire compellunt. At ille iniurias suas leniter ferens, suorum vero mediocriter dolens, via qua venit regreditur. Necdum ab oppido longe recesserat, & ecce horrendæ voces mœnia corripiunt, quæ ciuibus & ædificijs celerem minantur ruinam. Nec mora, vorax flamma oppidum consumere cœpit: cumq. ignis vehementer excresceret, nec euadendi spes aliqua fuisset, virũ sanctum adeunt, fatentur delictum, veniam petunt. Mox Sanctus ille compatiens, preces ad Dominum fudit, & ignis molestia protinus extincta cessauit. Restitutis ergo Episcopo rebus suis, acceptoq. a Papa pallio, domum prospere regreditur] hucusque Osbertus. addit Vuilelmus: [c] Romæ cum esset Elphegus, excessum successoris sui, nemine (vt alias dictum est) afferente vidit, & enuntiauit] erat iste Kenulphus Burgensis Abbas, qui Episcopatum Vuentanum, quem tenuerat Elphegus, pessima nundinatione, malisq. artibus fuerat consequutus.

[b] Osbert. in vita S. Elphegi apud Sur. tom. 2. die 19. April.

S. ELPHEGVS A IOANNE PP. PALLIVM ACCIPIT.

[c] Vuilel. de gest. Angl. lib. 2.

IESV CHRISTI IOANNIS XIX. PAP. VACAT. IMP. OCCID. 6.
ANNVS ANNVS BASIL. ET CONST. IMPP. 32.
1007. 5.

SEQVITVR annus Redemptoris millesimus septimus Indictione quinta inchoatus, quo Henricus Rex de futuro Imperio prædictionem accipiens subobscuram, ipse

ipse mortis responsum se accepisse putans, cum impletum fuit postea vaticinium, tunc sensit, quod antea non percepisset. Res gesta in vita S. Vuolfgangi, de quo superius, ita describitur: [a] Henrico Regi, antequam esset Imperator, sanctus Vuolfgangus apparuit dormienti. Videbatur ille sibi in sancti Emmeranni ecclesia esse, atque orandi causa beati Vuolfgangi adire sepulchrum: ibi vero Deum & S. Vuolfgangum orans, visus est sibi videre eum astare, & hunc in modum ipsum appellare. Aspice diligenter characteres in muro, qui est apud tumulum meum, exaratos. Vidit ille, nec aliud legit, quam POST SEX. Expergefactus vero, summopere incumbebat ad earum dictionum apprehendendum significationem. Primum igitur suspicatus se post sex dies moriturum, multa largitus est pauperibus. At sex euolutis diebus, cum nihil in corpore sentiret molestiæ, ad sex menses attinere arbitrabatur, tumq. se obiturum credebat. sed neque tum male se valere sentiens, ad sex annos earum dictionum significationem retulit. Porro sex annis iam expletis, septimo anno a Pontifice Maximo Imperator vnctus est. Atque tum demum animaduertens, quid sibi ea verba vellent, gratias egit Deo & beato Vuolfgango, quod sibi reuelare dignatus esset, ea se dignitate potiturum.] hæc ibi.

[a] Vit. S. Vuolfg. c. 29. apud Sur. die 31. Octob. tom. 5.

HENRICO REGI S. VVOLFGANGI ORACVLVM DE IMPERIO.

Est hic item annus, quo in Gallijs super candelabrum extulit Deus lucernam ardentem atque lucentem, cum virum sanctitate atque doctrina insignem Fulbertum ex monacho monasterij S. Petri apud Carnutum, assumpsit in Episcopum ecclesiæ Carnotensis. Licet autem Democharis id factum affirmet anno salutis millesimo decimoseptimo; tamen epistola eiusdem [b] Fulberti, quam scripsit ad Leuthericum Archiepiscopum Senonensem anno sequenti de inuentione sacrarum reliquiarum; iam proxime ipsum fuisse ab eo consecratum Episcopum tradit. Porro eas reliquias inuentas esse anno Christi millesimo octauo, Glaber affirmat; [c] nosq. de ijs suo loco agemus. Prædicat idem [d] Glaber huius temporis scriptor, Fulbertum virum sapientissimum, Præsulem incomparabilem. Fuisse quidem ipsum vita sanctissimum, atque prophetiæ spiritu imbutum, testatus est Guillerinus, ex quo Vincentius [e] Bellouacensis descripsit. Quod enim omnium sui temporis doctorum doctissimus prædicaretur, ad illum confluere consueuerunt omnes, qui eum de rebus dubijs interrogarent Episcopi, atque etiam ipse Robertus Rex Francorum: quod scriptæ ab eo ad diuersos epistolæ docent.

FVLBERTVS CREATVR EPISCOPVS CARNOTENSIS.

[b] Fulbert. ep. 3.

[c] Glab. lib. 3. cap. 6.

[d] Id. lib. 4. c. 4.

[e] Vincent. hist. lib. 25. c. 13.

Hic igitur vbi est creatus Episcopus, & pericula imminentia experiri cœpisset, anceps totus quid sibi agendum esset, cedere an manere sececinit Christo Deo hymnum, quem in codice Vaticano inter eiusdem Fulberti epistolas latitantem, nempe post epistolam trigesimamoctauam, hic tibi in commendationem pietatis ipsius describendum putauimus. sic se habet:

PRECES FVLBERTI AD DEVM DE MVNERE EPISCOPALI.

Angele consilij magni, te consulo, Christe,
Mi factor, mea vita, salus, fiducia sola,
Da mihi consilium, & votum, viresq. sequendi
Ambiguo quid agam, quo tandem fine quiescam.
Nunc vereor temere suscepto pontificatu
Seruandis ouibus mage quam prodesse, nocere.
Atque ideo puto cedendum melioribus esse.
Nunc recolens quia non opibus, neque sanguine fretus
Conscendi cathedram panper de sorde leuatus:
Arbitror hoc a te factum, sicut tuus est mos:
Nec mutare locum, nisi significaueris, ausim,
Quamuis hoc laese moneat mens conscia vitæ.
Tu scis, sancte Pater, quid sit tibi gratius horum,
Vtilinsq. mihi. Precor vnde tuam pietatem,
Vt mihi digneris hoc inspirare labanti
Consilium, præsensq. iuues ad perficiendum.] hæc Fulbertus, cũ a suscepto munere se abdicare magis in votis haberet, sed manere, Dei vocatione se esse videretur astrictus.

NE LAICIS BENEFICIA ECCLESIASTICA DENTVR.

Inter grandia mala, quæ Dei Ecclesiam infestarent, illud plane fuit, quod molestius vir sanctus accepit, nimirum, quod passim sibi laici occupassent ecclesiastica beneficia. Ad quem extirpandum alta radice iam fixum prauum vsum, plurimum labo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

laborauit. Egit de his primum cum Francone Episcopo Parisiensi, ad quem scribens habet hæc inter alia: [a] Vsumfructum vero altarium, quem tui antecessores laicis tradiderunt, te alendis debilibus publica voce destinare suadeo; tum ne quis illis indefraudet aliquid, interminari: & si qui in hanc fraudem irruperunt, sicut fures sacrorum, & occisores pauperum anathemate condemnari. Ne reuerearis, quæso, homines innocenter *offendi propter Dominum &c.] Ad quod fortiter præstandum absque timore potentium pluribus cohortatur. Quam vero exclamauerit in eumdem, cum iam creatus Parisiensis Episcopus, ad eum scribens, vt beneficia laicis etiam concederet, suaderet, accipe ex breui epistola ad eum reddita, quæ sic se habet: [b]

Venerabili Parisiorum Episcopo Franconi Fulbertus humilis sacerdos. Doleo super te, charissime, cum te a pristina virtute apostatare video. Olim apud me conquerebaris de tuo antecessore, qui sacrilega temeritate altaria laicis in beneficium dederat: nunc mihi suades, vt ego similiter faciam. O cælum! o terra! Quid clamem? aut quid tuis meritis digno modo te obiurgare possim? Sed compesco nunc feruentes animi mei fluctus, donec te præsentialiter exquisitis increpationum tormentis excruciem. Vale interim.] Audisti Dei sacerdotis exæstuantem zelum in remissum & timoris algore torpentem Episcopum? At qui eo verborum suorum tonitru Episcopum primariæ ciuitatis perterruit: quid in potentissimum Principem, Comitem nimirum Andegauensem, vt Ioannes alter, libero ore promat, audi. extat hæc ad eum rerum ecclesiasticarum inuasorem epistola, inter alias ad eum data: [c]

Fulbertus Carnotensium humilis Episcopus Fulconi Comiti salutem. Doleo super te, nobilis homo, cum te audio errare & periclitari. Errare dico, quia cum debeas Deum timere, Sanctos honorare, Ecclesiam defendere; contemnis Deum, Sanctos inhonoras, res Ecclesiæ inuadis & aufers: Periclitari, quoniam qui talia agunt, non habent partem in regno Dei. Propter hæc peccata monuit Archiepiscopus Turonensis omnes Episcopos nostros, & inter alios me pusillum, vt te excommunicaremus. Sed ego censui pium esse, vt te prius monerem, & deprecarer, vt habeas misericordiam de anima tua, placans Deum; iam enim prope est tuus finis. Festina igitur, quæso, reconciliari Christo Saluatori nostro: quia non est salus homini nisi per ipsum. Tene in memoria verbum hoc: Qui confitendo & pœnitendo finem facit peccatis suis antequam moriatur: finem habebit in altero sæculo pœna ipsius. Et qui peccatis mortalibus pœnitendo non facit finem; pœna ipsius erit sine fine. Euigila igitur propter temetipsum, sicut homo in proximo moriturus, & reconciliare Christo, ne moriaris Apostolica auctoritate damnatus. Vale, & remanda mihi velociter atque veraciter voluntatem tuam.] hactenus ad Fulconem Comitem ipse nec frustra: nam de Fulcone isto, homine perinsenso Archiepiscopo Turonensi, quod ab ipso redargueretur ob Ecclesiæ bona violenter ablata, [d] Glaber agens, deq. eodem plura narrans, ipsum post scelera pœnitentem post tertiam profectionem Hierosolymam, diem obijsse tradit. cuius hæc sunt verba: [e] Fulco Andegauorum Comes, de quo superius quædam retulimus, ter Hierosolymam iam perrexerat, veniensq. Metensem vrbem, ibidem obijt. cuius corpus Lucanense ad monasterium, quod ipse construxerat, delatum est, atque in eodem sepultum honorifice.] Fulberto igitur muralis iure corona debetur, qui hoc sæculo primus reperitur superasse muros Babylonicæ ciuitatis, cuius Principes tyrannica violentia iura ecclesiastica occupassent.

Accidit insuper inter hæc, vt cum idem Fulbertus acerrimus propugnator Ecclesiæ iurium, Rudolphum Comitem sacrilegum inuasorem, ob necem illatam clerico suo anathemate condemnasset; & illum pro absolutione Romam profecturum audisset: ad Ioannem Pontificem has litteras daret: [f]

Domino sancto & vniuersali Papæ Ioanni Fulbertus Carnotensium humilis Episcopus orationum fidelia. Gratias omnipotenti Deo, qui more benignitatis suæ tuam, Pater, humilitatem respexit, & summo, vt decebat, dignitatis apice sublimauit. Proinde totus mundus ad te conuertit oculos, teq. vnum omnes beatissimum prædicant. Contemplantur altitudinem tuam sancti viri, & gaudent, quod eis similitudine omnium virtutum alludis. Respiciunt persecutores Ecclesiæ, districtionis tuæ baculum formidantes: suspiciunt ij qui flagellantur ab impijs, & respirant, sperantes adhuc restare sibi consolationis remedium. De quorum numero sum ego magnæ & præclaræ

[a] Fulbert epist. 22. cod. Vat. 56.

* Al. offendere

[b] Id. epist. 42. Vat. 38.
FVLBERTVS REDARGVIT FRANCONEM PARIS. EPISCOPVM.

[c] Id. epist. 83. Cod. Vat. 23.
FVLCO COMES ANDEGAVENSIS A FVLBERTO MONETVR

[d] Glab. lib. 2. c. 4.
FVLCONIS COMITIS POENITENTIA.

[e] Id. lib. 4. cap. 9 & superius lib. 2. c. 4.

[f] Fulb. ep. 2. in cod. Vat. 5. ex quo aliqua sint emendata.
FVLBERTI EPIST. AD IOANNEM PAP. CONTRA RVDOLPHVM COMITEM.

claræ ecclesiæ pusillus Episcopus, qui tibi, Pater, de angustijs meis querimoniam scribens, auxilium tuæ pietatis imploro.

Est enim quidam Comes malefactor, nomine Rudolphus, nimium vicinus nobis, qui res ecclesiæ nostræ per iniustam occasionem inuasit, vnum de clericis nostris suis manibus interfecit, duos alios captos sacramentis illigauit. Et de his omnibus appellatus in Curia Regis, & coram plena ecclesia sæpe vocatus, nec propter hominem, nec propter Deum ad iustitiam venire dignatus, a nobis tandem excommunicatus est. Nunc vero ad Limina S. Petri contendit, tamquam ibi possit accipere de peccatis absolutionem. Vnde rogamus te, dilectissime Pater, cui totius Ecclesiæ cura commissa est, vt eum de sanguine, atque iniuria filiorum tuorum ita arguere & castigare memineris, sicut meritum esse tua prouidentia nouit. Nec tua sanctitas iniuste in communionem recipiat, quem diuina auctoritas sicut Ethnicum alienat. Vale bone pastor, euigila super nos, ne per incuriam tuam grex Domini detrimentum sustineat] hucusque Fulbertus ad Ioannem Pontificem: quæ hæc secuta sint, ignoramus.

Hoc eodem anno, qui numeratur quintus ab obitu Ottonis Imperatoris, moritur Ratisponæ in Bauaria sanctus Romuoldus Abbas S. Emmeranni, cuius feretro Henricus suppositi humerum ad portandum, qui postea, vt dicetur, creatus est Imperator. hæc pluribus Arnolphus Comes libro posteriori [a] miraculorum S. Emmeranni.

[a] extat tom. 2. antiq. lect. a Canisio collect.

IESV CHRISTI ANNVS 1008. IOANNIS XIX. PAP. ANNVS 6. VACAT. IMP. OCCID. 7. BASIL.ET CONST.IMPP. 33.

ANNVS salutis octauus post millesimum incipit Indictione sexta, quo pluribus in locis contigit sacras inueniri reliquias. testatur id rerum sui temporis scriptor Glaber, qui ait: [b] Candidato, vt diximus, innouatis ecclesiarum basilicis vniuerso mundo, subsequenti tempore, id est, anno octauo infra prædictum millesimum humanati Saluatoris annum, reuelata sunt diuersorum argumentorum indicijs, quorsum diu latuerãt, plurimorum Sanctorum pignora. Nam veluti quoddam resurrectionis decoramen præstolantes, Dei nutu Fidelium obtutibus patuere, quorum etiam mentibus plurimum intulere solamen. Hæc enim reuelatio primitus in Senonica Galliarum vrbe apud ecclesiam beati martyris Stephani dignoscitur cœpisse: cui etiam præerat Archipræsul Leothericus, a quo scilicet admiranda relatu reperta sunt ibi antiquorum sacrorum insignia. Quippe inter cetera perplura quæ latebant, dicitur virgæ Moysi inuenisse partem. Ad cuius rei famam conuenerunt quique Fideles, non solum ex Gallicanis prouincijs, verumetiam ex vniuersa pene Italia, ac de transmarinis regionibus: simulq. ægrotantes non pauci Sanctorum interuentu exinde redierunt incolumes] hæc de his Glaber.

[b] Glab. lib. 3. c. 6.
RELIQVIAE SANCTORVM PLVRIBVS IN LOCIS INVENTAE.

Extat de his Fulberti Episcopi Carnotensis epistola ad eumdem Archiepiscopum Senonensem, quæ sic se habet: [c]

[c] Fulber. ep. 3.
FVLBERTVS AD ARCHIEPISCOPVM SENON. DE INVENTIONE RELIQVIARVM.

Dilectissimo patri & Archiepiscopo suo Leutherico Fulbertus Dei gratia Carnotensium Episcopus orationis suffragium. Multum amoris, atque fidelitatis tibi, pater, me debere censeo, per cuius manum a Deo benedictionem & sacram vnctionem accepi. Vnde animus meus ita pendet ex tuo, vt quidquid te iusta ratione aut contristat, aut hilarat, idem me, si resciscam, simili modo afficiat. Congratulor itaque tibi super inuentis sacris: & Deo, qui ea tempore tuo reuelare maluit, pronus gratias ago] subijcit de quibusdam aduersis, quibus tristatus fuerat. Extant eiusdem Fulberti ad ipsum aliæ plures epistolæ, sed illa breuior, respersa salibus, qua eum non incedentem recto pede redarguit. sic se habet: [d]

[d] Id. ep. 7.
FVLBERTI EPISTOLA AD LEVTHERICVM.

Charissimo patri & Archiepiscopo suo Leutherico Fulbertus Episcopus. Proretanauis regiæ cautus & circumspectus esto: terreni spiritus insolenter assibilant: fluctus huius sæculi intumescunt: promontoria mundanæ potestatis pericula minantur, & mortes: more piratarum insidiantur hypocritæ. Inter hæc omnia tendendum ad portum cælestis patriæ. Noli ergo tute ipse tibi bithalassum dubietatis ac duplicitatis in corde tuo miscere: simplex est enim via Domini, & qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter. Si de via legis diuinæ qualibet occasione seductus aberraueris: in tar-

Universidad de Deusto
Biblioteca

in tartaream charybdim naufragus demergeris. Regat te manus valida omnipotentis A
Domini. Vale] Hic ille Leuthericus, quem reprehensum a Roberto Rege ob prauas ab eo cœptas disseminari opiniones, dictum est superius. Ceterum consueuisse ipsum Leuthericum consulere Fulbertum, plures eiusdem Fulberti epistolæ docent, quibus ad eius consultationes ipse respondit: vt appareat, non tam ex ingenij acumine, quam ex vana præsumptione ipsum aliquando de Catholica Fide male sensisse.

Hoc eodem anno S. Bruno Apostolus Prussorum martyrium est consecutus. quomodo autem ista se habuerint, Ditmarus consanguineus eius & condiscipulus ita describit: [a] Fuit quidam Bruno nomine, contemporalis & conscholasticus meus, ex genere clarissimo editus, sed diuina miseratione præ ceteris parentibus inter filios Domini electus. Hic ab Ida venerabili matre sua vnice dilectus, magisterio Giddonis philosophi traditur, & omne quod habere debuit, cum abundantia suggeritur. Huius B
pater erat Bruno, senior egregius & per cuncta laudabilis, amicus mihi consanguinitate, & omnibus erat proximus familiaritate. Filius autem eius & æquiuocus cum mane ad scholam ire debuisset, antequam ab hospitio exiret, veniam petijt, & ludentibus nobis, in oratione is fuit: otio negotium præposuit, & sic fructificans, ad maturitatem peruenit. A Tertio desideratur Ottone & suscipitur, quem non longe post deserens, solitariam quæsiuit vitam.

a Ditm. lib. 6. S. BRVNONIS EPISCOPI ET SOCIORVM MARTYRIVM.

S. BRVNO APOSTOLATVM ACCEPIT CONCESSIONE PAPAE.

Is vero post mortem glorioßissimi Imperatoris, regnante tunc Secundo, Domini gratia, Henrico, ad Merseburg veniens, benedictionem cum licentia domini Papæ Episcopalem ab eo petijt, & eius iussione ab Archiepiscopo Tagmone consecratione, & quod ipse detulit huc, pallium ibidem suscepit. Dehinc ob lucrum animæ laborem subijt diuersæ ac grandis viæ, castigans corpus inedia & crucians vigilia. Multa C
a Bolizlauo, ceterisq. diuitibus bona suscepit, quæ mox ecclesijs, ac familiaribus suis, & pauperibus, nihil sibi retinendo, diuisit. In duodecimo conuersionis, ac inclytæ conuersationis suæ anno ad Prussiam pergens, steriles hos agros semine diuino studuit fecundare; sed spinis pullulantibus, horrida non potuit facile emollire. Tunc in confinio prædictæ regionis & Russiæ cum prædicaret, primo ab incolis prohibetur, & plus euangelizans, capitur; deindeq. amore Christi, qui Ecclesiæ caput est, decimosexto Kal. Martij, mitis vt agnus decollatur cum suis decem & octo. Corpora tot Martyrum insepulta iacuerunt, quoad Bolizlauus id comperiens, eadem mercatur, ac domui suæ futurum acquisiuit solatium. Facta sunt autem hæc in tempore serenissimi Regis Henrici, quem Dominus omnipotens triumpho tanti Præsulis honorificauit, & vt multum spero, saluauit. Pater autem prædicti Antistitis longe post infirma- D
tus (vt ipse mihi narrauit) præcepto filij monachicum suscepit habitum, & xiiij. Kal. Nouembris in pace quieuit] hucusque Ditmarus. Marianus Scotus, qui hoc sæculo vixit, itidem affirmat, hoc anno eum esse martyrio coronatum, passum nimirum abscissionem manuum ac pedum, postremo capite plexum. Sigebertus vero ponit anno sequenti martyrium eius; sed Vrspergensis Mariano consentit. Agitur de eodem Martyre in Romano Martyrologio decimaquinta Octobris (puto tempore, quo facta est translatio) hoc elogio: In Prussia sancti Brunonis Episcopi Ruthenorum & martyris, qui Euangelium in ea regione prædicans, ab impijs tentus, manibus pedibusq. præcisis, capite truncatus est] hæc ibi: vt nulla sit dubitatio, hunc eumdem esse cum illo, quem in Prussia passum vidimus. Porro vsurpatam vocem, Prussiam, pro Russia, frequenter inuenimus. E

Non longe ab hoc tempore, & forsitan eodem anno contigisse apparet martyrium S. Bonifacij, qui & ipse Russis Euangelium prædicauit, accepto, sicut Bruno, Apostolatu a Romano Pontifice. hoc inueniet, qui res gestas S. Romualdi, scriptas a Petro Damiani perlegerit, tempusq. obseruauerit, quo ad eum nuntium de ipsius martyrio est perlatum. Huius Apostolatus exordia cum scripserimus ex Petro Damiani, Tomo superiori; hic iam quæ reliqua sunt vsque ad consummatum martyrium, prosequamur ex eodem auctore, qui ait: [b] Cumq. ad Regem Russorum vir venerabilis perueniisset, & constanti animo prædicationi vehementer insisteret: videns eum Rex squalidis vestimentis indutum, ac nudis pedibus incedentem, opinatus est, quia vir sanctus talia non religionis causa perferret, sed idcirco potius, vt pecunias congregaret. Promisit igitur ei, vt si ab ista vanitate recederet, ipse paupertatem eius largissima

b Petr. Dam. in vit. Romualdi c. 29. & 30.

S. BONIFACII IN PRAEDICATIONE PROGRESSVS.

A ma diuitiarum liberalitate ditaret. Verum Bonifacius mox ad hospitium sine mora reuertitur, pretiosissimis pontificalibus ornamentis decenter induitur, & sic ad Regis palatium denuo præsentatur. Rex autem, videns eum tam decoris vestibus adornatum, ait: Nunc scimus, quia te ad vanam doctrinam non paupertatis inopia, sed veritatis impulit ignorantia. Verumtamen si vis vera credi quæ asseris: erigantur duæ excelsæ lignorum cataste, breuissimo a se interstitio separatæ, & igne suppositio, cum vaporatæ fuerint, ita vt vtriusque struis vnus esse ignis videatur, tu transi per mediũ. Quo si læsus ex aliqua parte fueris, ipsis te penitus consumendum ignibus trademus: sin autem (quod credi non potest) sanus euaseris; omnes nos Deo tuo absque difficultate credemus. Cumq. hoc fœdus non solum Bonifacio, sed & cunctis qui aderant, gentibus placuisset; Bonifacius ita vestitus, vt Missarum solemnia celebraturus, prius
B cum sanctificata aqua, & incenso thure vndique perlustrans ignem, dein stridentes flammarũ globos ingressus, ita exiuit illæsus, vt nec minimus capitis eius capillus videretur exustus. Tunc Rex, & ceteri, qui huic spectaculo interfuerant, cateruatim se ad pedes beati viri proijciunt, indulgentiam lacrymabiliter petunt, & baptizari se instantissima supplicatione deposcunt. Cœpit itaque tanta gentium multitudo ad baptisma confluere, vt vir sanctus ad spaciosum quemdam locum pergeret, & in ipsa aquarum abundantia populum baptizaret. Decreuit autem Rex, vt regnum relinquens filio, ipse quamdiu viueret, a Bonifacio nullatenus separaretur.

RVSSI BAPTIZANTVR A S. BONIFACIO.

Frater autem Regis cum ipso pariter habitans, dum nollet credere, absente Bonifacio, ab ipso Rege interemptus est. Alius vero frater, qui iam a Rege erat cohabitatione diuisus, cum ad eum vir venerabilis venit, audire verbum eius noluit: sed de con-
C uersione fratris nimia aduersus eum ira succensus, continuo comprehendit. Deinde timens, ne si viuum teneret, Rex eum de manu eius eriperet, in sua præsentia, circumstante non parua hominum multitudine, decollari præcepit. Statim vero & ipse cæcatus est, & tantus eum cum omnibus, qui astabant, stupor oppressit, vt nec loqui, nec audire, nec aliquod humanitatis officium agere aliquatenus possent; sed cuncti veluti lapides, rigidi & immobiles permanerent. Rex autem hoc audiens, nimio dolore perculsus, omnino deliberat non solum fratrem occidere, sed & cunctos, qui tanti reatus fautores extiterant, gladijs trucidare. Sed cum illuc protinus aduenisset, & corpore Martyris adhuc in medio posito fratrem simul cum reliquis hominibus sine sensu & motu stupefactos astare conspiceret: hoc sibi cum suis omnibus placuit, vt prius pro eis oratio fieret, si forsitan illis diuina misericordia sensum quem amiserant,
D reformaret. Deinde si acquiescerent credere, indulto crimine viuerent: sin autem, omnes vltoribus gladijs interirent. Cum igitur & ab ipso Rege, & a ceteris Christianis diutius esset oratum, non solum prior sensus stupefactis hominibus redditur, sed insuper consilium flagitandæ veræ salutis immittitur. Nam continuo pœnitentiam sui criminis flebiliter expetunt, baptismi sacramentũ magna alacritate suscipiunt: super corpus quoque beatissimi Martyris ecclesiam construunt] hæc Petrus Damiani (vt ipse testatur) ex multis pauca. porro dies natalis eius celebratur a Romana Ecclesia die decimanona Iunij.

MARTYRIVM S. BONIFACII APOSTOLI RVSSIAE.

Quomodo autem S. Romualdus percepto nuntio de S. Bonifacij martyrio, æmulatus excellentissimum Dei donum, ipse cum nonnullis ex suis accepta licentia a Romano Pontifice, ad prædicandum verbum Dei Gentibus iter capessit, sed morbo im-
E peditus reuerti coactus est, idem Petrus Damiani sic narrat: [a] Interea Romualdus audiens, quia beatissimus vir Bonifacius martyrium suscepisset; nimio desiderij igne succensus, vt pro Christo sanguinem funderet, in Hungariam mox ire disponit. Interim tamen, dum in ipsa intentione persisteret, breui tempore tria constituit monasteria, vnum videlicet in Valledecastro, vbi nunc sanctissimum eius corpus reconditum est: aliud prope Isinum fluuium: tertium iuxta oppidum condidit Esculanum. Deinde licentia ab Apostolica Sede suscepta, & duobus e suis discipulis in Archiepiscopos consecratis, cum vigintiquatuor Fratribus iter arripuit. Tantus enim ardor moriendi pro proximo in omnibus æstuabat, quod vir sanctus ad tale negotium cum paucis ire difficile poterat. Euntes ergo cum iam ipsis Pannoniæ finibus interessent, repente Romualdus languore correptus, vlterius ire non potuit: cumq. diutius pateretur, siquando redire disponeret protinus ex ægritudine conualescebat; sin autem ire

S. ROMVALDVS MARTYRII CVPIDISSIMVS.

a Petr. Dam. in Romual. cap. 45.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vltra tentaret, tota eius facies protinus intumescebat, cibos quoque iam retinere, sto- A
macho langvescente, non poterat. Aduocatis itaque Fratribus, ait: Perpendo nequaquam diuinæ voluntatis esse iudicium, vt vltra progrediar: verumtamen quia intentionis vestræ desiderium non ignoro, neminem vestrum redire compello. Multi nempe etiam ante nos totis viribus studuerunt ad martyrij culmen pertingere; sed quia diuina prouidentia aliter sensit, in suo gradu coacti sunt manere. Licet ergo vobis omnibus martyrium defuturum non ambigam: qui tamen ire, qui mecum redire voluerit, vniuscuiusque relinquatur arbitrio. Quindecim igitur in Hungariam prodeuntibus, duobus alio iam dimissis, vix septem cum magistro discipuli remanserunt. Euntium autem quidam flagellantur, venduntur plures, ac seruitutem pro Domino subeunt: ad martyrium tamen (sicut vir sanctus prædixerat) non pertingunt] vt plane appareat, quod neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei martyrij do- B
num. Sed vt Sanctos iungamus Sanctis, persequamur quod remanet funus innocentissimi viri sancti Euerardi.

S. EVERARDI INNOCENTISSIMI CAEDES.

Sicut Abel innocentissimus, liuoris causa trucidatus hoc eodem tempore fuit Carnoti in Gallia vir sanctissimus Euerardus, qui percussus, in percussores, dum suis artubus inhæsit spiritus, illud Stephani protomartyris inclamauit: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. De cuius interitu extant plures epistolæ eius ciuitatis Episcopi Fulberti, de quo sæpe superius, qui de his scribens, de causa necis eius ad Episcopum Laudunensem hæc habet: [a] Causa huiusmodi est: Quodam ecclesiæ nostræ subdecano defuncto, petijt a nobis Rudolphus Siluanectensis Episcopus dari sibi, aut fratri suo ministerium eius. Nos autem respondimus, non conuenire sibi, eo quod Episcopus esset; neque fratri, ætate adhuc & moribus immaturo. Tunc elegimus de numero sacerdotum nostrorum ad illud officium faciendum quemdam scientem ac religiosum virum. Quod factum prædictus Rudolphus, materq. fratri ipsius adeo inuiderunt, vt sancto viro coram pluribus, qui testes inde sunt, terribilia minarentur: & dictum facto non caruit. Venerunt enim de ciuitate Siluanectis ad nostram quidam ex domesticis eorum sic necessarij, vt absentia illorum nec per vnũ diem ignorari potuerit; qui interdiu quidem latuerunt, sed profunda nocte egressi, sanctum illum presbyterum more solito venientem ad ecclesiam, quasi lupum rabidum lanceis falcatis & gladijs in ipso atrio principalis ecclesiæ trucidauerunt. Clerici autem eius, qui expeditum dominum tarde secuti sunt, inuenerunt eum adhuc extrema verba Protomartyris replicantem. Porro carnifices præsidio noctis incogniti iam diffugerant &c.] hactenus de cæde Euerardi, quem merito idem auctor appellat virum sanctissimum. D
Sed redeamus ad eam quam reliquimus Martyrum sanguine cruentatam Russorum ecclesiam.

[a] Fulbert. ep. 27. & 31. & 44.

Quod igitur ad ipsam Russorum ecclesiã spectat, de qua actum est, quæ adhuc alia ipsius exordia ponantur a Ditmaro, hic describamus, ait enim: [b] Amplius progrediar disputando, Regisq. Russorum Vludomiri actionem iniquam perstringendo. Hic a Græcia ducens vxorem Helenam nomine, Tertio Ottoni desponsatam, sed ei fraudulenta calliditate subtractam, Christianitatis sanctæ Fidem eius hortatu suscepit, quam iustis operibus non ornauit. Erat enim fornicator immensus & crudelis, magnamq. vim Danais mollibus ingessit. Hic tres habens filios, vni eorũ Bolizlaui Ducis, nostriq. persecutoris filiam in matrimonium duxit; cum qua missus est a Polonis Reinbernus præsul falsæ Cholbergiensis. Ille in pago Hassegun dicto natus, liberaliq. scientia a E
prudentibus magistris educatus, gradum Episcopalem ascendit, vt spero, dignus. Quantum autem in cura sibi commissa laborauerit idem, non mea sufficit scientia, nec etiam facundia enarrare. Fana idolorum destruens incendit, & mare dæmonibus cultum, immissis quatuor lapidibus sacro chrismate peruncti, & aqua purgans benedicta, nouam Domino omnipotenti propaginem in infructuosa arbore, id est in populo nimis insulso sanctæ prædicationis plantationem eduxit. Vigiliarum, & abstinentiæ, & silentij assiduitate corpus suum affligens, cor ad speculum diuinæ contemplationis infixit. Quem prædictus Rex, audiens filium suimet, hortatu Bolizlaui tacito, reluctaturum sibi, cepit cum eodem & vxore, & in singulari custodia claudit. In qua pater venerabilis, quod in aperto fieri nõ potuit, in secreto studiosus in diuina laude peregit. Hic cum se lacrymis, assiduæq. orationis ex corde contrito prolatæ hostia

[b] Ditm. lib. 7. pag. 103.

REINBERNVS APOSTOLVS IN RVSSIA.

summo

A summo sacerdoti reconciliaret: exacto corporis carcere solutus, ad libertatem perennis gloriæ gaudens transijt] hæc de sanctissimo Episcopo, in carcere e carcere, vt ait, corporis liberato.

IESV CHRISTI ANNVS 1009. SERGII IV. PAP. ANNVS 1. VACAT. IMP. OCCID. 8. BASIL. ET CONST. IMPP. 34.

SEQVITVR Christi Redemptoris annus nonus supra millesimum septima Indictione, quo defunctus est decimoquinto Kal. Aug. Ioannes Papa, cuius tempore IOANNES PAPA MORITVR.
B Constantinopolitanam Ecclesiam cum Romana fuisse Catholica communione coniunctam, testatur Petrus Episcopus Antiochenus in epistola ad Michaelem Cærularium scripta ab ipso anno Christi millesimo quinquagesimoquarto (vt suo loco dicetur) in qua verba ista leguntur: Cum Constantinopolim quadragintaquinque ab hinc annis venissem, inueni tempore beatæ memoriæ Patriarchæ domini Sergij prædictum Papam Ioannem in sacra Missa vna cum alijs Patriarchis sanctissimis relatum. Quomodo vero deinceps eius relatio & commemoratio e medio sublata sit, & quanam de causa, ignoro] hæc Petrus de rebus gestis suo tempore.

Porro de causa iterati rursum schismatis dicetur suo loco inferius in Ioanne Vigesimo. At non solum ex nuper citatis litteris Petri liquet, huius Ioannis Papæ tempore coniunctam pace & communione fuisse Constantinopolitanam Ecclesiam cum Ro-
C mana; verum etiam ex eiusdem Pontificis epitaphio sepulturæ constat, eius concordiæ fuisse eumdem Ioannem auctorem: quod principio carens, vt recitatur a Vegio ex collectis antiquis monimentis basilicæ Vaticanæ, hic tibi describimus. sic enim se habet.

. . . . . DE VNIONE CONSTANT. ECCLESIAE CVM ROMANA.
. . . . . .

QVAM SOLERS DOMINO PLACVIT, QVAM MENTE MODESTA
PRAESVL APOSTOLICVS ORBIS ET OMNE DECVS.
HIC STATVIT TVMVLO CLAVDI SVA MEMBRA SVB ISTO,
HAEC EADEM SPERANS VT SIBI REDDAT HVMVS.
D ARDVA QVI FVLSIT CVNCTIS PER SIDERA CAELI,
AVGVSTIS CHARVS, GENTIBVS ET TRIBVBVS.
DOCTRINIS COMPTVS SACRIS ET DOGMATE CLARO
PER PATRIAS SANCTA SEMINA FVDIT OVANS.
NAM GRAIOS SVPERANS, EOIS PARTIBVS VNAM
SCHISMATA PELLENDO REDDIDIT ECCLESIAM.
PRINCIPIS HINC PETRI SED QVISQVIS TENDIS AD AVLAM,
DIC SVPPLEX ISDEM REGNET VT ARCE POLI.]

Quod autem ibi dicitur (Graios superans) vtique docet, rem tantam haud perfunctorie actam, sed multa præuia disceptatione, Græcis resistentibus, haud adeo facile
E acquiescere assuetis. Demum vero perspicuis adeo eosdem conuictos rationibus Tomo superiori abunde narratis, cessisse veritati, recessisse ab inolita discordia, amplexatos oblatam pacem, & Romanæ sanctæ Ecclesiæ Catholicæ communionis glutino compaginatos apparet.

Cum igitur (vt dictum est) Ioannes Pontifex obijsset, vacassetq. Romana Sedes SERGIVS PAPA IV. SVBROGATVR.
mensem vnum & dies tres, pridie Kal. Septemb. creatur Papa Sergius ex Episcopo Albanense, tunc Petrus nomine nuncupatus. Cui ob reuerentiam Apostolici culminis nomen mutare placuit, & Sergius voluit nominari. Id quidem ex sepulchrali inscriptione constat, inferius in eius obitu describenda. Factum vero ab eo, quod Buccaporci diceretur, fuit aliorum assertio. De tali haud honesto nomine est testis Ditmarus, dum recensens successores Siluestri Papæ, hæc ait: [a] In cuius vice Ioannes Phasan positus, Sedem Apostolicam dies sibi commissos regebat. Huic succedebant Ser-

[a] Ditm. lib. 6. prope finem.

gius, qui vocabatur Buccaporci, atque Benedictus, ambo præclari, & consolidato-

res

Universidad de Deusto
Biblioteca

res nostri] Erant hi e partibus Henrici Regis, quem, vt Romam se conferret, plurimum expetebant. A

Hoc eodem anno contigit sacrosanctum Hierosolymorum templum per Babylonis Principem sterni, cuius occasione ingens in Occidente facta est Iudæorum strages, cum eorum id perpetratum opera cognitum esset. Deo autem operante, rursum maiori decore templum ibidem excitatur, quod miro ex Catholico orbe concursu frequentari cœptum. hæc omnia temporis huius fidelis historicus Glaber testata reliquit his verbis: [a] Eo quoque tempore, id est anno nono post præfatum millesimum, ecclesia, quæ apud Hierosolymam sepulchrum continebat Domini ac Saluatoris nostri, euersa est funditus iussu Principis Babylonis: cuius videlicet euersionis occasio tale quod dicturi sumus, cognoscitur exordium habuisse.

[a] Glab. lib. 3. cap. 7.

IVDAEORVM PERFIDIA CVRATA DEMOLITIO TEMPLI HIEROSOL.

Cum enim de toto terrarum orbe ob insigne Dominicum memoriale plurima Fi- B
delium multitudo Hierosolymam visitaturi pergerent; rursus cœpit inuidus diabolus per assuetam sibi Iudæorum gentē veræ Fidei cultoribus venenum suæ nequitiæ propinare. Erat igitur huius generis apud Aurelianensem Galliarum regiam vrbem non modica multitudo, qui ceteris suæ gentis tumidiores & * mundi, atque audaciores sunt reperti. Hi denique nequam consilio inito, corruperunt quemdam data pecunia, videlicet gyrouagum sub peregrino habitu, nomine Robertum, fugitiuum vtique seruum beatæ Mariæ Melerensis cœnobij. Quem accipientes caute miserunt ad Principem Babylonis cum Hebraicis characteribus scriptis epistolis, pictaciolis ferri baculo insertis, ne quo casu potuissent ab eo diuelli. Qui egressus detulit litteras prædicto Principi refertas dolo & nequitia: & quoniam, nisi celerius domum Christianorum venerabilem subuerteret, sciret se in proximum, Christianis regnum illius occu- C
pantibus, omni penitus dignitate carere. His vero Princeps auditis, protinus furore arreptus, misit Hierosolymam de suis, qui prædictum funditus subuerterent templum. qui venientes fecerunt, vt eis fuerat imperatum. Ipsum quoque concauum sepulchri tumulum ferri tuditibus quassare tentantes, minime valuerunt. Tunc etiā beati martyris Georgij ecclesiam in Ramulo pāritēr subuerterunt, cuius olim virtus Sarracenorum nimium gentem terruerat. Fertur enim, crebro illuc eos ingredi cupientes * raptum cæcitatem pertulisse.

* f. raptim

DIRA VINDICTA VRGET IVDAEOS.

Euerso igitur, vt diximus, templo, post paululum manifeste claruit, quoniam Iudæorum nequitia tantum nefas sit patratum, vt & diuulgatum est per orbem vniuersum, communi omnium Christianorum consensu decretum est, vt omnes Iudæi ab
illorum terris vel ciuitatibus funditus pellerentur. Sicq. vniuersi odio habiti, expulsi D
de ciuitatibus, alij gladijs trucidati, alij fluminibus necati, diuersisq. mortium generibus interempti, nonnulli etiam sese diuersa cæde interemerunt. ita scilicet, vt digna de eis vltione peracta vix pauci illorum in orbe reperirentur Romano.

Tunc quoque decretum est ab Episcopis atque interdictum, vt nullus Christianorum illis se in quocumque sociaret negotio. Si qui tamen de illis ad baptismi gratiam conuerti voluissent, omnemq. Iudaicam respuere consuetudinem, vel morem; illos tantum suscipere decreuerunt. Quod & fecerunt plurimi illorum, magis amore præsentis vitæ, coacti metu mortis, quam vitæ sempiternæ gaudijs. Nam quicumque illorum sese tales mentiendo fieri popposcerant, paulopost ad morem pristinum sunt impudenter reuersi.

Præterea his ita gestis, prædictus litterarum baiulus ad natiuum male securus repe- E
dauit solum. cœpit itaque sedulo perquirere, si forte quempiam gentis suæ fraudis

DETECTO FAESINORE DAT POENAS AVCTOR.

consciæ reperiret. Inuentis vero perpaucis in ciuitate Aurelianorum pauide admodum degentibus, rursum cœpit illorum familiarius vti consortio. Accidit igitur, vt quidam peregrinus eius in transmarino socius itinere, atque certissime illius itineris conscius negotij illuc deueniret, rursumq. illum Iudæorum amicitijs nimis hærere cerneret: palam vniuersis indicare curauit, quanti mali gerulus ille esset homuncio, ex cuius rei causa Iudæorum potiretur opibus. Qui ilico comprehensus, acribusq. agitatus verberibus, propriæ delationis confitetur crimen. Moxq. a ministris Regis in conspectu totius plebis extra ciuitatem igni est traditus atque consumptus. Iudæi tamen profugi ac vagabundi, qui in locis abditis delitescentes prædictæ superfuerant cladi, post quinquennium euersionis templi cœperunt in vrbibus apparere perpauci.

Et quo-

A Et quoniam oportet, quamuis ad illorum confusionem, vt ex illis aliqui in futurum supersint, vel ad confirmandum proprium nefas, seu ad testimonium fusi sanguinis Christi: idcirco vero credimus Christianorum animositatem, diuina dispensantē prouidentia, in eis ad tempus mansueuisse.

EVRSVS TEMPLVM HIEROSOL. INSTAVRATVR.

Eodem nihilominus anno, diuina propitiante clementia, cœpit mater ipsius Principis, videlicet Ammirati Babylonis, mulier Christianissima, nomine Maria, reædificare Christi templum, iussu eius filij euersum, politis & quadris lapidibus. Namq. & vir ipsius, quasi alter Nicodemus, pater huius scilicet, de quo præsens est sermo, habitus occulte Christianus dicitur fuisse. Tunc quoque de vniuerso terrarum orbe incredibilis hominum multitudo exultanter Hierosolymam pergentes, domui Dei restaurandæ plurima detulerunt munera] hucusque Glaber.

B Meminerunt & Græci de eiusmodi templi Hierosolymorum euersione, sed anno sequenti, nempe octaua Indictione: nam Curopalata de his agens hæc ait: Indictione octaua, anno mundi IↃↃ CIↃ IↃ XXIII. Aegypti Princeps Azizius ob leuem causam, & offensas ne relatu quidem dignas, fœdere, quod ei erat cum Romanis, rupto, & templum Hierosolymis ad sepulchrum Christi sumptuosissime conditū euertit, & religiosa perdidit monasteria, & qui in ijs piæ vitæ exercitationibus erant diditi, eos per omnem terram extorres egit] eadem & Cedrenus. [a] Gulielmus Tyrius agens de bello sacro, recensēt destructionem templi Hierosolymorum, & Christianis in Oriente illatam ab Homar Principe Sarracenorum persecutionem, anno salutis millesimo decimooctauo; postq. annos triginta septem factam eiusdem templi reædificationem a Christianis sub Constantino Monomacho Imp. sedisse autem tunc Hie-
C rosolymis Orestem Episcopum asseuerat. Sed antiquioribus, suorum præsertim temporum Scriptoribus, tutior inest fides.

[a] Guliel. Tyr. lib. 1. c. 2. 3. 4. 5.

MILLESIMO decimo anno Redemptoris, Indictione octaua, a Libentio Archiepiscopo Hamburgensi missus est Oddo Legatus ad Sergium Papam, pro definienda lite, & componenda discordia inter ipsum atque Bernarium Episcopum Verdensem exortam de parochia, Ramsola dicta, quæ intra terminos suæ esse dioœcesis
D ab hoc diceretur: contra vero eam vendicare conabatur sibi Libentius Archiepiscopus, eo quod S. Ansgarius, primus prouinciæ illius Apostolus fugiens incendium vrbis Hamburgi, illic erexerit Oratorium, collocauerit reliquias, & monachorum conuentum. Prævaluit apud Pontificem tanti memoria Præsulis, ob idq. Archiepiscopo Hamburgensi Libentio causam Papa Sergius adiudicauit. de his [b] Adam & recentiores, qui res Saxonum sunt prosequuti.

LEGATIO AD SERG. PAP.

[b] Adam hist. eccl. lib. 1. cap. 23. & lib. 2. c. 22.

Quo tempore Romæ magno prodigio in vna ecclesiarum (non describitur quænā fuerit) oleum scaturijt, ex quo vas impletum missum est ad Henricum Regem, rem gestam describamus verbis Ditmari sinceriſſimi huius temporis scriptoris; hæc enim habet: [c] Alteram quoque rem, quamuis multo laudabiliorem, tamen mirabilem, memoriaq. dignam describo. In arce Romulea, quæ omnium caput est vrbium ob
E diuersarum qualitatem causarum, in vna ecclesia, & in dextera parte altaris, ab vno pauimenti foramine per integrum diem, multis hoc cernentibus, atque stupentibus, oleum emanauit. Huius partem Ioannes Crescentij filius in ampulla quadam Henrico Seniori suo, & tunc Regi nostro, transmisit. Et quia oleum nunc pro misericordia ponitur, vt illud: [d] Oleum de capite tuo non deficiet: nunc pro adulatione, vt hoc: [e] Oleum peccatoris non impinguet caput meum: in hoc signo clementiam Rectoris nostri abundantem, & illius Patricij lasciuiam latentem perpendo. Namque is Apostolicæ Sedis destructor, muneribus suis & promissionibus phaleratis Regem a Domino constitutum palam sæpe honorificauit, sed Imperatoriæ dignitatis fastigium hunc ascendere multum timuit, omnimodisq. id prohibere clam tentauit. quia sicut S. Gregorius asserit: Terrena altitudo confunditur, cum celsitudo cælestis aperitur. Rex etenim noster quamuis homo esset, zelum Domini habuit, & sanctarū violentas

[c] Cranz. in Metrop. lib. 3. c. 48. & Ditm. lib. 7.

OLEVM ROMAE SCATVRIIT IN ECCLESIA.

[d] Eccles. 9.

[e] Psal. 140.

IOANNIS CRESCENTII FILIVS HOSTIS PONTIFICIS ATQVE REGIS.

præda-

Universidad de Deusto
Biblioteca

prædationes ecclesiarum fortis armatus vindicauit; hancq. benignitatem nisi cælitus A
sibi præstitam non habuit iste terrenus, & natura, & actibus voragine cœnulenta traxit in prædam, quod multorum deuota manus ad aram Apostolorum pro peccatis congessit in hostiam. Qui cum non longe post obiret, duplici vltione, vt vereor, confunditur, & domino Papæ securitas, Regiq. nostro amplior potestas aperitur] nempe ad capessendum Imperium. Quod cum non contigisse dicat nisi post mortem eiusdem Ioannis, plane intra biennium cum ex hac vita sublatum possumus intelligere.

Eodem tempore Ditmarus Episcopus Mersepurgensis in Saxonia petijt a Sergio Papa & impetrauit priuilegia suæ ecclesiæ, quæ in eadem ecclesia conseruari tradit, qui Ditmari res gestas conscripsit eiusdem temporis auctor: impetrasse hoc ipsum a Sergij etiam successore, Benedicto Papa, idem auctor affirmat.

Quod ad res Hispanicarum ecclesiarum pertinet, cum in eas quoque ille prauus B
vsus ac plane execrandus illapsus esset, vt [a] Episcopi armati certarent in acie, & quod nefas est amplius, pro Arabibus contra Arabes, ita secum bello ciuili pugnantibus Cordubæ Principibus: certantes, Deo vindice, in prœlio hoc anno gesto inter Zelumam, & Almahadium Principes Arabes, qui stabant pro Zeluma Episcopi, in ipso conflictu sunt occisi, Arnulphus Ausæ, Aetius Barcinonis, & Otto Gerundæ, victorq. existens Almahadius Cordubæ Rex, hoc anno regnare cœpit.

[a] *Marian. lib. 8. rerū Hispan. hoc anno.*

EPISCOPI PVGNANTES OCCISI.

Eo insuper detestando amicitiæ vsu Christiani Sarracenis coniuncti mutua inter se fœdera nuptiarum inibant: quod & Principes id facere non erubescerent. Nam qui regnabat Toleti Habdalla, filius eiusdem Almahadij, in vxorem accepit Theresiam virginem a fratre Adelfonso Legionis Regis inuitam. Quæ femina Christiana, virgineq. maxime pia specimen dignum exhibuit, dum non nisi ea conditione se iungi paratam viro diceret, nisi ille, vt ipsa, eiusdem religionis consors Christianus efficeretur, aliter non consensuram. sic falsa simplex virgo promissione decepta, quod vir fieret Christianus, duci se passa est. Vbi autem tempus aduenit, promissionem illa exigens, sero tandem se delusam, obnitente viro, cognouit: cum illa comminata eidem diuinam vltionem, si quid præter fas in inuitam ac renitentem tentare præsumeret. Sed deridens libidinis oestro percitus impius ille, puellæ vim intulit; moxq. offensi numinis expertus est vltionem, affectus morbo grauissimo, cuius salutem desperans, nisi causam protinus dimoueret: eamdem Theresiam cum amplis muneribus ad fratrem Regem sponte remisit. quæ veste mutata, monasticam vitam professa, in ecclesia sancti Pelagij Oueti reliquum vitæ tempus summa cum laude transegit, Deo seruiens summo studio. Erat autem id temporis regnum Arabum in Hispania in Toparchias plures conscissum, adeo vt si Christiani Principes vnanimes in eorum Principes conspirassent, paruo ferme negotio eosdem penitus deleuissent: sed mutuæ eorum dissensiones hostes licet debiles roborarunt. Hæc omnia omnes, qui res Hispaniarum sunt prosecuti, confirmant. Ambrosius Morales descriptum habet eius sepulchri dignum epitaphium, quo declaratur, peruenisse eam ad annum Redemptoris millesimum trigesimumnonum, sanctoq. fine in Domino quieuisse. quod sic se habet, rudi Minerua, vt ætas illa ferebat, scriptum ab homine plane imperito.

DE THERESIA NVPTA REGI ARABVM.

C

EN QVEM CERNIS CAVEA SAXA TEGET COMPAGO SACRA. HIC DILECTA DEO RECVBANS TARASIA CHRISTO DICATA PROLES BEREMVNDI REGIS ET GELOYRAE REGINAE GENERE ORTA CLARO PARENTATV CLARIOR ET MERITO. VITAM DVXIT PRAECLARAM VT CONTINET NORMA. HANC IMITARE VELIS SI BONVS ESSE CVPIS. VEL SI OBIIT SVB DIE VII. KAL. MAGII FERIA QVARTA HORA MEDIA NOCTIS POST PERACTA AETATE SAECVLI PORRECTA PER ORDINEM MVNDI SEXTAM DA CHRISTE QVAESO VENIAM. PARCE PRECOR. AMEN] Porro non vt imperitus auctor scripsit, TARASIA, sed THERESIA dicta erat, cuius nomen egregia virtute eius illustre redditum in Hispania, est propagatum in posteros, & hoc ipso sæculo vixit Theresia Comitissa, quæ vitæ sanctitate, & miraculis quoque prædicata illustris, obijt anno millesimo quinquagesimo septimo, vt docet tumuli eius inscriptio, ita ab eodem auctore descripta, quæ sic se habet luculentiori stylo. D E

FEMINA

A FEMINA CHARA DEO IACET HOC TVMVLATA SEPVLCHRO
QVAE COMITISSA FVIT NOMINE THERESIA.
HAEC MENSIS IVNII SVB QVINTO TRANSIIT IDVS:
OMNIS EAM MERITO PLANGERE DEBET HOMO.
ECCLESIAM, PONTEM, PEREGRINIS OPTIMA TECTA,
PARCA SIBI STRVXIT, LARGAQ. PAVPERIBVS.
DONET EI REGNVM QVOD PERMANET OMNE PER AEVVM,
QVI MANENS TRINVS REGNAT VBIQVE DEVS.
OBIIT ERA M. XCV.] extare scribitur in ecclesia S. Zoili, monasterij Carionensis.

B IESV CHRISTI SERGII IV. PAP. VACAT. IMP. OCCID. 10.
ANNVS ANNVS BASILII ET CONST. IMPP. 36.
1011. 3.

ANNVS Redemptoris millesimus vndecimus Indictione incipit nona, quo ab Henrico Rege ad dedicationem basilicæ Bambergensis a se constructæ conuocatur cœtus plusquam triginta Episcoporum; inter quos astitit Ioānes Patriarcha Aquileiensis, etiam sacra obiens; sed & qui ista scripsit etiā Ditmarus Episcopus Mersepurgensis, vt ipse testatur, interfuit. Huius occasione conuentus fuit ab ijsdem tunc Synodus celebrata, in qua sedatæ sunt cōtrouersiæ illæ inter Episcopos, de quibus idem auctor his verbis: Post hæc Synodus hic fuit magna, in qua Gebehardus Ratisponēsis ec- *a Ditm. lib. 6. pag. 74.*
C clesiæ Præsul ab Archiepiscopo suimet arguitur, & Metensis ecclesiæ Præsul Theodoricus a Rege increpatur, eo quod epistola suimet hunc iniuste apud Papam accusaret. Hæc omnia, & multa alia consilio prudenti finita sunt, & restitutio parochiæ tunc promissa est mihi] hæc Ditmarus, qui & huic Synodo libellum dedit pro recuperandis suæ parochiæ bonis; idemq. subijcit in fine anni huius: Hic, *nempe Henricus Rex*, magnam Synodum ob damnationem Theodorici Metensis Episcopi posuit. huic ab omnibus Episcopis ibi conuenientibus interdictum, vt ante purgationem Missam non caneret.]

CONSECRATIO ECCLESIAE BAMBERGENSIS.

SYNODVS BAMBERGENSIS.

Addit etiam, hoc anno Tagmonem Archiepiscopum Magdeburgensem, virum sanctitate perspicuum ex hac vita migrasse, cuius virtutum catalogum simplici stylo retexit his verbis: Quinto Idus Iunij non obijt, sed ad Christum, quem semper ama- TAGMONIS MAGDEBVRGENSIS EPISCOPI LAVDATISSIMI OBITVS.
D uit, lætus abijt] & post multa de funere, & successore subijcit ista: Sed quia beati omnes virtutibus suis cum Christo viuunt, & in hoc sæculo scriptis; non est bonum tanti Patris inclytam conuersationem silentio tegere, sed veritatis luce omnibus proficue innotescere. Erat hic iustus timoratus, ac miræ charitatis, largus & fidelis, castus ac mitis, prudens & stabilis, canonicus habitu, sed monachus in omni conuersatione sua: vitia in cunctis ob melioratione aspere carpebat, bona quæque laudans. Non fuit apud modernos vllus pastor, qui confratribus suis familiarior esset: hos amauit, atque coram populis laudauit. In primo ordinationis suæ anno templum Domino ædificare cœpit, presbyteris & diaconis suimet vestitum octo sielis, subdiaconis autem & inferioribus quatuor adauxit. Nisi infirmitas obsisteret, omni die Missam & Psalterium cantauit. Et quia ieiunare ob lassitudinem non potuit, eleemosynarum multitudine
E redemit. In vigilijs supra modum laborauit, & quia parum manducare ob infirmitatem dentium potuit, potu quamuis mediocri facile satiebatur. Nobiles genere & moribus amauit, ignobiles autem non contempsit, sed in sua familiaritate habuit. Cultores Christi dilexit, contemptores autem eius iusto persequitur odio. Omnia sibi diuina commissa excoluit, & lucrari contendit. Antequam diuinum perageret mysterium, seuerus fuit, & post omnibus hilaris arrisit, & persæpe cum suis Kyrie eleison cantauit &c.] hæc & alia de viro sanctissimo, in quem tantum Patrem, sæculi huius decus & ornamentum, vtinam aspicerent filij desertores. Habuit successorem Vualterdum, sed qui cito, nempe hoc eodem anno, pridie Idus Augusti, ex hac vita transijt, sacerdos Dei pariter laudatissimus.

Inter alia autem, quæ hoc anno euenisse tradit præsens ipse cum pluribus, hæc admiranda de sacrilego milite Ditmarus ita subijcit: Quidam vero miles, cum bona

Universidad de Deusto
Biblioteca

sancti Clementis vi tolleret, & inde tectum facere voluisset, in vna dierum a muribus intra cubiculum impugnatur ineffabilibus. Qui primo fuste arrepto eos prohibere tentans, posteaq. euaginato eos aggressus gladio, & sic nil proficiens, arca quadam (vt ipse rogauit) includitur, ac in medium fune suspenditur: & cum exterius hæc plaga * sedaret, hic qui liber solui debuisset: ab alijs vsque ad mortem corrosus inuenitur. Tunc cunctis præsentibus, & postea venientibus manifestum fit, quod hunc ira Domini, vindex prædicti facinoris, [ola consumpsit] præstiterunt hoc mures in corpore, quod vermis in conscientia, ineuitabiles vltores, immissi diuinitus quousque culpa horum nutrix pœnitentia expiaretur. Subijcit vero de obitu sanctissimæ feminæ Luidgardis, eius consanguineæ, quam migraturum ad Deum oleo sancto ex antiquo Ecclesiæ ritu perunxit: quæ Idib. Nouemb. vitæ accepto responso, ad Deum migrauit. plura alia subinfert auctor de suffragijs adhiberi solitis pro Fidelibus defunctis, numquam cessuris vacuis. B

* cellaret

Adsunt vero iam tempora illa infestissima Ecclesiæ Anglicanæ, quæ prædicta fuere a S. [a] Dunstano. Etenim hoc anno Dani, qui anno superiori inuaserunt Angliam, potiuntur Cantuariensi ciuitate, atque diram stragem, sæuientes in Christianos, exercuerunt. petamus ista a Rogerio, fidelissimo antiquorum historicorum, qui in priori Annalium parte habet ista: Eodem anno millesimo vndecimo Danorum exercitus, vastata magna parte Angliæ, ad vltimum inter Natiuitatem S. Mariæ, & S. Michaelis festiuitatem, vrbem Cantuariam circumuallantes obsederunt. Vicesimo autem obsidionis die per insidias Elmerici archidiaconi, quem S. Elphegus, ne morti traderetur, prius eripuit, pars ciuitatis incenditur, exercitus ingreditur, vrbs capitur. Alij ferro iugulantur, alij flammis consumuntur; plures quoque de muris præcipites dantur, nonnulli per verenda suspensi deficiunt; matronæ crinibus per plateas ciuitatis distractæ, demum flammis iniectæ moriuntur; paruuli a matrum vberibus auulsi, aut lanceis excipiuntur, aut superacto carro minutatim conteruntur. Interea Archipræsul Elphegus capitur, vincitur, tenetur, & varijs modis affligitur. Ailmarus Abbas monasterij sancti Augustini abire permittitur; capiuntur Godduinus Rhoffensis Episcopus, Leonfrana Abbatissa monasterij S. Mildrinæ, Elfregus Regis Præpositus, monachi quoque & clerici, populusq. innumerabilis vtriusque sexus. Exin ecclesia Christi spoliata comburitur, grex monachalis, & turba virilis, sed & muliebris, nec non infantilis decimatur, nouem trucidantur, decimus vitæ reseruatur: quatuor monachis, & octingentis viris decimatorum summa perficitur.

a Osber. in Dunstan. apud Sur. tom. 2. die 19. Mar.

ANGLICANA ECCLESIA LABORAT PERSECVTIONE DANORVM.

S. ELPHEGVS ARCHIEP. CANTVARIEN. CAPITVR A DANIS.

Populo cæso, vrbe spoliata, & tota cremata, Archipræsul Elphegus vinctus extrahitur, vi impellitur, grauiter sauciatur. Hinc ad classem ducitur, post in carcerem truditur, ibiq. septem mensibus affligitur. Interim ira Dei in homicidam populum desæuiens, ex his duo millia per diros internorum cruciatus prostrauit. Ceteri quoque simili modo percussi, a Fidelibus commonentur vt pontifici satisfaciant, sed differunt. præualebat interim clades, & nunc denos, nunc vicenos, nunc plures similiter absumebat.] Quomodo autem contigerit S. Elphegum post carcerem septem mensium gloriosum consummare martyrium, suo loco dicturi sumus anno sequenti quo euenit. D

b Osber. in vita S. Elphegi die 19. April. apud Sur. tom. 2.

DANI DIVINITVS AFFLICTI SERO POSCVNT AVXILIVM.

Hic modo, quæ Osbertus monachus Cantuariensis de curatis pane benedicto Danis, torminibus viscerum laborantibus, refert, sic accipe: [b] Lætati igitur consilio, mox ad Episcopum currunt, & de perpetrato facinore cum lacrymis veniam petunt, & de carcere eum extrahentes, ad publicos populi conspectus cum honore deducunt. & ait illis Episcopus: Etsi vestra insatiabilis crudelitas veniam non promeretur; tamen quod nos facere deceat, exemplo Domini edocemur, qui cum suorum dignatus esset lauare pedes Discipulorum, non illum excluſit, a quo se tradendum esse præsciuit, immo ipsum sanctissimo pane cibauit; Pharisæorum ministros potentiæ suæ verbo elisit, sed confestim eosdem erigendo sanauit: & quod magnæ bonitatis insigne est, quos quotidie mandatis cælestibus pertinaci animo cernit resistere, eos in cælo sedens adhuc patitur viuere, immo humanis rebus plusquam ceteros præstare. Quapropter, quoniam exemplorum illius deuotus cupio imitator existere, oblitus incendia ciuitatis, innocentium cædes, oblitus inquam, quæ in me facta est, præteritæ impietatis, sicut ipse Patrem pro suis crucifixoribus, ita ego pro meis tortoribus ipsum interpellabo. E

labo. Asserte ergo panem, statim vobis reddendum salutarem, quatenus ex hoc refecti, & cupitæ salutis beneficium adepti, aut gratias Saluatori reddatis, aut sceleratiores blasphemi remaneatis. Et dato omnibus pane a se benedicto, omnes ab exitiali liberauit clade] hucusque de sanatis hostibus Danis per S. Elphegum Osbertus. cetera anno sequenti. A

CVRAT DANOS MORBO S. ELPHEGVS.

Quod ad res pertinet Orientales, hoc eodem anno, Indictione nona, mense Ianuario (inquit Curopalata) Constantinopoli fuit maxime horribilis terræmotus, & concussa fuit terra vsque ad nonam Martij mensis diem, qua circiter decimam diei horam fuit concussio adeo horribilis, & motus adeo horrendus, & in ipsa regia vrbe, & in agris, vt ceciderint sphæræ templi Sanctorum Quadraginta, & Sanctorum omnium, quas Imperator statim instaurauit. hæc autem significabant mox in Italia futuram seditionem. Princeps enim quidam Bari, nomine Meles, concitato in Longobardia exercitu, aduersus Romanos arma sumit &c.] Hic est ille, quē Leo [a] Ostiensis Melum appellat, cuius rebellionem aduersus Græcos, & progressus eius postea, cum auxiliares copias Northmannorum adsciuit, idem narrat, asseritq. ea occasione eosdem Northmannos sibi Apuliam vendicasse, atque diu tenuisse, tyranniceq. dominatos, vt quæ dicturi sumus in Leone Nono, declarabunt. reliquas autē res gestas Græcorum Imperatorum aduersus Bulgaros, & alios barbaros, per annos singulos, quod institutum nostrum non attingant, describere prætermittimus: consulat eumdem Curopalatam, vel Cedrenum, qui ex eo descripsit, qui hæc cupit. B

TERRAEMOTVS CONSTANTINOP. QVID PORTENDERIT.

a Leo Ost. lib. 2. c. 38. 40. 42.

IESV CHRISTI ANNVS 1012. BENEDICTI VIII. PAP. ANNVS 1. VACAT. IMP. OCCID. 11. BASIL. ET CONST. IMPP. 37. C

ANNO Christi millesimo duodecimo, Indictione decima, die decimatertia mensis Maij moritur Sergius Papa, cum sedisset annos duos, menses octo, & dies tredecim, vt apparet ex eius sepulchri inscriptione, quæ habetur in Lateranensi basilica, istis versibus.

OBITVS SERGII IV. PAP.

QVISQVIS AD HAEC TENDIS SVBLIMIA LIMINA LECTOR,
ET CAPERIS TANTAE NOBILITATE DOMVS.
INTENTIS OCVLIS AVLAE PERCVRRERE RARAS
DESINE MATERIAS, ARTE IVVANTE MANVS.
D LVMINA CVM GRESSV PRVDENTE SECVTA COERCENS
RESPICE SOLLICITVS QVID VELIT HIC TITVLVS.
HIC TVMVLATA IACENT PASTORIS MEMBRA SERENI,
QVEM DECVS ECCLESIAE CONTVLIT OMNIPOTENS.
PAVPERIBVS PANIS, NVDORVM VESTIS OPIMA,
DOCTOR ET EGREGIVS QVI FVIT IN POPVLO.
IVRA SACERDOTI LAETAS DVM VIDIT ARISTAS
COETIBVS AEQVAVIT NAVIGER ANGELICIS.
ALBANVM REGIMEN LVSTRO VENERABILIS VNO
REXIT, POST SVMMVM DVCITVR AD SOLIVM.
E IN QVO MVTATO PERMANSIT NOMINE PRAESVL,
SERGIVS EX PETRO. SIC VOCITATVS ERAT.
DVCTVS MENTE PIA IESV, DIC, PARCE REDEMPTOR,
VTQ. VICEM CAPIAS, DIC, DEVS HVNC HABEAS.

SERGII PAP. IV. EPITAPHIVM.

QVI SEDIT ANNOS II. ET MENSES VIII. ET DIES XIII. IND. X. ANNO DOMINICAE INCARNATIONIS MILLESIMO DECIMO III.] sic incipiens annos ab Incarnatione Dominica, hoc anno, xxv. Martij. Hoc etiam anno Marianus Scotus, Hermannus, & Sigebertus ponunt Benedicti Episcopi Portuensis ingressum, sicut & nos posuimus. Ceterum inspectis diplomatibus Sergij, & ipsius successoris Benedicti, alia die & mense, & sequenti potius anno, qui & notatus habetur in fine epitaphij, Sergium Papam oportuit mortuum esse. extat enim eiusdem Sergij diploma de pallio concesso Michaeli Archiepiscopo Salernitano, datum hac Indictione, decimasexta mensis Iunij. nam in fine diplomatis ista leguntur.

BENEDICTVS VIII. PAP. SERGIO IV. SVCCEDIT.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Scriptum per manus Ioannis Scriniarij sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Iunio, A
Indictione decima] & paulo post ita : Datum decimoquinto Kalendas Iulij per manum Gregorij Episcopi & Bibliothecarij sanctæ Sedis Apostolicæ, anno, Domino propitio, Pontificatus domini Sergij Quarti Papæ in sacratissima Sede beati Petri Apostoli, tertio, Indictione decima] ita ibi diploma inter vetera monimenta Vaticanæ bibliothecæ extat. in quibus & duo alia item reperiuntur diplomata eius successoris Benedicti Octaui Papæ, data ad Michaelis successorem Benedictum Archiepiscopum Salernitanum, cum eidem pallium tribuit : quorum primum cum datum habeatur anno quarto eiusdem Papæ Benedicti, Indictione decimaquarta, die septima

DE TEMPORE SEDIS BENEDICTI PAPAE VIII.

mensis Aprilis ; sequens vero datum ad Amatum Iuniorem eiusdem ecclesiæ Archiepiscopum anno octauo eiusdem Benedicti, Indictione tertia, die xxvj. mensis Decembris : necessario infertur non hoc anno, sed sequenti eumdem Benedictum sedere cœpisse. At non pigeat hic describere eorumdem diplomatum tempus, quo data reperiuntur. illud ad Benedictum in fine sic habet : B

Scriptum per manum Benedicti Notarij Regionarij & Scriniarij S. Romanæ Ecclesiæ mense April. Indict. decimaquarta] & paulo post sic, vt sequitur :

Datum vij. Kalendas Maij per manus Petri Episcopi ecclesiæ Prænestinæ & Bibliothecarij sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Indictione decimaquarta, anno, Deo propitio, Pontificatus domini nostri Benedicti summi Pontificis & vniuersalis Octaui Papæ in sacratissima Sede beati Petri Apostoli quarto, Imperij domini Henrici Imperatoris Augusti anno tertio, Indictione decimaquarta, mense iam dicto Aprilis, die septima] qua ratione (vt dictum est) non nisi anno sequenti oportuit Benedictum creatum esse Pontificem. concordat pariter aliud eiusdem Pontificis diploma ad Amatum Archiepiscopum datum, in cuius fine leguntur ista : C

Scriptum per manus Stephani Notarij Regionarij & Scriniarij sanctæ Romanæ Ecclesiæ mense Decembri, Indictione tertia] & infra :

Datum sexto Kalendas Ianuarij per manus Benedicti Episcopi Portuensis & Bibliothecarij sanctæ Apostolicæ Sedis, anno, Deo propitio, Pontificatus domini Benedicti sanctissimi Octaui Papæ, anno octauo, Imperante domino pijssimo Imperatore Augusto Henrico anno sexto, Indictione tertia, mense Decembris, die xxvj.] ex quibus pariter intelligis, anno sequente potius Benedicti Papæ Octaui Sedis initium collocandum fore, quo numerari cœptos esse annos Pontificatus ipsius apparet, quibus pacifice sedere cœpit. Attamen quod in recitato epitaphio sedisse tantum ponitur annos duos & menses octo, hic cum ceteris ponimus eius obitum & Benedicti successoris ingressum, absque aliquo tamen præiudicio veritatis, cuius in primis & in omnibus habendam esse rationem, dixerimus semper. D

SCHISMA INTER BENEDICTVM ET GREGORIVM.

Fuit autem schisma in Ecclesia Romana in Benedicti huius creatione, cum aduersus eum contra sacros canones crearetur Gregorius, qui pollens potẽtia Romanorum, expulit ab Vrbe Benedictum; qui ad Henricum Regem se contulit, cum tunc esset Palthi, seu Palithi, vbi Natalem diem Redemptoris ipsum Regem celebrasse, auctor est [a] Ditmarus. locus hic erat in Saxonia, haud longe a Merseburg, vt ex eodem auctore percipitur. de his enim hæc idem Ditmarus his præsens habet : [b] Ab omnibus sacerdotibus summis aduentus Regis, *in Vrbem scilicet*, admodum desideratur, sed diuersorum reluctatione hostium diu tardatur. Benedictus sit in cunctis operibus suis omnipotens Dominus, qui Romam a multis temporibus depressam, tali pastore consolari & pacificare dignatus est. Namque Papa Benedictus Gregorio cuidam in electione præualuit : ob hoc iste ad Natiuitatem Dominicam ad Regem in Palithi venit, cum omni paratu Apostolico, expulsionem suam omnibus lamentando innotescens. Huius crucem Rex in suam susceptit custodiam, & a ceteris abstinere præcepit, promittens sibi, cum ipse illuc veniret, hæc secúndum morem Romanum diligenter finire] hæc de schismate, & aduentu Benedicti ad Henricum Germaniæ Regem Ditmarus, qui præsens cuncta intuebatur. Quomodo autem ad restituendum ipsum Papam Benedictum in Sedem suam idem Rex Romam se contulerit, dicemus anno sequenti. E

[a] *Ditm. lib. 6. p. 80.*

[b] *Id. lib. 6. in fine.*

BENEDICTVS PAPA PVLSVS SE CONFERT AD HENRICVM REGEM.

Hoc anno, qui & decimus numeratur regni Henrici, cõtigit Ecclesiam Saxoniæ fluctibus agitari, & cœpisse Slauorũ gentem a Christiana Fide deficere. quomodo id accidit,

A derit, ex Helmoldo huius temporis scriptore rerum Slauorum sic accipe : [a]

Anno regni eius decimo mortuus est Dux Saxoniæ Benno, vir omni probitate conspicuus, & strenuus ecclesiarum defensator : cuius principatus heres factus est Bernardus filius eius, licet a paterna felicitate diuertit. Ex illo enim tempore, quo Dux constitutus est in hac regione, numquam cessauit discordia & perturbatio ; quoniam Dux Henrico Imperatori rebellare ausus, totam secum ad rebellandum Cæsari mouit Saxoniam. Deinde insurgens in Christum, omnes ecclesias Saxoniæ terruit atque turbauit, illas præcipue, quæ in memorata rebellione ipsius malitiæ noluerunt applicari.

[a] *Helm. Chron. Slau. lib. 1. c. 16.*

ECCLESIA SAXONIAE PERTVRBATA.

Accessit his malis, quod idem Dux tam paternæ quam auitæ deuotionis, quam erga Slauos habebant, penitus immemor, gentem Vuinulorum per auaritiam crudeliter opprimens, ad necessitatem Paganismi coegit. Sane eo tempore Slauorum dominio potiti sunt Theodoricus Marchio, & Dux Bernardus, illo quidem Orientalem, B
isto Occidentalem possidente prouinciam, quorum ignauia Slauos coegit fieri desertores. Rudes enim adhuc in Fide Gentilium populos, quos optimi quondam Principes cum magna lenitate fouerant, temperantes rigorem his, quorum propensius insistebant saluti, isti tanta crudelitate infectati sunt, vt excusso tandem seruitutis iugo, libertatem suam armis defendere cogerentur] Porro de his agens Adam eius temporis scriptor, Bennonis Ducis Saxoniæ obitum contigisse cum [b] dicat anno vigesimosecundo Libentij Archiepiscopi Hamburgensis : vtique anno decimo post millesimum Redemptoris oportuit contigisse. At quod magis dolendum, non solum a Fide defecerunt tunc Slaui, sed redditi sunt more apostatarum aduersus Fideles sæuissimi. nam quam ingentem ac plane acerbissimam de Christianis exercuerint carnificinam, sic accipe ab Adamo ipso, qui iam ab obitu Tertij Ottonis cœptam eorum defectionem ita describit : C

ECCLESIAE SLAVORVM DEFECTIO A FIDE CHRISTIANA.

[b] *Adam lib. 2. cap. 32.*

Post mortem eius regnum in contentione remansit. Tunc vero & Slaui a Christianis Iudicibus plus iusto compressi, excusso tandem iugo seruitutis, libertatem suam armis defendere coacti sunt. Principes Vuinulorum erant Mizzidrog, & Mistrouuoi, quorum ductu seditio inflammata est. His ducibus Slaui rebellantes, totam primo Nordalbingiam ferro & igne depopulati sunt : deinde reliquam peragrantes Slauoniam, omnes ecclesias incenderunt, & ad solum vsque diruerunt : sacerdotes autem & reliquos ecclesiarum ministros varijs supplicijs enecantes, nullum Christianitatis vestigium trans Albiam reliquerunt. Apud Hamaburg eo tempore & deinceps multi ex Clero & ciuibus in captiuitatem abducti, plures etiam interfecti propter odium Christianitatis. Narrauit nobis diu memorandus Rex Danorum, vt qui omnes barbarorum gestas res in memoria tenuit, ac si scriptæ essent, Aldinburg ciuitatem populosissimam de Christianis inuentam esse : Sexaginta, inquit, presbyteri, ceteris more pecudum obtruncatis, ibi ad ludibrium seruati sunt, quorum maior loci Præpositus Oddor nomen habuit, noster consanguineus. Ille igitur cum ceteris tali martyrio consummatus est, vt cute capitis in modum crucis incisa, ferro cerebrum singulis aperiretur : deinde ligatis post tergum manibus, professores Dei per singulas ciuitates Slauorum tracti sunt, aut verbere, aut alio modo vexati, vsque dum deficerent. Ita illi spectaculum facti & Angelis & hominibus, in stadij medio exhalauerunt victorem spiritum. Multa enim in hunc modum per diuersas Nordalbingorum prouincias tũc facta memorantur, quæ scriptorum penuria habentur pro fabulis. de quibus cum amplius Regem interrogarem : Cessa, inquit, fili, tantos habemus in Dania vel Slauonia Martyres, vt vix possint libro comprehendi. Omnes igitur Slaui, qui inter Albiam & Odoram habitant, per annos septuaginta & amplius Christianitatem coluerunt, omni tempore Ottonum, taliq. modo se abscciderunt a corpore Christi & Ecclesiæ, cui ante coniuncti fuerant. O vere occulta super homines Dei iudicia, [c] qui miseretur cui vult, & quem vult indurat! Cuius omnipotentiam mirãtes, videmus eos ad Paganismum esse relapsos, qui primi crediderunt, illis conuersis ad Christum, qui nouissimi videbantur &c.] hæc facta sunt, addit, vltimo tempore senioris Libentij, sub Duce Bernardo filio * Hermanni, qui populum Slauorum grauiter afflixit] habet eadem [d] Helmoldus in Slauorum Chronico totidem ferme verbis. D E

INGENS CARNIFICINA MARTYRVM PER SLAVOS FACTA.

[c] *Rom. 9.*

* Bennonis, habet Helm.

[d] *Helm. Chron. Slau. lib. 1. c. 26.*

Locupletata est etiam & illustrata hoc anno Anglia sanguine Martyrum, quo sanctus Elphegus Cantuariensis Archiepiscopus plurima passus tandem martyrium con-

S. ELPHEGI MARTYRIVM.

Universidad de Deusto
Biblioteca

summauit: de quo ista Rogerius in priori Annalium parte: Anno millesimo duodecimo perfidus Dux *Danorum* Edricus Streona, & omnes Angliæ primates ante Paschá Lundoniæ congregati sunt, & ibi tamdiu morati sunt, quousque tributum Danis promissum, quod erat quadragintaocto librarum, persolueretur. Interea sacrosancto Dominicæ requiei sabbato Archipræsuli Elphego a Danis proponitur conditio, vt si vita & libertate velit potiri, tria millia librarum persoluat. Illo nolente, necem eius vsque ad aliud sabbatum protelant; quo adueniente, aduersus illum exarserunt ira magna: & quia nimis vino inebriati fuerant, & quia prohibuerat, ne quis pro sua redemptione quidquam daret eis: proinde carcere educitur, & ad eorum concilium protrahitur. Quo viso, mox illi de sedibus prosiliunt, auersis securibus illum deijciunt, lapidibus, ossibus, bouinis capitibus obruunt. Ad vltimum quidam Thrum nomine, quem confirmarat pridie, impia motus pietate, securim capiti illius infixit: qui statim in Domino, decimotertio Kal. Maij obdormiuit, & victorem spiritum cum triumpho martyrij direxit ad cælos. cuius corpus die sequenti Lundoniam defertur, a ciuibus honorifice susciPitur, & ab Episcopis Ednotho Lincolniensi, & Alfhuno Lundoniensi in ecclesia sancti Pauli sepelitur] hucusque Rogerius de S. Elphegi martyrio. Addit his miracula Matthæus Vuestmonasterienſis, ceteris autem locupletius Osbertus in vita ipsius, quos consulant, qui vberiora cupiunt: ista summatim perstricta modo satis ex Rogerio enarrasse. sed iam diram cælitus immissam vindictam in eos, qui in sanctissimum virum peccarunt, ex Osberto reddamus, qui ait:

DIVINA VLTIO ADVERSVS DANOS.

In eius autem mortis auctores in tantum ira Dei desæuijt, vt quidam Dux propria se manu interimeret, alius gutturi suo stylum infigeret, presbyter pertinaciter crucem abscondens Martyris, gladio occideretur, alius eiusdem ordinis sandalia Episcopi temere portans, a dæmone coram omni populo vexaretur. Et factum est, vt tum vehemens cunctos Danos Principes formido inuaserit, vt vix eos terra teneret, sed maritimis se tempestatibus dantes, existimarent in pelago Martyris iram effugere posse, quos ab eius ira tellus tueri non posset. Sed mox vt in altum perducti fuere, centum sexaginta naues aduersis ventorum flatibus actæ, in profundum maris demersæ sunt: porro sexagintaquinque ad ignotas appulsæ regiones, quasi qui insidiarum causa veniſſent, ab incolis miserabiliter interfecti sunt. Remansit autem in Anglia pessimus Turkillus malorum princeps, pauco tempore prædo futurus, sed in æternum damnati spiritus præda mansurus] hæc Osbertus vsque ad Canuti in Angliam aduentum. At quæ insuper hoc anno post necem Martyris perpetratam ait Matthæus Vuestmonasterienſis, de immani vltione quæ consecuta est Danos, sic accipe:

Hoc quoque anno Huna quidam Regis Angliæ Ethelredi militiæ princeps, vir strenuus & bellicosus, qui sub Rege regni negotia disponenda susceperat, videns Danorum insolentiam, qui iam post pacem factam per totam Angliam adeo superbiendo inualuerant, quod vxores virorum nobilium & filias vi opprimere, & vbique ludibrio tradere præsumpserant, accessit perturbatus ad Regem, & querelam super his

DANI VNA DIE CAESI OMNES.

disposuit luctuosam. Tunc Rex non mediocriter commotus, eiusdem Hunæ consilio misit litteras ad omnes regni fines, mandans nationibus singulis & vniuersis, vt sub vna die, in festo scilicet S. Bricij Episcopi omnes Dani per Angliam constituti furtiuo impetu morti traderentur, vt simul & semel de oppressione Danica omne genus liberaretur Anglorum. sicq. Dani, qui firmo fœdere paulo ante vtrimque iurato cum Anglis pacifice habitare debuerant, opprobriose nimis sunt perempti, mulieres cum liberis ad domorum postes allisæ miserabiliter animas effuderunt. Cum igitur huius decreti sententia apud vrbem Lundonienſem absque misericordia exequeretur; fugerunt multi Danorum ad quamdam ecclesiam in ciuitate. vbi omnes sine pietate ipsis astantes altaribus sunt perempti] hæc de internecione Danorum. Subijcit vero de alijs, qui fugientes ad naues, & in Daniam redeuntes prouocarunt alios, qui in Angliam venirent, quod & factum est sub Suano tyranno. Vindicta autem, quæ secuta est Turkillum Ducem interfectorem Elphegi, suo loco dicetur.

LIEVIZONIS ARCHIEPISC. BREM. OBITVS.

Hoc eodem anno pridie Non. Febr. ex hac vita ad Deum migrauit Bremensis Archiepiscopus Lieuizo nomine, vir sanctitate præclarus, multiplici nomine commendatus, sed ex eo potissimum, quod Benedictum Romanum Pontificem sub Ottone Primo Imperatore exulem in Germania conueniens, tantum abfuit vt erubuerit catenam

tenam eius, quod etiam ipsi vsque ad obitum fidelissime tamquam Christi Vicario, summa fide ac diligentia famulatus sit, vt ex verbis ipsius testatus est Ditmarus, [a] de quo post multa: Fuerat enim vnus ex numero eorum, quos vt nubes & quasi columbas Propheta miratur suas volare ad fenestras. Ille enim ob vigiliarum & ieiunij assiduitatem dum adhuc valeret, quasi mortuus ignotis videbatur. Ad altare Dominicum numquam sine oblationibus accessit, assiduus populi monitor, & hilaris omnibus arrisit dator. Is ergo Dominum promeruit, quod inter continuas piratæ furentis incursiones sedes sua hactenus permansit intacta] hæc Ditmarus.

[a] *Ditm. lib. 6. pag. 81.*

Hoc anno quarto Idus Aprilis moritur S. Macarius Patriarcha Antiochenus, cuius res gestas eiusdem sæculi [b] auctor conscripsit post annos ab eius obitu quinquaginta-quinque. Fuit hic genere Armenus, educatus a seniori Macario eiusdem sedis antistite, cui electione totius Cleri & populi in sede successit: qui post multa in cura pastorali egregie præstita, atque miracula edita, peregrinaturus Hierosolymam, abdicans se, Eleutherio viro probitate insigni reliquit ecclesiam. Venit Hierosolymam, cum eius ecclesiæ Ioannes Patriarcha esset, vbi multa passus legitur ab Infidelibus, a quibus detrusus in carcerem, diuinitus liberatus, ex ijs nonnullos ad Fidem conuertit. Inde vero fama celebris, ignotus latere cupiens, migrans in Occidentem, borealeſ lustrans ecclesias, redditus iam virtute miraculorum vbique conspicuus, substitit in monasterio S. Bauonis in Flandria, quam Comes Balduinus administrabat, ibiq. in hunc vsque annum perseuerans, in editione signorum, & operatione virtutum sancto fine dicta die in pace quieuit.

DE OBITV S. MACARII PATRIARCHAE ANTIOCHENI.

[b] *apud Sur. die 10. April. to. 2.*

Eodem anno Legione in Hispania celebratum est Concilium, de quo ista inuenimus in scripto codice Antonij Augustini:

Concilium Legionense Era millesima quinquagesima, id est anno Christi millesimo duodecimo sub Adelfonso Quinto Rege Legionensi ex codice vetusto ecclesiæ Cordubensis, vbi est ad finem libri, qui inscribitur Forum iudicum.

CONCILIVM LEGIONENSE.

Decreta Adelfonsi Regis & Geloiræ Reginæ.

Sub Era millesima quinquagesima, viij. Kal. Augusti in præsentia Regis domini Adelfonsi & vxoris eius Geloiræ Reginæ conuenimus apud Legionem in ipsa sede beatæ Mariæ omnes pontifices & Abbates, & Optimates regni Hispaniæ, & iussu ipsius Regis talia decreta decreuimus, quæ firmiter teneantur futuris temporibus.

In primis censuimus, vt in omnibus Concilijs, quæ deinceps celebrabuntur, causæ Ecclesiæ prius iudicentur, iudiciumq. rectum absque falsitate consequantur.

Præcipimus etiam, vt quidquid testamentis concessum, & roboratum aliquo tempore ecclesia tenuerit, firmiter possideat: si vero aliquis inquietare voluerit illud quod concessum est testamentis (quidquid fuerit) testamentum in Concilio adducatur, & a veridicis hominibus, vtrum verum sit, exquiratur: & si verum inuentum fuerit testamentum, nullum super * eum agatur iudicium, sed quod in eo continetur scriptum, quiete possideat ecclesia in perpetuum. Si vero ecclesia aliquid iure tenuerit, & inde testamentum non habuerit, firment ipsum ius cultores ecclesiæ iuramento, ac deinde possideat perenni æuo: nec * pareat triennium iuri habito, seu testamento. Deo etenim fraudem facit, qui * per triennium rem ecclesiæ rescindit.

* illud
* præiudicet
* post

Decreuimus etiam, vt nullus contineat seu contendat Episcopus Abbates suarum diœceseon, siue monachos, Abbatissas, sanctimoniales, refuganos, sed omnes permaneant sub ditione sui Episcopi.

Mandauimus adhuc, vt nullus audeat rapere ab ecclesia. Verum si aliquid * infra cœmeterium per rapinam sumpserit, sacrilegium soluat; & si quid inde abstulerit, vt rapinam reddat. Si autem extra cœmeterium abstulerit rem ecclesiæ, reddat eam, & calumniam ipsius ecclesiæ, more terræ.

* intra

Item decreuimus, vt si forte aliquis hominem ecclesiæ occiderit, & per seipsam ecclesia iustitiam adipisci non potuerit, concedat . . . . . vocem iudicij, diuidant per medium calumniam homicidij.

Iudicato ergo ecclesiæ iudicio, adeptaq. iustitia agatur causa Regis, deinde populorum.

Hic multa decreta sequebantur in codice ad ciuilem potius, quam ecclesiasticā regni gubernationē pertinentia, quæ ideo omisimus] hucusque descripta inuenimus ibi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

[a] Roder. lib. 5. c. 19.

Meminit huius Concilij Rodericus Toletanus his verbis: Rex autem Adelfonſus Concilium celebrauit, & reædificauit Legionem, quam Almanzor & Habdelmalich filius eius deſtruxerant, & leges Gothicas reparauit, & alias addidit, quæ in regno Legionis etiam hodie obſeruantur. A

Hoc eodem anno data Formata iuxta antiquum vſum Eccleſiæ a Nicæno Concilio ſtatuta reperitur a Burchardo Vuormatienſi Epiſcopo ad Vualterium Spirenſem Epiſcopum, pro commendatione Hermanni, eiuſdem Vuormatienſis eccleſiæ clerici. recitat eamdem Gratianus, in cuius fine hæc de tempore: Data Vuormatiæ Idibus Martij anno Dominicæ Incarnationis milleſimo duodecimo, Indictione decima. quibus intelligas, noſtram chronologiam in omnibus ac ſemper publicis reſpondere monimentis.

Hoc eodē anno S. Colomānus natione Scotus ex progenie Regū Scotiæ ortus, poſtquam iterū atque iterum peregrinatus eſſet Hieroſolymā pietatis ergo, vbi in Auſtriā B

[b] Cuſp. in Auſt. & Ditm. lib. 7. in fin.

[b] peruenīſſet: ab impijs in arbore ſupēſus occiditur, cultus vt martyr, quamplurimis miraculis illuſtratus. Sed de eo Ditmarus in fine anni poſt milleſimū xvij. vbi iſta: Ipſa arbor diu arida, in qua ſuſpenſus fuerat, floruit, & hūc Chriſti martyrē eſſe monſtrauit.]

IESV CHRISTI ANNVS 1013. BENEDICTI VIII. PAP. ANNVS 2. VACAT. IMP. OCCID. 12. BASIL. ET CONST. IMPP. 38.

ANNVS ſequitur Redemptoris decimustertius ſupra milleſimum, Indictione vndecima, quo Henricus in Italiam deſcendens, Romam cum exercitu venit circa anni huius finem: nam ad vndecimum Kal. Octob. ex Germania ſuperiori receſſiſſe Romam venturus, teſtatur qui tunc aderat Ditmarus, quem in primis præſtat audire, ait enim: C

[d] Id. lib. 6. * Longobardiam

Rex autem ad Occidentales porgens regiones, iter ſuum ad * Longobardum diſpoſuit, & iterum ad nos, *nempe in Saxoniam*, repedauit: & inde xj. Kal. Octobr. diſcedens, per Bauariorum fines, atque Sueuorum, vſque ad locum qui dicitur . . . . . properauit, & inde vſque ad Romam Rex ſine omni ſcrupulo, Regina comitāte, venit.

HENRICVS REX GERM. ROMAM VENIT.

Ad ſupplementum huius itineris Bolizlauus antea inuitatus nil aſpirauit, & in bene promiſſis more ſolito mendax apparuit. Inſuper antea domino Papæ queſtus eſt per epiſtolæ portitorem, quod non liceret ſibi propter latentes Regis inſidias promiſſum principi Apoſtolorum Petro perſoluere cenſum. tunc vero miſſis illo nuntijs, tacitus rimatur, qualiter Rex in his partibus haberetur, quoſcumque potuit, ab eius gratia per hos amouere conatus.] Hæc vt intelligantur, monendus Lector, quod præter alios Henricus Rex infeſtiores hos paſſus eſt Principes, Ducem Poloniæ Boleſlaū, & Harduigum in Italia Regem Longobardorum: adeo vt cum ſæpius idem Henricus cogitauerit Romam, & ſe ad iter accinxerit, per eumdem Boleſlaum, infeſtantem regiones finitimas Regi ſubiectas, cogeretur a cœpto deſiſtere, atque redire in Germaniam. Erant igitur fœdere ſimul iuncti hi, quos diximus, Dux Poloniæ, Rexq. Longobardorum aduerſus eumdem Regem maxime pium. Porro Rex Longobardorum alias expertus Henrici vires (quod ſuperius ſuo loco eſt demonſtratum) non auſus eſt modo eidem Regi Romam venienti obſiſtere, ſed magis eum ſtuduit obſequijs demereri. de quo Ditmarus ſubijcit iſta: Huius, *nempe Boleslai*, compar atque collega Harduigus a Longobardis falſo Rex appellatus, aduentum magni Regis, & potentiam exercitus doluit: & quia ſuis viribus huic ad nocendum diffidit, in caſtelli munitionem ſe E protinus recepit, hoc ſolum ingemiſcens, quod Rex ad maiorem tunc vocatus acceſſit honorem] nempe ad capeſſendum Imperium vocatus a Benedicto Pontifice. pergit: Poſt longam animi exæſtuantis deliberationem Legatos ad Regem miſit, qui Comitatum quemdam ſibi dari peterent, & coronam ſuimet cum filijs ei redditurum veraciter promitterent. Hoc cum conſilio quorumdam acquieſcens facere Rex noluiſſet, vt in ſequentibus enucleabo, ad magnum ſuis familiaribus prouenire damnum id poſtea perſenſit] hæc Ditmarus.

DVX POLONIAE CONSVETVS SOLVERE CENSVM ROM. ECCLESIAE.

Quod autem audiſti a Ditmaro, excuſaſſe Boleſlaum Ducem Poloniæ ſe, quod non miſerit cenſum promiſſum Apoſtolicæ Sedi propter Henrici Regis inſidias: erat cenſus iſte ab exordio (vt apparet) conuerſionis Polonorum gentis pietatis ergo promiſſus annis ſingulis Principi Apoſtolorum, & eius loco perſolui ipſius ſucceſſori Romano

A Romano Pontifici: qui etiam hoc ipſo ſæculo reperitur exactus a Gregorio Papa Septimo, anno ſalutis milleſimo ſeptuageſimoquinto, prout habetur in epiſtola eiuſdem Gregorij ſcripta ad Vratiſlaum Poloniæ Ducem, in qua iſta eius exordio leguntur: [a] Peruenit ad nos nuntius veſter, qui magnæ deuotionis & fidelitatis veſtræ exhibitionem nobis retulit, & quæ beato Petro ſub nomine cenſus miſiſtis, videlicet centum marchas argenti ad menſuram veſtri ponderis, fideliter præſentauit. Quod quidem gratanter accepimus; ſed charitatem veſtram multo ardentius, ampliuſq. quaſi quibuſdam animi brachijs ad vos vſque porrectis, amplectimur, qui mentem veſtram, & deſiderium magis ac magis erga reuerentiam Apoſtolicæ Sedis accendi perpendimus. Beatus autem Petrus, quem vos diligitis, & cui celſitudinem potentiæ veſtræ humiliatis, copioſa vobis procul dubio retributionis munera præparabit, & ſuo vos

[a] Greg. lib. 2. ep. 7.

B munimine tam in præſenti, quam futuro ſæculo, lætificabit] hæc de perſoluto cenſu.

RESTITVITVR BENED. PAPA.

Sed redeamus ad Regem, quem Romam venientem primum omnium exulem Benedictum Pontificem in ſuam reſtituiſſe Sedem, a quo eſſet ad Imperiū promouendus, certum eſt. Tanto Regi, cui omnes iam ceſſiſſent Principes, quonam pacto inuaſor Gregorius reſtitiſſet? Compoſitis igitur rebus Vrbanis, peracta ſunt quæ ſpectant ad coronationem ipſius: quæ cum certum ſit tum Ditmari, tum aliorum antiquorum teſtificatione, contigiſſe anno ſequenti menſe Februario, agemus de ijs ſuo loco.

Ceterum ex his quæ Glaber & ipſe huius temporis ſcriptor narrat, non ſecum duxiſſe, ſed præmiſiſſe Henricum Regem Papam Benedictum in Vrbem, poſſumus intelligere, cum ait, [b] venienti Henrico in Vrbem ipſum Benedictū ei obuiam proceſſiſſe; im-

[b] Glab. lib. 1. in fine.

C mo & huiuſmodi tradit præceſſiſſe decretū his verbis: Illud nihilominus nimium condecens ac perhoneſtum videtur, atque ad pacis tutelam optimum decretum, ſcilicet:

DECRETVM DE IMPERATORIS ELECTIONE.

Vt ne quiſquam audacter Imperij Romani ſceptrum præproperus geſtare Princeps appetat, ſeu Imperator dici, aut eſſe valeat, niſi quem Papa Sedis Romanæ morum probitate delegerit aptum Reipublicæ, eiq. commiſerit inſigne Imperiale] hæc ſanctio. pergit autem Glaber, huius decreti afferens rationem, dicens: Cum videlicet olim vbique terrarum quilibet tyranni ſeſe procaciter impellentes, ſæpiſſime ſint Imperatores creati, atque eo minus apti Reipublicæ, quo conſtat eos tyrannidepotius, quam pietatis auctoritate proceſſiſſe. Anno igitur Dominicæ Incarnationis milleſimo decimotertio (*ita enim neceſſario reſtituendum eſſe ex eo, quod in deprauato codice legitur, anno ſeptingenteſimo decimo, tempus Henrici, & eius aduentus in Vrbem, itemq. tempus Sedis Benedicti Papæ, & tempus Cluniacenſium monachorum, quorum omnium inferius me-*

D *minit, non ſolum ſuadent, ſed cogunt*) milleſimo inquam, decimotertio, licet inſigne illud Imperiale diuerſis ſpeciebus prius figuratum fuiſſet; venerabili tamen Papæ Benedicto Sedis Apoſtolicæ * iuſſum eſt admodum intellectuali ſpecie. Qui idem inſigne præcepit fabricari quaſi aureum pomum, atque circumdari per quadrum pretioſiſſimis quibuſque gemmis, ac deſuper auream crucem inſeri. Erat autem inſtar ſpeciei huius mundanæ molis, quæ videlicet in quadam rotunditate circumſiſtere perhibetur. Vt dum, ſiquidem illud reſpiceret Princeps terreni Imperij, foret ei documentum, non aliter debere imperare, vel militare in mundo, quam vt dignus haberetur viuificæ Crucis tueri vexillo. In ipſo etiam diuerſarum gemmarum decoramine videlicet Imperij culmen plurimarum virtutum ſpeciebus exornari oportere.

* viſum

GLOBVS AVREVS CVM CRVCE.

IMPERII STEMMA DONATVM A PAPA IMPERATORI.

Cumq. poſtmodum prædictus Papa Imperatori, videlicet Henrico, huius rei gratia, *nempe vt crearetur Imperator*, Romam venienti obuiam cum maxima virorum & ſacrorum ordinum multitudine proceſſiſſet ex more, eiq. huiuſmodi inſigne, ſcilicet Imperij, in conſpectu totius Romanæ plebis tradidiſſet; ſuſcipiens illud hilariter, circumſpectoq. eo (vt erat vir ſagaciſſimus) dixit: Optime pater (inquiens ad Papam) iſtud facere decreuiſti noſtræ portendendo * iuuenis monarchiæ, qualiter ſeſe moderari debuerat, cautius perdocuiſti. Deinde manu gerens illud auri pomum ſubiunxit: Nullis, inquit, melius hoc præſens donum poſſidere, ac cernere cōgruit, quam illis, qui pompis mundi calcatis, Crucem expeditius ſequuntur Saluatoris. Qui protinus miſit illud ad Cluniacenſe monaſterium Galliarum, quod etiam tunc temporis habebatur religioſiſſimum ceterorum: cui & alia dona plurima contulerat ornamentorum] hucuſque Glaber de occurſu Benedicti Pontificis Imperatori: reliqua in annum ſequentem, quo eum contigit coronari.

* regimen

Eodem

Universidad de Deusto
Biblioteca

BENEDICTVS PAPA PALLIVM DAT VNVANO HAMBVRGENSI ARCHIEP.

[a] Adam lib. 2. cap. 32. Id. lib. 3. c. 17.

[b] Id. lib. 2. cap. 33. 34. 35.

Eodem anno [a] Benedictus Papa pallium dedit Vnuano Archiepiscopo Hamburgensi, quæ metropolis erat Danorum, Sueonum, Slauorum, & aliorum circumstantium populorum. Hoc namque anno Domini millesimo decimotertio, Indictione vndecima defunctum, tradit Adam [b] mense Ianuarij prædecessorem eius Libentium laudatissimum Episcopum, vtpote qui amplissimam ecclesiam illam inter immensos tribulationum fluctus sanctissime gubernauit; demum vero visitata dioecesi, & ordinatis Episcopis vacantibus ecclesijs, rebus bene compositis migrauit ad Dominum, pridie Non. Ianuarij. hæc ipse pluribus, deq. eius agens successore, sic ait: Vnuanus Archiepiscopus sedit annos sexdecim, ferulam susceptit ab Henrico, pallium a Papa maiore Benedicto] sic dictus respectu iunioris Benedicti, de quo suo loco dicendum. de huius autem rebus præclare gestis hæc inferius: Vnuanus primus omnium congregationes ad canonicam regulam traxit, quæ ante quidem mixta ex monachis & canonicis conuersatione degebant. Omnes ritus paganicos, quorum superstitio viguit in hac regione, præcepit funditus amoueri, ita vt ex lucis, quos nostri Paludicolæ stulta frequentabant reuerentia, faceret ecclesias duodecim renouari; ex quibus etiam basilicam S. Viti extra oppidum constrtui, & capellam S. Vuillehadi combustam iussit renouari] his subijciens, quæ mala per Bernardum Ducem Saxoniæ, rebellantem Henrico Regi, inferri contigerit ecclesijs illis, quæ nos superius suo loco narrauimus: quomodo tantummodo per hunc vnum Antistitem potuit eius superbia frangi, idem Adam ita paulo inferius docet: Eius impetum viri dicitur noster Archiepiscopus Vnuanus sua magnitudine taliter fregisse, vt præ pondere sapientiæ, ac libertatis Episcopi cogeretur ipse Dux ecclesiæ, cui antea aduersatus est, deinceps hilaris & benignus esse in omnibus. Igitur habito nostri pontificis consilio, rebellis Princeps eodem flexus, apud Scalchisburg Cæsari Henrico supplex dedit manus: moxq. fauente Vnuano, Slauos tributo subijciens, pacem reddidit Nordalbingis, & matri Hamaburg.

LABORES VNVANI ARCHIEP. IN RESTITVENDA SLAVORVM ECCLESIA.

Ad cuius instaurationem venerabilis Metropolitanus asseritur post Slauonicã cladem, ciuitatem, & ecclesiam fecisse nouam, simul ex singulis congregationibus suis, quæ virorum essent, tres eligens Fratres, ita vt duodecim fierent, qui in Hamaburg canonica degerent conuersatione, vel qui populum conuerterent ab errore idololatriæ. Ordinauit in Slauoniam, mortuo Rengibero, Bennonem, virum prudentem, qui de Fratribus Hamaburgensis ecclesiæ electus, in populo Slauorũ multum in prædicando fructum attulit &c.] ipse igitur tamquam pastor in medio ouium suarum dissipatarum collegit & congregauit, quas Slauonica persecutio (vt audisti superius) ingenti crudelitate disperserat. vnde apud Deum & homines magnam peperit sibi laudem. Quod vero non solum erga pauperes, verum etiam in Principes erogarit thesaurum ecclesiæ, accipe ab eodem excusationem, dum ait: Vnuanus igitur cum esset vir nobilissimus, æque nobilem ac sufficientem * libertati suæ sortitus est Episcopatum, in quo & magnitudinem suam posset ostendere, & necessitati simul ecclesiæ prodesse. Quare thesaurum ecclesiæ diu sollicite collectum, & quasi minus necessarium, si intra parietes clauderetur: ipse ad commodum suæ legationis curauit ita expendi, vt ferocissimos Reges Aquilonis hilaritate suorum munerum ad omnia quæ voluit, benignos, obedientesq. haberet. In qua re non multum peccauit, vt arbitror, seminans carnalia, vt meteret spiritualia. Quinimmo largitio eius in nouella Gentium conuersione vtilissima videbatur, neque adeo nocuit ecclesiæ, quæ præcedentium Patrum diligentia erat opulentissima. Credo etiam secutus est exemplum sancti Ansgarij, & cuiusdam in ecclesiastica historia Theotimi Scytharum Episcopi, quorum alter legitur incredulos Reges donis placasse; alter vero barbaros natura feroces epistolis, muneribusq. mansuefeciisse laudatur] hæc Adam.

* liberalitati

HENRICVS A BENEDICTO PP. CORONATVR IMP.

Anno Redemptoris decimoquarto post millesimum, Indictione duodecima, sexto Kal. Mart. Henricus Germaniæ Rex Romæ coronatur Imperator a Benedicto

dicto summo Pontifice, simulq. eius coniux, mulier sanctissima, Chunegundis ab eodem corona insignita Augustæ nomine decoratur. hæc omnia absque controuersia Scriptores omnes eius temporis. Rem gestam Ditmarus, qui ab ijs, qui interfuissent, accepit, sic narrat: [a] Decursis a Dominica Incarnatione post millenarij plenitudinem numeri annis tredecim, & in subsequentis anni secundo mense, ac hebdomada tertia, anno autem regni eius tertiodecimo, & die Dominica, ac sexto Kal. Martij, Henricus Dei gratia Rex inclytus a Senatoribus duodecim vallatus, quorum sex rasi barba, alij prolixa mystice incedebant cum baculis, cum dilecta suimet coniuge Chunegunde ad ecclesiam sancti Petri, Papa expectante, venit. Et antequam introduceretur, ab eodem interrogatus, si fidelis vellet Romanæ patronus esse & defensor Ecclesiæ; sibi autem suisq. successoribus per omnia fidelis: deuota professione respondit.

[a] Ditm. lib. 7. in princ.

Et tunc ab eodem inunctionem & coronam cum contectali sua suscepit. Priorem autem coronam super altare Principis Apostolorum suspendi præcepit] hæc de coronatione. pergit autem: Eodem die Papa eis cœnam ad Lateranum fecit copiosam.

In octauo vero die inter Romanos & nostrates magna oritur commotio in ponte Tiberino, & vtrimque multi corruerunt, nocte eos ad vltimum dirimente. Huius rei auctores Germani tres extitere, Hug, Hecil, Ecilin, qui postea capti sunt, & in custodia detenti. ex quibus vnus in his partibus euasit, secundus autem ad Fuldam deductus est; in Vitkansteine autem castello tertius diu seruatur. Arnulphum fratrem suum, quem Rauennati antea præfecit ecclesiæ Cæsar, denuo inthronizatum ab Apostolico ibidem consecrari præcepit. Supplantatorem autem eius Ethebertum iniuste ibi diu sedentem primo voluit degradari, sed assidua piorum deuictus intercessione, alteri præficitur ecclesiæ, nomine Aritiæ. In Rauenna duos, & Romæ totidem synodali iudicio Papa deposuit, ab Archiepiscopo Leone iam * muto consecratos.

TVMVLTVS EXORTI INTER GERMANOS ET ROMANOS.

* f. mortuo

Dominicam Resurrectionem Imperator in Papia ciuitate celebrans, instabilem Longobardorum mentem charitate cunctis exhibita firmauit. dehinc sedatis tumultibus vniuersis, reuersus est ab Italia. Et Harduicus ob hoc admodum gauisus, Vercellensem inuasit ciuitatem, Leone eiusdem Episcopo vix effugiente. Omnem quoque hanc ciuitatem comprehendens, iterum superbire cœpit: quem (vt in sequentibus expono) diuina Maiestas nimis humiliatum, se culpabilem cognoscere coegit.

HARDVICVS REX LONGOBARD. RECEDENTE IMP. ARMA MOVET.

In his partibus Cæsar Episcopatum (quod erat tertium deuoti operis sui ornamentum) in Bobia ciuitate, vbi Christicolæ sancti & Confessores inclyti Columbanus & Attala corporaliter requiescunt, communi consilio & licentia comprouincialium Episcoporum construxit, quia summa necessitas, & quæ eum percellit, Christi charitas ad hoc instigauit] his rebus gestis, Henricum Imp. reuersum in Germaniam idem Ditmarus tradit, qui in exprobrationem eorum, qui his contraria fuerant de eodem Henrico vaticinati, hos addidit versus, quorum exordium.

BOBIENSIS EPISCOPATVS ERIGITVR.

IN FALSAS DE HENRICO PRAEDICTIONES.

Quem laudant superi] & inferius.
Verus mendaces confuderat hic modo testes,
Henricum Regem dicentes Imperialem
Curam non susceptvrum, nec denique longo
Tempore regnandum, sed saeua morte premendum.
Nunc sunt bisseni, quod regno praefuit, anni,
Scandens Caesaream post rector clarus in aulam,
Illo mense meam quo soluerat iste cathedram,
Ista dies pulchro signatur clara lapillo,
Qua Regi nostro se subdit Roma benigno,
Atque liquore sacro perfusus gaudet, & almo
Fert grates Domino, qui se visitauit ab alto,
Et Chunigundam contectalem sibi claram.
Summus pastor ouat, chorus atque suus quoque cantat
Quod sunt securi tanto rectore potiti] &c.

Quod ad reliquas res Henrici Imp. dum Romæ stetit, pertinet; Berno Augiensis libro de rebus ad Missam spectantibus hæc habet: Cum Romanorũ presbyteri ab Henrico Imperatore interrogarentur, cur post Euangelium (vt in alijs ecclesijs fiebat) Symbolum non canerent, me (inquit Berno) assistente audiui eos eiusmodi responsum

DE SYMBOLO CANTARI TVNC ROMAE COEPTO.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sum reddere, videlicet, Quod Romana Ecclesia non fuisset aliquando vlla hæreseos A
fæce infecta, sed secundum sancti Petri doctrinam in soliditate Catholicæ Fidei permaneret inconcussa: & ideo magis ijs necessarium esse illud Symbolum sæpius cantando frequentare, qui aliquando vlla hæresi potuerunt maculari] At Imperator domino Benedicto persuasit, vt ad publicam Missam illud decantarent. Placent ista, sed nobis gratius, si venerandæ antiquitati annorum mille magis delatum fuisset quam nouitati.

Ad principium etiam Henrici Imperij referendum arbitramur priuilegium, quo patrimonia Romanæ Ecclesiæ ab antecessoribus pijs Imperatoribus quondam collata, Benedicto Pontifici gratitudinis ergo,& pietatis in Principem Apostolorum amore confirmauit. Quod etsi nec diem, nec annum quo confectum sit, adscriptum habeat; nihilominus tamen ex consuetudine prædecessorum Imperatorum, qui similia B
priuilegia statim post Imperialem a Pontifice susceptam coronam eidem tradiderũt; facile possumus colligere, hisce ijsdem diebus, quibus Romæ degebat, illud ab eo factum, subscriptum,& roboratum esse. Contulimus autem hoc priuilegium cum quatuor diuersis manuscriptis, atque ita ob nonnulla, in quibus variant, distinximus,vt A. codicem Cencij Camerarij, B. volumen priuilegiorum Romanæ Ecclesiæ, C. autographum molis Hadriani, D. nostrum manuscriptum denotet. ita incipit.

Exemplum priuilegij Henrici Imperatoris de Regalibus beato Petro concessis.

d deest *d* Amẽ. In nomine [d] Domini Dei [d] omnipotentis Patris & Filij & Spiritus sancti.[d] Ego Henricus Dei gratia Imperator Augustus spondeo atque promitto per hoc pactum confirmationis nostræ, tibi beato Petro principi Apostolorum [d] & clauigero regni cælorum, & per te Vicario [d] tuo [d] donno Benedicto summo Pontifici [d] & vniuersali Pa- C
pæ, sicut a prædecessoribus vestris vsque nunc in potestate vestra, ac ditione tenuistis, & dispositis,ciuitatem Romanam cum Ducatu suo, & suburbanis, atque viculis omnibus, & territorijs eius, montanis, ac maritimis litoribus, ac portubus, seu cunctis ciuitatibus, castellis, oppidis, [d] ac viculis Tusciæ [d] partibus, id est Portum, Centumcellas, [d] Ceram, Bledam, [d] Maturianum, Sutrium, Nepem, castellum [d] Gallicense, Orthem, Polimartium, [b] Ameriam [d] Tudam, Perusiam cum tribus insulis suis, id est, [b] maiorem & minorem, Puluensim & lacu, Narniam & Vtriculum, cum omnibus finibus & territorijs,ad supradictas ciuitates pertinentibus; nec non & Exarchatum Rauennatem sub integritate, cum [d] vrbibus, ciuitatibus, [d] oppidis & castellis, quæ piæ recordationis [a b c] dominus Pipinus, & dominus Carolus, & dominus D
Ludouicus, & Otto, & itidem Otto filius eius, prædecessores videlicet nostri beato Petro Apostolo, & prædecessoribus vestris iamdudum per donationis [d] paginam contulerunt,hoc est ciuitatem Rauennam,& Aemiliam,Bobium,Cesenam, Forum [c d] populi, Forum Liuij, Fauentiam, Imolam, Bononiam, Ferrariam, [d] Comiaclum, [d] Adrianis, atque Gabellum cum omnibus finibus, territorijs atque insulis, terra mariq. ad supradictas ciuitates pertinentibus: simul & Pentapolim,videlicet Ariminum, [d] Pensaurum, Fanum, Senogalliam, Anconam, [d] Ausimum, Humanam, [d] Esim, Forum Sempronij, Montem Feltri, Vrbinum, & territorium [d] Baluense, [c] Callem, Luciolis, & Eugubium cum omnibus finibus ac territorijs ad easdem ciuitates pertinentibus. Eodem modo territorium Sabinense, sicut a prædictis Imperatoribus antecessoribus nostris beato Petro Apostolo per donationis scriptum concessum est sub integritate, & est in partibus Tusciæ Longobardorum, castellum Felicitatis, Vrbem ve- E
terem, Balneum Regis, [d] Ferenti, Viterbium, Orthem, Martam, [c] Bledam, Tuscanam, Suanam, Populonium, [d] Rosselles, cum suburbanis atque viculis, & omnibus territorijs, ac maritimis oppidis, seu finibus omnibus. Itemq. [c] Almus cum insula Corsica in Suriano, deinde in montem Bardonis, [d] deinde in Berceto, exinde in Parma, deinde in Regium, exinde in Mantua, atque in monte Silicis, atque prouincia Venetiarum, & Istria, necnon & cunctum Spoletanum Ducatum, seu Beneuentanũ, vna cum ecclesia sanctæ Christinæ posita prope Papiam iuxta Padum iiij. milliario. Item in partibus Campaniæ, [d] Sora, Arces, Aquinum, [d] Arpinum, Theanum, Capuam, necnon & patrimonium, ad potestatem [d] & ditionem vestram pertinentia,sicut est patrimonium Beneuentanum, & Neapolitanum, atque patrimonia Calabriæ superioris & inferioris. De ciuitate autem Neapolitana cum castellis & territorijs, ac finibus,

d deest
d deest
PRIVILEGIVM HENRICI IMP. CONCESSVM R. F.
d seu
d pertinẽtibus
d Catam,
d Marturiam
d Maturanum,
d Galisense,
b Ameliam,
d Tudertum,
b maiore & minore,
d omnibus vrbibus, *d* pertinentibus, necnon & oppidis
a b c donnus vbique
d paginam gtatiam
c d Pompilij,
d Comaclum,
d deest
d Pisaurum,
d Auximum, Esium,
d Balnense, ac Baluelsem,
c Callis, Tuceolos,
d Ferenti castrum
c Pledam,
d Roscellas,
c Alunis, *d* seu alimentis
d deest

d Sitam
d deest
d nostram, & ditionem

A finibus & insulis sibi pertinentibus, sicuti ad [d] easdem aspicere [d] videntur: necnon patrimonium [d] Siciliæ, si Deus nostris illud tradiderit manibus. Simili modo ciuitatem Caietanam, & Fundum, cum omnibus earum pertinentijs. Super hoc confirmamus vobis [d] Fuldense monasterium, & Abbatis eius consecrationem, atque omnia monasteria, Curtes & villas, quas in [d] vltramontanis partibus sanctus Petrus habere dignoscitur, [d] absque Aterna, Vumiteringa, siue Vuilmbach, quæ a sancti Petri Ecclesia per conuentionis paginam Episcopo nostro Babembergensi collatæ sunt: pro quibus sæpedictæ Ecclesiæ sancti Petri transcribimus, concedimus, & confirmamus omnem illam terram, [d] quæ inter Narniam [d] Teramnem, vel Spoletum ex regni nostri parte habuimus. Sub ruitione præterea sancti Petri & vestra vestrorumq. successorum prætaxatum [a b c] Episcopum Babembergensem offerimus, vnde sub [d] pensionis nostræ
B equum vnum album phaleratum ex eiusdem loci Episcopo [d] vos annualiter susceptu-ros [d] sancimus. Offerimus insuper, firmamus, & corroboramus tibi beato Petro ac Vicario tuo donno Benedicto, & successoribus eius, prout bonæ mem. Papæ Ioanni, suisq. successoribus a prædecessoribus nostris Ottonibus [b c d] factum, ciuitates & oppida cum piscarijs suis, Reatem, Amiternum, [d] Furconem, Nursiam, Baluam, & Marsiam, & alibi ciuitatem Teramnem cum pertinentijs suis. Has omnes supradictas prouincias, vrbes & ciuitates, oppida, atque castella, viculos ac territoria, simulq. patrimonia pro statu regni [d] nostri,cunctoq. Christianorum populo conseruando iam dictæ Ecclesiæ tuæ beate Petre, Vicarioq. tuo Benedicto ac successoribus eius, vsque in finem sæculi eo modo confirmamus, vt in suo detineant iure, [d] principatu,atque ditione. Simili modo per hoc nostræ delegationis pactum confirmamus donationes,
C quas piæ recordationis Pipinus Rex, & postea donnus Carolus excellentissimus Imperator, ac deinceps Ottones pijssimi beato Petro Christi Apostolo spontanea voluntate contulerunt; necnon & censum, [b c d] vel pensionem, seu ceteras [b] donationes,quæ annuatim in [a b c] Palatio Regis [d] Longobardorum inferri solebant, siue de Tuscia, siue de Ducatu Spoletano, sicut in suprascriptis donationibus continetur, [d] & inter sanctæ memoriæ Hadrianum Papam, & donnum Carolum Imperatorem conuenit, quando idem Pontifex [d] eidem de supradictis Ducatibus, id est, Tuscano, & Spoletano suæ auctoritatis præceptum confirmauit, eo scilicet modo, vt annis singulis prædictus census ad partem Ecclesiæ sancti Petri persoluatur, salua super eosdem Ducatus nostra in omnibus dominatione, & illorum ad nostram partem subiectione. Ceterum sicut diximus,omnia suprascripta nomina ita ad vestram partem per hoc nostræ Con-
D firmationis pactum [d] corroborauimus, vt in vestro permaneant iure, principatu, atque ditione, & neque a nobis, neque a successoribus nostris per quodlibet argumentum, siue machinationem in quacumque parte vestra potestas imminuatur, aut a [b d] vobis inde aliquid subtrahatur. De supradictis vero prouincijs,vrbibus,ciuitatibus, oppidis, castris, viculis, territorijs, ac patrimonijs, necnon & pensionibus, atque censibus, ita vt nec nos facturi simus, neque [d] a quibuslibet ea facere volentibus consentiamus, sed potius omnia, quæ superius leguntur, id est prouinciæ, ciuitates, vrbes, castella, oppida, terræ, patrimonia atque insulæ, censusq. & pensiones ad partem Ecclesiæ beati Petri [d] Apostoli, atque Pontificum, in sacratissima Sede illius resi-
E dentium, nos in quantum possumus, defensores esse [a b c] teneamur, ad hoc vt eam illi ditionem ad [d] vtendum, atque disponendum firmiter valeant obtinere, salua in omnibus potestate nostra, posterorumq. nostrorum,secundum quod in pacto & constitutione, ac promissionis firmitate Eugenij Pontificis, successorumq. illius continetur, vt omnis Clerus & vniuersi populi Romani nobilitas propter diuersas necessitates, & Pontificum irrationabiles erga populum sibi subiectum asperitates retundendas sacramento se obliget, quatenus futura [d] Pontificum electio, quantum vniuscuiusque intellectus fuerit, canonice & iuste fiat, & vt ille, qui ad hoc [b c] sanctum regimen eligetur, nemine [d] consentiente consecratus fiat Pontifex, priusquam talem in præsentia Missorum nostrorum, seu vniuersæ generalitatis faciat promissionem pro omnium satisfactione, ac futura conseruatione, qualem donnus & venerandus spiritualis pater noster Leo sponte fecisse dignoscitur. Præterea alia minora huic operi [b c] inferendum præuidimus, videlicet, vt in electione Pontificum neque liber, neque seruus ad hoc venire præsumat, vt illis Romanis, quos ad hanc electionem per Con-

d Ecclesiam
d videntur & tenentur
d in Sicilia,
d Fundense
d Vltramarinis
d atque Amensua,Vmixtinga
d quam *d* Interamnem &
a b c Episcopũ
d nostræ pensionis debito
d annualiter nos *d* sanximus
b c d factum est
d Furconium,
d deest
d deest
b c d & b dationes,
a b c Palatium
d deest
d deest
d pro tempore de suprascriptis.
d corroboramus,
b d nobis
d deest
d deest
a tenemur,
b c testamur,
d deest
d deest
b c regimen Apostolicum
d contrariante
b c inferenda

Universidad de Deusto
Biblioteca

d aliqua

b c Constitutionem

b c Specíali

stitutionem sanctorum Patrum [d] antiqua admisit consuetudo, aliquod faciat impedimentum. Quod si quis contra hanc nostram [b c] institutionem venire præsumpserit, exilio tradatur. Insuper etiam, vt nullus Missorum nostrorum cuiuscumque impeditionis argumentum componere audeat in præfatam electionem, prohibemus: nam & hoc omnimodo instituere placuit, vt qui semel sub [b c d] spirituali defensione donni Apostolici, siue nostra fuerint suscepti, impetrata iuste vtantur defensione. Quod si quis in quemquam illorum, qui hoc promeruerunt, violare præsumpserit, sciat se periculum vitæ suæ esse [b c d] incursum. Illud etiam confirmamus, [d] vt donno Apostolico iustam in omnibus seruent obedientiam, seu Ducibus, & Iudicibus suis, ad faciendam iustitiam. Huic enim institutioni [d] hoc necessario annectendum esse perspeximus, vt Missi donni Apostolici, seu nostri semper sint constituti, qui annuatim nobis renuntiare valeant, qualiter singuli Duces ac Iudices populo iustitiam faciant. Hanc Imperialem Constitutionem quomodo obseruent, qui Missi, decernimus vt primum cunctos clamores, qui per negligentiam Ducum, vel Iudicum fuerint inuenti, ad notitiam donni Apostolici deferant, & ipse vnum e duobus eligat, aut statim per eosdem [d] Missos fiant necessitates emendatæ, aut Misso nostro nobis renuntiante per nostros Nuntios a nobis directos emendentur. Hoc vt ab omnibus Fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, [d] & [c] vestris firmum esse credatur, propriæ manus [b] signaculo hoc pactum Cõfirmationis nostræ roborauimus, & [c] sigilli impressione assignari iussimus.

b c d incursurum

d in dominio

d deest.

d nuntios

d deest. c nostris

b signaculo, & nobilium optimatum nostrorum subscriptionibus

c sigilli nostri

d Romani

d Erkinbaldi Maguntinensis

d Ecclesiæ Apostolicæ

d Apostolicæ

d subditus seruus

d Matelinus Vuirtemburgésis Episcopus seruus

d deest.

d Rodonardus

d Ioldaricus

d Adalbertus

d Verdunensis

d deest.

d Ricaldi Faldensis

b Fuldensis Abbatis

d Brucardi

d deest.

a b c deest.

d Vulponis

d Conradi

d deest.

d Boybonis

a c Mezonis

d infertorum

a c Heimo

d Bunponis

d Hudis

d Alumnum

Roriger

A

B

C

D

E

† Signum donni Henrici gloriosissimi [d] Romanorum Imperatoris Augusti.
Signum [d] Erchandildi Maguntini Archiepiscopi.
Signum Heriberti Colonienſis Archiepiscopi.
Signum Bobonis Treuirensis Archiepiscopi.
Signum Thiederici Metensis Episcopi.
Ego Ebèrhardus Bambergensis [d] ecclesiæ Episcopus [d] Romanæ Sedis [d] subditus subscripsi.
Ego [d] Mazelinus Vuirceburgensis Episcopus subscripsi.
[d] Ego Vualterius Spirensis Episcopus subscripsi.
Ego [d] Ricodardus Constantiensis Episcopus subscripsi.
Ego [d] Zodalricus Curiensis Episcopus subscripsi.
Ego Adalberus Basilensis Episcopus subscripsi.
Ego Hemmo [d] Vuerdunensis Episcopus subscripsi.
[d] Ego Vualter Heichstedensis Episcopus subscripsi.
Signum [d] Richardi [b] Fuldensis.
Signum Arnoldi Herfendensis Abbatis.
Signum [d] Bruardi Abbatis.
Signum Gottifridi Ducis.
[d] Signum Beringardi Ducis.
Signum Thiederici Ducis.
[a b c] Signum Simonis Comitis.
Signum [d] Velphonis Comitis.
Signum Cunonis Comitis.
Signum [d] Kunzadi Comitis.
Signum Ottonis Comitis.
[d] Signum Adilbrahtis Comitis.
[d] Bobonis Comitis.
Signum Frederici Comitis.
Signum Bezelini Comitis.
Signum Ezonis Comitis Palatini.
Signum Frederici Camerarij.
Signum [a c] Ezonis [d] in Fercore.
Signum [a c d] Heunzonis pincernarij.
Signum [d] Huzis.
[d] Alimunbereger.
Adilman.
Adilbero

Ego

A Ego [a b d] Vuicelinus Astrazburgensis Episcopus. a b d desunt
Signum [a b d] Ryodhois Fluuanensis Abbatis.

Hactenus Henrici priuilegium Imperatoris maxime pij, qui hisce dignis oblationibus sui Imperij primordia Domino consecrauit. At qui sua munificentia primum omnium Romanam Ecclesiam pie sancteq. est prosequutus, alias minores ecclesias non despexit, sed æque de omnibus, vt facultas est data, bene mereri non destitit. sit in exemplum alia donatio, facta hoc item anno ecclesiæ Nouarienſi, cui tunc præsidebat Petrus: cuius exemplar acceptum ab eius, qui nunc eidem ecclesiæ bene præest, Episcopo Carolo, hic tibi reddendum curauimus. sic enim se habet:

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Henricus diuina ordinante clementia Romanorum Imperator Augustus.

B Dum fidelium petitionibus nostræ Imperialis celsitudinis assensum præbuerimus, eos nostro seruitio promptiores ac deuotiores esse minime dubitamus. Quapropter cunctorum Ecclesiæ Catholicæ Fidelium, nostrorumq. tam præsentium, quam futurorum solertia recognoscat, Petrum venerabilem virum, sanctæ Nouarienſis ecclesiæ Episcopum, nostrumq. fidelem, qui nostræ fidelitatis causa multa sustinuit, famem videlicet, sitim, æstus, & frigus, & insuper & glacioſas rupes, colleſq. satis asperos, nudis pedibus, persequentibus inimicis, fugiendo superauit: qui etiam nunc præsentialiter multa damna, Harduico deuastante, recepit: Nam ecclesiæ illius sunt depræ datæ, castra disrupta, domus euersæ, vineæ incisæ, arbores decorticatæ: insuper plebes ipsius, & Curtes ab Harduico pro beneficio, suisq. inimicis datæ sunt: nostram Imperialem adisse excellentiam, quatenus pro sui laboris recompensatione, & suo-
C rum damnorum restauratione quemdam Comitatulum, qui in valle Auxula infra ipsius Episcopatus parochiam adiacere dignoscitur, prædictæ ecclesiæ Nouarienſi cum omnibus functionibus, quæ de ipso Comitatulo publicæ parti pertinent, concederemus. Necnon etiam deprecatus est nos, vt quamdam plebem, quam olim malo ordine & iniusta ratione sua perdidit ecclesia, quæ sita est in villa, quæ nominatur Trecate, non adeo procul a ciuitate: Curtem quoque quæ Graualona dicitur, quondam ipsius Episcopi continentem, sed nunc iniuste peruasa esse dignoscitur, suæ ecclesiæ restitueremus. Itaque dignum est, vt sui laboris prænominatus Præsul retributionem a nobis suscipiat. Et quoniam iustum est, vt supra nominata plebs, atque Curs iam dicta suo restituatur Episcopatui: & vt alij nostri fideles hoc cognoscentes, nostræ fidelitati amplius stabiliantur; eius precibus annuentes, iam dictum Comitatu-
D lum a nostro iure in eius ecclesiæ potestatem omnino transfundimus, & perdonamus: & præfatam plebem, atque Curtem per hoc nostræ auctoritatis præceptum iam supradictæ Nouarienſi ecclesiæ reddimus, & concedimus, cum omni districtu, & teloneis, piscationibus, quæ in flumine Toxo, in illis scilicet locis, vbi ipsa ecclesia ex vtraque fluminis tenet parte: & cum venationibus, seu omnibus rebus, quæ ad publicam partem ex eodem Comitatulo exigi possunt, cum capellis, domo cultili, massaritijs, casis, sediminibus, campis, pratis, vineis, pascuis, siluis, stallarijs, salicetis, paludibus, aquis, aquarum decursibus, molendinis, piscationibus, cultis & incultis, diuisis & indiuisis, terminis, concessionibus, piscarijs, compariciis, alijsq. vniuersis redhibitionibus, cum seruis, & ancillis, aldianibus, & aldianis vtriusque se-
E xus, cum omnibus, quæ dici, aut vocari possunt, ad iam dictam plebem, vel Curtem pertinentibus, vel respicientibus. Necnon & portum de Bestagno eidem plebi pertinentem, quem glorioſissimus auunculus noster Otto maior supradictæ sedi per præceptum concessit, ita vt nullus Marchio, Comes, Vicecomes, Sculdasius eius, seu quælibet magna, paruaq. persona homines iam dicti Comitatus, seu plebis, vel Curtis audeat distringere, aut intra ipsum Comitatum aliquid præsumant exigere, vel paratos facere, nec vllas redhibitiones acquirere; sed liceat memorato Præsuli suisq. successoribus iam sæpedictum Comitatum cum supradicta plebe, vel Curte tenere, & omnes homines ipsius Comitatus, siue ipsius plebis, seu Curtis per se, vel suum Legatum distringere, sicut per nos, vel nostrum Missum distringendi essent, & omnia, quæ de ipso Comitatu ad publicam partem pertinent, vel inde exigi possunt, & prætaxatam plebem de Trecate, atque Curtem de Graualona cum omnibus suis appendicijs, vel pertinentijs habeat, teneat, firmiterq. possideat tam ipse, quam successo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

res illius, qui illam, Deo fauente & disponente, ipsius sedis cathedram susceпturi A
sunt, omni nostra, nostrorumq. successorum Regum, & Imperatorum, & omni hominum contradictione, vel diminutione remota. Si quis igitur hoc nostræ Concessionis præceptum nefarie ausu temerario violare præsumpserit, centum libras auri optimi componere cogatur; medietatem Palatio nostro, & medietatem Nouarienſi ecclesiæ, eiusq. Rectori, qui pro tempore inibi habebitur. Et hoc vt verius credatur, diligentiusq. ab omnibus obseruetur, manu propria subter confirmantes, sigilliq. nostri impressione iussimus insigniri. Signum domini Henrici, sereniſſimi inuictissimi
* 1014. Imperatoris Augusti. Datum anno Incarnationis Dominicæ* MXXIV. Indictione duodecima: anno vero regni domini Henrici Imperatoris Augusti xiij. Imperij anno primo. Actum Trucuianæ feliciter. Amen.] hactenus priuilegium Nouarienſi ecclesiæ concessum. B

HENRICVS IMP. CONFIRMAT PRIVILEGIA MONAST. CASSINEN.

[a] Leo Ost. chron. Cass. lib. 2. c. 31.

Leo Ostienſis agens de eadem Henrici coronatione Romæ facta, ista adijcit: [a] Ipse quoque Henricus Imperator ab eodem Abbate Atenulpho, & omni Congregatione rogatus, per præceptum aureo sigillo munitum vniuersas monasterij prouincias confirmauit, specialiter autem ac nominatim res Comitatus Thermulensis cum finibus suis, castra, ecclesias, Curtes, cum omnibus pertinentijs; duo etiam castella Cominensis territorij, scilicet Vicum album, & sanctum Vrbanum alio præcepto, postquam in patriam redijt, huic monasterio confirmauit: de quibus iamdudum Pandulphus Capuanus Princeps post patris mortem eidem Abbati fratri suo præceptum fecerat, &c.] subijcit vero ista: [b]

[b] Id. lib. 2. c. 34.

DE SACRO LINTEO HIEROSOLYMIS ALLATO.

His diebus monachi quidam ab Hierosolymis venientes, particulam lintei, cum quo pedes Discipulorum Saluator extersit, secum detulerunt, & ob reuerentiam sacri huius loci hic deuotissime obtulerunt sexto Idus Decemb. Verum cum plurimi fidem derogarent, illi fide præditi particulam istam ardentibus imponunt prunis, quæ mox in colorem ignis versa est. Amotis tamen carbonibus, ad pristinam speciem admirabiliter redijt. Cumq. cogitarent, quomodo, vel vbi pignora tanta locarent, dispositione Dei contigit, vt eodem die mitteretur huc loculus ille mirificus, vbi nunc condita est lintei ipsius particula, argento, & auro, gemmisq. opere anglico subtiliter & pulcherrime decoratus. ibi ergo amoto crystallo, cum omni veneratione locata est: morisq. est, annis singulis ipso die Cœnæ Dominicæ ad Mandatum Fratrum a mansionarijs eam deferri, & in medium poni, duoq. ante illam accendi candelabra, & iugiter, donec impleatur Mandatum, ab Acolytho incensari. Demum iuxta finem Mandati, a singulis per ordinem Fratribus flexis genibus deuotissime adorari, & reuerenter exosculari] hucusque Leo. C D

Sed ad Henricum ex Rege iam Imperatorem reuertatur oratio. Hunc redeuntem in Germaniam excipiunt sui magno triumpho; conuenit etiam eum S. Poppo Abbas Stabulensis, ipsi ob egregia vitæ merita familiaritate coniunctus. siquidem idem Henricus secundum illud Dauidicum: [c] Timentes autem Dominum glorificat] quoscumque potuit scire iustos, eosdem audire cupiebat, atque colere satagebat, eorumq. capessere consilia, & monitis parere non negligebat: vt accidit, cum eumdem ad se venientem Popponem excepit; de quo Euerhelmus in vita ipsius: [d] Ab illo vero tam magnificentia, quam honorificentia regia Poppo est susceptus, vtpote qui primum amicitiæ locum inter ceteros iam apud eum fuerat adeptus; cuius etiam sanctitas humilitatem, mansuetudinemq. Imperatoris in amorem sui ita accendit, vt etiam reuerentia dictante, magis parere, quasi ad iussa ab eo, visus fuerit, quam rogata ab alio implere voluerit. Contigit etiam ludis histrionum Imperiales tunc fores occupari, atque eo spectaculi genere Regem cum suis delectari. Vrsis enim nudus quidam membra melle perunctus exhibetur: illo plurimum pro periculo sui timente, ne forte ab ijsdem vrsis ad ossa sua melle consumpto peruenireturr. Porro Rex eiusdem spectaculi amore in oculis suis ita captus tenebatur, vt male prouidus, pro periculo viri parum esset sollicitus. Vnde super tam iniqua in Christianum illusione Regem beatus Poppo redarguit, eumq. ab hoc spectaculo suis cũ optimatibus mox compescuit; tum etiam a periculo vrsorum virum liberauit: & ne id vltra fieret, arguendo & obsecrando obtinuit. Henricus enim Imperator tam obsecrationi, quam correptioni eius humiliter paruit: & quem honorifice ad se venientem susceperat, honorifice etiam a se digre-

[c] Psal. 14.

[d] Euerh in vita Popp. cap. 9. apud Sur. die 25. Ianuarij.

S. POPPO CORRIPIT IMPERATOREM.

A digredientem dimisit] At nec id satis, sed magna sollicitudine Imperator curauit, vt idem vir sanctus Abbas Stabulensis [a] crearetur, qui non adulatione, sed correctione eam nescіens sibi parauit dignitatem.

[a] Ibid. auctor cap. 12.

Qui igitur sanctum Popponem (vt audisti) ita coluit, sanctum quoque Odilonem Abbatem Cluniacensem huius temporis fulgens sidus in Ecclesia, omni officio est prosecutus, vsque adeo, vt coronam suam illi dono miserit, quam famis tempore, pro alendis pauperibus, vna cum alijs ecclesiæ ornamentis ipse distraxit. Testatur id Petrus Damiani in [b] vita ipsius, qui & paulo post ista de eodem subijcit memoratu digna: Aliquando Imperator Henricus, dum apposita mensa discumberet, vas illi holouitreum valde pretiosum, & Alexandrini operis arte compositum cum tritis est pigmentis allatum. Mox aduocat duos aulæ regiæ Capellanos, Albericum videlicet
B & Landulphum, quorum alter Cenomanæ, alter vero Taurinensis ecclesiæ postmodum Episcopi facti sunt. Quod profecto vasculum Capellani sancto viro, prout decebat, humiliter offerunt, ac pro eo postmodum redituri, ad Regis interim conuiuium reuertuntur. Paulo vero post, sicut humanæ curiositatis mos est, vt noua quælibet & insueta inhianter aspiciat, cœperunt monachi præfatum vas sub admirationis intuitu contrectare, & de manu in manum, solerter inspiciendo, transponere, cum ecce de manibus incaute tenentium labitur, & vt fragilis est naturæ, continuo frangitur. Quod mox vt vir sanctus accidisse cognouit, grauiter tulit, & præsertim clericis, qui reliquerant, paterna pietate condoluit, ne videlicet Augustum innocentes offenderent, & non modo iacturam gratiæ, sed & regij motus periculum sustinerent. Mox ergo cum Fratribus in ecclesiam pius Pater ingreditur, & ne hi, qui immunes essent a culC pa, motum regiæ indignationis incurrant, orationibus & Psalmis incumbens, clementiam diuinitatis implorant. Iam igitur oratione completa, vir Dei fractum sibi vas iubet afferri: manibus contrectat, oculis vndique subtiliter inspicit; & ecce nulla prorsus in eo fracturæ vestigia deprehendit. Tunc indignatus in Fratres, eos cum austeritate redarguit, cur vas conquererentur confractum, quod omnino remansserat illibatum. Illi vero vehementer attoniti tam euidentis ostensione miraculi, & austeritatem corripientis libenter accipiunt, & ad referendas omnipotenti Deo gratias feruentius accenduntur] hæc Petrus. Qui & inferius tradit, eumdem sanctum Odilonem sicut ab Imperatore Henrico, ita etiam ab ipso Benedicto Papa magnopere cultum. nam ait:

[b] habet eam Sur. tom. 1. die 1. Ian.

IMP. HENRICVS SVAM CORONAM MITTIT AD S. ODILONEM.

Apostolicus igitur iste, quem diximus, Benedictus, dum adhuc viueret, beatum
D virum affectuose dilexit, reuerenter excoluit, & Apostolorum Limina frequentanti necessarij sumptus opima sæpe subsidia ministrauit] Porro hospitium eius, dum Romæ esset, fuisse in Auentino monte, in monasterio sanctæ Dei Genitricis Mariæ, idem affirmat, ibiq. vinum multiplicasse narrat. est id monasterium, quod alio nomine S. Bonifacij, siue S. Alexij dici consueuit. At vero Benedictus Papa, qui, vt audisti, adeo coluit S. Odilonem, peregrinum Abbatem, nostratem Romualdum mirifice obseruauit, quem diu extra Italiam moras nectentem, Apostolicis litteris in Italiam reuocauit, Romamq. venire præcepit, prout idem [c] Petrus in ipso Romualdo testatur.

BENEDICTVS PAPA COLIT S. ODILONEM.

[c] Petr. Dam. in Rom. cap 48. apud Sur tom. 3. die 19. Ian.

Hoc eodem anno Suuanus, vel Suuenus Rex Danorum, qui anno superiori in-
E genti comparata classe inuaserat Angliam, S. Eadmundo Rege martyre vltore, diro perimitur vulnere; memoranda res ab antiquioribus ex libello miraculorum eiusdem Sancti exscripta, digna quæ intexatur Annalibus. a Rogerio sic describitur:

Anno millesimo decimoquarto Suuanus tyrannus post innumerabilia & crudelia mala, quæ vel in Anglia, vel in alijs terris gesserat, ad cumulum suæ damnationis ex oppido, vbi corpus pretiosi martyris & Regis Eadmundi incorruptũ requiescit (quod nemo prius audebat facere, ex quo id oppidum datum fuerat memoratæ Sancti ecclesiæ) grande tributum ausus est exigere: quod si cito non penderetur, se procul dubio ipsum oppidum cum oppidanis crematurũ, ipsius Martyris ecclesiam funditus euersurum, clericos variis modis cruciaturum sæpissime minatus est. Insuper & ipsi Martyri multis modis frequenter detrahere, & illum nil sanctitatis habere, fuit ausus dicere. Denique cum imminente vespere diei, qua in generali Placito, quod apud Gheagnesburt tenuerat, hæc eadem minitans iteraret, atque Danorum cuneis circumual-

S. EADMVNDVS IN TYRANNVM VLTOR INSVRGIT.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IVVANI REGIS DANORVM MISERANDVS INTERITVS.

latus esset densissimis, sanctum Eadmundum ex aduerso venientem solus vidit armatum: quem cum vidisset, expauit, & nimio cum clamore vociferari cœpit: Succurrite commilitones, inquiens, succurrite, ecce sanctus Eadmundus me venit occidere. Et cum hæc diceret, acriter a Sancto confossus cuspide, de emissario, cui insederat, decidit, & vsque ad noctis crepusculum, magno cruciatus tormento, tertio Non. Februarij miserabiliter morte vitam finiuit. Quo mortuo, filium eius Canutum (quem alij Cnutum vocant) sibi Regem constituit classica manus Danorum] hæc de tyranni interitu Rogerius. Eadem Vuestmonasterienſis hoc anno ex libello (vt dictum est) miraculorum eiusdem Sancti.

DEPONITVR CORBEIENSIS ABBAS INDISCIPLINATVS.

MILLESIMVS decimusquintus annus agitur, Indictione decimatertia inchoatus, quo Henricus Imperator Cluniaco recedens, Corbeiam se conferens, solutum nimis eius Abbatem, Vualonem nomine, nec disciplinam regularem obseruandam suscipientem, sed repudiantem, per Menuuercum Paderbornensem Episcopum priuandum curauit. hæc [a] Ditmarus hoc anno, & alij recentiores, vt Crantzius, qui his ista subijcit: [b] Cum post hæc idem Menuuercus vellet sacrum peragere Missæ officiū, sacrista sacras illi vestes subduxit: iterum atque iterum monitus tradere recusauit. Tunc Episcopus: Reddes, inquit, rationem Altissimo pro omisso hodierno officio. Monachus ille flocci pendens, etiam risit Episcopum. Sed apparuit in morte ipsius Episcopi, quam non frustra esset minatus: nam nihil ante mali sentiens monachus, in ipsa hora mortis Episcopi expirauit. Multa in hunc modum mirabilia leguntur de hoc viro, sanctitatem eius testantia] Porro quod ad Imperatorem pertinet, eduxisse recedens secum tredecim monachos Paderbornam, illicq. erexisse monasterium, quod eis administrandum, & in regulari disciplina instituendum tradidit: ipse cum sua coniuge sanctissima femina (dederat enim Deus ipsi adiutorium simile sibi) in erigendis & ecclesijs & monasterijs totus erat. De quo monasterio Paderbornæ hoc tempore erecto hæc habentur in vita Chunegundis Augustæ, eius vxoris: [c] Denique post nouellam fecundissimæ plantationis suæ ecclesiam, quam cum illo suo studiosissimo cooperatore Henrico Imp. in loco Bambergensi venustissime, sicut hactenus cernitur, fabricauit, sub patrocinio principis Apostolorum beati Petri & sancti Georgij martyris, monasterium sub regula sancti Benedicti ad aquilonarem plagam in honorem sancti Michaelis Archangeli extruxit non minori studio, prædiorum quoque ac diuersorum donarijs ornamentorum. Tertiam demum versus Meridiem sub ordine canonicorum, sub titulo beati protomartyris Stephani paruo quidem schemate, sed maiori opera de suo patrimonio ecclesiam fabricauit: ad quam dedicandam Benedictum Papam, quem præfatus Imperator Henricus ad confirmandum Bambergensem Episcopatum aduocauerat, venire rogauit, &c.] at de aduentu Benedicti alias. Sic igitur Henricus Imperator cum coniuge Augusta pijs his intentus operibus semper erat, cum præsertim contingeret a bellis (quod raro accidit) cessare, & in pace quiescere.

HENRICVS IMP. LABORAT PRO MONAST. PADERBORNENSI.

ECCLESIA MERSEBVRGII AB HENRICO IMP. ERECTA, ET DONIS AVCTA.

Erexit hoc eodem anno idem Imperator ecclesiam Mersepurgij Episcopatus Ditmari, de qua in appendice ad ipsum Ditmarum hæc leguntur: Postquam sedem sibi commissam tam factis quam dictis exaltrauit, anno Dominicæ Incarnationis millesimo decimoquinto, Indictione decimatertia, xv. Kal. Iunij ipsius dulcisono hortatu & efficaci rogatu Imperator hanc nostram fundari præcepit ecclesiam, Antistite præsenti, ac quatuor lapides in monte sanctæ Crucis in fundamento primus iaciens: Superædificantibus, inquit, spes æternæ retributionis optabilis; detrahentibus vltio diuina formidabilis repensabitur. Et quia templum nostræ ecclesiæ iussu Imperatoris ædificatum diximus: quantum nostram ecclesiam multiplici ornatu decorauerit, veluti scriptis reperimus, quam breuissime perstringamus.

Dedit hic Imperator nobis plurima diuino officio conuenientia, scilicet tria plenaria, vnum de auro, eburnea tabula ornatum, quod minimum est: secundum auro, gemmis,

a *Ditm. lib. 7.*
b *Crant. hist. eccl. Saxon. lib. 4. cap. 4.*
c *Apud Sur. die 3. Martij to. 2.*

mis, & eburnea tabula variatum, quod pretiosius est: tertium auro, & electro, & pretiosissimis gemmis artificiose decoratum, quod optimum est. Præter hæc tres *auratas cruces, & duas argenteas; & duas ampullas eiusdem metalli, & tres calices, vnū argenteum magni ponderis; secundum aureum & gemmatum; tertium arte, omnigenisq. gemmis elaboratum, quod præcipuum redemptionis animæ suæ fuisse adhuc vulgatur. Item tabulam altaris, auro & gemmis honorifice distinctam, ad quam Præsul Ditmarus quinque libras auri de priori altari se dedisse testatur; pyxidem auream & gemmatam; thuribula argentea tria; dorsalia serica plurima, campanas, cappas sericas multas, plurimaq: alia, quæ enarrare perlongum esset] subijcit his ciuitates & villas, ab eodem eidem ecclesiæ collatas, quæ breuitatis causa prætermittimus recensere: consulat auctorem, qui plura cupit. Sed & ipse etiam [a] Ditmarus horum meminit, quæ ab Imperatore eidem ecclesiæ sunt donata, recolitq. eiusdem aduentum Mersepurgum hoc anno.

* sureas

a *Ditm. lib. 7.*

Subijcit post nonnulla Ditmarus obitum Ernesti Alemanniæ Ducis, filij Luitpoldi, dum casu in venatione sagitta emissa vulneratus interijt, summæ pietatis specimen exhibens Fidelibus cunctis, quod memoratu dignum verbis istis ipse descripsit: Hic quia mortem sibi imminere perspexit, socios vocat, & vt reo parcerent supplicat. Et quia hic tunc presbyterū, cui sua confiteretur peccata, non habuit, vnum ex militibus huius vice propius accedere iussit. quem cum adesse perspiceret, *per eum vocauit alios*: Omnes, inquit, accedite, & commortalis vestri peccatoris facta aure cordis percipite, & qualiter curentur, vnanimiter succurrite, absentibusq. cunctis Fidelibus peccatricem meimet animam quæso commendate, & vxorem meam, vt honorem suum seruet, & mei non obliuiscatur, admonete. Hæc dicens, in quoscumque vmquam se aliquid deliquisse recordari potuit, cunctis præsentibus innotuit, & mox de hac luce XI. Kal. Iunij discessit, sepultus Vuirceburg iuxta patrem suum Marchionem Luitpoldum, vt ipse rogauit. Hic iuuenis, vt spero, felicem habet animam, cui (sicut ipse viuens testatus est) plus placuit coram multis hic erubescere, quam coram omnipotenti Deo latere, &c.] hæc Ditmarus, atque plane mirandum exemplum contriti hominis corde, vt peccata sua cunctis propalare non veritus sit hominibus, cum, cui secreto confiteretur, presbyterum non inuenisset. Eiusmodi erubescentiam sponte pati hominem velle ob delictorum suorum pœnitentiam, gratum esse Deo sacrificium, per quod ipse perpetrata delicta dimittat, in commentario illo, qui inscribitur, Vitas Patrum, & alibi sunt exempla; cum tamen ne id fieri debeat, decreto S. Leonis fuisse vetitum, suo loco superius dictum est. Porro eumdem Ernestum memoria dignum Principem hoc anno esse defunctum, Germanicarum rerum Chronographi Hermannus & Marianus Scotus affirmant.

ERNESTI DVCIS PVBLICA CONFESSIO PECCATORVM

ANNVS Redemptoris millesimus decimussextus, Indictione decimaquarta sequitur, quo Benedictus Papa aduersus Sarracenos, Ecclesiæ litora inuadentes parauit exercitum, milites mouit, quibus expugnati sunt, ac feliciter debellati. Quomodo autem ista acciderint, ex Ditmaro sic accipias, dum res gestas sub anno decimosexto post millesimum narrat: [b] In † Longobardiam Sarraceni nauigio venientes, Lunam ciuitatem, fugato pastore, inuadunt, & cum potentia, ac securitate fines illius regionis inhabitant, & vxoribus incolarum abutuntur. Quod cum domino Apostolico, nomine Benedicto fama deferret, omnes sanctæ matris Ecclesiæ tam rectores, quam defensores congregans, rogat, ac præcipit, vt in inimicos Christi talia præsumentes viriliter secum irrumperent, & adiuuante Domino, occiderent. Insuper ineffabilem nauium multitudinem tacite præmisit, quæ eis redeundi possibilitatem interciperet. Hoc Rex Sarracenus animaduertens, primo indignatur, & tandem paucis comitatus nauicula periculū imminens euasit: sui vero omnes conueniunt, & in aduentantes prius irruunt hostes, eosq. mox fugientes (miserabile dictu) tres dies & noctes prosternunt. Respexit tandem Deus, gemitu piorum placatus, & odientes se fugauit,

b *Ditm. lib. 7.*

BENEDICTVS PAPA DEBELLAT SARRACENOS.

† *Longobardia etiā dicti consuerunt omnes prouinciæ, quam incolerent Longobardi.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

& in tantum deuicit, vt nec vno de his relicto, interfectorum & eorumdem spoliorum multitudinem victores numerare nequirent. Tunc Regina eorum capta, ob audaciam iure capite plectitur. Aureum capitale eiusdem ornamentum inuicem gemmatum Papa sibi præ ceteris vendicauit, postq. Imperatori suam transmisit partem, quæ mille libris computabatur. Diuisa omni præda, victrix turba læta mente ad propria reuertitur, vt triumphanti Christo dignas persolueret odas. Rex autem prædictus morte coniugis & sociorum admodum turbatus, summo Pontifici saccum castaneis refertum misit, & per huius portitorem tot se in proxima æstate milites esse laturum intimauit. Percepta hac legatione, Papa marsupium eidem milio plenum internuntio talibus dictis reddidit: Si non sufficiat sibi Apostolicam satis læsisse dotem, secundo veniat, & tot loricatos, vel plures se hic inuenturum pro certo sciat. Homo cogitat & loquitur, Dominus iudicat: quem suppliciter Fidelis quisque oret, vt talem plagam misericorditer amoueat, & necessariam optatæ pacis securitatem pius indulgeat] hucusque Ditmarus, qui res gestas huius temporis scribens, vsque ad biennium superuixit.

CANVTVS REX DANORVM REGNAT IN ANGLIA.

Hic pariter est annus, quo Ethelredo Anglorum Rege defuncto, nono Kalend. Maij, feria secunda, mala innumera experto, quæ ei obuentura prædixerat S. Dunstanus, ob necem illatam fratri, communi Anglorum consilio externus Rex eligitur Canutus, siue Knutus Danus, qui post patrem insulam illam armis possederat occupatam, iam debellatis ijs, qui post Ethelredum regnare tentassent. Christianus fuit ac pius valde: quomodo autem Romam summa cum religione se contulit ad Limina Apostolorum, suo loco dicturi sumus. Hæc & alia de eo veteres, qui prosequuti sunt res Anglorum, Rogerius, Matthæus, & alij recentiores, necnon qui scripsere res Danorum. Ad hunc apparet ex Vuilelmo Malmesburiensi, scriptam esse a Fulberto Episcopo Carnotensi epistolam, cum accepit ab eo missum munus: quæ sic se habet:

[a] Fulb. ep. 81.

[*] Cnuto restituendus ex Vuilelm. Malmesbur. de Reg. Angl. lib. 2. cap. 11. in fine.

[a] Nobilissimo Regi Danomarchiæ *Cluclo Fulbertus Dei gratia Carnotensis Episcopus cum suis clericis & monachis orationis suffragium. Quando munus tuum allatum vidimus, sagacitatem tuam & religionem pariter admirati sumus. Sagacitatem quidem, quod homo nostræ linguæ ignarus, longoq. a nobis terræ marisq. interuallo dissitus, non solum ea quæ circa te sunt, strenue capessas, sed etiam ea, quæ circa nos, diligenter inquiras. Religionem vero, cum te, quem Paganorum Principem audieramus, non modo Christianum, verum etiam erga ecclesias ac Dei seruos benignissimum largitorem agnoscimus. Vnde gratias agentes Regi Regum, ex cuius dispositione talia descendunt, rogamus, vt ipse regnum tuum in nobis prosperari faciat, & animam tuam a peccatis absoluat per æternum & consubstantialem sibi vnigenitum Christum Dominum nostrum, in vnitate Spiritus sancti, Amen. vale memor nostri, non immemor tui] hæc ad Regem Canutum Fulbertus. Hæc omnia de Canuto, quem Cnutum appellat, habet rerum Danorum scriptor Adam, addit q. vtrobique regnasse ipsum, in Anglia atque Dania, & Magnũ ob id cognomento nuncupatum, aitque:

[b] Adam lib. 2. cap. 38.

[b] Victor Cnut ab Anglia rediens, in ditione sua per multos annos regnum Daniæ possedit & Angliæ. Quo tempore Episcopos ab Anglia multos adduxit in Daniam, de quibus Bernardum posuit in Scania, Gerbrandum in Selandia, Reginerum in Fiouia. Zelatus est hoc noster Archiepiscopus Hamburgensis Vuuanus, & dicitur Gerbrandum redeuntem ab Anglia, cepisse, quem ab Eltrodo Anglorum Archiepiscopo cognouisset esse ordinatum. Ille quod necessitas persuasit, satisfaciens, fidelitatem Hamaburgensi cathedræ cum subiectione debitam spondens, familiarissimus deinceps Archiepiscopo effectus est: per quem ille suos etiam Legatos ad Cnut Regem transmittens cum muneribus, congratulatus est ei de rebus bene gestis in Anglia, sed corripuit eum de præsumptione Episcoporũ, quos transtulit ex Anglia. Quod Rex gratanter accipiens, ita postmodum coniunctus est Archiepiscopo, vt ex sententia eius omnia deinceps facere maluerit. Hæc nobis de auunculo suo Rex Danorum innotuit, & de captione Gerbrandi non tacuit] hæc Adam.

S. SIMEONIS ARMENI OBITVS.

Hoc anno moritur vir sanctitate insignis genere Armenus, nomine Simeon, qui vitæ anachoreticæ cunabula exercuit in Palæstina, inde diuino monitu in Occidentem migrauit, vbi plurimis miraculis illustratur. Qui autem res ab eo præclare gestas conscripsit, etsi nomine incognitus nobis sit, tamen eodem vixisse tempore certum est.

Porro

Porro de eius vitæ primordijs se per epistolas admonitum ab Arsenio Patriarcha Hierosolymorum, idem auctor in eius vita testatur. Sed quæ ipsi contigerint, dum habitu peregrino se in Vrbem contulit, visitandi gratia Sanctorum Memorias sub eodem Benedicto Pontifice, cum hæresis accusatus, periclitatus esset, nisi diuinitus liberatus fuisset: ab eodem auctore sic accipe:

Non multo post tempore Dei seruus Simeon, exacto iam eremiticæ conuersationis prælioso tyrocinio, secundum quod alibi diuinitus reuelatum est, solitudinis antra deseruit, & orationis studio Romam peregrinus expetijt. Cumq. multa Sanctorum corpora circumeundo visitaret, quem nullus in orando labor vix aliquando superaret; tandem ad Oratorium sancti Ioannis Baptistæ Lateranensis ecclesiæ applicuit. vbi sanctæ Romanæ Ecclesiæ Pontificem Benedictum nomine, cum multis religiosis Episcopis Orthodoxis viris in congregata Synodo residere inuenit. In quo cum deuotæ orationis moram, vt ei semper consuetudo fuerat, diu in longum protraheret: vnus ex Clero nequitiæ ac superbiæ furore plenus, Simeonem virum sanctum & Catholicum, omnibus in Synodo residentibus, ore polluto infamauit hæreticum] Viguit enim super omnes in Clero Romano odium in hæreticos, adeo vt vel ex suspicione impetu ferrentur in eos. Sed vt contingit sæpe pecuarijs canibus in amicos ferri, quos cum extraneo indutos habitu viderint, existiment inimicos: ita huic, de quo est sermo, contigit clerico, de quo pergit auctor dicens: Et vt eum morti traderet, & ad necandum eum populum concitaret, talia aduersus virum Dei verba ore polluto delatrabat, dicens: Nonne, inquit, omnes videtis, in visu, & in incessu, & totius corporis gestu hominem hunc prauum & impostorem hæretice agere?]

SIMEON FALSO EXISTIMATVS HAERETICVS IN VITAE DES CRIMEN ADDVCTVS.

Ne mireris, Lector: nam ob diuturnum tempus, quo Manichæi (vt audisti Tomis superioribus) incoluerunt Armeniam, & alij hæretici eamdem prouinciam pluribus erroribus infecerunt, factum fuit, vt Armenum nomen ab Occidentalibus male audiret, vtpote hæresum plurimarum erroribus infamatum, & nouisse quemquã Armenum dici, detexisse hæreticum esset. Accedebat vero, quod his quoque temporibus (vt ex dicendis perdisces) Manichæi in Occidente, & anno sequenti in Gallijs deprehensi sint, & igni traditi. Quod enim esse consueuerit in eis affectata sanctitas, ne impij detegerentur, plane euenit, vt ex ijsdem notis magis solerent inquiri. nam accidit quod de suis temporibus conquerens, ita narrat sanctus Hieronymus, ad Eustochium scribens:

NOMEN ARMENVM HAERESI INFAMATVM.

[a] S Hieron. ep. 22.

[a] Quam, inquit, viderint pallentem atque tristem, miseram ac Manichæam vocant] adeo vt ex ijs notis viri etiam sanctissimi infamarentur. Sed secundum illud Domini:

[b] Ioan. 7.

[b] Nolite secundum faciem iudicare, sed iustum iudicium iudicate: Dei sententia mendacem postea ostendit accusatorem, cum eum digna pœna corripuit. Percitus igitur ille clericus zelo (vt præ se ferebat) Catholicæ Fidei, in eum exclamans: Insurgamus ergo (inquit) in eum, & vt ceteri contremiscant, aut lapidibus obruamus, aut viuum igne comburamus. Hæc flagitiosus iebat, & eius flagitio plures adiuncti sunt, vnanimiter conspirantes, qui instigante diabolo, virum sanctum, iustum & pium toto conamine occidere moliebantur. Qua de re Romanus Pontifex cum vniuerso Episcoporum collegio turbabatur, & quibus indicijs hoc vere cognosci potuisset, sciscitabatur.

SIMEONIS FIDES CATHOLICA EXPLORATVR.

Aderat tunc ibi quidam religiosus & reuerendus Episcopus, qui ab Armeniæ finibus peregre Romam petens, consilio & sapientia præditus, reuerentia sanctitatis habebatur egregius. Qui domnum Papam humiliter adiens, his dulcedinis verbis illum exhortabatur, dicens: Tua, beate Pater, iubente auctoritate furor populi conquiescat, & quis vir ille sit, vel cuius professionis, seu qualiter Catholicam Fidem excolit, me percontante, tua paternitas recognoscat. Cuius sapienti consilio reuerendus Papa credidit, eoq. iubente, seditio populi conquieuit. Tum vero supra memoratus Episcopus virum Dei Simeonem aggreditur, & lingua, qua vtebatur, ita eum alloquitur: Quis es? vnde es? dic ergo frater monache, & si Catholicæ Fidei cultum tenes, per me his omnibus innotescat. Ad hanc vocem seruus Dei Simeon, qui erat Deo plenus, nusquam vero sapientia vacuus, denuo quoque interroganti prudenter respondens, Catholicæ & Apostolicæ Fidei perfectionem ita confitendo perdocuit, qualiter per vniuersum orbem Apostolorum Symbolum in Nicæna Synodo peroratum clara voce personuit. Quod cum peregrinus Episcopus audisset, famulum

Universidad de Deusto
Biblioteca

lum videlicet Dei Simeonem plenum fide & sanctitate veraciter agnosceret, magno repletus gaudio, pro reuerentia sanctitatis, eius pedibus se prostrauit humilitatis obsequio,] his signis ostendere volens populo, quam enormiter errassent, in eumq. peccassent, cum eum crimine hæresis infamassent, & vt hæreticum puniendum insana rabie conclamassent. A

Postquam igitur plura inter se Armenica lingua contulerunt ad inuicem, ad extremum peregrino Episcopo totum de seruo Dei, quod quærebat, innotuit. quod protinus Papæ, ac omnibus qui aderant, virum Dei scilicet Simeonē veræ Fidei esse professorem, sanctum & iustum, æternæ Trinitatis cultorem, Dei omnipotentis adoratorem, palam omnibus declarauit. Sed quia Deus omnipotens Deus vltionum Dominus est, qui nihil, quod iniuste culpatur, inultum abire permittit: & impiorum nequitiam vlciscendo consumit, clericum, qui ad necandum seruum Dei populum concitauerat, eadem hora spiritus malignus arripuit, ac pro illata seruo Dei contumelia diutissime volutando vexauit. Videntes autem Romanus Pontifex, ac totus Clerus, vniuersusq. populus tanta Dei magnalia, & mirifica opera, eleuatis in cælum manibus simul cum clamoribus, omnipotenti Deo laudes & gratias referebant, qui non permisisset suum seruum innocentem perimi sub iniquorum præiudicio, nec accusatorem eius abire sine vindictæ præmio. Tunc Christi seruus Simeon cernens peruasum clericum ab vltore spiritu crudeliter tormentari, memor Euangelici dicti, quo dicitur: [a] Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos: compatitur miserrimo clerico. Eleuata itaque super eum manu, signum Crucis, increpando dæmonem, edidit: moxq. malignus spiritus per os vexati turpiter exclamans, vlulando euanuit. Eadem vero hora liberatus ab hoste clericus, pedibus viri Dei Simeonis prouolutus corruit, ac ingenti gemitu diutissime plorans, se reum, se culpabilem multum accusans, de perpetrato scelere veniam postulauit, &c.] Subijcit vero auctor, quod cum Simeon ab ipso Pontifice honorifice exciperetur, & sparsa de eius sanctitate fama plurimi ad eum conuenirent vt sanarentur, ijdemq. curarentur, cum nimio populi totius plausu coleretur ab omnibus, ab Vrbe discessit, & peragrans Italiæ, & Galliæ, & Hispaniæ regiones, visitans loca sancta, demum Mantuæ substitit, ibiq. a Bonifacio Duce, & Richelda eius coniuge digne habitus, demum in pace quieuit, illustratus a Deo tam viuens quam mortuus multis miraculis. Signat vero auctor obitus tempus eiusmodi chronologia: Septimo Kalend. Augusti diem clausit extremam, anno Dominicæ Incarnationis millesimo decimosexto, Indictione decimaquarta, Imperij monarchiam obtinente Henrico Augusto] Longe autem diuersus Simeon iste ab illo, qui in Gallijs post annos viginti diem obijt. de quo suo loco dicendum. B C D

VLTIO IN ACCVSATOREM DIVINITVS IMMISSA.

[a] Matt. 5.

IESV CHRISTI ANNVS 1017. BENEDICTI VIII. PAP. ANNVS 6. HENRICI IMP. 4. BASIL. ET CONST. IMPP. 42.

ANNVS sequitur Christi millesimus decimusseptimus, Indictione decimaquinta, quo in Gallijs detegitur hæresis Manichæa: ad quam euertendam inuigilauit Roberti Regis Francorum, simul & Episcoporum industria. Quomodo autem ista se habuerint, Glaber, qui aderat, accurate describit his verbis: [b] Tertio de vicesimo * infra iam dictum millesimum anno reperta est apud præfatam Aurelianensem vrbem cruda nimium atque insolens hæresis, quæ scilicet diutius occulte germinata, in perditionis segetem male pullulans, plures in suæ cæcitatis præcipitauit laqueum. Fertur namque a muliere quadam ex Italia procedente hæc insanissima hæresis in Gallijs habuisse exordium, quæ, vt erat diabolo plena, seducebat quoscumque volebat, non solum idiotas & simplices, verum etiam plerosque, qui videbantur doctiores in clericorum ordine. Quæ scilicet veniens in ciuitatem Aurelianensem, dum moraretur ibi per aliquod spacium temporis, veneno suæ nequitiæ plures infecit. Quod etiam seminarium nequam in plures hi, qui susceperant, toto conamine spargere nitebantur. Fuerunt nempe huius peruersi dogmatis hæresiarches duo (heu proh dolor) qui in ciuitate putabantur genere, ac scientia valentiores in Clero, quorum vnus E

[b] Glab. lib. 3. c. 8.
* supra HAERESIS MANICH. IN GALLIIS.

A vnus Heribertus, alter Lisoius dicebatur. Hi denique, quamdiu res latuit, tam apud Regem, quam apud palatij proceres summam obtinuerant amicitiam: nempe idcirco facilius quosque decipere potuerunt, quorum mentes amor Fidei vniuersalis minus astrinxerat. Qui non solum in prædicta vrbe, sed etiam in vicinis vrbibus malignū dogma spargere tentabant, dum quemdam sanæ mentis in Rothomagorum ciuitate presbyterum cupientes suæ consortem facere vesaniæ, missis Legatis, qui ei omne secretum huius peruersi dogmatis explanantes docerent. dicebant nempe, fore in proximum, in illorum scilicet dogma populum cadere vniuersum.

Quibus compertis, presbyter sollicite perrexit ad Christianissimum Comitem eiusdem ciuitatis Richardum: exposuit ei omnem rei (vt compererat) ordinem. Qui videlicet Comes protinus misit celeriter ad Regem, palam ei faciens clandestinam in B regno proprio Christi ouium pestem. Vt autem cognouit Rex scilicet Robertus, vt erat doctissimus, ac Christianissimus, tristis ac mœrens nimium effectus est, quoniam & ruinam patriæ reuera, & animarum metuebat interitum. Ideirco quantocyus Aurelianos properans, conuocatis plurimis Episcopis, & Abbatibus, ac religiosis quibusque laicis, acerrime cœpit perscrutari, qui essent auctores huius peruersi dogmatis, vel qui parti illorum iam decepti consentirent. Facta igitur perscrutatione inter clericos, quomodo vnusquisque sentiret, & crederet ea, quæ Fides Catholica per doctrinam Apostolicam incommutabiliter seruat & prædicat: illi duo, videlicet Lisoius & Heribertus statim se aliter sentire non negantes, quales diu latuerant, manifestauerunt. Deinde vero plures post illos se parti istorum profitebantur hærere, nec vlla ratione se posse affirmabāt ab illorum segregare consortio. Quibus compertis, tam Rex, C quam pontifices tristiores effecti, interrogauerunt illos secretius, vtpote viros hactenus in omni morum probitate perutilissimos, quorum vnus Lisoius in monasterio sanctæ Crucis clericorum charissimus habebatur: alter item Heribertus sancti Petri ecclesiæ, cognomento Puellaris, capitale scholæ tenebat dominium. Qui dum interrogati fuissent, a quo, vel vnde eis ista præsumptio accidisset, huiusmodi dederunt responsum: Hoc enim diu est, quod sectā, quam vos iam tarde agnoscitis, amplectimur, sed tam vos, quam ceteros cuiuscumque legis, vel ordinis in eam cadere expectauimus; quod etiam adhuc fore credimus. His dictis continuo palam exposuerunt omnium antiquarum stultissimam ac miserrimam nempe sui deceptricem hæresim. Cuius videlicet ratiocinatio tanto minus erat idoneis sermonibus obnixa, quanto constat esse illi ter veritati contrariam.

D Dicebant ergo deliramenta esse, quidquid in veteri ac nouo canone certis signis ac prodigijs, veteribusq. testatoribus de trina vnaq. Deitate beata confirmat auctoritas. Cælum pariter, ac terram, vt conspiciuntur, absque auctore initij semper extitisse asserebant. Et cum vniuersarum hæresum insanientes, canum more latrantes deterrima: in hoc tantum Epicureis erant hæreticis similes, quoniam voluptatum flagitijs credebant non recompensari vltionis vindictam. Omne Christianorum opus, pietatis dumtaxat, & iustitiæ, quod æstimatur pretium remunerationis æternæ, laborem superfluum iudicabant esse. Interea his, alijsq. quamplurimis insanis impudenter ab eisdem prolatis, non defuere fideles atque idonei testes veritatis, qui illis sufficienter, si vellent tam veritati, quam propriæ acquiescere saluti, respondere de suis cæcis atque erroneis assertionibus valerent. sed & nos quoque secundum exiE guitatem nostri intellectus his, quos prænotauimus, illorum erroribus vel perpauca respondere decreuimus] subijcit his auctor aduersus eorum errores disputationem, eaq. absoluta, narrare pergit, quæ sunt sequuta, sic dicens:

Præterea cum a pluribus omni sagacitate elaboratum fuisset, qualiter deposita mentis perfidia, veram & vniuersalem reciperent Fidem, atque illi omnimodis se facere denegarent: dictum est eis, quoniam nisi celerius ad sanam Fidei mentem redeant, Regis iussu, & vniuersæ plebis consensu, igne essent protinus cremandi. At illi male in sua confisi vesania, nil pertimescere se iactantes, seq. euasuros ab igne illæsos promittentes, quin potius meliora sibi suadentibus spernendo illudebant. Cernens quoque Rex, & vniuersi qui aderant, minus posse illos reuocari ab insania: iussit accendi non longe a ciuitate ignem permaximum, vt vel eo forte territi, a sua malignitate desine-

AVRELIANENSE CONCILIVM CONTRA NOVOS HAERETICOS.

CAPITA HAERESIVM.

Universidad de Deusto
Biblioteca

HAERETICI IGNI TRADVNTVR.

dosinerent. Ad quem cum ducerentur, rabida adacti dementia, se omnimodis hoc A
velle proclamabant, ac sese vltro ad ignem trahentibus inferebant. Quibus ad vltimum numero tredecim igni traditis: cum iam cœpissent acrius aduri, cœperunt voce, qua poterant, ex eodem igne clamare, se pessime deceptos arte diabolica, nuper de vniuersorũ Deo ac Domino male sensisse, & ob hanc ab eisdem illatam ei blasphemiam illos temporali, atque æterna vltione torqueri. His vero plures e circumstantibus auditis, humanitatis pietate permoti accedentes, vt vel semiuiuos ab igne eriperent, minime valuerunt, quoniam vindice flamma consumente illos, continuo in
* cinerem * puluerem fuerunt redacti. Si qui vero postmodum huius peruersitatis sectatores fuerunt reperti, simili vltionis vindicta vbique fuerunt perditi. propterea venerabilis Catholicæ Fidei cultus, extirpata insanientium pessimorũ vesania, vbique terrarum clarior emicuit] hactenus Glaber. Quibus plane commendatur Roberti Regis Christianissimi excellens pietas & industria in exurendis confestim ad messem iam perductis selectisq. zizanijs, quæ si diutius siuissent illæsa seruari, vna cum religione perdidissent & regnum. De ijsdem Manichæis in fragmentis historiæ Francorum Roberti agitur, eorumdemq. peruulgati recensentur errores, eisdemq. per ignem illatum suppliciũ. B

MANICHAEORVM SECTA IN AQVITANIA.

De ijsdem etiam in fragmentis historiæ Aquitanicæ hæc de repertis in eadem prouincia hæreticis: E vestigio exorti sunt per Aquitaniam Manichæi, seducentes promiscuum populum a veritate ad errorem. suadebant negare baptismum, signum sanctæ Crucis, Ecclesiam, & ipsum Redemptorem sæculi, honorem Sanctorum Dei, coniugia legitima, esum carnium: vnde & multos simplices auerterunt a Fide] & inferius, eiusdem fuisse generis Aurelianenses hæreticos, auctor docet his verbis: Eodem tempore decem ex canonicis sanctæ Crucis Aurelianis probati sunt esse Manichæi: C
quos Rex Robertus, cum nollent ad Catholicam conuerti Fidem, igne cremari iussit. Simili modo apud Toletum inuenti sunt Manichæi, & ipsi igne cremati sunt. Et per diuersas Occidentis partes Manichæi exorti, per latibula sese occultare cœperunt, decipientes quoscumque poterant] & paulo superius de his, quæ tunc etiam Romæ accidissent memoratu digna.

IVDAEI LVNT DE IMMANI SCELERE POENAS.

His diebus in Parasceue post Crucem adoratam vsque Sabbatũ sanctum circa vesperam concussa est Roma a vi ventorum, & pene omnes Romani mortui sunt tam Christiani, quam Iudæi. Et quidam Iudæus Christianis intimauit, quod in Parasceue in synagoga Iudæorum imaginem Christi delusserunt, sicut fecerant Domino parentes eorum. Quod Benedictus Papa sollicite inquirens & probans, mox Iudæos, qui hoc
egerant, iussit decollari, quibus decollatis, cessauerunt venti] hæc ibi. in fragmentis etiam Francorum historiæ post recensitos Manichæorum errores atque suppliciũ, D
subijciuntur ista:

PLVVIA SANGVINIS QVID PORTENDERIT.

Circa id temporis in regione Aquitaniæ secus maritima tale prodigium accidit ante solemnitatem S. Ioannis Baptistæ: tribus diebus de cælo pluit sanguis, qui cadens super carnem hominis, aut super lapidem, non poterat lauari; si vero super lignum caderet, lauabatur.] Perterrefecit vniuersas Gallias eiusmodi prodigium, adeo vt Robertus Rex Francorum scriptis consuleret Fulbertum Episcopum Carnotensem, inter Gallicanos Episcopos doctrina facile principem: cuius de his ad eumdem Regem tunc
a Fulb. ep. 79. respondens data extat [a] epistola, in qua quid ista portenderent, in fine ita philosophatur: Quod autem nuper huiusmodi cruorem in quadam parte regni vestri pluisse audistis; & quod ille cruor, vbi supra petram, vel super carnem hominis ceciderat, E
ablui non poterat: vbi autem super lignum ceciderat, facile abluebatur: ** per hæc tria genera hominum significata esse videntur*; per lapidem impij, per carnem fornicarij, per lignum vero, quod neque durum est, vt lapis, neque molle, vt caro, illi, qui neque impij sunt, neque fornicarij. Cum ergo venerit super illam gentem, cui portenditur, gladius, siue pestilentia designata per sanguinem: si antea duri & molles non fuerint mutati in melius, morientur perpetualiter in sanguine suo: medij vero per angustiã mortis, vel aliter poterunt liberari pro arbitrio secretissimi atque præstantissimi Iudicis] hæc ad Robertum Regem Fulbertus. Porro consequuta esse bella grauissima in ea prouincia inter Gulielmum Aquitaniæ Ducem, & Gaufredum Comitem Andegauensem, quo seipsos mutuo aduersis armis confecerunt, idem auctor affirmat.

** hæc ex cod. Vatic. sunt restituta.*

Hoc

A Hoc eodem anno Iuditha Poloniæ Regina, sanctissima femina, coniux Boleslai Regis & adiutrix ad pietatem propagandam, ex hac vita summo omnium dolore decessit, cum superis in perpetuum regnatura. hæc de tempore Longinus, qui & res ab ea præclare gestas recenset.

IESV CHRISTI ANNVS 1018. BENEDICTI VIII. PAP. ANNVS 7. HENRICI IMP. 5. BASIL. ET CONST. IMPP. 43.

MILLESIMVS decimusoctauus Christi annus prima incipit Indictione, quem ob frequentia mala, quæ peperit borealibus Christianis, [a] Ditmarus terræmo- *a Ditm lib. vlt. prope finem.*
B tum appellandum existimat, siue contritionem magnam. recenset ipse plura infausta, quæ in Germaniæ prouincijs contigere. In primis vero deplorans damna diuersarum ecclesiarum, quæ pluribus in locis a Principibus passæ sunt, incendia ecclesiarum a populis Abotritis & Vuaris a Fide refugis, ad impietatem relapsis: multisq. de his, & alijs diuersis enarratis, agit ad finem inter alia de expugnatione Kiouiæ primariæ ciuitatis, & eius Archiepiscopi captiuitate. De cuius ciuitatis religione mira narrat, nimirum erectas extitisse in ea plures quam quadringentas ecclesias, vt mirum videri possit, adeo breui temporis spacio in ea coaluisse Christianismum, fuisseq. tanta pietate præstantẽ, vt tot ecclesiæ fuerint tam cito ædificatæ. Quod autem magis mirandũ, illud est, quod eiusdẽ vltimi libri narrat exordio de pœna, qua esset plectendus adulter, dirissima quidem, vt eius atrocitate exterriti impudici, colere discerent castita-
C tem; sicut & illa, qua gulæ vitium esset penitus coercendum, dum statutum fuit, vt qui post Septuagesimam carnem manducasse inueniretur, is confestim pœna grauissima, nempe auulsione dentium puniretur. Hæc & alia, quæ admiranda potius quã laudanda Ditmarus esse putauit: sed plane ardens zelus animi commendandus, cum putauerit legislator atrocissimis pœnis, velut vallo, muniendam diuinorum præceptorum obseruantiam, ne quis ea transgredi quouis modo præsumeret, pœnarum immensitate cohibitus.

CLADES REGALIVM ECCLESIARVM.

DITMARI OBITVS.

Porro his enarratis Ditmarus finem scribendi fecit, & vitæ tempus absoluit, multiplici nomine commendandus: in primis vero, quod in omnibus optimi pastoris specimen edidit, & cum omnibus virtutibus effulserit, potissimum vero enituit Christiana illa virtute adeo commendata, & dictis ac factis a Christo suis Discipulis prædica-
D ta, humilitate videlicet, in omnibus semper sui accusator existens, aliorum vero ex virtutibus laudum commendator eximius. Qui autem anni huius res gestas ab eo percurret, plane intelliget, eumdem venturæ mortis diuinitus accepisse responsum: cuius rei causa de ecclesia sibi commissa sollicitus, ad successorem sibi futurum, quomodo se gerere debeat, conuertit orationem; eumdemq. veluti præsentem compellans, quæ sectari, quæve cauere deberet, insinuat. Moritur autem hoc anno Kalendis Decemb. anno suæ ætatis quadragesimoprimo, absoluto viij. Kal. Aug. qua die se natum profitetur, anno salutis nongentesimo septuagesimosexto, suæ vero sedis anno decimo mense septimo, die septimo. Quod autem ad eius scripta pertinet, danda venia, si adhuc rude, necdum expolitum lima opus inueniatur: etenim illud ip-
E sum ab eo hoc extremo vitæ tempore fuisse elaboratum, qui vitam eius paulo post obitum scripsit, ostendit, dum ait: Anno vero decimo ordinationis suæ, natiuitatis vero quadragesimoprimo diuertit ab oneribus huius sæculi dorsum eius, faciemq. mentis in tranquillitatem quietudinis statuens, ac animo tribulos sollicitudinis euellens, fructus permanentes nouæ plantationis germinauit. Scripsit enim Chronicon per quinque Regum tempora digestum, incipiens ab Henrico Humili, qui primus hoc nomine, & in huius narrationis ordine imperauit, & ab Ottone Magno, Secundo & Tertio vicissim sibi succedentibus ad Henricum Pium, nostræ ecclesiæ reparatorem, ac exaltationis auctorem progreditur, &c.] Cedit vero ipsi magnæ laudi, quod iam argumentis mille & exemplis innumeris egregie Fidem Catholicam testatam reliquit aduersus suos gentiles apostatas Nouatores, qui nostro hoc sæculo emersere.

Idem annus hic est, quo Northmanni hortatu Benedicti Pontificis aduersus Græcos in Apulia pugnantes, pluribus eos victorijs debellarunt. Quod ad tempus spe-

 ctat,

Universidad de Deusto
Biblioteca

[a] Leo Oſt. lib. 2. c. 28. [b] Id. lib. 2. c. 31.

NORTHMANNORVM ADVENTVS IN ITALIAM.

[c] Glab. lib. 3. c. 1

stat, hoc id accidisse anno, ex [a] Leone Ostiense exploratum habemus, dum ait id factum anno septimo Atenulphi Abbatis, quem constat ipsius [b] assertione creatum fuisse anno Domini millesimo vndecimo. A

Quomodo autem ista se habuerint, secutius accipiemus e Glabro huius temporis historiarum scriptore, qui ait: [c] Contigit autem ipso in tempore, vt quidam Northmannorum audacissimus nomine Rudolphus, qui etiam Comiti Richardo displicuerat, cuius iram metuens, cum omnibus, quæ secum ducere potuit, Romam pergeret, causamq. propriam summo Pontifici exponeret Benedicto. Qui cernens eum pugnæ militari elegantissimum, cœpit ei querelam exponere de Græcorum inuasione Romani Imperij, seq. multum dolere, quoniam minime talis in suis existeret, qui repelleret viros externæ nationis.

BENEDICTVS PAPA MITTIT NORTHMANNOS ADVERSVS GRAECOS.

Quibus auditis spopondit se idem Rudolphus aduersus transmarinos prœliaturũ, si aliquod ei auxilium præberent vel illi, quibus maior incumbebat genuinæ necessitudo patriæ. Tunc vero prædictus Papa misit illum cum suis ad Beneuentanos primates, vt eum pacifice exciperent, semperq. prœliaturi præ se haberent, illiusq. iussioni vnanimes obedirent. Egressus ad Beneuentanos, qui eum, vt Papa iusserat, suscepere. Ilico autem illos ex Græcorum officio, qui vectigalia in populo exigebant, inuadens Rudolphus, diripuit quæque illorum ac trucidauit. His itaque auditis illorum socij, qui iam plures ciuitates & castella propriæ subiugauerant ditioni: coacto in vnum suorũ exercitu inierunt prœlium aduersus Rudolphum & eos, qui eius fauebant parti. In quo scilicet prœlio pars Græcorum occubuit maxima: insuper & castra aliqua dimisere vacua, quæ subsequutus Rudolphi exercitus victor obtinuit. B

GRAECI SAEPE VICTI FORTIORES COPIAS PARANT.

Visa igitur Græci suorum cæde, miserunt Constantinopolim, vt auxiliarentur eis quantocyus ab his, qui eos miserant; statimq. reformantes classem, multo plures, quam prius, prœliaturos miserunt. Interea cum auditum esset vbique, quoniam paucis Northmannorum concessa fuisset de superbientibus Græcis victoria, innumerabilis multitudo etiam cum vxoribus & liberis prosequuta est a patria, de qua egressus fuerat, Rudolphum, non solum permittente, sed etiam compellente, vt irent, Richardo illorum Comite. Egredientes autem satis audacter venerunt ad loca Alpium, qui & mons Iouis dicitur, vbi etiam in angustissimis semitis præpotentes regionis illius constituerant, imperante cupiditate, seras & custodes, ad pretia transmeantium exigenda. At illi Northmannorum exercitus confractis seris, cæsisq. custodibus, per vim transitum fecerunt: egressiq. non paruum Rudolpho contulerunt auxilium; sicq. pars vtraque resumptis viribus secundo inierunt prœliũ, in quo vtrumque exercitus grauiter cæsus: Northmannorum tamen exercitui victoria prouenit. Post paululum vero terno commisso prœlio, in sese pars vtraque fessa cohibuit: perspiciensq. Rudolphus suos defecisse, virosq. illius patriæ minus bello aptos, cum paucis perrexit ad Imperatorem Henricum, expositurus ei huius rei negotium. Qui benigne illum suscipiens, diuersis muneribus ditauit, quoniam rumor, quem de illo audierat, cernendi contulerat desiderium] hucusque Glaber de rebus per Northmannos gestis vsque ad Henrici aduentum in Italiam aduersus Græcos. Quomodo autem & anno sequenti ipse Benedictus Papa idem iter ad Imperatorem capessiuit, suo loco dicturi sumus. De legatione missa ad Imperatorem aduersus Græcos agit etiam Leo Ostiensis, idq. munus obijsse Melum Ducem affirmat. C D

RVDOLPHVS CONVOCAT AD IMPERATOREM.

[d] Leo Oſt. lib. 2. c. 38. in fine.

E

IESV CHRISTI ANNVS 1019. BENEDICTI VIII. PAP. ANNVS 8. HENRICI IMP. 6. BASIL. ET CONST. IMPP. 44.

BENEDICTVS PAPA PROFICISCITVR IN GERMANIAM.

SEQVITVR ordine temporum annus Redemptoris millesimus vndeuigesimus, Indictione secunda, quo Benedictus Papa rogatus ab Henrico Imperatore, in Germaniam veniens, Bambergæ ecclesiam sancti Stephani dedicauit. id hoc anno factum Hermannus, Lambertus, Marianus Scotus, Abbas Vrspergensis, & alij tradũt, Sigebertus autem anno sequenti. Porro non occasio schismatis illuc Pontificẽ abire compulit, vt aliquis existimauit (schisma enim exordio Pontificatus accidisse, tuncq. Benedictum illuc primum abijsse, suo loco superius dictum est) sed nec, vt eam dumtaxat basili-

A basilicam dedicaret, verum vt confirmaret sua præsentia Bambergæ Episcopatum, quem erexerat, prout in Actis S. Chunegundis Augustæ legitur iis verbis, vbi auctor meminisset de basilica sancti Stephani illic erecta: [a] Ad quam, inquit, dedicandam Benedictum Papam, quem præfatus Deo dignus Imperator Henricus ad confirmandum Bambergensem pontificatum aduocauerat, venire rogauit.] [a] apud Sur. die 3. Mar.

Sic igitur præcipua causa fuit confirmatio Bambergensis Episcopatus; nec leuis quidem causa: siquidem ciuitatem ipsam cum iuribus suis plene subiecit pius Imperator Romanæ Ecclesiæ, cui vt dominæ, annuum censum persoluerat: quam vt liberaret Henricus Iunior, vice Bambergæ tradidit eidem Ecclesiæ Romanæ Beneuentum, tempore Leonis Noni Romani Pontificis. Hæc quidem ita omnino se habuisse, Cassinatis monasterij monimenta prodidere, ex quibus Leo Ostiensis ista descripsit: [b] Hic idem Augustus ex sui patrimonij sumptibus construxit ecclesiam ad honorem sancti Georgij, quam aduocato Benedicto Papa, consecrari fecit; Episcopalemq. in ea sedem constituens, beato Petro ex integro obtulit, statuto per annos singulos censu, equo vno optimo albo, cum ornamentis omnibus & phaleris suis, centumq. marchis argenti. Postmodum Leo Nonus Papa Vicariatus gratia, *loco scilicet ipsius*, Beneuentum ab Henrico Conradi filio accipiẽs, prædictum Bambergense Episcopium sub eius ditione remisit, equo tantum, quem prædiximus, sibi seruato] hæc Leo Ostiensis. Quod autem dicatum alij omnes, dedicatam fuisse Bambergæ ecclesiam S. Stephani a Benedicto Pontifice, Leo autem dicat dedicatam ecclesiam sancti Georgij, haud adeo repugnat, vt non possit esse vtrumque verum. nam liquet Bambergæ fuisse etiam erectam basilicam S. Georgij, & eius nomine monasterium, vt eiusdem Chunegundis Acta produnt. B

BAMBERGA OBLATA S. PETRO.

[b] Leo Oſt. lib. 2. c. 47.

LOCO BAMBERGAE CIVITATIS DATVM BENEVENTVM

C De ijsdem Glaber habet ista in præfatione, tertio historiarum libro præfixa: Aedificauit quoque, inquit, *Henricus Imperator* monasterium in * Saxoniæ loco, qui dicitur Bauebereh, idest Bauonis mons: lingua enim Teutonica, berch mons appellatur. Quod etiam monasterium donis innumerabilibus locupletatum, a Romano Pontifice supradicto, scilicet Benedicto, in honorem Apostolorum Principis dedicari fecit, atque eiusdem Pontificis vsus consilio, eamdem ecclesiam in Episcopalem sublimauit sedem, constituroq. in ea Episcopo, amplissimorum fundorum redditibus esse fecit locupletem] hæc Glaber. At in fragmentis historiæ Aquitaniæ non ecclesiam, sed ciuitatem ipsam Bambergam recens ab ipso Henrico erectam, ab eodem Benedicto Pontifice in honorem Dei Genitricis Mariæ fuisse consecratam, asseritur. sunt hæc in ea: In terra Theodisca a nouo ciuitatem ædificauit, vocabulo Baenburg, quam Benedictus Papa in honorem Dei Genitricis consecrauit, & parochias in circuitu ex Pagano, vicis, & oppidis, dum conuerterẽtur, attitulauit ad illam] hæc ibi. * Franconiæ D

Præter hæc omnia, de aduentu Pontificis Bambergam ad Imperatorem a nobis ex diuersis auctoribus recitata, non prætermittam, illud etiam & forte præcipuum fuisse consilium eius, vt prouocaret eumdem ad ferendas suppetias Ecclesiæ Romanæ aduersus Græcos, qui pedetentim iam sibi cuncta vsque ad Romanos fines vendicauerant, vel eorum dominos fecerant sibi fideles. nam audi quid de Capuano Principe Vrbi finitimo dicat Leo Ostiensis: [c] Capuanus Princeps Constantinopolitano Imperatori Basilio clam fauebat, claues aureas ad illum misit, se & vrbem Capuanam, immo totum principatum eius per hæc Imperio tradens, &c.] iamq. fore, vt fœderatorum auxilio ipse Græcorum Imperator Roma absque obstaculo potiretur.

GRAECI POTENTES IN ITALIA TERRORI SVNT ROMANO PONTIFICI.

[c] Id. lib. 2. c. 39.

E Hic postremo vetus instrumentum, hoc anno conscriptũ, quo in primis asserta a nobis chronologia anni Pontificis & Imperatoris, insuper & Indictionis nota cõprobetur, inde vero alia pleraque discantur, describendum curauimus nuper acceptum a Flaminio Philonardo Episcopo Aquinate nobis amicitia coniunctissimo, vna cum alijs antiquitatis monimentis, a sanctiss. memoriæ Paulo Papa Quarto collectis antequam Cardinalis esset. continet restitutionem factam sancti Gregorij monasterio de bonis eius male a Silueſtro Abbate alienatis, quæ qui accepit Ingizo nobilis Romanus restituens, documentum hoc per Sergium sanctæ Romanæ Ecclesiæ Scriniarium conficiendum curauit quod (vt temporis infelicis conditio dabat) obsitum solœcismis & barbarismis, & superinductis ex vetustate mendis deprauatum, qualecumque sit, accipe: nam sciendi curiositas quæque aspera condiens suauia reddit:

In nomine Domini Dei Saluatoris nostri IESV Christi, anno, Deo propitio, Pontifica-

Universidad de Deusto
Biblioteca

DIPLOMA DE RESTITVTIONE FACTA MONAST. GREG. IN VRBE.

tus domini Benedicti summi Pōtificis & vniuersalis Octaui Papæ in sacratissima sede B. Petri Apostoli octauo, imperāte domino pijssimo perpetuo Augusto Henrico a Deo coronato Magno Imperatore anno sexto, Indictione tertia, mēsis Nouembris die xxiij. A

Decet autem bonæ fidei solo verbo sufficere, sed aliquando solet tempus longinquitatis extendere, & non valet quidquid conuentum vel gestum fuerit, seriem memoriter retinere. ob hoc necesse est, quæcumque inter partes conueniunt scriptura Notarij, vt quandoque si expedit, & ostensi fuerint, omnem totius litis amoueant quæstionem. Et ideo quoniam constat me Ingizo nobilem virum Franco bonæ memoriæ qui dicebatur a Transtiberi filium, ægroto namque corpore, sed largiente diuina misericordia, mente & conscientia sana, dico autem omnibus non solum præsentibus sed etiam futuris, quia bonum est homini semper ante oculos propria adhibere delicta, secundum Psalmi sententiam: [a] Et peccatum meum ante me est semper. & iterum: Grauiter in Dominum delinquunt qui diuitijs a Deo concessis non in rebus salutaribus, sed in prauis vtuntur; nesciunt enim impartiri pauperibus, oppressis subuenire despiciunt, & inde magis augent delicta vnde redimere debuerunt. Idcirco ac si ab hac die decessissem, & digessi, atque in omnibus deliberaui & definiui simulq. reputaui, nullo me cogente neque contradicente aut vim faciente, sed propria spontaneaq. mea voluntate, vobis autem sancte Andrea Apostole, ac beate Confessor Christi Gregori, & per vos in sacratissimo vestro venerabili monasterio quod nuncupatur Cliuus Scauri, existente domino Ioanne reuerendissimo Abbate, & per eum in cunctis cæteruis monachorum ac presbyterorum Dei, qui ibidem seruituri sunt vsque in perpetuū, pro vero plane amore, ac dilectione, quam in vobis habeo, vt in die aduentus Domini & Saluatoris nostri Iesv Christi pro me indigno intercedere dignemini apud eum qui vos elegit, quatenus de meis criminibus & peccatis veniam aliquantulum inuenire merear. Recolo autem cuiusdā sapientissimi verba qui dixit: Nulla scelera eleemosynis posse redimi, si in peccatis quisque permanserit; tunc autem fructu eleemosynarū indulgentia conceditur, quando ab scelerum opere desinitur. & iterum: Misericordia a compatiendo alienæ miseriæ vocabulum sortita est. Nullus autē in alio esse misericors potest, qui praue viuendo in se misericors nō est. Qui enim sibi nequā est, cui bonus est? B C

Ob hoc refundo, & concedo vobis vestrisq. seruitoribus in perpetuum, idest eam scilicet hereditatem, quam hactenus per emphiteosim meis detinui manibus, quam mihi quondam Siluester nefandissimus ac sceleratissimus eiusdem monasterij Abbas fecit, quæ esse videtur de terris, campis, pratis, pascuis atque siluis, montibus & collibus, plagijs & planitijs, quod cultum vel incultum, excipio autem solummodo vineas quæ sitæ sunt in loco qui vocatur Mateso, quas meis per omnia * conseruo manibus, cetera vero omnia quæ prædixi, quanta nunc vsque meis detinui manibus, sicuti infra subscripsi, concludunt affines: omnia in omnibus vobis, domini mei, vestrisq. seruitoribus refuto sicuti iuris antea fuisse decernitur, posita in fundum Mola rupta, vel quibus alijs nuncupantur vocabulis inter affines: a primo latere, incipiente a vado quod est ab Ara Crescentij de Arce, & exinde per fractale vsque in pede de monte sanctæ Mariæ: deinde per pedem montis sicuti ascendit in via Pipponesca, & ab vtrisque lateribus omnia de vestro venerabili monasterio iurisq. vestri. Hanc namque hereditatem sicut hactenus meis tenere visus fui manibus, vobis Apostole, & Confessor Christi, vestrisq. seruitoribus refuto & in propria iura reuoco, ne forte in die Iudicij a Creatore omnium rerum, & a vobis aliquam pro ea sentiam pœnam; sacra autem Scriptura testante: [b] Beatus qui vigilat & custodit vestimenta sua, quod est opera, ne nudus ambulet, & videant alij turpitudinem eius. Quid enim mihi prodest gloriosiorem apparere apud homines, & nitidiora membra gestare, & intus apud Deum, cuius oculis nuda & aperta sunt omnia, putridiorem & fœtidiorem animam meam esse captiuam? Quid prodest mihi sociari hominibus, & priuari ab Angelis? Quid prodest mihi terrena acquirere, & cælestia non habere? Ista & alia multa similia recolui, quæ dicere longum est. Et ideo ab hodierna die & vsque in perpetuum dimitto vobis vestrisq. seruitoribus suprascriptam totam hereditatem, quam iniuste meis hucusque detinui manibus: quam prædictus damnatus & impius iniquusq. Siluester Abbas pro suis facinoribus mihi dederat, excepta iam dicta vinea, quā meis detineo potestatibus: de ceteris namque omnibus (vt prædixi) emitto vobis plena- D E F

* conscui

a Psal. 50.

b Apoc. 16.

A plenariam & irreuocabilem securitatem deliberationis refutationisq. chartulā, & nullo quoque tempore, & numquam a me, neque ab heredibus & successoribus meis, neque etiam a nulla magna paruaq. persona a me submissa contra vos vestrosq. seruitores quamlibet moueri quæstionem, aut calumniam, neque supplicando Principibus, aut exorando Pontifices, aut aliquam personam huiusmodi querimoniam pro eadem terra vmquam in tempore facere præsumam, sed ab omni homine omni in tempore securum & quietum vestrum monasterium vestriq. seruitores existant vsque in perpetuum. Interim notum facio omnibus, vt nullus Abbas, nullusq. homo hanc terram, quam vobis restitui, audeat vel præsumat de vestro monasterio per quamlibet scripturarum seriem subtrahere vel alienare, sed semper in vsu monachorum constituo permanendam. Et qui ita fecerit, cum diabolo & eius atrocissimis pompis societatem B habeat, & anathematis semper sit vinculo innodatus, & suprascripta terra inconuulsa semper ibidem maneat. Vnde & iuratus dico per Deum omnipotentem, sanctæq. Sedis Apostolicæ D. Benedicti Octaui Papæ atque Henrici Imperatoris salutem, hæc omnia, quæ præsens huius cartulæ series textus eloquitur, inuiolabiliter conseruare, atque adimplere promitto. Nam quod absit, si contra hanc chartulam, quam sponte & voluntarie, rogaui agere, aut causare, vel litigare præsumpsero, & cuncta quæ a me dicta sunt non obseruauero per quemuis modum, aut per qualecumque ingenium, quod sensus humanus intelligere vel capere potest, tunc non solum periurij pœnam incurram, verum etiam daturum me esse promitto vna cum heredibus & successoribus meis vel consanguineis meis vobis denique & seruitoribus vestris ante omne litis initium pœnæ nomine auri purissimi lib. x. & post solutam pœnā maneat hæc chartula in sua nihilominus firmitate, quam scribendam rogaui Sergium Scriniarium sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in qua ego Ingizo signum sanctæ Crucis per prædictum Scriniarium feci, & testes, vt scriberent rogaui, & pro vobis ad suprascriptum Ioannem Abbatem quasi pro vestra benignissima persona contradidi atque refutaui in mense & Indictione suprascripta tertia. C

Signum + manu suprascripti Ingizo nobilis viri, qui hanc securitatis refutationisq. chartulā fieri rogauit + Crescentius Dei gratia Vrbis Romæ Præfectus. + Ioannes Datiuus iudex. + Andreas de Petro qui dicebatur de Viola de Colosseo testis. + Baldo quondam Sinoclo vocatus testis. + Gregorius fidelis prædicti Ingizo + Andrianus a Transtiberi testis. Ego Sergius Scriniarius sanctæ Romanæ Ecclesiæ Scriptor huius chartulæ post testium subscriptiones & traditionem compleui & absolui.

SERGII EPISC. CONSTANT. OBITVS ET EVSTATHII SVBROGATIO.

D Quod demum pertinet ad res Orientalis Ecclesiæ, hoc anno Indictione secunda mense Iulij moritur Sergius Patriarcha Constantinopolitanus, in cuius locum suffectus est Eustathius primus presbyterorum, qui erant in templo Regiæ. hæc Curopalata. Quod autem idem dicat, Sergium sedisse viginti annos integros, subrogatum in locum Nicolai defuncti, videtur prætermissus ab eo Ioannes Patriarcha, quem Petrus Patriarcha Antiochenus in epistola, quam scripsit ad Michalem Cerularium Constantinopolitanum Patriarcham, ponit sedisse ante Sergium, tenuisseq. sedem illam viuente Ioanne itidem nominato Romano Pontifice, eius nominis Decimooctauo. Sunt hic recitanda eius verba, quibus plenissima fides astruitur. sic se habent: Et hac in re ego quidem testis fidus, & alij multi Ecclesiæ proceres, quod tempore beatæ memoriæ Patriarchæ domini Ioannis, Romanus Papa Ioannes etiam ipse nuncupatus, in sacris diptychis habebatur, & cum Constantinopolim quadragintaquinque abhinc annis veniissem, inueni tempore beatæ memoriæ domini Sergij, prædictum Ioannem in sacra Missa vna cum alijs sanctissimis Patriarchis relatum] hæc Petrus Antiochenus de rebus gestis suo tempore, quas & vidit. Cum igitur hæc ita se habuisse noscantur, longe minor erit Sergij Episcopatus numerus, totq. annos sit necesse minui a sede Sergij, quot tenuerit eam idem ipse Ioannes. E

IOANNES ANTE SERGIVM EPISCOPVS CONSTANT.

IESV CHRISTI ANNVS 1020. BENEDICTI VIII. PAP. ANNVS 9. HENRICI IMP. 7. BASIL. ET CONST. IMPP. 45.

REDEMPTORIS annus vigesimus post millesimum surgit cum Indictione tertia, quo inter S. Heribertum Coloniensem Archiepiscopum & Henricum Imperatorem

Universidad de Deusto
Biblioteca

ratorem illa contigerunt memoratu digna, quæ descripta a Ruperto Abbate Tuitien- A
si sic se habent: [a] Porro maiores fluctus illi excitabat in Imperatoris animo ventus contrarius, quia videlicet suspicionem, quam contra sanctum virum initio regni sui (sicut iam supra dictum est) mente conceperat, inuidi iam dicti semper augere laborabant detractorijs susurrationibus. Denique res eousque processit, vt iam dictus Imperator nimio contra illum furore succensus, Coloniam peteret, hoc propositum habens, vt eum pontificatu amoueret, aut certe, si hoc rationabiliter fieri non posset; quolibet modo iniuriose illum & indigne tractaret. At vero Deus maris & fluctuum Dominus, qui ad beatum Iob mystice loquens: [b] Circumdedi, inquit, mare terminis meis, posuiq. vectem & ostia, & dixi: hucusque venies, & hic confringes tumentes fluctus tuos: non permisit procellam hanc hucusque procedere, vt perficeret Imperator quod intenderat, sed occurrens subuenit ambobus, videlicet & ei, qui pa- B
tiebatur immeritus; & illi, qui de innocentis conscientia male sentiens peccabat errore deceptus.

Causa, propter quam tali cum animo Imperator Coloniam properabat, huiusmodi extiterat: Imperator exercitu commoto, Comitem quemdam Ottonem, sæculi dignitate præpollentem in castro, quod dicitur Hamerstein, sito supra Rheni litus, obsederat. Is namque Otto Episcopatum Moguntinum multa infestatione sæpe peruagans ferro & igne populabatur, odio magno contra eiusdem ciuitatis Præsulem vehementer inflammatus. Fuerat namque ab illo propter illicitum connubiũ iudicio generalis Concilij anathematizatus. Cum ergo querimonia eiusdẽ Præsulis excitatus Imperator prædicto in castro eumdẽ obsedisset, venerabili huic viro demandauit, quatenus & ipse cum suis ad hoc negotium festinus adueniret. At ipse tunc immensis ve- C
xabatur febribus, & idcirco adimplere non valuit quod imperabatur. quam impossibilitatem eius & causam vt audiuit Imperator, non credidit, videlicet antiqua suspicione præoccupatus, & putans illum semper exosa sui habere tempora Imperij. Respondens igitur cum furore, magnoq. spiritu iracundiæ: Si, inquit, ad me dedignatur venire, ipse eum, quia ægrotat, habeo visitare. atque cum hac iracundia mox vbi hostem expugnauit, Coloniam (vt iam dictum est) properabat, imminentibus, nimiumq. sese ingerentibus inuidis supra memoratis, qui satis ardentem eius furoris ignem magis ac magis flabant, linguis maleuolis detrahendo innocenti viro Dei.

Sed quia tempus erat iam consolandi, terminumq. ponendi fluctibus illis, & tempestati diutinæ aduersitatis; prospiciens de cælo Dominus, statuit procellam eius in
auram, & siluerunt fluctus eius. Nam ipsa nocte, qua Coloniam ingressus, & offi- D
ciosissime a viro Dei erat susceptus, cum se sopori dedisset, videt in somnis quemdam quasi venerabilem virum, pontificali veste ornatum, qui illum sic allocutus est: Cane, inquit, o Imperator, ne posthac amplius pecces in conseruum meum Heribertum: scito illum Deo esse acceptum. In quem si quid admiseris, tu sine dubio portabis iudicium. nimirum gratia miserentis Dei taliter præmonendo Imperatorem, ignorantiæ eius pepercit; quia videlicet in eo, quod virum huiusmodi suspectum habebat, non malitia, sed ignorantia peccabat. siquidem eiusdem Imperatoris animam timor Domini possidebat, neque scienter disponere, aut iudicare quidquam in regno cupiebat, per quod cælestis offenderetur Maiestas. Denique cum aliquid de regno disponere, aut iudicare intenderet, dispositiones omnes, siue iudicia sua precibus & eleemosynis præueniebat, quatenus mens eius & actus cælesti regimine gubernaretur, nequan- E
do exorbitaret agendo, vel iudicando, quod diuinis contrairet legibus. Recte igitur secundum intentionem suam diuino (vt iam dictum est) oraculo præuentus & seruatus est, ne tantorum meritorum pontificem iniuriando, vt proposuerat, ipse reus iudicio diuinitatis existeret.

Quid multa? mane facto cum Imperator mente mutatus virum Dei aduocasset, & id quod cælitus euenerat, quod superno respectu Rex compunctus fuerat, vir sanctus adhuc ignoraret; ac proinde lacrymosis oculis apud illum querelã deponeret, causas inquirens, propter quas tamdiu Imperator infestus existeret: repente quod non sperabatur, idem Imperator exurrexit, & virum Dei amplexatus est. Ille admirans hæc pariter consolationis ab eodem dicta excepit: Ex quo ad regni fastigium Deo donante conscendi, detrahentium linguis nimium, fateor, credulus, venerande Pater, te exosum

a Rup. Abb. in Heribert. c. 26. apud Sur. tom. 2. die 16. Mart.

QVAE INTER HENRICVM IMP. ET HERIBERTVM COLON. ARCHIEP. SVNT TRANSACTA.

b Iob 38.

HENRICVS IMP. COHIBETVR A NIMIA NE PECCET IN SANCTVM.

RECONCILIATVR IMPERATOR EPISCOPO.

A exosum habui, & hanc odij trabem in oculo gestans, & ideo nihil videns, iniquum de te iudicium habui, tuamq. iustitiam, immo Dei gratiam in te fulgentem videre nonmerui. Porro te tacente, cælum clamat super te, tuamq. causam defendit apud me. nam ipse, qui de Sanctis suis curam habet semper & habuit ([a] sicut scriptum est) a Psal. 104.
non reliquit hominem nocere eis, & corripuit pro eis Reges, dicens: Nolite tangere christos meos; & in Prophetis meis nolite malignari: ipse me pro te corripuit, vt sciã, quod inter electos eius computatus sis. Indulge ergo, precor te, quod in te malignatus sum, vel quod te seruum Dei tangere deliberaui, quia peccatum meum agnosco, nec amplius addam aduersari tuæ sanctitati.

His dictis, semel, iterum, ac tertio sanctum pontificem deosculatus est, triplicemnimirum nectens dilectionis modum, de quo Sapiens loquitur: [b] Funiculus triplex dif- b Eccl. 4.
B ficile rumpitur. & paulo inferius: Non contentus hac satisfactione Rex religiosus, adhuc de iudicio diuino erat sollicitus. Etenim is, in quem peccatum aliquod commissum est, præceptum quidem vel consilium habet Euangelicum, vt peccanti in se ex corde suo dimittat, sed adhuc timendus est ille, qui legem dedit, quiq. per Prophetam dixit: [c] Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei. de quo etiam scriptum est: c Zach. 2.
[d] Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus. Bene ergo sollicitus, & præterita reconciliatione non contentus, nocte sequenti finitis Matutinorum solemnijs, assumpto vno ex clericis, idem Imperator cubiculum sancti pontificis adijt: sed non ibi quiescentem, verum in proximo S. Ioannis Oratorio vigilantẽ, vt solebat, & orationibus insistentem reperit. Protinus abiecta chlamyde, solo stratus, ante pedes eius in spiritu humilitatis & in animo contrito se suscipi postulat, & ea potestate, quam sacerdo- C
tibus suis Dominus contulit, veniam sibi dari cunctorum, quæ in ipsum admiserat. Nec moratus omnipotentis Dei famulus, Imperatorem prostratũ a terra subleuat, & Christo mediante, qui dixit: [e] Quæcumque alligaueritis super terrã, erunt ligata & in cælo: e Matth. 16.
Et quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo: absolutio culpæ secundum fidem Regis in cælo & in terra peracta est] at quomodo tunc idem vir sanctus instare sibi tempus iam migrandi ad Dominũ patefecerit, idem auctor his verbis enarrat:

Etenim hoc idem vir Domini, reuelante spiritu, prænoscens, ait in illo secreto inter cetera ad eumdem Imperatorẽ: Noueris certissime, quia post discessum nostrum, quo nunc seperandi sumus, nostras inuicem facies iam in hoc sæculo numquam videbimus. Eo magis magisq. Imperator corde compunctus, iterum in amplexus & oscula ruit, flens pariter & cuncta pene membra, manus & oculos, collum quoque fixis
D demulcens oculis. Hoc facto, clam ad cubiculum redijt, mœstam reportans memoriam prophetiæ beati viri, quam & postmodum, transitu eiusdem subsequente, veram fuisse comperit, & ipse, vt audierat, ore proprio enarrauit] Porro transitus sancti Heriberti contigit anno sequenti, decimasexta mensis Martij, vt idẽ auctor testatur: nos vero de eo suo loco agemus, temporisq. rationem ad calculos reuocabimus.

Hoc eodem anno Poloniæ ecclesias munificentia Boleslai Regis locupletatas, & redditibus stabilitas narrat Ioannes Longinus canonicus Cracouiensis, qui & Dlugoschus dictus: cuius operis autographum luculenter scriptum asseruatur Romæ in Vallicellana bibliotheca, dono datum a Germanico Malaspina Episcopo S. Seuerij, Nuntio Apostolico in Polonia, quod Dlugoschi nomine Chromerus citare consueuit.
E Sed mirum, quod cum auctor tam in nuncupatoria epistola, quã in titulo totius operis, omisso barbaro cognomento, se Ioannem Longinum tantum nominet; ille præter auctoris sententiam Dlugoschum appellet. Ipse igitur, qui per annos singulos res Polonorum est prosecutus, de Ecclesia Polonorum, regia munificentia illustrata ac stabilita, sub nota anni præsentis hæc habet: Multifarijs & gratuitis donis Dei solium suum & regni sui Boleslaus Poloniæ Rex videns propitia diuinitate firmatum, animũ ad religionem, resq. diuinas conuertit. Non ignorabat siquidem, ex vniuersis Principibus Poloniæ præcedentibus neminem tanta, quanta se, tulisse trophæa, tantasq. diuitias, successus felices & gloriam, talem insuper industriam, prudentiamq. habuisse, qualia & quanta in se vnum collata fuerant. Videbat præterea principatus sui fulgorem vltra ceteros Reges & nationes magnificatum esse. Quare volens de amplissimis beneficijs Dei gratum se ostendere, & illis aliquanta vicissitudine respondere, ecclesijs tam cathedralibus, quam inferioribus a genitore suo Duce Mieceslao erectis

S. HERIBERTVS DE SVO TRANSITV DIVINITVS MONITVS.

POLONORVM ECCLESIA LOCVPLETATA ET STABILITA.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ac fundatis, oppida, villas, ac prædia, ampliori illarum ſtabilimento & dote munifice A
& largiter tribuit & donauit, pluresq. parochiales eccleſias in villis, vicisque, quæ ſub ſuo & patris ſui tempore erectæ fuerant, conſtruxit & fundauit, vaſisq. aureis & argenteis in miniſterium & cultum diuinum neceſſarijs eccleſias ſingulas, ſed præſertim cathedrales adeo ornauit, locupletauitque, vt liberalitatem ſuam in eccleſias Dei abunde effuſam multa ſæcula teſtentur. Decimarum autem manipularium pro eccleſijs ac miniſtris Dei in vniuerſis principatibus ſuo imperio ſubiectis ſolutione nullatenus paſſus eſt aut varietate aliqua diminui, aut in dubium aliquatenus reuocari; ſed mandauit, decreuitq. illam eſſe perpetuam & perennem, varia vltionis diuinæ flagella, filijs, nepotibus, ſucceſſoribusq. ſuis interminans, ſi per quempiam illorum præfatarum decimarum contingeret redditionem intercipi, tranſmutari, vel reſcindi] B
hactenus Longinus. Ita plane nobiliſſimum regnum pietate fundatum, pietate auctum, pietate pariter conſeruatum ac propagatum ad poſteros ſemper inuenimus; nutaſſe vero, cum iacta primitus ſunt fundamenta conuulſa. Quomodo autem reſultantes Principes, nolentes indicto ſacro decimarum tributo teneri, idem Boleſlaus compeſcuit, ex eodem auctore ſuo loco dicetur.

IESV CHRISTI ANNVS 1021. BENEDICTI VIII. PAP. ANNVS 10. HENRICI IMP. BASIL. ET CONST. IMPP. 8. 46.

S. HERIBERTI ARCHIEP. COLON. OBITVS.

ANNVS Redemptoris milleſimus vigeſimusprimus cum quarta incipit Indictione, quo ſanctus Heribertus Archiepiſcopus Colonienſis ex hac vita migrat in cælum xvij. Kal. Aprilis, licet aliqui anno ſuperiori eum vita defunctum ponant: quos errare vel ex eo poſſumus intelligere, quod ſanctus vir prædixit de obitu Imperatoris, fratrem ſic alloquens: [a] Noueris enim, quia poſt obitum meum Imperator trium non peraget annorum curriculum] Cum vero conſtet, eumdem Henricum finem viuendi feciſſe anno ſalutis milleſimo vigeſimoquarto, tertio Idus Iulij: profecto ad hunc eum annum oportuit peruenisse; ſicq. poſt eius obitum, Imperatorem annos duos expletos, tertio vero inchoato per quatuor menſes minus diebus aliquot, ſuperſtitem tantum fuiſſe. quod ſi anno ſuperiori eum dixerimus eſſe defunctum, iam illum poſt tres annos expletos, quartumq. per totidem inchoatum menſes, contra oraculum eius dicere opus eſſet defunctum. Sed & quem creatum oſtendimus anno Chriſti DCCCCXCVIII. cum idem auctor numeret eius ſedis annos viginti- D
tres, menſes duos, & dies viginti duos, vtique ad præſentem annum eum oportuit peruenisse. ſed corrigendus, qui in numerum error reperitur illapſus, dum creatus legitur Chriſti anno nongenteſimo nonageſimonono, vt cetera, quæ ab eodem auctore de ipſo, tam in eius creatione, quam in obitu ſunt dicta de tempore, veritati ab ipſo aſſertæ omnino reſpondeant. Quæ autem præclaræ viſiones præceſſerint, eius obitum præſignantes, & quæ poſt obitum ſint ſubſecuta miracula, quoniam prolixa eſt de his Ruperti narratio, ad ipſum auctorem reijcimus Lectorem horum cupidum: nobis ſatis, quod ad inſtitutum pertinet, attigiſſe. Habuit ſucceſſorem, quem idem Sanctus prædixerat, Piligrinum, quem dicemus ſequutum Imperatorem in Italiam venientem; cuius & breue tempus ſedis idem Sanctus noſcitur prænuntiaſſe.

HENRICVS IMP. ADHVC LABORAT PRO EXPIANDO DELICTO.

Vt autem Imperator adhuc expiaret delictum, quo multorum annorum ſpacio ſanctum virum (vt audiſti) inglorium præteriſſet, infenſo animo in eum exiſtens: reuelauit Deus Epponi Epiſcopo Bambergenſi, dum oſtendit illi tanti pontificis gloriam, ſed ipſum quidem, vt audiuit & vidit, ab Henrico Imperatore nudatũ baltheo. Quod vt cognouit ab Epiſcopo Imperator: rurſus pœnitens, dolensq. ardentius ſtuduit poſt obitum ipſius expiare delictum, quod in eum viuentem patraſſe ſenſiſſet. Igitur Imperialem ([b] Rupertus inquit) manum largius extendens, dona Chriſti eccleſijs, pauperibusq. diſtribuit, ſacriſq. Miſſarum ſolemnijs, Pſalmis & orationibus, tranſitum beati Præſulis edixit celebrari, cui baltheum ipſe ſuſtuliſſet, id eſt, viuentem longe minus quam decuerat, honorificaſſet. Vere vt ſapiens hoc egit, quia nullo modo melius rapinam eius poterat reſtituere, quam faciendo pro ſemetipſo fructus dignos pœnitentiæ, &c.] quibus intelligat Lector, quam ſeuerus exactor ſit Deus gloriæ Sanctorum

[a] Rup. in Heribb. c. 31. in fine. Id. in Heribb. c. 1

[b] Id. ibid. c. 34.

A ctorum ſuorum, ſecundum quod prædixerat Heli, dicens: [a] Quicumque honorificauerit me, glorificabo eum] Porro Rupertus Tuitienſis Abbas, qui inter tractatores eccleſiaſticos haud vulgare ſibi nomen comparaſſe cognoſcitur, non tam eiuſdem Sancti vitæ ſcriptor, quam illuſtrator dici iure poterit; quippe quod (vt ipſe teſtatur in præfatione ipſius) eam ab antiquiore ſcriptam auctore ſtyli rubigine ſubobſcuram, expolire, & cultiorem reddere laborauit. [a] 1. Reg. 2.

IESV CHRISTI ANNVS 1022. BENEDICTI VIII. PAP. ANNVS 11. HENRICI IMP. BASIL. ET CONST. IMPP. 9. 47.

HENRICI IMP. EXPEDITIO ADVERSVS GRAECOS.

B SEQVITVR annus Redemptoris milleſimus vigeſimusſecundus, Indictione quinta, quo Henricus Imperator legationibus (vt vidimus) Northmannorum, atque ab ipſo Benedicto Romano Pontifice cohortatus, in Italiam ſe contulit aduerſus Græcos, ſua iam potentia Eccleſiæ Romanæ pauendos, tremendus ipſe hoſtibus potenti exercitu, quem ducebat. In primis autem de his acturi, quod ad tempus pertinet, id quidem hoc anno contigiſſe, Leo Oſtienſis, Marianus Scotus, Vrſpergenſis, & alij teſtantur: ſed Leonem Oſtienſem rem paulo fuſius proſequentem audiamus. narratis enim prælijs, per Northmannos in Apulia geſtis, ſubijcit iſta:

His compertis, [b] Henricus Auguſtæ memoriæ Imperator, Græcorum ſcilicet impetu, & perfidia, Principis Dacti crudeliſſima nece (*virum enim nobilitate, & militia inſignem Græci captum, more parricidarum inſutum culleo præcipitarunt in mare*) reputans ſecum [b] Leo Oſt. lib. 2. c. 40.
C fore vt amiſſa Apulia, ac principatu, Romam quoque maturarent, Italiamq. totam ſimul amitteret, Melo Duce bis ad eum hac de cauſa profecto, ac peregre mortuo: minime vltra remorandum ratus, anno Dominicæ Incarnationis milleſimo vigeſimoſecundo, congregato immenſo regni totius exercitu in Italiam venit] Sed antequam vlterius progrediamur, quæ in via geſta ſunt per eum cum S. Romualdo, ex Petro Damiani hic deſcribamus: [c] Interea, inquit, Imperator Henricus de Vltramontanis partibus in Italiam veniens, miſit beato viro deprecatoriam legationem, vt ad eum venire dignaretur] Sytriæ enim tunc aſpera montium cum ſuis monachis incolebat, de quorum vitæ inſtituto hæc breuiter idem Petrus: HENRICI IMP. ADVENTVS IN ITALIAM. [c] Petr. Dam. in Romualdo c. 69.

QVALIS MONACHORVM S. ROMVALDI VITAE INSTITVTIO.

Taliter tunc in Sytria viuebatur, ac ſi ex ſimilitudine non ſolum nominis, ſed etiã operis altera denuo Nitria diceretur. Omnes ſiquidem nudis pedibus incedentes, omD nes inculti, pallidi, & nimia rerum omnium extremitate contenti erant. Nonnulli vero obſeratis ianuis clauſi, ita mortui videbantur mundo, veluti in ſepulchro iam poſiti. Vinum ibi nemo nouerat, nec etiam ſi grauiſſimam quis ægritudinem pateretur. Sed cur ego de monachis loquor, cum & ipſi monachorum famuli, ipſi quoque cuſtodes pecorum ieiunarent, ſilentium tenerent, diſciplinas inter ſe inuicem facerent, & de quibuſlibet verbis otioſis pœnitentiam flagitarent? O aureum Romualdi ſæculum! quod etſi tormenta perſecutorum non nouerat; ſpontaneo tamen martyrio non carebat: aureum, inquam, ſæculum, quod inter montium, & ſiluarum feras tot cæleſtis Hieruſalem ciues alebat] ita quidem, dum ciuitates prædonibus, & ſacrilegis abundarent, ſolitudines erant refertæ hominibus ſanctis. Quid autem vocatus ab Imperatore fecerit Romualdus, Petrus ſic ſubdit:

E Cumq. vir venerabilis prorſus abnueret ſilentium frangere; cœpere vnanimiter diſcipuli eius omnes eum obſecrare, dicentes: Magiſter, vide, quia nos qui te ſequimur, tanti iam ſumus, quod hic congruenter habitare non poſſumus. Quapropter, ſi placet, ab Imperatore magnum aliquod monaſterium quære, & multitudinem te ſequentium ibi conſtitue. Quibus vir ſanctus (neſcio ſi accepta reuelatione, aut ſubita Dei inſpiratione) fidenter ſcripſit: Scitote quia montis Amiati monaſterium ex dono Regis habebitis. conſiderate tantummodo, quem illic Abbatem conſtituere debeatis. igitur inuiolato ſilentio perrexit ad Regem. Cui Rex protinus aſſurgens, ex magno cordis affectu in hanc vocem erupit, dicens: O vtinam anima mea eſſet in corpore tuo! Quem mox vt loqueretur, ſuppliciter obſecrans, ipſo die hoc impetrare non potuit. Poſtera autem die Romualdo in palatium veniente, ecce Teutonicorum multitudo certatim hinc inde concurrunt, capita ſalutantes humiliter flectunt, villas quoque

CONGRESSVS IMPERATORIS CVM ROMVALDO.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quoque pelliceæ vestis, qua erat indutus, anxie decerpentes, pro sacris reliquijs in patriam portaturi studiose recondunt. Quæ videlicet res venerabilem virum tanto mœrore affecit, vt nisi discipulis obstantibus acquieuisset, ad cellam protinus repedasset. Ingressus igitur ad Regem, non pauca ei locutus est de restituendo iure ecclesiarum, de violentia potentum, de oppressione pauperum: & post multa vnum pro discipulis suis monasterium petijt. Cui postmodum Rex Amiati monasterium tradidit, & Abbatem, quia multis erat malis obnoxius, foras eiecit] hæc Petrus de congressu Imperatoris cum Romualdo. sic precibus viri sancti ad Deum, ad victoriam aperiens sibi viam, imitatus est Theodosium, qui dimicaturus aduersus tyrannos, legationem primum misit ad sanctum Ioannem anachoretam in Aegypto morantem. A

Qui enim in omnibus specimen dedit Christianissimi Imperatoris: sanctissimi plane ducis in militibus ad bellum parandis omnes numeros pietatis absoluit: quippe qui sacratissima [a] Eucharistia ante prœlium communire soleret exercitum, expiatione antea facta delictorum, adhiberetq. patronos sanctos martyres Laurentium, Georgium, & Hadrianum, quos præuio Angelo præcedere consueuisse aliquando vidisset exercitum. At iam reliqua eius itineris prosequamur: pergit enim Leo Ostiensis: [b] Et ipse quidem cum maxima exercitus parte per Marchias transijt: * Poppum vero Archiepiscopum cum vndecim millibus militum per Marsorum regionem direxit: Pilegrinum autem Coloniensem Archiepiscopum cum viginti millibus Romam ad capiendum Abbatem & Principem misit] erat hic Abbas Casinensis monasterij Atenulphus nomine, qui fauisse Græcis visus fuit contra Imperatorem: idemq. (quod subdit) insimulatus quod Dacti necis causa fuisset. Hoc Abbas, amicis nuntiantibus, cognito, nusquam se tutum posse consistere a facie tantæ potestatis existimans, cum Marsorum Comites, & Borelli filij libentissime illum apud se habituros actuto promitterent, consilio habito, locum iræ dare decreuit; cupiensq. se Constantinopolim ad Imperatorem conferre, Hydruntum mare ingressurus proficiscitur. Eius autem ciuitatis Episcopo per visum beatus Benedictus apparens: Vade ait, dic Abbati, vt hac vice mare nulla ratione pertentet, sciens, si hoc fecerit, mature periturum. Huic ille visioni minime fidem accommodans, mare audacter ingreditur. sed vt vera prohibentis probaretur auctoritas, occulta Dei dispositione atque iudicio cum socijs omnibus naufragans perijt. Quod cum Imperatori fuisset nuntiatum, dixisse fertur: [c] Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam quam fecit. Inter cetera, quæ idem Abbas hinc profectus secum asportauit, nouem præcepta Imperatorum aureo sigillo bullata, præceptumq. de casa Gentiana, & de piscaria Casinensi detulit: quæ omnia cum eo in maris profundo demersa sunt. B C D

Pilegrinus [d] interea, quoniam Abbatem non reperit, verens ne forte & Princeps, Capuanus scilicet, fuga simili laberetur, Capuam protinus adijt, eamq. mox vndique armato milite cinxit. Princeps autem Pandulphus metuens ciuium proditionem sponte ad Pilegrinum exijt; seque, vt dicebat, in culpa non esse significans, purgaturum se, de quibus insimulabatur, in Imperatoris iudicio asseuerauit. Lætus Pilegrinus, accepto sub custodia Principe, ad Imperatorem redijt, iamq. Troiam Græcorum ciuitatem, quam eodem anno illi construere cœperant, obsidentem inuenit. Ea Principis captura Imperator hilarior factus, aggregatis omnibus magnatibus suis, illis præsentibus adhiberi eum in iudicium iussit. Præsentibus accusatoribus plurimis, & eius nequitias illi in faciem obijcientibus, decernitur vno omnium pariliq. iudicio, mortis illum debere subire sententiam. At Pilegrinus, cuius fidei se Princeps ipse commiserat, dictam sententiam grauiter ferens, supplex Imperatorem adijt, multorumq. adminiculo fretus, precibus, ac orationibus ipsius obtinuit vitam. Ferro tamen vinciendum, Imperator, secumq. asportandum in Germaniam statuit] E

Quod autem de obsidione ciuitatis Troiæ meminit Leo: quomodo obsidione eam premente Imperator in deditionem accepit, a Glabro rem gestam accurate descriptam sic accipe: [e] Interea Imperator pergens ad regionem Beneuentanam, expugnauit ac subdidit vniuersas ciuitates, & castra, quæ Græci surripuerant eius Imperio. Ad supradictam autem cum venisset Troadem, rebellantes, qui intus erant, diu multumq. ei restiterunt: nam sperabant, vt sibi futura æstate, sicut Græci promiserant fore, Basilius Imperator succurreret. Insuper adijcientes, in tantũ Henricum humiliari, vt pedes

Basilij

a Bonf. de reb. Hung. Dec. 2. lib. 1.

b Leo Oſt. lib. 2. c. 40.

* Popponem Archiepiscopũ Treuirensem

ATENVLPHVS ABBAS CASS. TIMENS HENRICVM IMP. FVGAM ARRIPIT.

c Pſal. 7.

d Id. lib. 2. c. 41.

CAPVA OBSIDETVR, PRINCEPS SE DEDIT.

e Glab. lib. 3. c. 1

TROIA OBSESSA AB HENRICO IMP.

Basilij territus pauore susciperet. At ille circumdans ciuitatem sui exercitus obsidione, instruxit machinas, vt eam per vim caperet: illiq. deintus noctu egressi tulerunt secum faces pice perlitas, igneq. succensas machinas a foris cremauerunt. Quod cernens Imperator, accensus ira, potiores restitui fecit machinas, crudoq. circumdari corio, vigilantiq. custodia iussit illas tueri. A

Exacto igitur iam tertio obsidionis mense, alternisq. cædibus vtrique nimium fessi (namque exercitum Imperatoris dysenteriæ clades oppido vexauerat) tandem obsessi meliori vsi consilio, inuenerunt viam euadendi discriminis. Quadam autem die accipientes solitarium quemdam, indutum monachali habitu (quibus etiam Italia plurimum abundat) dederunt ei crucem gestare, miseruntq. post illum omnes ciuitatis pueros minoris ætatis, sicq. exclamando, Kyrie eleison, deuenit ad Imperatoris tentorium. Quod audiens Imperator, iussit interrogari, quid sibi vellent. Cumq. responsum fuisset, quod misereri a se afflictæ ciuitati implorarent, respondit: Optime nouit ipse, qui agnitor est cordium, inquit, quoniam magis quam ego, horum paruulorũ sunt homicidæ; illacrymansq. iussit vt salui in ciuitatem redirent. fecerunt autem vt iusserat Imperator. Altero quoque die iterum primo mane processerunt a ciuitate, vt prius, clamãtes, Kyrie eleison, vsque dum sonoritas vocum illorum aures pulsaret Imperatoris. Qui statim egressus tentorio, respiciensq. pupillorum turbam, pietate permotus, vt erat vir sapientissimus, voce Dominica vsus ait: [a] Misereor super turbam. Nam ante iam dixerat, quoniam si ei cõtingeret capere ciuitatem, quidquid masculini sexus inueniretur in ea, suspenderetur patibulis, reliqua vero igne cremari, ipsiusq. ciuitatis mœnia ad solum pertrahi. præterea mandauit Imperator illis, qui in ciuitate ceteris præerant, vt si indulgeri sibi ab eo vellent, iramq. eius placare, ipsimet subuerterent partem murorum ciuitatis, quæ contra suas machinas rebellis stare videbatur. qui audientes certatim impleuerunt quod eis mandatum fuerat. Post hæc quoque præcepit Imperator eos pacifice ad se egredi, murumq. ciuitatis ab ijsdem reædificari, acceptisq. pacis obsidibus ab vniuersis regionis illius prouincialibus, reuersus est in Saxoniam. Northmanni quoque cum suo Duce Rudolpho reuersi in suam patriam, gratanter recepti a proprio Principe Richardo] hæc Glaber. B C

PVERI LEGATI MISSI AD PROMERENDAM MISERICORDIAM.

a Matt. 15.

DEDITVR CIVITAS IMPERATORI.

At Imperatoris reditus contigit anno sequenti: reliqua enim huius anni parte secum suis continuit in Italia. quo tempore fieri contigerunt, quæ narrantur a Leone Ostiense, qui ait: [b] Post paucos dies Troianis sese sponte dedentibus, & ad Imperatoris vestigia vnanimiter omnibus procumbentibus Imperialis clementia veniam tribuit. Et quoniam ob æstus magnitudinem gens perpetuis assueta frigoribus in his partibus diutius immorari non poterat, reditum in dies maturabat. Veniens igitur Capuam, Pandulpho Tianensi Comiti tradidit principatum: Stephano autem Melo & Petro, memorati Meli nepotibus, quoniam propria illis recuperare non potuit, Comitatus honorem concessit. Quibus etiam in auxilium de Northmannis Giselbertum, Gosmannum, Stigundum, Torstanum, Baltum, Geralterium de Cauosa, & Hugonem cum alijs decem & octo reliquit. D

b Leo Oſt. lib. 2. cap. 42. 43.

CAPVA DATA COMITI TIANENSI.

Imperator autem post paucos dies, ordinatis negotijs suis, ad monasterium Casinense vna cum Benedicto Romano Pontifice venit. Interea collecti in vnum Fratres, cœperunt iuxta tenorem Regulæ de eligendo sibi Abbate tractare. Viuebat adhuc, & eidem Concilio aderat Ioannes Abbas ille, quem reliquisse monasterij curam, & recessisse in eremum, supra monstrauimus: aderat & domnus Theobaldus vir & genere & moribus clarus, qui & eo tempore Marchiæ præposituram, vnde & ortus erat, nauiter administrabat. Erant qui Ioannem ipsum denuo præfici expoſcerent; sed quia iam ætatis erat fere decrepitæ, minime idoneus iudicatus est. Post plurimas multorum variasq. sententias, communi tandem consensu omnium Theobaldus eligitur, ipso etiam Imperatore, atque summo Pontifice eam electionem valde probantibus. sicq. die altera, natali beatorum Apostolorum Petri & Pauli ab eodem beatissimo Papa honorabiliter consecratur. E

ELECTIO THEOBALDI ABBATIS CASINENSIS.

Acribus tunc doloribus Imperator vexabatur, atque vt ipse postmodum retulit, licet monasterio nimium afficeretur, & nusquam se terribilius venerabiliusq. Oratorium vidisse fateretur; sæpe tamen scrupulo non paruo mouebatur, an pater Benedictus corporaliter hoc in loco quiesceret. Cum igitur præ dolore nec plene vigilans,

nec

Universidad de Deusto
Biblioteca

HENRICVS IMP. CVRATVR A S. BENEDICTO.

nec integre dormiens, quemdam pateretur excessum, apparuit ei beatus Benedictus, A
atque ad eum quasi visitaturus accedens; vbi pateretur, quæsiuit. Cui languorem protinus confitenti: Scio, inquit Benedictus, te, an hic quiescam, hactenus dubitare: sed vt nullo huiusmodi scrupulo vltra mouearis, meumq. corpusculum hoc in loco quiescere, certius noueris, hoc tibi signum erit: Cum primo mane surrexeris, in egestione vrinæ tuæ tres simul emittes grandiusculos lapides, & ex tunc dolore isto numquam vltra detineberis. Ego autem sum Frater Benedictus. his dictis euanuit. Euigilans Imperator, continuo surgit, ac iuxta visionis seriem sanitati pristinæ redditus, Deo, ac etiam patri Benedicto gratias retulit: Mane autem facto veniens in conuentum Fratrum, post Capituli verba solemnia: Quid, inquit, domini mei, medico, qui me curauit, dare iubetis? Cumq. illi respondissent, vt quidquid vellet de monasterio, B
cunctis libenter annuentibus, tolleret, ac medico daret: Non ita, inquit, fiet, sed quoniam me pater sanctus Benedictus hac nocte curauit, oportet vt de nostra substantia tanto Patri fiat retributio.

Et hæc dicens, mixtis gaudio lacrymis, quæ per visum audierat, omnibus retulit, adijciens: Nunc profecto cognoui, quia venerabilis est locus iste, nulliq. mortalium amplius dubitandum est, quia cum sorore sua Benedictus hic pater requiescat. Ad vberiorem autem fidem tres illos lapillos, quos paulo ante per vrinam egesserat, palam cunctis ostendebat. Omnibus itaque tam de visione mirabili, quam de celeri Imperatoris sospitate lætantibus, atque stupentibus, ac Deo referentibus gratias: obtulit ipsa die regia munificentia sancto patri Benedicto munera hæc: Textum Euan-
OBLATIONES HENRICI IMP. S. BENEDICTO. gelij, deforis quidem ex vno latere auro purissimo, ac gemmis pretiosissimis opertum; C
intus vero vncialibus, vt aiunt, litteris aureisq. figuris mirifice decoratum: Calicem aureum cum patena sua, gemmis & margaritis & arte cælatum, pulchre insignitum: Planetam diapistim, listis aureis ornatam: Stolam quoque, manipulum & cingulum, singula intexta auro: Pluuiale etiam diasprum, cum phrygijs aureis: necnon & tunicam eiusdem operis, auro exornatam cum mappula diapistim, auro nihilominus decorata: Situlam insuper & pateram argenteam haud exigui ponderis; cum qua videlicet Fratres, in præcipuis festiuitatibus biberent. Redemit etiam a Iudæis vestem altaris S. Benedicti, quæ quondam fuerat Caroli Regis, quam illi pro quingentis aureis sub pignore tenebant: & argenteum calicem Saxonicum maiorem cum patena sua, quem Theodoricus Saxonum Rex dudum sancto Benedicto transmiserat. Hæc pariter omnia, præsentibus Fratribus, super altare beati Benedicti obtulit, ac domnum Apostolicum, vt hæc scripti sui auctoritate firmaret, orauit, Apostolici anathematis pœna proposita, si quis vmquam vel ea, quæ diximus, vel quæ ipse Imperator antea monasterio concesserat, violare præsumeret. D

BENEDICTI PAPAE OBLATIO. Idem quoque Apostolicus Imperatoris saluti valde congratulans, obtulit & ipse eo die beato Benedicto planetam, aureis phrygijs decenter ornatam, & manipulum eiusdem operis. Sed & Pilegrinus Archiepiscopus ob gratiam eiusdem sanitatis obtulit similiter sancto Benedicto planetam purpuream aureis phrygijs, mensium duodecim signa in se habentibus ornatam, stolamq. cum auro & pluuiale vnum. Post hæc idem Christianissimus Imperator parum se existimans deuotioni suæ ad hunc locum satisfeciisse, admonitus ab eodem Pilegrino & Theodorico Cancellario suo, die altera donationem per scriptum fecit monasterio de arce, quæ Ventra dicitur, cuius incolæ latronum instar huic monasterio sæpius infesti erant, quam illis ereptam, vsibus seruorum Dei perpetuo tenendam tradidit. Fecit & aliud præceptum de omnibus vbicumque terrarum loci huius possessionibus, iuxta tenorem suorum prædecessorum Imperatorum, per quod & monasterium sanctæ Mariæ in Canneto in finibus Thermulensis ciuitatis Imperiali auctoritate firmauit monasterio; sicq. commendans se plurimum patri Benedicto & omnibus Fratribus, cum illorum benedictione remeauit in sua. At ne tanti Patris beneficium obliuiisci vlla ratione videretur, mox vt domum redijt, planetam diarodinam phrygijs aureis pulcherrime ornatam, vna cum alba & cingulo, stola atque manipulo (regium omnino munus) huc ad beatum Benedictum cum maximis gratiarum actionibus mittere studuit, tantæq. postea ad hunc sanctum locum deuotionis fuit, vt si vixisset aliquanto diutius, relicto Imperij culmine, Deo se in sanctæ conuersationis habitu seruiturum hoc in loco promitteret. E

Sane

DE TRANSLATIONE S. BENEDICTI CORPORIS SCRIPTA ABOLERI IVSSA.

A Sane quoniam de corpore Benedicti, quod vere in hoc loco requiesceret, visione, ac sospitate fuerat certissimus redditus: vbicumque postmodum scripturam translationis eiusdem sancti Patris inuenire potuit, flammis exussit, narrans omnibus, quæ sibi Dominus hoc in loco monstrauerat, quæve præstiterat, ex illius falsæ translationis serie rationabiliter ostendens, hæc friuola esse atque conficta, dum, sicut ibi refertur, vnus idemq. Angelus & illos ad surripiendum horraretur, & Romanum Pontificem ad insequendum instigaret, illosq. admoneret vt fugerent] his omissis, idem Leo de Henrico narrat, quomodo ab antiquiori tempore erga sanctum Benedictum fuerit animo propensiori atque vehementer addicto, huiusmodi videlicet causa: [a]

[a] *Leo Ost lib. 2. cap. 46.*

VNDE IMPERATORI ERGA S. BENEDICTVM PROPENSIOR ANIMVS.

Eo adhuc tempore, quo Dux erat, cum iter agens ad monasteriū quoddam Benedicti patris nomine dedicatum hospitatus esset: quoniam equorum illius multitudinem
B stabula consueta non caperent, in ipso Capitulo, quod iuxta ecclesiam erat, eius stabularij aliquot locare equos ausi sunt. Nocte igitur eadem Benedictus pater eidem Duci toruis ac minacibus oculis apparens, eiq. plurima, quod domum suam ita tractaret, intentans, virga, quam manu gestabat, illius percussit latus, & ex tunc torqueri dolore lateris vehementissime cœpit] hæc de his omnibus, quæ spectant ad Imperatorem, Leo Ostiensis, subijciens alia plura diuinitus ostensa de his, quæ spectant ad fidem certam corporis eiusdē sancti Benedicti ibi degentis, reuelata Adamo monacho vitæ sanctissimæ, vtique iuranti ea esse vera, quæ referret, super altare sancti Pauli Romæ, eiusmodi verborum formula iuramento concepto: Per corpus hoc Doctoris Gentium, quod hic absque vlla hæsitatione Christiana credit vniuersitas requiescere, hoc quod tibi modo dicturus sum, veracissime, & absque vlla mendacij suspicione
C prosequar, &c.] inferius vero de his, quæ spectant ad Benedictum Pontificem, ista subijcit: [b] Hic igitur Abbas a præfato Benedicto Papa, qui eum sacrauerat, consuetudinarium priuilegium sumens, biennio, quo superuixit idem Imperator, quiete & honore functus est, &c.] subdit vero, eodem tempore contigisse aduentum sancti Odilonis in monasterium Cassinense.

[b] *Id. lib. 2. cap. 53.*

Frequentare namque consueuisse Odilonem Limina Apostolorum, Romæq. benigne excipi solitum a Benedicto Romano Pontifice, affirmat Petrus Damiani eodem in Odilone. Inde vero se contulisse Cassinum, ex Leone Ostiense didicimus, qui de eodem ista habet: [c] Per id tempus domnus Odilo, vir vitæ & famæ venerabilis Cluniacensis Abbas, ad hoc monasterium valde deuotus aduenit, & ob maximam, quam sancto patri Benedicto, ac per eum monasterio gerebat reuerentiam, montem totum
D pedestris ascendit. Qui cum de more monasterij ab Abbate & Fratribus honorifice in Capitulum ductus fuisset, post verba solemnia: [d] Sicut audiuimus (inquit vir reuerentissimus) ita & vidimus in ciuitate Domini virtutum, in ciuitate Dei nostri, & in monte sancto eius. & mox nimis humiliter ad Abbatem conuersus: Donum ait, a te frater, maximum expeto, mihiq. vt sine contradictione aliqua concedatur, votis omnibus flagito. Volo inquam, atque desidero omnium Fratrum vestigia deuotissimus osculari. Annuit Theobaldus Abbas licet inuitus, nec reniti tantæ deuotioni aliquatenus potuit. Post hæc autem die ipso festiuitatis eiusdem beatissimi Patris nostri, ab eodem Abbate Theobaldo gratia præcipuæ religionis multis precibus exoratus, vt Missarum solemnia celebraret, nullo modo induci potuit, vt se præsente, Missas publicas ageret: cumq. paratis ad procedendum solemniter Fratribus, pastoralem baculum idem
E Abbas noster eius manui reuerenter offerret: longe humilius ille refugit, dicens, nequaquam dignum esse, illo præsente se huiusmodi gestare virgam, indecens nimium & contra fas omne ducens, quempiam Abbatum manu pastoralem præferre virgam, vbi Benedicti vicarium, Abbatum scilicet omnium Abbatem adesse contingeret. Eo igitur reuerti parante, cum multis illum Fratribus Abbas vsque ad ianuas monasterij prosequens, suppliciter tandem orauit, vt si posset, particulam aliquam de beati Mauri reliquijs ad monasterium istud aliquando transmitteret. Quam postulationem vir Dei lætus accipiens, & posse se confidenter aperuit, & facturum libenter, vita comite, repromisit. Septem postmodum annorum euoluto curriculo, os integrum brachij beatissimi Mauri capsella argentea decenter inclusum, opere pulchro, turrium instar erecta, per sex sui monasterij Fratres huc delegari curauit] hactenus de Odilone hoc anno.

[c] *Id. lib. 2. cap. 54.*

S. ODILO VISITAT CASSINENSE COENOBIVM.

[d] *Psal. 47.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

POLONORVM ECCLESIA NVTAT CONSPIRATIONE MALORVM.

Contigit hoc pariter anno concuti Polonorum Ecclesiam conspiratione nobilium, A
decimas soluere renuentium; sed Regis maxime pij auctoritate atque studio quam-
primum turbæ illæ euanuerunt. res gesta ita describitur a Longino Cracouiensi cano-
nico, sub hoc anno: Catholicæ religionis Fidem cultumq. satanæ inuidiæ malignitas in
Poloniæ regno, & vicinis regionibus videns in breuis tẽporis spacio, primo quidem sub
Miezslao Duce, deinde sub Boleslao primo Polonorum Rege vehementer germinasse,
& funiculos tentorij sui latissima propagine diffudisse; turbinem, & procellam in re-
gno eodem exciuit, & res Fidei extinguere, & quietem, stabilitatemq. ciuilem nisus est
perturbare. Nonnulli siquidem nobiles Poloniæ, satana suggerente, ob onerosam de-
cimarum manipularium solutionem, onerosos Christianos ritus dicentes, hi præser-
tim, qui in spurcitijs genitalibus enutriti, iugum orthodoxum non facile tolerabant,
ad ritus redire profanos, & vetustam, sacrilegamq. vitam resumere, & decimas non B
reddere tempore instituto, nec ecclesias frequentare, ministrosq. & sacerdotes de eo-
rum ecclesijs pellere frequenti conspiratione disponebant. Id cum ad Boleslai Polo-
niæ Regis aures perductum esset, non tulit fidelissimus Fidei Catholicæ propugnator
gliscentem conspirationem consurgere, sed in ipso suo ortu illam mox extinxit. Au-
ctores enim illius, missis militibus, comprehendit, & capita conspirationis partim ca-
pitali supplicio extinxit, partim verberibus mulctauit; ceteris minus reis, & sola
contagione fœdatis, aliorumq. suasionem secutis parcendum decreuit] hæc Longi-
nus, idemq. Dlugoschus.

CONCILIVM SALEGVNSTADIENSE.

Eodem anno, Indictione quinta, loco apud Moguntiam Salegunstat appellato ce-
lebratum inuenitur Concilium, quod Burchardus Episcopus Vuormatiensis, doctri-
na, & sanctitate clarus, qui interfuit, posuit ad suos Decretorum libros appendicem, C
eiusmodi exordio: In nomine Domini. Ego Aribo Moguntinæ sedis Archiepiscopus
quamuis indignus, cum ceteris fratribus nostris & Coepiscopis, Burchardo Vuor-
matiensi, Vuerhenario Argentino, Brunone Augustensi, Eberhardo Bambergensi,
Meginhardo Vuirzeburgensi Synodum in Salegunstat condiximus anno Dominicæ
Incarnationis * MXXIII. Indictione quinta: anno autem domini Henrici Secundi re-
gnantis XXI. Imperij vero * vs. &c.] Sanciti in eo canones subijciuntur viginti, ad ec-
clesiasticam œconomiam spectantes. [a] Atque primum omnium in eo sacrorum ieiu-
niorum sunt spacia dilatata, nempe vt omnes Christiani, sub eorum cura existentes,
dies quatuordecim ante festiuitatem sancti Ioannis Baptistæ abstinerent a carnibus:
& in Natiuitate Domini similiter cohibita & restricta [b] numerosior cuiuslibet sacer-
dotis vna die Missarum celebratio, ne scilicet quisquam eorum in die amplius, quam D
tres Missas celebrare præsumat. [c] Itemq. vt impetiti aliquo delicto non liberen-
tur per susceptam peregrinationem ad Limina Apostolorum, sed prius in loco, vbi
deliquerunt, sacerdoti satisfaciant, inde si velint, cum licentia sui Episcopi, acceptis
ab eo litteris Romam peregrinentur. hæc inter alia memoratu digna ibi sancita haben-
tur. At vero non sunt recepta quæ in eo statuta sunt de tempore præfinito ieiunio-
rum Quatuor anni temporum: aduersus enim ea latius disputat eiusdem sæculi scri-
ptor, qui auctor est Micrologi, capite eius operis vigesimoquinto, vbi præsens Conci-
lium, Moguntinum nominatur, quod apud Moguntiam dicto loco fuerit celebra-
tum. ea tu consulas.

* MXXIJ. * IX.

[a] Concil. Salegunst. c. 1.

[b] eod. Concil. c 5.

[c] eod. Concil. c. 18.

OBITVS S. BERVVARDI HILDESEM. EPISC.

Hoc quoque anno, duodecimo Kal. Decemb. ex hac vita feliciter migrat S. Beruuar- E
dus Hildesemensis Episcopus, cum annos triginta sedisset: in cuius locum vir æque
sanctus est subrogatus Gothardus. Res gestæ a Beruuardo breuiter scriptis digestæ le-
guntur a [d] Tunginaro presbytero, pluraq. omissa leges in eiusdem [e] Gothardi vita,
vbi & annus eius obitus ita legitur consignatus his verbis: Anno a Christo nato mille-
simo vigesimosecundo, regni vero Henrici vigesimoprimo, Imperij autem nono, fe-
licis memoriæ Beruuardus nostræ Hildesemensis ecclesiæ venerabilis Antistes ex hac
vita migrauit.]

[d] apud Sur. die 20. Nouemb. to. 6.

[e] Id. die 4. Maij tom. 3. c. 13.

GVIDO ARETINVS INNOTVIT.

His postremis temporibus Benedicti Octaui Papæ sedis, Guido Aretinus professio-
ne monachus, musicus insignis innotuit, vocatus ab eodem Pontifice Romam. Hic
enim maxima omnium admiratione, nouam addiscendi musicam rationem inuenit,
adeo vt puer paucis mensibus addisceret, quod pluribus annis vix homo quilibet pol-
lens ingenio addiscere potuisset, magnoq. miraculo accidere videretur, vt pueri senum
& ma-

A & magistrorum magistri euaderent. Delata est res ad eumdem Pontificem, qui hu-
iuscemodi rei tantæ experimentum fieri, videre cupiens, ipsum Romã ad se accersen-
dum curauit. Quæ autem cum eodem Pontifice transacta fuerint, idem ipse Guido in
epistola, data ad Michaelem monachum sanctæ Mariæ Pomposinani cœnobij (vt præ
fert eius titulus) narrat. accepimus eam diligentia Constantini Caietani monachi
congregationis Cassinensis ex scripto codice Gregorij Tigrini canonici Aretini, quæ
sic se habet:

Charissimo atque dulcissimo fratri Michaeli Guido per anfractus multos deiectus
& auctus. Aut dura sunt tempora, aut diuinæ dispositionis obscura discrimina, dum
& veritatem fallacia, & charitatem persæpe conculcet inuidia, quæ nostri ordinis vix
deserit sanctitatem, quo Philistinorum commotio Israeliticam puniat prauitatem; ne
B si mox fiat quidquid vt volumus: adeo in se confidens periturus decidat animus. Tunc
enim est vere bonum quod facimus, cum nostro Factori adscribimus omne quod pos-
sumus. Inde est quod me vides prolixis finibus exulatum, ac te ipsum, ne vel respi-
rare quidem possis, inuidorum laqueis suffocatum. Quare simillimos nos quidem dico
artifici, qui cum Augusto Cæsari incomparabilẽ & cunctis inauditum sæculis thesau-
rum, flexibile videlicet vitrum offerret: quia aliquid supra homines potuit, ideoq. ali-
quid super dominos promereri se credidit: pessima sorte iussus est occidi; ne si vt est
mirabile vitrum, posset esse durabile, regius omnis thesaurus, qui de diuersis erat
metallis, fieret extemplo vilis; sicq. illo tempore maledicta semper inuidia, sicut
quondam paradisum, & hoc quoque mortalibus abstulit commodum; namque
inuidia artificis nullum voluit edocere. Vnde ego, inspirante Deo charitatem, non
C solum tibi, sed alijs, quibuscumque potui, summa cum festinatione ac sollicitudi-
ne, a Deo mihi indignissimo datam contuli gratiam, vt quia ego & ante me alij
summa cum difficultate ecclesiasticos cantus didicimus: idipsum posteri summa
cum facilitate discentes, mihi & tibi & reliquis adiutoribus meis æternam optent
salutem; fiatq. per misericordiam Dei peccatorum nostrorum remissio vel modica
tantorum ex charitate oratio. Nam si illi pro suis apud Dominum deuotissime in-
tercedant magistris, qui hactenus ab eis vix decennio cantandi imperfectam scientiam
consequi potuerunt: quid putas pro nobis, nostrisq. adiutoribus fiet, qui annali spa-
cio, aut si multum, biennio cantorem efficimus? Aut si hominum consueta miseria
beneficijs tantis ingrata extiterit: numquid iustus Deus nostrum laborem non remu-
nerabit? An quia Deus totum hoc facit, & nos sine illo nihil possumus: nihil habebi-
D mus? absit. Nam & Apostolus, cum gratia Dei sit id quod sit: cantat tamen: [a] Bonum a 2. Tim. 4.
certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: de reliquo reposita est mihi co-
rona iustitiæ. Securi igitur de spe retributionis insistamus operi tantæ vtilitatis. Et
quia post multas tempestates redijt optata serenitas: nauigandum feliciter est. sed
quia diffidit tua de libertate captiuitas, rei ordinem pandam.

Summæ Sedis Apostolicæ * . . . . Benedictus Octauus, qui Romanam gubernat * f. Antistes
Ecclesiam, audiens famam nostræ scholæ, & quomodo per nostra Antiphonaria in-
auditos pueri cognoscent cantus: valde miratus, tribus me ad se nuntijs inuitauit. Adij
igitur Romanum cum D. * G. R. M. L. reuerendissimo Abbate & D. P. Aretinæ eccle- * ita in codice
siæ canonicorum præposito, viro pro nostri temporis qualitate sanctissimo. Multum
itaque Pontifex meo gratulatus aduentu, multa colloquens, & diuersa perquirens, no-
E strumq. velut quoddam prodigium sæpe reuoluens Antiphonarium, præfixasq. ru-
minans regulas; non prius destitit, aut de loco in quo sedebat, abscessit, donec vnum
versiculum inauditum sibi, voti compos ediscceret; & quod vix credebat in alijs, tam
subito in se cognosceret. Quid plura? infirmitate cogente, Romæ morari non pote-
ram vel modicum, æstiuo feruore in locis maritimis ac palustribus nobis minante ex-
cidium. Tandem condiximus, mox hieme redeunte, me illuc debere reuerti, quate-
nus hoc opus prælibato Pontifici, suoq. Clero debeat propalari. Post paucos dehinc
dies, patrem vestrum ac meum D. G. PP. præpositum Abbatem, virum Deo & ho-
minibus merito virtutis & sapientiæ charum, vt patrem animæ videre cupiens, visita-
ui. Qui & ipse vir perspicacis ingenij, vt nostrum Antiphonarium vidit, extemplo pro-
bauit & credidit, nostrisq. æmulis se quondam consensisse pœnituit: & vt PP. veniam
postulauit, suadens mihi monacho esse monasteria Episcopatibus præferenda, maxi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

meq. PP. Quod modo per digniſſimi & reuerendiſſimi G. induſtriam in Italia primum A
. . . . . Tanti itaque patris orationibus flexus, & præceptis obediens, prius, auxiliante Deo, volo hoc opere tale & tantum monaſterium illuſtrare, meq. monachum monachis præſtare, cum præſertim manachreſim * nomino prope cũctis Epiſcopis. Interim tibi de inueniendo ignotum cantum, optimum dirigo argumentum, nuper nobis a Deo datum, & vtiliſſimũ comprobatum. De reliquo Domnum Martinum Priorem ſaluto, eiuſq. orationi me miſerrimum plurima prece commendo. Fratrem quoque Petrum memorem memoris eſſe, commoneo, qui noſtro lacte nutritus non ſine labore maximo agreſti veſcitur hordeo, & poſt aurea pocula vini confuſum bibit acetum] hucuſque eius epiſtola.

* locus corruptus

Quem vero edidit de muſica librum, quem Micrologum nominauit, illum ipſum didicauit Theodaldo Epiſcopo Aretino, hanc ad eum ſcribens epiſtolã nuncupatoriã. B

Diuturnitate moris, totiuſq. prudentiæ fulgore clariſsimo, dulciſsimo patri & reuerendiſſimo domino Theodaldo, ſacerdotum ac Præſulum digniſſimo Guido ſuorum monachorum vtinam minimus, quidquid ſeruus & filius. S.

Dum ſolitariæ vitæ ſaltem modicam exequi cupio quantitatem: veſtræ benignitatis dignatio ad ſacri verbi ſtudium meam ſibi ſociari voluit paruitatem; non quod veſtræ deſint excellentiæ multi & maxime ſpectabiles viri, & virtutum effectibus abundantiſſime roborati, & ſapientiæ ſtudijs pleniſſime adornati, qui & commiſſam plebem vna vobiſcum competenter erudiant, & diuinæ contemplationi aſſidue & feruenter inhæreant; ſed vt meæ paruitatis & mentis & corporis imbecillitas miſera veſtræ pietatis & paternitatis fulciatur munita præſidio: vt ſi quid mihi diuinitus vtilitatis acceſſerit, veſtro Deus imputet merito. Qua de re cũ pro eccleſiaſticis vtilitatibus C
exercitium muſicæ artis, pro quo, fauente Deo, non incaſſum ſudaſſe me memini: veſtra iuſſit auctoritas proferri in publicum; vt ſicut eccleſiam beati Epiſcopi Donati & martyris, cui Deo adiutore, iure vicario præſidetis, mirabili nimium ſchemate peregiſtis: ita eidem miniſtros eccleſiæ honeſtiſſimos, decentiſſimoq. quodam priuilegio cunctis fere per orbem clericis ſpectabiles redderetis. Et reuera ſatis habet miraculi & optionis, cum veſtræ eccleſiæ etiam pueri in modulandi ſtudio perfectos aliorum vſquequaque locorum ſuperent ſenes. Igitur noſtri quoque meriti per hæc plurimum cumulabitur celſitudo, cum poſt . . . . patrem tantæ ac talis eccleſiæ per vos ſtudiorum prouenerit claritudo. Itaque quia veſtro tam commodo præcepto, nec volui . . . . . nec valui: offero ſolertiſſimæ paternitati tuæ muſicæ artis regulas, quanto lucidius & breuius potui explicatas, Philoſophorum neque eadem via D
ad plenum, neque eorumdem inſiſtendo veſtigijs, id ſolum procurans, quod eccleſiæ opportunitati, noſtriſq. ſubueniat paruulis. Ideo enim hoc ſtudium hactenus latuit occultatum, cum reuera arduum videretur, vt eſt, a quolibet humiliter explanatum. Quod qua occaſione olim aggreſſum, quave vtilitate & intentione, perpaucis abſoluam.

Cum me & naturalis conditio & locorum mutatio communis vtilitatis diligentẽ faceret: cœpi iure cogitare aliam muſicam pueris tradere. tandem affuit diuina gratia; & quidam eorum imitatione cordæ & noſtrarum notarum vſu exercitati, ante vnius menſis ſpacium, verſus & inauditos cantus ita primo intuitu indubitanter cantabant, vt maximum plurimis ſpectaculum præberetur. quod tamen qui non poteſt facere: neſcio qua fronte ſe muſicum vel cantorem audeat dicere. Maxime itaque dolui de noſtris cantoribus, qui etſi centum annis in canendi ſtudio perſeuerent; numquam tamen vel minimam artem per ſe valent afferre, ſemper diſcentes (vt E
a 2. Tim. 3. ait Apoſtolus [a]) numquam ad ſcientiam veritatis peruenientes. Cupiens itaque tantum noſtrum ſtudium in communem vtilitatem expendere: de multis muſicis argumentis, quæ adiutore Deo, per varia tempora quæſiui, quædam, quæ cantoribus proficere credidi, quanta potui breuitate, perſtrinxi. quæ enim ad canendum minus proſunt, aut ſi quæ ex ijs quæ dicuntur valent intelligi, nec memoratu digna iudicaui, non curans de his, ſi quorumdam liueſcat inuidia, dum quorumdam proficiat diſciplina] hæc ad Theodaldum Epiſcopum.

Cui ſubijcitur ipſe Micrologus eo titulo ſcriptus liber, in cuius fine ſic perorat idem auctor: Explicit Micrologus Guidonis, ſuæ ætatis anno trigeſimoquarto, Ioanne Vigeſimo

A Vigeſimo Romanam gubernante Eccleſiam] ſub quo eiuſdem Guidonis librorum editio facta eſt. ſucceſſit hic Benedicto, qui eumdem Guidonem accerſiuit. Ex cuius numeratione pariter intelligimus, Ioannem Benedicti ſucceſſorem, Vigeſimum ordine nuncupatum eius nominis Romanum Pontificem.

IESV CHRISTI ANNVS 1023. BENEDICTI VIII. PAP. ANNVS 12. HENRICI IMP. 10. BASIL. ET CONST. IMPP. 48.

B REDEMPTORIS annus milleſimus vigeſimustertius ſequitur Indictione ſexta, quo Benedictus Papa ex baſilica Lateranenſi plurimas Sanctorum reliquias ſumptas miſit ad monaſterium Caſſinenſe. de quibus iſta Leo Oſtienſis: [a] Duo etiam argentea ſcrinia plurimis Sanctorum referta reliquijs, intra ipſum altare honorifice ſunt in marmore ſuperiori ſuſpenſa, quæ reuerendiſſimus Papa Benedictus ob amorem & reuerentiam ſanctiſſimi patris noſtri Benedicti, de ſacrario Lateranenſis palatij ſumpta, ad Caſſinenſem direxit eccleſiam, primo Abbatis noſtri Theobaldi anno, Dominicæ vero Incarnationis milleſimo vigeſimotertio; interdicens omnino, ne quis hinc aliquid ex ijs auferre præſumat. ſunt autem iſtæ reliquiæ. De ligno Domini, de ſanguine Domini, de veſtimentis Domini, de lapide ſancti Sepulchri, de velo ſanctæ Dei genitricis Mariæ, Apoſtolorum Petri, Pauli, Andreæ, Ioannis, Iacobi, Thomæ, Bartholomæi, Matthæi, Simonis, & Iudæ, & Matthiæ: ſpongia cum ſanguine ſancti protomartyris Stephani, Laurentij, Stephani Papæ, Pelagij Papæ, Martini Epiſcopi, Prudentij, Iuliani, Auguſtini, Chriſtophori, Aemiliani, Nicandri & Marciani, Alexij, Anaſtaſiæ, Eugeniæ, Ioannis & Pauli, Quadraginta Martyrum, & aliorum multorum] hæc Leo. a Leo Oſt. lib. 3. cap. 28.

C Hoc pariter anno rediens in Germaniam ex Italia Henricus Imperator, cum Roberto Rege Chriſtianiſſimo habuit congreſſum, de quo iſta Sigebertus hoc anno: Henricus Imperator & Robertus Rex Francorum ſuper Carum fluuium apud Euaſium conueniunt, de ſtatu Eccleſiæ Regni & Imperij tractaturi: & condicto, vt ſuper his confirmandis etiam Papam Romanum ſimul ambo Papiæ opportune conuenirent. Imperator Regem & ſuos multos etiam, qui tantum ad demirandam Imperatoriam maieſtatem conuenerant, tanta liberalitate donauit, vt opibus Regum Perſarum, aut D
Arabum poſſet comparari Imperatoris munificentia] hæc Sigebertus. Sed de huiuſmodi congreſſu audiamus quid Glaber huius temporis ſcriptor habeat, ex quo diſcent Principes, multoq. magis alij inferioris ſtatus homines, quam vane, quam ſuperbe diſceptent inter ſe vſque ad internecionem de præcedentia, dum alter alterum ſupergredi omni conatu laboret. habet enim iſta: [b] CONGRESSVS IMP. CVM REGE FRANCORVM. b Glab. lib. 3. cap. 2.

Fuit etiam ei *Roberto Regi* pax cum Regibus in gyro regni ſui poſitis, maxime cum ſupradicto Imperatore Henrico. Nam cum aliquando ad inuicem colloquendum ſuper Moſam fluuium, qui limes eſt vtriuſque regni, conueniſſent, pluresq. ex ambabus partibus inſinuarent, indecẽs eſſe, vt quis illorum tantorum ſcilicet Regum ſemet humilians, quaſi in alterius tranſiret auxilium: hoc etiam fore potiſſimum, vt in fluminis medium nauibus portarentur ſimul locuturi. Sed viri eruditiſſimi illud vterque in mente habens: [c] Quanto magnus es, humilia te in omnibus: primo namque mane E
ſurgens Imperator tranſijt cum paucis ad Regem Francorum, * nimioq. amplexu ſemet deoſculantes, ſacramentisq. Miſſarum decenter ab Epiſcopis in conſpectu illorum celebratis, prandere vtriſque ſimul congruit. Expleto quoque prandio, obtulit Robertus Rex immenſa munera auri atque argenti & pretioſarum gemmarum Henricò: centum inſuper equos honeſtiſſime phaleratos, ſuper vnumquemque lorica & galea *poſita ſcilicet*: mandans inſuper tantum illorum amicitiam imminuere, quantum contingeret ex omnibus illi relinquere. At Henricus cernens amici liberalitatem, ſuſcepit ex illis tantum librum Euangelij, auro & lapidibus pretioſis inſertum, ac phylacterium ſimile factum, continens dentem ſancti Vincentij Leuitæ & martyris. Vxor vero illius pares auri tantum * naues accepit; cetera autem egrediens in gratia dimiſit. c Eccli. 3. VISITATIONE PRAEVENIT IMP. REGEM FRANCORVM. * mutuoq. * inaures

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sequenti igitur die iterum Rex Robertus cum Episcopis ad Imperatoris tentoria A
transiens: qui eum satis sublime susciens, expletoq. simul prandio centum libras ex
auro puro ei obtulit. Rex quoque pares tantum * naues auri ex illo sumpsit, firmatoq.
vterque pacto amicitiæ rediere ad propria] hucusque de his Glaber, dicendus potius
stylo scaber. atque de his quæ palam. Quæ autem transacta sint inter Principes secretis
colloquijs, altum silentium. Illud autem omnes docuit coniectura, inter sanctissi-
mos Principes non nisi iusta sancta piaq. transigi potuisse: indigebat alter alterius
consolatione. Etenim cum ambo Principes essent maxime pij, infideles ambo ac per-
duelles experti sunt alios sub se positos Principes, vt patet ex his, quæ Ditmarus
de rebus Henrici, & quæ Glaber de rebus Roberti scripta reliquit, qui de eodem
[a] hæc inter alia post enarratos eos, quos passus est in regno rebelles: [a] Hic itaque B
Rex, vt sapientissimus Dei cultor, semper fuit humilium amator, superborumque,
vt valuit, osor. Si qua enim pontificalis sedes in suo regno proprio viduaretur Præ-
sule: cura erat maxima, vt vtilis pastor, licet genere infimus, restitueretur ecclesiæ
potius, quam nobilitatis eligeretur persona sæcularis pompæ. Qua de causa etiam
primates regni sensit plurimum contumaces, qui despectis humilibus, sui similes eli-
gebant superbos] hactenus Glaber.

CONCILIVM MOGVNTINVM.

Hoc pariter anno celebratum est generale Concilium Moguntinum ex Germa-
niæ Episcopis: cui interfuit etiam Henricus Imperator. Sed inuerso ordine aliqui
id ponunt celebratum anno superiori. at ex certa Indictione posita in Actis eius,
nempe quinta, error arguitur. Huius autem Synodi exciderunt Acta, tantumq. eius
mentionem reperimus in rebus gestis sancti Gothardi Episcopi Hildesemensis, oc- C
casione miraculi tunc ab eo editi hoc anno, qui primus (vt vidimus) censetur eius Epi-
[b] scopatus. res gesta in hunc modum ab auctore eius temporis enarratur: [b] Primum
eius miraculum, quod per eum Christi gratia effecit eodem primo anno, ad Lecto-
ris excitandam spem & exultationem hic merito referendum puto: quod tamen,
teste Deo non mentior, ab ipso quoque vsque ad vitæ finem celatum, sed a Clero &
populo, qui interfuerat, diuulgatum. Aribo Archiepiscopus Moguntinus illo anno
Imperatorem ad Pentecosten Moguntiam inuitauit, vbi etiam Concilium generale
coegit, in quo multa collapsa correxit; præcipue vero Ottonem Comitem ab Hani-
stein & Limingardam præter fas sibi cohærentes separare constituerat, quod tamen
perficere non potuit, quandoquidem Comes partim Imperatoris metu, partim Epi-
scopi commonitione, vtcumque ad meliorem se recepit frugem; femina autem ban-
nos vel proscriptiones negligens, ius ibi funditus perdidit, vt hodieq. perspici potest. D

S. GOTHARDVS VENIENS AD SYNODVM IN VIA CVRAT DAEMONIACAM.

Ad hoc Concilium etiam noster Præsul, & Episcopi & Imperatoris iussu euocatus,
non contemnenda Cleri & militum frequentia quamuis inuitus & nolens stipatus eo
properabat, & in quodam, qui vicinus est illi castello, vbi Dei gratia & electus & con-
secratus fuit, iter faciebat: vbi tum mulier quædam ab immundo vexata dæmone, a
parentibus & propinquis per ecclesias, ad Sanctorum imploranda patrocinia, circum-
ducebatur. Qui cum audirent nouum illuc aduenire Episcopum, obuiam ei cum dæ-
moniaca femina fidenter processerunt, sanctæ eius existimationis fama illecti. Impu-
rus autem spiritus illorum acceleratione pauefactus, per os feminæ anxijs cœpit per-
contari vocibus, quonam perduceretur. Dicentibus illis, se iam in occursum Gothar-
di Episcopi properare: horrifico mugitu & vlulatu misere se opposuit, & ipsis etiam
a quibus trahebatur, mirantibus & formidantibus reluctatus est, eiulans & vociferans, E
Gothardum se nec audire, nec videre posse. Sub hac colluctatione cum misera illa a
Fidelibus fide & spe, vt patuit, feruentibus traheretur, & spiritus nequam omni con-
tentione obniteretur: tandem profligato illo, mulier liberata est: & ad virum Dei, sub
quadam arbore refrigerij causa residentem, sana corde & corpore adducta est. Is vero
cognitis ijs quæ facta fuerant, timore & gaudio compunctus, lacrymabundus gratias
egit Deo, in faciem se prosternens. Ac deinceps feminæ manus imponens, ei bene
precatus est, eamq. in fide confirmatam recte valentem, atque etiam gaudentem cum
exultantibus amicis a se dimisit, cœptoq. perrexit itinere. Quotquot autem comita-
bantur eum, viso hoc miraculo, plus eum reuereri & amare cœperunt, vtpote cuius
tam præclara apud Deum merita cognoscerent. At ille grauiter eis interdixit ne cui-
quam id indicarent; sed neque ægra mulier, quæ miraculum in se experta fuit, neque

turba,

* inaures

[a] Glab. eodem cap. 2.

[b] Apud Sur. to. 3. die 4. Maij. cap. 22.

A turba, quæ ei interfuerat, id reticendum putauit] quod maius miraculum recte con-
sideranti videri potest. At hæc leuia esse quis dixerit, si legerit reliquas a sanctissimo
viro res gestas.

Hoc eodem anno moritur sanctus Hartuicus Salisburgensis Episcopus, cuius res
præclare gestas scripsit eius discipulus æque sanctus Eberardus, quas diligentia Hen-
rici Canisij editas habes tomo secundo lectionum antiquarum.

IESV CHRISTI ANNVS 1024. IOANNIS XX. PAP. ANNVS 1. HENRICI IMP. 11. BASIL. ET CONST. IMPP. 49.

B

OBITVS BENEDICTI PP. ET DE EO VISIO.

ANNVS surgit Redemptoris millesimus vigesimusquartus, Indictione septima,
quo Benedictus Papa ex hac vita migrat tertio Kal. Martij, cum sedisset, non, vt
Hermannus ait, annos vndecim & dies duodecim, sed vt habet Marianus, annos duo-
decim: quem post purgatorias pœnas saluum factum narrat Petrus Damiani in Odi-
lone verbis istis: [a] Si quis autem non generalitate contentus, quis specialiter per bea-
tum Odilonem de pœnis vltricibus sit ereptus inquirit; quid de reliquis sentiat, in Pa-
pa Benedicto euidenter addiscat, vt in Romanorum Pontifice, qui omnium Christia-
norum caput est, valeat liquido conijci, quid de ceteris merito debeat existimari. Apo-
stolicus igitur iste, quem diximus, dum adhuc viueret, beatum virum affectuose di-
lexit, reuerenter excoluit, & Apostolorum Limina frequentanti necessarij sumptus
C opima sæpe subsidia ministrauit. Huic plane, mox vt obijt, germanus eius Ioannes
in Apostolica dignitate successit. Iam vero postquam humanis rebus exemptus est,
non parui temporis euoluto curriculo, iam dictus Papa Ioanni Portuensi Episcopo, &
alijs duobus, quorum nomina nobis nota non sunt, per speciem nocturnæ visionis ap-
paruit; eisq. quia pœnalibus esset constitutus in tenebris, indicauit, hoc insuper ad-
dens, qualiter beati Odilonis venerabilibus meritis eum superna censura liberare de-
creuerit a tormētis. obsecrat itaque per eos & humiliter flagitat, vt frater eius ad præ-
fatum vnicæ pietatis virum agilem quantocyus veredarium dirigat, eumq. suppliciter obsecrans, pro se orare deposcat.

[a] extat apud Sur. die 1. Ian. tom. 1.

Protinus idem Ioannes Portuensis Episcopus, auctoritatis Apostolicæ fultus epistolis concito gradu Papiam vsque peruenit, vbi longo & immoderate fortassis accelera-
D to fractus itinere, per monachos cœnobij beati Maioli Apostolicæ legationis apochas
dirigit, omnemq. per eos sancto viro seriem a se conspectæ visionis exponit. Enimuero
diuino factum esse constat iudicio, vt eum apud Cluniacense monasterium Apostolicæ
legationis baiulus inueniret. Præcepit itaque venerabilis Pater psalmodias & ora-
tiones ab omnibus priuatim & publice fieri, eleemosynas indigentibus erogari, sacri-
ficium Deo mysterij salutaris offerri. Nec in illo dumtaxat loco id statuere contentus
fuit, sed & per omnia sui regiminis monasteria eiusdem sanctionis edicta mandauit.
Cum itaque hoc Fratres intentissima deuotione satagerēt, & ex ara sanctorum pecto-
rum fraternæ charitatis flamma prosiliens, diuinæ clementiæ sacrarium penetraret,
iam præfixi temporis terminus propinquabat. Et ecce quidam sanctæ conuersatio-

PRECIBVS CLVNIACENSIVM LIBERATVR PAPA DE POENIS PVRGATORII.

E nis monachus, Heldebertus nomine, qui videlicet hoc obedientiæ fungebatur officio,
vt inopes aleret, & indigentibus subsidia ministraret. Hic itaque per soporem vidit,
quod quidam pulcher ac serenus aspectu, ac solemni quodam nitore conspicuus, clau-
strum monasterij, magno candidatorum agmine constipatus, ingrederetur. In Ca-
pitulum deinde, vbi pater Odilo cum Fratribus residebat, intrauit; ad eius genua ca-
put humiliter flexit, eiq. (sicut in gestu corporis videbatur) gratias egit. Cumq. Fra-
ter ille, qui hoc in visione contemplabatur, inquireret, quisnam esset ille tam deco-
rus & fulgidus, qui sancto viro salutationis officium exhiberet: responsum est ei, quia
ille esset Benedictus summæ Sedis Episcopus, qui nimirum idcirco viro Dei gratias
ageret, quia pijs eius sanctorumq. Fratrum precibus & tartarei cruciatus euasisset in-
teritum, & cum beatis ciuibus quieturus, supernæ Hierusalem meruisset ingressum. In
hoc valet liquido deprehendi, quæ de meritis beati Odilonis opinio iure possit haberi,
cum is nimirum, qui iuxta priuilegium Apostolicæ dignitatis claues Ecclesiæ præ cun-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctis mortalibus tenuit, qui ligandi atque soluendi vires præeminenti quodam iure possedit, in illo iam inuisibili examine constitutus, non aliter quam precibus istius vel a peccatis solui, vel de pœnali potuit supplicio liberari] hactenus de his Petrus. A

At quoniam non vni Ioanni Portuensi Episcopo de pœnis, quas pateretur, sed & alijs duobus diuinitus reuelatum idem Petrus, vt audisti, testatur: alia ab his diuersa esse noscitur visio illa, quam de eodem Benedicto idem Petrus narrat factam esse Episcopo Capreæ, quam recenset in epistola ad Nicolaum Secundum Pontificem scripta verbis istis: Vt igitur illud inferam, propter quod ista præmisi: Episcopus, qui tum (si recte teneo) * Capuæ præerat, vidit maiorem Benedictum Papam (*ita dictus Benedictus Octauus maior respectu nepotis eius, qui iunior est Benedictus appellatus*) qui iam obierat, nigro equo quasi corporaliter insidentem. Cumq. illum cœptum iter carpere cerneret: Heus, inquit, nonne tu es Papa Benedictus, quem defunctum liquido nouimus? Ipse, inquit, infelix ego sum. & ille: Quomodo tibi est, Pater? Grauibus, ait, tormentis afficior, spe tamen, si adiutorium præbeatur, de mea recuperatione non priuor. Sed perge quæso ad fratrem meum Ioannem, qui nunc Apostolicam occupat Sedem, eique, mea functus legatione, denuntia, vt illam potissimum summam, quæ in tali theca reconditur, in pauperes pro mea salute distribuat, sicq. me redimendum esse, quandocumque decreuerit diuina miseratio, agnoscat. Nam cetera, quæ pro me sunt indigentibus tradita, nihil mihi penitus profuerunt, quia de rapinis & iniustitijs acquisita sunt. Hic igitur Episcopus Romam impiger adijt, & vbi Ioanni Papæ defuncti fratris Benedicti verba narrauit, Episcopalis mox sarcinæ pondus abiecit, monachum induit, eoq. modo salutem sibi ex aliena calamitate prouidit] hæc Petrus, recensens numerum illorum, qui se ab Episcopali munere abdicarunt. At non perfunctorie dictum putes a Benedicto de Ioanne fratre, qui Romanam occupat Sedem; occupabat sane, qui non legitime vocatus a Deo sedit, sed malis artibus ascendit ad ipsam. Hæc autem vt cunctis pateant, ex antiquioribus auctoribus sunt promenda, atque primum omnium horum dicendum de genere. Fuerunt nempe Benedictus, de quo diximus, & Ioannes fratres germani, ambo filij Gregorij Comitis Tusculani, vt [a] Leo Ostiensis affirmat, patria Tusculani. de Gregorij potentia iam superius dictum est. Quomodo autem iste indignus indigne atque tyrannice Sedem occupauerit Petri, dicendum.

* Capreæ

IOANNES MALIS ARTIBVS SEDEM APOST. ASCENDIT.

a Leo Ost. lib. 2. c. 27. & cap. 58. in fine.

Rursum monstra nobis peperit potentia sæcularis, procul facienda semper ab electione Romanorum Pontificum, vt ne vel auditu percipi omnino valeat: tractent sacra Deo sacri, non profani, ab his procul arcendi. At quid sibi vendicauerint Comites Tusculani, a Glabro sæculi huius scriptore sic accipe, cum de Ioanne hoc agit: [b] Erat quippe, inquit, Ioannes iste cognomento Romanus, frater illius Benedicti, cui in Episcopatum successerat, largitione pecuniæ, repente ex laicali ordine neophytus constitutus Præsul: sed insolentia Romanorū huiusmodi adinuenit palliatæ subdolositatis ridiculum scilicet, vt quemcumque pro suo libitu in præsentiarum ad Pontificatus officium delegerint, mutato nomine quod illi prius fuerat, aliquo magnorū Pontificum nomine illum appellari decernunt] hæc Glaber, insinuans non huic olim nomen fuisse Ioannem, sed adscitum illud postea, cum ex laico (nefas dictu) est transformatus in Papam. Ex his autem conspice, quam enormiter errent, qui [c] dicunt hunc ex Episcopo Portuensi creatum Pontificem: qui si non aliter, certe ex his, quæ recitauimus nuper ex Petro Damiani, manifeste redarguuntur erroris, dum longe diuersum ponit fuisse Episcopum Portuensem a Ioanne Papa Benedicti germano. Ceterū cum ipse Petrus Damiani huius temporis scriptor adeo constanter affirmet, Ioannem Papam Benedicti Pontificis fratrem se abdicasse a Pontificatu: asserere necesse est, Ioannem hunc, qui ad decennium Sedem Pontificiam propagauit, nec nisi morte ea priuatus est, cum idem ipse fuerit: eumdem post abdicationem, legitima facta electione, legitimum Pontificem iam sedere cœpisse, atque ita ad obitum vsque perseuerasse, sicq. post abdicationem legitimum omnino fuisse Romanum Antistitem. Interea vero, quoniam peculiare illud, vt qui pecunia emunt sacra, pecunia pariter sacra distrahant: quid hoc ipso suæ ordinationis exordio tentatum fuerit a Græcorum Ecclesia, ab eodem Glabro sic accipe: [d]

b Glab. lib. 4. cap. 1.

SAECVLARIS POTENTIA PARIT MONSTRA.

c Panuin. & alij cum secuti.

d Id. eod. lib. 4. cap. 1.

Circa annum igitur Domini millesimum vicesimumquartum Constantinopolitanus

B C D E

nus Præsul cum suo Principe Basilio, alijq. nonnulli Græcorum consilium iniere, quatenus cum consensu Romani Pontificis liceret Ecclesiam Constantinopolitanam in suo orbe, sicut Roma in vniuerso, vniuersalem dici & haberi. Qui statim miserunt, qui deferrent multa ac diuersa donorum xenia Romam tam Pontifici, quam ceteris, quos suæ parti fauere conspicerent. vbi aduenientes exposuerunt suæ profectionis querelam. Sed quid non pertentat cæcus amor habendi? estq. prouerbium: Aureo pugillo murum frangere ferreum. At licet pro tempore Philargyria mundi regina queat appellari; in Romanis tamen inexplebile cubile locauit. Mox namque, vt videre Græcorum sibi deferri fulgidas opes, versum est cor illorum ad fraudulentiæ diuerticula, pertentantes an forte clanculo concedere quiuerant quod petebatur. sed nequaquam. Non enim potest falli summa Veritas, quæ spopondit: [a] Portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Dum ergo adhuc leni sub murmure huiusce machinatores in conclaui sese putarent talia tractauisse; velox fama de ipsis per vniuersam Italiam decurrit. Sed qualis tunc tumultus, quam vehemens commotio per cunctos extitit, qui audierunt, dici non valet. Præcipue tamen vir prudentissimus, pater videlicet Vuillermus, de quo iam [b] diximus, ad Romanum Pontificem de hac re misit epistolam corpore breuem, sed materia ingentem, ac sermone pungentem, talia continentem: A

GRAECI TENTANT SVRRIPERE NOMEN VNIVERSALE.

a Matth. 16.

b supra lib. 3. c. 5.

Gratia Dei, & reuerentia beati Apostolorum principis Petri sedium in orbe terrarum excellentissimo indepto Papæ Ioanni, Vuillermus Crucis Christi seruus, sedem iudicij. Cum Apostoli & regni coronæ magistri Gentium dictis instruimur, Seniorem non increpandum; idem tamen alias dicit: Factus sum insipiens, vos me coegistis. Idcirco igitur filiationis diligentia hortamur communem vestram paternitatem, qualiter in vno imitemini cogitationes hominum prouidentem Dominum Saluatorem, vt dicatis ad aliquem vobis vnanimem, quemadmodum ipse Petro: [c] Quid dicunt homines de me? Si vero responsum illius ex fide fuerit: animaduertite qualiter sonuerit. Si autem clare, custodite ne obfuscetur; si vero obscure: Lux mundi oranda est, qualiter ita fulgeatis, vt vniuersis in gremio Ecclesiæ constitutis ad viam mandatorum Dei gradiendam lumen præbeatis. sed est fama rei, quæ nuper erga nos accidit, de qua quis audiens non scandalizatur, nouerit se longe ab amore superno disparari. Quoniam licet potestas Romani Imperij, quæ olim in orbis terrarum monarchis viguit, nunc per diuersa terrarum innumeris regatur sceptris: ligandi, soluendiq. in terra, atque in cælo, potestas dono inuiolabili incumbit magisterio Petri. Atque ista idcirco diximus, vt animaduertatis, non aliter Græcis quam xenodochia huiusce * quam audiuimus, apud nos requirere, impetrauisse . . . . . De cetero quoque optamus, vti vniuersalem decet Antistitem, vos acrius in correctione ac disciplina sanctæ & Apostolicæ Ecclesiæ vigere, æterneq. ac feliciter valere] hucusque Vuillermi epistola ad Ioannem creatum Pontificem, vtinam integra, & non mendosa, atque truncata verbis, quæ tanti ponderis fuit, vt leuem hominem ne faceret quod moliebatur, omnino cohibuerit. Erat autem hic Vuillermus Abbas monasterio S. Benigni a sancto Maiolo Cluniacensi Abbate præfectus, de quo inter alia multa Glaber hæc habet: [d] Erat enim prædictus Vuillermus acer ingenio, & insignis prudentia: idcirco summum in palatijs Regum, ac ceterorum Principum obtinebat locum. Quodcumque denique monasterium proprio viduabatur pastore, statim compellebatur tam a Regibus, vel Comitibus, quam a pontificibus, vt meliorandi gratia illud ad regendum susciperet; quoniam vltra cetera diuitijs, & sanctitate ipsius patrocinio assumpta cernebantur excellere monasteria, &c.] B C D E

EPISTOLA VVILLERMI ABBATIS AD IOANNEM PAPAM.

* locus depravatus, in quo plura videntur desiderari.

c Matth. 16.

VVILLERMVS ABBAS EX CLVNIACENSIBVS.

d Glab. lib. 3. c. 5.

Quod autem ad dictam legationem Græcorum pertinet, eos nihil penitus ab Apostolica Sede impetrare potuisse, docent epistolæ Leonis Papæ Noni, post annos viginti conscriptæ ad Michaelem Constantinopolitanum Patriarcham, quibus expostulat de eiusmodi titulo, Oecumenicus, quem suæ sedis Episcopi præter ius fasque, reclamante semper Apostolica Sede, nimia arrogantia vsurpassent. ex quibus aperte cognoscitur, ab ea petitione Legatos tandem fuisse repulsos. Quod etiam ex eo redditur manifestum, quod illa Ecclesia hactenus Ecclesiæ Romanæ noua redintegratione coniuncta, rursus schismate se diuisit, vt quæ suo loco sunt dicenda, demonstrant.

RVRSVS SCHISMATE DIVISA ECCLESIA CONST.

Hoc

Universidad de Deusto
Biblioteca

ORITVS HENRICI IMP.

Hoc eodem anno, tertio Idus Iulij moritur Henricus Imperator, & sepelitur Bambergæ, quam ciuitatem Episcopali sede, pluribus ecclesijs, monasterijs, redditibus, & amplissimis donis illustrauerat. Ad mortem Henricus veniens (inquit [a] Leo Ostiensis) Episcopis, Abbatibusq. præsentibus, Chunegundam coniugem suam propinquis tradidisse dicitur, ac dixisse: Recipite quam mihi tradidistis virginem vestrã] vt qui mutuo consensu castitatem seruare Christi amore statuissent. eadem & alij plerique testantur. Renouata sunt in Christianis Imperatoribus magno miraculo, quæ in primitiua illa Ecclesia apud Fideles reperiri aliquando contigisse, ex Tertulliano suo loco narrauimus. vnde merito auctor eius temporis in Chunegunde: [b] O coniugium non voluptate, sed bona voluntate copulatum! o sanctum matrimonium, vbi vna fides inuiolatæ castitatis, vbi vnus spiritus misericordiæ & veritatis! vbi idem velle in virtutibus, idem nolle in vitijs: vbi nec primus, nec alter discernere potuit, dum alter quod primus voluit: vbi par animus in multifarijs operum effectibus pares in duobus ostendit affectus. quales has nuptias dixerim nescio. Vnum scito, quia nescit modo regio nostra tales, dum propter regnum cælorum se castrantes, nec prolem terrenæ fecunditatis expectantes, cælibem in Deo generationem reciperent, a quorum ore laus Dei numquam deficiet. Hæc est generatio quærentium Dominum, qui viuentes in Christo, & membra sua propter Christum super terram morientium, modo regnantes cum Christo, bona Domini sui vident in regione viuentium.]

[a] Leo Ost. lib. 2. c. 42.

[b] apud Sur. die 3. Martij.

Sed sicut Imperatoris castitas nulla vmquam potuit suspicione pullarisita & sanctissimæ Augustæ illibata pudicitia aliquando calumniam passa, quasi aurum examinata per ignem, illæsa permanens, maiori fulgore orbi refulsit: dum (vt idem auctor, & alij narrant) eadem Chunegundis apud virum delata de suspecta consuetudine militis, expetens ipsa, securitatem sibi pariente innocentia, probari per ignem: ignitos vomeres, non secus ac flores, illæsis manibus contrectauit. Vidit infaustum sæculum numquam hactenus visum in continentia tãtorum Imperatorum miraculum: gloriatur iure Germania vno se edidisse partu Augustum & Augustam sanctos Imperatores, inter Sanctos relatos ambos. At de Chunegunde suo loco dicendum; modo autem sanctissimi Principis glorioſa funera prosequamur, non quæ adulatio humana persoluit, sed quæ Deus in ostensione miraculorum exhibuit, vt illud Dauidicum occinuisse canticum loco næniæ liceat: [c] Scitote quia mirificauit Dominus Sanctum suum.] Qui eius vitam scripsit Adalbero Episcopus Vltraiectensis, vt auctor est Sigebertus, ipse pariter edita ab eo miracula scriptorum memoria consignauit: quæ ab Ecclesia esse recepta, testatur auctor in Chunegunde, dum ait: De vita, & miraculis Pij Henrici Imperatoris Christianissimi, & de miserationibus varijs, quas fecit in domo Domini: de signis quoque & miraculis, quæ post transitum eius per eum fecit Deus, satis ac digne scripta sancta recepit Ecclesia] hæc ipse.

[c] Psal. 4.

PRO ANIMA IMP. LABORAT CHVNEGVNDIS.

Prosecuta est animã coniugis pia Imperatrix pijs officijs postrema pie persoluens. Quamuis enim obitu Imperatoris omnia oppleri turbis & misceri rumoribus contigerit; ipsa animo constans, illud vnum totis viribus conabatur, vt eleemosynis atque precibus Deo animam coniugis commendaret. de quibus hæc idem auctor eius temporis in Chunegunde: Quanta vero eleemosynarum largitate, quanta orationis instantia pro beati coniugis anima desudauerit, in subscripta pagina, quam ipsa per se (nam litterarum, & artium aliarum .... distinguere auro, gemmisq. sacras vestes paratissima fuit) composuit, & scripsit, quicumque voluerit agnoscere, poterit] quæ sic se habet missa ad moniales monasterij, ad Confugia, dicti:

Chunegundis diuina dispensatione solo nomine Imperatrix specialiter dilectæ congregationi ad Confugia, quidquid iustæ conuenit dilectioni.

EPISTOLA S. CHVNEGVNDIS IMPERATRICIS.

Propriæ aduersitatis sarcinam (velut æstimo) facilius tolerarem, si vestras res saluas incolumesq. existere viderem. Quamuis enim mens procellosis curarum fluctibus vndique quatiatur; vestræ tamen recordationis anchora a cordis profunditate non auellitur: & licet longe remotæ ab oculis sitis, ab animo tamen numquam recedatis. Quis nos separabit a charitate Christi? casus doloris, an longinquitas remotionis? Quin etiam si amissæ facultatis vsus concederetur, voluntas hæc operis exhibitione comprobaretur. Ipsum tamen modicum, quod adhuc, Deo volente, reliquum tenemus, vestræ * commonitioni alienũ esse nolumus, vt participatione paruitatis re-

* communicacioni

ucletur magnitudo deuotionis. mater namque si parum habuerit, parum filijs tribuit. Ecce hæc modici sumptus munuscula ad refectionem vobis mittuntur carnis, vt animam Senioris patris vestri continua alimonia orationis reficiatis: quoniam tot iustorum preces vnanimiter continuatæ apud Deum multum possunt proficere, Iacobo attestante: Multum valet deprecatio iusti assidua. Ille etiam atque etiam iustus Dominus, qui iustitias dilexit, æquitatem supplicationis audire non respuit, sed vobis indefessis intercessoribus supradicti chari memoriam facientibus, salutis dabit præmium, quod ipse promittit dicens: [b] Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Atque bonum opus in conspectu etiam Dei placitum esse cernitis, si non solum pro illis, qui in hac vita positi multa vobis bona; sed pro illis etiam, qui nulla fecerunt, oraueritis. Obsecro ergo, vt eum a cordibus vestris numquam abijciatis, qui vos tamquam proprias amauit, atque hunc locum vestra seruitute florere voluit. Estote quoque meæ necessitatis memores, semper in hilaritate cordis misericordes, secundum illud Apostoli: [c] Dilectio sine simulatione. Nec non vestræ mentes in quamdam mutuæ charitatis soliditatem magis ac magis concrescant, quatenus in die tribulationis clamorem vestrum ipsius aures exaudiant, qui dicit: [d] Vbi duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo: in medio eorum sum. Quod vos omnimode promereri hortor, eodem præstante, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.] hæc Chunegundis.

[a] Iac. 5.

[b] Marc. 10.

[c] Rom. 12.

[d] Matt. 18.

Sed ad successorem Henrici conuertamus orationem. Conradum sibi successorem designasse in regnum ipsum Henricum Imperatorem, nonnulli affirmant, vt [e] Leo Ostiensis: at alij post eius obitum ab Archiepiscopis, & alijs Germaniæ Principibus fuisse electum tradunt, non absque contradictione potentum. Longe autem errant, qui hunc filium fuisse ipsius Henrici Imperatoris scripsere.

[e] Leo Ost. lib. 2. c. 59.

Quod autem ad genus ipsius pertinet, ex Vuormatiæ Ducibus originem ducere, Scriptores rerum Germanarum pariter asseuerant, fuisseq. filium Henrici, filij Ottonis, ex quo genitus Gregorius Quintus summus Pontifex. Cuius ætatis primordia fuere humilia atque quieta, ceteris suis consanguineis cuncta, etiam ecclesiastica conturbatione miscentibus. Vnde contigit (ait auctor vitæ Burchardi Vuormatiensis Episcopi, huius ætatis scriptor) vt idem vir Dei Burchardus hoc genus hominum omnibus vitæ suæ diebus exosum habuisset, & quasi Ecclesiæ Dei inuasores omnes respuisset, vno tantummodo iuuene excepto, Conrado scilicet, quem parentes, ceteriq. cognati, quia pacificus erat, & innocentiam vitæ diligebat, indignando respuerunt. Hunc vir Dei venerabilis Burchardus ad se vocatum, Dei timorem pariter & amorem docuit, & quasi adoptiuum nutriuit; & quia stabilitatem animi in eo intellexit, præ ceteris multum illum dilexit. Quem Deus postea in solium regni clementer exaltauit] hæc de Conradi pueritia & adolescentia inuisa cognatis, Deo autem, Deiq. seruis amica: qui tantum virum habuit educatorem, instructorem, & monitorem, per quem Dei timorem edoctus, per eum ad Imperium aperuit sibi viam.

CONRADVS ALVMNVS S. BVRCHARDI EPISC. VVORMAT.

In iuuentutis lubrico eo tantum facto infamatus legitur, quod relictam Ernesti Sueuorum Ducis, ex qua duos susceperat filios, nomine Giselam, ex progenie Caroli Magni oriundam, duxit vxorem, cuius rei causa eius electio, atque vnctio est retardata, vt Glaber affirmat, his verbis: [f] Cum enim diu multumq. de constituendo regni Principe, ac præcipue inter Præsules tractatum fuisset, visum est eis ipsum Conradum debere eligere, nisi quod vnum intererat, propter quod Henricus etiam illum valde exosum habuerat. habebat enim coniugem, quæ illi erat affinis, quam etiam primitus quidam cognatus ipsius duxerat. Propterea innotuerunt ei pontifices, quid potissimum vellet, aut tale coniugium, quod manifeste sacræ auctoritati nimium repugnabat, tenere, seu eo dimisso, coronam Imperij sumere. Qui protinus dimittendum promisit talis incesti coniugium; seq. parere diligentissime illorum dictis, & obedire consilijs. Deinde vero mittunt ad Papam Romanum, vt eis in hoc, quod decreuerant, consentiret. Qui statim libentissime annuit: mandans insuper, vt quantocyus suscepto Germaniæ sceptro, Romam pergeret, susceпturus totius Italiæ coronam.] hæc de electione Conradi. Quando autem in Italiam perrexerit, suo loco dicturi sumus. Porro inaugurationem Conradi non hoc anno factam, quo eiusmodi contentiones viguerunt, sed sequenti, est nonnullorum assertio: verum

[f] Glab. in exordio libri 4.

INCESTVOSVM CONIVGIVM RETARDAT ELECTIONEM CONRADI.

Universidad de Deusto
Biblioteca

verum ex diplomatibus eiusdem Conradi Regis liquet, hunc annum primum A
eius regni numeratum. recitantur illa in præambulis ad Burchardi decretum: tu consule, quæ ab auctore [a] vitæ sancti Gothardi Episcopi Hildesemensis de rebus gestis eiusdem Conradi per singulos annos narrantur. Porro sequestrem pacis inter Principes & Conradum Regem, & inter ipsum & Regem Francorum fuisse sanctum Popponem Abbatem Stabulensem, magnæ æstimationis virum, [b] Euerhelmus affirmat.

[a] apud Sur. to. 3. die 4. Maij. cap. 24.

[b] Euerh in vita Popp. c. 15. apud Sur. die 25. Ian. tom. 1.

IESV CHRISTI ANNVS 1025. IOANNIS XX. PAP. ANNVS 2. VACAT. IMP. OCCID. 1. BASIL. ET CONST. IMPP. 50.

REDEMPTORIS annus agitur vigesimusquintus supra millesimum, Indictione octaua, quo tertio Idus Iulij, ipsa anniuersaria die obitus Henrici Imperatoris, eius coniux sanctissima virgo Chunegundis Augusta in monasterio a se erecto, in dedicatione eius basilicæ, depositis ornamentis Imperatorijs, monasticum susceptt habitum, famulatura eiusdem loci monialibus: vbi ad obitum vsque annis quindecim perseuerauit. descripta ista habentur ab auctore sequentis sæculi, verbis istis: [c] Denique Conrado sibi succedente in regno, ipsa curis sæcularibus, sicut iamdiu desiderauerat, exonerata, iam in ipso anniuersario die transitus sancti Henrici, Archiepiscopos ad dedicationem Confugiensis ecclesiæ conuocauit. Vbi inter Missarum solemnia Imperiali decentissime omni ornatu culta, ante principale altare virgo Deo deuota processit: ibiq. thesaurum incomparabilem, ligni videlicet Dominici Crucē, paruam quidem in materia, sed maximam in virtute Domini obtulit. At vbi lectio Euangelij *(quod dici consueuit ex præscripto sacrorum rituum in dedicatione alicuius ecclesiæ)* [d] in qua super arborem Crucis ascendens conspicientem se IESVM susciperē, & ab eo benedictionem Zachæus pusillus meruit accipere, lecta fuit: regalem purpurā exuens, tunicam fusciorem, quam ipsa sibi manibus suis operata fuerat, sacerdotali benedictione data, vestem religionis induit: & multis quidem pro se flentibus, pro illa autem gaudentibus, quæ iam sæculum damnasset in vestibus, capillis, qui hucusque in eodem monasterio pro veneratione seruantur, præcisis, impositō sibi ab Episcopo velo, anulo fidei subarrhata, gratulabunda concinuit: Posuit signum in faciem meam &c. &: Anulo suo subarrhauit me Dominus IESVS Christus. Ita sponso Christo consecrata, dum filiarum suarum se sanctissimo contubernio applicuisset, non vt mater filiabus se præferebat, sed omnibus inseruiens, seruilem personam se ostendebat; ita tamen, vt cum omnia faceret, ostentationem fugeret singulorum, ne reciperet in præsenti sæculo mercedem suam] pergit auctor eius in monasterio dignam conuersationem, Angelis parem, enarrare, & miracula ab eadem edita recensere. sed hæc modo nobis satis ad institutum. B D

[c] Extat apud Sur. tom. 2. die 3. Martij. S. CHVNEGVNDIS AVG. VITAM MONASTICAM PROFITETVR.

[d] Luc. 19.

GVILLELMVS DVX AQVITANIAE TENTAT RES ITALIAE ET IMPERIVM.

Hoc tempore vacante adhuc Imperio Romano in Occidente, ipso autem Conrado rebus Germaniarum intento, & multiplicitate hostium fatigato, Guillelmus Dux Aquitaniæ potentissimus in Vrbem peregrinationē instituit, tentaturus animos Italiæ Principum, si posset efficere, vt filium, quem secum duceret, Regem crearent Italiæ, eidemq. conciliarent Imperium. est de his perbreuis ad Fulbertum Carnotensem Episcopum epistola, in hæc verba ab Hugone conscripta: [e]

[e] Fulb. ep. 90.

Quem iugiter in præcordijs animæ suæ fouet, domino ac patri suo Fulberto Hugo perpetuo vigere. Dux noster Guillelmus nobis amicissimus profecturus est in Italiam die Iouis proxime venturo sciscitatum de causa filij sui, si cum honore & incolumitate sua fieri queat, vt Itali eum eligant sibi in Regem, faciant ei sacramentum, & Italiæ regnum concedant, & Romanum Imperium accipiant per rectam fidem, quantum possint. Hac de causa processurus est prudens pater cum filio, quem supra dixi, cum ipsis deliberaturus. Nunc ergo prudentiæ vestræ sit decernere, vtrum illo absente veniatis iuxta condictum. Si veneritis, victualia vobis, Deo largiente, non deerunt] hæc ad Fulbertum Hugo. E

Coluit autem mirum in modum idem Dux Aquitaniæ Guillelmus ipsum venerandum Fulbertum Carnotensem Episcopum, eumdemq. litteris & muneribus frequentauit, vt docent litteræ ab eodem Fulberto ad ipsum datæ, quæ inter alias cusæ iam extant.

extant. [a] Laudatissimus sane Princeps, de quo inter alia hæc in Fragmentis historiæ Aquitanicæ: Regulares Abbates & monachos maximo affectu amoris amplectebatur, & consilio eorum vtilitatem regni administrare curabat. Vnde & dominum Odilonē Abbatem Cluniacensis cœnobij copiosis muneribus sibi attraxit, contemplatus in eo verum Dei habitaculum, in quo Spiritus sanctus requiesceret, & cœnobia nonnulla suæ ditionis eius magisterio commendauit. Fecit idem Dux Vuillelmus a nouo cœnobium ingens Malliacense in territorio Pictauiensi, itemq. aliud cœnobium Burgolense in cespite Andegauensi in fundo proprio, vna cum matre sua, nomine Adala Christianissima, quæ extitit soror Richardi Comitis Rothomagensis. In quibus cœnobijs nunc alios Regulares aggregauit plures numero, qui die & nocte Domino laudes persoluerent omnipotenti, eisq. constituit Abbatem, feruentissimum in sancto propositō, & regularis disciplinæ firmissimam columnam, nomine Theolmum] & inferius: Hac pietate semper vsus est, vt quos victor viuos capere potuit, non eos interimere permisit, sed ereptos a morte, & mulctatione membrorum, incolumes abire præcepit] Ceterum quod ad res Italiæ & Imperium pertinet; cum videret, repugnantes Longobardos & eos, qui fauebant studebantq. Conrado, aduersarios se fore passurum; remq. haud perfici posse absque ingenti strage Fidelium, vt prudens maluit abstinere, req. infecta ad propria remeare. A B C

[a] Fulb. ep. 85. 86. 87. 88.

GVILLELMI DVCIS PIETAS.

Quomodo autem, vbi reuersus est, Deus eum voluit consolari inopinata inuentione capitis sancti Ioannis Baptistæ, accipe ex ijsdem Fragmentis eiusmodi narrationē: [b] Temporibus ipsis, dum reuersus esset a Roma post Paschales dies gloriosus supradictus Dux *Vuillelmus*, inuentum est caput sancti Ioannis, in ipsius basilica in tugurio saxeo cœnobij Angeriacensis. quod sanctum caput dicunt esse proprium caput sancti Ioannis Baptistæ. Tunc Vuillelmus Dux repletus magno gaudio, sanctum caput populorum visibus ostendendum decreuit: & non solum Aquitania, verum etiam Francia & Burgundia, Hispania & Britannia, atque Longobardia, & cetera Gentium diuersitas certatim, velut amnis, deuote ibi occurrit, audita fama tam præclara nostris diebus. Rex quoque Robertus honorifice aduenit, & sicut decebat regiam dignitatem, obtulit in eodem loco concham de auro purissimo, pensantem libras triginta; pretiosas quoque vestes, ecclesiasticum ornamentum: & magno honore a Vuillelmo Duce exceptus est cum omnibus qui eum comitabantur. & his expletis, reuersus est Aurelianos. Quod etiam maius videtur, omnes congregationes seruorum Dei ex Aquitania cum Sanctorū corporibus & reliquijs, & apparatu ecclesiastico psallentes processerunt ad Memoriam sancti Præcursoris Christi: interq. concursus Lemouicinorum vna cum monachis & clericis, & primoribus, & Episcopo Geraldo & Ioffredo Abbate præcelso, cum innumerabili gloria Memoriam Aquitaniæ patroni præcipui Martialis, recto cursu per sanctum Carrofum prætereuntes, ad Memoriam Baptistæ Domini detulerunt, & magnis lætantes miraculis, quæ apostolus Galliæ gloriosissimus Martialis patrauerat, per viarum interstitia sub oculis omnium tripudiantes reuersi sunt. Dux vero Vuillelmus semper cogitans de Dei honore, ad ipsius laudem & gloriam dominum Odilonem Cluniacensem Abbatem accersiuit, & in eodem supradicto cœnobio Angeriacensi disciplinam monachorum sub iugo regulari in melius restaurauit] hæc de inuentione & cultu venerandi capitis ibi. D

[b] Habes ea post Roberti vitam posita appendicem ad Glabrū.

INVENTIO CAPITIS S. IOANNIS BAPTISTAE.

MORITVR BASILIVS IMP. ET EVSTATHIVS PATRIARCHA CONST.

Hoc eodem anno, iam inchoata Indictione nona, mense Decembris Basilius Imperator, cum vixisset annos septuaginta, imperasset vero quinquaginta, repentino morbo correptus exiuit e vita, relinquens Imperium integrum fratri suo Constantino. Paulo ante autem obijt Eustathius Patriarcha Constantinopolitanus, in cuius locum Alexium monasterij præfectum (vt inquit Curopalata) collocandum curauit, quo adiutore in Republica administranda vtebatur. idemq. & mores Constantini damnatos recensēt, eiusq. tyrannidem in opprimendo populo tributorū violenta exactione. E

BOLESLAE CHOBRI REGIS POLONORVM OBITVS.

Quo pariter anno die tertia mensis Aprilis Christianissimus Princeps, religione præstans, potens armis, propagator, propugnator & conseruator Christianæ religionis, & regni dilatator eximius Boleslaus Poloniæ Rex, cognomento Chobri, hoc est, vir altæ & heroicæ virtutis, ex hac vita decessit, anno quinquagesimo octauo ætatis suæ, cum annos vigintisex regnasset, cum iam antea (quod decuit Christianum Principem) præmunisset se ad propinquum exitum, iterata sæpe peccato-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum confessione,& sumptione sacratissimæ Eucharistiæ pro viatico. Prophetice prædixisse venturam regni cladem, eiusdemq. restitutionem in meliorem statum, narrant qui prosequuti sunt res Polonorum,præsertim vero Longinus canonicus Cracouiensis,qui res ab eo præclare gestas enumerat. successit autem in locum eius Miecezlaus eius filius, sed parentis virtutibus longe impar. A

IESV CHRISTI ANNVS 1026. IOANNIS XX. PAP. ANNVS 3. VACAT. IMP. OCCID. 2. CONST. SOLIVS IMP. 1.

CONRADVS REX CONVENIT S. BVRCHARDVM.

MILLESIMVS vigesimusextus annus Christi Redemptoris Indictione nona signatus incipit, cum Conradus Rex profecturus in Italiam, Vuormatiam primum se confert ad S. Burchardum, ipsius nutritorem. Qui cum plurimum ægrotans lecto decumberet,a Deo impetrauit,vt valeret,dum Rege digna præstaret. Quod obtinens,vbi quem honorifice excepisset, eumdem comitatus aliquantisper esset,reuersus, vt præsciuerat,ad obitum se componens,spiritum Deo reddidit. Res digna memoria, quæ Annalibus inseratur, sic ab eius temporis Scriptore recolitur: [a] Post hinc biennium, quam Rex Conradus in regni solium est sublimatus, imbecillitas virium seruo Dei vltra solitum accrescere cœpit (*laborabat enim paralysi, quod superius dictum est*) cumq. languore nimio ægrotaret, intra ciuitatem se recepit, diem & horam futuræ redemptionis expectans. Et cum aliquanto tempore ægritudine magna detineretur, Legati Regis ad eum veniebant, qui in proxima hebdomada illuc Regem esse venturum nuntiabant. De hac legatione seruus Dei conturbatus, pro infirmitate sua multum doluit, quia neque Regem digne excipere, nec seruitium dignum pro infirmitate posset præbere. B C

a Vita Burch. in præambulis ad libros Decret.

S. BVRCHARDVS DIVINITVS CONVALESCIT, VT EXCIPIAT REGEM.

Inter hæc verba ad consuetam conuersus consolationem, Oratorium intrauit, & ianuam post se clausit, ibiq. diem integrum in oratione permansit. cum sero autem factũ esset, more solito discipulos conuocari præcepit, laudibusq. vespertinis peractis, cum lætitia est regressus, nobisq. omnibus Dei gratia repræsentatus est validus. Itaquippe omne spacium, quod Rex nobiscum fuerat, quasi impetratis inducijs, validus erat. Discedente autem Rege, Triburiam cum eo iuit, ibiq. tres dies mansit: deinde accepta licentia cum abiret,Regem se non visurum amplius, multis audientibus,quasi ioculando prædixit. Deinde aqua purissima se lauit (*ideo scilicet,ne mortuus lauaretur, atque nudus aspiceretur, sic se componens ad sepulturam in omnibus comptus*) nam & collum ac barbam, atque coronam radere iussit, indutusq. vestibus puris, suos milites atque clientes, nec non & alios qui aderant, ad se intrare præcepit. Tunc vniuersis magno fletu singultantibus, vir Dei vix qua poterat manu silentium indicens, ait] accusans seipsum secundum illud: Iustus in principio sermonis accusator est sui, quod bonæ mentis sit ibi timere culpam, vbi culpa non sit: D

S. BVRCHARDI AD SVOS MORITVRI ORATIO.

Patres venerandi, fratres amandi, filioli dilectissimi, vestro auxilio apud Deum iam indigeo: multum enim doleo, quod vos vsque modo negligenter præcedebam, meq. vltra modum super vos superbe exaltabam, & non, vt iustum erat, vos honorificabam, nec diligebam: sed superbia illa quid mihi modo profuit? vel arrogantia quid me adiuuit? Multum mihi tunc obfuit,multaq. mihi offendicula parit. Hesterno namque die vnus fui ex ditissimis; sed iam expecto, quod mox futurus sim vt stercus & cinis. Talis est gloriatio nostra, talis est dominatio mundana. Nudus quippe egressus sum de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc, nihil præter peccata mea reportans,nisi Dei misericordia exhortante aliquid boni fecerim aliquando,hoc apud Deum me inuenturum esse spero. Ecce nunc sum lotus, ecce viam longissimam iturus, legationem durissimam expecto paratus. Ex his miserijs facile cognoscere potestis liuentes mundanarum rerum gloriationes quam fragiles & instabiles sint,quam plenæ malis, quam cæcæ futuræ,quas per speculum haud cognosco quasi in ænigmate, quamuis eisdem adhuc subiacentia ex parte. Ergo cui seruiui, arbitro Deo meo Regi sempiterno me, meaq. indubitanter committo, vt ipse me defendat, & secum illuc perducat, vbi anima mea terribiles occursus non timeat. Tandem apertam corporis E

poris sui dissolutionem aperte pronuntiabat. His dictis finitis, cum maxima tristitia foras exiuimus,& tanti pastoris interitum omnes in commune lamentando fleuimus. A

Tunc Principes, qui aderant, intrantes, thesaurariam & cameram, vbi pecuniam putabant reconditam,diligenter,& angulos perscrutati sunt; & tandem scrinia librorum voluminibus plena spe pecuniæ subuertentes, vano fortunæ labore illusi sunt. Nam præter thesaurum ecclesiasticum nec aurum nec argentum ibi inuenerunt, exceptis tribus tantum denarijs, quos vir sanctus in Vantone suo reliquit, quando alios pauperibus erogauit. Igitur soror ipsius, de qua diximus, Abbatissa venerabilis, in orationibus & vigilijs perdurando ab eo non discessit: cumq. dies paucos maxima infirmitate ægrotaret; nocte quadam, antequam decederet Dei seruus, de lecto se erexit, & oculis ac manibus in cælum intentis diutius orauit. Illi qui aderant, labia eius moueri videbant, sed quid oraret, quamuis caute intenderent, penitus non intelligebant. Deinde in lectum se deponens,sororem dextera tetigit & dixit: Ecce quod concupiui, iam video. deinde dixit: Dominus vobiscum. Hoc cum tertio diceret, Redemptori nostro, cui seruiuit, quem amauit, quem quæsiuit, quem semper optauit, spiritum immaculatum reddidit. B

IN SVMMIS DIVITIIS INVENTA SVMMA PAVPERTAS.

Habuit autem seruus Dei quoddam scrinium, quod nullus nostrum aliquando apertum vidit: huius quidem clauem sorori commisit, vt quidquid inuenisset, in memoriam & dilectionem vitæ suæ haberet. Quæ statim post obitum fratris, quibusdam conuocatis ex nostris dicta illius narrauit: & tunc scrinium aperuit. Inuenimus autem in eo cilicium hirsutissimum, & catenam ferream ex vna parte quasi ex vsu contritam. Quod vt vidimus, primum contra Dei famulum sæpe nos negligenter deliquisse, tunsis pectoribus communiter doluimus. Deinde eius felices actus apud Deum ita rectos & absconsos digne admirantes, gratiarum actiones Deo nostro non sine lacrymis pro eius vita retulimus] hæc eius domesticus: pergitq. eiusdẽ religiosas exequias recensere. sed hæc satis. Reliquit autem egregia suæ pietatis & ingenij monimenta, nempe libros viginti Decretorum,ex sacris Concilijs,summis Pontificibus, sanctisq Patribus collectorum, quorum nouissimo libros pœnitentiales, nempe Romanum, Bedæ & Theodori simul iungens, in viridem obseruantiam reuocauit pristinam Ecclesiæ disciplinam. Insuper ad Clerum suum admonitionem, in ecclesia a diacono post lectionem sancti Euangelij recitatam de his, quæ præstanda essent ab ipsis, sexagintasex breuibus capitibus distinctam scriptam reliquit, vt sic perseueraret apud eos in compendium redacta doctrina canonum. C

ASPERRIMA CARNIS AFFLICTIO.

Sed vt redeamus ad Conradum Regem,vbi sanctum Burchardum visitauit,Italiam versus iter accelerauit,adeo vt Vercellis hoc anno sacrum Pascha celebrarit, regio habitu perlustrans prouincias Longobardorum. demum celebrato Natali Domini, Romam se contulit anno sequenti, quo & a Ioanne Pontifice Imperij coronam accepit, vt suo loco dicturi sumus. hæc ex Actis [a] sancti Gothardi Hildesemensis Episcopi. Ceterum haud pacificus esse potuit eius in Italiam aduentus, resistentibus ex more eidẽ Longobardis, adeo vt armis fuerit ipsi via aperienda. nam audi Glabrum: [b] Interea, inquit, adeptus regni insulas Conradus, Italiam perrexit, secum ducens vxorem, quam (vt diximus) illicito ceperat matrimonio. Cui protinus in descensu Alpium, quem Curiam Gallorum licet corrupte vocant, in oppido * Cumis,occurrit cum summo apparatu Papa Romanus, vt ante spoponderat. Fuere tunc quidam de Marchionibus Italiæ,qui minus ei assensum præbuerunt: sic enim illis facere mos est,vt iam supra taxauimus in mortibus Imperatorum. Namque Papienses ceterorum superbissimi palatium Regis in sua ciuitate operoso sumptu constructum destruxerant vsque ad solum] ne videlicet, cum illuc pergerent Germaniæ Reges vel Imperatores,vbi habitare possent, haberent: nam loco castrorum atque munitionis illud fuerat Henrico Imperatori aduersus irruentes in ipsum furore percitos Papienses. pergit Glaber: Ille vero vt comperit, ferociter irruit, Iporegium primitus ciuitatem capiens, deinde ceteras cum castris vniuersis propriæ subijciens ditioni] in quibus rebus difficilibus peragendis reliqua huius anni parte detentus,in sequentem annum distulit ipse suum Romam aduentum. D E

a extat apud Sur die 4 Maij tom. 3. cap. 24.

b Glab lib. 4. in princ.

* Comi

IOANNES PAPA OCCVRRIT CONRADO REGI ROMAM VENIENTI.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CORONATIO CONRADI IMPERATORIS.

SVRGIT annus vigesimusseptimus post millesimum, Indictione decima, quo Romam se contulit Conradus Rex, illuc perueniens in maiori Hebdomade; atque Paschatis die a Ioanne Pontifice Imperator solemnibus ritibus inūgitur & coronatur. De his enim hæc in Gothardo, vbi anni singuli rerum gestarum Conradi distinguuntur, habentur: Rex autem, vbi Natalem Domini egisset, ad Limina Apostolorum tetendit, atque ita prospero itinere pridie Cœnæ Dominicæ Romam lætus peruenit, & ipso sancto Resurrectionis die coronam Imperij a Ioanne Pontifice cum multa gloria accepit. Proxima Dominica inde digressus, & potenter per regionem illam iter faciēs, in pace redijt in Germaniam, sanctiq. Ioannis Baptistæ natiuitatem celebrauit Herbipoli nouus Imperator] hæc de itinere. Quod autem adeo cito recesserit Conradus ab Vrbe, quæ obortæ sunt rixæ Germanorum militum cum Romanis, fuisse causa putatur: de quibus ista apud Ottonem Frisingensem: [a] Anno ab Incarnatione Domini millesimo vigesimoseptimo Conradus Romam veniens, in ipsa die Paschalis solemnitatis, inter duos, Anglorum & Reginæ Giselæ auunculum Rudolphum Burgundiæ Reges honorifice procedens, a summo Pontifice Ioanne coronatur, & ab omni populo Romano Imperatoris & Augusti nomen sortitur. In ipsa vero Paschali hebdomada tumultu orto inter milites Imperatoris & ciues, grauis pugna committitur, cæsisq. multis, Romanis fugientibus, Imperator victoria potitur. Post hoc facta cum ciuibus pace, ab Vrbe regreditur] Glaber de his agens hæc habet: [b] Sicq. Romam deueniens, coronam ex more sumpsit Imperij. Cui dum Episcopi suggererent, vt auctoritate Romani Pontificis, qualiter illis promiserat, repudium illiciti faceret coniugij, grauiter accipiens, dixit: Se Imperatorem creatum nullo modo debere vxore viduari, ac sicut inepte cœperat, tenuit] hæc Glaber. Dispensasse cum eo summum Pontificē par est credere, cum appareat ex ea progenitos filios habitos esse legitimos, atque regni substitutum heredem eorum primogenitum: cui & tunc nuptui traditam filiam Cnuti Regis Daniæ & Angliæ, quem & Canutum appellant, nomine Chunigundem, Vrspergensis affirmat.

a Otto Frising. lib. 6. cap. 29.

b Glab. lib. 4. proœm.

Quantum autem ipse Cnutus Rex, cognomento Magnus, ex hac in Vrbem ad Limina Apostolorum pietatis ergo peregrinatione susceptа profecerit, ex eius litteris inspicere licet. extant ipsæ quidem nobile antiquitatis monumentum, recitatæ tum a Vuillelmo Malmesburiensi, tum etiam ex parte ab Ingulpho, qui sicut ceteris antiquitate, ita & veritate cum auctoritate præstantes, res Anglorum sunt prosequuti, quæ sic se habent: [c]

c Vuillel. Malmesbur. de gest. Reg. Angl. lib. 2. cap. 11.

Cnuto Rex totius Angliæ & Danamarchiæ & Noruegiæ, & * partis Suauonum * Ailnoto Metropolitano & Alfrico Eboracensi, omnibusq. Episcopis & primatibus, & toti genti Anglorum tam nobilibus, quam plebeijs salutem.

* magnæ partis
* Egelnoto

CNVTI MAGNI REGIS ANGLIAE, ET DANIAE EPISTOLA.

Notifico vobis nouiter me ijsse Romam oratum pro redemptione peccatorū meorum, & pro salute regnorū, quiq. subiacent regimini, populorum. Hanc quidem profectionem Deo iam olim deuoueram, sed pro negotijs regni, & causis impedientibus hucusque non poteram perficere: nunc autem ipsi Deo meo omnipotenti valde humiliter gratias ago, quod concessit in vita mea Petrum & Paulum beatos Apostolos, & omne sanctuarium, quod intra Vrbem Romam, aut extra addiscere potui, expetere, & secundum desiderium meum præsentialiter venerari & adorare. Et ideo hoc maxime patraui, quia a sapientibus didici, sanctum Petrum Apostolum magnam potestatem accepisse a Domino ligandi atque soluendi, clauigerumq. esse regni cælestis; & ideo specialiter eius patrocinium apud Deum expetere, valde vtile duxi.

Sit autem vobis notum, quia magna congregatio nobilium in ipsa solemnitate Paschali ibi cum domino Papa Ioanne & Imperatore Conrado erat, scilicet omnes Principes gentium a monte Gargano vsque ad istud proximum mare. Qui omnes me & honorifice susceperе, & magnificis donis honorauere. Maxime autem ab Imperatore donis varijs & muneribus pretiosis honoratus sum, tam in vasis aureis & argenteis, quam in pallijs & vestibus valde pretiosis. Locutus sum igitur cum ipso Imperatore & do-

A & domino Papa, & Principibus, qui ibi erant, de necessitatibus totius populi mei tam Angli quam Dani, vt eis concederetur lex æquior, & pax securior in via Romam adeundi, & ne tot clausuris per viam arcerentur, & propter iniustum teloneum fatigarentur. Annuitq. postulatis Imperator, & Rudolphus Rex, qui maxime ipsarum clausurarum dominatur; cunctiq. Principes edictis firmarunt, vt homines mei tam mercatores, quam alij orandi gratia viatores absque omni angaria clausurarum, & teloneorum cum firma pace Romam eant & redeant.

Conquestus iterum sum corā domino Papa, & mihi valde displicere dixi, quod mei Archiepiscopi in tantum angariabantur immensitate pecuniarum, quæ ab eis expetebantur, dum pro pallio accipiendo, secundum morem, Apostolicam Sedem expeterent: decretumq. est, ne id deinceps fiat. Cuncta enim, quæ a domino Papa, & ab
B Imperatore, & a Rege Rudolpho, ceterisq. Principibus, per quorum terras nobis transitus est ad Romam, pro meæ gentis vtilitate postulabam, libenter annuerunt, & concessa etiam sacramento firmauerunt sub testimonio quatuor Archiepiscoporum, & viginti Episcoporum, & innumeræ multitudinis Ducum, & nobilium, qui aderant. Quapropter Deo omnipotenti gratias magnificas reddo, quia omnia, quæ desideraueram, prout mente decreueram, prospere perfeci, votisq. meis ad velle satisfeci.

Nunc itaque sit notum, quia ipsi Deo supplex deuoui vitam meam amodo in omnibus iustificare, & regna mihi subdita, populosq. iuste & pie regere, æquumq. iudicium per omnia obseruare: & si quid per meæ iuuentutis intemperantiam, aut negligentiam hactenus, præter quod iustum erat, est actum; torum, Deo auxiliante, dispono emendare. Idcirco obtestor, & præcipio meis Consiliarijs, quibus regni con-
C silia credidi, ne vllo modo, aut propter meum timorem, aut alicuius potentis personæ fauorem, aliquam iniustitiam amodo consentiant, vel faciant pullulare in omni regno meo. Præcipio omnibus etiam Vicecomitibus, & præpositis vniuersi regni mei, si meam volunt habere amicitiam, aut suam salutem, vt nulli hominum, nec diuiti, nec pauperi vim iniustam inferant; sed omnibus tam nobilibus, quam ignobilibus sit fas iusta lege potiundi, a qua nec propter fauorem regium, nec propter alicuius potentis personam, nec propter mihi congerendam pecuniam vllo modo deuient; quia mihi nulla necessitas est, vt iniqua exactione mihi pecunia congeratur.

Ego itaque notum vobis fieri volo, quod eadem via qua exiui, regrediens, Danimarchiam tendo, pacem & firmum pactum omnium Danorum consilio compositurus cum eis gentibus, quæ nos & vita, & regno priuare, si eis fuisset possibile, vole-
D bant, sed non potuerunt, Deo scilicet virtutem eorum destruente, qui nos sua benignitate in regno & honore conseruet, omniumq. inimicorum nostrorum potentiam annihilet. Composita denique pace cum gentibus, quæ in circuitu nostro sunt, dispositoq. & pacato omni regno nostro hic in Oriente, ita vt nulla parte bellum, aut inimicitias aliquorum timere habeamus, quam citius hac æstate apparatum nauigij habere potero, Angliam venire dispono. Hanc autem epistolam iam præmisi, vt de mea prosperitate omnis populus regni mei lætificetur; quia vt vos ipsi scitis, numquam memet ipsum, nec meum laborem abstinui, nec adhuc abstinebo impendere pro omnis populi mei necessaria vtilitate. Nunc igitur obtestor omnes Episcopos, & regni mei præpositos, per fidem quam mihi debetis, & Deo, quatenus faciatis, vt antequam
E Angliam veniam, omnia debita, quæ secundum legem antiquam debemus, sint persoluta, scilicet eleemosyna pro aratris, & decimæ animalium ipso anno procreatorū, & denarij, quos Romam ad sanctum Petrum debetis, siue ex vrbibus, siue ex villis, & mediante Augusto decimæ frugum, & in festiuitate sancti Martini primitiæ seminum ad ecclesiam, sub cuius parochia quisque degit, quæ Anglice * Curescet nominatur. * Chireseth
Hæc & alia si, cum venero, non erunt persoluta, regia exactio secundum leges, in quem culpa cadit, districte absque venia comparebit] hucusque recitatæ litteræ Cnuti Magni. Ex quibus plane redarguuntur erroris, qui eiusdem Regis Romam aduentum ponunt anno Domini millesimo trigesimosecundo. sed cum constet, tunc contigisse, cum illic esset Conradus Imperator, & Rudolphus Burgundiæ Rex: vtique hoc anno (vt vidisti) id oportuit factum esse.

Subijcit autem ista Vuillelmus: Nec dicto deterius fuit factum: omnes enim leges ab antiquis Regibus, & maxime ab antecessore suo Ethelredo latas sub interminatio-

Universidad de Deusto
Biblioteca

S. AVGVSTINI BRACHIVM EMPTVM.

ne regiæ mulctæ, perpetuis temporibus obseruari præcepit: in quarum custodia etiam A
nunc tempore bonorum sub nomine Regis Eduardi iuratur, non quod ille statuerit, sed quod obseruauerit] & paulo post: Domum rediens, apud Papiam brachium sancti Augustini doctoris centum talentis argenti, & talento auri comparatum apud Conuentriam misit] hæc ipse.

Cum autem reliquias Sanctorum tam charo pretio distrahi quidam nebulo intelligeret, ex mentitis Sanctorum reliquijs nefariam procurauit exercere mercaturam, de quo Glaber, qui antequam de illo agat, ciusmodi ad hoc ipsum spectantem tempus
a Glab. lib. 4. c. 2. ingerit narrationem: Castrum igitur erat per id tempus in gente Longobardorũ, quod
CASTRVM PERFIDORVM HAERETICORVM. (vt erat) vocabatur Mons videlicet fortis, plenũ etiam ex nobilioribus eiusdem gentis. Hos nempe cunctos ita maculauerat hæretica prauitas, vt ante erat illis crudeli morte finiri, quam ab illa quoquo modo possent ad saluberrimam Christi Domini Fidem B
reuocari. Colebant enim idola more Paganorum, ac cum Iudæis inepta sacrificia litare nitebantur. Sæpissime denique tam Mainfredus Marchionum prudentissimus, quam frater eius Alricus Astensis vrbis Præsul, in cuius scilicet diœcesi locatum habebatur prædictum castrum, ceteriq. Marchiones, ac Præsules circumcirca creberrimos illis assultus intulerunt, capientes ex eis nonnullos, quos dum non quiuissent reuocare ab insania, igne cremauere. Contigit ergo in vicino haberi aliud castrum nostræ religionis & Fidei, in quo quidam miles aliquando ægrotãs ad extremum pene deuenerat. Ad quem vtique visitandum ex hæreticorum castello illorum præcipua iuxta morem veniens mulier, reuera potius, vt euidentior fieret sectæ eiusdem nequitia, protinus vt ingrediens domum, in qua æger decubabat, intraret, repẽte prospiciens is qui languebat, vidit intrare cum eadem muliere ad se innumerabilem exercitum in niger- C
rimis vestibus, faciebusq. teterrimis. Qua vero ingressa, postquam languentis frontem, ac pulsum pectoris, & cetera, vt vsus habet, manu perlustrauisset, pronuntiaretq. illum conualiturum in proximum, domo egressa est, totaq. simul familia cum illa solum relinquente infirmum. Statimq. affuit illi nigrorum, quem viderat, globus: cui ita qui videbatur illorũ princeps, infit: Agnoscis me, inquiens, Hugo? hoc enim erat illius ægri vocabulum. Cumq. ille respondens diceret: Tu quis es? dixit ei: Potentissimus potentum, ac ditissimus diuitum. Ego qui occurro tibi, si me tantum credideris facere posse, & te a morte, quæ præsens imminet, eripiam, longoq. viues tempore. Et vt certissime credas quod spondeo: noueris meo auxilio, meaq. industria Conradum hoc tempore Imperatorem esse creatum. Tu quippe bene nosti, quod nullus Imperatorum ita velociter omnẽ Germaniam, atque Italiam, sicut iste, suæ subiugauit ditioni. D
Noui, inquit, æger, & mirum diu mihi cum ceteris fuit. Deinde vero primæ fraudis auctor adiecit: Nonne etiam in transmarinis partibus regnum Græcorum post Basilium Michaeli mihi obedienti tradidi? Idcirco crede mihi, quia faciam tibi multo maiora, quam sperare queas, teq. ipsum sanitati restituam. Erat quippe fama tunc temporis, quod idem Michael Cubicularius fuisset Basilij, clamq. illi venenum in potu ad
DETECTAE FALLACIAE DAEMONVM. necem dedisset, cuius procul dubio Imperij post mortem eius sumpsit coronam: cui etiam (vt par erat) regimen Imperij non satis vtile fuit. Interea memoratus Hugo in se reuersus, dextera signum venerabilis Crucis exprimere tentãs dixit: Ego vero IESVM Dei Filium testor, quem adoro, credo, & confiteor; & non alium te omnino credidero, nisi vt fuisti, & es, fallacem diabolum. Tunc dæmon continuo hanc vocem edidit: Quæso ne brachium contra me erigas; sicq. continuo omnis ille globus, vt fu- E
mus, euanuit. At ille exclamans, voce qua potuit, accurrunt quique domestici, narrat illis ex ordine quæ vidit, quæ audiuit. quibus dictis ipso die ante solis occasum obijt. Nulli quippe dubium, quoniam quæ sibi visa nobis vidit] hæc de his Glaber, quibus de sacrarum reliquiarum nundinatione, de qua præfati sumus, eiusmodi subijcit historiam:

IMPOSTOR NVNDINATOR RELIQVIARVM. Fuit enim in præscripto tempore homo plebeius, mangonum callidissimus, ignoti tamen nominis & patriæ, quoniam pro diuersitatibus locorum quærens latebram, ne agnosceretur, fraudulenter imponebat sibi vocabula, vel de qua foret prouincia. custodiebat quoque e tumulis clanculo ossa euellens a cineribus nuperrime defunctorum hominum, sicq. imposita in diuersis apophoretis venditabat apud plurimos pro sanctorum Martyrum seu Confessorum reliquijs. Hic vero post innume-
ras

A ras huiusce modi illusiones in Gallijs patratas perfuga venit ad loca Alpiũ, vbi persæpe brutæ gentes inhabitant, habentes in arduis plurima domicilia. Ibi nempe se Stephanum nuncupauit, qui alias Petrus, alias Ioãnes dictus fuerat. Illic ergo more solito noctu colligens e loco abiectissimo ignoti hominis ossa, quæ posuit in capsella & feretro; dicebat sibi angelica ostensione reuelatũ fuisse, quem fingebat, esse sanctum martyrem, nomine Iustum. Mox quoque vulgus (vt se in talibus habere solet) ignauum, quidquid rusticanæ plebis fuit, totum ad hanc famam confluit; pœnitet insuper si non est ibi morbus, qui curari deposcat. Tunc ducit debiles, confert munuscula, pernigil tenet excubias, præstolans repentina fore miracula, quæ (vt diximus) aliquoties permittuntur fieri a malignis spiritibus tentatorie, peccatis hominum præcedentibus, quod tunc procul dubio euidentissime claruit. Multimodæ quippe membrorum re-
B formationes ibidẽ visæ sunt extitisse, ac insignia pendere * oscillorum multiformia; nec tamen Moriannæ, vel & Coticæ, seu Gratinonæ vrbium Præsules, in quorum diœcesibus talia profanabantur, diligentiam huius inquirendæ rei adhibuere; quin potius conciliabula statuentes in aliquibus, nihil aliud nisi inepti lucri quæstum a plebe, simulq. fauorem fallaciæ exigebant. *

Interea Mainfredus Marchionum ditissimus huiusmodi famam comperiens, misit e suis, qui vi rapientes illud quod colebatur simulachrum, sibi deferrent, quem æstimabant Martyrem venerandum. imperat idem Marchio constituere monasterium in Seutiæ castro, quod est antiquissimum inter Alpes, in honore Dei omnipotentis, eiusdemq. genitricis Mariæ semper Virginis, in quo etiam post expletionem operis illum cum alijs quamplurimis Sanctorum pignoribus locare decreuerat. Post paululum
C quoque, completo ecclesiæ opere, statutoq. dedicationis die, accersitis Episcopis in gyro degentibus, cum quibus etiam sæpe nominatus Abbas Vuillelmus, nonnulli & alij Abbates affuerunt. Erat autem tunc prædictus ibi mango, iam dicto Marchioni percharissimus effectus, quippe quoniam spondebat se multo pretiosiora Sanctorum pignora in proximo reuelaturum, quorum scilicet gesta & nomina, atque passionum certamina (vt cetera) fallaciter confingebat. Qui cum a doctioribus quibusque interrogaretur, qualiter talia pernosceret, minus verisimilia blaterans personabat. Namque egomet cum sæpe nominato Abbate illuc deueniens, * interrogans. aiebat * namque: Apparet, inquiens, mihi noctu Angelus, narratq. ac docet quæcumque me velle scire nouerit; & tamdiu apud me manet, vsque dum ego recedere compello. Cum vero ad hæc respondentes scisciteremur, an vigil, seu in somnis hoc cerneret,
D subiunxit: Per singulas pene noctes eripit me Angelus e lectulo, vxore mea ignorante, qui post multa colloquia salutans me atque deosculans recedit. Nos quoque expoliatum calliditatibus intelligentes mendacium cognouimus, virum non angelicum, quin potius fraudis ac malignitatum ministrum.

FALSAE RELIQVIAE INSERVNTVR IN ECCLESIAM. Præterea pontifices rite peragentes, ob quam venerant, ecclesiæ consecrationem, intromiserunt cum ceteris reliquiarum pignoribus ossa illius profani astu adiuncta, non tamen sine magna vtriusque plebis exultatione, quæ innumerabilis illuc conuenerat (contigit ergo ista fieri die xvj. Kal. Nouemb.) idcirco nempe, quoniam fautores huius erroris asserebant esse eadem Iusti martyris ossa, qui eo die in Bellouaco Gal-
E liarum passus est vrbe, cuius etiam caput Antisiodorũ, vbi natus & nutritus fuerat, relatum est, & habetur. Sed ego, qui rei nouitatem noueram, friuolum, quod dicebatur, asserebam. Elegantiores tamen virorum personæ cognoscentes figmenta fallaciæ, fidem dabant assertioni quam protuleram. Nocte denique insecuta visa sunt a quibusdam monachorum, seu aliorum religiosorum monstruosa in eadem ecclesia phantasmata, atque a locello, in quo inclusa habebãtur ossa, formas nigrorum Aethiopum exisse, necnon ab ecclesia recessisse. Sed licet plures sanæ mentis detestabile figmentum abominandum clamarent; vulgus tamen rusticanæ plebis iniusti nomen pro Iusto venerans, olim in suo permansit errore. Nos autem idcirco ista retulimus, vt a multriformis dæmonum, seu humanorum errorum, qui in orbe passim abundant, præcipue in fontibus seu arboribus, ab ægris incaute veneratis caueatur] hæc Glaber.

Sane quidem & temporibus Apostolorum erant in Ecclesia falsi fratres (vt testatur Apostolus)[a] & illi plures numero, qui [b] quæstum pietatẽ putarent. Querela est pariter a 2. Cor. 11.
sancti Augustini in libro, quem scripsit De opere monachorum, in Africa quosdam b 1. Tim. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pseudomonachos impostores circuisse, distrahentes lucri causa reliquias, quas dice- A
rent ossa Martyrum. Sed non defuit Deus, cum opus fuit, seruis suis, monendo re-
uelans, si quis circuitorum fraude in reliquias, quas Fideles colerent, error irrepsis-
set, vt legimus factum apud Seuerum, in vita sancti Marini, siue alias, vel vt modo hic
accidisse cognouimus. Si quis autem diuinitus factæ de his reuelationi non pareat, sed
obstinatus in errore permanere voluerit, excipiet illam digne sententiam: [a] Qui sor-
descit, sordescat adhuc. Sed & si non tunc, eo modo incalescente vulgo in defensio-
nem erroris, postea tamen emendatam constat fuisse fraudem illam, cum neque ibi,
neque circumcirca alicubi locorum remanserit memoria Iusti martyris, titulo falso
confictæ.

DEVS MONERE SOLITVS FIDELES CAVERE ERRORES.

[a] Apoc. 22.

OBITVS S. ROMVALDI.

Hoc anno ponitur obitus sancti Romualdi, de quo sæpe superius diuersis in locis:
cuius vitam egregiam Petrus Damiani conscripsit anno decimoquinto post eius mor- B
tem. Verum cum dicit eum vixisse annos centum viginti, fateor, numerum eiusmodi
non inuenio, si habenda sit ratio temporis sedis Honesti Archiepiscopi Rauennatis,
sub quo ipsum Romualdum monasticum habitum induisse, constans est ipsius asser-
tio Petri Damiani. Verum eumdem Honestum sedere cœpisse anno nongentesimo
septuagesimo, sediisseq. vsque ad annum nongentesimum octogesimumtertium, qui
prosecutus est locupletius res Rauennates Rubeus vir insignis amicus noster, ostēdit.
Quod si tantum ägebat suæ ætatis annum vigesimum, cum monasticum induit habi-
tum, vt Petrus Damiani testatur, idq. contigit sub Honesto: sane quidem, etiam si ve-
limus eum anno primo Honesti initiatum monastico ordine, vsque ad annum mille-
simum septuagesimumprimū eum oportuit peruenisse, vt asseri possit, eum centum vi-
ginti annos vixisse. Verū nec Petrus ipse, qui vitam scripsit, superstes tunc erat. Sic igi- C
tur ad certiores calculos anni Romualdi sunt reuocandi. Constat autem ipsum in
Sanctorum numerum adscriptum quinquennio post eius obitum eo tantum ritu, qui
tunc erat in vsu, nempe vt petentibus concederet Apostolica Sedes super corpus eius
altare construere, vt idem Petrus affirmat, dum ait: [b] Post quinquennium vero a sancti
viri obitu data monachis ab Apostolica Sede licentia, vt super venerabile corpus eius
altare constrüeretur] sic & idem Petrus in epistola [c] ad Henricum Archiepiscopum
Rauennatem de alijs sanctis viris refert miraculis coruscantibus, qui hoc eodem tem-
pore vixere, supra quorum corpora altaria sunt erecta, atque desuper sacrosancta sa-
crificia immolata, vt fuere Romaldus Camerinensis, Amicus Ratisponensis, Guido
Pomposianus, Firmanus Firmensis, & alij plures.

OBITVS S. ROMVALDI.

CANONIZANDI RITVS HVIVS TEMPORIS.

[b] Petr. Dam. in Rom. c. 79. apud Sur. tom. 3. die 19. Iun.

[c] Id. ep. ad Henric. c. 29. habetur tom. 3. biblioth. SS. Patrum.

Hoc eodem anno Alphonsus Quintus eius nominis Rex Legionensis in Hispania, D
dum præliaretur aduersus Sarracenos in Lusitania apud Visæum, sagitta percussus in-
terijt summo mœrore omnium, ob insignem eius pietatem erga Dei Ecclesiā, & in eius
hostes impios Sarracenos immotum animi propositum: quo factum est, vt magnum
sui desiderium cum dolore immenso reliquerit. Porro ex eius sepulchri inscriptione
ita tempus eius obitus redditur exploratum, quæ sic se habet, rudi quidem stylo, vt
eius temporis ferebat iniqua conditio, silueſcente inter assidua prœlia Latinitate:
HIC IACET REX ADEFONSVS, QVI POPVLAVIT LEGIONEM POST
DESTRVCTIONEM ALMANZOR, ET DEDIT EI BONOS FOROS, ET
FECIT ECCLESIAM HANC DE LVTO ET LATERE. HABVIT PROELIA
CVM SARRACENIS, ET INTERFECTVS EST SAGITTA APVD VESEVM
IN PORTVGAL. FVIT FILIVS VEREMVNDI ORDONII. OBIIT ERA E
MLXV. NONIS MAII.] Est hic ipse Christi annus millesimus vigesimusseptimus:
successit in regnum eius filius Veremundus. Regebat tunc ipsam Legionensem eccle-
siam Attilanus Episcopus, qui egregia claruit sanctitate, sicut & Florianus presby-
ter, qui Sanctorum honore digni, iure catalogo ipsorum reperiuntur adscripti.

ATTILANVS ET FLORIANVS SANCTI.

Quo pariter tempore (sed nescitur certus annus) Garsias Rex Vasconum ad Limi-
na sanctorum Apostolorum aduenit, expiandi causa delicti in matrem commissi, cum
falso illam apud patrem adulterij criminis accusasset. hæc pluribus recentiores, res
Hispaniarum prosequuti.

CHRISTI annus millesimus & vigesimusoctauus sequitur, vndecima Indictio- OBITVS HV-
ne inchoatus, quo mortuo Hugone Francorum Rege, Roberti Regis filio, ma- GONIS REGIS
gnæ dissensiones obortæ sunt inter ipsum Regem atque Reginam Constantiam, de- ROBERTI FI-
cernente ipso Roberto regnum deberi secundogenito Henrico, Regina vero muliebri LII.
affectione annitente, vt tertiogenito illud traderetur Roberto. Cuius controuersiæ
occasione magnum excitatur domesticum bellum, & inter Principes, atque Episco-
pos, alijs Regi, Reginæ alijs studentibus. De his acturi, quod in primis ad tem-
B pus spectat, hoc anno Hugonem esse defunctum, ex Glabro, qui tunc viuens rerum
Gallicarum scriptor cuncta ob oculos habuit, intelligimus. dum enim ait ipsum Hu-
gonem obijsse annos natum vigintiocto (ita enim in Iambicis flebilibus illis, quos ro-
gatus a fratribus cecinit, habet: [a]

[a] Glab. lib. 3. cap. 9.

Annis florebat mundo iuuenilibus,
Terdenis minus excreuerat duobus
Regnorum lumen Hugo, Regum maximus) cumq. constet non ante millesimum
nasci potuisse Domini annum, eodem auctore Constantiæ nuptias anno millesimo
referente; vtique non ante hunc defunctum annum, necesse est affirmare. Sed neque
vt dicamus post annum præsentem die obijsse, patitur ratio temporis Fulberti Epi-
scopi Carnotensis, quem constat vnum ex illis fuisse Episcopis, qui electioni faue-
C bant Henrici contra Constantiam, atque ipsum hoc anno esse defunctum, eo irre-
fragabili argumento, quod dedicationi solemni Aurelianensis ecclesiæ, cui vna cum
pluribus Episcopis Rex interfuit, anno sequenti, non ipse Fulbertus, sed eius successor
Theodoricus interfuisse ponitur ab Helgaldo eiusdem temporis scriptore, in vita Ro-
berti. hæc de temporis ratione.

Quod autem ad Hugonem Regem spectat, quem iam fere decennem pater regni
consortem elegit, etsi ad tempus patri molestus fuerit, ipsi rebellans; tamen petendo
veniam humili reconciliatus obsequio, ita vitam instituit, vt magnum sibi nomen pe-
pererit, atque expectationem sui maximam coaluerit; adeo vt moriens, veluti quo-
dam abortu spes omnes parentum, & subditorum abrumpens, ingens sui reliquerit
desiderium. scribit pluribus ista omnia [b] Glaber, & cecinit (vt dictum est) Iambicis.

[b] Id. ibidem.

D At quod ad Fulbertum Carnotensem Episcopum pertinet, sui temporis summum
decus Ecclesiæ Gallicanæ, in his turbis tam excitatis a filio in parētem, quam a coniu-
ge in virum Regem, semper (vt par erat) Roberto fauit, vt ex litteris tunc scriptis fa- FVLBERTVS
cile colligi potest. extat enim [c] epistola de Hugone filio tunc capto, ad ipsum Ro- FAVIT REGI
bertum Regem missa: alia vero ab Odelrico Episcopo Aurelianensi (vt conijcitur) CONTRA RE-
ad ipsum Fulbertum data, cum in electione successoris innitens Regis voluntati, GINAM.
studeret Henrico magis, quam tertio loco nato Roberto. quæ inter epistolas Fulber-

[c] Fulb. ep. 78.

ti vltimum locum tenet, atque sic se habet: [d]

[d] Id. epist. 91.

Dilectissimo domino suo Fulberto Episcopus O. cui optat iuxta Domini præce-
ptum serpentinam prudentiam columbina simplicitate præditam.

MONETVR FVL- Quod tuo, beatissime pater, aliorumq. multorum relatu perceperam: idipsum nu-
E BERTVS AB per domino Berardo Suessionis Episcopo referente cognoui; scilicet incurrisse te gra- EPISCOPO AV-
uissimum Reginæ odium, fauentem potius marito suo, de constituendo Rege maiori RELIANENSI.
filio, quem dicunt simulatorem esse, segnem, mollem in negligendo iure patris futu-
rum, fratri suo minori attribuentes his contraria. te quamplurimi Episcoporum ro-
dent clanculum. Vnde quantum ex verbis supradicti Præsulis aduerti, ceu tutum
Coepiscoporum tuorum Francigenarum super hoc agendum negotium, intimare tibi
non me piguit, vt si forte senior est, ei ne refrageris, & a periculo tibi caueas. Est au-
tem hæc eorum ad componendam vtrimque litem sententia; Patre viuente, nullum
Regem sibi creari. quod si acrius institerit in vita patris hoc fieri, quem meliorem sen-
serit, ad Regem debere sublimari. Videris pater prudentissime, ne sis plus æquo iu-
stus, nec a sanctis consacerdotibus tuis perperam dissideas] hæc ad Fulbertum Epi-
scopus O. At quid Robertus pater? conuocato Rhemis conuentu (vt Glaber ait) Epi-
scoporum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

scoporum, ac Principum, filium maiorem natu coronauit Henricum: cuius rei causa A
inter fratres est oborta discordia, quæ postea in ciuile bellum erupit, de quo suo loco
dicendum. Ad eius vero consecrationem vna cum alijs inuitatus ipse Fulbertus, ob
ægritudinem corporis,& Reginæ Constantiæ minas non potuit præsens esse: qui has
a Fulb.ep.43. tunc litteras dedit ad Guidonem Episcopum: [a]

Venerabili Patri & Coepiscopo suo Guidoni Fulbertus. Ad benedictionem Henrici
regiæ prolis voto quidem rapior, sed aduersa me corporis valetudo retardat. Tenta-
rem tamen vtcumque moderatis equitationibus eo peruenire, si non absterreret sæui-
tia matris eius, cui satis creditur cum mala promittit, fidem facientibus multis, &
memorabilibus gestis eius. Qua difficultate prohibitus, rogo vestram charitatem,di-
lectissime, vt vice mea suadeatis domno Archiepiscopo Rhemensi, ceterisq. primori-
bus, ne qua occasione differant benedictionem iuuenis supradicti: spero enim illum B
Deo, & bonis hominibus placiturum. Vale] hæc Fulbertus, ac plane haud falsus va-
tes, neque vanus coniector de Henrico, vt euenta eius significarunt. Ceterum ex hac
ægritudine ipsum defunctum ad Deum migrasse, possumus intelligere: siquidem ip-
DE FVLBERTI OBITV. sum ante sequentem annum (vt dictum est) quo Aurelianensis basilicæ dedicatio facta
est, diem obijsse supremũ, haud dubio declaratum est argumento. Cuius sanctitatem,
atque doctrinam commendant si non aliud,scriptæ ab eo epistolæ, opera Massoni Pa-
risijs haud pridem editæ, sed quæ in multis emendentur ex codice Vaticano, in quo
illæ habẽtur iunctæ cum epistolis Sidonij Apollinaris. Sunt de eo præclara elogia Scri-
ptorum huius temporis,vt Glabri,& auctoris historiæ Aquitanicæ,& aliorum.In eodẽ
præter scientiam, & vitæ integritatem maxime commendatur, quod erga sanctissi-
mam Dei genitricem Mariam addictissimus seruus & promptissimus eius amator fue- C
rit, in cuius laudem librum conscripserit, basilicamq. construxerit, laudesq. cecinerit:
ab ea autem singulari remuneratum dono, dum ipsi ægrotanti per visum apparens,
fugenda aperuerit sacra vbera. quod testatur Guillerinus, ex quo Vincentius; qui etiã
tradunt, ipsum prophetiæ imbutum fuisse spiritu.

Qui quidem moriens, haud dubium testimoniũ reliquit de Berengario,olim suo di-
FVLBERTVS BERENGARIVM MORITVRVS SVGILLAT. scipulo. nam & ex Guillerino ista Vincentius: Cum in extremis positum multi visita-
rent, & ædium capacitas vix confluentibus capiendis sufficeret; ille inter oppositas
cateruas oculis rimatus Berengarium, visu quo potuit expellendum censuit, quo te-
status, immanem dæmonem prope eum consistere, multosq. ad eum sequendum
blandiente manu, & illicite corrumpere] eadem habet Vuillelmus Malmesburiensis,
dum de Berengario ipso funestam texit historiam. Porro qui sciebat a mala sobole, & D
indigno tanto præceptore discipulo ad vniuersam inficiendam Ecclesiam exitiale pa-
b extat tom.3. bliothSS. Pa trum. rari venenum: antidotum ipse voluit reliquisse bene compositum,dum in epistola [b] ad
Adeodatum prolixius scripta de veritate corporis & sanguinis Christi in sacramento
Eucharistiæ,dogma statuit,atque diserte confirmat. quod & in sequenti ad Finardum
c eod.tom.3. [c] epistola præstitit. at de Fulberto hic hactenus.

Hoc anno contigisse martyrium sancti Olaph, siue Olaui Regis Noruegiæ, ex
Adam, Chronicisq. Noruegianis accipitur. At quid de eodem sanctissimo Rege idem
d Adam hist eccl lib.2 c.40 MARTYRIVM S. OLAVI REGIS NORVEGIAE. scribat auctor sic accipe: [d] Inter Cnuth & Olaph Regem Northmannorum continuum
fuit bellum, nec cessauit omnibus diebus vitæ eorum,Danis pro imperio certantibus,
Northmannis vero repugnantibus pro libertate. In qua re iustior mihi visa est causa
Olaph,cui bellum necessarium magis fuit quam voluntarium. Si quando autem tem- E
pus a bellorum motibus quietum erat,idem Olaph iudicio, & iustitia regnũ guberna-
bat. Dicunt enim inter cetera virtutum opera magnũ zelum Dei eum habuisse,vt ma-
leficos de terra disperderet:quorum numero cũ tota barbaries exundet,præcipue vero
Noruegiæ regio talibus monstris plena est.Nam diuini,& augures,& magi,& incanta-
tores,ceteriq satellites Antichristi habitant ibi, quorũ præstigijs & miraculis infelices
animæ ludibrio dæmonibus habentur. Hos omnes & huiusmodi beatissimus Rex
Olaph persequi decreuit,vt sublatis scãdalis,firmius in regno suo clarescceret Christia-
na religio.Habuitq. secum Episcopos multos,& presbyteros ab Anglia, quorũ monitu
& doctrina ipse cor suum Deo præparauit, subiectumq. populum ad regendum com-
misit, quorum clari doctrina & virtutibus erant Sigefrid, Gunichil, Rudolph,& Ber-
nard. Hi etiam iussu Regis ad Suediam,Gothiam,& omnes insulas, quæ trans North-
manniam,

A manniam, accesserunt, euangelizantes barbaris verbum Dei & regnum IESV Christi.
Misit & nuntium ad Archiepiscopum nostrum *Vuuanum* cum muneribus, petens vt
eius Episcopos benigne reciperet,suosq. ad eum mitteret,qui rudem populum North-
mannorum in Christianitate confortarent] subijcit autem his de altero Olauo Adam
sequentibus verbis: [a] *a Adam lib.2. cap.41.*

Simili religionis amore alter Olaph in Suedia dicitur floruisse. is subditos sibi po- OLAVI REGIS SVEDIAE RES PIE GESTAE.
pulos ad Christianam Fidem conuertere volens, magno laborauit studio, vt templũ
idolorum, quod in medio Sueoniæ situm est, Opsala,destrueretur. Cuius intentio-
nem Pagani metuentes, Placitum cum Rege suo tale constituisse dicuntur, vt si ipse
vellet esse Christianus, optimam Suediæ regionem quam vellet, suo iure teneret, in
qua ecclesiam & Christianitatem constituens,nemini de populo vim recedendi a cul-
B tura idolorum inferret,nisi qui sponte cuperet ad Christum conuerti. Huiusmodi Rex
Placito gauisus,mox in Occidentali Gothia,quæ Danis proxima est vel Northmannis,
ecclesiam Deo, sedemq. fundauit Episcopalem. Hæc est ciuitas Scarana maxima,
in qua,petente Christianissimo Rege Olaph,primus ab Vuuano Archiepiscopo Thru-
got ordinatus est. Ille vir strenue legationem suam perfecit in Gentibus, duos nobi-
les populos Gothorum suo labore Christo lucratus: perq. illum Episcopũ Rex Olaph
ingentia Metropolitæ Vuuano direxit munera] ita se habebant istis temporibus illæ
a Deo benedictæ ecclesiæ boreales. Subijcit autem de martyrio Olaph Regis Norue-
giæ, siue Northmanniæ,ciusmodi narrationem, diuersas ea de re sententias referens: [b] *b Id.lib.2.c.43.*

Olaph igitur clarissimus Northmannorum Rex contra Cnuth Regem Danorũ,qui CNVTVS REX DANIAE HOSTIS OLAVI.
regnum suum impugnauerat, perpetuo decertabat prœlio, tandemq. ferunt beatissi-
C mum Regem Olaph seditione Principum,quorum mulieres ipse propter maleficia su-
stulit, e regno depulsum Noruegiæ, & regnauit Cnuth in Northmannia simul & Da-
nia,& (quod nulli Regum prius contingere potuit) in Anglia.Olaph vero totam spem
suam in Deo ponens, ad comprimendos idololatras denuo bellum instaurat. Olaph
auxilio habuit Regem Ruzlorum & Sueonum, cuius filiam habuit, & de populis in-
sularum infinitam congregans armatorum multitudinem, patrium regnum vi & ar-
mis cepit. Rex igitur Christianissimus fortitudine in hostes,& iustitia in suos cele-
bris, ad hoc in regnum se credidit a Deo restitutum, vt iam tunc nemini parcere de-
beret, qui vel magus permanere vellet, aut Christianus fieri nollet. Et cum magna
ex parte votum impleuit: pauci, qui remanserant ex magis, in vltionem eorum
quos Rex damnauit, & ipsum obtruncare non dubitarunt. Alij dicunt eum in bello
D peremptum: quidam vero in medio populi circo ad ludibrium magis expositum.
Scribunt alij, eum in gratiam Cnuth Regis latenter occisum, quod & verum esse non
diffidimus, eo quod regnum eius inuasit. Igitur Olaph Rex & martyr (vt credimus)
tali fine consummatus est. Corpus eius in ciuitate magna regni sui Throndemis cum
decenti honore tumulatum: vbi hodieq. pluribus miraculis & sanctitatibus, quæ per
eum fiunt, Dominus ostendere dignatur, quanti meriti sit in cælis, qui sic glorifica-
tur in terris. Agitur festiuitas passionis eius quarto Kal.Aug.omnibus Septemtriona-
lis oceani populis Northmannorum, Sueonum, Gothorum, Semborum, Danorum,
atque Slauorum æterno cultu memorabilis] his enarratis subijcit de martyrio Vlfridi
Episcopi eiusmodi narrationem: [c] *c Id. lib.2.cap. 44.45.*

E Per idem tempus sermo est, quemdam ab Anglia, nomine Vlfridum,diuini amoris
instinctu Suediam ingressum Paganis verbum Dei magna fiducia prædicasse:qui dum
sua prædicatione multos ad Christianam Fidem conuertisset;idolum gentis Torstans
in concilio Paganorum cœpit anathematizare;simulq. accepta bipenne simulachrum
in frusta concidit. Et ille quidem pro talibus ausis statim mille vulneribus confossus, VLFRIDI EPISCOPI MARTYRIVM.
animam laurea martyrij dignam transmisit ad cælum. Corpus eius barbari laniatum
post multa ludibria miserunt in paludem. Hæc veraciter comperta memoriæ tradidi,
quamuis sint alia, quæ adhuc scribi digna sunt] hucusque de Martyribus Adã Chro-
nographus, qui mox subijcit anno sequenti, sexto Kal. Febr. anno videlicet millesimo
vigesimonono,Indictione duodecima defunctum fuisse illarum prouinciarum Metro-
politanum Episcopum Hamburgensem, in locumq. eius subrogatum Libentium Iu-
niorem, eumq. accepisse pallium a Ioanne Romano Pontifice.

Hoc anno nona die Nouembris, Indictione duodecima,moritur Constantinus Im-

pera-

Universidad de Deusto
Biblioteca

perator, in cuius locum Romanus, repudiata coniuge, vt acciperet Zoen filiam Conſtantini, ſubrogatus eſt eidem ſanguine coniunctus. hæc Curopalata. A

IESV CHRISTI ANNVS 1029. IOANNIS XX. PAP. ANNVS 6. CONRADI IMP. 3. ROMANI IMP. 1.

DEDICATIO BASILICAE AVRELIANENSIS.

ANNVS ſequitur Redemptoris milleſimus vigeſimusnonus, Indictione duodecima, quo Robertus Rex Francorum Chriſtianiſſimus conuocato Epiſcoporum cœtu baſilicam a ſe conſtructam Aurelianis in memoriam ſancti Aniani eiuſdem ciuitatis quondam Epiſcopi, ſolemni ritu voluit conſecrari. rem geſtam Annalibus dignam Helgaldus deſcripſit. De qua dicturus, referenda eſt in primis cauſa, cur Rex Chriſtianiſſimus potiſſimum erga ſanctum Anianum propenſior eſſet; ſimulq. cum his baſes illæ inſpiciendæ ſunt, ſuper quas tantam regni Francorum molem iſta noua ſucceſſio, Hugo auus cognomento Magnus, eiusq. filius Hugo Primus huius ſtirpis Rex Francorum, Robertus pater, & ipſe Robertus filius collocarunt: ſuper quas innitens hactenus permaneat inconcuſſum ac ſtabile. Idem ipſe Helgaldus ſincerus hiſtoricus, vbi ab Hugone Magno, eiuſdemq. coniuge Adelaide, femina (vt ait) admirandæ pietatis recenſuit conſtructa monaſteria, erectas eccleſias, donaq. pretioſa in ipſas illata, iſta ſubijcit de cultu Sanctorum, quibus eadem ſtirps regia peculiariter tenebatur addicta: [a] Erant ſiquidem, inquit, huic generationi ſpeciales amici, ſancta videlicet Maria, & pater & dux monachorum ſanctus Benedictus, ſanctus quoque Martinus, ſanctus necnon Anianus, atque victorioſi martyres Chriſti Cornelius & Cyprianus; optatiſſimus vero glorioſus martyr Dionyſius, ac inclyta virgo beata Genouefa] ſed de cultu ſpeciali ſancti Benedicti, in cuius honorem plura erexerant monaſteria, ſubijcit mox iſta idem auctor Helgaldus: B C

HVGONIS REGIS PIETAS.

a Helgald. in vit. Roberti Reg. pag. 68.

HVGONIS AD ROBERTVM ADMONITIO.

Fertur autem dixiſſe moriens bonus pater: O optime fili, per ſanctam & indiuiduam Trinitatem te obteſtor, ne quando animus ſubrepat acquieſcere conſilijs adulantium, vel muneribus, donisq. venenatis te ad vota ſua maligna adducere cupientiū ex ijs Abbatijs, quæ tibi poſt Deum perpetualiter delego; neve animi leuitate ductus quolibet modo diſtrahas, diripias, aut ira excitante diſſipes. Specialiter vero tibi inculco, nullo pacto ducem omnium, patrem dico Benedictum a te patiaris diuelli, illum apud communem Iudicem ſalutis aditum, tranquillitatis portum, poſtq. carnis obitum, ſecuritatis aſylum] Vidiſti Lector, ſecundum illud Iob: [b] Super quo baſes illius regni ſolidatæ ſunt] nempe ſuper Sanctos, vt de eo dici iure poſſit: [c] Fundamēta eius in montibus ſanctis] & eidem Euangelicum illud aptari, quod ſteterit hactenus contra diuerſos impetus procellarum, ventorum & fluminum, quod fundata ſit domus iſta [d] ſupra petram, permanſura ſemper, ſi bene collocata fundamenta perſiſtant, caſura tunc certo, ſi poſitæ baſes ſanctæ (quod Deus auertat) a fundamentis impie reuellantur. Sed quod dicere cœperamus, cur præ ceteris erga ſanctum Anianum Robertus Rex fuerit ſtudioſus, idem auctor oſtendit ſequenti oratione, nimirum propenſiorem fuiſſe erga Aurelianenſem ciuitatem, cuius ſanctus Anianus patronus erat, eo quod ibi natus eſſet, & regeneratus ſacro baptiſmate, adultus, atque vnctus in Regem. Sed & quod ipſe iuuenis grauiſſimo correptus corporis languore, nuncupatis Chriſto votis, per interceſſionem eiuſdem Sancti fuerit ſanitati firmiter reſtitutus. cum parentes grati in vnico filio accepto diuinitus beneficio, auream Chriſti pendentis in cruce ſacram imaginem in eius primariam eccleſiam intulerunt. ipſe vero Robertus Rex nec immemor tanti a Deo interceſſione Aniani accepti beneficij, quanto ſit proſecutus amore, ſtudio, officio, pietate eiuſdem Sancti cultum, ex eodem Helgaldo iſta tractante ſic accipe:

b Iob 38.

c Pſal. 86.

d Matth. 7.

ROBERTI REGIS ERGA S. ANIANVM STVDIVM.

* apud

Præterea conſtruxit, inquit, a nouo in vrbe Aureliana monaſterium S. Aniani ſingularis ſui apud Deum aduocati: qui quam pium ſanctæ deuotionis amorem erga eumdem habuerit, nullus edicere valet, quia illum ſuum ſemper * poſt Deum adiutorē, protectorem & defenſorem habere voluit, ad quoſcumque potuiſſet pergere greſſus. Nam vno die a quodam ſuo ſpeciali, amicorum amico interpellatus, vt quid talem & tantum

A tantum pontificem, & non alios ſic Sanctos ſuis ſanctis laudibus extolleret: reſpondiſſe humillima & pijſſima voce fertur: Quis eſt Anianus? Anianus, Anianus pro certo eſt vera * noſtrorum conſolatio, laborantium fortitudo, Regum protectio, Principum defenſio, pontificum exultatio, clericorum, monachorum, orphanorum & viduarum egregia & inenarrabilis ſubleuatio. Et alludens ad circumſtantes pueros ait: Num & iſte, de quo loquimur, Anianus, a pœnis virgarū vobis pueris non eſt frequens, vera & probata liberatio?] his autem ſubijcit de eccleſia, quam titulo eiuſdem ſancti Aniani illic erexit, aitque: Ardens tanti pontificis honore hic redolens flos & decus Eccleſiæ ſanctæ & gratia Dei deſiderio, eum in altiori volens conſtituere loco, domum Domini ſuper eum in melius conſtruere cœpit, & Deo cooperante, & ſancto Aniano auxilia præbente, ad finem vſque perduxit. Habet namque ipſa domus in longitudi- B ne tenſas quadragintaduas, in latitudine duodecim, in alto decem, feneſtras centum vigintitres. Fecit & altaria in ipſo monaſterio ad laudem Sanctorum, numero nouemdecim, quorum memoriam hic annotare curauimus; principale in honorem Apoſtoli Petri, cui ſupradictus Rex aſſociauit Coapoſtolum Paulum in benedictione, cum non antea ibi niſi ſolius S. Petri eſſet veneratio. Ad caput ſancti Aniani vnum, ad pedes aliud; aliud in honore ſancti Benedicti. Cetera ſunt in honorem eorum, quorum nomina ſunt adſcripta, ſancti videlicet Euurtij, ſancti Laurentij, ſancti Georgij, omniumq. Sanctorum. Item ſancti Martini, ſancti Mauritij, ſancti Stephani, ſancti Antonij, ſancti Vincentij, ſanctæ Mariæ, ſancti Ioannis, ſancti Saluatoris, ſancti Mamerti, ſancti Nicolai, & ſancti Michaelis] ita recenſens Helgaldus, prout ipſi venerunt in mentem. Subijcit autem & iſta de pretioſioribus ornamentis: Lecticam ipſius ſan- C cti Aniani a fronte auro bono & optimo, & lapidibus pretioſis, & argento mero præoccupauit: tabulam ad altare ſancti Petri, in cuius honore extat locus, auro bono totam cooperuit. De qua *altaris tabula* aurea, Conſtantia nobilis Regina, eius coniux glorioſa poſt mortem viri ſui ſanctiſſimi, Deo & ſancto attribuit Aniano ſummam ſcilicet librarum ſeptem ipſius metalli in meliorandis a ſe monaſterij facti tectis, quibus ab imis ad ſuperiora apertis, cælum melius cerneretur, quam terra. extitit in ea quantitas auri quindecim librarum probati: quod reliquum fuit, in quibus debuit, diſtribuit, quia erat ei ſollicitudo eccleſiarum Dei, iuxta vtile Senioris ſui velle] de conſecratione autem baſilicæ iſta ſubijcit:

* mœſtorum

Poſt quæ omnia cupidus ſanctæ benedictionis Rex Robertus glorioſus, ſuæ ordinationis, benedictionis & aſſumptionis in Regem anno trigeſimoſexto, iuſſione impe- D ratoria euocauit Archipræſules Gauzlinum Bituricenſem & Abbatem Floriacenſem, Leothericum Senonenſem, nec non & Arnulphum Turonenſem, quorum præſentiam ſubſequuntur Præſules, Odelricus Aurelianenſis, Theodoricus Carnotenſis, Bernerius Meldenſis, Vuarinus Bellouacenſis, & Rudolphus Siluanectenſis. Non defuit etiam præſentia domini & venerabilis Odilonis Cluniacenſis Abbatis, & aliorum bonorum virorum non minimi meriti, cum quibus ſemper deſiderabat colloqui. Ab his pro certo & alijs Dei miniſtris leuatur illud nobile corpus amici Dei Aniani ſanctiſſimi de ſepulchro, cum corporibus ſanctorum Euſpicij, Monitoris, & Floſculi Confeſſorum, Baudelij & Scubilij martyrum, & Agiæ matris ſancti Lupi Confeſſoris: & ab ipſo glorioſo Rege & alijs, quos iam prænotauit littera, qui pro tali negotio aduenerant, E cuſtoditur, laudatur & decantatur in hymnis & laudibus in eccleſia ſancti Martini, quoaduſque præpararentur vtilia & neceſſaria ſanctæ benedictioni. Præparatis ergo omnibus, ab ipſis ſanctis ſacerdotibus locum ipſum benedici & conſecrari ſolemniter fecit, anno Dominicæ Incarnationis milleſimo vigeſimonono, Indictione duodecima. Sumitur itaque humeris inclyti, lætantium ſimul & gaudentiū populorum, & tranſfertur cum laudibus in templum nouum, quod ipſe inclytus Robertus ædificauerat, laudāres Dominum & S. Anianum in tympano & choro, in chordis & organo, & eum in loco collocant ſancto, ad honorem gloriam & laudem IESV Chriſti Domini noſtri, & famuli ſui Aniani, ſpeciali gloria decorati.]

EPISCOPI QVI INTERFVERVNT DEDICATIONI BASILICAE.

Expleta benedictione ſolemni & omnibus, quæ ad dedicationem ſancti templi pertinebant, vadit cum reuerentia nominandus pater patriæ Robertus ante altare ſanctiſſimi Petri & dilecti domini Aniani, in conſpectu omnium populorum, & exuens ſe veſtimento purpureo, quod lingua ruſtica dicitur Rocus, vtroque genu fixo in ter-

 ram,

Universidad de Deusto
Biblioteca

HVMILIS ROBERTI REGIS DEPRECATIO.

ram, toto de corde ad Deum supplicem fudit precem in his verbis: Gratias, inquit, A
ago tibi bone Deus, qui ad effectum meam voluntatem hodie meritis sancti Aniani
perduxisti, lætificans animam meam de corporibus Sanctorum, cum eo hodierna die
triumphantium. Da ergo Domine, per hos Sanctos tuos, viuis delictorum indulgen-
tiam, defunctis omnibus vitam & requiem sempiternam: tempora nostra prospice,
regnum tuum, quod tua pietate, misericordia, bonitate nobis datum est, rege, dispo-
ne, custodi, ad laudem & gloriam nominis tui, sancti Aniani virtute mirabili patris
patriæ, ab inimicis mirabiliter libera. peracta oratione, ad sua quisque lætus regre-
ditur &c.] Recenset auctor oblatas tunc a Rege, & a diuersis sancto Aniano diuersas
oblationes, quas referre breuitatis causa prætermittimus, in his paulo diutius immo-
rati, vt cunctis pateat, quorum auspicijs iacta sint fundamenta noui regiminis, ha-
ctenus feliciter inter immensos turbines permanentis ope Sanctorum, quorum fuit B
ab eius exordio patrocinium imploratum, atque cultus honorificentissime amplifi-
catus. Vt plane exemplo sit demõstratum ex sancti Euangelij doctrina (quod dictum)
nempe, illud mansurum iugiter ædificium, nec ventorum, ac imbrium disijci impetu
posse, quod est supra petram fundatum, nempe Christum, lapidem angularem, &
cohærentes illi lapides viuos, Sanctos omnes. At hic inuidiam passus, te interpello
Lector, iudex æquus adsiste. Compellans me Hispanus homo: Cur (inquit) Franco-
rum res sic copiose prosequeris, vt vix sit annus, in quo non sit aliqua eorum mentio,
Hispanorum autem secus? cui paucis his satisfeci: Da vt scribam, siue describam po-
tius. collector sum rerum antiquarum, & vbi ex Scriptorum frequentia messis copio-
sior inuenitur, densiores in Annalibus exurgunt ex messe manipuli; rariores vero, cum
ex Scriptorum inopia, in sterili messe non impleat manum suam, qui ex ea manipu- C
los colligit. Scito me magno redempturum pretio fore, si quis in tanta Scripto-
rum inopia laboranti, antiquorum monimentorum copiam faceret, quibus eosdem
locupletare possemus Annales. sed reliqua prosequamur.

CONCILIVM LEMOVICENSE.

Hoc eodem anno celebrata est Synodus Lemouicensis, primo nondum reuoluto
anno a dedicatione basilicæ Saluatoris, de qua hæc habentur in scripto Chronico Gau-
fredi monachi sancti Martialis Lemouicensis cœnobij: Anno Domini millesimo vige-
simooctauo consecrata est basilica regalis Saluatoris Lemouicæ, decimoquinto Kal.
Decembr. idq. ab Episcopis vndecim, quorum nomina hæc pagina continet: Iorda-
nus Lemouicensis, Isenbertus Pictauiensis, Roho Engolismensis, Arnaldus Petrago-
ricensis, Petrus Gerundensis, Deodatus Cadurcensis, Aemilius Albiensis, Arnaldus
Rotenensis, Fulco Carcassonensis, Elus Santonensis, Gotefredus Archiepiscopus Bur- D
digalensis. Hoc factum est tempore Roberti Regis Francorum, & Imperatorum Con-
stantini Græcorum, & Conradi Romanorum] hucusque Gaufredi Chronicon. Acta
autem alterius Lemouicensis Synodi post Roberti Regis obitum celebratæ hæc prima
Actione habent de habito ibidem hoc anno Concilio:

Hoc quidem verbum, qualiter ante hos annos, hoc est in primo anno dedicationis
huius Lemouicensis basilicæ Redemptoris nostri, quam hodie exultanter nobiscum
recolit, viuentibus tunc doctissimis Rege Francorum Roberto, & Gauzelino Metro-
politano Archiepiscopo Bituricensi, prædecessore vestro, hæc sedes Lemouica non
sine enormi auctoritate diuina receperit, vt scilicet sanctus Martialis debeat Apostо-
lus appellari, paucis memorare libet. Post multas huius Capituli altercationes, alijs
assentientibus, alijs vero repugnantibus, cum super hac re multæ factæ essent Litaniæ, E
vt hoc verbum, nisi Dei esset bona voluntas, in concordia huius sedis minime reside-
ret: aduenit synodalis ad hanc ecclesiam conuentus, vbi tertia die Synodi omnis sa-
cerdotum generalitas, ac ceterorum clericorum numerositas, vna nobiscum nobilium
virorum, & legis doctorum adiuncta multitudine (credo) Deo gubernante, vnum
cor & vnam voluntatem hora diei tertia suscepit, taliterq. omnibus inspiratum est, vt
pacifice, & libenter, atque voluntarie bona obedientia hæc susciperetur ab omnibus
sententia, deincepsq. immutabiliter per vestram diœcesim obseruaretur. Et bene pla-
cuit omnibus, qualiter hanc Deo beneplacitam voluntatem acciperemus, vt quem-
admodum multitudini nouitas videbatur, ita contra hanc altera quidem res noua,
sed magnifica, & religiosa aduersus omnes æmulos confirmaretur.

CONFIRMATA DE APOSTOLATV S. MARTIALIS SENTENTIA.

Aggregato namque maximo populorum conuentu, sacratissimum corpus patroni,
nempe

A nempe sancti Martialis, a suo leuauimus tumulo, & pijssimo obsequio transtulimus
super hoc sanctum altare, quod in honorem beati protomartyris Stephani ipse conse-
crauit. Acta sunt hæc Dominica Resurrectionis die, in ipsa solemnitate inuentionis FACTA ELE-
corporis beati Stephani, nempe tertio Nonas Augusti, atque huius sancti templi con- VATIO S. MAR-
secrationis, quod idem sanctus Martialis primum in omni Gallia dicauit, dirutis, quæ TIALIS.
in hoc loco pridem Gentilitas coluerat, simulachris, &c.] hæc ibi. Meminit quoque
auctor Aquitaniæ historiæ, cuius tantum fragmenta supersunt, alterius & ab hac di-
uersæ eleuationis sancti Martialis, factamq. refert ad propulsandam luem, & mira-
bilem consecutum narrat effectum, his verbis: His diebus lues grauissima Lemouici- ALIA ELEVA-
nos deuorauit, incendens corpora, & exardescendo deuorans, donec omnes Aquita- TIO ANTE-
niæ Episcopi Lemouicæ congregati corpus beati Martialis ab imo sublatum sepul- RIOR FACTA.
B chro mortalium visibus ostenderunt, & mox pestis ipsa cessauit. Tenebat tunc præsu-
latum Lemouicæ Alduinus, qui erat successor Aldegerij, successoris Ebli Episcopi]
Porro eleuatio ista, de qua dictum est superius, contigit sub horum successore Ior-
dane, & Gauzelino Archiepiscopo Bituricense; de quo non prætereant, quæ Helgal-
dus in vita Roberti Regis de ipso tradit summa cum laude; ait enim:

Huius certe temporibus, Roberti Regis videlicet, cuius, adiuuante Deo, facta de-
scribimus, fulsit in monasterio Floriacensi, loco celebri, splendidus mundo Gauzli- DE GAVZELI-
nus Abbas, merito sanctis Deo coniunctus operibus, pollens scientia spiritali simul & NO ABBATE
humana. Inerant eius cordi Abbonis magistri prolati sanctæ Scripturæ flores boni, FLORIACEN.
de quibus honestissime imbutus, ita eructabat omnibus, vt possent delectari in cælesti- ET ARCHIEP.
bus. In sanctis eleemosynis largissimus, vt ipse positus in fortissimis frigoribus a se ve- BITVRICENSI.
C stes pellium abijciens, pauperes Christi indueret, vt a remuneratore bonorum præ-
miũ perciperet, de quo audiret: [a] Nudus fui, & vos operuistis me: quod vni ex minimis a Matth. 25.
meis fecistis, mihi fecistis: venite benedicti &c. Hunc perfectus Rex ita suis affixit ob-
tutibus, vt eum præ ceteris diligens, suis eum specialiter deuinciret consilijs: quæ ab eo
probe probata, semper ea habuit honesta, numquam tamen iniusta. In honoribus
sæculi eum honorans, attribuit illi honores non minimos, Abbatiam sancti Benedicti,
quæ est caput totius ordinis monastici, & Episcopatum Bituricensem S. protomar-
tyris Stephani, principatum tenentis totius Aquitaniæ, qui fuit, & est honor & de-
cus Franciæ] hæc de Gauzelino Helgaldus. Extant Fulberti Carnotensis Episco- b Fulb. ep. 19.
pi quatuor ad hunc [b] epistolæ. 20 25 37.

At quod ad Concilium pertinet, quod hoc anno diximus celebratum, lenis fortas-
D se causa videri potest, vt ob titulum S. Martialis tantum deberet conuocari prouin-
ciale Concilium, ea præsertim in re, quæ vnica sententia definiri citius potuisset, nem-
pe non duodecim tantum, sed Discipulos dictos reperiri Apostolos: insuper & eo no-
mine in Ecclesia decoratos omnes, qui legitime missi ab Apostolica Sede populos ad
Fidem Christianam conuertissent, vt de his innumera sunt exempla: quibus duabus
rationibus competeret sancto Martiali, vt Apostolus dici iure posset. At quod cum
semel quid deducitur in controuersiam, crescentibus studijs, quamuis minimum, in
immensum augeri soleat, obnitente præsertim pertinacia, cedere nescia: plane fa-
ctum est, vt nec vnum istud Concilium sufficerit ad quæstionem omnino sedan-
dam, sed opus fuerit etiam alia insuper congregare Concilia, Bituricense posterius,
Lemouicense, atque Pictauiense, prout Acta Lemouicensia, quæ apud nos extant,
E manifeste significant. Quamobrem altercationis huius in gratiam legentium operæ-
pretium existimaui ex ijsdem synodalibus Actis repetendum principium esse, & ip-
sam causam narrandam, quæ præcessit, vt opus fuerit huiusmodi Episcoporum con-
uocare Concilia. In alia enim Lemouicina Synodo eadem ex causa postea iterum
congregata, de qua suo loco dicturi sumus, ista in prima Actione narrantur ab Odel-
rico Abbate ita perorante:

Adhuc viuente Rege Roberto, cum antecessor meus Hugo in palatio ei, ac Parisijs
assisteret cum multitudine nobilium ac doctorum, altercatio inter Francos & Lemo-
uicenses de huiusmodi Sancto coram Rege fieri cœpit: & ego ibi tunc præsens interfui.
Dicebant isti: Vos Franci non recte facitis, qui Martialem cum Apostolis pronuntiatis:
nos recte agimus, quia eum inter Confessores recitamus. Vos vltimum Apostolorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

dicitis: nos primum Confessorum in Litanijs dicimus. Quorum litigium Archiepiscopus Bituricensis prædictus Gauzelinus compescuit, dicens: Ambæ huius rei partes nisi vniformes fueritis. . . . . pars altera, altera parte iustior est, & necesse est, vt semper iustior & rationabilior prævaleat pars. Nam omnes, qui Martialem inter Confessores pronuntiant, non bene iuste, non bene perspicaciter agere mihi videntur. Ille enim magis sortis est Apostolicæ vnus, quam sortis Confessorum; ideo non bene certe agunt, qui nomen eius auferunt de eo, in quo Deus eum posuit gradu, & ponunt vbi Deus non posuit, potius de Apostolico agmine, quam de Confessorum, qui post Martyres sunt, serie. . . . . Vtique si Regis, qui adest, nomen, non inter Regum, sed Comitum subiectorum vocabula diceret quis: is aut rusticus diceretur, aut maleuolus Regis contemptor. Et si rustica simplicitate id fieret, nil moueretur Rex animo, sed rusticitati facile ignosceret: si vero non simpliciter, sed contemptiue diceretur; non dubium quin Regis animus ad iracundiam pro contemptu suo accenderetur. Quod si in tali contemptione persisteret, sententiam contra se pro maleuolo contemptu sentiret: nec tantum Rex, quantum subditi Comites eius, & Principes, & amici in contemptorem irati fierent.

Reuera scit omnis hæc regio, quia ille prædicator Aquitaniæ de gradu non Confessorum, qui post Martyres sunt, sed Apostolorum, qui ante Martyres sunt, existit. Ego autem, si nomen eius de Apostolico ordine auferrem, timerem, vt Apostoli Petri, & aliorum indignationem hac in re incurrerem, qui olim in mundo, & nunc in cælo collegam & sodalem suum Martialem præclarorum consortio per sedilia Apostolica habent. & si nomen eius permutarem in eum catalogum, quo sanctum Benedictum, & Hilarium, & Martinum pronuntio; metuerem quidem iram S. Benedicti, & Hilarij, & Martini, & aliorum incurrere, qui eum in cælo gaudent ordine Apostolico irradiari. illic nulla inuidia &c.] multisq. in laudem Martialis dictis, dicendi finem facit Archiepiscopus Gauzelinus, a Rege collaudatus. pergit vero Odelricus.

Nos autem vbi regressi sumus ad hanc vrbem Lemouicensem, hac de re codices antiquos loci nostri perquirere confestim curaui innumeros, tam penes nos, quam per vniuersas Aquitaniæ ecclesias: inuenimus eos Martialem habentes scriptum Apostolum. In antiquis etiam Martyrologij voluminibus duos eius discipulos Alpinianum, & Austriclianum scriptos esse ad hæc reperimus Apostolos. sic quippe legimus in vetustissimis quibusdam: Pridie Kal. Iulij natalis S. Martialis Aquitaniæ doctoris & Apostoli, cum duobus Apostolis Austricliano, & Alpiniano, quorum vita signis & miraculis admodum effulsit. At non ex Archiuo tantum Lemouicense satis sunt visa ista in medium attulisse, quin peregrinas etiam bibliothecas perscrutatas voluere, atque ex Orientali etiam ecclesia afferri testimonia, testesq. produci. Nam de Constantinopolitana Ecclesia ista in Synodum sunt allata ab Asenario Abbate Miciacensi coram Patribus post alia: Olim antequam monachi habitum susciperem, & Hierosolymam proficiscens, apud Constantinopolim in basilica sanctæ Sophiæ sabbato Pentecostes solemni interessem officio, memini me audiuisse in Litanijs Græcis Martialem inter alios Apostolos post duodecim fuisse a Græcis pronuntiatum] sed & quod ad testes pertinet Orientales, hæc clericus Engolismensis in Synodo:

Ante hos plures annos quidam ex Fratribus de monte Sinai ad hanc partem deuenerunt Occiduam, Dei dispensante nutu, moribus graues, doctrina Catholicæ Fidei profluentes, vita per omnia honesti, vtriusque linguæ periti. Qui cum diu nobiscum Engolismæ fecissent, expectantes Principem ciuitatis, & litteris Græcis & Latinis eos videremus ad vnguem imbutos: super hac re interrogare curauimus eos eo tempore, quo hæc regula de Apostoli memoria in hac vrbe frequentabatur, recuperata potius quam primũ inchoata, viuentibus Rege Roberto, & Gauzelino Bituricensi Archiepiscopo. Ego autem Engolismæ positus, vbi etiã ab ineunte ætate educatus sum, dum inter alios quasi sciolus viderer, ante omnes, & super omnes huic regulæ repugnabam, putans esse vanum, & falsum, siue ex elatione descendisse, quia Martialem audiebam in hac vrbe Lemouicensi prædicari esse Apostolum, & incautus rusticorum opinioni meam accommodabam intelligentiam, putans neminem esse Apostolum præter duodecim. Itaque illos conueni Græcos, scisitans, vtrum Orientales Martialem nossent.

Qui

A Qui (alter Simeon, alter Cosmas) consono ore responderunt, dicentes: Vtique Martialem nouimus Apostolum, vnum ex Septuagintaduobus. Quibus cum diceremus, nescimus præter duodecim, Apostolos; interrogauerunt nos: Habetisne, inquiunt, per istas Occidentales ecclesias Euangelistam Lucam, qui scribit alios Septuagintaduos . . . . . a nobis non credi fuisse Apostolos, sed tantum Discipulos. Illi protinus nos fugientes, & signo crucis se munientes, cœperunt detestari vocem nostram, dicentes: Discedite procul a nobis miseri, quia hæretici estis, cum non credatis verbis Domini, dicentis ad illos: Ite, ecce ego mitto vos sicut oues inter lupos. Non creditis esse Apostolos illos, quos ipse incarnatus Dominus ad prædicandum misit? &c.] hinc q. vocatos ostendit expresse aliquot eius Discipulos in Actis Apostolorum, & Epistolis Pauli Apostolos. Porro Simeon iste Græcus monachus non amplius est
B reuersus in Orientem, sed remansit in Gallijs, vbi inclusus egregia claruit sanctitate, miraculisq. illustris inter Sanctos relatus est, vt suo loco dicturi sumus, vbi agemus de ipsius obitu.

Proditum & probatum æquè istud fuit ex codice venerandæ antiquitatis, Gregoriano nimirum, quem per suos sanctus Gregorius olim misisset in Angliam: de quo digna memoria recitantur in Actione prima eiusdem Concilij Lemouicensis. sic enim Odelricus Abbas in Synodo locutus ibidem legitur: Interim Pater allocutus est Concilium, dicens: Ne quis forte nos dicat nunc nouum fateri Apostolum, & hactenus non auditum de Apostolatus eius antiquitate, & quod non olim prænuntiatus ab antiquis & testificatus fuerit; iterum perhibebo testimonium, o venerabiles Episcopi: Ecce duo sacerdotes ex fratribus nostris coram adsunt, quos olim hac ipsa de causa
C in Britanniam misi, vt Anglorum (vt reor) a Gregorio præfixam legem annosam diligentius perscrutarentur, & omni subtracto mendacio, ad nos referrent. Qui cum ad Anglos peruenissent, tam in Martyrologijs eorum, quam in Litanijs Martialem ab antiquitate reperiebant Apostolum scriptum. Ad quoddam autem magnum peruenientes monasterium, in quo sanctus Anglorum Episcopus requiescit corpore Augustinus (comperierunt enim ibi non haberi librum de Actibus beati Martialis) per Litanias tamen & Martyrologia in eodem loco inuenerunt eumdem patronum nomine Apostolico decoratum. & cum a patre monasterij perquirerent, dicentes: Vt quid Martialem in vestris Litanijs prædicatis Apostolum, cum eius gesta dicatis non haberi penes vos? ille respondit: Quia ab illo, inquit, tempore, quo primo in hac prouincia Christi nomen auditum est, a patribus hoc nostris obseruatum est, quorum
D nullatenus mutare possumus traditionem. Scimus quippe, doctores nostros priores de Gregorij profluxisse magisterio: attamen sæpius inter nos conferre indagando solemus, quis est iste Apostolus, cuius vocabulum in Euangelijs & in Actibus Apostolicis minime intuemur. Et quoniam gestorum eius auctoritatem non habemus; de eo non parum hæsitauimus, & ideo nomen eius crebro a memoria Apostolica eradere putabamus. Sed econtra cum animaduerteremus, quia antiqui patres nostri non incassum hunc nobis scripserunt Apostolum: idcirco nullo ausu eius vocabulum a serie Apostolorum abolere audebamus. Vos autem peregrini Galli, qui de eius estis Apostolatu, qui nobis eius Actus annuntiatis, a cordibus nostris de eo omnem dubitationem abiecistis: & hac de re dudum creberrime Deo supplicabamus certos nos reddi. Nec in aduentu vestro derelictos spe nostra videmus: immo exultandum nobis
E est de tam egregiæ virtutis Domini nostri Iesv Christi Discipulo. Multa alia testimonia penes eamdem gentem Anglorum, de huius veritatis vetustate testes veraces narrauerunt nobis se comperisse.

Illud quoque memorandum est, quod ante hos septem annos Rex Anglorum (Cnuto hic erat cognomento Magnus) Duci Aquitaniæ Vuillelmo regalia munera misit, simulq. codicem litteris aureis scriptum, in quo nomina Sanctorum distincta cum imaginibus continebantur. Quod volumen iam olim in Concilio Pictauiensi, dum hac eadem de re quæstio esset, idem Dux Vuillelmus litteris eruditus, in testimonium antiquitatis pontificibus ostendit, erat enim ibi Martialis in aliorum Apostolorum catalogo positus. Qui peritissimus Princeps dicebat Archiepiscopo Burdigalensi & alijs, qui ibi aderant, Episcopis: Conijcere possumus, quam egregiæ auctoritatis sit beatus Aquitanorum patronus, de quo Gregorius in illa sui laboris gente hanc legem

Universidad de Deusto
Biblioteca

traditit obseruandam. Nimium imperitorum est dubitare, de quo sanctus Papa Gregorius non dubitauit. Videtis ecce, o Episcopi, in hoc codice, qui ad Anglos scriptus est, prætermissum esse Timotheum, & Cleopham, & Silam, & alios, quorum nomina in Euangelijs & in Actibus Apostolicis, siue in Epistolis Pauli leguntur, quos Apostolos dicitis præter duodecim esse; non tamen prætermissum esse illum nostrum patronum, qui primus Galliarum fuit Episcopus, &c] hæc ex Actis posterioris Synodi Lemouicensis. Quomodo autem ad hæc de his consulenda fuit Apostolica Sedes, & expectandum quid Papa rescriberet: suo loco dicturi sumus. de his modo hactenus. A

IESV CHRISTI ANNVS 1030. IOANNIS XX. PAP. ANNVS 7. CONRADI IMP. 4 ROMANI IMP. 2. B

BELLVM CONRADI IMP. ADVERSVS HVNGAROS IRRITVM REDDITVR.

Millesimvs atque trigesimus sequitur annus, Indictione decimatertia inchoatus, quo Imperator Conradus expeditionem parat aduersus Stephanum Hungariæ Regem, sed Deo resistente, omnes conatus eius cito euanuerunt precibus eiusdem sanctissimi Regis. Quod ad tempus spectat, a Scriptoribus rerum [a] Germanarum hic ipse eius rei gestæ annus consignatur, licet non desint, [b] qui in annum sequentem ista reijciant. at ex Cartuitio hic reddemus historiam: [c] Conradus pacis tranquillitate interturbata, totius Germaniæ viribus & copijs contractis, Pannoniæ infesta signa inferre conatus est. Tum vero Rex Stephanus Episcoporum & Principum coacto conuentu, in patriæ defensionem totius Hungariæ exercitum euocauit. At prius C tamen secum perpendens, se nihil posse sine Christi adiutorio: manibus ac corde sursum erectis, Dominæ suæ perpetuæ Virgini & Dei Genitrici suas iniurias commendans, in huiusmodi prorupit voces: Si placet tibi Domina mundi, tuæ partem hereditatis ab inimicis deuastari, & nouellam Christianismi plantationem dissipari: neque so sinas illud imputari diffidentiæ meæ, sed potius dispositioni voluntatis tuæ. Si quid commeruit culpa pastoris, ipse luat; oues, quæso, insontes ne patiaris affligi. his dictis tamquam accepta consolatione ab ea, fidenter mouit in hostes.

a Vrsperg. hoc anno, Herm. atque Lamb.
b Marian. Scot, & Sigeb.
c Cartuit. in Steph. cap. 16. apud Sur. tom. 4. die 20. Aug.

REVOCATVR DEI TANTVM NVTV EXERCITVS IMPERATORIS.

Altera die nuntius venit ad singulos quosque Duces exercitus Germanorũ, ab Imperatore litteras afferens; quibus iubebantur, pedem retro referre. Illis ergo discedentibus, sanctus Rex diuina misericordia adiutum se sentiens, humi se abijcit, gratiasq. agit Deo & sanctissimæ Genitrici eius, cuius protectioni seque, regnumq. suum assi- D duis precibus commendare solebat. At Imperator suorum tam repentina defectione perterritus, sciscitatur quidnam rei ipsis accidisset: audiensq. de nuntio, qui eos ipsius nomine redire iussisset; sciensq. illum haudquaquam a se missum fuisse: non dubitauit consilio & voluntate omnipotentis Dei rem gestam ob fidelissimi Regis corroborandam spem; seq. deinceps ab eius inuadendo regno, timore illius Iudicis æterni cohibuit] hactenus de his ipse.

d Id. in vita Steph. cap. 19.

S. EMERICVS S. STEPHANI FILIVS MORITVR.

At vero Deus sic pepercit regno, vt tamen in filium Regis damna conuerterit, quæ lucro maximo illi cessere, dum ita hoc anno cum ex hac ærumnosa vita sustulit, vt sempiternam illi beatamq. tribueret. rem gestam idem auctor sic narrat: [d] Dominicæ Incarnationis anno millesimo trigesimo, vitam hanc corruptibilem cum sempiterna commutauit eius scilicet filius Emericus, supernorum ciuium choris E adiunctus. Eius animam ea ipsa hora, qua decessit, cuidam Græcorum Episcopo, sanctæ conuersationis viro diuinitus reuelatum est, angelicis manibus in cælos deportari. Cum autem pro sanctitatis suæ meritis summe ab omnibus diligeretur, omnium extitit luctus ingens, in primis vero Principum, inter quos pater tanto accepto orbitatis vulnere grauiter suspirabat, & pietatis affectu ductus, dolebat se omni posteritatis spe destitutum. Attamen sciens scriptum esse: [e] Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum] & illud in canonibus: Nemo propter charorum obitum nimium debet contristari: posito animi mœrore, totum se contulit ad largam Dei misericordiam promerendam. cœnobiorum enim & ecclesiarum ministris, monachis & clericis multa largitus est, multamq. ea beneuolentia attulit consolationem. quidquid vero ei superfuit, peregrinis, viduis & orphanis erogauit.

e Prov. 21.

Exte-

STEPHANI REGIS IN PAVPERES MVNIFICENTIA.

A Exterarum quoque prouinciarum monasterijs regiæ munificentiæ dona innumera per nuntios suos crebro mittit] hæc auctor, pergens narrare sanctissimi Regis sanctissimos æque mores, & quam post hæc sit passus suorum coniurationem, a qua eum Deus custodiuit illæsum, vnde experimentum caperet, se ad probationem, non autem ad perditionem a Deo tentari permitti, sed vt faceret maximum (quod euenit) cum tentatione prouentum.

a Rom. Martyrol. die 4. Nouemb.

IN NVMERVM SANCTORVM EMERICVS RELATVS.

Porro sancti Regis sanctus filius ob egregias, quæ in eo fulsere, virtutes meruit mortuus semper viuens inter Sanctos referri, anniuersariaq. [a] memoria in Ecclesia publice prædicari pridie Non. Nouemb. ipsa die natali ipsius in cælo adscribi Sanctorum catalogo. Quibusnam autem idem Rex maxime pius filium imbuisset vitæ sanctissimis institutis, ab eodem auctore sic accipe: Paterni amoris impulsus stimulis, libellum B ei composuit de morum institutione, in quo illum verbis spiritualis adhortationis fideliter & spiritualiter compellabat, docens eum, quemadmodum ante omnia debeat retinere Catholicam Fidem, confirmare statum ecclesiasticum, honorem habere Præsulum dignitati, Principes & milites amare, iudicij tenax esse, in cunctis suis actibus studere patientiæ, hospites benigne recipere, benignius alere & fouere, sine consilio nihil agere, maiores suos semper ob oculos statuere, precibus crebro vacare, pietatem & misericordiam ceterasq. virtutes colere & consectari. His & id genus alijs disciplinis præclarus ille iuuenis imbutus est] Sed quem diuinus Spiritus intus docuit, monita patris, veluti prima litterarum elementa cito facileq. fecit addiscere, & his longe maiora transcendere, verticemq. Christianæ perfectionis attingere.

ROMANI IMP. RES PIE GESTAE.

Quod ad res pertinet Orientis, Romanus prope finem anni superioris creatus Im- C perator, hoc anno primo sui Imperij optimis exordijs (inquit Curopalata) & laudabilibus progressionibus benigne sibi subiectos tractauit, a pietate prius exorsus benefacere. Cum enim nosset, non idoneum esse annuum redditum magni templi, quippe cuius fuisset superiori tempore œconomus & aliorum, quibus ab eiusdem Clero mos fuisset ministrari: octoginta auri libras excudendas curauit, quæ adderentur ad ea, quæ quotannis suppeditari consueuissent] & post alia recensita laude digna subijcit ista: Præbuit item pecunias infinitas pro salute animæ soceri sui. Eos quoque, qui ab ipso detrimenti aliquid accepissent, consolando curauit] & inferius: Fuit etiam die Pentecostes perturbatio quædam in sacris celebrandis, quod non consensissent metropolitani Episcopi sedere ante se Syncellos in consessu] hæc Curopalata: eadem ex ipso Cedrenus.

MONASTERIVM S. DOMINICI IN AGRO SORANO.

D At vero ne res patrias, intentus alijs, ingrate nimis præteriens videar contempsisse, dicendũ de nobili monasterio hoc anno erecto in Sorano agro, illo ipso loco, vbi Fibrenus influit in Lirim, illustrato olim cunabulis Ciceronis, vt ipse testatur libro de legibus. Qui enim hoc tempore præerat Soranæ ciuitati atque Arpino Petrus Rainerij filius, ipsum erigendum curauit. Sciendum vero, Soranam ciuitatem vna cum alijs oppidis, castellis, & vicis ipsi subiectis hoc tempore fuisse Comitatus insignitam honore, eiusq. dominum Comitem appellatum reperiri apud Leonem Ostiensem, qui ex antiquo Chronico Cassinate ista deprompsit: [b] meminitq. de Hildebrando Sorano Comite sub anno nongentesimo quinquagesimoquarto. Rursum vero sub anno millesimo [c] sexagesimo meminit Balduini Sorani Comitis. Eodem vero honoris titulo perseuerasse eius ciuitatis ac dominij dominum constat. Sed quos nominauimus Rainerium E atque eius filium Petrum, ijdem non Comitatus titulo, vt domini, sed alio diuerso reperiuntur eidem præfuisse ciuitati, nempe officio Castaldæi, vt ex eodem [d] Leone apparet, qui eumdem, qui supra, Rainerium Castaldæum appellat Soranæ ciuitatis. Ceterum pro Castaldæo non intelligi dominos, sed potius Iudices, seu Gubernatores, ex eodem [e] auctore apparet, cum agit de Castaldæo Beneuentano, eo tempore, quo eiusdem ciuitatis Dux erat Sico.

b Leo Ost. Chron. Cass. lib. 2. c. 3. 6
c Id. lib. 3. c. 18
d Id. lib. 2. c. 33
e Id. lib. 1. c. 21

Petrus igitur Rainerij filius patri succedens, sicut in magistratu, ita & pietate, amplum suis sumptibus erigens monasterium, idem suis bonis locupletauit. extat de fundatione atque dotatione tunc scriptum instrumentum, quod hactenus integrum asseruatur in membraceo antiquo codice Abbatiæ Casæmarij, quod legendum accepimus a Michaele Bonello eiusdem monasterij Abbate Commendatario, sanctissimæ memoriæ Pij Papæ V. pronepote: ex quo ista descripsimus:

Universidad de Deusto
Biblioteca

DIPLOMA PETRI PRO MONASTERIO ERIGENDO.

In nomine Domini nostri IESV Christi. Ab Incarnatione Domini nostri IESV A
Christi millesimo trigesimo, mense Septembris, Indictione tertiadecima ego domnus Petrus Senior Soræ, & Arpini, filius bonæ memoriæ domni Rainerij, eiusdem ciuitatis, & domna Doda filia bonæ memoriæ Oderisij Comitis, vxor supradicti domni Petri, vna cum eius voluntate, & absolutione bona, & spontanea voluntate nostra declaramus, quia dum quadam die cogitare cœperimus intra nosmetipsos, qualiter in peccatis concepti & nati sumus, & qualiter ab infantia nostra die noctuque, horis & momentis innumerabilia peccata commisimus, & qualiter in illo terribili Iudicio de omnibus factis nostris, & cogitationibus Deo rationem reddituri sumus; & qualiter ab illo æquissimo Iudice vnusquisque recipiet secundum opera sua. Et rursus dum cogitare cœpimus, qualiter impij & peccatores, qui hic peccata sua redimere negligunt, in illam pauendam pœnam perpetuo cum diabolo damnabuntur; & qualiter iusti & B
electi Dei in illa æterna beatitudine cum Domino gloriabuntur: subito respexit nos diuina pietas, & compunctum est cor nostrum cum tremore & æstuatione cordis: & cœpimus cogitare, & quærere consilium a sacerdotibus & religiosis viris, qualiter innumerabilia peccata nostra redimere potuissemus, & ab ira æterni Iudicis, & pœna æterna euadere. Accepimus consilium ab eis, præterquam renuntiare sæculo, nihil esse melius, quam eleemosynarum virtutem; & de proprijs rebus & substantijs monasterium construere, & ibidem cœtus monachorum famulantium Deo coadunare, & ibi secundum regulam & normam beati Benedicti laudem Deo resonare, & vota persoluere, & omni tempore pro animabus nostris incessanter orare.

Hoc consilium ab eis libenter, & ardentissimo amore accepimus, & cœpimus quæ- C
rere inter nosmetipsos, vbi opportunum locum inuenire potuissemus. Et sic Deo concedente, inuenimus locum in finibus Soræ, vbi dicitur, Inter formas, quem habebamus in rebus proprietatis nostræ per chartulam acquisitionis. Ibiq. nos ipsi domnus Petrus, & domna Doda simul atque communiter vno animo, mente vna, nouo fundamento construximus ecclesiam in honorem Domini nostri IESV Christi, & sanctæ Dei genitricis & Virginis Mariæ: & tradidimus eam in manus viri venerabilis domni Dominici sacerdotis & Abbatis, & ibi eum Abbatem constituimus, vbi monasterium construxisset, & cœtus monachorum Deo famulantium eo aduocasset. &c.] subijciuntur his fundi omnes, quos in alimenta monachorum ijdem donauere ipsi eidem ecclesiæ & monasterio: quorum cum prolixa valde series est, breuitatis causa omittimus recensere. Apposita demum ipsorum subscriptio, atque testium, simulq. iudicis, vna cum signis eorumdem. D

Accidit vero vt idem monasterium Dei Genitricis nomine erectum, defuncto dicto Dominico primo Abbate eiusdem, vitæ sanctitate celebri, & gratia miraculorum illustri (quod secundum Leonem [a] Ostiensem accidit anno sequenti) cœperit vocari nomine S. Dominici, quod perseuerat vsque in hanc diem: quod & idem Leo testatur, nosq. suo loco dicturi sumus, anno sequenti. Extat ibidem diploma Innocentij Tertij, anno nono eius Pontificatus datum, in quo idem monasterium nominatur simul S. Mariæ Virginis, ac sancti Dominici.

[a] *Leo Oft. lib. 2. c. 62. in fine.*

MONASTERIVM S. SILVESTRI IVXTA SORAM ERECTVM.

Porro idem vir pietate insignis anno superiori aliud erexerat monasterium ad maiorem ciuium commoditatem ciuitati proximum, sub titulo S. Siluestri ad radicem montis, cui ipsa adiacet ciuitas. datum extat de his diploma Indictione duodecima, mense Ianuarij. Insuper sunt in eodem codice venerandæ antiquitatis & aliæ plures E
donationes eiusdem Petri alijs factæ monasterijs, sicut & aliæ ab alijs ijsdem monasterijs, necnon monasterio Casæmarij, & inter alias reperimus [b] donationem factam a Gregorio de Barono monasterio Casæmarij, septimo milliario Sora distanti, anno Domini millesimo centesimo nonagesimosecundo, Indictione vndecima, sub Cælestino Papa Tertio, anno secundo Pontificatus eius, die nona mensis Nouembris, cum eidem monasterio Girardus Abbas præesset. Aliam insuper [c] factam donationem a Leonardo de Barono eidem monasterio, tempore Bonifacij Papæ Octaui, anno secũdo eius Pontificatus, die xj. Maij, Indictione nona, anno Domini MCCXCVI. vidimus, & gauisi sumus, antecessores nostros his pietatis insignibus reperisse nobilitatos. Porro eamdem ipsam nostram familiam, ita vsque ad nostram ætatem de Barono dictam, nos primi mutauimus, illud, de Barono, cognomentum deriuantes in Baronium, more Romano.

[b] *Cod. Casam. c. 374. pag. 342.*

[c] *Eod. cod. cap. 510. pag. 332.*

Sed

A Sed absit, vt præterquam in [a] Domino gloriemur, in ipsa vera nobilitate, quam, per adoptionem in filiorum Dei familiam cooptati, sumus feliciter consequuti. Nam si [b] filij, & heredes; heredes quidem Dei, coheredes autem Christi.] [a] *Ephes. 1.* [b] *Rom. 8.*

DE MONASTERIO CASAEMARII.

Quod autem hic obiter fieri contigit mentio monasterij Casæmarij in agro Verulano, septimo milliario Sora distantis, propagatum illud quidem constat ex dicto monasterio S. Dominici, quod eiusdem codicis vetera monimenta testantur, licet exordio ipsius æmulus auctor (quisquis ille fuerit) antiquius illud Sorano monasterio conetur asserere, erectum nempe anno Redemptoris millesimo quinto. Sed cum descripta inferius monimenta testentur, primos monachos fundatores Casæmarij a Ioanne successore S. Dominici, Abbate Sorani monasterij, monasticum habitum accepisse: quis non sentiat, hoc propagatum ab illo, licet postea, (vt suo loco dicturi sumus)
B illud huic subiectum fuerit, ita decernente Honorio Tertio Pontifice, cum monastica disciplina ab eo exoleuisset; Casæmarij autem cœnobium floreret recenti obseruantia, ac proinde feruentiori, Cisterciensium monachorum. Sic itaque loco numeri, millesimiquinti, sit restituendum, millesimi trigesimiquinti, quo tempore ipse Ioannes, successor S. Dominici eidem monasterio Sorano Abbas præerat. sed quæ de monasterij Casæmarij institutione scripta in eo codice habentur, hic reddamus. sic se habent:

Anno ab Incarnatione Domini nostri IESV Christi * millesimoquinto, Indictione iiij. * MXXXVI.
erant in ciuitate Verulana quidam boni meriti clerici, qui seruantes præcepta Dominica, diuinaq. iudicia meditantes, ac dicentes: Væ nobis, qui nomine . . . . . clericatus habentes officium, vitam neque canonicam, neque monasticam ducimus. Quid de nobis erit? quid in extremo dicturi sumus examine? ad cuius auxilium con-
C fugiemus? [c] Faciamus nobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum ab hac vita migrauerimus, recipiant nos in æterna tabernacula. Talia animo voluentes, atque dicentes, adiunctis quibusdam laicis fidelibus eiusdem ciuitatis, venerunt ad fundum, qui dicitur Casæmarij, in territorio Verulano: videntesq. ibi antiqua ædificia, vbi dicitur templum fuisse Martis, distans ab eadem ciuitate milliaribus tribus cum dimidio, ibidem commorari cœperunt, in eodemq. loco, auxiliante misericordia Dei, ecclesiam in honorem Sanctorum Ioannis & Pauli condiderunt, & non post multum quatuor ex ipsis, scilicet Benedictus presbyter, Ioannes presbyter, Vrsus presbyter, & Azzo presbyter euntes ad venerabilem virum Ioannem Abbatem sancti Dominici, susceperunt ab eo habitum sanctæ religionis, indeq. in locum iam dictum redeuntes, Abbatem vnum de suis sibi elegerunt Benedictum, virum religiosum, qui fuit natus in di-
D cta ciuitate Verulana: & sub eo in dicto loco Christo Domino seruierunt &c.] hæc sunt nobilissimi monasterij primordia, quæ dicto anno contigerunt trigesimosexto post millesimum, quo & Indictio quarta currit, cum & Ioannes iam præerat, (vt dictum est) monasterio sancti Dominici. [c] *Luc. 16.*

A QVIBVS ERECTVM MONAST. CASAEMARII.

Quod autem in his sumus, nec scimus an de his rursum agendi tempus dabitur, hic item subijciendum putamus diploma Honorij Papæ Tertij, quo facta est vnio Abbatiæ S. Dominici cum Abbatia Casæmarij: quod in eodem citato superius codice continetur. sic enim se habet:

Honorius [d] Episcopus seruus seruorum Dei dilectis filijs Abbati Casæmarij, ciusq. Fratribus tam præsentibus, quam futuris, regularem vitam professis in perpetuum. [d] *Cod. Casam. c. 5. pag. 5. 6.*

DIPLOMA HONORII PAP. III. DE VNIONE FACTA.

Custodes & cultores licet immeriti constituti a Domino in Ecclesiæ paradiso, sacræ
E religionis gratiosa plantaria in ea cupimus propagari, quæ flores & fructus producentia honestatis, animam Sponsi sua suauitate delectent, totamq. reddant Ecclesiam speciosam. Sed quanto nobis eius gratior est profectus, tanto defectus est grauior, si quando propagata plantaria vitiantur, vel in alienæ vitis amaritudinem corrumpantur, dolore confodimur, & rubore confundimur vehementi, cum nonnumquam sui contagione sincera etiam turbare soleant & turpare. Quare summo est nobis studio prouidendum, vt quæ adeo a ligno vitæ degenerant, ad quæ debuerant esse odor vitæ in vitam, facta odor mortis in mortem, vt nullo culturæ studio reduci possint ad pristinam qualitatem, de vinea Domini radicitus euellantur, quatenus alia plantentur in ea, quæ gratum Domino fructum tempore suo reddant.

Sane cum monasterium sancti Dominici de Sora, cui Dominus in rore cæli, & terræ pinguedine benedixerat, tamquam hortus deliciarum diu in spiritualibus & temporalibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

poralibus floruisset, & abundasset delectabilium fructuum vbertate: tandem propter A
malitiam degentium in eodem, qui tamquam tribuli & vrticæ, veræ religionis plantarijs suffocatis, dissolute viuentes, in bonis monasterij prodigaliter grassabantur, vsque adeo ibi annullata fuit omnis obseruantia regularis, quod quasi cubile draconum multis erat in scandalum, & horrorem. Sed licet illud studiose tentauerimus reformare, quosdam monachos pestilentes exinde amouendo, & faciendo in alijs monasterijs collocari, & aduocato aliunde Abbate, si forte posset monasterio succurrere desolato: quia tamen amoti etiam tamquam canes ad vomitum redeuntes, exinde etiam nec ecclesiastica censura potuerunt arceri, sed fere omnes excommunicati præsumebant celebrare, vel potius profanare diuina: sicq. monasterium ijs, qui in circuitu eius sunt, magis ac magis erat in ludibrium & contemptum.

Nos videntes, & dolentes, quod Babylonem non poteramus ad libitum etiam diligenti cura sanare; vineam Domini alijs prouidimus locandã agricolis, & monasterium B
ipsum cum omnibus ecclesijs, & possessionibus, pascuis, siluis, molendinis, hominibus, & alijs iuribus & pertinentijs eius, monasterio vestro vniendo: Statuimus etiam, vt per vos idem monasterium informetur secundum Cistercienſis ordinis instituta, ita quod ibi semper duodecim monachi de monasterio vestro resideãt, Domino famulantes: ad quorum custodiam Abbas vnum instituet, vt Rectorem, quem quoties voluerit, poterit commutare, & sic vtrumque monasterium semper sub vnius tantum Abbatis regimine gubernetur: Charissimo in Christo filio nostro Friderico Imperatore Romanorum illustri semper Augusto & Rege Siciliæ, quidquid in monasterio illo ad eum pertinuerat, vobis de assensu nostro donante, sicut in eius priuilegio, aurea bulla munito plenius continetur. Volentes igitur prænotatam vnionem, necnon eiusdem C
Imperatoris donationem perpetuis durare temporibus, eam auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti priuilegio communimus.

Decernimus ergo, vt nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ vnionis, constitutionis, & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si qua vero in futurum ecclesiastica, sæcularisve persona hanc nostræ Constitutionis paginam sciens, contra eam venire tentauerit, secundo, tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisq. sui careat dignitate, reamq. se diuino Iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri IESV Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subiaceat vltioni. Cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus sit pax Domini nostri IESV Christi, quatenus & hic fructum bonæ D
actionis percipiat, & apud districtum Iudicem præmia æternæ pacis inueniat. Amen, Amen.

Ego Honorius Ecclesiæ Catholicæ Episcopus.
✝ Ego Hugo Ostiensis & Velitrensis Episcopus subscripsi.
✝ Ego Frater Nicolaus Tusculanus Episcopus subscripsi.
✝ Ego Leo tit. Sanctæ Crucis in Hierusalem presb. Card. subscripsi.
✝ Ego Guala sancti Martini presbyter Cardinalis tit. Equitij subscripsi.
✝ Ego Stephanus basilicæ duodecim Apostolorum presbyter Cardinalis subscripsi.
✝ Ego Gregorius tit. sanctæ Anastasiæ presbyter Cardinalis subscripsi.
✝ Ego Thomas tit. sanctæ Sabinæ presbyter Cardinalis subscripsi.
✝ Ego Ioannes tit. sanctæ Praxedis presbyter Cardinalis subscripsi. E
✝ Ego Rainerius sanctæ Mariæ in Cosmedin diaconus Cardinalis subscripsi.
✝ Ego Romanus sancti Angeli diaconus Cardinalis subscripsi.
✝ Ego Egidius sanctorum Cosmæ & Damiani diaconus Cardinalis subscripsi.

Datum Alatri per manum Guidonis Capellani domini Papæ Kal. Iunij Indictione nona, Incarnationis Domini millesimo ducentesimo vigesimosecundo, Pontificatus vero domini Honorij Papæ Tertij anno sexto] habetur ibidem diploma Friderici Imp. quod ad preces eiusdem Pontificis dedit. sic enim se habet:

FRIDERICI IMP. DIPLOMA DE VNIONE FACTA.

Fridericus diuina fauente clementia Romanorum Imperator semper Augustus, & Rex Siciliæ.

Edocti per eum qui transfert regna, qui nos constituit sua clementia super gentes, euellere, destruere, disperdere, dissipare, quæ noxia sunt remouere, & propagare quæ

A quæ prosunt: monasterium sancti Dominici, situm in territorio ciuitatis nostræ Soranæ, quod in spiritualibus, & temporalibus ita collapsum est, vt vitam improbam monachorum (quod vix adijciat vt resurgat) per religiosos & Deo placentes Cistercienſis ordinis Fratres in melius reforment, monasterio Casæmarij, cuius fama est celebris, vnguentum effusum nomen eius, & recta religio, illud prouidimus committendum, & incorporandum, vt ex hoc nunc, & in sæculum sæculi sint ista duo monasteria corpus vnum, grex vnus, & pastor vnus, & Abbas Casæmarij, qui pro tempore fuerit, de vtroque disponat, de vtroque prouideat, & ordinet, secundum statum Cistercienſis ordinis, vt de vno.

Intendentes igitur, & volentes placere summo Pontifici domino Honorio Tertio, reuerentissimo & amantissimo patri nostro, qui & nobis, ordinante diuina prouiden-
B tia . . . . . & monasterium Casæmarij inter alia sui ordinis plus dilexit, cum ipsius assensu, & gaudio cordis concedimus, & donamus monasterium sancti Dominici, quantum ad iurisdictionis pertinet potestatem, monasterio Casæmarij memorato cum omnibus tenimentis, montanis, pascuis, siluis, aquis, capellis, hominibus, libertatibus omnibus, & omni iure suo, vt ita sint vnum sub vnius dominio pastoris, Abbatis videlicet Casæmarij, sicut supra diximus. Turbatores autem temerarios nostræ huius libertatis, & vnionis, tamquam rebelles lumini in tempus omne bannimus, & quicumque fuerint, ab Imperiali gratia sic se nouerint cecidisse, ac si rei Principi teneantur de personis, & rebus.

Ad huius itaque concessionis, & donationis nostræ memoriam, & roboris firmitatem præsens priuilegium per manus Ioannis de Lauro Notarij & fidelis nostri scribi,
C & bulla aurea typacio nostro impressa iussimus communiri, anno, & mense, & Indictione subscriptis. Datum apud * Verulam, anno Dominicæ Incarnationis millesi- * Bazulam.
mo ducentesimo vigesimosecundo, mense Aprilis, decimæ Indictionis. domini nostri Friderici Dei gratia inuictissimi Romanorum Imperatoris semper Augusti, & Regis Siciliæ anno secundo, Siciliæ vigesimoquarto feliciter. Amen.]

CONSECRATIO ECCLES. CASAEMARII.

Sed accipe demum diploma de eiusdem monasterij dedicatione facta ab ipso Honorio Tertio Romano Pontifice, quod habetur in eodem codice: quo innotescit etiam, eamdem basilicam eiusdem monasterij Casæmarij dedicatam fuisse xvij. Kal. Octob. anno millesimo ducentesimo decimoseptimo per eumdem Honorium, qui cum esset Cardinalis, nomine Cencius, tit. sanctorum Ioannis & Pauli, eam erexit ecclesiam, quæ & fuit consummata sub Innocentio Papa prædecessore. Porro eidem consecrationi in-
D terfuisse leguntur Episcopi Cardinales duo, presbyteri Cardinales tres, diaconi Cardinales septem, & Episcopi alij decem. Post hæc vero agi cœptum de vnienda Abbatia sancti Dominici eidem monasterio Casæmarij, quod & factum, vt superius dictum est. diploma autem consecrationis sic se habet:

HONORII PAP. III. DIPLOMA DE CONSECRATIONE ECCLESIAE CASAEMARII MONAST.

Honorius Episcopus seruus seruorum Dei dilectis filijs Rainerio Abbati, & conuentui Casæmarij salutem & Apostolicam benedictionem.

Si apud Hebræos olim, qui fuerunt tempore legis, templi consecratio celebris habebatur (nam Salomon templum, quod Dauid pater eius ædificare voluit, Domino auxiliante perficiens consecrauit, fecitq. tempore illo festiuitatem celebrem, & omnis Hierosolyma cum eodem) multo magis nunc solemnis debet haberi, cum per IESVM Christum data sit gratia, & veritas patefacta. Cum ergo ad consecrandam
E ecclesiam vestram a vobis cum multa fuerimus supplicationis instãtia inuitati, quam in minori officio feceramus proprijs sumptibus fabricari: ad locum ipsum cum honorabili cœtu Archiepiscoporum, Episcoporum, & Cardinalium accedentes, eamdem ecclesiam, accedente Fidelium multitudine copiosa, septimodecimo Kal. Octobr. in persona duximus propria consecrandam.

INDVLGENTIA CONCESSA.

Vt ipsius ecclesiæ dedicatio veneranda singulis annis deuotius celebretur, vniuersis, qui ad celebritatem consecrationis eiusdem infra nouem dies deuote conuenerint, de illius pietate confisi, qui est peccatorum remissio, de iniunctis sibi pœnitentijs annum vnum misericorditer relaxamus.

Præterea, vt appareat in ornatu, quod ecclesiam vestram specialiter intendimus honorare, vtendi argenteo thuribulo, ac sericis indumentis inter Missarum solemnia diebus Dominicis & festiuis liberam vobis concedimus facultatem.

Licet

Universidad de Deusto
Biblioteca

Licet autem monasterium vestrũ iuris & potestatis sit Sedis Apostolicæ specialiter: A
quia tamen ex hoc iuris, scilicet proprietatis ipsius specialius est effectum; nos illud
sub speciali cura & principali tutela beati Petri suscipimus cum omnibus rebus, quas
in præsentiarum iusto titulo possidet, aut in futurum iustis modis poterit adipisci, vt
secundum priuilegia prædecessorum nostrorum, & nostra semper eas sine contradi-
ctione possideat, gaudens vbique priuilegijs & indulgentijs vniuersis tam generalibus
quam specialibus a Sede Apostolica impetratis, saluis statutis Concilij generalis. Cun-
ctos igitur ipsius iura seruantes Apostolica benedictio prosequatur, eosq. diuina Ma-
iestas iustificet in præsenti, & glorificet in futuro. Turbatores autem ipsius, nisi com-
moniti resipuerint, reos se diuino Iudicio de perpetrata iniquitate cognoscant, & mu-
neris Apostolicæ benedictionis expertes. Datum Laterani tertio Non. Febr. Pontifi-
catus nostri anno secundo] hactenus de rebus patrijs. Sed de ipso sancto Dominico B
anno sequenti, quo ex hac vita migrauit, dicendum.

IESV CHRISTI ANNVS 1031. IOANNIS XX. PAP. ANNVS 8. CONRADI IMP. 5. ROMANI IMP. 3.

TRIGESIMVS primus supra millesimum currit annus, decimaquarta Indictio-
ne, quo flagrant Galliæ bello ciuili, filijs cum matre aduersus Robertum Regem
patrem conspirantibus. de his hæc apud Glabrum: [a] Tunc demum post aliquod tem- *a Glab. lib. 3. cap. 9.*
poris spacium illi duo fratres, *Henricus & Robertus, filij Roberti Regis* firmato amicitiæ fœ-
dere, præcipue ob insolentiam matris, cœpere vi inuadere vicos & castella sui patris, C
ac circumcirca diripere, quæ poterant, bonorum illius: nam ille, quem Regem fecerat,
Drogas illi castrum surripuit, alter vero in Burgundiæ partibus Auallonem, atque
Bellensem. Pro quibus Rex graui turbatus * amore, colligens exercitum ascendit Bur-
gundiam, bellum plusquam ciuile paratur. Interea cum *idem Robertus Rex* super his
venerabilem patrem Vuillermum consuluisset apud Diuonense castrum, quid agere
deberet, oransque, vt erat vir totius mansuetudinis & pietatis, qualiter tam pro se, quã
pro illis Dominum oraret; tale responsum ab eodẽ suscepit: Meminisse te, o Rex con-
uenit, iniuriarum, opprobriorumq. patri ac matri a te illatorum in tua iuuentute, quo-
niam talia tibi, iusto iudice Deo permittente, a filijs ingeruntur, qualia tu ipse geni-
toribus ingessisti. Hæc audiens Rex patientissime tulit, seq. vltro culpabilem clamans,
non negauit: deinde post obsidionem ac depopulationem vtriusque prouinciæ ad pa-
cem redeuntes suscepit filios, qui paulisper quieuerunt] sequenti vero anno Rober-
tum ipsum patrem mense Iulio tradit esse defunctum. adeo vt hoc anno ista contigis-
se, opus sit affirmare.

* timore CONSILIO VVILLERMI ABBATIS CONSOPITVR BELLVM CIVILE.

Moritur hoc anno sanctus Dominicus Abbas primus monasterij Sorani, de quo anno
superiori dictum est. de eius enim obitus tempore hæc Leo Ostiensis in Chronico Cas-
sinate: [b] His diebus, anno scilicet Domini millesimo trigesimoprimo, beatus Domini- *b Leo Ost. lib. 2. cap. 62. in fine.*
cus, innumerabilium patrator mirabilium, multorumq. cœnobiorum fundator apud
Soram Campaniæ ciuitatem iam ferme octogenarius migrauit ad Dominum, sepul-
tusq. est in monasterio Soræ vicino, quod nunc eiusdem vocatur nomine.]

IMAGO S. MARIAE IN BLACHERNIS INVENTA.

Quod pertinet ad res Orientales, hoc anno Romanus Imperator totus in erigendis E
& exornandis ecclesijs, antiquam Dei Genitricis imaginem, quæ erat in Blachernis,
occultatam tempore Constantini Copronymi Iconomachi, reperit, quam & ad cul-
tum pristinum reuocauit. hæc Curopalata, & ex ipso Cedrenus. itemq. hoc eodem
anno a Zoe Imperatrice coactam fuisse sororem Theodoram in ordinem redigi mo-
nacharum, ne, vt & ipsa, heres Imperij, aliquid moliretur insidiarum. hæc Curopala-
ta. qui & inferius addit, ab eodem Imperatore cœptum reædificari templum Hiero-
solymorum, a Sarracenorum Principe demolitum. ait enim: Cum autem Azizius
Aegyptius furore correptus multa detrimenta Christianis intulisset, euertisserq. tem-
plum Domini nostri IESV Christi Hierosolymis; deinde ipse quoque turpissime vi-
tam finisset: ipsius filius e Romana quadam captiua natus, concessit ijs qui vellent,
templum reædificare. Quod Imperator studiose cõstruere festinabat, sed mors, quæ il-
lum occupauit, ne id perficeret, prohibuit. at successor eius Michael ad exitũ perduxit.]

IESV

SEQVITVR annus Redemptoris millesimus trigesimus secundus, Indictione de-
cimaquinta, quo vigente illa controuersia in Aquitania de sancto Martiale Chri-
sti Discipulo, qui primus in ea prouincia Euangelium prædicauit, essetne in sacris pre- DE APOSTOLATV MARTIALIS CONTROVERSIA.
cibus nominandus Apostolus, sicut in ecclesia Lemouicensi ab eo erecta hactenus fa-
ctum esse constaret: contradicentibus alijs nonnullis atque contendentibus, non Apo-
stolum, sed Confessorem tantummodo nominandum, consulta est Apostolica Sedes.
Quid autem ad hæc Ioannes Papa responderit, videamus ex Actis Concilij Lemouicen-
sis, de quo suo loco inferius dicturi sumus. Etenim etsi ipsa Ioannis Papæ non extet
B epistola, eius tamen argumentum satis habetur expressum in dictis synodalibus Actis,
in quibus ista leguntur:

DE IOANNIS PAPAE EPISTOLA DECRETALI AD EPISCOPOS GALLIARVM.

Ad hæc venerandus Iordanus Lemouicensis Episcopus ait: Multa, charissimi, an-
te hos annos hac de re facta est inquisitio, quousque hæc altercatio ad aures Apostoli-
cæ sanctæ Romanæ Sedis peruenire; super quo dominus Ioannes Papa exemplar
epistolæ nobis est dignatus destinare, magnopere testificans Apostolatus eius gloriã,
& redarguens omnes, qui eum contradicunt esse Apostolum. Quæ epistola sacra
conseruata in promptu habetur, in qua facile claret testimonium verum Romanæ Se-
dis. Cui Bituricensis Archiepiscopus Aemo respondens dixit: Textum epistolæ Pa-
pæ Ioannis, omnibus Galliarum Episcopis directæ ante hos quindecim dies in Concili-
C lio Bituricensi, vbi plures Episcopi congregati eramus, coram nobis recitari fecimus
&c.] omnes enim eidem epistolæ Romani Pontificis assensum tribuisse testatur. porro
vna cum epistola pariter missam fuisse de eodem sancto Martiale Collectam, preces
nempe, siue quæ dici consueuit oratio, ex antiquo codice Gregoriano excerptam:
habent eadem Acta Concilij Lemouicensis verbis istis:

Primam orationem de solemnitate ecclesiæ dedit Archiepiscopus, secundam vero
audiente omni ecclesia, de beati Martialis commemoratione annexuit; quæ oratio in
hunc modum continetur.

Omnipotens sempiterne Deus, qui B. Martialem Apostolũ Ecclesiæ tuæ sanctæ præ-
esse voluisti: quæsumus, nobis eius suffragãtibus meritis, pietatis tuæ gratiam largiaris.

Quam orationem (pergit Episcopus), idcirco præsertim palam omnibus voluit
protulisse, vt testimonium Apostolatus beati patroni clarus assertor libere patefaceret.
D Quæ oratio cum Secreta & Præfatione, & ea quæ dicitur ad complendum, idcirco
Gregoriana esse dicitur, quia a Ioanne Papa Romano ad Lemouicenses directa iam-
dudum fuerat] hæc Acta. In quibus etiam frequenter interlocuti inueniuntur Epi-
scopi, tenendum, quod Ecclesia Romana probasset, a qua recedere nefas: cum ca-
pite enim sentiendum, ijdem sæpe obtestati sunt Patres. at de his hactenus.

IOANNIS PAPAE CONCESSIO MONACHIS LEIRENSIBVS FACTA.

Hoc anno Ioannes Papa concessit ad preces Sancij Maioris, Regis Nauarræ atque
Castellæ, monachis monasterij Leirensis creandi Episcopum Pampilonensem: nam
antiquis temporibus [a] Pampilonẽses Episcopi ob barbarorum incursiones sedem tran- *a Marian. lib. 8. cap. vlt.*
stulerant in Leirense monasterium, quod in Pyrenæis iugis situm est. Cuius concessio-
nis occasione Pampilonæ Concilium habitum est, cui interfuerunt Pontius Ouetensis
E Archiepiscopus, Garsias Anagari, Nunnius Alanæ, Arnulphus Ripagorsæ, Sancius
Aragoniæ, hoc est, Iaccæ, Iulianus Castellæ, hoc est, Ancæ Episcopi. Actum in eo
in primis, vt antiqua sedes Pampilonensi Episcopo redderetur: quod post obitum
eius, qui tunc erat Pampilonensis Episcopus, tempore successoris fuit executioni man-
datum. Porro in idem Leirense monasterium Cluniacensium institutio ab eodem Re-
ge est introducta. Eius enim commendata est religio erga cultum monasticum, qui
ad pristinam sanctitudinis formam ibi restituẽdam vsus est monachis Cluniacensibus
e Gallia petitis, & magno honore acceptis. De ipso etiam Rege ab omnibus ferme re-
rum Hispaniarum Scriptoribus fertur, quod iacentem suis ruinis sepultã Palentinam
ciuitatem restituit, hac oblata diuinitus occasione, quod cum in venatione aprum in- PALENTINAE CIVITATIS RESTITVENDAE OCCASIO.
sectaretur, ille fatigatus intra obuios parietes, qui supererant Memoriæ S. Antonini
martyris se recepit, apud relictam ibi sacram aram consistens, tutum asylum, Angelo-
rum custodia vallari consuetum. Sic iuxta illud oraculum: [b] Homines & iumenta *b Psal. 35.*
saluabis

Universidad de Deusto
Biblioteca

saluabis Domine] cum Rex venabulo illum appeteret, eleuatum brachium ad feriendum, mox torpedine redditum sensit inutile: sed reatum agnoscens, Martyrem precatus, ad pristinum vsum sensit diuinitus reuocatum, didicitq. suo damno, quanta deberetur locis sacris immunitas, etiamsi corruisse visa fuissent, vt nec bestiam illuc confugientem lædere licuisset. Sicq. eius euentus occasione Regem non solum eam restituisse tradunt ecclesiam, sed etiam nobilem ciuitatem iterum incolendi, restitutis mœnibus, auctorem fuisse. Porro Sancium ipsum pietate insignem ex hac vita post triennium migrasse, nempe anno Redemptoris millesimo trigesimoquinto, eius sepulchralis inscriptio docet his verbis. A

HIC SITVS EST SANCIVS REX PYRENAEORVM MONTIVM ET TOLOSAE, VIR PER OMNIA CATHOLICVS, ET PRO ECCLESIA TRANSLATVS EST HIC A FILIO SVO REGE MAGNO FERNANDO. OBIIT ERA M.LXXIII.] est hic ipse Christi annus millesimus trigesimusquintus. B

IESV CHRISTI ANNVS 1033. IOANNIS XX. PAP. ANNVS 10. CONRADI IMP. 7. ROMANI IMP. 5.

MILLESIMVS trigesimustertius annus salutis prima Indictione inchoatus sequitur, quo mori contigit Ioannem Romanum Pontificem, mense Nouembris. Quæ autem præcesserunt, primo dicendũ. Hoc ipso anno, quo accidisse testantur tabulæ astronomicæ solis eclipsim tertio Kal. Iulij, ipsa die natali sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, vt tum Helgaldus, tum etiam Glaber affirmant qui videre: quid ea ipsa die Romæ in basilica sancti Petri contigerit, Glaber ipse quidem sincere memoriæ tradidit, quæ in Romanæ Ecclesiæ monimentis desiderantur. exciderunt quippe ipsa, vnde opus sit hincinde mendicare fragmenta. Res quidem accidit magni momenti, quæ euocauit e Germania Romam iterum Imperatorem, detinuitq. integrum annum. Quænam ista fuerit, & quomodo se habuerit, a Glabro sic accipe: [a] De qua victoria Imperator *Conradus* accepta confidentia, rursum collecto exercitu Italiam pergens, ad ipsam Vrbem Romam progrediens, vniuersos * rebelliones, qui contra eum insurgere tentauerant, anno integro ibidem degens, proterẽdo compescuit] & inferius: C

CONRADVS ITERVM IN ITALIAM VENIT.
[a] *Glab. lib. 4. c. 8. & 9.*
* perduelliones siue rebelles.

Anno igitur eodem Dominicæ passionis millesimo (*secundum eius computum est ab Incarnatione* M.XXXIII.) die tertia Kalendarum Iuliarum, sexta feria, luna vigesimaoctaua facta est eclipsis, seu deliquium solis ab hora eiusdem diei sexta vsque in octauam nimium terribilis. nam sol ipse factus est saphiri coloris, gerens in superiori parte speciem lunæ, a sua reilluminatione quartæ. Intuitus hominum in alterutrum velut mortuorum pallor conspiciebatur: res vero quæcumque sub aere croci coloris esse cernebantur. Tunc corda humani generis stupor ac pauor tenuit immensus, quoniam illud intuentes intelligebant portendere quiddam fore superuenturæ cladis humano generi triste. Nam eadem die, natali videlicet Apostolorum, in ecclesia beati Petri quidam de Principibus Romanorum conspirarunt in Papam Romanum, cupientes illum interimere, sed minime valentes, a Sede tamen propria expulerunt. Sed (vt præmisimus) tam pro hac re, quam pro alijs insolenter patratis Imperator illuc proficiscens, propriæ Sedi restituit] hæc Glaber de Ioanne Papa. D

IOANNES PAPA EIICITVR SED PER IMPERAT. RESTITVITVR.

Quem liquet hoc anno, sexto Idus Nouemb. diem obijsse, cum sedisset annos nouem, menses octo, & dies aliquot: certus enim numerus ignoratur, licet diuinent alij. Sepultus est autem in basilica S. Petri, inter portam argenteam, & Romanam. In eius locum hoc eodem anno subrogatum fuisse eius successorem Benedictum, habet Hermannus, Sigebertus, & alij. Cum (proh nefas) tyrannide Alberici Comitis Tusculani eius filius puer in sacrosanctam Petri Sedem intruditur, monstrum erigitur, statuiturq. portentũ. Cum enim morte duorum germanorum Pontificum, Benedicti, atque Ioannis, e domo sua Pontificatum diu retentum egredi, ægro animo ferret: ne id fieret cum alium non haberet, filium quẽ habebat ætate puerum, malis artibus in Petri Cathedram Angelis reuerendam idem Albericus intrusit. En vides quæ sint a Principibus toleranda, cum immiscent se quacumque via in electione Romanorum Pontificum: ob idq. declamaui sæpius, & exclamare non desinam, & commonere præsentes & post futuros Fratres meos S. R. E. Cardinales, vt pro viribus ad sanguinem vsque certare laborent, E

IOANNES PAPA MORITVR.

quo

quo omnem Principibus aditum ad electionem Romanorum Pontificum obstruant, cum nihil hoc funestius pati Romana Ecclesia consueuerit & pluribus, summo ipsius damno, contigerit demonstrari, cum eos non Principes adiutores, sed tyrannos persecutores in electione Pontificum est experta. Quid potuit Romanæ Ecclesiæ durius, ac luctuosius contigisse, quam vt qui tyrannide lupi sunt, de pastore creando decernant & curent? quorum illud vnum studium sit, vt præficiatur ouibus pastor ignauus, quo ipsis liberum sit, cum velint, in oues irrumpere. Numquam audiatur amplius tyrannis ista in Ecclesia Dei, vt Pontificem cogatur accipere a Principibus. A

Ista cum legunt facta perditissimi Nouatores, Ecclesiæ Romanæ infestissimi perduelles, vociferantur in eam, exclamantque, apparere ex ijs in ea stigmata Antichristi. ita quos furor armat, & diabolicus spiritus agitat, in blasphemias concitati prorumpunt. Quos miseros ita animo pacato compello: Facitne ista Ecclesia ipsa Romana, an patitur, cum in eam indignus intruditur, & monstrum aliquod sæculari potentia in sacrosanctam illam Sedem prouehitur & exaltatur? Sed quod pati ista coacta sit, iam ipsa facta superius enarrata declarant, & quæ sunt dicenda monstrabunt. Quæ ratio patitur, quæ charitas persuadet, quæ iudicij recti discretio imperat, vt præter omne ius fasq. ita insurgatis in eam? veluti cum quis in hominem incidat a latronibus spoliatum, vulneribus confossum, sauciatum, in luto ex suo sanguine volutatum, semiuiuum relictum, in foueamq. præcipitatum: non in grassatores ipsos sæuissimos, ac sceleratissimos inuehatur, detestatusq. eos, contumelijs, atque maledictis vltricibus impetat; sed ea conuertat probra cuncta in ærumnosum illum ac miserum miseriarum plane omnium scopum, eiusq. non alliget vulnera compassione, sed confricans detractione, scalpensq. blasphemijs, maiore crudelitate faciat recrudescere? Ita plane, qui deteriora passam temporibus istis Romanam Ecclesiam conspicantes, [a] nihil patientes super contritione Ioseph, neque condolentes suffocatæ iustitiæ, sed concitati furore, perciti amaro zelo, acti liuore non in auctores malorum iacula probrorum intorquent, sed in eam arcu ferreo obduratæ perfidiæ sagittas venenatas immittunt; vnde magis dolens ipsa illud exclamare cogatur: [b] Et super dolorem vulnerum meorum addiderunt] cum potius: [c] Si qua consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis in eis essent, vtique exemplo Samaritani compatientes, non blasphemantes, aliquod exhibere solatium eidem Ecclesiæ afflictæ nimium, atque adeo immaniter lancinatæ curassent. Quæ etsi interdum ad tempus depressa, sed nõ destituta, sibi bene conscia a Deo factæ promissionis (nempe quod etsi affligi possit, perdi non possit) illud Dauidicum repetitum sæpius meditetur summa constantia: [d] Sæpe expugnauerunt me a iuuentute mea, etenim non potuerunt mihi. Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatem suam: Dominus iustus concidet ceruices peccatorum: confundantur, & conuertantur retrorsum omnes, qui oderunt Sion.] B C D

CALVMNIIS PROSCINDVNT CONTVMELIIS ROM. ECCL. NOVATORES.
[a] *Amos 6.*
[b] *Psal. 66.*
[c] *Phil. 2.*
[d] *Psal. 128.*

Vt autem tantũ nefas Albericus attentare præsumpserit: præcessisse diximus detestandũ exemplum in puerulo electo Archiepiscopo Rhemensi, cui ad functiones Episcopales obeundas coadiutor fuerat datus Episcopus. Sic itaque, quod in primaria Galliarum fuerat sede male præsumptum, in Apostolica vsurpari posse cathedra, execranda sibi persuadet ambitio. Quæ non audet furore percita dominandi libido? Quæ non tentat flagrãs præfecturæ cupiditas? non parcit legibus, quas cæca non videt; non timet Deum, quem non considerat; non reueretur homines, quos omnes spernit. Ad facinus implendum parat pecunia infelix pater infeliciori filio viam; Romanos, quos nouit potentiores aggreditur, quos expugnatos auro sibi deuincit, quorum emptione suffragiorum quam conceperat, parit iniquitatem, dum filium in thronum prouehit (horrendum ac detestabile visu!) sedentem in eminenti Petri solio puerum. E

BENEDICTVS IVNIOR. SVCCEDIT VIOLENTER.

Ingemuit ad aspectum Catholicus orbis, haud medioere passus in electione adeo illegitima scandalum; vt intelligere potes ex Glabro tunc superstite, ista vidente, scribente, ac detestante. Dum igitur horum temporum diuersa mala deplorat, hæc ad postremum ingerit luctuosa: [e] Insuper, inquit, ad cumulum tanti mali, cum non essent in populo, vel rari, qui ceteros corrigentes talia redarguerent, impletum est Prophetæ vaticinium, quod ait: [f] Et erit sicut populus, sic sacerdos, præsertim cum tum in sæculari potestate, tum etiam in ecclesiastica religione totius regiminis personæ

SCANDALVM DE PROMOTIONE ADOLESCENTVLI.
[e] *Glab. lib. 4. c. 5*
[f] *Isa. 24.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

constiterant in puerili ætate. propter peccata enim populi contigit tunc illud Salo- A
[a] *Eccles. 10.* monicum, quod ait: [a] Væ tibi terra, cuius Rex est puer. Nam & ipse vniuersalis Papa Romanus, nepos scilicet duorum, Benedicti atque Ioannis, qui ei præcesserant, puer ferme decennis, intercedente thesaurorum pecunia, electus extitit a Romanis, a quibus exinde frequenter eiectus ac inhoneste receptus, nulla potestate viguit] hæc Glaber, qui dum ait, ab ijs fuisse electum, a quibus pariter asserit esse eiectum, sæculares eos homines fuisse liquet, de quibus suo loco dicetur inferius. idemq. rursum ea refricans atque deplorans in fine suæ historiæ, sic perorat: Ipso quoque in tempore Romana Sedes, quæ Vniuersalis iure habetur in orbe terrarum, præfato morbo pestifero (nempe simoniaca labe) per vigintiquinque annorum spacia miserrime laborauerat. Fuerat enim eidem Sedi ordinatus quidam puer circiter annorum duodecim, contra ius fasque: quem scilicet sola pecunia auri & argenti plus commendauit, quam B
ætas aut sanctitas. Et quoniam infelicem habuit introitum, infeliciorem persensit exitum, *quippe referre turpitudo illius conuersationis & vitæ. tunc vero cum consensu totius Romani populi, atque ex præcepto Imperatoris eiectus est a Sede, & in locum eius subrogatus est vir religiosissimus ac sanctitate conspicuus Gregorius natione Romanus: cuius videlicet bona fama, quidquid prior fœdauerat, in melius reformauit] hucusque Glaber. Contigisse autem eius creationem sexto Idus Nouemb. antiquæ Vaticanæ series Romanorum Pontificum docent, Gregorij autem subrogationem longe postea. Interim autem (quod mireris) tanta vigebat tunc obseruantia toto Catholico orbe erga Romanam Ecclesiam, vt quemcumque audirent throno insidere Petri, colere eum & venerari non detrectarent, cum non ipsum sedentem, sed eum cuius vice sederet, in primis attenderent. C

* locus corruptus

COGNITVS PAPA BENEDICTVS NONVS.

Porro in Christiano orbe cognitum fuisse & habitum ipsum Benedictum absque controuersia Romanum Pontificem, liquet. Etenim ab eodem petijsse pallium constat & obtinuisse [b] Archiepiscopum Hamburgensem Hermannum, eius successorem Bezelinum, & qui eidem subrogatus est, Adelbertum. Extant & alia eiusdem monimenta, quibus significatur, ipsum exercuisse munera pontificalia. Quando autem & qua ratione ipse sponte se abdicauerit, & iterum rediens eiectus fuerit, suo loco dicendum. Ceterum quod pertinet ad ætatem, cum testetur de ipso Petrus Damiani, ab exordio suæ creationis vsque ad finem semper luxurijs inquinatum: plane possumus intelligere, haud adeo puerum adhuc impuberem fuisse, cui ex natura puritas ineat; sed eius ætatis, qui stimulis concupiscentiæ vrgeretur. Sane quidem Hermannus Contractus nuper editus ex Augustano exemplari, auctor qui hoc ipso scribebat tem- D
pore, dum hoc anno agit de obitu Ioannis, & Benedicti subrogatione, de eius ætate nihil; quod non tacuisset, si adeo impar tanto oneri subeundo fuisset, sed hæc tantum habet: Defuncto Ioanne, Benedictus, qui & Theophylactus, ordinatus, licet indignus tanto ordine moribus & factis, sedit annis plus duodecim] hæc ipse.

[b] *Adam lib. 2. cap. 30. & lib. 3. cap. 1.*

Sed quod audisti querelam Glabri de Pontificibus simoniace ordinatis, ex nobis vero percepisti, istiusmodi pati potius coactam, quam agere consueuisse Romanam ipsam Ecclesiam: audi quæso, quomodo hæc transigi a tyrannis, moris erat, quibus intelligas, quomodo re vera nō ista facere, sed pati inuita ipsa Romana Ecclesia cogeretur: exemplumq. accipe ex his, quæ auctor huius sæculi Petrus Damiani scribit ad N. Archiepiscopū, cum agit de Romano Pontifice per simoniam tunc intruso. incipit epi-
[c] *Cod. S. Pet. Vat. pag. 62.* stola: [c] Litteras sigillo vestræ sanctitatis impressas &c] vbi hæc de his, quæ loquimur: E

MODVS QVO INTRVDI CONSVEVERVNT A SAECVLARIBVS PAPAE.

Ille nimirum (in quantum mihi videtur) absque vlla excusatione simoniacus est, quia vobis omnibus eiusdem Vrbis Cardinalibus Episcopis reclamantibus, obsistentibus, & terribiliter anathematizantibus, nocturno tempore cum armatorum turbis vndique tumultuantibus & furentibus inthronizatus est. Dehinc ad marsupiorum patrocinia funesta concurritur, pecunia per Regiones, andronas, vel angiportus in populos erogatur; beati Petri venerabilis arca peruaditur: sicq. per totam Vrbem, velut officinam male fabricantis Simonis factam, vix aliud, quam (vt ita loquar) malleorum & incudinum tinnitus auditur. Et o scelus & ferale prodigium! Petrus cogitur nun-
[d] *Act. 8.* dinas Simonis ex sua quantitate persoluere, [d] qui Simonem cum omni suo commercio cognoscitur perpetua maledictione damnasse. Quod autem ille crimen hoc palliat, & tractum se, viq. coactum, quibus potest verbis excusat: hoc ego licet ad liquidum nesciam,

A nesciam, tamen & ipse non vsquequaque diffiteor. Ita quippe est homo stolidus & deses, & nullius ingenij, vt credi possit nescisse, pro se talia machinari &c] Ecce tibi ob oculos positum ac repræsentatum, per potentes sæculares homines fieri his temporibus solitam aliquorum intrusionem, frustra dissentientibus ac reclamantibus Cardinalibus; quorum illa deploranda conditio erat, vel vt ita pati cogerentur intrusum, qui se inscio talia diceret perpetrata; aut alium eligendo schisma conflarent; vel Imperatorum tunc existentium auxilium implorarent, qui armis repellerent vim, quam ipsis potentes inferrent. Vidisti ergo perspicuo declaratum exemplo, relatione vnius ex Cardinalibus ista tractantis atque scribentis, quomodo non ista facere, sed pati cogeretur inuita reluctans ac reclamans Ecclesia, oppressa tyrannice a potentia sæcularī. Habes ex his suorum verborum interpretationem elucidatam, cum eadem ex
B causa idem ipse in epistola ad Firminum exclamans repetit, quæ antea rhythmo deflerat: Heu Sedes Apostolica, orbis olim gloria: Nunc, proh dolor, efficeris officina Simonis: Terunt incudem mallei, nummi sunt tartarei] cum videlicet sæculi potentiores in eam, quæ sunt recitata, committerent. Quæ non intelligentes Nouatores temporis huius, calumnioſe Romanæ Ecclesiæ vitio vertunt, quæ ipsa nolens (vt dixi) & inuita, renitens & reclamans, lugens ac mœrens pati acerbissime cogeretur. Quæ omnia Alberici Comitis Tusculani factione modo passam esse Romanam Ecclesiam, aperte idem [a] Petrus insinuat, dum de eiusdem agit Benedicti ad inferos damna- [a] *epist. ad Dominicum. c. 5.*
tione, cum per inuasionem Ioanni patruo eum successisse testatur. Iam vero quæ sunt anni huius reliqua, prosequamur, de eodem Benedicto inferius alia plura dicturi.

PATITVR NON FACIT ECCLESIA ROMANA NEFANDA.

C Hoc eodem anno Rex Francorum Robertus vere Christianissimus ex hac vita migrauit xiij. Kal. Augusti. at quod alij id referunt accidisse anno superiori, vt in his, & reliquis, quæ ex his dependent, consulatur historiæ veritati, perquirendum an hoc, quo ponimus anno, ipsum ex hac vita migrasse contigerit. Scimus Helgaldum in vita ipsius disertis verbis profiteri, ipsum esse defunctum anno superiori, anno millesimo trigesimo secundo, idipsumq. scriptum reperiri in Fragmētis historiæ Francorum, positis in appendice ad Helgaldum & Glabrum. Verum cum idem Helgaldus inferius, vbi agit de morte ipsius, affirmet, eum eo anno esse defunctum, quo contigit solis eclipsis iij. Kal. Iulij, ipsa die natali sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, hora sexta diei, vigesimoprimo die ab eadem eclipsi xiij. Kal. Augusti: dubitandi nullus remanet locus, hoc anno, & non superiori eumdem Regem ex hac vita migrasse. Nam
D constans assertio est, eamdem eclipsim hoc, & non superiori anno contigisse, ex certa demonstratione astronomicarum tabularum. Etenim hoc anno millesimo trigesimotertio factum est nouilunium tertio Kalend. Iulij, anno vero superiori millesimo trigesimosecundo factum est nouilunium iiij. Idus Iunij. Itaque eclipsim non anno superiori, sed præsenti oportuit contigisse. His consideratis, reprehenditur iure Sigebertus, qui eamdem eclipsim posuit anno superiori: prudentius vero Hermannus posuit hoc anno. sic etiam Glaber, numerans annos salutis a Christi Passione, eius ætatis trigesimotertio, bene ponit eamdem eclipsim accidisse anno millesimo, quo præsens annus pariter consignatur, vt paulo inferius dicturi sumus.

OBITVS ROBERTI REGIS CHRISTIANISSIMI.

Tanti Regis res præclare gestas, quæ ad pietatem spectant, Helgaldus monachus Floriacensis conscripsit. de eo enim hæc in Fragmentis Francorū historiæ: Qui quam
E deuotus fuerit, quam magnificus erga seruos Dei, quam assiduus circa ecclesiam, quam largus in eleemosynis, quanta fundatus humilitate, non est huius temporis disserere. Hic multas fundauit ecclesias, venustauit auro, argento, & varijs ornamentis multorum Memorias Sanctorum. Quamobrem tribuit ei Omniporens continuam pacem, ita vt nemo esset, qui eum inquietare auderet. Cuius erga Deum deuotionis affectum, & insignium opera virtutum, si quis plenius cognoscere voluerit, legat gesta ipsius, ab Helgaldo Floriacensi composita monacho] hæc auctor. extat & iam typis cusum Helgaldi de Rege Roberto monimentum posteris traditum. Dicam ex his summatim, non quæ fecit aliquando Rex pius, sed quæ facere consueuit. Dabat eleemosynas manu propria, ore proprio figens eorum manibus oscula. Medebatur illis, dum manu tangens eorum vulnera, signansq. signo Crucis, omnem ab eis auferebat dolorem infirmitatis] superius præterea narrat auctor, ab eodem illuminatum fuisse cæcum, cum quasi per iocum manus abluens, aquam aspersit in faciem eius.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ROBERTI REGIS RES PIE GESTAE.

De abundantia autem eleemosynarum satis, si reddam hic Helgaldi locum, quo & annus certus obitus consignatur : A

Quis autem, inquit, ei mos fuerit dandæ eleemosynæ in sui regni sedibus, non prætermittemus. In Parisijs ciuitate, Siluanectis, Aurelianis, Diuione, Antisiodoro, Aualone, Mileduno, Stampis, in vnaquaque harum sede trecentis, vel (quod est verius) mille pauperibus dabatur panis & vini abundantia; & hoc specialius ipso, quo ad Deũ * MXXXIII. transijt anno, qui est Incarnationis Dominicæ millesimus * trigesimus secundus. Præter hæc quo ibat, quotidie in sancta Quadragesima centum, aut ducenta iubebat pauperibus dari panis & piscium & vini cibaria. In die autem Cœnæ Domini non videntibus incredibile, videntibus vero & seruientibus, in tali negotio satis admirabile, cum non minus quam trecenti ipsa die sua prouidentia congregati, de eius sancta manu flexo poplite in terram, vnusquisque legumen, piscem, panem, denarium vnum sumebat in manibus, & hoc hora diei tertia. Hora itidem sexta itidem centum clericis pauperibus præbendam panis, piscis & vini concedebat, duodecim vnumquemque eorum honorans denarijs, corde & ore Dauidicos semper decantans Psalmos. Post mensam vero præparans se ad Dei seruitium Rex humilis, ponebat vestimenta sua, indutus ad carnem cilicio, adiunctoq. clericorum collegio, centum sexaginta & eo amplius numero, ad exemplum Domini eorum pedes lauans, capillis capitis sui tergebat, & ad Mandatum Domini singulos eorum duobus solidis remunerans, Clero præsente, & diacono astante, qui lectionem legeret secundum Ioannem in Cœna Domini dictam & factam. Talibus factis occupabat se Rex meritis gloriosus, loca Sanctorum perlustrando toto die sancto Parasceues, & Crucem Domini adorando vsque in vigilia sanctæ Resurrectionis &c.] & paulo post : B C

Hic autem post Deum specialis gloria Regum, pro sanctorũ Apostolorum numero, quos semper amabat corde benigno, & quorum solemnes festiuitates votiuo præueniebat ieiunio, ad horum exemplum duodecim pauperes secum ducebat, quos specialius diligebat, quibus ipse erat vera requies post labores. Nam his sanctis pauperibus comparans fortissimos asinorum pullos, ante se vbique pergebant lætantes, Deũ laudantes &c.] sed & quomodo reliquas festiuitates Domini celebrare consueuit, sic accipe ab Helgaldo : Sanctas noctes, hoc est, Natiuitatis Domini, sancti Paschæ & Pentecostes sic totas ducebat insomnes vsque ad summum mane, vt nec sedens, nec stans somnũ caperet, donec quam expectabat & desiderabat, salutiferam corporis & sanguinis Domini nostri IESV Christi perceptionem perciperet] & de consueta pœnitentia, voluntarie ab eo suscipi solita audi quid tradat : Erat, inquit, & hoc amatori bonorum in religione pro suarum emendatione culparum, quod a sancto Septuagesimo vsque ad Pascha, nulla vsus culcita, frequenter cum susciperet ad iacendum fortissima terra] hæc ab ipso fieri consueta; reliqua, si cupis, ipsum auctorem consule, qui de eius transitu ad Deum hæc breuiter habet : D

Exire ipse de hoc sæculo paratus, Dominum IESVM Christum suæ salutis, atque vtilitatis magistrum semper inuocabat, ad videndam Regis æterni insuperabilem potentiam : Angelos, Archangelos, & omnes Dei Sanctos in auxilium suum venire, voce & signis indesinenter orabat, muniens se semper in fronte & oculis, naribus & labijs, gutture & auribus per signum sanctæ Crucis, memoria Dominicæ Incarnationis, Natiuitatis, Passionis, Resurrectionis & Ascensionis, & gratiæ Spiritus sancti. habuit hoc ex more in vita, cui numquam defuit * voluntate aqua benedicta. His vero, alijsq. refertus bonis virtutibus, sexagenarius (vt credimus) mortem opperiebat intrepidus, & inualescente validæ febris languore, petijt viaticum salutare & salubre viuifici corporis & sanguinis Domini nostri IESV Christi. sumpto eo, & pauco interuallo facto, ad Regem Regum & Dominum dominorum demigrans, felix feliciter felicia promeruit regna. Obdormiuit autem in Domino (vt diximus) xiij. Kal. Augusti, lucescente aurora diei, tertia sabbati in Mileduno castro, & Parisios deportatus apud sanctum Dionysium, iuxta patrem suum sepelitur] hæc & alia auctor, cuncta videns & manu contrectans. Qui recensitis monasterijs ab ipso erectis, pro eius anima has ad Deum preces obtulit ac scripsit : E

* volenti

Deus, qui inter sanctissimos Reges famulum tuum Robertum regali fecisti dignitate vigere, præsta quæsumus, vt quorum vicem ad horam gerebat in terris, intercedente

A intercedente gloriosa Dei genitrice Maria, cum omnibus Sanctis, eorum quoque perpetuo consortio lætetur in cælis, per eumdem Dominum nostrum.]

Eo defuncto successit Henricus iam Rex consecratus, peritia militari, atque prudentia pollens, ac pietate præstans, qui fratri Roberto Burgundiæ Ducatum dedit, matrem vero, quam expertus est contrariam, Constantiam, constantia superauit, quæ anno ab hinc defuncta est. hæc pluribus in Fragmentis Francorum historiæ.

GVILLERMI ABBATIS OBITVS.

Hoc eodem anno moritur magni nominis huius temporis Guillermus Abbas sancti Benigni martyris, discipulus sancti Maioli, cuius res gestas cum in historia sua, tum seorsum libello de vita, & virtutibus eius scripto, vt ipse testatur, [a] Glaber prosecutus est. quem post obitum miracula plurimum commendarunt.

a Glab. lib. 4. cap. 4.

B IESV CHRISTI ANNVS 1034. BENEDICTI IX. PAP. ANNVS 1. CONRADI IMP. 8. MICHAELIS IMP. 1.

CHRISTI Redemptoris annus sequitur trigesimusquartus post millesimum, Indictione secunda, idemq. post famem abundans & felix. de quo ita, qui vidit, Glaber : [b] Anno a Passione Domini millesimo memoratæ cladis penurias subsequente (est namque annus primus post millesimum trigesimumtertium ab Incarnatione Domini) sedatis nimborum imbribus, respectu diuinæ bonitatis & misericordiæ, cœpit læta facies cæli claresc̃ere, congruisq. * æthereis flare, placidaq. serenitate magnanimitatem Conditoris ostendere; telluris quoque tota superficies amicabiliter vignanimitatem Conditoris ostendere; telluris quoque tota superficies amicabiliter virens frugum abundantiam, funditus inopiam expellendo, portendere] quod, vt inferius asserit, vbique accidit, vt per quinquennium maxima omnium rerum fuerit abundantia. Quid autem boni Dei benignitas ista pepererit, ab eodem Glabro sic accipe : Tunc, inquit, primitus cœpere in Aquitaniæ partibus ab Episcopis & Abbatibus, ceterisq. viris sacræ religionis deuotis ex vniuersa plebe coadunari Conciliorum conuentus, ad quos etiam multa delata sunt corpora Sanctorum, atque innumerabiles sanctarum apophoretæ reliquiarum. Dehinc per Arelatensem prouinciam, atque Lugdunensem, sicq. per vniuersam Burgundiam vsque ad vltimas Franciæ partes per vniuersos Episcopatus indictum est, qualiter certis in locis a Præsulibus, magnatibusq. totius patriæ de reformanda pace, & sacræ Fidei institutione celebrarentur Concilia. quod etiam tota multitudo vniuersæ plebis audiens, lætanter adiere, maximi, mediocres, ac minimi, parati cuncti obedire, quidquid præceptum fuisset a pastoribus Ecclesiæ, non minus videlicet, quam si vox emissa de cælo hominibus in terra loqueretur. Terrebat enim vniuersos clades præteriti temporis, instabatq. metus, ne adipiscerentur opulentiam futuræ vbertatis. C D

CONCILIA FREQVENTIA IN GALLIA.

DE PACE ECCLESIAE CONSERVANDA.

Erat quippe descriptio capitatim digesta, qua continebantur tam illa quæ prohibebantur, quam ea quæ deuota sponsione omnipotenti Domino offerre decreuerant. In quibus potissimum erat, de inuiolabili pace conseruanda, vt scilicet viri vtriusque conditionis, cuiuscumque antea fuissent rei obnoxij, absque formidine procederent armis vacui. prædo namque aut inuasor alterius facultatis legum districtione arctatus, seu bonis facultatum, seu pœnis corporis acerrime mulctaretur : locis nihilominus sacris omnium ecclesiarum honor & verecundia talis exhiberetur, vt si quis ad ea cuiuscumque culpæ obnoxius confugium faceret, illæsus euaderet, nisi solummodo ille, qui pactum prædictæ pacis violasset : hic tamen captus ad altare, præstitutam vindictam lueret. Clericis similiter omnibus, monachis, & sanctimonialibus, & si quis cum eis per regionem pergeret, *honor similiter & reuerentia exhiberetur*, nullamq. vim ab aliquo pateretur. Plurima autem in ijsdem Concilijs constituta sunt, quæ per longum duximus referre. Illud sane memorandum, quod omnibus in commune placuit, qualiter omnibus hebdomadibus sanctione perpetua, sexta die abstineretur a vino, & carnibus, & septima, nisi forte grauis infirmitas compelleret, aut celeberrima solemnitas interueniret. Si vero affectio aliqua intercederet, vt hic tenor paululum laxaretur : tres proinde pauperes victu sustentarentur] hæc Glaber. Ad quæ plane spectare videntur, quæ Sigebertus habet in chronographia sua attentius considerandа, ne videlicet absque discretione pro bonis mala sumantur. ait enim: E

* æthereis flare

[b] Idem lib. 4. cap. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DE IEIVNIIS INDICTIS.

Istiusmodi decretum a Franciæ Episcopis datum est seruari subiectis sibi populis. A Vnus eorum dicit, cælitus sibi delatas esse litteras, quæ pacem monerent renouandam in terra, quam remandauit ceteris, & hæc tradenda dedit populis: Arma quisque non ferret, direpta nō repeteret, sui sanguinis, vel cuiuslibet proximi vltor minime existens percussoribus cogeretur indulgere. Ieiunium in pane & aqua omni sexta feria seruarent, & in sabbato a carne & liquamine abstinerent, soloq. hoc contenti ieiunio, in omnium peccatorum remissionem nullam sibi scirent aliam adijciendam pœnitentiam. & hæc seruare sacramento firmarent. Quod qui nollet, Christianitate priuaretur, & exeuntem de sæculo nullus visitaret, nec sepulturæ traderet. Alia quoque importabilia quamplura dedere mandata, quæ oneri visa sunt replicare.

GERARDVS EPISCOPVS RESTITIT LEVITATI.

Hanc mandatorum nouitatem cum multi cupidi nouarum rerum libentius iusto amplecterentur: Gerardus Cameracensis Episcopus, qui solus Lothariensium apB pendebat ad parochiam Francorum, nullius hortatu potuit adduci ad hæc suscipienda, sed singula capitula refellebat, dicens: Genus humanum ab initio trifariam esse diuisum, in orantibus, pugnatoribus & agricultoribus, & vnum duorum, & duos vnius egere auxilio: ideo debere arma ferri: & rapinas reddi pro auctoritate legis & gratiæ: vltorem percussi, vel occisi non exacerbari cogendo, sed secundū Euangelium ei reconciliari. Ieiunium in sexta vel septima feria nec omnibus vnum esse imponendum, quia non est vna omnibus possibilitas, nec omnes hoc vno ieiunio contentos esse, quia non est vna omnium pœnitendi qualitas. Hæc sacramento firmare, vel sacramenti violationem periurio augere, non esse vtile. His contradicentes excommunicari, infirmis visitationem, vel mortuis sepulturam negari, esse detestabile. Sufficere C authentica Patrum decreta, & super his neglectis impositum congruenter pœnitentiæ modum] hactenus Gerardus Cameracensis apud Sigebertum, cuius iudicio omnium eruditorum, fuisse potiora iura videntur; vt mirandum potius sit, potuisse tot Episcopos huiusmodi vnius asserta inani reuelatione moueri magis, quam diuinæ Scripturæ, sanctorumq. Patrum decretis, atque Ecclesiæ traditionibus assentiri, & præscribere vniuersæ Ecclesiæ leges, & eas munire pœnis, quæ numquam a maioribus pro grauioribus quoque delictis essent impositæ.

Iam ab Apostolorum temporibus viguisse in Ecclesia Catholica Occidentali ieiuniū sextæ feriæ, atque sabbati hebdomadarium constat: de quorum causa & origine & obseruantia satis dictum est Tomo primo Annalium. quod repuisse non dubium est, cum remanserit ex eo dumtaxat abstinentia ab esu carnium: reuocare ipsum ad vsum pristinum, vt reuera ijs diebus Fideles per singulas hebdomadas ieiunarent more maiorum, D si ferret ista humana infirmitas, non solum non reprehendendum, sed magnopere laudandum fuisset, sed austeriorem, pœnis illis appositis, illisq. alijs comitantibus sanci-
a Galat. 1. re disciplinam, haud tutum, nec dignum Ecclesia videri debuit; quam [a] Apostolus monuit, grauiori debere incessu procedere, quā inanibus hisce reuelationibus traduci, dicens ad Galatas: Licet nos, aut Angelus de cælo euangelizet vobis, præterquā quod
b Coloss. 2. euangelizauimus vobis, anathema sit] & ad Colossenses: [b] Nemo vos seducat, volens in humilitate & religione Angelorum, quæ non vidit, ambulans, frustra inflatus sensu carnis suæ, & non tenens caput, ex quo totum corpus &c.] plane insinuans, vniuersa ista hæc quamtumlibet sancta, iustaq. videantur, ac pia, capitis Ecclesiæ consensione probanda, priusquam populo obseruanda tradantur. Vnde sæpe merito inuenimus esse statutum, vt prouincialia Episcoporum Concilia ex confirmatione Apo- E stolicæ Sedis vim accipiant. At non absque dedecore Gallicanorum Episcoporum accidit, Sede Apostolica inconsulta, pietatis intuitu ista decernere, vel decreta eiusdem iudicio examinanda atque probanda negligere.

Sed semel male præsumptum, rursum est ab ijsdem Episcopis vsurpatum. post decennium enim ab ijsdem ferias hebdomadarias dilatatas, vt non vna Dominica die, sed quatuor hebdomadæ diebus cessarent Fideles a strepitu fori, vel priuatis dissensio-
a Glab. lib. 5. c. 1 prope fin. nibus, idem Glaber ita testatur: [a] Contigit vero in ipso tempore, inspirante diuina gratia, primitus in partibus Aquitanicis, deinde paulatim per vniuersum Galliarum territorium firmari pactum propter timorem Dei pariter & amorem, taliter, vt nemo mortalium a feriæ quartæ vespere, vsque ad secundam feriam incipiente luce, ausu temerario præsumeret quidpiam alicui hominum per vim auferre, neque vltionis vin-

DE FERIIS IMPRVDENTER INDICTIS.

dictam

A dictam a quocumque inimico exigere, nec etiam a fideiussore vadimonium sumere. Quod si ab aliquo fieri contigisset contra hoc decretum publicum: aut de vita componeret, aut a Christianorum consortio expulsus patria pelleretur. Hoc insuper placuit vniuersis (veluti vulgo dicitur) vt Treugua Domini vocaretur, quæ videlicet non solum humanis esset fulta præsidijs, verum etiam multotiens diuinis suffragata terroribus. Nam populi & vesani audaci temeritate præscriptum pactum non timuere transgredi, in quibus protinus aut diuina vindex ira, seu humanus gladius vltor extitit. & hoc passim tam frequenter contigit, vt præ sui multitudine sigillatim non queat annotari. & hoc satis iuste. Nam sicut dies Dominicus propter Dominicam Resurrectionem venerabilis habetur, & Octauus cognominatur; ita quintus, sextus & septimus ob Dominicæ cœnæ, & eiusdem passionis reuerentiam debent ab ini-
B quis actionibus separari.

Contigit enim, vt dum pene (sicut iam diximus) per totas Gallias hoc statutum firmiter custodiretur, Neustriæ gentes illud suscipere recusarent. Erat enim huius rei occasio dissidium superbissimi litigij, quod ortum fuerat inter Henricum Regem filium Roberti, & filios supradicti Odonis, qui vicissim incendijs bella miscentes intestina, sibimet damna inferentes non modica, plurimas suorum strages dederunt. Deinde quoque occulto Dei iudicio cœpit desæuire in ipsorum plebibus diuina vltio. consumpsit enim qūidam mortifer ardor multos tam de magnatibus, quam de mediocribus atque infimis populi; quosdam vero truncatis membrorum partibus reseruauit ad futurorum exemplum. Tunc etiam pene gens totius orbis sustinuit penuriam pro raritate vini & tritici] hæc Glaber, vtcumque conatus iudicio diuino confir-
C mare decretum: sed hæc ad pondus sanctuarij sunt referenda. Nam [a] non iustificat *a Mich. 6.* Dominus stateram iniquam, & sacelli pondera dolosa. Aut enim loquitur ipse de his, quæ ab hominibus iniuste fiunt, & dixerim ea quibuscumque diebus esse vetita, & omnes a peccatis feriandos esse dies: vel de his quæ licite fieri possunt: tunc quæ ratio, vt dictis diebus ab his homines abstinerent, nullo maiorum exemplo, immo canonibus repugnantibus, vt quinta dies feriaretur?

DVO CONCILIA INTRA DIES QVINDECIM CELEBRATA.

Vt autem propensiori studio ea, quæ a Glabro sunt dicta, examinemus, atque in primis, quod ait, multa Concilia pacis causa hoc anno esse in Gallijs congregata, atque primitus in Aquitaniæ partibus esse cœpta: plane allusisse visus est ad duo Concilia, quæ breui temporis spacio intercedente, pacis causa sunt celebrata: alterum Bituricis die tertia mensis Nouembris; alterum Bellouaci post dies quindecim, nem-
D pe die decimaoctaua eiusdē ab ijsdem Episcopis, conuenientibus Lemouicas ad diem anniuersarium consecrationis basilicæ Saluatoris, vt eiusdem Concilij Acta testantur, quæ apud nos scripta habentur ex bibliotheca Antonij Augustini ab Hispanijs Romā missa: in quibus pariter eodem contextu ipsum Bituricense Concilium est celebratum, ambo prouincialia, atque eadem ex causa collecta. Quoniam vero res gestæ Bituricensis Synodi relatæ sunt in Lemouicensi Synodo, hic ipsa Acta Lemouicensia rerum ordine sunt recensenda, atque in primis quæ ad pacem indictam pertinent, ita exorsus est Iordanus Lemouicensis Episcopus:

ACTIO LEMOVICEN. SYNODI PRIMA.

Dolorem cordis mei vobis patefacio, o venerabiles Episcopi, & reliqui ministri Domini, & clamorem facio de sæcularibus potestatibus, parochianis meis, qui Eccle-
E siam Dei quietam esse non sinunt, res sanctuarij peruadunt, pauperes mihi commissos & Ecclesiæ ministros affligunt, & me, qui eorum pastor sum, de pace audire nolunt. Dignum est enim, vt tales, qui nobis contraire præsumunt, ab Ecclesiæ communione abscindantur. nam quicumque nobis subditos conturbant . . . . . cuius vice Episcopi legatione funguntur. Ideoq. diuinæ & Apostolicæ seueritate districtionis digni, & a nostro Concilio iusto anathemate plectendi, quousque fructuose pœnitendo resipiscant] peractis post hæc ijs, quæ spectabant ad probationem Apostolatus sancti Martialis, quem titulum aliqui negare præsumpsissent, intra Missarum solemnia aduersus pacis perturbatores anathema ab Episcopis iaculatur, ipso Iordano Lemouicensi Episcopo ista inter alia ad populum perorante:

Audiuimus, dilectissimi, verba sancti Euangelij: [b] Quia venit Filius hominis quæ- *b Luc. 19.* rere & saluum facere quod perierat. Ideo enim Saluator dicitur esse Dominus noster IESVS Christus, quia omnes peccatores vult ad salutem reuocare, dicente Apostolo: Fi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

a 1. Tim. 1. b Luc. 19.

lo: [a] Fidelis sermo, quia Christus IESVS venit in mundum peccatores saluos facere, A
quorum primus ego sum. Cumq. de fide Zachæi, [b] qui fraudata reddidit in quadruplum, paucis dixisset, atque ad milites, deprædantes siue per calumniam, vel potentiam res sanctuarij, & pauperum turbam opprimentes, vt Zachæum imitantes iuste restituerent, quibus rapuerant, retraxisset sermonem, ad vltimum adiecit dicens: Ecce propter vestram pacem, dilectissimi, hic adsunt pastores ecclesiarum, sancti fratres nostri Episcopi, qui ad subleuandum onus mei ponderis, & vos saluandos atque pacificandos dignati sunt ad hanc vrbem conuenire, sequentes Domini nostri IESV Christi exemplum, qui venit quærere & saluum facere quod perierat. Qua de re cum illis moneo vos, obtestans in Domino IESV, quatenus nemo vestrum illis inobtemperans existere præsumat, nemo sese a Concilio isto excusando subducat, sed omnes Principes, & capita populorum ex Lemouicensi prouincia in crastinum, & ter- B
tium diem ad nos cum pace conueniant, & nullus a nostro cœtu communi secedat, nisi a nobis voluntario animo iussus.

Conuenientibus autem ad Concilium, nemo alteri propter aliquas inimicitias nocere præsumat, siue in facultatibus, siue in domo eius, neque dum hic steterit, neque dum ad propria redierit, neque ante septem dies, postquam reuersus fuerit. Nemo in hac congregatione seditionem generet, neque in vrbe, neque extra vrbem. Nullus
* vim aliquid per * viam rapiat; nullus, vt assolet, quasi propter iustas querelas pugnam inire constituat. Nullus hic expeditionem, neque equitatum ineat aliquando agendum; sed nihil hic aliud quam pacem quispiam inquirat; si forte pax nobis a Domino tribuatur quieta, quia hic conuentus proprie conuentus Domini est, ad inquirendam pacem, ad consolandam sanctam Dei Ecclesiam. Hæc qui obseruauerit, tamquam filio pacis, immo Dei, & a Domino nostro IESV Christo, & sanctis Apostolis C
* al. conferimus absolutionem * confecimus peccatorũ, & benedictionem æternam: vt sicut Dominus beato Petro, & huic beato Martiali, ad cuius sacratissimum corpus assistimus, cetera. Apostolis, virtutem atque potestatem ligandi atque soluendi tribuere dignatus est; ita peccatorum nexibus absoluere dignetur eos, qui de pace & iustitia Deo & nobis, qui eius vice licet indigni fungimur, obedire festinauerint. Qui autem pacem nostram non susceperint, tamquam non Deum, sed diabolum sequentes, huic damnationi, quam modo recitare videbimur, subiacebunt. pax autem nostra ad nos reuer-
c Id. c. 10. tetur, sicut Dominus in Euangelio ait: [c] Si fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra; sin autem, ad vos reuertetur. Tunc iubentibus Episcopis, idem qui Euangelium pronuntiauerat, diaconus, sic in tomo chartæ excelsa voce maledictionem D
coram populo, in tribunali coram altari legere cœpit, dicens:

EXCOMMVNICATIO IN SEDITIOSOS. Ex auctoritate Dei Patris omnipotentis, & Filij, & Spiritus sancti, & sanctæ Dei genitricis Mariæ, sancti Petri Apostolorum principis, & beati Martialis, & aliorum Apostolorum, atque omnium Sanctorum Dei, nos Episcopi, in nomine Dei specialiter congregati, Aemo Archiepiscopus Bituricensis, Iordanus Antistes Lemouicensis, Stephanus Aniciensis, Rorico Aruernensis, Ragamundus Mimatensis, Aemilius Albiensis, Deusdedit Caturcensis, Esimbertus Pictauiensis, Arnaldus Petragoricensis, Roho Engolismensis, excommunicamus illos milites de isto Episcopatu Lemouicensi, qui pacem & iustitiam Episcopo suo firmare, sicut ipse exigit, nolunt, aut noluerunt. Maledicti ipsi & adiutores eorum in malum, maledicta arma eorum, & caballi eorum; E
erunt cum Cain fratricida, & cum Iuda traditore, & cum Dathan & Abiron, qui viui introierunt in infernum. Et sicut hæ lucernæ extinguuntur in oculis vestris, ita gaudium eorum extinguatur in conspectu sanctorum Angelorum, nisi ante mortem ad satisfactionem & emẽdationem, siue pœnitentiam dignam venerint in iudicium Episcopi sui. Omnes Episcopi & presbyteri candelas ardentes in manibus tenentes, mox eas in terram proijcientes extinxerunt. Ad quod verbum cor populi valde expauit, & omnes clamauerunt dicentes: Sic extinguat Deus lætitiam eorum, qui pacem & iustitiam susscipere nolunt.

His dictis, dominus Iordanus ait ad populum: Hæc verba maledictionis eodem dicta sunt tenore nuperrime in Concilio Bituricensi in aduersarios pacis. Quemadmodum autem inter Bituricenses, Deo adiuuante, pax confirmata est; ita etiam inter Lemouicenses pacem fieri optamus. Post hæc singuli Episcoporum, & vltimus Archiepi-

A chiepiscopus de pace populum monuere, dicentes: Sicut pastor vester ecce prædicat vobis pacem, ita & nos eius dicta firmamus vno corde, & vno consensu ex auctoritate Saluatoris IESV Christi Domini nostri, & beati Petri, atque beati Martialis, sanctorumq. aliorum Apostolorum, quibus proprie a Domino collata est potestas ligandi, atque soluendi. Quidquid hic pastor vobis a Deo datus confirmat, confirmamus, & quidquid destruit, destruimus: ligamus quos ipse ligat, benedicimus quibus benedicit.

His & huiusmodi peroratis, facto silentio, cum ad horam fractionis Dominici corporis ventum esset, atque ex more Archiepiscopus benedictionem populo funderet, superinterseruit beati Martialis nominis mentionem, ita dicens: Benedi- BENEDICTIO DATVR.
cat & custodiat vos omnipotens Deus, domumq. hanc sui * muneris præsentia illu- * numinis.
B strare, atque suæ pietatis oculos super eam die ac nocte dignetur aperire. Amen. Concedatq. propitius, vt omnes, qui ad solemnitatem anniuersariam dedicationis huius basilicæ hodierna die conueniſtis, intercedente beato Martiale Apostolo, & ceteris Sanctis suis, quorum reliquiæ hic pio venerantur amore, vobiscum hinc veniam peccatorum vestrorum reportare valeatis. Amen. Quatenus eorum interuentione ipsi templum sancti Spiritus, in quo sancta Deus Trinitas iugiter habitare dignetur, effecti, post huius vitæ labentis excursum ad gaudia æterna feliciter venire mereamini. & cetera, quæ Episcopali benedictione proferri solitum est] qua plenissime impertita, finis impositus est primæ Concilij huius Actioni.

In secunda autem, quæ extat, eiusdem Concilij Actione, post redargutos eos, qui ACTIO SECVNDA CONC. LEMOVIC.
negarent sanctum Martialem inter Apostolos Apostolum nominandum, recitati sunt
C canones viginti, nuper statuti in Concilio Bituricensi: quibus lectis, auditæ sunt diuersorum querelæ, vt illæ monachorum Bellouacensis monasterij sancti Petri, declamantium, regulari monasterio datum esse secundum Abbatem, idq. perperam factum, a Principibus sæcularibus, nempe Comite Tolosano, postea Comite Petragoricensi, inde Vicecomite Combronensi, qui sæculari Abbatiam dedit, illi videlicet, qui esset nepos Episcopi Caturcensis. Ad quæ audita ista dixerunt Episcopi: Ecclesiastica officia non secundum carnis originem, sed secundum meritorum virtutem distribui oportet. Cumq. ille clericus non monachus Abbas sæculari nobilitate ac generositate magnus, mox vocatus ad Concilium ante Episcopos reus astaret genibus positis, & super hac re iudicaretur secundum canones, ita respondit: O reuerentissimi Patres, hanc rogo iusto iudicio corrigite rem, & libenter consentio. Dixerunt Patres: Ido-
D neum ex regularibus monachis aliquem adducite ante dominum Iordanum, vt ipse eum regulariter ordinet Abbatem.]

His ita definitis, multaq. in detestationem sæcularium Abbatum, & laudem regularium ab eodem Iordano Episcopo peroratis; de Abbate, qui passus fuerat cæsum excommunicatum Vicecomitem in loco monasterij sepeliri, actum est. Quod redar- DE EXCOMMVNICATO SEPVLTO.
guentes Episcopi, pluraq. in detestationem facti inculcantes, quod excommunicatus ab Episcopo, ab vllo alio nec in vita, neque in morte absolui debeat: ad sui excusationem ita Abbas, rogatus suam agere causam, respondit, dicens exposcenti Iordano Episcopo: O domine pater, de hac re, de qua accusor, veritas vobis nuntiata non
E est. Absit a me, vt absque vestra licentia aliquando suscipiam excommunicatum: Ordo enim noster quanto sublimior est, tanto subiectior, & promptior ad obediendum Episcopis vt sit, necesse est. In Episcopis enim ipsum Dominum honoramus, & contemnimus, sicut ipse ait: [a] Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit. a Luc. 10.
Ecce idoneos testes adhibeo, quia ille Vicecomes excommunicatus, postquam prædando interfectus est (omnes enim prædantes excommunicari in omnibus Concilijs scimus) me ignorante a militibus suis ad monasterium nostrum deportatus est, cuius corpus neque susscepimus, neque sepeliuimus, sed sine officio sacro vltra aquam vehi iussimus, vbi milites ipsi, nullo astante clericorum, sepelierunt illud] longe nimirum a loco sacro. Accepta autem defensione Abbatis, eoq. absoluto ab accusatione falsa: eiusmodi occasione sepulturæ excommunicatorum, rem tunc memoria dignam, quæ nuper contigisset, in medium attulit vnus ex Episcopis, quam ipsa Acta sic habent:

Tunc Episcopus Caturcensis cœpit enarrare dicens: Nuperrime post Concilium Bituri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Bituricense quidam de excommunicatis eques in nostra diœcesi interfectus est, quem ego, rogantibus amicis, & propinquis eius, nullatenus soluere volui, vt ceteri metum haberent: grauem enim culpam prædantis habuerat. Itaque sine sacerdotis obsequio a militibus apud quamdam ecclesiam sancti Petri, non me iubente, sepultus est. Mane autem facto, corpus eius longe extra cœmeterium proiectum, & nudum super faciem terræ inuentum est: tumulus autem, vbi sepulturam habuerat, intactus, & ita, vt dimissus fuerat, repertus est. Quem iterum milites aperuere, & nihil in eo amplius nisi vestes, quibus inuolutum corpus fuerat, inuenerunt. Rursus cadauer ibidem sepelierunt, & diligenter tumulum sub enormi pondere terræ & lapidum claudunt: sed die altero proiectum cadauer, & tumulum intactum, vt supra, aspiciunt. Quinquies sepeliunt, toties eodem eiectum tenore contuentur. Tanto demum victi stupore, corpus longe a cœmeterio ecclesiæ terra obruunt. Quo terrore perculsi Principes militiæ, pacem nobis, velut optabamus, firmare nequaquam distulerunt. Ad hæc respondit Concilium: Quid hoc aliud est, nisi quia sub oculis hominum arbiter hominum affirmat Ecclesiæ suæ auctoritatem, quia excommunicati a sepultura Christianorum iuste ab Episcopis segregantur? Tales enim negant fidem, dum latrocinia potius, quam pacem sectantur &c.] his dictis, de ponendo sub interdicto omnes, qui pacem ecclesijs negant, Odelricus Abbas ita proposuit:

IRA DE EXCOMMVNICATO SEPVLTO IN LOCO SACRO.

DE INTERDICTO CONSTITVTO IN SEDITIOSOS.

Odelricus interea venerabilis pater familiæ beati Martialis, sedens in cathedra iuxta Primatem Lemouicesem, sacris, vt erat indutus, ornamẽtis, dare cœpit consilium Episcopis, dicens: Hic vos, chariſſimi, decernere oportet medicinam, quam contra generalem morbum adhibeatis. Si enim de pace tenẽda, sicut est vestra voluntas, principes militiæ Lemouicensis vrbis abstinuerint, quid contra ista erit agendum? Dixerunt Episcopi: Hæc iure petimus, chariſſime, ipse dato * consultum. Quibus ille: Nisi de pace acquieuerint, ligate omnem terram Lemouicensem publica excommunicatione, eo videlicet modo, vt nemo nisi clericus, aut pauper mendicans, aut peregrinus aduenies, aut infans a bimatu, & infra, in toto Lemouicinio sepeliatur, nec in alium Episcopatum ad sepeliendum portetur. Diuinum officium per omnes ecclesias latenter agatur, sed baptismus petentibus tribuatur. Circa horam tertiam signa sonent in ecclesijs omnibus, & omnes proni in faciem preces pro tribulatione, & pace fundant. Pœnitentia, & viaticum in exitu mortis tribuatur: altaria per omnes ecclesias, sicut in Parasceue, nudentur: & cruces, & ornamenta abscondantur, quia signum luctus, & tristitiæ omnibus est. Ad Missas tamen, quas vnusquisque sacerdotum ianuis ecclesiarum obseratis fecerit, altaria induantur, & iterum post Missas nudentur. Nemo in ipsa excommunicatione vxorem ducat: nemo alteri osculum det: nemo clericorum, aut laicorum vel habitantium, vel transeuntium, in toto Lemouicinio carnem comedat, neque alios cibos, quam illos, quibus in Quadragesima vesci licitum est. Nemo laicorum, aut clericorum tondeatur, neque radatur, quousque districti Principes, & capita populorum per omnia sancto obediant Concilio. Si quis vero probatus fuerit aliquo modo huius vinculi violator, non recipiatur nisi cum digna pœnitentia. Magnopere enim Episcoporum excommunicatio est obseruanda, ne forte plus irascatur furor Domini super nos, & super populum &c.] subijcit ibidem de recipiendis pœnitentibus quibuscumque: sed de his, qui paci non consenserint, hæc infert: Hi tales (inquit Synodus) & priuatim excommunicentur, vt sint segregati a communione corporis & sanguinis Domini: in ecclesiam intrandi nullam habeant licentiam: cum Christianis non comedant, neque bibant, neque ambulent: carnem non comedant, vinum non bibant: non tondeantur, neque radantur, ad nullas orationes proficisci præsumant: si infirmi fuerint, non visitentur a clerico, morientes, in ipsa excommunicatione, non sint de loco leuati, in quo mortui fuerint, nec cooperiantur lino, neque petra, neque aliqua munitione: substantiam eorum nullus pro animabus eorum in eleemosynam accipiat.

* consilium.

QVAE POENA IN EPISCOPOS TRANSGRESSORES.

Dictum in Concilio est: Si quis de Episcopis aliquotiens timore, vel amore, vel pecunia se inflexerit, vt secundum Concilium non distringat per iustitiam illum, quem distringere debet, & potest; siue absoluerit viuum, vel mortuum, quem absoluere non debet, aut in aliquo probatus fuerit violare Concilium, quod ipse cum alijs Episcopis instituit, ab ipsis Episcopis deponatur vsque ad spacium temporis, quod ipsi Episco-

Episcopi concorditer iudicabunt. Dixerunt Episcopi omnes: Placet nobis hæc propositio, & sic fiat. Similiter fiat de illo Episcopo, qui excommunicatum alterius Episcopi susceperit siue viuum, siue mortuum, vel in Episcopatu suo susci pi a quoquam permiserit, vel consenserit] hactenus Patres de his, quæ spectabant ad pacem conciliandam, ac retinendam. Et post alia de Pontifice Romano iniuste absoluente excommunicatos ab Episcopis, istiusmodi fuit in Synodo querela proposita, quæ ex Actis ipsis totidem hic reddenda est verbis. sic enim se habent Acta ipsa:

DE ACCIPIENTIBVS ABSOLVTIONEM A PAPA.

Rursum in Concilio conquisitum est de excommunicatis Aquitanigenis, qui ignorantibus Episcopis suis, a Romano Papa pœnitentiam, & absolutionem accipiunt, & hac de causa pax, & Concilium in Aquitania destruitur, dum, quos isti ligant, ille iniuste absoluit. Ad hæc venerandus Engelericus Cancellarius sanctæ Mariæ Anicien sis ecclesiæ cœpit explicare, dicens: Stephanus Aruernensis Præsul ante hos annos Pontium Comitem Aruernensem excommunicatione obstrinxit pro vxore legitima, quam dimiserat, & aliam duxerat. Quem cum nulla ratione vellet absoluere nisi emendatum; Comes a domino Papa absolutionem accepit, ignorante Papa, cum excommunicatum. Quod grauiter Episcopus ferens, conquestorias litteras Romam Apostolico misit: cui ille in hunc modum remisit epistolam:

PAPAE EPISTOLA PRO CONSERVANDIS IVRIBVS EPISCOPORVM. *a Ioan.* 21.

Quod nescienter egi, frater chariſſime, non mea, sed tua est culpa: scis enim, quia quicumque de vniuersa Dei Ecclesia, quæ est in toto orbe terrarum, ad me causa remedij recurrit, impossibile est mihi eius curam negligere, dicente Domino ad beatum specialiter Petrum: [a] Petre pasce oues meas. Quo ergo modo Sedes Apostolica poterit eijcere a liquem de medela, nisi rationabili causa? Debueras certe mihi, antequam illa * mortua ouis Romam veniret, eius causam tuis innotescere apicibus: * & eam ego omnimode abijcerem, tuamq. firmando auctoritatem, eam anathematis ictu reperuterem. Profiteor quippe, omnibus consacerdotibus meis vbique terrarum, adiutorem me, & consolatorem potius esse, quam contradictorem. Absit enim schisma a me, & a Coepiscopis meis. Itaque illam pœnitentiam, & absolutionem, quam tuo excommunicato ignoranter dederam, & ille fraudulenter accepit, irritam facio & cassam, & de illa nihil aliud speret, quam maledictionem, qua satisfacta, tu ipse absoluas] hactenus Papæ epistola, pergunt mox Acta:

* morbida.

* vt.

DE QVERELIS IN PAPAM RECANTATIO EPISCOPORVM

Dicebant ergo Episcopi ad inuicem: Frustra hæc querela aduersus caput nostrum mutire audet: Apostolicus enim absque culpa est, & potius nos culpabiles sumus, nisi litteris nostris ei notum faciamus de quibus volumus, vt absoluantur. Cum ergo tales deceperint Apostolicum, vt fraudulenter absoluantur ab eo, irrita est illa absolutio: ideoq. nec ab eo . . . . . nec de Episcopo Engolismense, qui præsens est, quod dico, quidam ex suis parochianis excommunicatus ab eo, dum satisfacere nollet, non poterat impetrare ab eo pœnitentiam, qui sine licentia Episcopi sui Papæ Romano surripuit pœnitentiæ legem, & litteras ex nomine eius Episcopo detulit in Cœna Domini, quibus Episcopum rogabat Apostolicus, quatenus illi pœnitentiam, quam imposuerat, affirmaret. Episcopus vero intelligens fraudem, ait homini: Versa vice, quod ego postulare debueram ab Apostolico, Apostolicus postulat a me: Non credere possum, hoc mandatum ab eo extortum, & hoc tibi nihil vtile est: & donec a me, vel ab huius sedis Archidiacono, me iubente, accipias pœnitentiam, permane in excommunicatione. & eiecit eum foras de ecclesia.

QVID PAPA IN POENITENTIIS.

Et dixerunt Episcopi: Hoc ab ipsis Apostolicis Romanis, & ceteris Patribus cautum teneamus. Vt parochiano suo Episcopus si pœnitentiam imponit, eumq. Papæ dirigit, vt iudicet vtrum sit, an non pœnitentia dignus pro tali reatu: potest eam confirmare auctoritas Papæ, aut leuigare, aut superadijcere. Iudicium enim totius Ecclesiæ maxime in Apostolica Romana Sede constat. Item si Episcopus parochianum suum cum testibus, vel litteris Apostolico ad pœnitentiam accipiendam direxerit, vt multoties pro grauissimis fieri solet reatibus, in quibus Episcopi ad dignam hæsitant pœnitentiam imponendam: hic talis licenter a Papa remedium sumere potest: nam inconsulto Episcopo suo, ab Apostolico pœnitentiam, & absolutionem nemini accipere licet] propter periculum surreptionis. & post nonnulla hæc subinferunt: Sic Apostolici Romani Episcoporum omnium sententiam confirmare, non dissoluere debent: quia sicut membra caput suum sequi s ita caput membra sua

Universidad de Deusto
Biblioteca

necesse est non contristari] nisi haud dubium ab eis erratum constet. A

Subijcit vero mox idem hæc quæ sequuntur, ad ea, quæ dicta sunt, confirmanda, in exemplum adducta. Referam vero ad ædificationem, quod dudum de illo milite contigit Vascone, qui iubente Duce Vasconum * Sancto, Seniorem suum decollauit, inuitus tamen, & terrore Ducis, & perterritus id egit, interminante irato Duce, & dicente: Nisi istum occideris, occidam te. vno ergo ictu Seniorem proprium decollauit. Et grauissimo dolore repletus ad Episcopum suum pœnitentiæ causa recurrit. Cui ille compassus dixit: Debueras pro Seniore tuo mortem susci pere, antequam illi manus aliquo modo inferres, & Martyr Dei pro tali fide fieres: sed grauissimum reatum egisti, & nobis inauditum. Nescio tibi consilium ferre pœnitentiæ, sed vade quanto citius ad Papam Romanum: si tibi ille pœnitentiam concedit, & ego gaudeo & confirmo. Si te ille abiecerit, numquam nec a me, nec ab aliquo inuenies pœnitentiam. Quod ille concitus impleuit, & cum testibus detulit secum litteras Episcopi sui. Et cum Apostolicus secunda Paschali feria apud sanctum Petrum sacra agens post Euangelium resedisset, cœpit ille reus ante eum in conspectu totius Ecclesiæ grauissime plorans & suspirans exclamare, dicens: Pœnitentiam volo, domine: pœnitentiã volo, domine. Et Apostolicus ijs, qui dextra, læuaq. ei assistebant, ait: Requirite pro qua culpa. Ille inquisitus, nihil aliud dicebat, quam, Creatorem meum offendi, Creatorem meũ offendi. Cui Apostolicus: Cur, inquit, Episcopum tuum non expetebas? & ille: Episcopus meus me misit ad te. Tunc testes Apostolico suggesserunt culpã, atque litteras Episcopi protulerunt. Sic Apostolicus Episcopo, qui a dextris eius stabat, locutus est, dicens: Recogita auctoritatem diuinam, quali pœnitentia hic mortuus possit viuificari. & Episcopus ait: Dominus dixit in Euangelio: Omnis qui reliquerit domum, vel fratres vel sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros . . . . .] reliqua desunt. Porro eo tendere visa est Episcopi responsio ista; nimirum, vt sæculo renuntians peteret monasterium, vbi ad obitum vsque in perpetua viueret pœnitentia. Sed ex ijs quæ dicta sunt, illud magnopere obseruandum, quod inter ipsa Missarum solemnia de peccatore pœnitente oblatum iudicium, non est iussum differri, nec reijci in aliud tempus peccatorem pœnitentiam implorantem, sed audiri, & eius saluti opportunis remedijs consuli. quod secundum sanctum Gregorium nullum gratius Deo sacrificium offeratur, quam animarum salus, ipsa conuersio peccatorum, propter quos ipsum incruentum Deo sacrificium offeratur.

DE POENITENTE ROMAM MISSO. A SVO EPISC. B C

In eadem Lemouicensis Concilij Actione secunda, dum de impedimentis actum est, quibus prohiberetur aliquis ad sacros ordines promoueri, recitatum est, quod nuper Romanus Antistes ad sanctum Odilonem Cluniacensem Abbatem rescripsit: Acta enim ipsa ita se habent: Ille qui adhuc viuens est, qui Stephanum Episcopum dolo occidit, cum non inueniret pro tanto crimine pœnitentiam, Cluniacum cœnobium petijt: monachus ibi effectus est: qui legere, & cantare tamquam peritus clericus sciens, ab Odilone Abbate cogitabatur offerri Episcopo ad gradus altaris. At prouidenter tractans venerandus Abbas, litteris directis ad Papam Romanum, consultum expostulat, & crimen monachi intimat. cui Apostolicus talia remandat: D

S. ODILO CONSVLIT PAPAM DE PROMOTIONE SACRILEGI.

Impossibile est, talem ad aliquem gradum prouehi, neque etiam offerre oblationem ad manus sacerdotis; ne forte pro eo vno in plures furor Domini descendat. sed nec communionem sanctam accipere potest: in exitu autem vitæ pro misericordia ei viaticum detur. Nihil hic aliud quam luctum agat, si illic forte misericordiam inueniat.] hactenus Papæ rescriptum. pergunt Acta: Ita hactenus ille viuit, permanens in pœnitentia, non offerens, non communicans] hucusque de his, quæ spectant ad rescripta temporis huius Romanorum Pontificum ex Actis Concilij Lemouicensis, hoc tempore, vt vidimus, celebrati ad declarationem eorum, quæ ex Glabro sunt recitata, relinquente multa inuoluta silentio; addente vero alia plura indigna prorsus Episcopis Gallicanis, penes quos, vt vidimus, aduersus Principes, inuadentes res ecclesiasticas, Apostolica censura vigebat. Tertia autem eius Synodi Actio a Patribus indictæ desideratur. E

PAPAE RESPONSIO AD ODILONEM.

Eodem anno, vbi Hermannus Archiepiscopus Hamburgensis successit in locum Libentij, palliũ accepit a Benedicto Pontifice, de quo plura habet [a] Adam in Chronico.

[a] Adam lib. 2. cap. 49. 50.

Eodem anno Conradus Imperator Burgundiam sibi relictam a Rudolpho armis subegit;

A subegit; cum & Burchardum Lugdunensem Archiepiscopum (vt ait [a] Hermannus sui temporis scriptor) genere nobilem & strenuum, sed per omnia scelestum & sacrilegum, cum multis alijs Principibus in deditionem accepit, subiugatoq. Burgundiæ regno redijt] hæc ipse. Sed quæ his subijciat Glaber, de Burchardo seniore agens, audiamus: [b] Fuit igitur in suprataxatis diebus dissensio permaxima post mortem Burchardi Archipræsulis Lugdunensis, de præsulatu ipsius sedis, quam plures non iustis appetebant meritis, sed instinctu superbæ elationis primus omnium prædicti Burchardi nepos eiusdem æquiuocus, supra modum superbissimus, relicta sede propria Augustanæ ciuitatis, procaciter Lugdunensem arripuit: qui post multas perpetratas nequitias captus a militibus Imperatoris, perpetuo est condemnatus exilio. Post ipsum vero quidam Comes Gerardum filium suum paruulum quemdam arroganter B ibidem, sola præsumptione auctore, substituit, & ipse post modicum, non vt pastor ouium, sed veluti mercenarius in fugam versus delituit. Quæ omnia dum perlata fuissent Romano Pontifici, suggestum est ei a viris fidelibus, vt sua auctoritate patrem Odilonem Cluniacensis monasterij Abbatem ibidem eligeret consecrari pontificem. Sic enim totius Cleri, ac plebis optans acclamabat deuotio. Qui protinus mittens eidem patri pallium simul & anulum, imperauit eumdem prædictæ ciuitatis fore Archiepiscopum. Sed vir religiosus suæ humilitatis attendens propositum, omnimodis renuit fieri, pallium, & anulum suscipiens, illi, qui Deo dignus existeret, reseruauit futuro pontifici eiusdem sedis] & post pauca: Contigit enim postmodum, vt Henricus Rex recepto regno Austrasiorum, dum * cœpisset huius dissensionis clademcondoluit, perquirens quid exinde agere deberet. Cui, dum apud Vesontionem C deuenisset, suggestum est tam ab Episcopis, quam ab omni plebe, vt virum æque tali ministerio dignum, Odelricum scilicet Lingonensis ecclesiæ Archidiaconum Lugduni constitueret pontificem. Qui protinus, vt suggestum fuerat, speciosissimis adornatum indumentis ad præfatam illum destinauit sedem. Illico nempe restituta est totius prouinciæ requies, & pax diu optata cum gaudio] hucusque de ecclesia Lugdunensi diu agitata discordijs, ac tandem optimi Præsulis substitutione pacata. At præterierunt ista, & multa alia de S. Odilone Petrum Damiani, qui eius vitam conscripsit, sed pertenuem quidem, longeq. imparem meritis tanti viri, de quo inferius dicendum.

[a] Herm. Contr. edit. vlt. ex cod. Augustan. hoc an. & 1036.

[b] Glab. lib. 5. cap. 4.

S. ODILO RECVSAT ARCHIEPISCOPATVM LVGDVNENSEM.

* f. accepisset,

Quod ad res pertinet Orientales, hoc anno, Indictione secunda, die vndecima mensis Aprilis, Romanus Imperator, cum imperasset annos quinque, & menses sex, ab D adultera coniuge Zoe Augusta veneno parato consumptus paulatim, sed necdum defunctus, opera eiusdem coniugis, & eius, qui in locum ipsius Michael origine Paphlago adulter est subrogatus, misere strangulatus interijt. Fuerat Michael arte argentarius, sed forma pulcherrimus, quem impudica femina deperibat, adeo vt nec propinquam viri mortem veneno curatam expectare potuerit. Ita enim, vt cæcus, ita & aliger quoque ob pernicitatem consueuit pingi impudicus Cupido. Etenim nec sacrosanctam pœnosam hebdomadam verita est: nam feria quinta adeo immane facinus perpetrauit. Porro Curopalates de inauguratione Michaelis ista subiungit:

ROMANI IMP. OBITVS, ET MICHAELIS CREATIO.

ZOES IMP. IMMANE SCELVS.

Hac nocte, cum sacrosancta Christi tormenta canerentur, accersitus est Alexius Patriarcha ab Imperatore, vt se cito ad palatium conferat: qui cum præsto fuisset, reperit mortuum Imperatorem Romanum. Illato autẽ triclinio in suggesto sedens Zoe educit Michaelem, & Patriarcham cogit ipsum secũ consecrare: qui verbis illius obstupefactus obmutuit, & benedictionem anceps differebat. Verum Ioannes cum Zoe, quinquaginta auri libris Patriarchæ, & quinquaginta Clero traditis effecit, vt dignos eos putaret, quos consecraret. Romanus autem Imperator, vt diximus, interemptus in monasterio a se recens condito illustri sepelitur, ipso magno Parasceues die. Zoe autem Michaelem in regio throno a se collocatum, existimauit se pro viro & Imperatore seruum ac ministrum habiturum, & iam patrijs eunuchis in palatium introductis, strenue aggrediebatur publica munera. Verum ei omnia præter spem aperte succedere & contra sententiam. Nam Imperatoris frater vir strenuus, & rerum peritus, simulatque in Regiam ingressus est, fratri metuens, Reginæ eunuchos a palatio amouendos curat, & fidelissimas eius ancillas eijcit, & mulieres sibi cognatione propinquas custodes eius imposuit, & nulla res aut parua aut magna gerebatur, nisi eo volente,

E

Universidad de Deusto
Biblioteca

lente, & prorsus ab omnibus illa prohibebatur, ac ne balneum quidem attingebat, A
nisi eo volente &c.] inferius autem ista subijcit:

Non placuisse autem Deo quæ fiebant, statim ex ipsis exordijs demonstratum est. Vndecima enim hora sanctæ & magnæ Dominicæ decidit intolerabilis & violenta grando, adeo vt confringerentur non solum arbores siue fructuosæ siue infructuosæ, sed etiam domus corruerent, & templa vsque ad solum, & segetes, & vites. quare fuit hoc ipso tempore magna omnium frugum & fructuū inopia] Accidit illud valde prodigiosum, vt quem omnium pulcherrimum Zoe sibi delegerat in maritum: idem nouo accidente in vindictam sceleris diuinitus orto, fieret deformissimus. Etenim (vt idem subdit Curopalata) arreptus a diabolo, dæmoniacus euasit, a quo horrendis modis distorqueretur: nec valuit vllo remedio, siue sacro per viros ecclesiasticos procurato, siue a medicis adhibito, aliquo modo sanari, sed ad obitum vsque ostentui factus B
omnibus mansit in exemplum diuinæ vindictæ. secuta sunt & alia mala iræ Dei indicia manifesta. Nam eodem anno agmina locustarum exorta per triennium sunt omnia vsquequaque depasta, cum hæc per visum ostensa fuisse sacro ministro, idem sic recitat Curopalata:

MICH. IMP. ARREPTVS A DAEMONE.

VISIO OSTENSA DE MALIS VENTVRIS.

Quidam ex ijs, qui ministrabant Episcopo, per visum ista diuina reuelatione cognouit. Existimabat videre eunuchum quemdam alba veste indutum, forma splendentem, qui tribus apud se saccis appositis, iussus fuerat vnum euacuare, deinde alterum, postremo tertium. Qui cum fecisset quod iussus fuerat, primus serpentes & scorpiones eiecit; alter rubetas & aspides, & basiliscos, & cerastas, & alia id genus venenata animalia; tertius scarabæos, & culices, & vespas, & alia quædam, quæ in posteriore parte gestant aculeum, vt crabrones. & ille quidem propter id quod viderat, C
mutus erat. At splendidus ille vir, cum eum ad seipsum accersiret: Hæc, inquit, aduenere, & venient in vos, propter violata Dei iussa, & nefarium facinus admissum in Romanum Imperatorem, & in eius cubile: & hæc ita euenere] hæc ipse. Qui sequentibus annis quæ accidere infausta, recensetnempe frequentes terræmotus, & terræ hiatus, quibus quinque absorpta sunt oppida, barbarorum incursiones, siccitates, grandines, & alia id genus ingentia mala.

RVSSIORVM ECCLESIA ILLVSTRATA.

Hoc eodem anno cultum Ecclesiæ Russicæ propagatum esse a Russorum Duce, Longinus in Annalibus Polonorum testatur his verbis: A bellis ad religionem Iorasdixlaus Russiæ Dux conuersus plura monasteria non solum virorum, sed & feminarum, plurasq. ecclesias in Kijom fundat & ædificat: extruit deinde sumptuoso D
muro ecclesiam sanctæ Sophiæ, cuius turrim tabulis deauratis tegit, ecclesiam vero vasis aureis & argenteis, libris, vestibusq. pretiosis dotat.]

Polonorum vero Ecclesiæ status admodum labefactatur: defuncto enim hoc anno Mieczslao Rege, sub quo Bohemi, Moraui, Ruteni & Cisalbini populi, insuper Lubecenses, & Magnopolitani, alijq. a parente sub iugum redacti, a Polonorum dominio defecere: ad postremum vero in eiusdem Polonorum Principatus exterminium in eligendo Rege dissidio scissis inter se Principibus, magno prouinciæ damno, incredibiliq. ecclesiarum iactura septem annorum spacio interregnum perseuerauit, expulsa Regina, eiusq. legitimo regni successore, qui in Germaniam sunt profecti. Casimirus vero Regni legitimus heres sapientiori consilio nuntium remittens sæculo, Cluniacensium monachorum arripiens institutum, tunc disciplina florentissimum, Cluniaci mutato E
ex Casimiro in Carolum nomine & habitu, vitam monasticam solemni ritu profitetur. quomodo autem ad regnum fuerit reuocatus, suo loco dicetur.

CASIMIRVS REGIS POLON. FILIVS MONACHVS CLVNIAC.

IESV CHRISTI ANNVS 1035. BENEDICTI IX. PAP. ANNVS 2. CONRADI IMP. 9. MICHAELIS IMP. 2.

BERENGARIVS HAERETICVS RVRSVM EMERGIT.

SEQVITVR annus Christi millesimus trigesimusquintus Indictione tertia, quo magnam Synodum Triburiensem collectam esse, Hermannus testatur in Chronico a Canisio nuper edito ex codice Augustano, sed Acta eius hactenus latent, vel periere. Quo etiam tempore Berengarius Turonensis, Andegauensis Archidiaconus, cuius error de veritate corporis Christi in sacramento Eucharistiæ negata fuerat (vt vidimus)

A dimus) a Roberto Rege damnatus, vt nedum asseri, sed nec audiri eo viuente permissus sit: eo iam defuncto, liberius absque obice hæresim promulgare atque firmare ausus est, annitente Brunone Andegauensi Episcopo, quem in eamdem vesaniam, aucta errorum propagine, non solum decipiendo perduxerat, sed & propugnatorem acerrimum constituerat. Cum vero nefandæ blasphemiæ rumor iam Gallias vniuersas implesset, necnon Germanias peruasisset: Henricus Francorum Rex Christianissimus, Roberti parentis vt regni, ita & pietatis heres, eius exemplo ad condemnandum errorem, profligandam hæresim, penitusq. obruendam, vt nullatenus amplius audiretur, ocyus exurrexit, quamuis suorum ciuili bello teneretur iugiter occupatus; probe sciens, tunc reddi sibi Deum propitium ad debellandos infestos hostes, cum emergentes hæreses comprimuntur, & regia potestate, ne vel mutire audeant, conti-
B nuo strangulantur; reddiq. tunc pacificum, atque diuina protectione securum regnū, cum Rex sollicite curat eius Ecclesiam ab omni prorsus hæresis labe impollutam integramq. seruare. Quamobrem paterno exæstuans zelo, impiger ad conficiendum monstrum, ab inferis portis nuper emersum, & magna omnium admiratione, sed maiori detestatione auditum, regia tuba milites conuocat, cum videlicet totius regni Episcopos ad Concilium vocat. Quoniam autem sicut periculosum valde est sine consilio inire certamen; ita sine consilio Concilium agere: ne id tum faceret, suis litteris monuit eum, & quidem iusta de causa, atque euidenti ratione vir disertissimus atque sanctissimus Durandus Leodiensis Episcopus, qui licet humili loco natus, tum litteris, tum moribus nobilem illam suo tempore illustrauit ecclesiam. cuius epistolā
C doctissimam quidem, quæ adhuc supereſt, hic describere ad veritatem in primis intelligendam, necessarium duximus. sic enim se habet eius inscriptio: [b]

HENRICI REGIS ZELVS ADVERSVS HAERESIM BERENGARII.

a Mach. 5.

b habetur to. 3. biblioth. Sanct. in fine.

DVRANDI EPISC. EPIST. AD HENRICVM REGEM.

Ex bibliotheca Ludouici Martelli Rothomagensis incipit epistola Durandi Leodiensis Episcopi, de corpore & sanguine Domini, contra Brunonem Andegauensem Episcopum & Berengarium Turonensem.

Fama supremos Galliæ fines prætergressa totam Germaniam peruasit, iamq. omnium nostrum repleuit aures, qualiter Bruno Andegauensis Episcopus, item Berengarius Turonensis antiquas hæreses modernis temporibus introducēdo, astruant corpus Domini non tam corpus esse, quam vmbram & figuram corporis Domini; legitima coniugia destruant, & quantum in ipsis est, baptismum paruulorū euertant. Quos ad reuincendum & publice confutandum, eo zelo, eoq. feruore, quo erga sanctam Ecclesiam diuina inspiratione plurimum semper ardetis, aiunt vos Conciliū aduocasse, vbi
D tandem illud totius nobilissimi regni vestri heu nimis turpe opprobriū de medio auferatis, & in æternum, si fieri potest, ab ipsa * omnium memoria deleatis. O pia voluntas, & vere Rege dignissima! quæ vtinam effectū habere posset, vt in tanto sacrilegio conuictos (quod certe facillimum est) absque vlla dilatione debita vltio consequeretur.

* hominum

Sed desperamus id fieri posse, cum Bruno existat Episcopus: Episcopum autem non oportet damnationis subire sententiam, præter Apostolicam auctoritatem. Igitur omnes, quicumque sumus filij sanctæ matris Ecclesiæ, in maximo dolore positi sumus. Nam plurimum veremur, si illis miserrimis & perditissimis viris audientia sancti Concilij (sicut ipsi de pœna securi postulant) permittatur, cum de tanta præsumptione reuinctos puniri minime concedatur, grauissima scandala in omnium Fi-
E delium populo generari. Certe quod videbunt impunitos, & nequaquam a sui gradus honore deiectos: eosdem putabunt ab omni Concilio, aut vinci non potuisse, aut iustificatos esse: eruntq. (vt ita dicam) nouissima peiora prioribus.

SOLIVS ROMANAE SEDIS DEPONERE EPISCOPOS.

Ergo maiestatem tuam omnes exoratam vellemus, vt interim illorum impiam sacrilegam & nefariam assertionem audire contemneretis, donec accepta Romanæ Sedis audientia, damnandi potestatem haberetis. Quamquam huiusmodi homines nequaquam oporteat audiri; neque tam est pro illis Concilium aduocandum, quam de illorum supplicio exquirendum. Tunc quippe hæretici necessario audiendi fuerunt, quando hæreses ipsæ, & huiusmodi quæstiones, vtpote quæ nondum ad vnguem discussæ fuissent, in dubium venire potuerunt, vt per congressum certaminis patesceret, vtra pars staret pro defensione veritatis. Quod idem nunc profecto fieri non oportet, quia creberrimis sanctorum Patrum Concilijs, tum etiam venerabilium doctorum clarissimis sententijs ita omnia sunt eliquata, vt ne minimum quidem residerit de omni fæce

NON AVDIENDI SED DAMNANDI HAERETICI QVANDO SINT.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ni fæce dubitationis. Sed & nos ex multis, epistolari breuitate cogente, pauca exponemus & proponemus exempla, pertinentia ad corpus & sanguinem Domini. Ait itaque beatus Leo Papa &c.] recitatis enim contra Brunonem & Berengarium sancti Leonis Papæ, Cyrilli, Ambrosij, Augustini, Basilij, Eusebij, Hilarij, & Toletani Concilij verbatim sententijs, ita perorat: Quamobrem Brunonem & Berengarium iam anathematizatos arbitramur. Quod si ita est, vere illis audientia Concilij deneganda est: & cum vestris, cumq. nostris Episcopis (si ita vobis videtur) cum amico vestro Imperatore, cum ipso Papa, quæ vindicta in eos statuatur, deliberandum. Est enim iustum, vt quorum [a] manus sunt contra omnes; omnium manus etiam contra ipsos excitentur] hucusque Durandus. cuius aureæ plane epistolæ meminit [b] Guitmundus in commentario, quem scripsit de corpore & sanguine Domini.

a Gen. 16.

b Guitmund. lib. 1.

COERCITI HAERETICI LATENT AD TEMPVS.

His acceptis Henricus Rex Francorum litteris, bene a tanto Antistite persuasus, a cœptis creditur destitisse: non enim ipse dum vixit, aliquod fuisse contra Berengarium & socium impietatis collectum Concilium, memoria reperitur, sicut aliorum Conciliorum longe minoris momenti. Sed & quod, dum idem Christianissimus Rex superstes fuit, numquam auditus est Berengarius, vel ex suis aliquis quid impium mussitasse; æque coercitos funestos homines regia iussione fuisse, par est credere, atque petijsse abdita siluarum bestias truculentas, est dignum existimare: interea vero spumante ore, rabie acuisse dentes ad noua certamina, cuenta monstrarunt. agemus autem de his suo loco.

LEODIENSIS ECCL. LAVS.

Quod autem ad Durandum Leodiensem Episcopum spectat, falli constat Sigebertum, qui eius ingressum ponens anno Domini millesimo vigesimoprimo, rursum anno post millesimum vigesimumquintum alium in locum eius subrogatum habet Reginardum, cum tamen ad hæc saltem tempora primordia Henrici Regis, ad quem scripsit, peruenisse, nulla dubitatio esse possit. Non sic Hermannus, cum eiusdem Durandi meminit, qui nequaquam eo termino claudit eius Episcopatum. Vides Lector, prima spicula in virulentum draconem vibrata fuisse a nobilissima ecclesia Leodiensi, Catholicæ Fidei tenacissima, in primis vero ab eius Episcopo Durando, nec non ab eiusdem ecclesiæ Scholastico; inde vero Brixiensi Episcopo Adelmanno, cuius lucubrationis superius alia occasione meminimus. reliqui autem aduersus eumdem longe postea conscripsere. Adelmannus vero (vt superius dictum est) discipulus fuit Fulberti Episcopi Carnotensis, cum eiusdem malus auditor Berengarius esset. Extat huius epistola ad Berengarium, hac notata inscriptione:

ADELMANNVS LITTERIS MONVIT BERENGARIVM.

Dilecto in Christo fratri conscholastico Berengario Adelmannus salutē in Domino. Collactaneum te meum vocaui propter dulcissimum illud contubernium, quod cum te adolescentulo ipse ego maiusculus in academia Carnotensi sub illo venerabili Socrate, *nempe Fulberto*, duxi &c.] hæc, cum iam se palam ab ecclesia diuulsisset Berengarius: nam post nonnulla eius exordio posita habet ista: Auertat Dominus a te, sancte frater, semitas tales, & conuertat pedes tuos in testimonia sua, & mendaces ostendat, qui famam tuam tam fœda labe maculare nituntur, spargentes vsquequaque, vt non solum Latinas, verumetiam Teutonicas aures, inter quas diu peregrinor, repleuerint, quasi te ab vnitate sanctæ matris Ecclesiæ diuulseris, & de corpore & sanguine Domini aliter quam Fides Catholica teneat, sentire videaris &c.] Confutat errorem, arguit temeritatem, damnat audaciam, retundit procaciam, hortaturq. ad resipiscentiam. His clamoribus vndique longe lateq. de Berengario sparsis, permotum Henricum Francorum Regem ad eam cogendam Synodum, quam audisti, iure possumus affirmare. Porro sic zizania exorta vsque ad messem excreta, falce Leonis Papæ Noni primum sunt duplici Concilio resecata, anno Redemptoris millesimo quinquagesimo tum Romæ, tum Vercellis, præsidente eodem Leone Pontifice ijsdem ab eo conuocatis Concilijs. de quibus suo loco dicturi sumus.

IESV CHRISTI ANNVS 1036. BENEDICTI IX. PAP. ANNVS 3. CONRADI IMP. 10. MICHAELIS IMP. 3.

SEQVITVR millesimus trigesimusextus Christi annus, Indictione quarta inchoatus, quo Benedictus Papa audiens defunctum Hermannum Archiepiscopum Ham-

Hamburgensem, atque in locum eius subrogatum Alebrandum, virum omnibus virtutibus excultum, ex ecclesia Colonienſi petitum, ad eum pallium misit. hæc pluribus [a] Adam, qui res ab eo præclare gestas describit.

a Adam lib. 2. cap. 51.

CONRADVS IMP. IN ITALIAM VENIT.

Hoc etiam anno Imperator [b] Italiam petijt extremo tempore, vt tumultus compesceret, Veronæq. diem Natalem Domini celebrauit. quæ autem reliquæ eius fuerint in Gallia Cisalpina res gestæ, vt suo singula reddantur loco, dicetur anno sequenti.

b Herm. in chr. hac & seq. ann. ex edit. Cuſp.

S. GVTHARDI EPISCOPI OBITVS.

Quo anno ex hac vita migrauit ad cælestia sanctus Gothardus Episcopus Hildesemensis, qui plane egregia enituit sanctitate, plurium charismatum donis diuinitus illustratus. Cuius res præclare gestas sicut simpliciter, ita & fideliter auctor eius temporis scripsit. Contigit transitus eius Dominico die infra octauam Ascensionis, sicut ipse spiritu prophetico pollens iam ante sæpe significarat, cum post mediam noctem Matutinas preces inchoantibus fratribus, ventumq. esset ad canticum [c] Zachariæ, & postremus versus cantaretur a Clero: Illuminare his qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent] ipse licet in agone desudans, proferens reliqua versus verba illa: Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis] in pace quieuit, illustratus a Deo plurimis miraculis, eiusdem egregiæ sanctitatis indicibus. petat res de eo tunc scriptas, qui viri sanctissimi adhuc plura scire desiderat. hæc enim ad institutum satis.

c Luc. 1.

CLADES INGENS POLONORVM ECCLESIAE.

Eodem quoque tempore exagitata est Ecclesia Polonorum turbulentissimo interregno, cum prouincia illa, ciuili bello ingrauescente, facta est externorum hostium præda, incursantibus eam Bohemis, atque Rutenis, cunctaq. sacra, atque profana prædantibus. Narrat ista fusius Ioannes Longinus canonicus Cracouiensis, qui & Dlugoschus, tantumq. malum hoc anno cœptū male propagatum vsque ad annum Redemptoris quadragesimumprimum narrat, cum creatus Rex Casimirus, tamquam orto sole, feræ bestiæ in sua se latibula conuerterunt. Interea autem interregno durante, Brzetislaus Bohemiæ Dux destitutam Rege prouinciam, dilaceratamq. bello ciuili peruadit, spoliat, ac prædatur, non parcens sacris, quæ adhuc intacta reperit, nondum ausa nefaria manu Deo dicata dona pertingere, quibus tam in auro, quam gemmis ex Regum piorum munificentia illæ ecclesiæ abundabant. hæc omnia ausus Dux Bohemus, impulsore Seuero Pragensi Episcopo, cuius suasu ab eodem corporibus Sanctorum Gnesnensis ecclesia est spoliata: Nam (vt ait) S. Gaudentio, loco S. Adalberti, & sanctis Martyribus quinque fratribus (de quibus superius) illuc a Boleslao Rege translatis: eadem magno honore in Pragensem ecclesiam transtulere. Insuper imaginem Crucifixi ex auro puro trecentarum pondo librarum, cum imagine Christi pendentis in cruce, triplicis ponderis: tres insuper tabulas primarij altaris ex auro purissimo gemmis ornatas tunc item ab ecclesia Gnesnensi per eosdem sublatas, Pragamq. translatas, in ecclesia cathedrali fuisse repositas tradit. Hæc insigniora recenset auctor præter alia innumera diuersi generis ornamenta in vasis, & vestibus sacræ supellectilis, quæ narrat tunc fuisse direpta.

CONTRA ALEXIVM PATRIARCHAM INSIDIAE.

Quod ad res pertinet Orientis, hoc anno aduersus Alexium Patriarcham Constantinopolitanum Synodum celebrant seorsum Episcopi ipsi subiecti, vt eum gradu deponerent, idq. in gratiam Ioannis fratris Imperatoris, eum thronum ambientis. at quomodo irritum redditum est omne quod moliti sunt consilium, Curopalata sic narrat: Cum vero Ioannes supra modum Constantinopolis sedem amaret, inita societate Demetrius Episcopus Cyzici, Antonius Nicomediæ, Sydæ, & Ancyræ germani fratres cum alijs Metropolitanis consilium iniere de abdicando Alexio, & pro ipso Ioannem constituendo. Ad quos Patriarcha Alexius cum parte Ecclesiæ litteras in hanc sententiam misit, quibus quo minus iure possit, eo magis callida arte illos omnes eluſit:

ALEXII AD EPISCOPOS RESPONSIO.

Quando, vt asseritis, non suffragio Archiepiscoporum, sed Imperatoris iussu ad sedem ascendi contra canones: abdicentur ij, quos ego Metropolitanos elegi, dum vndecim annis cum dimidio insuper Ecclesiam gubernaui. Anathemate etiam percutiantur Imperatores tres, quos ipse coronaui, & ita cuilibet volenti sedem cedā.

Hoc nuntio accepto qui cum Demetrio erant, & pudore, & metu perfusi (plures enim ab ipso delecti fuerant) quiescere decreuerunt ac silere: & in reliquo Ioannes continuit sedis obtinendæ appetitum] hæc Curopalata, qui eodem anno iam inchoata Indictione quinta, nempe Decembris mense, concussam ciuitatem terræmotu recenser. eadem & Cedrenus, & alij.

Universidad de Deusto
Biblioteca

BENEDICTVS PAPA CONVENIT CREMONAM AD CONRADVM IMP.

MILLESIMVS trigesimusseptimus annus exurgit cum Indictione quinta, quo Benedictus Papa ad Imperatorem Cremonam se contulit, laborantem aduersum Archiepiscopum Mediolanensem, Imperij perduellem. de his enim in Hermanni Chronico editionis Canisianæ ista leguntur: [a] Imperator celebrato Veronæ Natali Domini, per Brixiam & Cremonam Mediolanum peruenit: idem Papiam adiens, Heribertum Mediolanensem Archiepiscopum infidelitatis accusatum apprehendi iussit, eumq. Popponi Patriarchæ Aquileiensi custodiendum commendauit. Qui fuga elapsus, cunctis viribus eidem Imperatori rebellare contendit. Imperator Paschali festo Rauennæ acto, territorium Mediolanense repetijt, vrbem obsedit, castella, villas, omniaq. circum ad rebelles pertinentia vastauit; coniuratorum vero manum facile compescuit, eisq. legem, quam & prioribus habuerant temporibus, scripto roborauit. Papa Benedictus Cremonam ad Imperatorem venit. Episcopi Placentinus, Cremonensis & Vercellensis incusati ab Imperatore, captiq. & in exilium missi] hæc Hermannus eius temporis scriptor. Porro ista aduersus Episcopos decreta, etsi haud inconsulto Romano Pontifice, qui aderat, fecisse existimandum sit; tamen haud Deo placuisse, ex sequenti immissa cælitus vltione per pestilentiam, quæ & suam pertigit domum, de qua suo loco dicturi sumus, intelligi facile potest.

a Herm. hoc an. & sequenti.

Sed & quid tunc temporis eidem Conrado Imperatori apud Mediolanum regni coronam ad Missam accipienti contigerit, ex Sigeberto sic accipe: Die vero Pentecostes, cum Imperator in parua ecclesia secus vrbem coronaretur ad Missam, tam grauia fuerunt tonitrua & fulgura, vt aliqui mente excederent, aliqui exhalarent. Bruno vero Episcopus qui Missam canebat, & secretarius Imperatoris cum alijs tribus dixerunt, se inter Missarum solemnia vidisse sanctum Ambrosium, Imperatori indignando comminantem. Tunc Imperator Italia discessit] hæc Sigebertus, sed anno non suo, nempe trigesimonono post millesimum.

S. AMBROSIVS COMMINATVR CONRADO IMP.

BENEDICTVS PAPA CANONIZAT S. SIMEONEM.

Hoc eodem anno idem Benedictus Papa retulit in Sanctorum numerum Simeonem Anachoretam inclusum apud Treuiros, agente Poppone Archiepiscopo Treuirensi, cum idem Sanctus eodem anno ex hac vita migrasset: cuius res præclare gestæ, expoſcente eodem Archiepiscopo, scriptæ sunt ab Eueruino [b] Abbate. extant ipsæ quidem omni fide consignatæ. Mentio est eiusdem Sancti in Actis Concilij Lemouicensis, deq. eiusdem inter Sanctos facta relatione Trithemius agit hoc anno in Chronico Hirsaugiensi.

b Apud Sur. die 1. Iun. tom. 3.

REGNVM LEGIONENSE ET CASTELLAE SIMVL IVNCTA.

Quod ad rerum Hispaniarum statum attinet, bello ciuili inter se pugnantibus Regibus, hoc anno occiso Rege Legionensi Veremundo a Magno Fernando Castellæ Rege, iuncta sunt postea simul in vnum duo illa regna. de obitu Regis Legionis est vetus sepulchralis inscriptio his verbis:

HIC EST CONDITVS VEREMVNDVS IVNIOR REX LEGIONIS, FILIVS ADEFONSI REGIS. ISTE HABVIT GVERRAM CVM COGNATO SVO REGE MAGNO FERNANDO, ET INTERFECTVS EST AB ILLO IN TAMARA PROELIANDO ERA M.LXXV.] Anno sequenti a nece Veremundi occupata Legione, habita est initiatio Fernandi, seu Ferdinandi in Regem Legionensem, in ecclesia sanctæ Mariæ, coronante eum Seruando Legionensi Episcopo feria quinta, mense Iunij, die eiusdem vigesimasecunda, vt auctor est Rodericus. Ex quo tempore idem Rex magnopere propagauit principatum: cuius victoriæ causa visitauit profectus Compostellam Iacobum Apostolum, cuius precibus esset de hostibus victoriam consecutus, nuncupata vota persoluens.

IESV

BENEDICTVS PAPA CVM IMPERATORE ROMAM VENIT.

ANNVS adest Redemptoris millesimus trigesimusoctauus, Indictione sexta, quo Imperator cum Benedicto Pontifice Romam se contulit ad comptimendam tyrannidem Pandulphi Principis Capuani. Sed quæ funesta, antequam Romam se conferret, & Parmæ se contineret, acciderint, ab Hermanno sic breuiter accipe: Cum Imperator Natalem Domini Parmæ ageret, orto inter Parmenses ciues, & exercitum tumultu multi ceciderunt, & pluribus ciuibus trucidatis, ipsa ciuitas incendio consumpta est] post hæc autem Romam venisse testatur. At hæc de clade Parmensi ad superiorem annum potius pertinere videntur, si ratio habeatur semel initi instituti a Kalendis Ianuarij annos singulos exordiendi.

Porro veniendi Romam, & inde in Campaniam aduersus Pandulphum duplex legatio Cassinensium monachorum ipsum Conradum Imperatorem permouit, vt Leo Ostiensis testatur his verbis: [a] Cum iam omnipotens Deus tantis iniquitatibus, tantisq. sancti huius loci direptionibus decerneret modum imponere, & orationes, ac gemitus seruorum Dei, pupillorumq. ac viduarum, pauperumq. singultus ac lacrymæ in cælum intra ipsum auditionis sacrarium admissæ essent: anno diuinæ Incarnationis millesimo trigesimooctauo Conradus Imperator cum exercitu valido transmissis Alpibus in Italiam venit, adijtq. Mediolanum: namque eiusdem ciuitatis Archiepiscopo valde erat infensus. Illuc ex monasterij nostri maioribus quidam adeuntes, qui iam ad illum dudum in Germaniam, exposituri calamitates suas, profecti fuerant, quænam per tot annos a Pandulpho incommoda, quæ mala, quantasq. pressuras pertulerint, flebiliter conquerentes, denuo illi retulerunt, orantes, atque supplicantes, vt venire dignaretur ad beati Benedicti cœnobium, quod maiores sui eatenus sub sua protectione reuerenter habuerant, & de pernitiosi tyranni manibus dignaretur eripere] hæc de legatione duplici Leo.

a Leo Ost. in Chron. Cassin. lib. 2. c. 66.

LEGATIONES CASSINENSIVM AD IMPERATOREM.

Sed antequam res gestas aduersus tyrannum hic describamus, quis iste fuerit, in memoriam reuocandum, & quæ facinora eius fuerint, sunt recensenda. Conradi præcessor Henricus in Italiam veniens, hunc ipsum Pandulphum Principem Capuanum conspirantem cum Græcis aduersum Romanum Imperium, captiuum in Germaniam secum duxit, qui ipso Henrico defuncto, a nouo Imperatore Conrado obtinuit, vt reuerteretur in patriam, vbi vitam priuatam duceret. Reuersus autem, auxilio Græcorum, atque Northmannorum Capuanum principatum recuperauit, atque Neapolim in suam potestatem redegit: nec his contentus circum circa loca vastauit, eademq. sibi tyrannice vendicauit, & bona monasteriorum, præcipue Cassinensis sibi sacrilege subegit. de quibus hæc habet idem Leo Ostiensis post alia de eodem viro sceleſtissimo enarrata, atque de Leone monacho, qui solus resistere ausus est, hæc ait: [b] Nihil tunc monachis reliquum erat, nisi vt cum Ieremia lamentarentur, ac dicerent: [c] Serui dominati sunt nobis, non fuit, qui eriperet nos de manibus eorum. Supererat adhuc domnus Leo ille, maior ecclesiæ custos: is die quadam Refectorium ingressus, cum seruos, vt diximus, ad exequendum id ministerium reperisset, zelo religioso succensus, illos quidem foras cum magno dedecore expulit. Ad Fratres vero conuersus: Quousque tandem, ait, sub tanto nostri ordinis opprobrio, sub tam iniquo & impio nostrorum seruorum dominio remoramur? & omnes vnanimiter hinc exeuntes ad Imperatorem vltra montes proficiscamur, eiq. nostræ calamitatis historiam plenam lamentis referamus! Ad hanc vocem exhortantis cuncti animos erigentes, simul illum sequi cœperunt. Hoc Todinus (ille seruus nequam) per nuntium cognito, festinus ascēdit, & illos longiuscule a monasterij porta progressos inueniens, protinus equo desilijt, atque ad illorum vestigia corruit, orans, & multis magnisq. precibus postulans, vt redire dignarentur, se pro illorum arbitrio deinceps cuncta facturum. Illi tanta eius satisfactione, & pollicitatione permoti, vt erant benigno animo, sine mora redierunt] Fuerat hic famulus monachorum, sed ob insignem nequitiam præfecit eum monachis Pandulphus Princeps, sed tunc de sua temeritate pœnas dedit. nam Leo subdit:

b Idem Chron. Cass. lib. 2. c. 59 & 61.

PANDVLPHVS TYRANNVS APPELLATVR MONACHOS.

c Thren. 5.

SERVVS MONACHORVM MONACHIS PRAEFECTVS.

Sed

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sed quoniam prædictus Todinus in sua nequitia perstitit, non multo post sub Richerio Abbate, vindice Deo, a quibusdam nostris captus & tonsuratus, indutusq. sacco ad secernendam farinam, more famulorum in pistrino positus est] Porro etsi non omnes tunc profecti sunt monachi ad Imperatorem, legatio tamen missa est ad ipsum tunc in Germania existentem. sed & memorabile quiddam de eodem Pandulpho Principe sic subdit: Præterea Princeps post dies aliquot cuidam fidelissimo suo, Adelgisio nomine iubet, vt quantocyus ad monasterium veniat, atque planetam, & calicem Imperatoris, & nonnulla alia, quæ modo non recolo, ecclesiæ ornamenta præcipua Aquini & Sexti Comitibus sub pignore habenda perniciter deferat. Cumq. ille adueniens, cuius rei gratia adesset, Fratribus aperuisset: quidam ea danda quæ poscebantur, ne irato Principe peiora paterentur, censebant. Cumq. ille prorsus insisteret, Adam, qui tunc ecclesiæ curam gerebat: Ego, inquit, quæ requiris, nec tibi, nec vlli prorsus hominum daturus sum, sed ea super ipsum beati Benedicti altare ponam: inde ille qui voluerit, aut præsumpserit, tollat. Quod cum fecisset, ille mox temerarius audacter accessit; & cum iam iam ad altare manus extenderet, mirabile dictu, protinus in faciem corruit, & vehementissima epilepsi subito, paralysiq. correptus, vniuersis astantibus mirum de se, miserumq. spectaculum præbuit, ac de ipsa quidem infirmitate postera die quoquo modo conualuit, & sine effectu ad Principem redijt; distorto tamē ore atque oculo vsque ad obitum perstitit, cunctisq. inquirentibus, quonam id sibi modo contigerit, non sine magna audientium admiratione referebat. Princeps hoc facto aliquantulum quidem reueritus est, sed in mente pessima diu non potuit voluntas bona durare. Post non multum enim temporis iterum præfatum Basilium præpositum misit, omnemq. monasterij thesaurum ad se per illum deferri iussit. De Capuano vero monasterio abstulit argenteas coronas, & codicem vnum gemmis ornatum, & planetam citrinam optimam, & tria altaris pallia, cunctaq. simul in arce, quam in monte sanctæ Agathæ, qui Capuæ imminet, construxerat, condidit: in qua item arce innumera aliarum multarum ecclesiarum, viduarumq. & pupillorum spolia tum dolo, tum violentia direpta condiderat] hactenus Leo de tyrannide Principis nefandissimi, ad quam auertendam, vt audisti, ad Imperatorem missæ fuere iteratæ legationes: de cuius aduentu, & rebus ab eo gestis summa cum laude hæc idem auctor enarrat:

DIVINA VLTIO IN SACRILEGVM.

ROMAM VENIT IMP.

Motus his fletibus Imperator (vt erat pijssimus) Romam concitus venit, vbi aliorum etiam innumerabilium, tam ecclesiasticorum, quam reliqui ordinis virorum innumeras contra Pandulphum querelas accepit: habitoq. consilio cum magnatibus suis, virorumq. timentium Deum cohortatione commonitus, strenuos aliquot a latere suo viros ad Principem mittit, mandans ante omnia, vt nisi indignationem suam vellet protinus experiri, Cassinensi cœnobio vniuersa quæ abstulit bona, restituat, captiuos cuiuscumque ordinis, seu generis viros statim dimittat, bonaq. vnicuique sua sine imminutione aliqua celeriter reddat. Legati igitur Imperatoris Capuam adeunt, multisq. frustra cum Principe sermonibus habitis, ad Imperatorem sine effectu aliquo redeunt: indurauerat enim cor eius Dominus, sicut [a] Pharaonis quondam, vt quod sponte noluerat facere, cogeretur inuitus.

a *Exod.* 4.

IMPERATOR CASSINVM PETIT.

Imperator contemni se a Pandulpho conspiciens, ira succensus, exercitu sumpto Cassinum venit. Cuius ministri, qui præmissi de more fuerant ad apparatum regium procurandum, cum monasterij curiam ingressi essent: Todinus protinus territus, clam inter ceteros exiens profugus, arcem occupare festinat. Quod cum Fratribus superioris monasterij relatum esset, vnus ex senibus, Azo nomine, in medium prodiens: Tempus, inquit, patres tacendi transijt, & loquendi iam tempus aduenit: descendamus igitur, & regijs ministris quæcumque sunt necessaria, præparemus. Quo facto, honorifice satis Imperator acceptus, hospitatusq. est. Postridie vero cum vxore pariter & nuru sua beato Benedicto, ac Fratribus se commendaturus ascendit ad monasterium. Quem cum Fratres ingenti cum gaudio & honorificentia summa, & gratulatione suscepissent; post orationem illos allocuturus, ingressus est Capitulum. Eo residente, monachi simul omnes consurgentes, ante illum se in faciem prosternunt, surgentesque: Ita vos, inquiunt, omnes pariter expectauimus, ita facies vestras aspicere optauimus, ita denique aduentum vestrum præstolati sumus; sicut iustorum

A storum animæ in inferno Redemptoris aduentum expectasse noscuntur.

QVERELAE MONACHORVM AD IMPERATOREM.

Ad hæc lacrymis Imperatore suffuso, omnes iterum in facies corruunt, ac demum surgentes, quæ incommoda, quas calamitates perpessi fuerint duodecim ferme per annos, ex quo Pandulphus reuersus fuerat, per ordinem referunt: vtq. tantis cladibus finem dignaretur imponere, per Deum, patremq. Benedictum eius loci præsulem obtestantes, exposcunt. Ad hæc Imperator iureiurando, se ob eam solummodo causam ad has partes transisse affirmat, eumq. locum ex corde intimo se honoraturum, protecturumque, quoad viueret, deuotissime pollicens, iubet, vt duodecim ex eis Capuæ se adeant, ibique, quidquid fieri oporteat, illorum se consilio peracturum spondet. Sicq. petita benedictione, Capuam profectus est, vt beati Benedicti cœnobium
B de seruitute nequissimi Principis liberaret: ac deuotissime illorū orationibus se commendans, posuit super altare beati Benedicti coopertorium purpureum valde pretiosum, aureo phrygio ad mensuram palmi in circuitu pulcherrime ornatum.

Interea Pandulphus Augustum Capuæ præstolari nequaquam ausus, vna cum Abbate memorato in arcem sanctæ Agathæ, quam summo studio munitissimam fecerat, per fugam se recepit. Imperator autem in ipsis vigilijs sanctæ Pentecostes ingreditur Capuam, postera die egressus vrbem, apud Capuam veterem tentoria figit. Adsunt continuo monachi, orantes vt opere, quæ promiserat, exequatur, Abbatem sibi constitui ante omnia postulantes. Ad quos Imperator ex consilio: Non est, inquit, hoc meum; vos vnum ex vestris eligite. Respondentibus non se habere idoneum, incongruumq. asserentibus, inter tot perturbationes in tanto apice quempiam sine magno vigore ac potentia ordinari, atque ita ex suis optare magnum aliquem præfici; Au-
C gustus in priori sententia perstans: Nequaquam, inquit, sed de congregatione vestra, sicut beati Benedicti Regula præcipit, Abbatem idoneum vobis eligite. Illi nihilominus in intentione pristina perseuerantes, Augustæ etiam suffragijs suffulti, Richerium tandem, qui tunc Leonensi monasterio præerat, Abbatem sibi constitui summis precibus postulabant. Hoc audito, Imperator mœstus efficitur; erat enim sibi illo charissimus, & in omnibus negotijs suis vtilissimus. At licet primum negare aliquatenus perstiterit, victus tandem monachorum vel ratione, vel precibus, acquieuit. Eumq. aduocans, renitentem licet ac plurimum flentem in Abbatem eligendum Fratribus tradidit.

RICHERIVS ABBAS ELIGITVR.

QVOMODO PANDVLPHVS CVM IMP. TRANSEGIT.

Interea Pandulphus Imperatori per necessarios mandat, veniam postulans, trecentasq. auri libras daturum spondens, si eius gratiam, veniamq. mereretur. cuius auri
D medietatem se in præsentiarum missurum, pro reliqua filium & nepotem obsides itidem missurum pollicens. annuit Imperator. Ille continuo pecuniam, & obsides delegat. Quo facto Pandulphum facti sui protinus pœnitet, ratusq. ciuitatem, Augusto discedente, facile recepturum, aurum reliquum mittere recusauit. Imperator consilio cum suis Capuanisq. magnatibus habito, Guaimario Salernitano Principi Capuani tradidit principatus honorem. Rainulphum quoque ipsius Guaimarij suggestione Auersæ Comitem fecit, Adenulphum vero Capuanum Archiepiscopum, quem nequam ille Pandulphus carceri manciparat, sedi suæ restituit; eisq. Richerium Abbatem, vniuersamq. monasterij causam multum commendans, vt sua hanc vice tuerentur, Pandulphi secum obsides ducens, Beneuentum concessit, atque inde per Picenum agrum patriam repetens, expleto vix anno defunctus, Henrico filio reliquit
E Imperium] hucusque Leo. qui & inferius: Hic Conradus Imperator anno Domini millesimo trigesimooctauo, quo sanctus Abbas Richerius ordinatus est, precibus Gislæ coniugis, filijq. Henrici & Adeloi Episcopi Cancellarij sui, apud Beneuentum præceptum aureo sigillo bullatum, iuxta priorum Augustorum morem de vniuersis monasterij iuribus fecit. Benedictus item Papa Nonus priuilegium illi secundum Romanorum Pontificum consuetudinem nihilominus scripsit. Guaimarius Princeps præceptum fecit sancto Benedicto cum aurea bulla de omnibus monasterij pertinētijs, specialiter de sancto Vrbano & Vicalbo, & decima parte totius ciuitatis Atinæ &c.] Recitat idem plurimorum oblationes, tunc temporis collatas eidem monasterio Cassinensi. sic Deus, multis gaudijs compensans duodecim annorum afflictionem.

Quod autem ad Imperatoris reditum spectat, quænam aduersa in itinere ipsum pati contigerit in suo exercitu, Hermannus sic recitat: Imperator cum vltra Romanas par-

LVES OCCVPAT EXERCITVM IMPERATORIS.

nas partes peragrasset, indeq. per Hadriatici maris oras remearet, mense Iulio ingens exercitum pestilentia inuasit, plurimosq. passim extinxit: inter quos Chunehildis Regina, Henrici filij vxor xvij. Kal. Aug. defuncta, & ad castrum Lanaburg translata, ibiq. sepulta est. Hermannus quoque Dux Alemanniæ suis admodum flebili morte v. Kal. Aug. occumbens, Tridenti tumulatus est] hæc ipse.

DIVINA VLTIO IN PANDVLPHVM.

Sed dicere non prætermittamus, quæ aliquamdiu post hæc sceleſtissimum tyrannum Pandulphum secuta sunt mala, cum videlicet ab eo, qui aufert spiritum Principum, ex hac vita diuulsus, ad supernum tribunal reus ad sententiam accipiendam vocatus, quã meruit, ad pœnam est condemnatus. Idem enim Leo, quæ Deus fieri nota mortalibus voluit, ad aliorum admonitionem ita posteris tradidit: [a] Quo tempore cum Sergius Magister militum, qui Neapolitanæ vrbi præsidebat, venatum in ipso S. Paschali sabbato pergens, siluam cum pueris ad apros capiendos esset ingressus, ac tensis retibus, ad insequendos eos sese cum canibus per siluam huc illucq. diffunderet: aper antequam retis laqueo fugiens inuolueretur, occupatus a venatoribus confossus & captus est. Cum autem hora iam tardior esset, & sol ad occasum vergens atram vmbram iam pene induceret terris: memoratus Magister militum, ne noctis tenebris impediretur, ad reditum, sumpta secum venatione quam ceperat, omni cum familia domum ocyus remeare cœpit: vni ex pueris, Pythagoræ nomine, vt retia colligeret mandans, & se perniciter subsequeretur. Puer itaque collectis retibus, cum recto calle dominum suum concitus sequeretur; subito reuerendo admodum vultu & habitu monachi ei se obuiam conferunt. cumq. timore perterritus, quinam essent, inquireret, illi: Ne, inquiunt, metuas, tantum sequere nos.

[a] Leo Ost. lib. 2. cap. 62.

QVAS APVD INFEROS POENAS DEDERIT SACRILEGVS PRINCEPS.

Et cum aliquamdiu per eamdem siluam graderentur, venerunt ad lacum quemdam cœnosum, ac fœtidum valde, aspectuq. terribilem, ibiq. Pandulphũ Capuanum Principem, qui paulo ante defunctus fuerat, ferreis nexibus vinctũ, atque in illius cœno lacus ad guttur vsque demersum mirabiliter ostendunt. Interea duo nigerrimi spiritus retortas ex agrestibus vitibus facientes, eumq. per guttur ligantes, in ipsa lacus profunda merserunt, iterumq. sursum extraxerunt. Cumq. hæc sæpius facerent, prædictus puer trementi licet voce eum alloquitur, orans, vt sibi, cur talia pateretur, ediceret. Ille vero flens & eiulans roganti puero mox ita respõdit: Licet, o puer, pro innumeris sceleribus meis infinita mihi pœna præparata sit; nullam tamen ob aliam causam ista, quam cernis, excrucior pœna, nisi propter aureum calicem, quem de monasterio B. Benedicti sacrilega ductus cupiditate abstuli, eiq. moriens etiam restituere neglexi. Sed obnixe te precor, ac per IESVM Christum Dominum, cuius ego infelix præcepta contemnens, in hanc sum demersus voraginem mortis, obtestor, vt Capuam ad vxorem meam vel ipse pergas, vel per nuntium dirigas, qui ei & tormenta quæ patior nuntiet, & vt calicem monasterio sancti Benedicti reddat. Indicat & ille: Quid, inquit, prodest, si ei nuntiauero? non enim, quod te viderim, vel quod talia patiaris, creditura est. ad quem ille: Hoc, ait, ei signum ex mei parte, quod te miserim, dabis: Quod Pandulphus Gualæ filius calicem ipsum sub pignore habeat, & vt reddita, quam illi debuimus, pecunia, recipiat illum, ac sancti Benedicti monasterio, omni postposita mora, restituat, sibi celeriter, rogo, insinuare non differas. His dictis, visio ab eius oculis elabitur. Puer autem mox, vt domum regressus est, infirmitate detentus, intra paucos dies defunctus est. Ea vero quæ viderat, quæve sibi fuerant dicta, omnibus ad se venientibus patefecit. Pandulphus etiam ipse, qui causa pignoris calicem apud se habebat, hoc ipso tempore, nescio qua causa, Neapolim pergens, hæc omnia ex ore ipsius Pythagoræ se audisse, mihi postmodum retulit, per quem ipse quoque Pythagoras vxori illius omnia, quæ de viro eius viderat, vel quæ ipsi mandauerat, Capuæ nuntiauit. Illa sibi potius quam viro consulens, pretium, quod vir eius mutuo acceperat, reddere noluit, neque calicem recipere, neque modo restituere curauit. hæc huic operi idcirco inserenda putauimus, vt qui ista audierit, metuat &c.]

[b] Petr. Dam. ep. ad Domin. c. 13

Sed & ad hoc tempus spectare noscuntur, quæ nos, secuti [b] Petrum Damiani, ad tempora Ottonis Secundi Imperatoris ea referentẽ, de eiusdem Pandulphi damnatione ad inferos, superiori Tomo posuimus, quæ hic fuerant collocanda ex sententia Leonis [c] Ostiensis, exactiori censura res gestas suis quasque temporibus tribuentis, & quod tunc accidit, ita narrantis:

[c] Leo Oss. lib. 2. c. 84.

Eo

Eo etiam tempore seruus Dei quidam Neapolitanæ regionis in prærupta rupe iuxta viam publicam solitarius morabatur. Hic dum nocturno tempore psalleret, cellulæq. fenestram horarum explorator aperiret; videt repente multos nigros homines, velut Aethiopes, longo ordine incedere, onustosq. fœno sagmarios minare. Cum, quinam essent, curiosus inquireret, cuiusve rei gratia iumentorum pabulata multa pararent: dæmones, inquiunt, sumus, neque pecoribus alendis pabula, sed fomenta ignium ferimus hominibus comburendis. Præstolamur enim proxime Capuanum Principem Pandulphum, qui iam extremum spiritum fundit. His auditis vir Dei, nuntium protinus Capuam dirigit exploratum: qui veniens Pandulphum iam mortuum reperit. Quo defuncto Vesuuius mons in flammam erupit, tantaq. resinæ sulphureæ congeries ex eo protinus fluxit, vt torrentem faceret, atque decurrente impetu in mare descenderet] hæc Leo de visione Pandulphi animæ ad inferos condemnatæ, ostensa tum Eremitæ: sicut & alias sæpe Deus significare consueuit ex ignibus ob oculos hominum positis, inferni flammas iræ Dei, vindices nobis inuisibiles, vt eiusmodi exemplis haud incongruis ea declaret, quæ sacris eloquijs comminatus est tormenta peccantibus, cum ait Apostolus: [a] Secundum duritiam tuam, & impœnitens cor tuum thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicis Dei] nec quod ad fœnum spectat, Apostolico caret [b] exemplo, monente nihil aliud agere peccantes, quam in sui combustionem colligere fœnum & stipulam ad diem Domini, nempe retributionis, quia, vt ait, in igne reuelabitur.]

PANDVLPHI PRINCIPIS EXITVS.

[a] Rom. 2.

[b] 1. Cor. 3.

PANDVLPHI VSQVE AD OBITVM RES GESTAE.

Ceterum etsi post eius scelera pœnas, quas dedit miser hic & apud inferos, modo narrare visum est oportunum; tamen adhuc plures vixisse eum annos liquet. Nam & de molitionibus eius, postquã Conradus Imperator recessit, hæc Leo Ostiensis habet: [c] Interea Pandulphus, relicto in arce filio, ad expugnandam Capuam ingenium vertit, seq. Constantinopolim contulit cum Basilio suo, opem ab Imperatore petiturus. Cui Imperator, Guaimarij præmonitus nuntijs, non modo nullum adiutorium tulit, verum in exilium protinus egit, vbi duobus annis, quibus Imperator ipse superfuit, miseram vitam ducens, relaxatus tandem, & absque vllo effectu reuersus est] At secundum elogium reproborum, in Apocalypsi diuinitus pronuntiatum: [d] Qui nocet noceat adhuc; & qui in sordibus est, sordescat adhuc] aliam iniustiorem viam tentat ad recuperandum principatum, dum Northmannos colligens, quos sciret in Italia commorari, illis pro stipendio bona Cassinatis monasterij pollicetur. Sed eos Deus, precibus religiosorum [e] pulsatus destruxit, Rudolpho eorum Principe ea die, qua erat monasterium inuasurus, repentina morte subducto. Demum vero per Henricum Imperatorem, ingenti auri pondere [f] persoluto, restitutus in principatum, sed numquam conuersus ad Deum, talem, quem audisti, vitæ exitum perpetuo damnatus incendio, infelix accepit. Quod Deus non eius causa, cui non profuit, sed ad posterorum vtilitatem duplici voluit innotescere visione, quo mortales omnes, præsertim vero Principes discerent pietatẽ, illud semper ob oculos positum Domini monitum: [g] (Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?) habentes, atque iugiter ad sobrietatem, & prudentiam comparandam animo reuoluentes.

[c] Idem ibi. c. 66.

[d] Apoc. 22.

[e] Leo Oss. lib. 2. c. 76. 77.

[f] Idem lib. 2. c. 81.

[g] Matth. 16.

S. STEPHANI HVNGARIAE REGIS OBITVS

Hoc eodem anno defunctum esse sanctum Stephanum Hungariæ Regem, qui his temporibus vixere nobiliores Chronographi, scriptis tradidere, Hermannus & Marianus Scotus, qui & mala post eius obitum subsecuta singulis certisq. annis consignarunt, quæ vt fieri contigerunt, recens audita scripserunt, vt plane solidior eorum fides haberi debeat, quam Cartuitij, vel Bonfinij recentiorum auctorum, ante annos quatuor eiusdem ad Deum transitum referentium. Leo Ostiensis ad hæc posteriora tempora potius, quam anteriora reducens eius obitum, de oblatione ab eo missa paulo ante ad monasteriũ Cassinense sic ait: [h] Circa hoc tempus sanctæ memoriæ Stephanus Hungariæ Rex, qui gente sua ad Fidem Christi conuersa, multis post mortem virtutibus claruit: auream crucem valde pulchram sancto patri Benedicto direxit, multis Abbatem flagitans precibus, vt aliquos monachos ad instituendum in illis partibus monasterium mitteret. Cuius votis Abbas obtemperans, duos de senioribus monasterij misit] quod autem Salomonem eius successorem ponit, est omnino corrigen-

[h] Leo Ost. lib. 2. c. 79.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dum; non enim Salomonem, sed Petrum habuit successorem, vt Hermannus ait, sororis suæ filium. A

[a] Cartu. in vita S. Steph. cap. 21. Sur. tom. 4. die 20. Aug.

De eius autem ad Deum transitu Cartuitius ista: [a] Sentiens adesse migrationis tempus, accersitis Episcopis & primoribus palatij, Christiano nomine gloriantibus, primum tractauit cum eis de substituendo Rege; deinde paterne admonuit eos seruare Catholicam Fidem, quam accepissent, amare iustitiam, fraternæ charitati studere, humilitati dare operam; ante vero omnia nouellæ Christianismi plantationi curam & sollicitudinem adhibere. His dictis manus & oculos ad cælum erigens: Regina cælorum, inquit, mundi inclyta reparatrix, tuo patrocinio sanctam Ecclesiam cum Clero & Episcopis, regnumq. cum primatibus & populo tuis precibus commendo. Quibus nunc ego vltimum vale dicens, animam quoque meam tuis manibus committo. Instabat tunc præcipua solemnitas & lætus Angelis & hominibus Assumptionis beatissimæ Mariæ dies, in cuius gaudijs, vt sui corporis fieret dissolutio, precibus a Domino contendit, lacrymis & gemitibus impetrauit, sperans cumulationis misericordiæ se spem habiturum. B

Aderat ergo felix ille dies, eius obitu mox felicitatis aliquam accessionem habiturus: circumstant cum Clero Episcopi, cum ministris Principes & Comites. Rex in medio iacens sacram percepit vnctionem, sanctamq. animam corporis & sanguinis
* MXXXVIII. Christi recreatam viatico, anno Dominicæ Incarnationis * MXXXIIII. in manus perpetuæ Virginis & sanctorum Angelorum, æternæ quietis beatitudini inferendam tradidit] hucusque de eius migratione Cartuitius, qui eumdem mandatum sepulturæ tradit Albæregali in ecclesia sanctæ Dei genitricis Mariæ, ab ipso ædificata, eiusq. opera proxime dedicata. At inuidia diaboli factum est, vt diu multumq. regnum Hungaricum, bellis ciuilibus & externis fuerit exagitatum, non sine magno Christianæ tum coalescentis religionis detrimento. C

CLADES ORIENTALES.

Quod ad res pertinet Orientis, Constantinopoli hoc anno Indictione sexta, tribus ferme mensibus laboratum est terræmotu, & assidua fame afflictus est populus, quando Imperator Thessalonicensem Archiepiscopum, stipem suis clericis negantem, digno supplicio eumdē affectum ac relegatum priuat. sic tum temporis ipso Imperatore sibi etiam quæ erant ecclesiastici iuris, impie vendicante. Rem gestam Curopalata ita describit: Cum clerici Thessalonicenses accusassent Theophanem Metropolitanum, vt qui contineret consueta ipsorum cibaria; Imperator, qui Thessalonicæ morabatur, verbis ipsum blandis hortabatur, ne ecclesiæ populum cibarijs a lege concessis priuaret: qui cum acerbe & aspere se gerens, non obediret, decreuit Imperator ipsum fraude circumuenire, eiusq. auaritiam punire. Mittit igitur quemdam ex suis ministris, ab eo petens mutuari sibi centenarium vnum, quoad Byzantio sibi aurum afferretur. At ille adhibito iureiurando inficiatus est se habere nisi triginta libras. Et hunc quidem facessere iussit Imperator; missisq. qui pœnu eius perscrutarentur, reperit auri centenaria triginta tria, ex quibus clericis dat, quæcumque ipsis debebantur a primo anno sacerdotij Theophanis, vsque ad præsens tempus: reliqua distribuit pauperibus, & Metropolitanum ab ecclesia expellit, in quodam agro relegat, præfecitq. metropoli Prometheum &c.] D

IMP. SPOLIAT ET PRIVAT EPISCOPVM.

SARRACENI A GRAECIS VICTI.

[b] Leo Ost. lib. 2. cap. 68.

Qua pariter sexta Indictione Georgius cognomento Maniacus militia clarissimus ad debellandos Sarracenos Siciliam occupantes mittitur: qui feliciter pugnans, primum eorum prostrauit exercitum, indeq. tredecim ciuitates cepit, demumq. vniuersam Insulam sibi subegit] hæc Curopalata. de his agens Leo Ostiensis hæc habet: [b] Per idem tempus Maniacus Dux ab Imperatore Constantinopolitano cū exercitu ad debellandos Sarracenos in Siciliam missus, cum Apuliæ atque Calabriæ milites in auxilium conciuisset, Legatos ad Guaimariū *Principem Salernitanum* misit, orans vt Northmannorum illi auxilium mitteret. Eius ille precibus annuens, Vuillelmum Drogonem & Vuinfridum Tancredi filios, qui a Northmannis nuper aduenerant, cum tecentis alijs Northmannis militibus misit. Cumq. maxima iam Siciliæ pars recuperata esset, & Syracusana ciuitas capta, eidem Duci a sene quodam sanctæ Luciæ mausoleum proditum est, eiusq. corpus inde sublatum, & in theca argentea positum, Constantinopolim cum omni honore & reuerentia transmissum est] hæc Leo. E

S. LVCIAE CORPVS CONSTANTINOPOLIM TRANSLATVM.

IESV

MILLESIMVS trigesimusnonus annus sequitur, Indictione septima inchoatus, quo Nonis Iunij, ipsa Pentecostes die tertia, Conradus Imperator apud Traiectum Frisiæ inopinata morte subito decessit] hæc Hermannus & alij eiusdem temporis Scriptores. Vacat Imperium; in regnum autem Germaniæ eius filius Henricus successit, ab ipso Rex antea institutus. Quod autē Glaber [a] anno quadragesimoprimo post millesimum contigisse tradat Conradi obitum, error putatur in codicem irrepsisse, vt loco, vndequadragesimo anno, vitio librariorum positum sit XLI. Leo autem [b] Ostiensis hunc annum terminum certum ponit vitæ Conradi Imperatoris. B

CONRADVS IMP. OBIIT HENRICVS FIL. SVCCEDIT.

[a] Glab. lib. 5. cap. 1.

[b] Leo Ost. lib. 2. cap. 66.

Quod pertinet ad res Orientis, cum Michael Imperator in dies magis magisq. a dæmone, quo obsidebatur, acrius torqueretur, nec (inquit Curopalata) inueniret, qua ratione se liberaret, misit in omnes regiones & insulas presbyteris singulis nummos duos, monachis vnum, baptizauitq. recens natos pueros, traditis singulis nummo vno & milliaresijs quatuor. Tamen nihil horum profuit, immo vero malum augebatur, opitulante quoque hydropisis morbo. Hoc tempore etiam frequenter terræmotus facti sunt, & imbrium magna vis decidit, grassatusq. est morbus, Angina dictus, ita vt non possent viui mortuos efferre] ita infelix Orientalis Ecclesia, vbi schisinate se diuisit a capite, omnibus charismatibus, quæ [c] sicut vnguentum, descendebant (ait Psalmus) in barbam, barbam Aaron, & profluebant in totum corpus vsque ad oram vestimenti eius, priuata fuisse cognoscitur, vt non fuerit facile reperire, qui his temporibus vel vnum sanaret energumenum, aliudve aliquod miraculum ederet: nec esset, qui iram Dei placare posset, ingruentibus licet grauioribus vbique malis. Hæc quidem ita se habuisse, ipsorum historici, res eorum diffuse prosecuti, vt Curopalata, haud fidem dubiam faciunt. Subdit autem idem auctor, quod ipse Michael Imperator, relicta Ioanni fratri Imperij cura, iugiter moraretur Thessalonicæ apud sanctum Demetrium martyrem, eidem supplicans ac petens, vt ab obsidente dæmone liberaretur. sed etsi leuamen aliquod sensit aliquando, numquam tamen potuit liberari. C

ARREPTICIVS IMP. FRVSTRA LIBERARI LABORAT.

[c] psal. 132.

Hoc anno (vt Longinus est auctor) missa est legatio ab Ecclesia Polonorum ad Benedictum Romanum Pontificem: quanam occasione, sic aperit idem auctor, sub hoc eodem Redemptoris anno millesimo trigesimonono: Grauem & enormem Gnesnēsis ecclesiæ deprædationem, per impium Brzetislaum Bohemiæ Ducem & suum exercitū, in sacrarum & Deo dedicatarum rerum sublatione, & in Bohemiam asportatione commissam, Metropolitanus Gnesnensis Stephanus primus, qui successit Bossuthæ, molesto & amaro animo ferens, Rachelini Archiepiscopi Cracouiensis, ceterorumq. Episcoporum Poloniæ communicato consilio, Nuntios notabiles Romam mittit, coram summo Pontifice & Cardinalibus, de perpetrato per Ducem Brzetislaum, & Bohemos sacrilegio questuros. Qui cum ad Vrbem accessissent, & coram Benedicto Papa Nono, audientia obtenta, nefanda Ducis Brzetislai & Bohemorum facinora, sacrilegia in Deum & Sanctos eius, spolia in sacra & templa, cædem & captiuitatem in Orthodoxos & Fideles, rapinam in omnes fideli narratione exposuissent; Seuerum quoque Pragensem Episcopum omniū sacrilegiorum huiusmodi participem & conscium fuisse, sacrilegiaq. singula eius suasu & cōsilio fuisse patrata significassent: Pontifex Romanus non secus, quam iustum erat, motus, longā cum Cardinalibus, alijsq. qui tunc in Vrbe aderant, Prælatis tenuit deliberationē. & cum omnium pari vnanimiq. sententia execrabile scelus in Gnesnensem ecclesiam commissum mucrone ecclesiastico vindicandum censeretur, diuersa tamen edebantur in modo vltionis inferendo vota. Et alij quidem Brzetislaum omni Ducali honore, & Fidelium communione priuandum esse censebant; alij per triennium in exilium agendum, nempe salubrem aliquam peregrinationem ad loca sancta suscipiendo, tanto temporis spacio patria cariturum. Seuerum vero Episcopum Pragensem a pontificali gradu deijciendū, & in monasterium pro expiatione tanti sceleris, perpetuam illic pœnitentiam acturum, trudendum, damnandum esse. Alij tam Ducem Brzetislaum, quam Seuerum Pragensem Episcopum vsque ad D E

LEGATIO MISSA AB ECCLESIA POLONORVM AD BENEDICTVM PAP.

Universidad de Deusto
Biblioteca

plenam omnium sacrorum restitutionem anathematizandos fore. hæc vltima sententia velut mitior, & media ab omnibus accepta est. A

Verum quoniam Sedes Apostolica, parte altera non audita, decreta sua promulgare non consueuit; personalis contra Ducem Brzetislaum, & Seuerum Episcopum Pragensem citatio promulgatur. Quorum Nuntij dum Romam aduenissent, & pro scelere sacrilegij diluendo verba coram summo Pontifice facerent; scelus illud, de quo per Ecclesiam Polonicam accusabantur, non diffitentur Ducem Brzetislaum, & Episcopum Seuerum admisisse, non tamen temeritate, inquiunt, impia, sed deuotione, & pietate forsan stulta, Sanctorum ossa, ceteraq. sanctuariorum vasa ex Gnesna sublata, & Pragam relata esse. Belli enim iure, quod Polonorum genti inferebat, credidit se spolium illud iuste Brzetislaus Dux noster, & populus Bohemicus admisisse. Tum vero Papa, Nuntijs correptis, stultam & deliram eorum excusationem ostendit; nec licere quantumcumque iusto bello ecclesias Dei suis sanctuarijs, & rebus Deo dicatis spoliari, aut ossa Sanctorum de locis Catholicis, sine Sedis Apostolicæ speciali auctoritate & consensu transferri, cum bella hominibus, non cælestibus, & sacris indicere conueniat. Proinde autem singula sanctuaria ecclesiæ Gnesnensi, ceterisq. Polonorum ecclesijs erepta aut restituerent, aut tam Ducem Brzetislaum, quam Seuerum Episcopum Pragensem Apostolico rigore scirent excommunicandũ. B

IN BELLO IVSTO ABSTINENDVM A SACRIS.

Legati vero Bohemorum, omnium ablatorum restitutione Ducis & Episcopi nomine repromissa, tam Ducem, quam Episcopum ad complendum, quæ verbo promiserant, obligant, largis sermonibus pollicendo, tam Ducem, quam Episcopum decreto Apostolico in omnibus deuote & humiliter parituros. In hanc pollicitationem dimissi, plerosque Cardinalium Nuntij Bohemorum adeunt, pluribusq. largitionibus, & promissis illos sollicitant, vt suis consilijs, & suffragijs decretum Apostolicum de restituendis sanctuarijs ecclesiæ Gnesnensi rescindant; aut si rescindere non possent respectibus aliquibus, executionem eius suspendant. Inescati Cardinales pretijs, & precibus, cœptam in sacrilegium, Principemq. seueritatem & ipsi remittunt, & Pontifici remittendum persuadent. Non conuenire, aiunt, grauitati Apostolicæ, Ducem Bohemiæ, qui per Nuntios suos omnia illicite recepta restituturum, & præceptis Apostolicis se exhibet staturum, censuris aliquibus percelli, & in sugillationem publicam Principem parere paratum adduci; ne iniuste irritatus, ad rebellionem iustam se conferat] hæc auctor. Tales erant illi a Benedicto creati sui similes Cardinales. Verum eiusmodi iudicium hoc anno cœptum, ad quadriennium vsque productum cum in Ecclesia Romana inter tres conflatum est schisma, idem demonstrat his verbis, quæ sequuntur, cum pergit: Multifaria tunc erat Sedem Romanam ambientium, & de ea contendentium collisio. Nam Sabinensis Episcopus, qui se Siluestrum nominabat, & Ioannes Archipresbyter sancti Ioannis ante portam Latinam, qui & Gregorius Sextus, contra Benedictum Nonum Papatum vsurpabant. Quapropter persuasio Cardinalium, censurarum promulgationem corrupta mente contra Ducem Bohemiæ dissuadentium tunc facile admissa est, & iustitia Polonorum concertatione huiusmodi, & schismate de Papatu protelata & impedita, suppressaque, Polonorum pontificibus illam promouere, & sollicitare desistentibus; bello insuper ciuili Poloniæ regnum premente emarcuit] hucusque Longinus. Et quidem a Benedicto illo Pontifice quid aliud expectandum erat, quam iudicia cuncta recta subuerti? at de schismate suo loco dicendum erit. C D E

CORRVMPITVR RECTVM IVDICIVM.

IESV CHRISTI ANNVS 1040. BENEDICTI IX. PAP. ANNVS 7. VACAT. IMP. OCCID 1. MICHAELIS IMP. 7.

S. CHVNEGVNDIS AVGVSTAE OBITVS.

QVADRAGESIMVS post millesimum incipit annus Indictione octaua, quo decus Germaniæ sancta Chunegundis Augusta, sancti Henrici Imperatoris coniux iam inter sanctimoniales professa, vbi annos quindecim in obseruantia monasticæ disciplinæ laudabiliter transegisset, tertia Martij ex hac vita ad Deum, præmium acceptura migrauit Bambergæ. Quæ cum proxime morituræ Augustalia ornamenta ad pompam cadaueris parari videret, hæc dixisse tunc fertur: Amictus iste non est meus, auferte hinc: ornatus hic alienus est: istis terreno sponso, & his cælesti sum copula-

A copulata. Nuda de vtero matris meæ egressa sum, nuda reuertar illuc: his miseræ carnis vilem materiam inuoluite, & corpus meum iuxta tumulum fratris mei ac domini Henrici Imperatoris, quem me vocantem video, in proprio locello reponite. Quibus iam dictis, in manum Domini spiritum commendans, migrauit in cælum. cuius sepulchrum Deus pluribus miraculis illustrauit.]

Hoc eodem anno Magnus Ferdinandus Rex Castellæ & Legionis obsessam diu Conimbricam ciuitatem, ope sancti Iacobi Apostoli, post longam obsidionem in deditionem accepit a Mauris. Porro de auxilio Apostoli, Regi in prœlijs impertiri consueto euidens dubitanti Græco homini argumentum est per visum apertum. Is enim cum religionis causa visitaturus corpus Apostoli ex Oriente venisset Compostellam, tempore obsidionis Conimbricæ ciuitatis, audiretq. multorum sermone B firmari, sanctum Iacobum in prœlijs sæpe visum insidentem armatum equo opitulari Fidelibus aduersus Mauros: derogans fidem dictis, verbis his illorum assertionem derisit, dicens: Sanctus Iacobus non miles, sed piscator fuit. Sed sequenti nocte per visum admonitus didicit veritatem: siquidem visus est sibi videre eumdem armati hominis specie pugnare pro Christianis Apostolum, quo tempore Ferdinandus potitus est ciuitate, vt certo nuntio cognitum postea fuit. Cum etiam ipse Rex Compostellam ad Apostolum venit, eidem de victoria manubias offerens.

S. IACOBVM PVGNARE ADVERSVS MAVROS EST DEMONSTRATVM.

Hoc eodem anno, assistente & fauente Dominico Flabanico Duce Venetiarum, celebratum est Venetijs Concilium Prouinciale in ecclesia sancti Marci sub Vrso Patriarcha, in quo pleraque spectantia ad ecclesiasticam disciplinam statuta fuerunt. quorum meminit in suo breui Chronico Andreas Dandulus.

C Quod spectat ad res Orientis, hoc anno, eadem Indictione octaua (vt habet Curopalata) cum reuocato ex Sicilia Maniaco maiestatis reo constituto, Sarraceni ex Africa venientes Insulam iterum occupassent, sola relicta Messana, quam Catacalus præfectus Imperatoris tenebat: eam obsidentes Sarraceni, & iam ob victorias elati, & negligentiores redditi, atque socordes cum essent: Catacalus ista intuens, iussit sacrosanctum sacrificium Missæ primum offerri; inde vero milites omnes sacra Eucharistia participando muniri; moxq. in hostes irrumpens, imparatos offensos omnes vel trucidauit, vel fugere coegit. sed accipe rem gestam ab eodem Curopalata: Quarta autem die, qua consueuimus mediam Pentecosten celebrare, Catacalus cognomento Combustus, animaduersa negligentia & socordia Sarracenorum, & vt illi sine vlla cura & sollicitudine degunt, nihil curantes eorum, quæ intra muros fierent, suo exercitu confirmato, cum iussisset sacrificium inceruentum perfici, simulq. cum omnibus D particeps fuisset diuini sacramẽti, circiter prandij horam apertis vrbis portis, maximo impetu in aduersarios erumpit ebrios, & crapula onustos. Ipse primum ad tabernaculum Apocaphar Insulæ Principis adequitans, & ille quidem statim interficitur, mollis, & facilis captu præ ebrietate, eiusq. tabernaculum perrumpitur. Cadebant etiam alij Sarraceni aceruatim præ ebrietate labentes, & inopinato impetu nihil prorsus virtutis memores. Fuit igitur strages totius exercitus, cum Sarraceni sese mutuo obterentes occiderent, ita vt cadaueribus complerentur planities, & proximæ conualles, & flumina: captaq. sunt omnia castra auro, & argento, & margaritis, pretiosisq. lapillis referta, quos (vt fertur) medimnis milites diuisere. Et ita omnis Sicilia, quæ breui tempore a Maniaco subacta fuerat, breui quoque negligentia, & vitio ducum E rursum in potestatem Sarracenorum peruenit, cum sola Messana eo modo, quo diximus, relicta fuisset, iterum recuperata est] hæc Curopalata, ex quo & Cedrenus.

SARRACENI DIVINITVS SVPERATI.

IESV CHRISTI ANNVS 1041. BENEDICTI IX. PAP. ANNVS 8. VACAT. IMP. OCCID. 2. MICHAELIS IMP. 8.

MORITVR MICHAEL IV. IMP.

ANNVS quadragesimus primus post millesimum Indictione nona inchoatus sequitur, quo mense Decembris, incœpta iam Indictione decima, Michael Imperator eius nominis Quartus, cum regnasset annos septem, & menses octo, moritur, confessus pœnitere se commissi facinoris in Romanum Imperatorem, ac defleus vere pœni-

Universidad de Deusto
Biblioteca

pœnitentis ſpecimen edidit: creditum autem ſcelus potius fratris ipſius Ioannis machinatione commiſſum, quam eius voluntate, viri alioqui pij] hæc Curopalata, qui addit, eadem hora a Zoe Auguſta coronari iuſſum Michaelem cognomento Calaphatem, filium Stephani patruelis Imperatoris, quem & adoptauit in filium. qui paulo poſt in eam ingratus, e throno depoſitam, atque in monacham attonſam in exilium miſit. Quod cum populo innotuiſſet, vna omnium voce repudiatur, lapidibuſq. inſectatur, coactus in ſacrum templum confugere, ac reuocare Zoen in Imperium, licet a populo vocata eſſet ſoror eius Theodora iam detonſa in monacham, vt imperaret. Inſtans adhuc populus in eum, eiuſq. fratrem, ambos e templo detractos, perq. vias raptatos priuauit oculis. quod factum eſt menſe Aprilis anno ſequenti. hæc omnia Curopalata, atque ex eo Cedrenus, Zonaras, & alij. A

NORTHMANNI POTIVNTVR APVLIA.

[a] *Leo Oſt. lib. 2. c. 68.*

Idem hic annus conſignatur a Leone [a] Oſtienſi, quo Northmanni Arduino Longobardo duce potiuntur Apulia, ſuperatoq. Ducliano Græcorũ exercitus principe, eamdem prouinciam pacifice poſſident, atque inter ſe diuidunt. Qualiter autem facta ſit partitio, idem exacte deſcribit. Quam tyrannicum plane ac impium fuerit tum Northmannorum dominium, ſanctus Leo Papa Nonus narrat in epiſtola ad Conſtantinum Monomachum Imperatorẽ, quam ſuo loco inferius reddituri ſumus. Agit de his Curopalata anno ſequenti, putanſq. Northmannos, quod e Francia illuc veniſſent, eſſe Francos, Francorum nomine eos appellat. B

LEGATIO POLONORVM AD BENEDICTVM PAP. PRORECIPIENDO CASIMIRO.

Hoc item anno legationem Polonorum Romam veniſſe ad Benedictum Papam pro impetrando Caſimiro Cluniaci profeſſo monacho, quem Regem conſtituerẽt ad propulſandas innumeras clades, quibus Polonia afflictabatur, Longinus affirmat. Ex quo anno Redemptoris conſignato, iam plane euaneſcit dubitatio illa Scriptorum, num videlicet iſtiuſmodi legationem contigerit mitti ſub Benedicti Pontificatu, an Clementis, quem non niſi poſt ſex annos conſtat ſediſſe Pontificem. At rem nouam, Annalibus dignam, totidem verbis, quot deſcribitur a Longino, rerum Polonarum ſcriptore ſinceriſſimo, reddendam putauimus. ſic enim ſe habet: Omnibus autem in Polonico regno Rempublicam per deſperationem deſerentibus, nihilq. ſalutare in commune conferentibus, patriæ occaſum cum ſuo exitio propediem venturum, arcibus, aut locis paluſtribus & inuijs proceres & primores incluſi opperiebantur. Republica Polonorum vehementi & interno, & externo hoſte deformata, & ad extremam pene internecionem detruſa & depreſſa: cum ſinguli quaſi quadam tempeſtate fuiſſent iactati, ſplendor quidam velut e cælo demiſſus pectora primorum inſpirauit. Primores enim, & Barones Polonici crebris tractatibus exiguas eius & exangues reliquias ſaluare cupientes, de ſumma rerum, & quonam modo ſtatus prior, & facies Reipublicæ reddi poſſet, conſultabant. Et omnium quidem ſententiæ congruebant, ſine Rege & Principe neque mala exorta depelli, neque ad debitum ordinem poſſe regnum reduci. In eligendo tamen & aſſumendo Principe erant varij & diuerſi. Quibuſdam enim placebat aut ex vicinis Principibus, aut ex proprijs militibus Regem eligi. Sed hæc quoque ſententia multas ſecum difficultates futuras, & incommoda trahens, cum verendum eſſet, ne eligendus ſi de Principibus vicinis eſſet, principatum detrectaret; ſi vero de genere proprio, ne in contemptum, faſtidiumq. veniret, damnabatur. C

DECERNITVR REGNVM POLONORVM CASIMIRO.

Alijs placebat expulſum, & in exilium miſſum heredem & filium regium Caſimirum quærere, & omnibus modis ad regni reducere regimen, quo viuente certum eſſet, quemlibet iuſtum & prudentem Principem regnum Poloniæ & lacerum & deforme abnuiturum: neque parui pendendam prolem regiam, cui hereditas & ſucceſſio debebatur, ſed immo auitam in Caſimiro ſperandam eſſe indolem; neque alium extare Principem, qui Reipublicæ regni Poloniæ æque poſſit & abrogare deformitates, & inſtaurare ruinas. D

Iniquum inſuper eſſe, Boleſlai Magni, primi Polonorum Regis beneficia & in patriam & in ſe præſtita oblitum iri, nepotemq. ſuum eo regno priuari, cuius ille virtutis ſuæ excellentia primus diadema meruit. Hæc ſententia cum ab omnibus collaudata & accepta foret, decernentibus, iudicantibusq. ſingulis proceribus, regionem Polonorum ſuam dignitatem, ſuumq. ſtatum, niſi Rege Caſimiro recuperato, recuperare, & tenere non poſſe. Poſt multos itaque tractatus, poſt varias iactationes, ſimultates, E

A multates & tumultus finem diſſidijs ad hunc modum placuit ponere, modumq. ſtatuere odijs; ſolusq. Caſimirus dignus viſus eſt, cui regnum legali communi voto eligendi deferrent, quem Deus omnipotens in ſuæ indignationis nubilo miſericordiæ ſuæ non oblitus, quaſi ſcintillam modicam pro Polonorum reſtauratione gloriæ voluit conſeruare. Pontificibus interim & Palatinis, ex quibus maxime, eccleſiaſtico videlicet & ſæculari ſtatu vniuerſum corpus conſilij apud Polonos ad promouendam Rempublicam concinnatur, nonnullisq. alijs Baronibus, paucis tamen admodum, in Gneſnenſem metropolim iterum conuenientibus, Stephanus Gneſnenſis Archiepiſcopus de Caſimiro deligendo ſententiam dixit, quam omnes ſunt ſecuti.

DECERNITVR LEGATIO AD CASIMIRVM.

Nuntij poſt hæc ad quærendum Caſimirum deſignantur & mittuntur eo mandato & auctoritate inſtructioneq. fulciti, vt pro illius reductione etiam quæque difficilia B ſubeant, cum in illo vno vnica ſpes miſerabilis patriæ conſiſtat. Nuntij autem Polonorum publica executuri mandata, arrepto itinere primum ad Alemanniam diuertunt, & Rikſcham Poloniæ Reginam Miezciſlai Poloniæ olim Regis relictam in Brunſuik degentem offendunt, cui cladium & malorum, quibus Poloniæ regnum preſſum erat, magnitudinem, quam & ipſa ex rumoribus intelligebat, exponunt; rogantq. vt, vbinam terrarum & gentium filium ſuum Caſimirum inuenire poſſint, eis fideliter nuntiet & declaret. Regina autem Rikſcha etſi ſuas filijq. ſui propter exilium illatum iniurias vltas eſſe gaudebat; calamitatum tamen magnitudo etiam muliebrem affectum ſuperabat: propter quod regno Poloniæ tam miſerabili & afflicto non poterat non compati, ſpirituq. compaſſionis impulſa, viuere quidem filium ſuum Caſimirum, ſed in religionem ſacram beati Benedicti tranſiſſe, & monachali habitu & ſtatu in C Cluniacenſi monaſterio in Gallijs ſito, perſeuerantem regni terreni cupiditate diſtrahi non poſſe, & ſpe concepta Legatos fruſtrandos eſſe. terruiſſet delatio hæc quantumcumque conſtantes viros. Legati tamẽ Polonorum nihil ijs, quæ a Regina pro indifficultando & ſuccidendo eorum itinere dicebantur, perculſi, honorata Regina Rikſcha de ijs, quæ ſecum ferebant, muneribus, in Gallias profecti, Cluniacum tandem perueniunt, & Ducem ſuum Caſimirum monachali habitu veſtitum recognoſcunt, obortoq. lacrymarũ imbre certatim in eius ruunt amplexus. Felices ſe & beatos aſtruũt, qui Principem ſuum tanto labore quæſitum viuum & incolumem repererint. Ad quem, petita audientia, & de conſenſu Abbatis Cluniacenſis obtenta (is erat magnus ille Odilo ſanctitate præcipuus) verba faciunt.

QVAE LEGATI AD S. ODILONEM DE CASIMIRO.

Omnium, inquiunt, pontificum, procerum, & nobilium regni Poloniæ nomine ad D te venimus, Princeps clariſſime, oratum, qui ſolum regnum noſtrum, immo tuum Poloniæ labefactatum attollere, & diſcerptum reintegrare, tueriq. enixe & egregie potes, ſi ad regnum Poloniæ te per nos reduci, & illius ſceptra ſucceſſione paterna tibi debita regere velis, neque preces noſtras & totius patriæ, neque labores noſtros, qui te per varias regiones, nationes & populos diſcurrendo quæſiuimus, deſpectum iri ſinas. Veni igitur ſeditiones ſedaturus Polonicas, & inteſtinas eradicaturus illorum diſcordias; hoſtes abacturus ab eorum faucibus, & regni tui erepturus reliquias] & alia pleraque his addidere, quæ vel truculentum Scytham quempiam ad commiſerationem mouere potuiſſent. Recognoſcit (pergit auctor) Caſimirus Dux regni ſui Proceres, & de illorum aduentu iubilo immenſo iucundatur & exultat. Quid tamen agat, quem affectum, quem vultum Legatis & proceribus Poloniæ, quorum aduen- E tus cauſam ipſis prodentibus habebat non ignotam, exhibeat, penitus ignorat. Iam enim Regulam beati Benedicti profeſſus erat, iam & diaconatus gradum ſuſceperat, alieniq. iuris & arbitrij factus, etiam communionem, conuerſationemq. cum Legatis, nonniſi Abbate permittente, nedum regreſſionem in ſæculum ſibi nouerat profeſſionis virtute interdictam. Quæ cum Legati Polonorum, Duce eorum Caſimiro referente, didiciſſent, Abbatem Cluniacenſem conueniunt, congruisq. muneribus ipſi præſentatis, cur, & vnde venerunt, exponunt, petuntq. ob neceſſitates ingruentes reddi ſibi ſuum Regem, regni legitimum ſucceſſorem.

CLVNIACENSIS ABBAS NEGAT A SE REDDI POSSE CASIMIRVM.

Abbas autem Cluniacenſis vir ipſe eruditus & induſtrius, prudentum & expertorum virorum communicato conſilio, Polonorum Legatis reſpondet, ſe quidem ad gerendum petitioni & requiſitioni eorum morem ex compaſſione & affectione ſingulari, vt calamitates Polonici regni depelli & ſanari poſſint, beneuolum atque pronum

Universidad de Deusto
Biblioteca

esse; non tamen suæ potestatis fore, vt & monachum & diaconum a religione profes- A
sa emancipet, & in terreni regni regimine, præuaricato professionis suæ tenore, suc-
cedere permittat. Proinde supremum in terris tribunal, supremamq. potestatem,
Sedem videlicet Apostolicam Romanam & Vicarium Christi adirent; & necessitate
publica Poloniæ regni, eiusq. conditione & statu summo Pontifici declarato, Princi-
pem Casimirum reddi deposcerent: ea benignitate summum Pontificem præditum
esse, vt afflictorum & calamitosorum precibus non possit non moueri, & regno, cui
suapte deberur miseratio, propitiationem non præstare non posse: sine vero Apostolicis
mandatis in remittendo, absoluendoq. monacho, quam grauissime pro salute publica
pariturum. Cluniacensis Abbatis responso Polonorum Legati accepto, etsi illos non
mediocris haberet molestia & amaritudo, quod Principem suum regulari professio- B
ne, & diaconatus officio intelligerent irretitum, duplicemq. illum nodum non sine
plurimorum laborum & difficultatum interpositione soluendū: omnia tamen etiam
extrema deuouent se perpessuros, dummodo salutem miserabili & afflictæ patriæ re-
ferre possint.

LEGATI POLONI AD SEDEM APOST. VENIVNT.

Ex Cluniaco itaque facto discessu, rectiori quo possunt itinere Romam contendūt:
quo cum incolumes peruenissent, a Benedicto Papa Nono benignam audientiam sor-
titi, quibus bellis, quibus cladibus, cædibus & spolijs regnum Poloniæ, cum ab ex-
ternis, tum a proprijs propter carentiam & exulationem stirpis regiæ vsque ad inter-
necionem confectum sit: quibus quoque ex causis restitutio Principis eorum Casimi-
ri per Cluniacensem Abbatem negata sit, declarant] atque demum Pontificem his
compellant verbis: Ex te sanctissime Pater, nostra & totius regni Polonici salus & re- C
stauratio pendet: tu solus patriæ nostræ potes sanare discrimen, tu bellicum furorem
inhibere. Te patria nostra inuocat, te intuetur, ad te fiducialibus precibus recurrit.
tua maxime interest, facili auctoritate & decreto ei præstare gloriam & quietem, sa-
lutem & integritatem. Per te regionum nostrarum sanari debent vulnera, quibus
præter te nemo mederi potest, vt Respublica nostri regni Polonici sæua discordia mi-
serabiliter prolapsa, in pristinam prosperitatem, pace confecta, vigoreq. resumpto,
diuinitate propitia consurgat. Maturato opus esse, ni cito succursum fuerit, de ca-
pite, de fortunis insontium, de totius insuper regni corpore actum esse. Nec semel Pa-
pam & Cardinales petijsse contenti, frequentius petere & instare perseuerabant, ro-
gantes ne se frustratos spe abire post tantos labores fatigasq. triste responsum in pa-
triam referre paterentur. compateretur summus Pontifex benignitate paterna Polo-
norum regno, miserabilibus cladibus obtrito, non aliam habenti fiduciam, quam si D
esset sine capite truncum corpus, sine oculis frons & facies tenebrosa.

Legatione Polonorum Benedictus Nonus audita, quid facto opus foret, aliquanto
tempore cum Cardinalium collegio, ceterisq. timoratis viris & iurisperitis deliberat.
Res enim & supplicatio noua, & sine exemplo ad se delata, non parum in vtramque
partem difficultatis & periculi secum trahens, alta longaq. indagine & lucubratione
vt dirigeretur, summum Pontificem impellebat. Nam ex monacho, diaconoq. laï-
cum efficere, solemne religionis & continentiæ votum, transgressionis in diuinam le-
gem facinus ingens censebatur; & laboranti afflictoq. regno non prouidere patentis
crudelitatis, quæ a Sede Apostolica, benignam se omnium matrem vocitante longe
abesse debet, erat specimen. Mouebant tantæ sanctitatis virum facies miserandæ Le- E
gatorum, vilis & obsoletus habitus, vultus supplices, demissa supercilia, & verborum
humilitas. Intelligebatq. vir Apostolicus propter defectum regalis regiminis multas
Polonis iacturas accidisse, vtpote militum dissensionem, populi concussionem, re-
gni deprædationem, Fidei subuersionem, Episcoporum & sacerdotum indignam op-
pressionem, virginum defiorationem, & coniugalis pudicitiæ contaminationem.
Itaque post varios tractatus & concertationes hac in re habitas, dum plures viæ Po-
lonorum Legatis a summo Pontifice propositæ, velut duræ & intolerabiles repudia-
rentur; ea tandem a summo Pontifice decreta, & a Polonorum Legatis recepta est.
Et tunc demum summus Pontifex Legatorū precibus annuit, & Casimirum illis pre-
cario Regem donat; vxorem illi ducere & filios procreare concedit.

Dona tamen Apostolica exemplum non habentia, nec vmquam alicui personæ, aut
regioni concessa rata esse decernit, si illa lex a Polonorum Legatis suscipienda, & per-
petuo

A petuo seruanda promittatur, Princeps Poloniæ Casimirus, dispensante summo Ponti-
fice, monasterio Cluniacensi exeat, habituque, regula & gradu diaconatus abdica-
tus, solutus & liber, paternum & auitum regnum instauraturus illud resumat, nu-
bendi, & in spem Poloniæ regni successores generandi habens plenam potestatem;
sed tum Polonorum regiones ac regnum, in signum præstiti per Apostolicam Sedem,
acceptiq. in magno necessitatis suæ articulo beneficij, beato Petro & successoribus
Romanis Pontificibus de quolibet capite nobilium (capitibus circumscriptis) vsualē
nummum annis singulis soluere, cæsariem capitis & comam barbaro more non nu-
trire, sed auribus patentibus, sed instar religiosorum Latinarum nationum tonsura-
tum caput gestare, & in præcipuis Christi & Virginis Matris eius festiuitatibus panno
lineo albo, in stolæ modum dependente, ceruicem exornare perpetuo sit astrictum.

QVAE SINT DECRETA SERVANDA POLONIS PRO CASIMIRO RECEPTO.

B Vt his tribus insignibus ex monacho, & ex diacono Apostolica concessione & beni-
gnitate cum aliter concretum periculum dispelli non possit, Polonus Regem sibi crea-
tum & redditum recognoscens, tam in Deum, quam in religionem Christi sit gratior
atque deuotior] Ita plane veluti aucto fœnore, vt pro vno sibi oppignorato votis so-
lemnibus monacho, eum cum reddit Ecclesia, Polonos omnes quodammodo tonsura
monachos (quoad fieri licuit) habitus schemate solemnibus diebus religiosos præse-
ferentes, & annui pensitatione tributi perpetuo obligauerit. quo cum nobiles omnes
pariter astrictos tradat Longinus, miramur quomodo Chromerus ea tributi pensita-
tione minime deuinctos fuisse dicat nobiles, neque clericos sacris addictos. Ritum au-
tem illum, vt cum sanctum Euangelium in sacris Missarum solemnibus inchoatur, Po-
loni gladium stringerent, ac mediotenus euaginarent in signum prompti animi in de-
C fensionem Euangelij, etiam si opus sit armis, iam a tempore Miezcislai Polonorum
Regis inoleuisse [a] Chromerus tradit. seruauit omnia ista populus sui natura religio-
nis custos, veritatis cultor, & amantissimus æqui. Quomodo autem his acceptis a
Sede Apostolica perpetuo conseruandis decretis, Cluniacū sint reuersi Legati, litterisq.
Pontificijs patefactis receperint suum Principem, eumq. reduxerint in Poloniam, a
quo profligatis sceleratis ipsum regnum fuerit in statum optimum reuocatum; &
quomodo ad debellandos hostes affuerit ei diuinum auxilium, angelico ministerio
exhibitum, idem auctor pluribus narrat. sed hæc nobis satis ad institutum. Quomodo
insuper in gratiarum actionem monasteria extruxerit, ad quæ habitanda suos ex Gal-
lijs vocauit Cluniacenses, idem auctor inferius scribit.

[a] Chrom. lib. 3.

D IESV CHRISTI ANNVS 1042. BENEDICTI IX. PAP. ANNVS 9. VACAT. IMP. OCCID. 3. MICHAEL. CALEPH. IMP. 1.

MILLESIMVS quadragesimus secundus annus Indictione decima incipit, quo
Ouo, siue Vuo tyrannus aduersus Petrum Regem Hungariæ consurgit, vno re-
sistente ei sancto Gerardo Episcopo Canochiensi. Hic [b] nobilis Venetus, ab ineunte
ætate monasticum amplexus institutum, pergens Hierosolymam, rediens, in Hun-
garia a sancto Stephano Rege detentus, illic consistere cogitur cultor illius Ecclesiæ:
E vbi post multos labores promotus ad Episcopatum, veri pastoris in se formam in om-
nibus diligenter expressit, potissimū vero in pastorali constantia, qua irruenti lupo in
gregem obsisteret, ac pro viribus propulsaret. Cuius virtutis specimen tunc dedit in-
signe, cum ad coronationem tyranni vocatus, non solum noluit interesse, sed eum
pro concione redarguit. Tu sic accipe rem tum gestam memoria dignam:

[b] In vita S. Gerardi apud Sur. die 23. Septēb. tom. 5.

VVO TYRANNVS PERTVRBAT HVNGARICAM ECCL.

In ipso die Dominicæ Resurrectionis, vt Pater eius loci, regio capiti diadema im-
positurus adueniret, per honestissimos viros inuitatur. At illo renuente, reliqui pon-
tifices Regi coronam imponunt, magnoq. Cleri ac populi comitatu Rex ornatus ec-
clesiam ingreditur. At vero plenus Spiritu sancto beatus Episcopus, stola candida
indutus pulpitum ascendit, Regemq. his verbis per interpretem alloquitur. Obser-
uatio sanctæ Quadragesimæ peccatoribus pro venia, iustis pro præmio constituta est,
quam tu Rex cum cædibus pollueris, mihiq. nomen patris præripueris, per te dulcissi-
mis filijs orbato, nullam hodie veniam mereris. Et quia pro Christo meo hodie mori

S. GERARDI EPISCOPI LIBERTAS ADVERSVS TYRANNVM.

paratus

Universidad de Deusto
Biblioteca

paratus sum, quæ tibi sunt euentura prænuntiabo. Anno tertio regni tui gladius vltionis excitabitur in te, qui tibi regnum improba fraude per vim acquisitum auferet, & cum illo pariter & vitam. Hæc cum Regis amici liberalibus instituti litteris attoniti mirarentur, innuebant interpreti vt taceret, Episcopum ab ira & indignatione Regis seruare volentes. ijsq. interpres timens assensit. At vero pastor immorigerum interpretem perurget & compellit vt pergat, ita dicens: Deum time, Regem honora, patris tui verba edicito. Tandem coactus interpres pastoris declarauit sententiam, non mediocriter iram Regis reformidans. Postquam autem euenere quæ dixerat beatus Episcopus, totius regni incolæ re ipsa didicerunt, eum prophetiæ spiritum habuisse] prophetasse etiam de suo martyrio post quinquennium futuro in seditione tunc temporis excitanda, idem auctor affirmat. de quo suo loco dicturi sumus. Porro triennij illud tempus vsque ad necem tyranni non exactum, sed inchoatum dumtaxat intellexisse, declararunt euenta. Nam anno millesimo quadragesimoquarto liquet auctoritate Hermanni & aliorum, eumdem tyrannum ab Henrico Germaniæ Rege debellatum, & Petrum restitutum: idem vero Rex eum deprehensum meritum supplicium subire iussit, eius capite amputato.

CONSTANTINVS MONOMACHVS IMP.

Quod autem ad res Orientales pertinet, hoc eodem anno ejecto ab Imperio Michaele Calephate, oculisq. priuato, Constantinus cognomento Monomachus, qui in exilium missus fuerat a Ioanne fratre Michaelis Paphlagonis Imperatoris, reuocatus, iunctusq. Zoe in matrimonium, Imperator coronatur vndecima mensis Iunij. hæc pluribus Curopalata.

IESV CHRISTI ANNVS 1043. BENEDICTI IX. PAP. ANNVS 10. VACAT. IMP. OCCID. 4. CONST. MONOM. IMP. 1.

ANNVS millesimus quadragesimustertius Indictione vndecima inchoatus sequitur, quo Benedictus Papa petitum per Legatos pallium misit ad Hamburgensem recens creatum Archiepiscopum Adalbertum, suffectum in locum Alebrandi viri sanctissimi. hæc [a] Adam pluribus, qui de tempore obitus prædecessoris, & eius digna memoria eiusmodi epitaphium scripsit:

[a] *Adam lib. 2. cap. 63.*

Anno Domini millesimo quadragesimotertio contigit depositio dilecti patris Alebrandi, circa diem decimumseptimum Kal. Maij. hæc est Indictio vndecima.

Vale in Christo pater amabilis, & tuo gregi numquam obliuiscende: transi ad pascha cælorum, vbi cum Agno paschali epuleris in azymis sinceritatis & veritatis. Recipere feliciter in æterna tabernacula, vbi cum Angelis indeficua læteris beatitudine. Quamdiu enim temporali nobiscum vita fruebaris, pastoralis curæ officia nobiliter implesti vita & doctrina, omnia nobis dulcia: nunc autem raptus es, ne malitia mutaret intellectum tuum. Ideoq. pius Dominus properauit educere te de medio iniquitatum, vt fructum laborum tuorum pleniter percipias, etiam si non perfeceris omnia quæ voluisti. Ergo iustitia tua manet, & memoriale tuum non derelinquetur in sæculum sæculi] hactenus epitaphium. Porro sedis eius numerantur ab eodem Adamo anni decem. At res gestas Adalberti fusius est prosecutus idem auctor stylo fideli, tam bona quam mala congerens, vt nec adulator, neque calumniator habendus sit.

S. EDVARDVS CORONATVR REX ANGLIAE

Eodem anno defunctis iam duobus filijs Cnuti Anglorum Regis, eius in regnum successoribus, ex insperato, ita Deo disponente, omnium consensu eligitur sanctus [b] Eduardus Emmæ Reginæ filius ex Ethelredo parente, olim legitimo Anglorum Rege, coronaturq. hoc anno die sancto Paschæ, idq. opera Goduuini Comitis potentissimi, data ei in matrimonium ipsius filia Egitha, virgine honestissima, viri sanctitati haud adeo impare: quam virginem, intactamq. seruatam constans est assertio Scriptorum omnium. Porro ista de immensa Dei misericordia erga Ecclesiam Anglicanam diuinitus longe ante ostensa fuerunt sancto Episcopo. de quo ista Vuillelmus: [c] Viderat quondam somnij reuelatione sæculi illius felicitatem Brithuuoldus Vuintonienſis Episcopus, viderat & annuntiauerat. Nam dum tempore Regis Cnutonis cælestibus apud Glastoniam lucubraret excubijs, subijssetq. illum cogitatio, quæ frequenter

[b] *Ingulf. hoc an. & Roger. & alij.*

[c] *Vuillel. Malmesb. de hist. Reg. Angl. lib. 2. cap. 13.*

quenter angebat, de regia stirpe pene deleta: hæc meditanti sopor irrepsit. & ecce in superna raptus videt Apostolorum principem Petrum ipsum Eduardum, qui tunc in Northmannia exulabat, in Regem consecrare, cœlibe, *hoc est, absque liberis infecunda* designata vita, & certo vigintiquatuor annorum numero regni computato. Eidemq. conquerenti de posteritate, respondere: Regnum Anglorum est Dei, post te prouidit Regem ad placitum sui] hæc apud Vuillelmum. At de sancto Eduardo plura dicenda sunt inferius ordine temporum.

Hoc anno (habet [a] Hermannus) Henricus Rex iterum Pannonias petens, ab Ouone vix pactum, satisfactionem, obsides, munera, regniq. vsque ad Litha fluuium partem accipiens discessit: inde in Alemanniam veniens, in Synodo Constantiensi cunctis, qui contra se deliquerant, primum ipse debitum omne dimisit; deinde precibus, & hortationibus omnes præsentes Sueuigenas, postea in alijs regni sui prouincijs idem actum iri satagens, dimissis debitis, & inimicitijs, sibi inuicem reconciliauit, pacemq. multis sæculis inauditam efficiens, per edictum confirmauit. Exin Agnetem Vuillelmi Pictauiensis filiam sponsam suam accipiens, & Moguntiaci Reginam inungi faciens, regales apud Ingelheim nuptias celebrauit, & in vano histrionum fauore nihili pendendo vtile cunctis exemplum, vacuos eos dimittendo, proposuit] Glaber autem eiusmodi nuptias in annum millesimum quadragesimumquintum reijcit.

[a] *Herm. ex Caniſij edit. hoc anno.*

CONVENTVS CONSTANTIENSIS.

NVPTIAE HENRICI REGIS GERMAN. ET AGNETIS REGINAE.

Quod ad res pertinet Orientis, hoc anno Indictione vndecima vigesima Februarij defunctus est Alexius Patriarcha Constantinopolitanus, inq. locum ipsius est subrogatus Michael cognomento Cerularius, qui a Ioanne germano Michaelis Imperatoris actus fuerat in exilium ob tyrannidem affectatam. hæc omnia Curopalata.

ALEXIVS PATRIARCHA CONST. MORITVR CERVLARIVS SVBROGATVR.

IESV CHRISTI ANNVS 1044. BENEDICTI IX. PAP. ANNVS 11. VACAT. IMP. OCCID. 5. CONST. MONOM. IMP. 2.

REDEMPTORIS annus millesimus quadragesimusquartus duodecima inchoatus Indictione sequitur, quo nouo schismate Romana Ecclesia scinditur, de quo temporis huius auctor Hermannus hoc anno sic ait: Romani Benedictum CL. Papam multis criminatum Sede sua pellunt, & Siluestrum III. quemdam in eius locum statuunt. quem tamen postea Benedictus quibusdam sibi fauentibus excommunicatum depulit, Sediq. suæ redditus, seipsum postea priuauit, & alium pro se ob auaritiam contra canones ordinauit] hæc Hermannus. Qui autem tertius est substitutus, fuit Ioannes Archipresbyter Romanus.

SCHISMA IN ROMANA ECCLESIA.

Hæc autem vt quam exactissime cognoscantur, in primis sciendum, duas potentissimas viguisse tunc temporis factiones, alteram Tusculanorum Comitum, a quibus intrusum vidimus Benedictum; alteram Ptolemæi Romani ciuis, qui fuit filius Gregorij, quem in Ottonem Tertium rebellasse, suo loco superius vidimus. Fuisse familiam hanc potentissimam, quæ & magna iactantia vane gloriaretur esse Octauiæ gentis, [b] Petrus diaconus tradit, dum huius filium Ptolemæum itidem nominatum in vxorem duxisse filiam Henrici Quarti Imperatoris, enarrat. Benedicti igitur turpitudinem vbique decantatam, a bonis omnibus deploratam haud diutius ferre valentes Romani ante oculos ipsam habentes, haud veriti sunt potentiam Comitum Tusculanorum, qua Vrbi imminentes, terrori ciuibus esse solerent, sed fauore aspirante Consulis Ptolemæi, Benedictū (vt audiuimus) reiecerunt, & alium, quem nominauere Siluestrum, subrogarunt. Erat iste Episcopus Sabinensis, qui & malis artibus, nempe collata pecunia, ad Sedem Petri sibi ascensum parauit. de quo Leo Ostiensis, Hermanno omnino consentiens, rem gestam dum narrat, hæc habet: [c] Romæ item Benedictus, cum annis * duodecim Apostolicæ Sedi præfuisset, a Romanis eiectus est, & Ioannes Sabinensis Episcopus, cui nomen Siluester impositum est, non tamen gratis, in Romanum Pontificem subrogatus. Qui cum præfuisset mensibus tribus, Benedictus ille prius abrogatus, annitentibus propinquis suis Tusculanis proceribus, pulso Siluestro, Romanam Sedem iterum occupat. Nec multo post inuisum se cunctis aspiciens, * Ioanni Archipresbytero, qui quasi religiosior habebatur, Papatu tradito,

[b] *Petr. diac. Chron. Caſſ. lib. 4. c. 63.*

SILVESTER III. ANTIPAPA.

[c] *Leo Oſt. Chr. Caſſ. lib. 2. c. 80.*

* vndecim.

* Gratianum hunc alij nominant.

Universidad de Deusto
Biblioteca

TRES PSEVDOPONTIFICES SIMVL.

to, ipse cupiditates suas liberius executurus, in paternam se recepit domum] Audiamus modo, quæ de his habeat Otto Frisingensis: Circa idem tempus pudenda (inquit) confusio Ecclesiæ Dei in Vrbe Roma fuit, tribus ibi inuasoribus, quorum vnus Benedictus dicebatur, Sedem illam simul occupantibus, atque ad maioris miseriæ cumulum diuisis simul redditibus, Patriarchijs, vno ad sanctum Petrum, altero ad sanctam Mariam Maiorem, tertio, id est Benedicto, in palatio Lateranensi sedente, flagitiosam, & turpem vitam, vt egomet in Vrbe, Romanis tradentibus, audiui, duxere] hæc de tribus pseudopontificibus simul Romæ sedentibus Otto, nempe Benedicto, Siluestro, atque Ioanne. A

NAVFRAGIVM GRADENSIS ECCL.

Sed quanta ex his oborta mala fuerint, quis numerare sufficiat? etenim pseudopontifices vt ad se allicerent homines, quæque iniusta petita libenter eisdem concedebant. Vt fecisse noscitur Benedictus, a quo hoc ipso anno Ind. xij. Poppo Patriarcha Aquileiensis, Apostolica Sede multipliciter conquassata, priuilegium de subiectione Gradensis ecclesiæ obtinuit. Ac Gradum furtim ingrediens, abominanda commisit flagitia. Nam ecclesias incendit, thesauros abstulit, & multas reliquias, quas inuenit, retulit secum. Pro tanto igitur flagitio Dux Dominicus Contarenus, & Vrsus Patriarcha, Benedicto Papæ litteras mittunt. Sed antequam de tanto ausu coerceretur, idem Poppo sine confessione & viatico moritur turpissime. At Dux & Patriarcha Benedictum Abbatem S. Trinitatis de Brondulo, Ioannem Stornatum, & Gregorium clericum Nuntios Papæ delegantes, irritationemq. priuilegij Popponi concessi obtinentes cum ablatorum restitutione, & suæ sedis approbatione redeunt. Tunc Dux Vrbem Gradum dirutam reparare studuit] hæc ex Chronico Andreæ Danduli. Sed redeamus ad institutam de multiplicibus assertis Pontificibus narrationem. B C

BENEDICTVS PAPA SVASV S. BARTHOLOMAEI CESSIT SEDE.

Quod autem in primis ad Benedictum pertinet, ipsum quidem magno Fidelium scandalo vitam ducentem, sponte Romanæ Ecclesiæ Pontificatui cessisse persuasione viri sanctissimi Bartholomæi Abbatis Cryptæ Ferratæ, discipuli S. Nili, de quo plura Tomo superiori, eius Acta significant, in quibus ista leguntur: Quomodo venerabilem ipsum vniuersis reddidit eius virtus, vt supra diximus, aperte manifestemus. Qui tunc temporis Apostolicæ Sedi præerat, cum iuuenis esset (quod vtinam Deus auertisset) voluptatibus deditus, humanæ fragilitati se præcipitem dedit. Sed cum tandem ab hoc malo resipuisset, & malefactorum solutionem, & veniam sibi quæreret; beatum Bartholomæum sibi fore mediatorem agnouit, & intercessorem illum sibi decreuit. Quapropter aduocauit illum maiori qua poterat veneratione & honore. huic rem totam aperit, & opportunum remedium quærit. Ipse vero Bartholomæus non est throni celsitudinem veritus, non dignitatis præstantiam respexit, neque munera, & honores, quod plerique spiritualium medicorum facere solent; sed mali grauitatem, & propterea opportunam mali abscissionem illi adhibens, ita inquit: Non licet tibi sacra tardans, neque procrastinans, sed quam primum deposita Sede instar priuati hominis se habebat. & hæc quidem cum summo Pontifice Bartholomæus] hæc ibi auctor eius temporis. Verum eumdem Benedictum dimissam repetijsse Cathedram, certum est. D

QVOMODO TRES SCHISMATICI DESTITERE.

At quodnam primum remedium adhibitum fuerit ad extinguendam tricipitem bestiam hanc, portis inferis emergentem, videamus. Illi plane simile excogitatum remedium est, quod in extinguendo Cerbero illo fabuloso finxere Poetæ, nempe picea offa opplendo fauces, dando illis mandendum aliquid, vt a latratu omnino cessarent. Quis autem pharmacum istud pararit, quod temporis illius infelicitas exigebat, videamus. Otto Frisingensis sic pergens fideliter narrat: Hunc miserrimum statum Ecclesiæ religiosus quidam presbyter, Gratianus nomine, videns, zeloq. pietatis matri suæ compatiendo, animaduertens, præfatos viros adijt, eisq. a Sede sancta cedere, pecunia persuasit, Benedicto redditibus Angliæ, quia maioris videbatur esse auctoritatis, relictis. Ob ea ciues præfatum presbyterum, tamquam Ecclesiæ Dei liberatorem, in summum Pontificem elegerunt, eumq. mutato nomine Gregorium Sextum vocauerunt] E

GREGORIVS VI. PAPA.

Hæc sunt, quæ loco simoniæ Gregorio obiecta fuere: sed an emptio Sedis, vel redemptio potius vexationis transactio ista adeo necessaria ad pellendos intrusos Pontifices fuerit, periti canonum omnes facile iudicabunt. Vnum hoc liquet, eumdem Gregorium

A rium Sextum vere germanum atque legitimum Pontificem a viris sanctissimis, atque doctissimis eius temporis habitū esse, nempe ab Hildebrādo postea Gregorio Septimo, & a Petro Damiani, & alijs viris in primis simoniacorum hostibus implacabilibus. de Gregorio Septimo ipse Otto Frisingensis æque testatur, qui ait: Hunc Gratianum Alpes transcendentem secutum fuisse tradunt Hildebrandum, qui postmodum summus Pontifex factus, ob eius amorem, quia de catalogo Pontificum semotus fuerat, se Gregorium Septimum vocari voluit. & sicut in Lucano habes:

Victrix causa dijs placuit, sed victa Catoni. Ita & huic Hildebrando, qui semper in ecclesiastico rigore constantissimus fuit, causa ista, in qua sententia Principis, & Episcoporū præualuit, semper displicuit. Ex hinc Romana Ecclesia in electione canonica Pontificum in tantum infirmata inuenitur, quod iste, quatuorq. sequentes ab Imperatore
B ibi positi in catalogo inueniantur] hæc ipse. ac ita quidem. Nam ipse Gregorius Septimus in Concilio Romano, celebrato anno Redemptoris millesimo octogesimo, eius vero Pontificatus anno septimo, recognoscit Gregorium hunc legitimum Papam. sed & [a] Glaber eius plane temporis scriptor, quiq. ad ipsius Gregorij electionem stylo peruenit, summopere Gregorium Sextum laudat, hæc dicens, post Benedictum eiectum: Tunc vero cum consensu totius Romani populi, atque ex præcepto Imperatoris eiectus est a Sede Benedictus, & loco eius subrogatus est vir religiosissimus ac sanctitate perspicuus Gregorius, natione Romanus: cuius videlicet bona fama, quidquid prior fœdauerat, in melius reformauit] hæc adeo de Gregorio glorioſa Glaber totidem verbis. Ex his autem redarguas errores aliorum, in primis vero, quod Ioannem Archipresbyterum cum Gratiano conflant in vnum. nam & Petrus Damiani huius
C temporis scriptor Gregorium Sextum Gratianum, & non Ioannem antea nominatum fuisse iterum tradit. cuius ad eumdem Pontificem epistolam hoc anno datam hic describere dignum existimamus.

[a] *Glab. lib. 5. in fine.*

GREGORIVS VI. PAPA LAVDATISSIMVS.

Ipse quidem Petrus Damiani, mox vt audiuit eius promotionem, & quidem canonicam, ad ipsum scribens, ipsi congratulatur, quod Ecclesia Dei per eius electionem, sordibus expurgatis, pristinum decorem sit consecuta. extat ipsa epistola vna cum alijs eiusdem Petri in codice Cassinensi, quam hic tibi reddendam curauimus. sic enim se habet:

PETRI DAM. AD GREG. VI. EPIST. I.

Domno Gregorio sanctissimo Papæ Petrus peccator monachus debitæ seruitutis obsequium.

Reuerentissime domine, Regi Regum Christo gratias refero, quia de Apostolica Se-
D de bona semper audire aridis desiderij mei faucibus sitio, largum præconij vestri poculum, multis iam propinantibus, bibo, qui videlicet haustus tanta suauitatis dulcedine mentis meæ stomachū recreat, vt dum mens interius iubilat, lingua protinus in hanc vocem laudis erumpat: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Vere enim ipse, sicut scriptum est, mutat tempora & transfert regna. Vere, quod per Prophetam suum multo ante prædixit, nunc teste mundo, mirabiliter adimpleuit: Quia dominatur Excelsus in regno hominum, & cui voluerit, ipse dat illud. Lætentur ergo cæli, & exultet terra, & antiquum sui iuris priuilegium se recepisse sancta gratuletur Ecclesia. Conteratur iam milleforme caput venenati serpentis, cesset commercium peruersæ negotiationis, nullam iam monetam falsarius Simon in Ecclesia fabricet, nulla Giezi, præsente prouidi doctoris absentia furtiua dona reportet. Iam colum-
E ba reuertatur ad Arcam, & virentibus oliuæ folijs, pacem nuntiet redditam terris. Reparetur nunc aureum Apostolorum sæculum, & præsidente vestra prudentia, ecclesiastica reflorcat disciplina. Reprimatur auaritia ad Episcopales infulas anhelantiū: euertantur cathedræ columbas vendentium numulariorum. Verumtamen vtrum ista, quæ scribimus, mundo sperare sit licitum: primo Pisaurensis ecclesiæ bonæ spei clarum dabit indicium. Nisi enim prædicta ecclesia de manu illius adulteri, inceſtuosi, periuri atque raptoris auferatur: omnis populorum spes, quæ de reparatione mundi erecta fuerat, funditus eneruatur. omnes siquidem ad hunc finem oculos tendunt, omnes ad hanc vnam vocem aures eriguht. & si ille tot criminibus obuolutus ad Episcopatus arcem restituitur: ab Apostolica Sede boni aliquid vlterius posse fieri, penitus denegatur. Tres equidem sunt, quæ testimonium dabunt, Castellana sedes, Fanensis & Pisaurensis, vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

In his tribus patenter oſtenditur,quid ſpei de cetero relinquatur.Omnipotens Deus,te A
ſumme pater,ad conſeruanda Eccleſiæ ſuæ iura cuſtodiat,& populum ſuum ne immerito ſub tanto Pontifice gaudere permittat] iſta Petrus ad Gregorium Papam recens electum, & quidem canonice, & quidem legitime, quod tanta iſta non niſi legitime electo Papa ſint digna. vt plane, ſi deſint alia, iſta ſufficiant ad demonſtrandam eiuſdem canonicam electionem omni ex parte puriſſimam. Non enim eiuſmodi fuit Petrus Damiani, qui vellet, hæc ſcribens,turpiter adulari Pontifici: nam exæſtuans zelo eccleſiaſticæ diſciplinæ, nemini parcere nouit, quin acerbiſſime arguerit quemcumque ſciret eidem aduerſantem. Ex his etiam intuere, quantæ eſſet Gregorius æſtimationis in orbe, vt eum conſcendiſſe tantam cathedram Petri, idipſum fuiſſet, omnia (vt audiſti) mala ab Eccleſia propulſaſſe,ac bona omnia poſtliminio reuocaſſe.

Sed quas ad eumdem Gregorium de promouendo Epiſcopo Sempronienſi litteras B
idem dedit, ex eodem codice ſumptas ſic accipe:

PETRI DAM. AD GREG. VI. EPIST. II.

Domno Gregorio ſanctiſſimo Papæ Petrus peccator monachus deuotiſſimæ ſeruitutis obſequium.

Nouerit beatitudo veſtra, pijſſime domine, quia pro peccatis noſtris clerici digni Epiſcopatus officio, in noſtris partibus non inueniuntur. Omnes enim quærunt quæ ſua ſunt, & non quæ IESV Chriſti. Auaritiæ quippe & elationis igne ſuccenſi ambiunt quidem ad ſacerdotium promoueri; ſed non ſtudent digni ſacerdotio fieri. præeſſe inhiant, prodeſſe non curant. Verumtamen pro qualitate temporis & penuria perſonarum, videtur mihi hic Archipresbyter poſſe ad Epiſcopatus apicem prouehi, ſi

* auiditate

veſtræ ſanctitatis id decernat auctoritas, excepto quod * auaritia honoris æſtuat, conſcendere ad paſtoralis officij culmen anhelat. C

Hoc autem veſtro relinquatur iudicio. ſed ſi hoc non obſtit, cum Sempronienſis eccleſiæ clericalis ordo in mea mente reuoluitur; hic aliquanto ceteris quaſi meliuſculus inuenitur. Quapropter ſi prudentiſſimæ veſtræ ſanctitati placere poteſt: poſtquã a Clero & populo eſt electus,poſtquam ad hoc officium a pluribus vtcumque iudicatur idoneus; de ambitione ſua pœnitentiam agat, & benedictionem conſecrationis accipiat. Verumtamen omnipotens Deus,quid vobis ſuper hac re faciendum ſit,per ſui ſpiritus gratiam doceat, & in templo pectoris veſtri manifeſta voluntatis ſuæ iura decernat. Vnum autem eſt,vnde pietatis veſtræ depoſco clementiam,vt ſi hunc non conſecraueritis: donec me ſeruum veſtrum videritis, nulli prædicti Epiſcopatus cathedrã tribuatis] hæc ad Gregorium Papam Sextum Petrus Damiani. De quo non eſt quod poſſit dubitari, num potius ad Gregorium Septimum, quam Sextum iſta ſcripſerit: ſiquidem oſtendetur inferius, eumdem Petrum ſub Alexandro Pontifice diem obiiſſe, & ad tempora Pontificatus Gregorij Septimi ſucceſſoris Alexandri minime peruenijſſe. Vides igitur Lector, quam fallantur ij, qui inter ſpurios atque ſchiſmate notatos Pontifices reijciunt Gregorium Sextum, qui tantopere a præcipuo ſchiſmaticorum hoſte, tanto viro, Petro Damiani meruit commendari. D

GREG. VI. LEGITIMVS PAPA.

Ceterum ſicut errare noſcuntur hi, qui Ioannem cum Gratiano conflant in vnum, ita etiam qui Gregorium inter tres illos improbatos Pontifices numerant: redarguuntur enim hi manifeſte ex Ottone, qui manifeſtiſſime extra tres illos ſuperius recitatos pſeudopontifices numerat Gratianum creatum poſt tres illos Pontificem: ſic etiam Panuinus rem intelligens ſcripſit, nempe Gratianum poſt illos tres ceſſare iuſſos,creatum eſſe Pontificem, dictumq. Gregorium Sextum, eumq. pacifice ſediſſe vſque ad Henrici Germaniæ Regis in Italiam aduentum, duos ſcilicet annos & amplius. At Benno ſchiſmaticorum ſignifer, Gregorij Septimi hoſtis infenſiſſimus,in hunc Gregorium Sextum eius magiſtrum virus euomuit, dicens, hunc quem non Gratianum tantum, ſed Ioannem Gratianum appellat, mille quingentas libras perſoluiſſe Benedicto Nono, vt Pontifex fieret. ſed appello auctoritatem Ottonis viri Germani,& ſanctitate præſtantis ſuperius recitatam,qua abſque ambage aliqua ſignificatur,quæ dederit, immo habere ac retinere potius permiſerit Gratianus Benedictum, vt a Pontificatu iterum inuaſo deſiſteret. Sed a Bennone omnium mendaciſſimo & perditiſſimo improbari, hoc ipſum eſt ab improbis ſeparari,& in omnibus commendari, probarique. E

Quod autem ad eius adminiſtrationem pertinet, Glaber (vt vidimus) his paucis rem abſoluit, dicens: Cuius videlicet bona fama, quidquid prior fœdauerat, in-

melius

A melius reformauit] at quænam fuerit iſta reformatio, hoc inquirendum. Sane quidem animum eius zelo exæſtuaſſe,vt quæ tot annorum ſpacijs coaluiſſent mala,iamq. in conſuetudinem conuerſa eſſent, de medio tolleret,atque omnino corrigeret, ex ijs quæ dicturi ſumus, facile intelligemus. Quod ſi (vt eſt in prouerbijs) cognoſcimus leonem ex vnguibus,& ex diſcipulo magiſtrum exiſtimare licet, & inſtitutionem filiorum ad parentem referre ſolemus: ex Gregorio Septimo huius diſcipulo Sextum Gregorium, magiſtrum eius, qualis fuerit, potenti coniectura aſſequi poſſumus. Libertas enim illa, animiq. conſtantia, indefeſſumq. ſtudium vendicandi oppreſſam a Principibus Eccleſiam in priſtinam libertatem, quæ ampliſſimis notis in Gregorio Septimo intuemur: vtique in Gregorio Sexto hoc primitus eluxere, & ex hoc in ipſum,e fonte velut in riuum fluxiſſe noſcuntur. Huius fuit labor & induſtria, vt tria il-
B la monſtra conficeret, ſed non ita feliciter, vt optauit, perficere licuit, cum non niſi pacta pecunia ex redditibus Eccleſiæ colligenda,cedere Sedibus illi obſtinato animo ſtatuiſſent. laudatum tunc opus, quod poſtea in calumniam verſum, ſummum ipſi peperit detrimentum.

Sed quænam creatus conſenſu omnium Pontifex egerit, videamus. de ipſo enim Vuillelmus Bibliothecarius Malmesburiæ, qui ſequenti ſæculo claruit, atque ſcripſit, hæc habet: [a] Erat Papa Gregorius Sextus ante dictus Gratianus, magnæ religionis & ſeueritatis. is ita Romani Apoſtolatus ſtatum per incuriam anteceſſorum ſuorum diminutum inuenit, vt præter pauca oppida Vrbi vicina, & oblationes Fidelium,pene nihil haberet quo ſe ſuſtentaret. Ciuitates & poſſeſſiones in longinquo poſitæ, quæ ad ius Eccleſiæ pertinebant, a prædonibus ablatæ; tramites publici, & ſtrata viarum
C per totam Italiam a latronibus ſtipabantur, vt nullus peregrinus niſi cum maiori manu impune tranſiret. Feruebant totis ſemitis inſidiatorum examina, nec inueniebat viator,quo colludio euaderet. Ita in vacuum,ſicut in pecunioſum furebatur; nec ſupplex habere gratiam, nec reſiſtens pati poterat violentiam. Ceſſatum eſt ab omni prouincia Romam iter aggredi; quod mallet quilibet per domeſticas eccleſias nummos ſuos diuidere, quam latrunculos proprijs laboribus paſcere. Quid in Vrbe,vnico olim habitaculo ſanctitatis? Ibi in medio foro ſicarij vagabantur, genus hominum infidũ & verſutum. Si quis ſemitarum obſeruatores aliquo tranſiſſet artificio, capitis ſcilicet periculo Apoſtoli eccleſiam videre cupiens, in ſicarios incidens, nullo modo ſine ſubſtantiæ, vel ſalutis damno domum reuertebatur. Super ipſa corpora ſanctorum Apoſtolorum & Martyrum, ſupra ſacra altaria gladij nudabantur,& oblationes acce-
D dentiũ vixdum appoſitæ,de manibus abripiebantur,abreptæ in coneſſationes,& ſcortorum abuſiones conſumebantur. tantorũ malorum turbo Gregorij Papatum offendit.

Ille primo leniter (& vt decet Pontificem)magis amore,quam terrore cum ſubiectis agere: delinquentes verbis plus quam verberibus premere: Vrbani a peregrinorum infeſtatione, a rapina ſuorum ceſſarent. alterum eſſe contra naturam, vt ille qui communi veſceretur aere, non communi frueretur pace: Chriſtiano inter Chriſtianos libere, quo liberet, progrediendum, dum omnes ſint ex vno famulitio, omnes vnius ſanguinis coniuncti coagulo, redempti pretio: alterum contra Dei mandatum,quod præcepit, vt qui altario deſeruiunt, de altario viuant. Præterea domum Dei decere eſſe domum orationis, non ſpeluncam latronum, non gladiatorum conuenticu-
E lum. permitterent oblationes tranſire in vſus ſacerdotum,vel in expenſas pauperum; prouiſurum ſe illis, quos egeſtas ad rapinas compelleret, vt aliquo honeſto officio ſtipem haberent: quos cupiditas exagitabat, ipſi ſibi pro Dei timore, & ſæculi honeſtare modum ponerent. Inuaſores eccleſiaſtici patrimonij mandatis, & epiſtolis inuitauit, vt aut indebita redderent, aut ſe iure illa tenere, in Senatu Romano probarent; ſi neutrum facerent, Eccleſiæ membra ſe non eſſe cognoſcerent, qui capiti Eccleſiæ beato Petro & eius Vicario reſultarent.

Talia frequenter concionatus,& aut parum,aut nihil proficiens,ſeuerioribus remedijs inueterato morbo tentauit occurrere. cauterio itaque excommunicationis omnes ab Eccleſiæ corpore remouit,vel qui talia facerent,vel qui agentibus conuiuio,vel etiã colloquio participarent. Hæc ille pro ſuo officio ſatis agebat,ſed pene in pernicię verſa ſedulitas. Nam,vt ille dicit: [b] Qui erudit deriſorem,ipſe ſibi iniuriam facit: maligni illi leui admonitione perſtricti contra furere, minis auras territare, muros Vrbis ar-

[a] Vuillel. de geſt. Reg. Angl. lib. 2. cap. 13.

QVANTA BONA PER GREGORIVM SEXTVM REVOCATA.

[b] Prou. 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mis circumsonare, adeo vt pene Papam interimerent. Itaque ferro abscissionis vtendum iudicans, arma vndecumque & equos conquisiuit, milites & equites adornauit. Ac primum basilicam beati Petri præoccupans, raptores oblationum vel extinxit, vel effugauit. Inde fortunam sibi aspirare videns, longius progreditur, & si qui resisterent, occisis, prædia omnia & oppida multis temporibus amissa in antiquum ius reformauit: itaque pax per multorum segnitiem exulans, per vnum hominem in patriam redijt. securi peregrini insuetas viarum terebant orbitas, læti per Vrbem antiquis oculos pascebant miraculis, cantitantes, donis factis repatriabant. Quirites interea rapto viuere assueti, sanguinarium vocant illum, & indignum esse, qui Deo offerret sacrificium, tot cædium conscius. Et vt fieri solet, quod morbus obloquij ab vno serpat in omnes; ipsi etiam Cardinales argumenta populi probabant, &c.] quæ autem subinferuntur de eius obitu, miraculoq. ad ianuas sancti Petri sponte recluſas ad suscipiendum eius cadauer, haud apud omnes fidem sibi conciliant, quod scilicet non Romæ, sed in Germania, vbi exul agebat, defunctus esse dicatur. Sed nec nos adeo constanter ea de miraculo suadendo proponimus, fides sit penes auctorem. Illud dicere atque asserere non veremur, ista de statu rerum in melius restituendo inuidiam in Gregorium concitasse, eamq. peperisse calumniam, aduersusq. eum Imperatorem in Italiam prouocasse, & vt Sede cederet, effecisse, vt suo loco dicetur inferius. tenuisse vero Sedem Gregorium annos duos & menses octo, Leo Ostiensis cum dicat, plane opus est affirmare, hæc de Gregorij electione in fine Aprilis mensis contigisse, cum constet, abdicationem ipsius factam esse in fine anni Redemptoris millesimi quadragesimisexti; in hisq. agendis, quæ sunt relata, spacium annorum duorum & octo mensium insumptum fuisse.

QVAE IN CONST. IMP. POPVLVS.

Quod ad res pertinet Orientales, cum Imperator Constantinus Monomachus pellicem subintroduxisset, Romani Scleri sororem, populo id exprobrante, & vlciscendum clamante, pene periclitatur. Quomodo autem ista se habuerint, ita Curopalata narrat: Hoc anno duodecima Indictione, cum dies festus celebraretur sanctorum quadraginta Martyrum, nona die Martij mensis, cum progressurus esset Imperator ad cultum Sanctorum publice, seditio a populo concitata est. Cum enim egressus esset multis cum satellitibus e palatio, multisq. bonis acclamationibus, & ad templum Saluatoris in Aerea peruenisset, atque inde equitaturus esset, & ad Martyrum tumulum venturus, repente e media turba exaudita vox est: Nos Scleranam Reginã nolumus; neque propter ipsam matres nostræ porphyrogenitæ morientur Zoe & Theodora: & statim confusa sunt omnia, & perturbatus populus conabatur Imperatorem occidere. Et nisi celerrime Reginæ Zoe & Theodora e superiori parte prospicientes consternatam multitudinem sedassent, haud pauci perissent, & fortasse ipse quoque Imperator, qui sopita perturbatione in Regiam reuersus est, omisso ad Martyres accessu] hæc Curopalata, ex quo alij. reliqua Monomachi, quæ ad bella pertinent, quod nostri instituti non sint, alijs legenda relinquimus.

IESV CHRISTI ANNVS 1045. GREGORII VI. PAP. ANNVS 2. VACAT. IMP. OCCID 6. CONST. MONOM. IMP. 3.

LEGATI AD APOST. SEDEM A CASIMIRO REGE MISSI.

SEQVITVR annus Redemptoris millesimus quadragesimusquintus, decimatertia Indictione, quo Casimirus Poloniæ Rex compositis Poloniæ rebus, debellatis iam hostibus, promissi memor, de acceptis a Deo beneficijs gratus, Legatos Romam ad Sedem Apostolicam mittit, qui impositum tributum denarij sancti Petri Romam ad Pontificem ferrent. Rem gestam pluribus narrat Longinus, qui & Dlugoschus, per singulos annos res Polonorũ prosequutus: qui tamen in eo errore lapsus videtur, quod sciens Benedictum Papam adhuc fuisse superstitem, ad ipsum putauit eiusmodi missam esse legationem; cum tamen ex his, quæ anno superiori dicta sunt, satis constet, ipsum cessisse Gregorio, cum alioqui esse potuit, vt (sicut ait) Benedictus exegerit, acceperit vero Gregorius. sed audiamus ipsum ista in hunc modum narrantem: Confirmatum & stabilitum Poloniæ regnum prudentia & industria Casimiri Poloniæ Regis, summus Pontifex Benedictus Nonus relatione plurimorum intelligens, gratulatione

tione singulari repletur, liberalem dispensationem Casimiro alias Carolo præstitam, profectum attulisse. Misso autem speciali ad Casimirum Poloniæ Regem Nuntio, requirit illum, vt iuxta Legatorum Polonorum Apostolicam Sedem pro sui Regis dispensatione plurimis instantijs flagitantium sponsionem, ad suam subsecutam confirmationem, capitis census de vniuersis regni Poloniæ prouincijs conquisitis, & conquirendis mandaret pro beato Petro, & suo successore Romano Papa Collectoribus Apostolicis singulis annis exhiberi.

Volens Casimirus Rex Poloniæ parere pactis summo Pontifici Benedicto primum per Legatos Polonorum, deinde pro se promissis, generalem omnium suarum prouinciarum indicit conuentum, in quo & pollicitatio, Apostolicæ Sedi per Legatos Polonorum facta, concordi omnium deuotione & consensu decreta, & innouata est, & vniuersali mandato solutio vnius vsualis oboli de capite, tam ciuitates, quam oppida, vicosq. & rura colentium in duabus prouincijs, videlicet Gnesnensi, & Cracouiensi, ac diœcesibus eisdem subiectis, videlicet Posnanensi, Plocensi . . . . . Lubecensi, Culmensi, & Camunecensi impetrata. Ab eo quoque tempore regnum Poloniæ factum est Romanæ Ecclesiæ, immo Vicario IESV Christi summo Pontifici feudale & tributarium; nec vmquam tributi prædicti solutionem passum est quacumque occasione aut pacto intermitti, aut rescindi. Videbatur autem census iste, qui Denarius sancti Petri appellatur, primum Polonis difficilis & grauis, vtpote qui secum perpetuam trahebat in Polonos obnoxietatem: postea tamen profectus varios, & commoda regno Poloniæ cognitus est præstitisse, & præstare, vt non ab homine, sed ab ipso Deo, generis Polonorum principio impositio eius credatur profluxisse. Quamuis enim per multa annorum spacia, impositionem præsentem sequentia, regno Poloniæ in plures Ducatus & prouincias scisso, ipsum a nonnullis finitimis gentibus, & nationibus, præsertim a Bohemis, & Fratribus domus Teutonicæ, nigram crucem in albo habitu deferentibus, in suis prouincijs, & pertinentijs fuerit occupatum, & direptum: nullum tamen tam validum, tam efficax ingenium (quamuis ad id plurimi interpositi fuerint industrioſi labores & conatus) poterat reperiri, quo proprietas, regno Poloniæ in huiusmodi terris & prouincijs competens, potuisset per huiusmodi occupationem aboleri. Quinimmo denarius sancti Petri prædictus, ceteris testimonijs suppressis, aut vetustate abolitis, & consumptis, & iniustam terrarum occupationem vociferatur, & detegit, & illas de sorte, titulo, iure, & proprietate regni Poloniæ fuisse, & esse demonstrat. Ab eo siquidem tempore, vsque ad diem hanc omnes veteres regni Poloniæ regiones, omnesq. Ecclesiæ Polonæ ditiones vno & perpetuo honore iuris vsurpato, & numquam intermisso, tributum denarij sancti Ecclesiæ Romanæ tradunt præter Camicnecensem diœcesim, speciali Apostolico priuilegio ad preces Legati Apostolici capti, & ex diuturna seruitute opera Camicnecensis Episcopi in libertatem restituti, exoneratam, & exemptam. Optarem autem ego, vt & Ruthenæ, Lithuanæ, Pruthenæq. regiones, postea Poloniæ regno vnitæ pari censu onerarentur, futuro sæculo, futuræq. ætati terminos & iura regni Poloniæ testaturo] hucusque Longinus, & ipse nobilis Polonus, veritatis amantissimus: quæ cum Chromerus prætermiserit, quomodo non inofficiosus arguendus?

PENSITATIO DENARII S. PETRI QVAM POLONIS VTILIS.

Hoc eodem anno in ijsdem borealibus regionibus, Bohemia scilicet, vir sanctissimus Guntherus, sancti Stephani Regis Hungarorum cognatus, monachus monasterij Abhatahensis sub beato Godehardo Abbate, demum Eremita in silua Bohemiæ, post exactos ibi annos trigintaseptem, septimo Idus Octobris sanctitate celebris migrauit ad Deum, percepturus ab eo sibi paratam coronam iustitiæ. res ab eo gestæ scriptæ extant ab eius familiaritate notissimo, nunc primum editæ ab Henrico Canisio. Tantæ molis ædificium erecturus sapienter super firmam petram ponit fundamentum, cum arduæ vitæ institutum aggressurus (inquit auctor) corde compunctus petijt ab Abbate, vt ante professionem liceret sibi Romam petere, & Apostolorum Christi, & aliorum Sanctorum intercessionem pro transactæ vitæ deuijs, & pro nouæ vitæ ingressu quærere] sic vsque ad vltimam senectutem proficiens, tandem, sic Deo dispensante, Brzetislao Duce Bohemiæ, atque Seuero Episcopo, a quo sacratissimam Eucharistiam accepit, dicta die hoc anno spiritum Deo reddidit: sepultusq. ab ipso Rege in monasterio Breunouiensi, quod a ciuitate Pragensi distat viginti stadijs, illu-

S. GVNTHERI EREMITAE OBITVS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſtratus eſt a Deo multis miraculis. Quod ad obitus tempus ſpectat, conſentit & A
Hermannus, qui hoc eodem anno eius ad Deum tranſitum ponit.

Hoc eodem anno Northmanni, qui potiti Apulia terribiles redditi erant omnibus ob ingentem arrogantiam propter victorias partas, vincuntur a monachis Caſſinenſibus, ope diuina, S. Benedicti precibus implorata. res geſta memoria digna ſcribitur a Leone [a] Oſtienſe Epiſcopo, qui primum tradit, ipſos [b] Northmannos conductos fuiſſe ſub ſtipendio ad tuendas res monaſterij, idq. fideliſſime, ſicut & fortiſſime præſtitiſſe ſub Athenulpho Abbate; poſtea vero occupare cœpiſſe vicos & oppida eiuſdem, cum [c] Richerius Abbas eoſdem in fidelitatem accepit, nimirum ſinens ea, quæ occupauerant, poſſidere, exigens ab eis iuramentum fidelitatis. ſed nec ſic ipſis quieſcentibus, ſed alia loca adhuc occupare tentantibus, immo & ipſum Abbatem captiuum ducere conantibus, Deus obſtitit, ſancto Benedicto pro ſuis monachis iniuſte B
oppreſſis ſubueniente. quæ omnia ita ab eodem auctore narrantur: Poſt hæc Northmannis arcem, quæ nunc ſancti Andreæ dicitur, in ſuum refugium conſtruere aggreſſis, mandat Abbas ab incœpto deſiſtere. Sed illi nihil reueriti, parere noluerunt. Cernens Abbas nihil ſe omnino proficere, Northmannorumq. vires diebus ſingulis creſcere: decernit vltra montes, huc vltra non rediturus, abire, *ad propria ſcilicet vnde venerat reuerſurus*. Sed cum illi id a ſuis omnino diſſuaderetur: conſilium, quo pacto ſe de tam apertis periculis, auxilio patris Benedicti, tueretur, capere pergit.

[a] *Leo Oſt. lib. 2. c. 72.*
[b] *Idem ibid. c. 39.*
[c] *Idem ibid. c. 71.*

NORTHMANNI S. BENEDICTI OPE CAESI.

Cum nutu Dei paucis poſt diebus Comes illorum Rudolphus nomine, non paucis ſtipatus militibus ad Abbatis curiam venit, eumdem (vt tunc putatum eſt) Abbatem capturus, aut occiſurus. Sed dolor, immo dolus conuerſus eſt in caput eius.

Nam cum extra eccleſiam poſitis armis, eamdem eccleſiam cum omnibus pariter C
oraturus intraſſet: omnes monaſterij famuli ſimul repente conueniunt, equos illorum armaq. diripiunt, clauſiſq. eccleſiæ ianuis ſigna omnia pulſare cœperunt. Audito ſonitu, reliqui ciuitatis homines territi, varijs vndique armati telis accurrunt, apertiſq. baſilicæ ianuis ingreſſi, Northmannos ſolis gladijs dudum infregerant, fuſis fruſtra precibus implorantes, fugientibuſq. ceteris, quindecim ex illis obtruncant. ſolum Comitem ſuperuenientes monachi manu captum vix eripere a tumultu potuerunt. Vinctum igitur ad monaſterium carceri tradendum mittunt. Hoc facto, omnem prorſus regionem peragrantes noſtri, ſubita formidine arreptos homines aggredientes, præter S. Victoris caſtrum, & ſancti Andreæ arcem, omnia ferme eo die, Deo auxiliante receperunt. Deinde nihil morandum arbitrantes, Marſorum Comites, & Borelli filios, ceterosq. fideles in auxilium aduocant, & prædicto ſancti Victoris caſtro poſt D
paucos dies recepto, ad arcem ſancti Andreæ, in qua & vxor prædicti Comitis, & Northmanni ceteri confugerant, obſidendam, expugnandamq. perueniunt. Cumq. ibi quindecim fere dies reſediſſent, & tam munitione loci, quam commorantium, & repugnantium viribus præualere non poſſent: ſtomachati tãdem Fratres qui aderant, iam quaſi nona diei hora conuerſi ad milites: Quid, inquiunt, moras teritis, & nihil agentes tempus fruſtra conſumitis? inſurgite tandem, & omnes vnanimiter arcem vno impetu aggredi maturate, nihil metuentes: aduerſus Dei inimicos, contra periuros noſtros, contra latrunculos denique paucos vobis pugna eſt.

Aderit Deus, ſanctiſſimusq. pater Benedictus, qui & aduerſarijs noſtris fidei violatæ ac periurij reis dignam confuſionem, & victoriam nobis pro iuſtitia pugnantibus afferat. Hac adhortatione vehementer accenſi, omnes mox arma corripiunt, E
omniq. conatu, inimicis reluctantibus, lapidibus, telis, machinis arcem adoriuntur. Mira dicturus ſum, ſed abſque vlla prorſus ambiguitate, veriſſima. Cum ex vtraque parte lapides ac tela mitterentur, Northmannorum tela, ſeu quoque miſſilia veluti valida vi venti retorta in ſuos, a quibus mittebantur, plurimos ſauciare cœperunt. quod vbi Northmanni aduerterunt, voluntati Dei contraire non valentes, arcem protinus reddunt, ſeq. monachorum manibus tradunt, a quibus vix defenſi, inermes ſe ad ſocios Auerſam contulere: equi eorum, arma, atque pecunia militibus vniuerſa permiſſa. Statuentibus deinde Auerſanis ſociorum iniurias vlciſci, Guaimarius obſtitit. ſicq. beati Benedicti meritis & ope, ſuo iuri terra hæc omnis reſtituta, ex tunc, & deinceps a Northmannorum infeſtatione Dei miſeratione quieſcit. Expulſi autem ſunt Northmanni anno Domini milleſimo quadrageſimoquinto] Porro tantam victoriam,

quam

A quam abſque hominis nece monachi obtinuerunt, non niſi ope ſancti Benedicti contigiſſe, quæ præceſſerunt viſiones oſtenſæ viris iuſtis, ſignificarunt, quas idem Leo ſubnectens ſic narrat: [a]

[a] *Leo Oſt. lib. 2. c. 73.*

Denique vt hæc omnia ſancti patris Benedicti voluntate & auxilio geſta credantur; nocte ipſa, quæ præcedebat hanc diem, cum ruſticus quidam ex caſtro Ceruario, Hieronymus nomine, domi quieſceret, videbatur in ſomnis ſe per viam, quæ a caſtro Mortula ducit, remeare. cum ecce ſubito monachus quidam reuerendi admodum vultus, veluti ex itinere feſſus, virgamq. geſtans manu, illi in via comes adiunctus eſt. Cumq. pariter incedentes ad biuium perueniſſent, vnde ad villam ſancti Andreæ diuertitur, rogat ſociũ monachus, vt parum ex itineris labore requieſcat. & cum reſediſſent: vnde ſic laſſus aduenisset, monachum ruſticus inquirere cœpit. Ego (inquit ille) B
diu in Caſſino monte conſtructo monaſterio, cum Fratribus habitaui: ſed cum in me ingrati valde eſſent, illorum moleſtias ferre non valui, dimiſſiſq. eis Hieroſolymam adij, ibiq. quadraginta iam fere annis cum beato Stephano ſum remoratus. Nunc autem illorum crebris nuntijs vocatus veni, & ſiquidem mores ſuos corrigant, ibidem cum illis habitabo; ſin autem, per viam qua veni reuertar. Rogatus autem vt nomen ediceret: Ego, inquit, Frater Benedictus vocor. Cumq. viam, qua ad ſanctum Andream pergitur, monachus fuiſſet ingreſſus, & quo tenderet, a ruſtico eſſet inquiſitus: Hac, inquit, pergo, quoniam in arce hac mihi agendum aliquid eſt. Experrectus autem ruſticus, retulit domino ſuo Mainardo Archipresbytero quod viderat ſomnium. ſequenti die arx, quo prædiximus ordine, capta eſt: hodieq. ſuperſunt aliqui ipſius arcis incolæ, qui aſſerunt in ipſo graui partis vtriuſque conflictu vidiſſe C
ſe monachum viriliter contra Northmannos dimicantem, ſuoſq. ardenter hortantem, cum nemo tunc ex his, qui aderant monachis, illi ſe immiſcuerit pugnæ. Ante paucos item dies alij cuidam ruſtico viſum eſt in ſomnis, quod beatus pater Benedictus virga, quam gerebat manu, Northmannos huius terræ incolas inſequendo ante ſe ageret, eoſq. ſeueriſſime verberans, cum ignominia de hac terra procul eliminaret, nullo ſibi vel modice reſiſtere audente] hucuſque Leo. Et quidem exitus declarauit miraculum, cum qui leones aduerſus omnes alias ſe gentes exhibuere, cum monachis Caſſinatibus agni mitiſſimi extitere: ſicq. exemplo perſpicuo fuerit monſtratum, ad barbaros debellandos Sanctorum preces magis conferre quam arma.

D IESV CHRISTI ANNVS 1046. GREGORII VI. PAP. ANNVS 3. VACAT. IMP. OCCID. 7. CONST. MONOM. IMP. 4.

ANNVS ſequitur Redemptoris milleſimus quadrageſimusſextus Indictione decimaquarta, quo Henricus Rex periculoſe nimis eccleſiaſtica iudicia ſibi ſumens, primum omnium Rauennatem Archiepiſcopum dignitate priuat; inde vero Gregorium Sextum Romanum Pontificem exuit Pontificatu. hæc omnia Hermannus temporis huius auctor ſic narrat, per anticipationẽ eum nominans Imperatorem. HENRICVS REX IN CONCESSA TENTAT.

Sanctam autem Pentecoſten *Imperator* Aquiſgrani faciens, Gotefrido Duce e cuſtodia relaxato, ſibiq. procedenti terratenus proſtrato Ducatum ſuum miſertus reddi- E
dit. Quibus etiam diebus Vuidgerum, qui Rauennæ præſulatum iam biennio inepte & crudeliter nondum conſecratus tenebat, ad ſe vocatum Epiſcopatu priuauit] & inferius: Coadunato exercitu Papiæ Synodum celebrauit; inde Placentiam veniens, Gratianum C L. *nempe Gregorium Sextum*, quem expulſis prioribus Romani Papam ſtatuerant, ad ſe venientem honorifice ſuſcepit; ſicq. cunctis proſpere cedentibus, iuxta Natalem Domini non longe ab Vrbe Roma apud Sutriam Synodo item acta, cauſaq. erroneorum Pontificum diligentius ventilata, Gratianum Papam conuictum baculo paſtorali priuauit. Dein omnium tam Romanorum, quam aliorum conſenſu *Suidgerum Epiſcopum, qui poſt Eberhardum primum ſecundus Babenbergenſem ſexto iam anno regebat eccleſiam, nimium reluctantem ſummum Romanæ Eccleſiæ elegit Pontificem, ſicq. circa vigilias Natalis Domini ipſam ingrediuntur Vrbem] & paulo poſt: In ipſa Natalis Domini die præfatus Suidgerus natione Saxo Apoſtolicæ Sedi ROMAM SE CONFERT. *al. Sindigerus GREGORIVS VI. ABDICATVS, CLEMENS ERIGITVR.

Universidad de Deusto
Biblioteca

HENRICVS IMP. CORONATVR.

Papa CLI. ex more consecratus, & nomine auctus, Clemens Secundus vocatus est. A
Qui mox ipsa die Henricum Regem & coniugem eius Agnetem Imperiali benedictione sublimauit: peractisq. Missarum solemnijs, ipse dominus Papa & Imperator cum Imperatrice, ita vt erat coronatus, ad Lateranense palatium cum ingenti gloria proficiscuntur, cunctis ciuibus Romanis mirantibus, honoremq. singulis quibusque pro facultate obiter impendentibus] hucusque Hermannus de rebus Pontificijs, & creatione noui Imperatoris. reliqua autem anno sequenti, quem auspicari consueuimus ab ipsis Kalendis Ianuarijs.

At magna sunt hæc, sed nimium angustata breuitate orationis & narrationis inopia. Atque primum omnium ex ijs, quæ tum hic, tum superius ante biennium dicta sunt, errare liquet eos, qui dixerunt Henricum Regem venisse Romam ad deponendum tres Pontifices, qui monstruose nimis in Romana Ecclesia ipsa Sede Petri sederent. hæc enim iam facta & absoluta esse ante biennium, cum Gregorius est electus, superius vidimus, neque postea alium quam Gregorium sedisse liquet. Quod ergo iudicium in Sutrino Concilio aduersus tres illos iam in ordinem redactos ac cessare iussos Pontifices fuisse ventilatum, Hermannus ostendit: nullum aliud esse potuit, nisi vt redditibus priuarētur, quos cum illis transigens Gratianus, qui & Gregorius Sextus, vt cessarent, percipiendos eisdem, vt vidimus, reliquisset. quorum gratia idem est postulatus in eodem Sutrino Concilio, iudicio simoniæ; sed quanta ratione, quæ suo loco dicta sunt superius, docent. hos quos potuit prætextus venatus est Imperator, vt deponeret eum, quem nullo petito Regis suffragio, nosset a Romanis Pontificem esse creatum, ne eiusmodi licentiam sibi Romanus populus vsurparet. Quod autem sanctissimus Papa cerneret, ea occasione dirum schisma fore conflandum, imitatus ipse C
Gregorius Gregorium Nazianzenum, qui ob pacem conciliandam Ecclesiæ, sponte se abdicauit, & ipse eodem animo, eademq. virtute Pontificia Sede sponte cessit.

DE SVTRINO IVDICIO.

Etenim non sic ventilatum est iudicium in Sutrino Concilio, vt ab eo lata in Pontificem Gregorium sententia fuerit, siue reus iudicandus in Synodum ductus, coram omnibus iudiciū subiturus steterit: sed ipse eidem Concilio congregato præfuit, idemq. sua sponte Sede cessit. sic tunc visum opportunum, id postulante temporum iniquitate. Viuebat adhuc Benedictus ille, inhians Sedi relictæ ac denuo repetitæ, inuadere iterum, vt declarauerunt euenta, paratus. adeo vt tunc expedire visum est, vt ad comprimendam audaciam Tusculanorum Comitum pro arbitrio Sedem Apostolicam inuadentium, eamdemq. prostituentium & facinoribus deturpantium, ipse Henricus Rex, quem optimum eligendum censeret, acciperet. Inuentum est plane D
istiusmodi remedium opportunum, cum metu & reuerentia Imperatoris cessarint violentæ illæ intrusiones, crebro, vt vidimus, per eosdem sacrilege iteratæ. Porro ex euentu, qui feliciter cessit, cum Tusculanorum Comitum fuit audacia factiosa compressa, laudatus reperitur a pluribus Henrici Regis detestanda præsumptio, qua negotium facessere Gregorio legitimo Christi Vicario, canonico Petri Apostoli successori non est veritus, sic malo filio, pessimoq. nepoti relinquens exemplum, vt non, quem elegisset Romanus Clerus, & populus postulasset, Pontifex esset accipiendus, & in Ecclesia Orthodoxa colendus, sed quem Imperator, siue Germaniæ Rex (si ille non esset) in sacrosanctum Petri thronum intruderet. Qui quidem peruicax error transijt in hæresim dictam Henricianam, communē cum Politicis nostri temporis, qui volunt Imperatoribus siue Regibus non temporalia tantum, sed spiritualia esse subiecta; potissimum vero sanctam Romanam Ecclesiam, quibus cum successoribus Pontificibus per E
annos octoginta indefesso labore certandum fuit: illis potentia, minis & quibuscumque alijs adhibitis malis artibus rem agentibus; istis vero, obice sacrarum legum Ecclesiæ constantissime repugnantibus.

Vbi igitur Gregorius sponte cessit, successoris subrogationem Clementis Romæ factam, consentientibus Romanis omnibus, nempe populo atque Clero, cum Hermannus, tum Otto testantur, quod & Leo [a] narrat his verbis: Hoc facto Imperator exultās Romā cum omnibus ipsius Concilij Episcopis venit, & in ecclesia beati Petri Apostoli congregato Clero, populoq. Romano, quid Sutri gestum esset exponit. Dehinc de ordinando Pontifice Romanæ Ecclesiæ tractare communiter cœpit. Facta itaque discussione diligenti, cū nullus (proh dolor) inueniretur dignus, qui tantæ Ecclesiæ præesset, electio-

[a] Leo Ost. lib. 2. cap. 80.

A electione tamen omnium Bambergensis Episcopus de gente Saxonum Papa Romanus eligitur, eiq. Clemens nomen imponitur] hæc Leo. velamentum fuit fraudis, & adinuentus prætextus, quod eligeretur peregrinus, eo quod Romæ non reperiretur idoneus. nam quis magis idoneus ipso Gregorio, quem viri sanctissimi atque doctissimi eius temporis summis laudibus prædicarunt? Quod rursum spectat ad electionem Clementis, dicere non prætermittimus, quod [a] Adam, temporis huius scriptor ait, quod in Pontificem Romanum eligi debuisset Adalbertus Hamburgensis Archiepiscopus, nisi ipse pro se (vt ait) posuisset Clementem: Adalbertus enim apud Henricum Regem primum locum obtinebat, & absque eius consilio nihil Henricum facere solitum, idem auctor affirmat. [a] Adam lib. 3. cap. 8.

Hoc eodem anno millesimo quadragesimosexto, quarto Nonas Aprilis S. Guido Ab-
B bas Pomposianus in agro Ferrariensi ex hac vita migrauit ad Dominum, cum annos quadragintaocto eidem cœnobio præfuisset, cuius sicut vita, ita & obitus pluribus miraculis est illustratus. res ab eo præclare gestas summatim habes narratas a Rubeo in historia Rauennate. additq. eius corpus ab Henrico Imp. Roma in Germaniam redeunte, Spiram Germaniæ vrbem esse delatum.

IESV CHRISTI ANNVS 1047. CLEMENTIS II. PAP. ANNVS 1. HENRICI II. IMP. 1. CONST. MONOM. IMP. 5.

C ANNVS millesimus quadragesimusseptimus decimaquinta incipit Indictione, quo Clemens Papa recens creatus, ad reformandum Ecclesiæ statum, Romæ Concilium habuit, in quo illud potissimum conatus est cum Episcopis, annitente Imperatore, vt simoniacos vepres, qui adeo excreuissent, vt Patrisfamilias suffocarent sementem, non modo succideret, sed penitus eradicaret. de eiusmodi statu Ecclesiæ habet ista Petrus Damiani in epistola ad Henricum Archiepiscopum Rauennatem: [b] Quis enim, inquit, nesciat, vsque ad huius Henrici clementissimi Regis Imperium, præsulatumq. reuerendæ memoriæ Clementis Papæ, istiusq. beati Leonis, quo nunc videlicet Præsule sancta se gubernari gratulatur Ecclesia, per Occidentalia regna virus simoniacæ hæreseos ebullisse, ita vt quod fiebat, passim licenter admissum vltimæ animaduersioni nequaquam duceretur obnoxium; & quod erat fere omnibus consentaneum, pro regula teneretur, tamquam legali sanctione decretum &c.] sub-
D ijcit autem de ijs, qui a schismaticis ordinati fuissent, orationem, qua excusat eorum peccatum, vt facilius veniam mererentur. In quorum fauorem sancitum in eodem Concilio ab eodem Clemente Papa decretum, inferius sic narrat: [c] Reuerendæ memoriæ nuper eiusdem Sedis Episcopum Clementem decreuisse, vt quicumque a simoniaco consecratus esset, in ipso ordinationis suæ tempore non ignorans simoniacum esse, cui se obtulerit promouendum, quadraginta nunc dierum pœnitentiam ageret, & sic in accepti ordinis officio ministraret] hæc de Clementis huius decreto, postea sub Leone Nono in Concilio recitato atque approbato. Porro arte schismaticorum & intrusorum Pontificum eiusmodi sorde Romanam Ecclesiam inquinatam idem ostendit, nosq. superius diximus, inferiusq. dicturi sumus.

CONCILIVM ROMANVM SVB CLEMENTE.

[b] Petr. Dam. ad Henr. epist. cap. 27.

[c] ead. epist. c. 30.

In eodem vero Romano Concilio altercationem esse obortam inter Mediolanen-
E sem, Aquileiensem, & Rauennatem Antistites de loco sedendi, quinam ipsorum proximus apud Romanum Pontificem sedere deberet: adiudicatam autem causam Rauennati, narrat Hieronymus Rubeus in historia Rauennate, deq. his confectum esse diploma, quod se vidisse testatur. tu ipsum consule. Verum vbi Guibertus Rauennas Archiepiscopus Ecclesiam Dei longo valde diroq. schismate perturbasset; Rauennati ecclesiæ multa fuisse detracta, suo loco dicetur.

His Romæ confectis Imperator reditum cogitans, voluit primum inuisisse Campaniæ atque Samnitum oras, & ea componere, quæ turbata, atque male disposita reperisset. de cuius itinere Leo Ostiensis hæc habet: [d] Sumpto post hæc Imperator exercitu, ad hoc monasterium *Casinense* venit, & omni cum honore susceptus a Fratribus, planetam purpuream optimam auro ac gemmis ornatā super altare cum alio pallio optimo posuit. In Capitulo vero auri libras aliquot Fratribus obtulit, seq. illis deuotissime

[d] Leo Ost. lib. 2. cap. 81.

Universidad de Deusto
Biblioteca

RES ALIAE HENRICI IMP. IN ITALIA GESTAE.

tissime commendans Capuam adijt. Ibi Guaimario principatui renuntiante, quem nouem iam annis tenuerat, Pandulpho illum priori Principi, & eius filio, multo ab illis auro suscepto restituit. Drogoni Apuliæ, & Rainulpho Auersæ Comitibus ad se conuenientibus, & equos illi plurimos, magnamq. pecuniæ summam offerentibus, omnem, quam tunc tenebant ditionem, Imperiali auctoritate firmauit. Ibi etiam præceptum aurea bulla signatum Abbati Richerio iuxta Imperialem consuetudinem fecit. Inde Beneuentum contendens, cum ciues eum noluissent recipere, tam ob suam, quam ob patris iniuriam: totam ciuitatem a Romano Pontifice, qui tunc illic aderat, excommunicari fecit, omnemq. Beneuentanam regionem Northmannis sua auctoritate confirmans, in patrium redijt solum, secum Clementem adducens] hæc Leo. Quod enim, deposito Gregorio, & subrogato Germano homine in Romanum Pontificem, Romanos non mediocriter offendisset: timens ei quem elegisset Clementi, ipsum secum in Germaniam duxit.

QVAE IN ITINERE EX ITALIA IN GERMANIAM IMPERATORI ACCIDERVNT.

Hermannus vero huius temporis scriptor alia plura addit de rebus ab Imperatore in Italia gestis, quas referre haud existimamus incongruum. sic enim se habent: Imperator vero Roma egressus, nonnulla castella sibi rebellantia cepit, prouincias illas, prout videbatur, disposuit, Duces Northmannis, qui in illis partibus commorantur, & alijs eo loco vrbibus constituit. Sed socru Imperatoris de monte Gargano Beneuentum reuersa, orto tumultu, Beneuentani ciues quibusdam eam iniurijs afficiunt. Vnde sæuam ab Imperatore vindictam metuentes, eiq. se subdere non præsumentes, rebellionem ineunt. Sed Imperator, qui magna (vt dictum est) ex parte exercitum iam remiserat, & ad aliam occupato animo patriam tendebat, tantam tunc temporis ciuitatem expugnatum aggredi distulit, interimq. eo infecto negotio, sed alias vniuersa Italia parente, pacataque, redire disposuit. Interea Imperatrix Agnes, quæ Romæ ab Imperatore digressa fuerat, in Rauennati territorio filiam peperit. Imperator vero cœpto redeundi itinere, Mantuæ Paschale festum in grauissima decumbens ægritudine commoratur. postea conualescens, corpus beati Guidonis, Pomposæ monasterij Abbatis in magna sanctitate ante non integrum annum defuncti, plurimis glorificatum miraculis, de Parmensi, vbi sepultum fuit, ciuitate ad vrbem Spiram transferendum, magno secum cum honore, de Italia rediens deuexit &c.] his addit de subrogatione nonnullorum Episcoporum in vacantes ecclesias obitu prædecessorum.

GREGORIVS VI. DVCITVR IN GERMANIAM.

Certum est etiam, eumdē Imperatorem ab Italia recedentem duxisse secum in Germaniam Gregorium Papam Sextum, ne præsente ipso, Romæ aliquid innouaretur. comitatus est tunc eum Hildebrandus eius discipulus, Sedis Apostolicæ subdiaconus, postea vero Gregorius Septimus. Testatur id enim ipse Gregorius in Concilio Romano celebrato anno millesimo octuagesimo, in quo hæc ipse locutus: Vos enim scitis, quia non libenter ad sacrum ordinem accessi, & inuitus vltra montes cum domino Papa Gregorio abij, sed magis inuitus cum domino meo Papa Leone ad vestram specialem ecclesiam redij &c.]

CONCILIVM ADVERSVS SIMONIACOS.

Liquet insuper Glabri testificatione, eumdem Henricum, postquam Imperator creatus est, ab Vrbe reuersum collegisse Concilium Episcoporum, ad extirpandum quod reliquum erat simoniacæ prauitatis, in eoq. ad Episcopos peroraſſe, grauiq. inuectiua eosdem exagitasse eiusdem criminis reos. sed audiamus ipsum ista ita narrantem: [a] Dignoscens igitur idem Henricus, per vniuersam Galliam, atque Germaniam simoniacæ philargyriæ grassari cupiditatem, coadunari fecit ex omni Imperio suo tam Archipræsules, quam ceteros pontifices, & tale eis intulit colloquium: Lugens vobis incipio loqui, qui vice Christi in Ecclesia constituti estis, quam ipse sibi desponsauit, ac pretio sui sanguinis redemit. Sicut enim ipse gratuita bonitate de sinu Dei Patris per Virginem ad nos natus est redimendos; ita suis præcepit, mittens eos in orbem vniuersum, Apostolis: [b] Gratis accepistis, gratis date. Vos autem auaritia & cupiditate corrupti, qui dum conferre deberetis in huiusmodi transgressionis, dando & accipiendo, canonem, maledicti estis. Nam & Pater meus, de cuius animæ periculo valde pertimesco, damnabilem auaritiam in vita nimis exercuit.

Idcirco quicumque vestrorum huiusce se norunt contaminatos, oportet vt a sacro ministerio secundum dispositionem canonicam arceantur. Patet ergo manifestissime, quoniam propter hanc offensam venerunt super filios hominum diuersæ clades, fames,

[a] *Glab. lib. 5. cap. 5.*

[b] *Matth. 10.*

fames videlicet, atque mortalitas, necnon & gladius. Omnes quippe gradus ecclesiastici a maximo Pontifice vsque ad Ostiarium opprimuntur per suæ damnationis pretium, ac iuxta vocem Dominicam, in cunctis grassatur spiritale latrocinium.

His denique ab Imperatore acerrime prolatis stupefacti pontifices, quid illi responderent, non habebant. pertimescebant enim carere ob hanc culpam proprijs Episcopatuum sedibus. Et quoniam non solum in Gallicanis Episcopis hæc pestilima pullulauerat nequitia; verum etiam multo amplius totam occupauerat Italiam (omnia quippe ministeria ecclesiastica ita eo tempore habebantur venalia, quasi in foro sæcularia mercimonia) cernentes * quoque Episcopi graui se inuectione irretitos, misericordiæ opem implorabant. At ipse Princeps misericordia motus, tale consolationis protulit verbum: Ite, inquiens, & quod illicite accepistis, bene disponere satagite, ac pro anima patris mei, qui hac noxa reus vobiscum tenetur, attentius intercedere mementote, quatenus ei indulgentiam huius facinoris a Deo possitis acquirere. Tunc proposuit edictum omni Imperio suo, vt nullus gradus clericorum, vel ministerium ecclesiasticum pretio aliquo conquireretur: ac si quis dare, aut accipere præsumeret, omni honore destitutus anathemate mulctaretur. Spopondit insuper promissum huiusmodi, dicens: Sicut enim mihi Dominus coronam Imperij sola miseratione sua gratis dedit; ita & ego, quod ad religionem eius pertinet, gratis impendam. Volo, si placet, vt & vos similiter faciatis] hæc Imperator, præsente (vt puto) Clemente Pontifice, quem secum ex Italia in Germaniam duxerat. Non erat Imperatoris opus, cum simoniacis Episcopis dispensare, vt retinerent Episcopatum, nec inferre anathema in delinquentes.

SIMONIACA HAERESIS VBIQVE SPARSA.

* quique.

DIGNVM EXEMPLVM MANSVETI IMP.

Præmittit itidem Glaber de eodem Henrico, postquam creatus est Imperator, eiusmodi exemplum de abstinentia in munere accipiendo, & pœnitentia, cum accepisset, his verbis: Contigit tunc temporis, vt Abbas cuiusdam monasterij honestæ possessionis equum valde optimum præsentaret, quatenus in loco sibi commisso ipsius amicitiam conciliaret. Fuerat denique idem equus, ignorante Abbate, cuidam militi clam sublatus, sibiq. pretio venumdatus. At Imperator grataner illum suscipiens, suimet euectioni mancipauit. Quodam igitur die eidem equo insidens iter agebat: obuiam fit ei miles, cui præfatus equus furtim sublatus fuerat, qui imprudenter aggrediens Imperatorem, in huiusmodi prorupit verba: Tu, inquiens, o Rex, qui censuram debes tenere totius iustitiæ, equum modo fraudulenter abstractum cerneris possidere. Cui ilico Rex tale protulit responsum: Si tuus, inquit, est equus, vt ais, accipe illum cum sessore, & educ tecum quo melius optas, & habeas vtrumque, quousque persolutionem furti suscipias. Miles quoque existimans sibi illudi hærebat stupens. Enimuero Rex compulit eum, vt manu iniecta duceret vtrumque in suum dominium. Aspicientes vero qui circumstabant, ingenti admiratione stupuerunt] ita nempe voluit suo exemplo admonere sibi subditos Imperator, magno sui periculo possidere audere aliquem alienum; itemq. simoniæ crimen in ipsum quoque Principem vindicandum, ob id q. sic questus est: Quæ grates, inquiens Rex, referendæ sunt illi viro, qui me tam subdole in hanc impulit captionem? Qui dum ab vniuersis horribiliter detestaretur: ait Rex: Adducite illum, vt secundum illusionem, quam in me gessit, in eo vindicetur] ita quidem fremens Imperator, qui tamen in seipsum, qui munus accepisset in Abbatiæ inuestitura, maluit conuertere pœnam illam, priuans seipsum eiusdem Abbatiæ collatione. pergit enim auctor: Dumq. præfatus Abbas accersitus fuisset, ait ei: Depone baculum regiminis pastoralis, quem credis largitione mortalis hominis debere gestari. Quem cum a se proiecisset, suscipiens illum Rex, imposuit dexteræ imaginis Saluatoris: Vade, inquiens Abbati, & suscipe illum de manu omnipotentis Regis, nec vltra pro eo debitor sis alicuius mortalis, sed libere vtere eo, vt decet culmen tanti nominis. At ipse gaudenter illum suscipiens, * plurimis de tali facto alacritatem contulit, ac dehinc omni cum libertate viguit] hucusque Glaber, qui & superius tanti Principis commendans fortitudinem bellicam, vitium, quod intime illi inhærebat, ita deplorat, dicens. Tamen, proh pudor, vnum in eo erat nimium reprehensibile, quod incontinentia, & carnis luxuria infamabatur.]

Quid insuper hoc eodem anno, quo Imperator creatus est, eidem contigisse Vuillelmus Malmesburiensis & alij post eum narrant, hic describamus: ait is enim: Tem-

[a] *Vuillel. Malmesb. de gest. Reg. Angl. lib. 2. cap. 12.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tempore Conradi Patris a quodam clerico fistulam tulerat argenteam, qua pueri A
ludo aquam iaculantur, pactus Episcopatum, cum foret Imperator. adultus repetenti pollicitum impigre dederat. Nec multo post aspera valetudine correptus decubuit, morbo crescente, triduo exsensus & mutus iacuit, cum in solo pectore vitalis halitus palpitaret. Nec aliud vitæ indicium erat, quam quod manu ad nares apposita, quantulumcumque sentiebatur anhelitus. Episcopi præsentes triduano indicto ieiunio, lacrymis & votis pro vita Regis superos pulsabant. Quibus, vt credi fas est, remedijs conualescens, accitum Episcopum, quem iniuste fecerat, sententia Concilij deposuit, professus se toto triduo dæmones infestos vidisse, flammam in se per fistulam iaculantes adeo pertinacem, vt noster ignis in comparatione illius iocus putetur,& nihil calere. Iuuenem inter hæc semiustulatum lætum aduentasse, ferentem immensæ magnitudinis calicem aureum aqua plenum,cuius visione,& laticis B
aspergine delinitum, extinctis ardoribus, in sanitatem euasisse. Ephœbum illum beatum fuisse Laurentium, cuius ecclesiæ tectum longa carie dissolutum compaginauit, & præter alia xenia calice aureo honorificauit] hæc Vuillelmus:Matthæus Vuestmonasterienſis ista locupletius. sed ad Clementem Pontificem redeamus.

Quod vnicum reperimus litterarum Apostolicarum monimentum, breuis temporis Pontificatus eius, diploma scilicet ab eo datum hoc anno mense Februarij, hic describendum curauimus. sic se habet:

Clemens Episcopus seruus seruorum Dei dilecto in Christo fratri Ioanni amodo Salernitano Archiepiscopo, perpetuam in Domino salutem.

Quotiens ita contigit, vt exigente necessitate, & maxima vtilitate transmutandus est quisquam Episcopus de propria sede ad aliam: diligentissime perquirenda est per- C
CLEMENTIS II. DIPLOMA. sona, vtrum necessario sit transmutanda, vt sic maior vtilitas oriatur, sicut maior sedes assumitur. Te vero frater charissime,quem vnanimitas Cleri & populi Salernitanæ ecclesiæ vna cum glorioſissimo Principe Guaimario de sede Pestana accepit, & in suum pontificem elegit, diligenter discussimus, ne tuæ ambitionis causa, & non maioris vtilitatis necessitate electus fuisses, aut forte per simoniacam hæresim. Quod ita ab omnibus est abnegatum, vt nullius audiretur ore prolatum. Siquidem Salerni manentes, & hoc ab omnibus perquirentes; cum te audiremus ab omnibus laudari, & ab omnibus videremus amari: dominum benediximus, qui tantam concordiam in tanta hominum diuersitate super te potuit efficere,vt nullus videretur discrepare. etenim circa te idem amor in omnibus, eadem intentio,commune omnibus desiderium. Quapropter annuentes petitioni, votoq. eorum omnium, & maxime prædicti glo- D
rioſi Principis Guaimarij,te frater, sicut & de sede propria ad suam transtulerunt, posscentibus tuorum meritis morum, non rapina tuæ auaritiæ id affectante, Apostolica assensione per hoc nostræ auctoritatis priuilegium incardinamus & inthronizamus eidem Salernitanæ sedi, in qua fungaris Archiepiscopi decore & honore. Nam in te nobis complacuit, quidquid de te fama dispergit, videlicet sanctitas, castitas, benignitas, & omnia quæ Deo placabilia sunt.

Vnde in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Archiepiscopali pallio nostra Apostolica manu dilectionem vestram insigniuimus, quo vtaris toties in anno, quo-
QVID SIGNET PALLIVM. ties prædecessores tuos eo vsos fuisse constat. In quo,quia de vellere ouis est: intelli- E
ge te ouium pastorem. Et quia eo circumcingeris,& etiam circa humeros portes: cognoscas & vndique circumspicias, ne aliqua erret, & in morsus incidat luporum. Quod si aliquando (quod absit) contigerit: eam habeas in humeros ad caulam reportare, & pristinæ societati coadunare. Quod vero ante & retro Crux Domini habe-
a Galat. 6. turæ illud Apostolicum semper docet ante oculos tuæ mentis habere:Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Confirmamus etiam tibi ipsum ex integro Archiepiscopatum Salernitanum cum omnibus adiacentibus parochijs suis. Et insuper licentiam damus, & potestatem ordinandi & consecrandi Episcopos in his subiectis vobis locis, hoc est Pestanensem Episcopatum, cum parochijs & adiacentijs suis;& Episcopatum Consanum, & Episcopatum Nolanum,& Episcopatum Maluitanum,necnon & Episcopatum Acerentinum, simulq. & Episcopatum Bisinianensem, atque Episcopatum Cusentiæ cum omnibus parochijs & adiacentijs eorum. Pro pallio vero, quod supradiximus, post discessum quidem tuum successores tui perueniãt ad Apostolicam

A stolicam Sedem,& vsum pallij, consecrationemq. decreteliter recipiant, & non habeant potestatẽ successores nostri in cunctis prædictis Episcopatibus, quos vobis Apostolica auctoritate concessimus, deinceps Episcopos consecrare, quemadmodum vobis concessum est. Si quis autem nefario ausu (quod non optamus) huic nostræ concessioni aliquo modo contraire voluerit,& omnia suprascripta a nobis firmata violare præsumpserit, perpetuo anathematis vinculo religetur. Et vt hæc nostra concessio firma in perpetuum maneat, bulla nostra & sigillo eam signari præcepimus. At qui pio intuitu custos & obseruator huius nostri priuilegij extiterit:benedictionis gratiam & cælestem retributionem a iusto iudice Domino Deo nostro consequi mereatur in sæcula sæculorum. Amen.

Scriptum est per manus Ioannis Scriniarij & Notarij sacri Lateranensis palatij &c.
B Datum xij.Kal.Martij per manus Petri diaconi & Bibliothecarij & Cancellarij sanctæ Apostolicæ Sedis, anno domini Clementis Secundi Papæ primo, Indictione decimaquinta] hactenus diploma Clementis.

Ad ipsum vero Clementem Petrus Damiani, eremi incola celebris nominis, tum sanctitate tum etiam doctrina scripsisse reperitur epistolam, insuper & Henrici Imperatoris impulsu ad ipsum iter arripuisse. Quod autem magnopere satageret Imperator, quem creasset Papam communire Clementem: vt Petrus Romam ad Pontificem se conferret,existimamus ea occasione voluisse,quo tantum virum latentem in eremo, ad ecclesiastica subeunda negotia sensim perduceret. porro ipsam ex Cassinensi bibliotheca acceptam epistolam hic tibi describendam curauimus. sic se habet:

PETRI DAMIANI EPIST. AD CLEMENTEM PAPAM.

Domno Clementi summæ Sedis Antistiti Petrus peccator monachus humillimæ
C deuotionis obsequium.

Nouerit beatitudo vestra,excellentissime domine,quia domnus inuictissimus Imperator non semel,sed sæpe mihi præcepit,& (si dicere audeo) rogare dignatus est,vt ad vos venirem,& quæ in ecclesijs nostratum partium agerentur; quæque mihi necessaria a vobis fieri viderentur, vestris auribus intimarem. Cumq. ego & difficultatem itineris perhorrescerem, & ad vos venire penitus recusarem: ille a sua intentione non destitit, sed vt iter arriperem, absoluta definitione præcepit. Postquam autem itinerodierum trium ad eremum regressus sum; ecce istæ eius litteræ, vestris sacris manibus offerendæ nobis allatæ sunt, quas nos vsque ad aspectum vestrum non præsumimus temerare. Quas, si placet,vos prius inspicite,& cum his simul per vestras quoque litteras, vtrum ad vos venire debeam, nec ne, mihi iubere dignamini. Ego enim inter
D vtrumque positus, & dies meos huc & illuc discurrendo perdere timeo, & tamen ecclesijs Dei, quæ in nostris partibus per malos Episcopos & Abbates omnino confusæ sunt, compatiendo, mœrore nimio & tristitia contabesco.

Et quid prodest, domine mi, quod Apostolicam Sedem de tenebris ad lucem remeasse dicimus, si nos adhuc in ijsdem tenebris remanemus? Quid iuuat si sub sera quis vitalis alimenti copiam claudat, ipse tamen fame depereat? Quid iuuat, cum quis limati mucronis ferro succingitur, si circumfusis hostium cuneis non vibratur? Te enim omnipotens Deus vice sui in populo quodammodo cibum posuit: ex te contra omnes aduersariorum impetus Ecclesiæ suæ latus armauit, quatenus & Deo resistentium pectus studeas cælesti virtute confodere, & famelicum nostræ humilitatis stomachum sacri verbi dapibus satiare. Sed cum videamus Fanensem latronem
E ab his etiam qui non erant, sed dicebantur Apostolici, maledictum & excommunicatum, Auximanum quoque tot & tantis inauditis criminibus inuolutum, aliosq. simili sententia condemnandos, a vobis cum tanta arrogantia & exultatione reuerti: cogitur in luctum spei nostræ gaudium commutari.[a] Nos autem sperabamus, quod a Luc.24.
tu esses redempturus Israel. Quapropter, beatissime domine,sic conculcatam & abiectam stude releuare iustitiam, sic ecclesiastici vigoris exhibe disciplinam: vt & pars iniqua a statu superbiæ corruat, & mens humilium ad speranda bona fiducialius conualescat] hucusque ad Clementem Pontificem Petrus.

Sic igitur vrgente Imperatore, vel Pontificibus eum sæpe vocantibus, ad ecclesiastica onera subeunda auocatur a solitudine. Quod fecisse doluit semper; & suos, ne quouis prætextu sinerent se abduci ab eremo, suo periculo monitos voluit, hæc inter alia scribens ad eos:[b]

b Petr. Dam. de contemp. seculi. c.30. 31.

Imperialis edicti pagina, veredario discurrente, defertur: bullatæ nobis apochæ ab

Universidad de Deusto
Biblioteca

auctore Sedis Apostolicæ diriguntur, Synodus congregatur, religiosis viris Concilij A
summa committitur: solotenus ilico se monachus flectat, honorem sacris litteris re-
PETRVS SVOS MONET MONACHOS SVI EXEMPLO. uerenter exhibeat. Huius tamen expeditionis munus a se alienum irretractabiliter
ducat,& reputans intra se,dicat: Quid mihi cum Regibus terræ? quid mihi cum syno-
dali conuentu? Sufficiat mihi, peccatis meis flendis insistere: satis mihi sit, me huic
mundo mortuum exhibere. Nolite quæso, monachi, nolite sub ecclesiasticæ com-
passionis specie Regum aulas irrumpere: nolite aures Principum velut salutaria sug-
gerendo, fastidiosa importunitate pulsare. Credite experto, credite in huius gratiæ
studijs non leuiter fatigato. Imperatoriæ namque maiestati sæpe, quæ suggerenda
videbantur, expressimus: a summis Pontificibus inuitati, synodalibus Concilijs in-
terfuimus; sed qui hoc tempore ista prosequitur, tamquam si semina crederet areno-
sis litoribus, videtur. sæpe namque in Concilijs synodalibus positi, quosdam clam B
sibi feraliter conscios præsidere in numero sacerdotum vidimus, non modo de suis se-
curos, sed vltro etiam ad aliorum crimina defendenda impudenter accinctos. Qui
nimirum, vt ferebatur, & cum Simone prius emerant, & cum Giezi postmodum
charismatum dona vendiderant: quorum tanta vis erat ad excusandas excusationes
in peccatis, vt inter cetera mala etiam simoniacæ hæreseos non modo defensores,sed
viderentur potius assertores. Quis ad istorum inuidiam monachus mutire præsume-
ret? quis ad arguenda crimina, vel iustitiam declarandam vendicare sibi ius libertatis
auderet? ilico in nos duræ sugillationis arma corriperent, & præmisso iurgio, silen-
tium imperarent; inter se scilicet hoc modo iudices conquerentes: Ad Concilium hoc
iudicantes conuenimus. Sed o noua præsumptio! mortuorum sententijs subiacemus,
& Episcoporum sunt iudices facti, qui legaliter sub eorum fuerant legibus constituti. C
Quibus aliquando respondetur: Venerabiles patres & domini, sicut vobis specialiter
prærogatum est iudicare, ita etiam minoribus Ecclesiæ membris competit quod sen-
tiunt, in commune conferre: nec vlla canonum auctoritas prohibet iuniores,quæ Ec-
clesiæ ducunt profutura, depromere, dum tamen ventilata negotia pontificalis iudi-
cij debeat clausula terminare. Si quando hoc, aut aliquid huiusmodi cum humilita-
te suggeritur; nequaquam patienter admittitur, sed si quid a nobis in Synodo actũ
est, totum ad inuidiam nostram superbo vocabulo, Iudicium nuncupatur. Hæc bre-
uiter idcirco perstrinxerim, vt in me quilibet inexpertus discat, sibimet etiam a tali-
bus declinare quantum expediat] hæc ad suos Petrus, quem tamen multiplici nomi-
ne his temporibus perditissimis Ecclesiæ Catholicæ profuisse, cum ad ecclesiastica ne-
gotia subeunda vocatus sæpe ex eremo fuit, quæ singulis ferme annis erunt dicenda, D
monstrabunt. iam ad Clementis citum nimis & improuisum funus lugubre veniamus.

CLEMENTIS PAP. OBITVS. Hoc eodem anno septimo Idus Octobris Clemens Papa, nono mense a promotione
sua ex hac vita migrauit, sepeliturq. delatus in suum antea Episcopatum Bambergã.
hæc Hermannus, simulq. Leo hoc anno, & alij omnes post eum. Subrogationem au-
tem successoris non nisi anno sequenti factam idem docet Hermannus, temporis hu-
ius scriptor: nam audito Romæ obitu Clementis Papæ, Benedictus Nonus iam ite-
rum pulsus, adhuc tertio inuasit Romanam Ecclesiam. ita enim de ipso Leo Ostien-
a Leo Oft. lib. 2. cap. 82. sis: a Clemente vero post menses nouem vltra montes defuncto, præfatus Benedictus in
BENEDICTVS IX. TERTIO INVASOR. Pontificatum iterum rediens, octo illum menses tenuit, donec ab Imperatore trans-
missus ex Germania Damasus, Brixinorum Episcopus, illi in Papatu successit] hæc E
Leo. agemus autem de successione Damasi anno sequenti.

Eodem anno cum Petrus Hungarorum Rex per Henricum Imperatorem armorũ
potentia restitutus esset, Hungari concitati a regni proceribus, non solum iterum a
etiam ijdem diabolico furore perciti,amoti sensu rationis,vt a Christiana religione de-
HVNGARICA ECCLESIA PERSECVTIONEM PASSA. ficiant,dæmonibus sacrificia immolent,atque thura libent dijs Gentilium. Cum ijdem
in Christianos fideles quoque grassantes, & in ecclesias irrumpentes, ijsdem spoliatis,
& incensis, eorum clericos, siue monachos diris supplicijs affecere, atque necarunt,
pariq. impetu irruperunt in quosque regios ministros, magistratus, locorumq. diuer-
sorum præfectos; atque demum in reliquos omnes, siue gentiles suos, siue externos
apud eos inuentos,qui Christiano nomine censerentur. Persecutio talis fuit, vt si diu-
tius perdurasset, omne prorsus Christianitatis nomen in Hungaria aboleuisset. Re-
censent diras clades istas complures, & inter alios, qui res Polonorum prosecutus est

Longi-

A Longinus: qua etiam persecutione sublatum esse martyrio sanctum Gerardum Cha-
nodiensem Episcopum narrat, quod & alij plerique testantur.

Hoc namque anno ipse Gerardus Episcopus Chanodiensis, in Hungaria (vt ipse
prædixerat)cæsus ab hostibus,titulo martyrij felix occubuit. Seditio etenim illa excita-
ta aduersus Petrum Regem,quem & captum excæcauerunt, substituto anno superio-
ri (vt habet Hermanus & alij) Andrea Rege, cum alios plurimos peregrinos, tum
etiam ipsum sanctum Gerardum inuoluit, neciq. tradidit. de eo enim hæc in vita ip-
sius, ab eius temporis Scriptore habentur: a Vno inde lustro euoluto,& altero inchoa- a Extat apud Sur. die 24. Sep-
to prædicta seditio extitit. In qua cum ad Albamregalem vir Dei proficisceretur,apud tembr. tom. 5.
ecclesiam sanctæ Sabinæ virginis & martyris hospitio vsus est; illicq. cœnantibus fra-
tribus ait: Fratres & amici, cras ad cœnam Agni Dei vocamur. itaque absque detre-
B ctatione properemus, pro Christo moriamur. Altera vero illucescente die,pater san-
ctus Missam celebrauit, mensæq. Christi multitudinem sibi adhærentem fecit partici-
pem, lætusq. ad martyrium perrexit. vbi autem ad Danubium intendit iter, ecce S. GERARDI MARTYRIVM IN HVNGARIA.
turba populi eum circumsistit, lapidesq. in eum in curru sedentem iactat; a quibus
tamen Deo eum protegente, tactus non est. Ille vero ex aduerso benedictionem, &
signum Crucis apposuit. At impij homines tandem equorum retortis collis, subuer-
tunt currum, Patremq. humi abijciunt, & magno impetu lapidare conantur. Tum
instar protomartyris Stephani, primus Pannoniæ martyr,positis in terra genibus,cla-
mauit voce magna: Domine IESV Christe, ne statuas illis hoc peccatum, quia ne-
sciunt quid faciunt. Et cum hoc dixisset, in pectore lancea percussus obdormiuit in
Domino. Eodem autem die maxima Christianorum strages facta est. duo enim Epi-
C scopi, multiq. viri religiosi interempti sunt, quorum nomina sola Dei scientia colle-
git. Corpus quidem beati viri cum in loco martyrij sui iaceret, nulla sorde comma-
culatum est: porro sequẽti die a Catholicis viris in ecclesia Dei sanctæ Genitricis con-
ditum est] hæc ibi de martyrio. De quo agens Longinus Cracouiensis, hæc paulo di-
uersè ait: Latini omnes, Teutoniciq. Regis Petri præfecti & officiales vbique loco-
rum quæsiti, vario genere mortis consumpti sunt. Deinde beatus Gerardus Chano-
diensis Episcopus bigis impositus de monte Kerempheludt præcipitatus, & lancea
est perfossus in pectore. alij ex laicis saxis obruti, aut vulneribus sauciati, felici cruo-
re pro nomine IESV Christi abluti sunt] hæc Longinus, sed anno sequenti. Por-
ro defuncto Petro, & Andrea Duce in Regem recepto, coronatoq. solemnibus ri- ANDREAE REX HVNGARIAE CHRISTIANAM RELIGIONEM RESTITVIT.
tibus a tribus regni Episcopis, vt res composuit, easdem etiam bene disposuit, agens
D summo studio,vt ablegata penitus idololatria,eiurataque,sacrosancta Christiana reli-
gio postliminio restituta viresceret: quod factum post annum sequentem idem au-
ctor affirmat.

Contigit hoc anno,Hermanno & Sigeberto testibus (licet anno superiori id factum
Lambertus affirmet) incendium Virdunense, opera Godefridi Lotharingiæ Ducis,
desperatione rebellantis ob sublatum sibi ab Imperatore Ducatum. Cum autem Dei
Genitricis templum ibidem exustum fuerit, spontaneæ pœnitentiæ ipse posteris di-
gnum reliquit exemplum, de quo Lambertus hæc paucis: Post modicum, inquit, fa- GODEFRIDVS DVCIS LOTHARINGIAE POENITENTIA.
cti in tantum eum pœnituit, vt publice se verberari faceret, & capillos suos vt ton-
derentur, multa pecunia redimeret, sumptus ad reædificandam ecclesiam daret,& in
E opere cœmentario per seipsum plerumque vilis mancipij ministerio functus deseruis-
rer] Ita plane Annalium nostrorum decursu Lotharingiæ Duces vel inuenimus inno-
centes, vel si noxios, pœnitentes,atque huiusmodi, qui ceteris Principibus imitanda
reliquerint pietatis exempla. at de eodem Godefrido diuersis occasionibus sæpe in-
ferius agendum erit.

IESV CHRISTI ANNVS 1048.	DAMASI II. PAP. ANNVS 1.	HENRICI II. IMP. 2. CONST. MONOM. IMP. 6.

QVADRAGESIMVSOCTAVVS supra millesimum annus incipit Indictione prima,quo afflictata Romana Ecclesia a Benedicto, tertium eius Sedis inuasore, ab Impe-
ratore mittitur Romam Poppo Episcopus Brixiensis (licet alij Aquileiensem dicant)

Universidad de Deusto
Biblioteca

DAMASVS II. PAPA CREATVS ET MORITVR.

Pontifex consecrandus, qui suffragijs omnium electus & comprobatus, consecratus Pontifex, nominatus est Damasus Secundus. hæc ex Leone [a] Ostiensi, Hermanno in Chronicis hoc anno, & alijs, qui & Sedis eius tempus perbreue fuisse, nempe viginti trium dierum, defunctumq. Præneste (vt Leo habet) delatum in Vrbem sepultũ fuisse in ecclesia sancti Laurentij extra muros affirmant. veneno sublatum, Benno ait, opera Benedicti Sedis inuasoris. Sed cum historici huius plura sint mendacia quam verba, quid affirmari possit, nihil penitus est; vt qui, ne decipiaris eius auctoritate, dicendus plane prudentium Lectorum sententia non historicus, sed satyricus, idemq. calumniosus inuector, falsarum rerum contextor, fabularum consarcinator: nam mentiendi, carpendi, detrahendi, monstruosaq. de insignibus pietate viris fingendi, denequissimis vero optima quæque componendi, sumpsit sibi licentiam, adeo vt eius opera suffocata penitus veritas interijsset, nisi ceterorum omnium eiusdem sæculi Scriptorum integritate culta, & suffulta respirans exurrexisset, magna potentia mendacia quæque dissoluens: quæ tu ipse Lector, erit vt manu tangens, procaciam nefarij hominis admireris. sed ad res gestas: E medio subducto Damaso, vacauit Sedes vsque in annum sequentem, discerpta interim vnguibus inuasoris Benedicti, eiusdemq. fœdata spurcitijs.

[a] Leo Ost. lib. 2. cap. 82.

QVALIS BENNO SCHISMATICVS.

A

B

Hoc eodem anno, ipso eius exordio, Kalendis Ianuarijs admirandus ille Odilo Cluniacensis Abbas, sæculi huius lucerna ardens & lucens, ex hac vita migrauit in cælum. Res ab eo præclare gestas ex parte collegit [b] Petrus Damiani, cum Pontificia functus in Gallia legatione, nobile Cluniacense cœnobium visitauit, Hugonisq. eiusdem sancti Odilonis successoris precibus exoratus, non tam Scriptoris, quam breuiatoris multiplicium rerum ab alijs collectarum functus est munere, vt ipse præfando testatur. qui ad postremum de eius ad Deum transitu ista habet: Porro cum vir Domini iam in extremis ageret, per quinquennium fere compulsus est grauissimi languoris molestia cruciari. Mox itaque beatorum Apostolorum Limina festinat inuisere, vt quasi sub eorum pedibus (si sibi daretur, quod semper in votis habuerat) posset ex hoc mundo transire. Verumtamen quia non est in homine via eius, aliter sibi contigit quam sperauit. Per quatuor plane menses illic ægritudine detentus elanguit: deinceps contra spem aliquantulum conualescens, ad propria remeauit. Cluniacum itaque deueniens, per annum fere totum in oratione permansit, seseq. quantum ægritudo permisit, ieiunijs, ac vigilijs vehementer afflixit. Decreuit autem, vt antequam debitum conditionis humanæ persolueret, quæque monasteria sua circuiens, sanctæ admonitionis studio visitaret.

[b] Extat apud Sur. die 1. Ian. tom. 1.

S. ODILONIS ABB. CLVNIACEN. OBITVS.

C

D

Expeditione igitur sanctæ huius ædificationis incœpta, Siluiniacum deuenit, ibiq. se circa festiuitatem Dominicæ circumcisionis ex hoc sæculo migraturum, manifeste dixit. Porro autem, cum in agonis esset angustia constitutus, diabolum astare conspexit, eumq. per nomen tremendi Iudicis, vt abscederet, terribiliter increpauit. Anno itaque Dominicæ Incarnationis millesimo quadragesimooctauo, ætatis autem suæ octuagesimoseptimo, ordinationis etiam quinquagesimosexto, ea nocte, quæ Dominicæ circumcisionis solemnia præcedebat, salutaris Eucharistiæ sacramenta percepit, sicq. beatum Deo spiritum reddidit. Paulo autem post, eadem scilicet nocte, cum beati viri corpus in ecclesiam iam fuisset delatum, Frater quidam Gregorius nomine * in Veneta natione, naturæ simplicis, & innocentis vitæ, exequiarum funebrium lassitudine prægrauatus, in eadem cella, in qua Sanctus obierat, proprium stratum petijt, in quo se proijciens dormire tentauit. Sed necdum plane resolutus in somnum, beatum Odilonem sibi videt astantem, ad quem mox voce promptissima: Quid, inquit, agis domine Pater? & ille, bene Frater, & optime. Dominus enim meus IESVS seruo suo per semetipsum dignatus est adesse, & sui præsentiam misericorditer exhibere. sed in ipsa meæ discessionis hora, in illo scilicet angulo (ostendebat enim quasi digito locum) vidi figuram quamdam trucem nimis atque terribilem, quæ mihi terrimæ suæ visionis horrorem atque formidinem tentauit incutere, sed Christi confortante virtute, nulla me potuit infestatione nocere.

S. ODILONIS IN OBITV PVGNA CVM DIABOLO

* ex Veneta.

E

Proxima quoque Quadragesima succedente, sanctæ ac venerandæ memoriæ Laurentius * Amalsitanæ sedis Archiepiscopus, qui potens in litteris, ac biglossus, *duarum scilicet linguarum*, Græce nouerat & Latine, & quod longe præstantius est, laudabilis vitæ

* Amalphitanę.

A vitæ claritate pollebat. Hic itaque tunc Romæ constitutus obdormiuit in Domino. Cumq. cadauer eius fuisset in ecclesiam illatum, honestus quidam clericus Albero nomine in eiusdem ecclesiæ angulo lassabunda dedit membra sopori. Cumq. subito adhuc pene vigilanti vir beatus, Odilo scilicet, apparuit, ei mox clericus intulit: Domine mi, quando huc, & cur aduenisti? Ad charissimi, inquit, olim amici mei domini Laurentij pontificis exequias veni. Quibus expletis, antequam te viderem, recedere nolui. Et his dictis [species loquentis euanuit] hæc Petrus.

LAVRENTIVS ARCHIEPISCOPVS AMALPHITANVS LAVDATISSIMVS.

Quæ non tam in commendationem sanctissimi Odilonis, quam eius intimi familiaris laudatissimi Laurentij Archiepiscopi Amalphitani, tam S. Odilonis, quã Petri Damiani testificatione probati, voluimus reddidisse. quo magis admireris, ampliusq. detesteris Bennonis nebulonis, de quo nuper, impudentem ad mentiendũ, atque calumniandum procaciam. Siquidem in sugillationem Gregorij Papæ Septimi, in quem venenatas sagittas intendit, hunc ipsum sanctissimũ virum Laurentium, quem eiusdem Gregorij dicit fuisse magistrum, insignem magum extitisse declamat, eumdemq. Benedicti inuasoris omnium malorum complicem, quem etiam doctorem fuisse ait & principem maleficiorum, qui & aruspicinam publice exerceret, magiamq. & alia id genus vetita Romæ palam cunctis discere cupientibus profiteretur: a quo Gregorius Septimus Romanus Pontifex, eius discipulus, easdem improbatas legibus diuinis & humanis artes magicas didicisset. Ex his, Lector, & alijs, quæ dicta sunt superius in Siluestro, disce Bennonẽ mendacem, improbum, nundinatoremq. pudendarum mercium. Tu vero contrarium accipe sensum ex veritate ipsa sponte manantem, nempe magnam fieri accessionem ad Gregorij Septimi laudes, dum Laurentij huius fuisse discipulus prædicatur: sicut & Gregorius Sextus ex eo laudandus existat, quod Laurentium hunc Romæ agentem, domi (vt ipse ait Benno) semper retinuit in suo archipresbyterio sancti Ioannis ante portam Latinam, dignum hospitem tanto hospitio. Defuncto autem (vt audisti) Laurentio Archiepiscopo Amalphitano, successorem habuit haud imparem doctrina, ac moribus Petrum, cuius celebris est memoria ex legatione vna cum collegis perfuncta sub Leone Papa Nono huius Damasi successore Constantinopoli, vt suo loco dicemus.

B

C

DE LAVRENTIO ARCHIEP. AMALPHITANO QVANTA MENTITVS SIT BENNO.

Quod rursum ad sanctum Odilonem spectat, non prætermittendum, fuisse sancti patris huius Odilonis institutionem, vt die secunda Nouembris omnium in Domino quiescentium in vniuersa Ecclesia memoria ageretur, sicut pridie agi consueuit omnium Sanctorum. id cum scribat idem Petrus Damiani in ipso Odilone, confitetur absque inuidia ipsa Romana Ecclesia in Martyrologio ipsis Kal. Ianuarij, dum natalem diem eiusdem sancti recolens Odilonis hæc habet: Apud Siluiniacum sancti Odilonis Abbatis Cluniacensis, qui primus commemorationem omnium Fidelium defunctorum prima die post festum omnium Sanctorum in suis monasterijs fieri præcepit. quem ritum postea vniuersalis Ecclesia recipiens comprobauit] hæc ibi. Meminit eiusdem institutionis sancti Odilonis post Petrum Damiani in vita ipsius, etiam Sigebertus anno Domini nongentesimo nonagesimoctauo. Attigit eadem & [a] Glaber, eiusdem temporis Scriptor, nimirum ex pluribus diuersisq. reuelationibus Dei viris diuinitus ostensis, complures animas orationibus potissimum Cluniacensium monachorum, in id præ ceteris incumbentium, a pœnis Purgatorij iugiter liberari. Quæ cum eidem sanctissimo viro Odiloni eorum Abbati innotuissent, propensiori sollicitudine cœptum pietatis opus prosequi curans, præter alia plura quotidiana suffragia, quibus animabus defunctorum iugiter consueuerant subuenire, anniuersariam statuerit diem, qua pro omnibus defunctis Deo sacrificia per omnia sibi subdita monasteria offerrentur. Cur autem statuta ad id fuerit dies sequens a commemoratione Sanctorum omnium, diximus in Notis ad Romanum Martyrologium, accepta ab his, quæ scribit Amalarius, ratione.

[a] Glab. lib. 5. cap. 1.

DE DIE ANNIVERSARIA OMNIVM DEFVNCTORVM.

D

E

Coluit magnopere eumdem sanctum Odilonem vir insignis Fulbertus Episcopus Carnotensis, eumq. præ egregia virtutum excellentia nominat Archangelum. extant eiusdem Fulberti ad eum [b] epistolæ quatuor, egregium monimentum virorum sanctorum, seipsos charitatis obsequio prosequentium. Coluerunt q. insuper ipsum Reges, Imperatores, atque Romani Pontifices, vt ea, quæ de ipso superius sunt dicta, declarant. Hunc habuit præceptorem Hugo vir æque sanctissimus, vt ostendit idem,

[b] Fulb. ep. 51. 52. 53. 54.

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui supra Petrus Damiani in præfatione vitæ ipsius Odilonis. A

S. POPPONIS ABBATIS STABVLENSIS OBITVS.

Non post multos dies ab obitu sancti Odilonis, nempe vigesimaquinta Ianuarij, contigit ex hac vita migrare sanctum Popponem Abbatem Stabulensem, virum a Deo donis plurimis illustratum; de quo superius etiam contigit meminisse. cuius res sancte pieq. gestas scripsit Euerhelmus [a] Abbas omni fide, quod opus adhuc integrum extat.

a Apud Sur. die 25. Ian. tom. 1.

TVRCARVM PROGRESSVS.

Quod ad res pertinet Orientis, hoc ipso anno, Indictione prima, Turcæ, qui ad boreales partes Cauensis montis sedes habuere, seq. patrijs finibus continuere, nec inde nisi ad stipendia inuitati recedere consueuere: eadem occasione a Persarum Rege Sarraceno vocati, ab eodemq. male habiti, in ipsum arma conuertentes, felici successu Perside sunt potiti; ex hisq. euentis audaciores redditi, aduersus Romanum Imperiū arma mouentes, eo domito tandem, potiti sunt. Cœpta ista quidem hoc anno, eadem Indictione, Curopalata testatur, resq. tunc sub Constantino Monomacho gestas fusius scribit: ex quo Cedrenus & alij descripserunt. Ita quidem (vt declararunt euenta) ex Dei vindicta prodijsse noscuntur isti, tamquam e vagina gladius, in Orientalium schismaticorum vltionem, cum ijsdem traditi postea omnino fuerint. Qui multis remedijs frustra tentatis, nec resipiscentes, potati calice iræ Dei, soporem conciliantis, ac lethargum inducentis, non sinuntur noscere damna sua, & causas ipsorum inquirere, vt sanentur. Nec absque consideratione prætereundum est, quod eo tempore sunt Turcæ in damna Imperij Orientalis educti, cum Constantinopolitanæ Ecclesiæ male præesset schismaticorum signifer Michael Cerularius, Latinorum omnium infensissimus hostis, prout, quæ suo loco de ipso dicturi sumus, aperte docebunt. B C

IESV CHRISTI ANNVS 1049. LEONIS IX. PAP. ANNVS 1. HENRICI II. IMP. 3. CONST. MONOM. IMP. 7.

LEO NONVS PAPA CREATVS.

ANnvs Redemptoris quadragesimusnonus post millesimum surgit, Indictione secunda, quo post menses quinque vacationis Sedis ab obitu Damasi Papæ Bruno ex Comite Dagspurgensi & Episcopo Tullensi in Leucis, maximo bono totius Ecclesiæ Catholicæ creatur Pontifex, dictusq. est Leo Nonus. Hæc autem omnia quomodo se habuerint, ex eius sæculi Scriptoribus in primis sunt perquirenda. Defuncto (vt dictum est) Damaso, & Benedicto Sedem rursum sibi vendicare nitente, necessitate cogente, ne tale monstrum iterum subire sancta Ecclesia cogeretur, missa est a Romanis legatio ad Imperatorem, qua petierunt Pontificem ab eo dari. Conuenit ea legatio eumdem Henricum Imperatorem, Frisingæ Natalem diem Domini celebrantem. ita Lambertus hoc anno. Porro legationem a Cardinalibus fuisse missam, non vt ipse Imperator Papam eligeret, sed quem sibi vtilem fore putaret, Romam mitteret, vt ex more, Romæ consilio Cardinalium Papa eligeretur, nec Benno quidem aduersarius negat. A Romanis quidem ipsum electum testatur [b] Leo Ostiensis. Quod ergo alij dicant electum ab Imperatore, ab ipso delectum intelligas, sed electum a Cardinalibus. Otto autem Frisingensis rem gestam sic narrat: D

b Leo Oss. lib. 2. cap. 81.

BRVNO ELIGENDVM SE CONTVLIT ROMAM.

Mortuo Damaso, Bruno, qui & Leo, Tullensium Episcopus, Romanam Ecclesiam gubernandam suscepit. Hic ex nobili Francorum prosapia oriundus, auctoritate regalis excellentiæ ad Sedem beati Petri destinatus fuerat. Cumq. assumpta purpura Pontificali per Gallias iter ageret, contigit eum Cluniacum venire, vbi forte tunc præfatus Hildebrandus Prioratus (vt dicitur) obedientiam administrabat] quod contigisse oportuit, cum sancto Odilone defuncto, eius Abbas successor sanctus Hugo creatus est. Erat Hildebrandus natione Tuscus, patria Soanensis, qui in Gallias profectus cum Gregorio Sexto, apud Cluniacenses, penes quos sciebat monasticam vigere obseruantiam, habitauit, monachus inter monachos ibi degens, zelo æstuans Romanæ Ecclesiæ, velut ancillæ a Principibus subiugatæ, atque seruire coactæ. Is vero (pergit auctor) Leonem adiens, æmulatione Dei plenus, constanter eum de incœpto redarguit, illicitum esse inquiens, per manum laicam summum Pontificem ad gubernationem totius Ecclesiæ violenter introire. Verum si suis se credere velit consilijs, vtrumque, & quod maiestas Imperialis in ipso non exacerbetur, quodq. libertas E

Eccle-

A Ecclesiæ in electione canonica renouetur, se pollicetur effecturum. Inclinatus ille ad monitum eius, purpuram deponit, peregriniq. habitum assumens, & ducens secum Hildebrandum, iter carpit. Igitur ad Vrbem vsque venientes, consilio Hildebrandi a Clero & populo Bruno in summum Pontificem eligitur: sicq. vtcumque Romana Ecclesia ad faciendam electionem informatur] hæc Otto. Idibus Februarijs fuisse Romæ consecratum habent veteres Indices Vaticani. Quadragesimali quidem tempore contigisse consecrationē Leonis, Hermannus affirmat. Et quidem ipso initio Quadragesimæ id factum oportuit; quod & ex ijs, quæ Leo Ostiensis scribit de peregrinatione, mox ab eo susceptā, temporis habita ratione, colligimus. Vnde errare omnino conuincuntur ij, qui ipsum in Germania ante aduentum in Italiam Synodos celebrasse testantur. quando autem illas Synodos celebrari contigerit, suo loco dicturi sumus.

B Hic vero nequaquam prætermittenda putamus, quæ accidisse dicuntur ipsi ante sui electionē. Ex scripto enim codice Sublacensis monasterij lectionario de primordijs eiusdem Leonis Papæ aliqua auditu digna narrantur, quæ describemus. Tres namque ibi de S. Leone Nono in eius anniuersaria die natali legi solitæ descriptæ habentur lectiones: est earum primæ exordium: Toto affectu cordis charissimi] inferius vero de eodem ista leguntur: Dum esset Tullensis vrbis Episcopus, priusquam Romanam Ecclesiam gubernandam susciperet, nocturna visio (sicut a Firmano Episcopo Erimanno nomine didici) apparuit ipsi. contemplabatur quod quidam senex vultu placidissimo, canitie decorus, per asperrimam & longissimam viam ducebat eum ad quoddam vetustissimum templum: quod ingressus fecit eum sedere iuxta se in mirifica sede præfati templi, dicens: Hoc nobilissimum solium, transactis quinque annis con-

C cessit tibi Deus, vt fideliter regas & amplifices illud, vt merearis audire ab eo: [a] Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui] hæc ibi. subijciuntur sequenti lectione alia ipsi ostensa de bellorum turbinibus, quibus vexandus esset, atque demum de felici rerum exitu. Quæ quidem omnia scripta fuisse videntur, eodem Leone adhuc viuente. nam in fine ista leguntur: Quod magna ex parte cernimus adimpletum] sic igitur [b] Apostolico more diuinitus præcedentibus prophetijs, Leo Nonus electus, Romam versus dirigit iter.

a Matth. 25.

b 1. Tim. 1.

Sed & accipe, quæ Sigebertus scribit in itinere contigisse, cum ex Gallijs Romam se contulit. ait enim: Hic cum ad capessendam Sedem Apostolicam Romam tenderet, audiuit voces Angelorum cantantium: Dicit Dominus, Ego cogito cogitationes pacis & non afflictionis] vir plane erat meritis insignis, & homo licet, interius angeli-

LEO PAPA STVDIOSVS CVLTOR ANGELORVM.

D cam vitam ducens, consortio Angelorum dignus est habitus, quorum cultum propensiori studio frequentaret: hincq. est, vt simulac consecrationem Pontificiam Romæ accepit, nihil ibi moratus, Sipontum in Apulia, ad visitandam ecclesiam sancti Michaelis Archangeli, sitam in rupe Gargana, celeberrimam eius temporis peregrinationem, ad promerenda apud Deum suffragia sanctorum Angelorum, accurrerit.

c Leo Oss. lib. 2. cap. 82.

PETIT LEO PAPA GARGANVM MONTEM.

De qua inita peregrinatione Leo Ostiensis hæc habet: [c] Sanctus autem Pontifex eodē, quo ordinatus est anno, orationis gratia montem Garganum petijt. Inde rediens, in ipsa festiuitate palmarum ad hoc monasterium Cassinense valde deuotus accessit, & reuerentissime susceptus a Fratribus, ipso die Missam solemniter celebrauit, atque in Refectorio cum Fratribus comedens, post prandium ad Capitulum venit. Vbi maximas Fratribus pro tam honorifica susceptione sua gratias agens, ac pro viribus semper

E monasterium ipsum exaltaturum spondens, descendit. Postridie vero ecclesiam sancti Mauritij apud insulam, quæ Limata dicitur, ab ipso Abbate constructam, & sancti Saluatoris in territorio Atinensi solemniter dedicans, Romam reuersus est. Ad quem profectus Abbas, priuilegium ab eo, iuxta suorum prædecessorum morem, honorabiliter sumpsit. In quo idem sanctus Pontifex sandaliorum vsum, & dalmaticæ, & chirothecarum in præcipuis festiuitatibus tam illi, quam omnibus in hoc cœnobio regulariter promouendis, ob honorificentiam sancti huius loci, Apostolica auctoritate concessit. Quo etiam tempore idem Apostolicus monasterium, quod Saxonanum appellatur, intra Vrbem Romam situm, iam dicto Abbati Richerio cum suis omnibus iuribus tradidit; & illi exinde priuilegium faciens, solam sibi Abbatis consecrationem, quem tamen Cassinensis Abbas eligeret, reseruauit] hucusque Leo. Porro Pascha eumdem Pontificem Romæ celebrasse, ex Hermanno constat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sed antequam vlterius res a Leone gestas prosequamur, non omittendum, ipsum adeo suæ Tullensis ecclesiæ amatorem fuisse, vt licet Romanus Pontifex creatus esset, tamen titulum priorem non reliquerit, volueritq. dum vixit, dici etiam Tullensis Episcopus. Insuper liquet, patrimonium suum impendi voluisse in erectionem monasterij sanctæ Crucis, quod & amplissimis redditibus locupletauit, reliquitq. sub protectione Romanorum Pontificum. testatur id Gregorius Papa Septimus in [a] epistola ad Guarnerium Argentinensem Episcopum.

a lib. 2. ep. 14.

Quæ autem fuerint reliquæ anni huius eiusdem Leonis Papæ res gestæ, ab Hermanno sic accipe: Proximo Pascha Vdalricum Augiensis cœnobij prouisorem Romam venientem Abbatis benedictione consecrauit, & monasterij eiusdem priuilegia antiquitus a Sede Apostolica tradita sua auctoritate confirmauit & innouauit, Indictione secunda, vij. Kal. Aprilis. Idem Papa in hebdomada post Albas, Synodum cum Episcopis Italiæ Romæ celebrauit. Idem in hebdomada Pentecostes aliam Synodum Papiæ congregauit; indeq. per montem Iouis cum pluribus Romanorum in Cisalpinas partes deuenit] hæc Hermannus de rebus gestis hoc anno in Italia: quæ ne perfunctorie transeamus, de his, quæ alibi reperiuntur, in medium adducamus.

CONCILIVM ROMANVM ADVERSVS SIMONIACOS.

Quod enim primum ad Romanam Synodum pertinet, plane Leoni accidit, quod homini agricolæ accidere solet, qui cum incultum agrum spinis repletum vndique suscipit excolendum, ipso intuitu terreatur immensitate laboris. Querelæ ibi sunt propositæ de clericis simoniacis, adeoq. frequentes, vt eos tæderet audire, & desperarent omnes, omnibus posse mederi languentibus. Nam audi, quæ de eiusmodi puniendo crimine, eodemq. penitus abolendo sint tunc acta in Romana Synodo sub Leone; quæ Petrus Damiani recitat in epistola ad Henricum Rauennatem Archiepiscopum: [b] Verumtamen, inquit, & hoc otiosum esse non credimus, si quod super hoc negotio idem venerabilis Leo Papa statuerat, exponamus. Nam cum omnes simoniacorum ordinationes synodalis vigoris auctoritas cassasset: protinus a Romanorum sacerdotum multitudine magnæ seditionis tumultus exortus est, ita vt non solum ab ipsis, sed a plerisque diceretur Episcopis, omnes pene basilicas sacerdotalibus officijs destitutas, & præcipue Missarum solemnia, ad subuersionem Christianæ religionis, & desperationem omnium circumquaque Fidelium funditus omittenda. Quid plura? Post longa sane disceptationum hinc inde volumina tandem suggestum est, reuerendæ memoriæ nuper eiusdem Sedis Episcopum Clementem decreuisse, vt quicumque a simoniaco consecratus esset, in ipso ordinationis suæ tempore non ignorans simoniacum esse, cui se obtulerit promouendum, quadraginta nunc dierum pœnitentiam ageret, & sic in accepti ordinis officio ministraret. Quam nimirum sententiam protinus venerabilis Leo ratam percensuit, & sub huiusmodi pœna hos in acceptis officijs de cetero perseuerare mandauit. Nam & nonnullos hodieque conspicitis, qui dum a talibus diuersi gradus fuerint ordinati, ab eodem summo Pontifice ad Episcopatus apicē sunt prouecti, nec id perperā &c.] hæc de Papæ Leonis decreto, in hac Synodo constituto, seu potius confirmato. At non hic finis controuersiarum, sed occasione ordinationum, quæ per simoniacos factæ sunt, aliæ emerserunt contentiones, diuersis Synodorum iudicijs ventilatæ, vsque ad annum quintū eiusdem Leonis Papæ Pontificatus, vt idem ipse Petrus exordio eius epistolæ ad Henricū affirmat. de quibus nos suo loco dicturi sumus.

b Petr. epist. 16. cap. 30. tom. 3. bibl. sanct.

DECRETVM DE SIMONIACIS.

Aliud idem Petrus eiusdem Pontificis synodale decretum recitat superius eadem epistola istis verbis: [c] Nam & is qui supra magnificus Leo omnes clericos ab hæreticis venientes, in his quidem, quos adepti sunt, ordinibus præcepit recipi: ad altiores autem gradus prohibet promoueri. cuius decreti nos titulum contenti sumus hic breuiter adhibere: ad textum autem mittemus, quibus vacat diffusius illic exarata perlegere: Quin omnis, inquit, cuiuslibet ordinis clericus, qui Catholicam deserens, hæreticæ communioni se miscuerit, si ad Ecclesiam fuerit reuersus, in eo gradu, in quo erat, sine promotione permaneat &c. [d] Ponamus itaque, vt simoniaci in nullo a ceteris hæreticis differant, atque per schismaticam sectam similiter cum eis ab ecclesiastica communione procul recedant: in sacerdotio tamen, vel ceteris gradibus, quicumque iam ab eis promoti sunt, Leoniano decernuntur permanere iudicio] hæc Petrus ex decreto Leonis sancito in hac prima Synodo, in qua prominentiores vepres succisi esse noscuntur.

c end. epist. ad Henr. cap. 27.

ALIVD LEONIS DECRETVM.

d 1. q. 1. c. si quis haret.

Ceterum

Ceterum præter ipsos etiam & frutices illi infelicissimi, vepres infausti, spinæ, & vrticæ agrum Patrisfamilias in immensum oppleuerant, qui ex putore carnis, corruptionis simo turpiter excreuerunt. [a] Omnis quippe caro corruperat viam suam] vt non tantum ad eas abluendas sordes videretur satis esse diluuium, sed nefanda scelera ignem e cælo Gomorrhæum, quo est exusta Pentapolis, postularent. Quorum gratia idem Petrus Damiani, tunc eremita montis Auellani in Vmbria constituti, de his omnibus nouum Pontificem Leonem monendum putauit, scribens ad eum librum, quem, Gomorrhæus, inscripsit, eoq. quadripartita vitia carnis, quibus obrueretur Ecclesia, vt decuit, quam potuit honeste, insinuauit, rogans vt Petri gladio, acutiore quam Phinees, conficiens turpissimos homines illos, Ecclesiam Dei non habentem maculam, neque rugam, seruaret incontaminatam. Quibus auditis sanctissimus Pontifex, cum viri sancti laudauit zelum, cum etiam pro criminum qualitate & quantitate vltor offensi numinis, pœnas dignas apposuit, quas habet eiusdem Pontificis epistola, ad eumdem Petrum reddita, quæ præfixa legitur Gomorrhæo, quæ vna cum pluribus alijs eiusdem auctoris lucubrationibus extat in antiquitus scripto codice bibliothecæ sancti Petri in Vaticano, quo sumus vsi in his conscribendis. ipsa autem Leonis Papæ epistola ad Petrum sic se habet:

a Gen. 6.

NEFANDA CARNIS VITIA EXCISA PER LEONEM PONTIFICEM.

LEONIS PAP. AD PETRVM DAM. EPIST. REDDITA.

Leo Episcopus seruus seruorum Dei dilecto in Christo filio Petro eremitæ æternæ beatitudinis gaudium.

Ad splendidum nitentis pudicitiæ thorum, fili charissime, pio certamine, intentionem tuæ mentis peruenisse, libellus, quem contra quadrimodam carnalis contaginis pollutionem honesto quidem stylo, sed honestiori ratione edidisti, manifestis documentis commendat. Subegisti quidem carnis barbariem, qui sic erexisti brachium spiritus aduersus libidinum obscenitatem. Execrabile quidem vitium, longeq. segregans ab auctore virtutum, qui cum sit mundus, nihil admittit immundum. Nec de sorte eius esse poterit, qui sordidis illecebris subiacebit. Clerici vero, de quorum vita spurcissima flebiliter, pariterq. rationabiliter tua prudentia disputauit: vere, & omnino vere ad funiculum hereditatis eius non pertinent, de quo ipsi voluptuosis se oblectationibus submouent. Quod si pudice conuersarentur, non solum templum Dei sanctum, sed ipsum etiam Sanctuarium dicerentur, in quo niueo candore conspicuus ille Dei Agnus immolatur, per quem fœda totius orbis lues lauatur. Tales nimirum clerici etsi non verborum, operum tamen testimonio profitentur, quia non existunt, quod censentur. Quomodo enim clericus esse possit vel nominari, qui proprio arbitrio non metuit inclinari?] & post multa ad extremum vbi eiusmodi canonica censura coercuit, hæc ad Petrum: Sed fili charissime, inenarrabiliter gaudeo, quia exemplo conuersationis instruis, quidquid oratoria facultate docuisti. plus est enim opere docere quam voce. Quapropter auctore Deo, palmam obtinebis victoriæ, & cum Dei & Virginis Filio lætaberis in cælesti mansione, & tot mercedibus eris cumulatus, quot ereptis per te a diaboli laqueis fueris constipatus, & quodammodo coronatus] hæc ad Petrum Leo.

LEO INFENSVS IN PETRVM OPERA CALVMNIATORVM.

Sed o instabilis interdum etiam in Ecclesiæ Antistitibus, ijsdemq. sanctissimis stabilitas mentis, dum contrarijs ventis impellentibus, animum erga viros virtute præditos bene propensum in partem distorquent aduersam, vt quem antea plurimi faciebant, iam contemnant, & fastidio respuant quem colebant. Ecce enim Petrus ille huius temporis magnum sidus Ecclesiæ, Leoni Pontifici adeo charus, meritoq. dilectus ac cultus, quorumdam calumnijs apud ipsum exagitatus, cœpit ab æstimatione partacadere, atque vilescere: quorum gratia idem Petrus has ad eum litteras scribere sit coactus, quas nos e Cassinensi bibliotheca acceptas per Constantinum Caietanum monachum, hic tibi describendas curauimus. sic se habent:

PETRI DAM. EPISTOLA APOLOGETICA.

Domno Leoni beatissimo Papæ Petrus peccator monachus deuotissimæ seruitutis obsequium.

Hoc saltem dicam accusatoribus meis, quod plebs Israelitica dixit prædicatoribus suis: [b] Videat Dominus, & iudicet; quoniam fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone & seruis eius. Antiquus namque hostis timens, ne ego possem vobis suggerendo destruere, quod ille in istis partibus non desinit quotidie nouis adinuentionibus fabricare: malignantium aduersum me linguas exacuit, complices suos

b Exod. 5.

ad

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad componenda mendacia, quoddam sibi velut organum fecit, per vascula sua crepuit, & malitiæ suæ virus sacris auribus instillauit. Et quid mirum, si domino meo tantis oppresso negotijs versuta calliditas hominum subrepere potuit; cum & Dauid, [a] qui prophetico plenus erat spiritu, dum Sibæ inconsultius credidit, innocentem protinus Miphiboseth sentētiæ proscriptionis addixit? tantumq. apud eum falsæ accusationis sermo prævaluit, vt plectibilem seruum in herilis consortium hereditatis adsciseret, & infidelitatis reum, libertatis dignum præmio iudicaret. Verumtamen si Creatoris nostri facta diligenter attendimus, ad credenda cuiuslibet mala, fidem adhibere facile non debemus. Ipse enim, cuius oculis nuda & aperta sunt omnia, non dedignatus est dicere: [b] Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis. descendam, & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non est ita, vt sciam. Quod profecto ad nihil aliud dictū videtur, nisi vt humana doceatur ignorantia, sine experimentis audita non credere, incognita non leuiter adiudicare, nec ante sententiam promere, quam rem dubiam testimonijs approbarit. Quam profecto cautelam dum vos prudenter habere in alijs liquido nouimus: quia nobis obseruata non est, non vobis adscribimus, sed nostris proculdubio meritis imputamus.

[a] 2. Reg. 19.

[b] Gen. 18.

Verumtamen in his ad conscientiam redeo, ad mentis meæ secreta recurro, certus quia nisi pro amore Christi, cuius ego malus seruus sum, nullius mortalis hominis gratiam quæro, nullius iracundiam pertimesco. Quapropter ipsum conscientiæ meæ testem inuoco, & humiliter peto, quem in sacrario vestri pectoris habitare pium est credere, vt si saluti meæ congruere iudicat: vos mihi mitescere sua protinus auctoritate præcipiat, & serenitatis vestræ vultum mihi placabilem reddat, quatenus ipse me in vestra reconciliatione confœderet, qui me ad quærendam clementiæ vestræ gratiam, ne stem rigidus, terret.

Alioquin si adhuc durissimo auersionis vestræ flagello me verberandum esse decernit: liuentes scapulas humiliter subdo, ori meo digitum superpono, nil conqueror; sed ad ipsum spei meæ oculos leuo, cuius hæc erga me fieri iusta occulti examinis dispositione perpendo. Non ergo vos, sed ipsum rogo, sine cuius nutu nec folium arboris credo diffluere, vt cor vestrum, quod in manu tenet, si mihi salus est, in meam dignetur beneuolentiam inclinare] hucusque ad Leonem Pontificem Petrus. quæ autem hæc secuta sint, ignoramus. Sint ista ad consolationem (quod sæpe contingere solet) talia patientium, ad cautelam vero eiusmodi perpetrantium, ne faciles calumniantibus aures adhibeant, aduersus eos præsertim, quos longior vita ante bene acta commendat. at de his satis.

LIBER GOMORRHAEVS SVBLATVS AB A. ALEXANDRO PAPA.

Verum vt ad Petri librum illum, Gomorrhæum, inscriptum redeamus, etsi visus sit a Leone Papa laudari: tamen quod absque verborum obscenitate obscenitates illæ tantæ pertractari haud adeo potuerunt, quin legentium aures castas offenderent, vt reuera offendunt; Alexander Papa Secundus callida arte illum ab eo surripuit, suoq. inclusit scrinio. Sed questus est de his tunc Petrus litteris scriptis ad duos Cardinales, nempe Hildebrandum, & Stephanum. quæ habentur in codice basilicæ sancti Petri, incipiuntque: Querelam omnipotenti Deo, & vobis, qui estis membra eius, depono de domino nostro Papa, qui cor meum tam acerbo mœrore conturbat, & grandæui iam senis animam ad amaritudinem prouocat. Tulit enim librum nostrum, quem videlicet de paupertatula inopis ingenioli cum magno labore decerpseram, & velut vnicum filium vlnis vterinæ dulcedinis amplectebar. & hunc qualiter tulerit, operæpretium est agnoscatis. Sciebat enim hoc se a me aliter impetrare non posse: domno Abbati sancti Saluatoris me præsente tradidit, præcipiens, vt transcriberet. Nocte vero, me nesciente, tulit, suisq. scrinijs infarciuit. Et reuera est munditiæ sacerdotalis *ingenium, immo Papalis hoc puritatis est argumentum] Ex quibus sane verbis, licet quisnam liber ille fuerit, minime exprimat; Gomorrhæum librum illum significare voluisse non dubitamus, cuius turpitudine offensus Papa, voluerit eum ita surripiendo, nec reddendo delere. pergit autem de eodem Pontifice dicere: Ex his tamen expostulatur, arridet, caputq. meum tamquam oleo, iocosæ vrbanitatis suauitate demulcet &c.] at de his hactenus. Assectemur ipsius Papæ vestigia.

* indicium,

Iam vero rebus per eumdem sanctissimum Pontificem in Italia gestis, vsque ad Pentecosten,

A tecosten, enarratis, quænam, vbi in Germaniam se contulit, vsque ad sequentem diem Natalem Domini (qua periodo temporis Hermannus annos singulos in Chronico stringit) per eumdem gestæ sint, videamus. quæ ab eodem Hermanno ita narrantur: Secuta, inquit, æstate, cum Imperator expeditionem contra Godefridum, & Balduinum, a domino Papa excommunicatos pararet: Godefridus tam contra vim Imperatoris, quam contra Papæ excommunicationem Aquisgranum venit, & opitulante Papa, gratiam Imperatoris promeruit. Balduinus vero vtrumque contemnens, vastata ab exercitu magna ex parte prouincia sua, tandem obsides dedit, & pactum cum Imperatore fecit.

CONCILIA DVO RHENEN SE ET MOGVNTINVM.

Autumnali tempore dominus Papa Synodum magnam Rhemis cum Galliarum Episcopis habuit: indeq. Moguntiacum veniens, aliam Synodum quadraginta prope
B Episcoporum coram Imperatore, & regni nostri Principibus celebrauit: & postea Alemanniam adiens, Augiæ festum sancti Clementis, & Dominicam ante Aduentum Domini vj. Kal. Decemb. egit. & per Augustam, Baioariamq. transiens, Natalem Domini Veronæ coluit. Imperator vero ad idem festum in Saxonia mansit] hucusque Hermannus Leonis primum annum perducit, a Natali vsque ad Natalem ex more annos singulos claudens. Vtinam sicut licet tanti Pontificis assectari vestigia, Apostolica vigilātia, auis instar, Italiam, Gallias, Germaniasq. lustrantis ita daretur res ab eo præclare gestas, præsertim vero Actiones Conciliorum, quibus præfuit, posse legere. Scimus aliquos peregrinationem istam trans Alpes, atque Synodos celebratas in annum sequentem reijcere; sed magis placet Hermannum sequi, hæc tunc ante oculos habentem, atque scribentē: quem etiam tutius sequitur Sigebertus, atque post
C eum alij. Quod expresse, qui tunc temporis & scripsit Adam, profitetur, hoc scilicet anno eamdem Synodum Moguntinam celebratam esse. ait enim: [a] Præsertim eo fultus adminiculo *Archiepiscopus scilicet Hamburgensis*, quod potentissimus Papa Leo pro corrigendis Ecclesiæ necessitatibus venit in Germaniam, quem sciret pro veteri sibi amicitia nihil ab negaturum, quod iuri cuipiam deberet præstari. Tunc habita est Synodus generalis apud Maguntiam, præsidente domno Apostolico, & Imperatore Henrico cum Episcopis, Bardone Maguntinensi, Eberhardo Treuirensi, Hermanno Colonienſi, Adalberto Hamburgensi, Engilhardo Magdeburgensi, ceterisq. prouinciarum sacerdotibus. In eo Concilio quidam Spirensis Episcopus Sibico, cui crimen adulterij intendebatur, examinatione sacrificij purgatus est. Præterea multa ibidem sancita sunt ad vtilitatem Ecclesiæ, præ quibus simoniaca hæresis, & nefanda sacer-
D dotum coniugia, holographa Synodi manu perpetuo damnata * est. quod veniens dominum noster Archiepiscopus non tacuisse probatur. De mulieribus statuit eamdem sententiam, quam decessor eius memorabilis Alebrandus, & antea Libentius inchoauerant, vt scilicet fierent extra synagogam, & ciuitatem, ne malesuada pellicum vicinia castos violaret obtutus. Hæc Synodus facta est anno Domini millesimo quadragesimonono. ipse est Archiepiscopi septimus. Et tunc maius altare Tribunalis dedicatum est in honorem Genitricis Dei. De qua Synodo mentionem ideo fecerim, quod dominus Adalbertus eo tempore, quo tam clari homines in Ecclesia fuerunt, sapientiæ, ac virtutum merito fere omnes præcelluit. tantus apud Papam, talis apud Cæsarem habebatur, vt de publicis rebus absque eius consilio nil ageretur] hæc Adam.

[a] Adam lib. 3. cap. 31.

* sunt.

Ex quibus omnibus eiusdem temporis auctoribus est arguendus erroris Trithemius,
E cum in Chronico Hirsaugiensis monasterij, non hoc anno, sed sequenti potius ponit eiusdem Pontificis aduentum in Germaniam, & celebratum ab eo Concilium Moguntinum. Qui etiam, quæ tunc de eiusdem monasterij restitutione intercesserunt inter ipsum Leonem Pontificem & eius sororis filium Adelbertum Comitem, sic describit historiam:

Anno Dominicæ Natiuitatis *ML. Indictione *tertia, Sanctus Leo Papa Nonus ad componendas res & statum ecclesiarum, pacemq. Gallijs reddendam, Roma egressus cum Cardinalibus multis venit in Germaniam. Erat eo tempore Comes Adelbertus de Caluue monasterij Hirsaugiensis aduocatus, sed desolationis patronus, qui non solum restituere contempsit, per proauos S. Aurelio impie ablata, verum se iusto omnia possidere titulo arbitratus, nihil minus, quam de reparatione monasterij cogitabat. Contigit igitur anno prænotato, qui fuit desolationis monasterij octauus

* M. XLIX.

* secunda.

& qua-

Universidad de Deusto
Biblioteca

LEO PAPA A NEPOTE EXCIPITVR.

& quadrageſimus, ſupra milleſimum vero Domini (ſicut diximus) quinquageſimus, A
quod idem Leo ſanctiſſimus Papa, Comiti præfato ſanguine iunctus, Roma egreſſus,
Italiaq. tranſmiſſa per fines Sueuorum iter ſuum verſus Maguntiam dirigeret. Quod
cum Adelbertus Comes præfatus reſciſſet, auunculum videlicet ſuum ſanctæ Roma-
næ & vniuerſalis Eccleſiæ Pontificem ſuas tranſiturum per terras, obuiam illi prope-
rans humillimis eum precibus deuicit, quatenus in hoſpitium nepotis humilis intra-
re non deſpiceret. Papa tum deuotione inuitantis, tum ſanguinis ratione permotus
petenti aſſenſit, caſtellum Comitis intrauit, qui perhumaniter exceptus, doctrinæ
ſalutaris verbum, vt ſui moris erat, ſeminans, mentes hoſpitum ſuorum ad amorem
cæleſtis patriæ erigere ſummopere ſtudebat. Quadam die Pontifex recreationis ani-
mi cauſa Comitem dextra complexus, de caſtello non procul ad vicini montis verti-
cem exiuit, ad quem inter loquendum: Quam aptus, inquit (o fili) locus mihi hic B
videretur montibus circumſeptus vndique, quem & aquarum copia vtilem, & ſoli-
tudo reddit quietum, in quo ſeruorum Dei monaſterium conſtrui debeat, qui Crea-
tori noſtro laudes continuas perſoluentes pro ſalute multorum deuotius exorarent.
Cui Comes: Eſt, inquit, beatiſſime Pater, in vicino eccleſia ab anteceſſoribus meis
in honorem cuiuſdam ſancti Aurelij, cuius & corpus in ea fertur ſepultum, olim ad
monachorum habitaculum cum reliquis manſionibus neceſſarijs conſtructa: in qua
cum dudum monachi per annos non paucos omnipotenti Deo religioſe ſeruiuiſſent;
poſtremoq. a regulari diſciplina miſere torpentes, cum nullis admonitionibus maiorũ
acquieſcerent, a progenitoribus meis tamquam ſcandalum plebis inde proiecti ſunt.
His ſacratiſſimus Pontifex auditis ad locum perſonaliter acceſſit, libros qui re-
manſerunt, reuoluit, cupiens hiſtoriæ cognoſcere veritatem. Erat ibi clericus in- C
ter ceteros ſenex nomine Bertholdus, qui olim in loco viderat monachos Deo famu-
lantes. Is Pontifici rem omnem ſicut geſta fuerat aperuit, & quomodo auus Comitis
Adelberti cœnobium bonis ſpoliaſſet omnibus, expulſiſq. monachis paucos in locum
clericos poſuiſſet.
Quibus cognitis ſanctus Præſul ingemuit, ſed cordis ſui dolorem prudenter diſſi-
mulans, vbinam corpus diui haberetur Aurelij, ab eodem clerico quæſiuit. Qui cum
diceret ſe a maioribus ſuis audiuiſſe, ſacras S. Aurelij reliquias, tempore quo North-
manni vaſtauerunt Galliam, per quemdam Abbatem huius loci ſub terram fuiſſe ab-
ſconditas, & vſque in eum diem incognitas omnibus permanſiſſe. Sanctus Papa accitis
operarijs terram in diuerſis eccleſiæ locis fodere cœpit, & theſaurum abſconditũ dili-
genter inquirere, ſed poſteaquam caſſo labore diu laboraſſent artifices, & nihil penitus D
reperiſſent, cœperunt omnes, qui aderant, de inueniendo corpore Sancti deſperare.
Tunc ſancto in orationibus Pontifice proſtrato, ipſoq. cohortante artifices ne de-
ſperent, vnus ex his ceteris in arte ſua magis peritus, qui nuper ex dominio Veneto-
rum cum filijs aduenies, multa huic loco ſuis laboribus impendit bona, induſtrioſe
INVENITVR CORPVS S. AVRELII. perquirens ſingula loca, tandem ex repercuſſione malleorum deprehendit terram
ſubtus eſſe cauatam: ad cuius conſilium, in eodem loco fodere artifices cœperunt:
qui tandem non ſine magna difficultate humo remota, cameram ſubterraneam inue-
nerunt pulchre ſatis formatam, in qua ſarcophagus apparuit extrinſecus admodum
ornate diſpoſitus. Quem cum ſanctiſſimus Papa vidiſſet, magno repletus gaudio
præcepit, vt omnes ad orationem genua flecterent, & Deum pro Confeſſoris ſui deſi-
derata inuentione collaudarent. Oratione completa ſanctus Leo propius accedens, E
iuſſit aperiri ſepulchrum, quo recluſo ſuauiſſimus odor exhalauit, qui omnes, qui ade-
rant, mira ſuauitate ſui reficeret. Inuenerunt itaque ſanctiſſimi Confeſſoris Chriſti
Aurelij ſacratiſſima oſſa ſericijs inuoluta pannis, pulchre in formam corporis debito
collocata ordine, & ad caput eius tabulam ex plumbo iſta continentem.

CORPVS S. AVRELII EPISCOPI TEMPORE ARNVLPHI REGIS REPOSITVM, HERDERADO ABBATE, OCTAVO KALENDAS SEPTEMBRIS. Cum ſanctus Papa hunc titulum coram omnibus legiſſet, in-
gemuit, dicens: Væ illis, qui locum hunc tanti Præſulis ſanctificatum meritis & præ-
ſentia, deſolarunt, & clauſo ſarcophago, ne reliquiæ Sancti quouis modo ſubtraherentur, cum ſuis ad caſtellum Comitis eſt reuerſus.
Poſtera die, cum ſanctus Papa Leo tempus vidiſſet intentioni ſuæ complendæ opportunum,

A tunum, vocatis Comite ſæpe dicto Adelberto, & Vuiltrude vxore eius deuotiſſima
femina, in præſentia ſuorum Cardinalium, ceteris excluſis dixit ad nepotem: Heſter-
no vidimus die, chare nepos, ſacras Confeſſoris Chriſti reliquias honore debito ſpo-
liatas, ipſumq. locum pro amore cæleſtis patriæ omnipotenti Deo, & ſacræ monaſti-
cæ religioni olim a progenitoribus tuis rite dicatum, multis quoque annis a Petro Dei
famulo inhabitatum, quem tui maiores auus genitorq. peſſima & crudeli auaritia
ducti, Abbatis poſſeſſionibus, & bonis deſolatum fecerunt: & quod omni ſcelere ſce-
leratius eſt, monachis expulſis officinam ſanctarum virtutum, introductis diſſolutiſſi-
mæ vitæ ſæcularibus clericis, in omnium ſpeluncam vitiorũ commutarunt. Tu quo-
que prauis maiorum inhærens veſtigijs, ſicuti probato ſumus edocti teſtimonio, non
ſolum ea, quæ illi ſacrilegio polluti a ſeruorum Dei cœnobio iniuſtiſſime abſtulerunt,
B ſine Dei timore poſſides, ſed tuæ ſalutis penitus immemor, totum quod illi parcen-
do reliquiſſent intactum, rapuiſti: Deumq. & S. Aurelium, imo ciues ſupernæ patriæ
vniuerſos irritando tibi aduerſarios feciſti. Neque enim paruum peccatum æſtiman-
dum eſt, quod in Deum & Sanctos eius committitur, cum apud ipſos etiam homines
iniuſta rerum alieni iuris vſurpatio ſcelus grauiſſimum iudicetur. Ecce tu vna cum
progenitoribus tuis pactum violaſti, primumq. tuorum corrupiſti; immo annihilaſti
ſanctum teſtamentum, & quæ illi omnipotenti Deo ſimplici ac ſancta deuotione pro
animarum remedio ſuarum obtulerunt, tu Deum & Sanctos eius, impia crudelitate,
& crudeli auaritia ſuccenſus, ſpoliare non timuiſti, factus inimicus & aduerſarius, non
modo Dei & Sanctorum eius, ſed & tibimet ipſi generiq. tuo hoſtis declaratus, & cru-
delis antiſtes, ipſam propaginem ex tuo ſemine generandam grauiſſimo ſcelere inno-
C daſti, quæ quamdiu ſacrilega hereditate etiam neſciens polluitur, aut in paucis gene-
rationibus deficiens exterminabitur, aut in hac vita miſerabilis euadet, æternis poſt
mortem ſupplicijs pro demeritis crucianda. Tibi autem quæ ſpes æternæ felicitatis
conſequendæ poterit eſſe (o fili mi) cum per tam manifeſtum ſcelus & ſacrilegium
Deum omnipotentem cum omnibus Sanctis ſuis inimicum tibi feceris, hoſtemq. &
aduerſarium? periculoſum eſt tibi, penitusq. damnabile, crede nobis, Deum habere
contrarium, qui etſi patienter iniurias videatur ferre ſuas in hoc tempore, vindex cum
ſit iuſtusq. Iudex, æternis hanc patientiam poſt mortem ſupplicijs non dubites vin-
dicabit.
Nos vero, quibus cura ſalutis tuæ tuorumq. eſt, non modo ratione paſtoralis cul- PRAECEPTVM SVB ANATHEMATE.
minis, qua licet immeriti ſaluti omnium ſumus debitores ex officio, verum etiam ex
D ſanguinis cognatione, qua nobis ſorore natus intime coniunctus, te tuosq. perire non
patiemur in æternum, quantum in nobis eſt. Vnde auctoritate omnipotentis Dei &
beatorum Apoſtolorum eius Petri & Pauli, quorum gerimus vices in terris, te mone-
mus & requirimus, atque ſub æternæ damnationis interminatione, perq. diſtrictum
Dei iudicium te conteſtamur, ac ſub anathemate diſtricte præcipientes tibi manda-
mus, quatenus prædictum locum, clericis expulſis, quos auctoritate Apoſtolica om-
ni beneficio & reſidentia in eadem hac hora decernimus priuatos, in priſtinum ſtatum
reducere cures, monachosq. & Abbatem ſecundum Regulam diui patris Benedicti,
quemadmodum a principio ibi fuiſſe memorantur, inſtituas, eisq. omnia & ſingula,
per tuos progenitores, teq. vel alios quoſcumque ablata ſine mora reſtituas: & ſi quid
E amplius ad hæc perficienda requiritur neceſſarium, de tua ſubſtantia fideliter, & ſine
vlla contradictione pro æternæ vitæ amore legaliter impendas. Hæc tibi quanto ci-
tius perficienda vna cũ coniuge tua nobis dilecta conſummandaq. auctoritate omni-
potentis Dei, in remiſſionem tuorum peccatorum ſerio iniungimus. Quæ ſi (quod ab-
ſit) neglexeris, noſtrorumq. mandatorum contemptor inuentus fueris, indignationem
omnipotentis Dei, ſanctorumq. Petri & Pauli Apoſtolorum, & omnium electorum
Chriſti noueris incurſum, teq. ſub anathematis vinculo auctoritate Apoſtolica con-
ſtrictum, diuini examinis Iudicio fore obnoxium, grauiſſimis gehennæ tormentis cum
impijs ſine fine puniendum. Hac Pontificis oratione compunctus, ad genua eius Co-
mes procidit, ſeq. peccaſſe grauiter cum lacrymis publice confeſſus, omnia quæ
iuberetur, facturum pro viribus promittit, veniam commiſſorum abſolutionemq. po-
ſtulans a Pontifice audiuit: Si perfeceris ea, quæ præcipientibus nobis te facturum
promittis, veniam tibi non ſolum commiſſorum cum abſolutione impendemus, ſed

Universidad de Deusto Biblioteca

etiam præmia felicitatis æternæ multimoda in cælo tibi repoſita repromittimus. A

His rite peractis beatiſſimus Papa Leo cœptum continuans iter, ad Moguntiam cum ſuis tandem peruenit, vbi Synodum præſente Imperatore cum quadragintaduobus Epiſcopis, & multis Abbatibus & clericis celebrauit, & multa pro vtilitate eccleſiaſtica conſtituit. In hac Synodo Sibico Spirenſis Epiſcopus de criminibus, quibus accuſabatur, ſacra ſe communione purgauit. Hinc ſanctiſſimus Papa peracta Synodo Aquiſgranum deſcendit, ibi Imperatorem expeditionem agentem contra Balduinum Comitem Flandriæ, quouſque verteretur, expectauit. Iſte ſacratiſſimus Papa Leo Nonus multa in Germania bona fecit, eccleſias, capellas & altaria in diuerſis locis abſque numero propria in perſona conſecrauit; & quod pontificuli plures hodie facere erubeſcunt, ad quod tamen obligati ſunt ratione officij, ſummus Pontifex non obligatus facere non deſpexit] hucuſque Trithemius. B

At vtinam extaret Anſelmi monachi opus de rebus geſtis eiuſdem Leonis Pontificis, diu enim multumq. perquiſitum inuenire non licuit. Nam Sigebertus in libro de illuſtribus Scriptoribus eccleſiaſticis iſta de ipſo habet: [a] Anſelmus Rhemenſis monachus ſcripſit Itinerariũ Noni Leonis Papæ a Roma in Gallias: ob hoc maxime, vt notificaret, quanta auctoritate Rhemis, vel in alijs vrbibus Synodum celebrarit; qua ſubtilitate & iuſtitia examinauerit cauſas eccleſiaſticas; qua diſcretione peccãtes correxerit; quomodo ei virtus Dei cooperata ſit. Quod ſatis patuit in vna cauſa Rhemenſis Synodi, vbi dum Epiſcopus Friſingenſis contumaciter ageret contra Apoſtolicam auctoritatem: repente in oculis omnium obmutuit] hæc Sigebertus.

[a] *Sigeb. de illuſtr. Script. eccleſ. cap. 153.*

Sane quidem magno Dei beneficio poſt tot tenebras factum eſt, vt tanti viri fulgore ſancta Romana Eccleſia illuſtraretur, vt ſecundum Iob: [b] In manibus abſcondit lucem, & præcepit ei vt rurſum adueniat] numquam in Eccleſia ſua extinxerit lumen ſuum, vt ſinat ei dominari penitus tenebras, quam illuminat ſplendore vultus ſui; ſed ad tempus abſconderit, iterum proditurus. Quanto autem illuxerit fulgore virtutum Leo, narrando quæ ſunt ſecuta poſt Rhemenſe Concilium, hic deſcribamus ex Deſiderio Abbate Caſſinenſi & Cardinali ſanctæ Cæciliæ, qui creatus poſtea Romanus Pontifex, Victor Tertius dictus eſt. ſcripſit enim exemplo ſancti Gregorij Papæ quatuor libros dialogorum, quos habet Vaticana [c] bibliotheca. In quorum tertio libro hæc habentur: Huic, nempe Damaſo, ſucceſſit Leo, de quo eſt nobis ſermo præ manibus, vir per omnia Apoſtolicus, regali genere ortus, ſapientia præditus, religione conſpicuus, omniq. eccleſiaſtica doctrina apprime eruditus, ac qui (quemadmodum ſcriptum eſt) [d] cœpit inuocare nomen Domini. Quem ipſe etiam vidi, D eiusq. familiaritatem habere merui: ſæpe etiam eo in eccleſia Miſſas celebrante, cum illo ad diuinum altare ſacris indutus veſtibus ſteti, eiq. Euangelium legi. A quo omnia eccleſiaſtica ſtudia renouata ac reſtaurata, nouaq. lux mundo viſa eſt exoriri. Hic ſæpe ſacerdotale Concilium aduocans, ſacerdotes, diaconos, & reliquos clericos non regulariter ordinatos remouit, & in eorum locis ad veri & ſummi Dei cultum, qui digne miniſtrare poſſent, conſtituit. Quotidie quoque per ſe, ſuosq. diſcipulos vbique miſſos populis viam Domini litteris, & verbis prædicans oſtendebat. Qui per Apoſtolicam viam ſemper gradiens, Apoſtolicos etiam viros in miraculis eſt imitatus. De quo quidem plura audire me contigit, ſed multis occupatus negotijs, ſingula quæque diſcurrere non valens, pauca referre de pluribus ſatagam, vt per hæc, quanti vir iſte meriti fuerit, quicumque in poſterum legerit, agnoſcat. E

[b] *Iob 36.*

[c] *Plut. 3. num. 187. ſub nom. Dial. Greg. Pap.*

[d] *Gen. 4.*

DE S. LEONE PAP. EX DESIDERIO ABB. CASSINEN.

Gregorij itaque Pontificis, qui ab eo educatus, ac ſubdiaconus ordinatus, nunc autem in Romana Vrbe culmen Apoſtolicum tenens, Chriſti Eccleſiam verbis ſimul & exemplis illuſtrat, didici relatione, quæ narro: cuius vtique verbis ita me credere oportet, ac ſi ego in præſentiarum affuiſſem, oculisq. vidiſſem.

Dum quodam tempore prædictus Leo venerabilis Pontifex eccleſiaſticis intentus negotijs in Gallia moraretur, a quodam Abbate monaſterij ſancti Confeſſoris Chriſti Remigij ligneum poculum, benedictionis cauſa oblatum, ſuſcepit. quod videlicet pro amore tanti pontificis valde diligebat, ac in eo, refectionis hora, in menſa ſedens, aureis & argenteis poſthabitis, bibere conſueuerat. Igitur dum quadam die ad menſam ſedenti pincerna ex more poculum vellet porrigere; qua neſcio negligentia, tenentis de manu cecidit, moxq. confractum in partes eſt. Cum denique beatiſſimus Papa bis,

A bis, terq. vinum requireret, & pincerna hac de cauſa venire differret: nuntiatum eſt ei, quod poculum, in quo bibere conſueuerat, de manu ferentis decidiſſet, fractumq. fuiſſet. Quod ille audiens, valde triſtatus eſt, non tantum damno ſcyphi, quantum quod vaſe de monaſterio S. Remigij benedictionis cauſa accepto ſe fruſtratum cernebat; ſibiq. aſtantibus: Fractum, inquit, mihi ſcyphum afferte. Cumq. ſibi allatus fuiſſet, cernens vtramque fracturam, omnipotentem Dominum deprecatus eſt, vt meritis beati Remigij fractum ſibi ſcyphum, quem pro amore eius tantopere diligebat, reſtitueret: moxq. alteram partem alteri adiunxit. Sicq. eodem momento ſolidatus eſt, vt nullum in eo, quod fractus fuiſſet, indicium remaneret, cunctis, qui aderant, admirantibus, ac in eius veneratione acclamantibus. Ille non ſuis hoc, ſed beati Remigij meritis imputare cœpit, cuius de monaſterio charitatis gratia id munus ac-

S. LEONIS PAPAE DE CALICE FRACTO MIRACVLVM.

B ceperat] & inferius de eodem:

Alio tempore (ſicut mihi præfatus Papa Gregorius retulit) quidam Galliarum Epiſcopus ab eodem Papa Leone fuerat Epiſcopi honore ſuſpenſus, cuius quidam presbyter, Gibertus nomine, facundus ſermone, & litteris haud mediocriter eruditus eidem promiſerat Epiſcopo, ſe Romam venire, atque callidis ſuis aſſertionibus eumdem beatum Pontificem decipere, eiq. ſublatum officium reſtitui impetrare; ſicq. ab eo accepta pecunia, Romam venit. Cumq. ſe beato Pontifici præſentaſſet, cœpit ſe huc illucque, vt callidus ſerpens, vertere, Epiſcopum ſuum verbis rhetoricis excuſare, blandis, & humillimis precibus, vt interdictum officium iniuſte, vt aſſerebat, ablatum deberet reſtitui, flagitare. Sed cum id quod petebatur, ſibi denegatum fuiſſet, nec eum, vt ſperauerat, decipere potuiſſet, ne ad Epiſcopum ſuum, a quo non

PRESBYTER FRAVDVLENTVS DAT POENAS.

C paruam acceperat pecuniam, ſine affectu reuerti videretur, aliud exquiſiuit ingeniũ. Adijtq. Apoſtolicæ Sedis Cancellarium, eiq. oblato pretio perſuaſit, vt ſibi furtiuas litteras, & Apoſtolico ſigillo ſignatas ad ſuum Epiſcopum deferendas tribueret, quæ & Epiſcopale officium & gratiam Apoſtolicæ Sedis ſibi redditam ſignificarent. Quæ res beatum Leonem minime latuit: moxq. prædictum presbyterum aduocans, accepta, quam obtulerat pecunia, eiq. in ſinum mittens, dixit: [a] Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quia donum Dei furtim tentaſti pecunijs poſſidere. Cuius ſermonem diuina vltio mox ſecuta eſt, ita vt amiſſa mente ab illa die vſque nunc vbique vagabundus incedat, nec vlla domus, vel clauſtra vltra duos vel tres dies eum valeant retinere. Qua de re aperte datur intelligi, quod quiſquis temerario auſu vel decipere, vel ad iracundiam prouocare tentauerit eum, qui in iuſtis habitat, procul dubio Domi-

[a] *Act. 8.*

D num offendit, cuius & vindicem iram in ſe ſentiat, quam non expertam temere deuitare neglexerat] hucuſque de rebus geſtis ſanctiſſimi Papæ Leonis Deſiderius: reliqua vero quæ ſubijcit, dicentur inferius ſuo loco.

Cum autem idem Pontifex (quod non prætermittendum) ex Gallijs in Italiam ſe conferret, ſecum duxit Humbertum, virum ſicut virtutibus inſignem, ita doctrina conſpicuum: quem poſtea ſancta Romana Eccleſia habuit Cardinalem. de his enim hæc Lanfrancus in commentario, quem ſcripſit aduerſus Berengarium: Humbertum virum fuiſſe religioſum, Fide Chriſtiana, & ſanctiſſimis operibus perſeuerantiſſime decoratum, ſcientia diuinarum ac ſæcularium litterarum apprime eruditum, teſtantur omnes, qui vel propria experientia eum nouerunt, vel ab alijs, qui ipſum experti ſunt, eius cognitionem acceperunt. Hunc non de Burgundia, ſed de Lotharingia ſanctus

DE HVMBERTO S.R.E. CARDINALI.

E Leo Romam traduxit, & ad prædicandum Siculis verbum Dei Archiepiſcopum ordinauit, poſtea vero ſancta Romana Eccleſia præſulem ſibi Cardinalem conſtituit. Quo in loco poſitus taliter vixit, taliter docuit, vt de fide, vel doctrina eius nec ſaltem ſiniſtræ ſuſpicionis fama aliquando exorta ſit. Huius rei teſtis eſt tota fere Latinitas, quæ pro excellentia Apoſtolicæ Sedis, cuius Concilijs & conſilijs ſemper aderat, & præerat, eum ignorare non potuit] hæc Lanfrancus. Debuit plurimum Eccleſia Romana Leoni, qui tantum virum otioſum fortaſſe in Lotharingia commorantem, his opportune temporibus in orbis theatrum pro vniuerſa Eccleſia Catholica conſtituit laborantem. de quo ſæpe dicendum inferius: hæc modo tantum de ipſius Romam aduentu opera Leonis Papæ ſatis ex Lanfranco narraſſe. Sed non omittemus dicere, quod [b] Sigebertus, dum eius recenſet lucubrationes, appellat eum monachum Tullenſem.

[b] *Sigeb. de illuſtr. Script. eccleſ. cap. 151.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Porro sanctus Leo Romam reuersus ita ad omnes Christianæ perfectionis & pontificij culminis numeros vitam instituit, vt admirationi omnibus esset. nam inter alia Romæ dum esset, ista sibi seruanda præscripsisse, opereq. impleſſe, Leo Ostiensis affirmat, cum ait: [a] Hic sanctus Pontifex inter innumera suæ bonitatis insignia, quamdiu Romæ remoratus est, omni tempore tribus per hebdomadā diebus a Lateranensi ecclesia vsque ad sanctum Petrum priuato habitu, nudisq. pedibus, cum duobus, aut tribus clericis noctu psallendo & orando pergebat] hæc Leo. qui & in eiusdem ecclesiæ emolumentum concessit, vt decima pars oblationum cederet eiusdem Principis Apostolorum basilicæ vtilitati: cum illas in suum vsum prædecessores a multo tempore conuertere consueuissent. deprædari præterea eas atque capi consuetas violenter ab alijs, superius in Gregorio Sexto est demonstratum. Leo igitur bene mereri de basilica sancti Petri satagens, decimam eidem ex dictis oblationibus perpetuo retinendam concessit, quod eiusmodi Constituto (vti appellabant) siue Decreto, omnibus voluit fieri manifestum. Accepimus id ex Archiuo eiusdem basilicæ Vaticanæ his verbis conscriptum:

[a] *Leo Oſt. lib. 2. cap. 88.* VISITAT LEO SAEPE BASILICAM S. PETRI.

S. LEONIS DIPLOMA DE CONCESSA BASILICAE S. PETRI DECIMA OBLATIONVM.

Beate Petre Apostole, ego Leo Episcopus seruus tuus, & omnium seruorum Dei, de tuis donis aliquam tibi offero particulam, quam mihi fuit visum dignum & iustum curis, quibus circumdor, auferre, & tibi offerre quasi meam, cum sit tua. Quidquid enim est, quod in nostris iuribus sit, licet sit parum ad conferentiam præteritorum, quæ nostri antecessores habuerunt: id tamen quantumcumque sit, dignum tecum iudicaui sortiendum. Ecce enim de oblationibus Fidelium, quæ tibi offeruntur in altari tuo, sub quo sacrum & venerabile corpus tuum requiescit; & etiam in Confessione ipsius altaris, decimam partem tibi, quamuis tuum totum sit, humili deuotione, & tota cordis prosternatione offerimus, donamus, concedimus, & etiam corroboramus, atque confirmamus ad constructionem, & resarcitionem ipsius tui sacri templi, in ædificandis parietibus, picturis, tignis, tectis, imbricibus, & præterea luminariorum concinnationibus assiduis olei & ceræ; necnon lampadibus vitreis & acindulis, atque thymiamate, ceterisq. omnibus vtensilibus, quæ ad vsum & necessitatem atque decorem totius ipsius ecclesiæ pertinent. Decimam vero ipsam semper volumus esse decimam diem, vt oblatio, quæ tibi debetur, separata sit a ceteris oblationibus, & nullum aliqua confusione patiatur errorem.

Super hoc etiam, si qua vasa, si qua ornamenta, vel indumenta ecclesiastica super ipsum sacrum & venerabile altare tuum oblata fuerint ad cultum Dei, diuinis officijs, & mysterijs necessaria: conferimus ea omnia ipsi tuæ ecclesiæ ibi perpetim permansura in vsum & salarium Deo, & tibi illic seruientium, & seruiturorum.

Addendum quoque credimus illud oblationis munus, vt quidquid scilicet per Fideles ad ipsum tuum altare, & ad ipsam Confessionem offertur in vigilijs natalis tui, & in ipsa tui natalis die, beate Petre Apostole, totum sit speciale tuum prò luminaribus, & ceteris diuersis necessitatibus, ad ipsa tua solemnia agenda pertinentibus. Nec illud prætermittendum censuimus, vt quotiescumque de quibuscumque regnis, vel oris tributa siue ad altare tuum offeruntur, siue ad Apostolici pedes ponuntur, siue quouis modo Apostolicæ Sedi, cui, Deo auctore, præsidemus, persoluuntur, decima pars eorum semper tibi, beate Petre Apostole, debeatur ad reformationē ecclesiæ tuæ, & cetera, quæ superius diximus. Vt vero hæc omnia obseruentur illibata tam a successoribus nostris in Sede tua, o beate Petre Apostole, vsque in finem sæculi sessuris, quam etiam cunctis hominibus, tam magnis, quam paruis, tam diuitibus, quam pauperibus, mediocribus diuersi sexus, & ætatis, statuimus Apostolica censura, qua licet indigni fungimur, sub diuini Iudicij obtestatione, & terribilis anathematis interpositione, vt scilicet quicumque contra hoc nostræ humilitatis donum tibi de tuo, beate Petre Apostole, fideliter, ac pure collatum venire tentauerit, & intemeratum non iustificauerit, non solum segregatus sit a communione Fidelium in hac temporali vita; sed in illa quoque æterna damnatus sit perpetuis pœnis, & gehennalibus tormentis. A contrario etiam, quicumque deuotus custos, & cautus obseruator nostræ oblationis extiterit, diuinis benedictionibus augeatur, & hic per te, beate Petre Apostole, a peccatorum vinculis absoluatur; & illic quoque per te intra ianuam regni cælestis admittatur. Hoc itaque nostræ deuotionis priuilegium vt verius credatur, & certius habeatur,

habeatur, subscriptione nostra roborauimus, & roboratum nostro sigillari sigillo iussimus, ad laudem & gloriam Domini nostri IESV Christi, apud quem, beate Petre Apostole, semper esto memor nostri & omnium omnium, quas suas ipse pascendas tibi commisit, & per nos miseratus pascit, & pascet adhuc per alios in sæcula sæculorum. + Ego Leo Episcopus seruus tuus, beate Petre Apostole, donum, quod tibi de tuo feci, manu propria roboraui.

Quod ad res pertinet Orientis, hoc anno Indictione secunda, Constantini Imperatoris octauo Imperij inchoato, Cegenes Dux Pazzinacarum (eo namque nomine tredecim gentes a Græcis nominantur, quæ loca trans Istrum incolunt a Boristhene fluuio vsque ad Pannoniæ campos, in tentorijs iugiter habitantes, vt Curopalata testatur.) qui tribus ex illis gentibus præerat, persecutionem passus a primario illarum gentium Principe, confugit ad Constantinum Imperatorem, pollicitus sacrum suscepturum se baptisma, quod & præstitit vna cum omnibus, qui cum ipso erant, missis ad eos Euthymio monacho. cuius postea exemplum secutus Tyrach eorum primarius Princeps vna cum centum quadraginta viris, qui ad Imperatorem cum ipso perducti sunt, effectiq. Christiani omnes. hæc pluribus Curopalata: qui, & quomodo hi defecerint ab Imperatore, nouis ex causis, longiorem texit historiam.

PAZZINACAE AD FIDEM CONVERSI.

IESV CHRISTI ANNVS 1050. LEONIS IX. PAP. ANNVS 2. HENRICI II. IMP. 4. CONST. MONOM. IMP. 8.

QVINQVAGESIMVS post millesimum sequitur annus, Indictione tertia inchoatus, quo a sanctissimo Leone Papa duæ celebratæ sunt Synodi, altera Romæ post Pascha, altera autumni tempore Vercellis: de ambabus Hermannus ita hoc anno: Dominus Papa post Pascha Synodum item Romæ collegit, & subsecuto tempore vltra Romam progrediens, nonnullos eo locorum Principes & ciuitates, tam sibi, quam Imperatori iureiurando subiecit, Beneuentanosq. adhuc rebellantes excommunicauit. Nonnulli etiam exterarum Principes gentium missis ad eum, vtpote Apostolicum virum, Legatis; subiectionem ipsi promittunt] hæc ipse. Sed de excommunicatis Beneuentanis his omnino contraria habet Leo Ostiensis, cum ait: [a] Sequenti anno prædictus Pontifex rursus ad monasterium venit, & in crastinum, ac die altero Apostolorum Petri & Pauli Missas solemniter celebrauit: & cum die illo sabbatum esset, ingressus ad mandatum Fratrum, pedes duodecim monachis lauit, & ipse vicissim ab illis lotus, in Refectorium quoque, cum eis vna bibiturus, ingressus est: inde perrexit Beneuentum, vrbemq. ab excommunicatione prædecessoris sui benignus absoluit] hæc Leo.

DVAE SYNODI A LEONE PAPA CELEBRATAE.

[a] *Leo Oſt. lib. 2. cap. 85.*

De altera autem Synodo hoc anno ab eodem Pontifice celebrata hæc habet idem qui supra Hermannus: Ipso autumno dominus Papa Synodum Vercellis collegit, & Hunfridum Archiepiscopum pro quadam inter Rauennatem & Romanā Ecclesiam contentione ab officio suspendit; indeq. Gallias & Episcopatum suum Leucorum ciuitatem reuisit] hæc Hermannus de rebus Leonis Pontificis hoc anno, verum de rebus gestis in duobus hisce Concilijs admodum ieiune. Nos autem, quæ ex Lanfranco in commentario contra Berengarium de hac eadem Synodo Romana, cui ipse interfuit, didicimus, in medium sic afferimus. ait enim: Tempore sancti Leonis Papæ delata est hæresis tua (alloquitur Berengarium ipsum) ad Apostolicam Sedem. Qui cum Synodo præsideret, ac resideret secum non parua multitudo Episcoporum, Abbatum, diuersiq. ordinis e diuersis regionibus religiosarum personarum: iussum est in omni audientia recitari, quas mihi de corpore & sanguine Domini litteras trāsmisisti. Portitor quippe earum Legatus tuus me in Northmannia non reperto, tradidit eas quibusdam clericis. Quas cum legissent, & contra vsitatissimam Ecclesiæ Fidem scriptas animaduertissent: zelo Dei accensi, quibusdam ad legendas eas porrexerunt. Itaque factum est, vt non deterior de te quam de me fuerit exorta suspicio, ad quem videlicet tales litteras destinaueris, putantibus multis, me fouere ac fauere, quæ a te dicerentur, vel gratia, qua te diligerem, vel fide, qua reuera ita esse, indubitanter tenerem. Igitur cum a quodam Rhemensi clerico Romam perlatas recitator legerat, intellecto quod Ioannem Scotum extolleres, Paschasium damnares, communi de Eu-

CONCILIVM ROMANVM CONTRA BERENGARIVM.

BERENGARIVS CONDEMNATVS, LANFRANCVS ABSOLVTVS.

charistia fidei aduersa sentires: promulgata est in te damnationis sententia, priuans te communione sanctæ Ecclesiæ, quam tu priuare sancta eius communione satagebas. Post hæc præcepit Papa vt surgerem, praui rumoris a me maculam abstergerem, fidem meam exponerem, expositam plus sacris auctoritatibus, quam argumentis probarem. Itaque surrexi, quod sensi dixi, quod dixi probaui, quod probaui, omnibus placuit, nulli displicuit] hactenus de Synodo Romana Lanfrancus, in qua damnato, vt vidisti, Berengario, ipse Lanfrancus absolutionis sententiam retulit.

In hoc eodem Concilio contra Berengarium a Leone Pontifice celebrato, idem Pontifex decreuit pallium Dominico Patriarchæ Veneto, eidemq. priuilegium concessit, vt Crucem ante se deferret, Patriarchalemq. sedem approbauit, & Episcopis Venetiæ prouinciæ & Istriæ scripsit, vt huic tamquam primati suo obedirent, eumq. reuererentur] hæc ex scripto Chronico Andreæ Danduli. quæ omnia renouata & confirmata ab Alexandro Secundo in Concilio Mantuano, idem auctor affirmat. ficq. plene translatus fuit Patriarchatus Gradensis in Venetum, qui hactenus titulo Gradensis sedis potitus erat.

CONCILIVM VERCELLENSE.

Quæ autem contra eumdem Berengarium post hæc actitata sint eodem anno in Concilio Vercellensi, a Lanfranco sic accipe: Dehinc declarata est Synodus Vercellensis, quæ tunc proximo Septembri, eodem præsidente Pontifice, est celebrata Vercellis, ad quam vocatus non venisti. Ego vero præcepto & precibus præfati Pontificis vsque ad ipsam Synodum secum remansi. In qua in audientia omnium, qui de diuersis huius mundi partibus illuc conuenerant, Ioannis Scoti liber de Eucharistia lectus est ac damnatus: sententia tua exposita ac damnata, Fides sanctæ Ecclesiæ, quam ego teneo, & tenendam astruo, audita, & concordi omnium sensu confirmata. Duo clerici, qui Legatos tuos se esse dixerunt, volentes te defendere, in primo statim auditu defecerunt, & capti sunt. Ab hac sententia numquam discessit sanctus Leo in omnibus suis Concilijs, seu quibus ipse præsentiam suam exhibuit, seu quæ per Legatos suos in diuersis prouincijs congregari instituit. quæ sententia non effugit successorem quoque suum felicis memoriæ Papam Victorem] hucusque Lanfrancus de Synodo Vercellensi. cuius meminit etiam * Guitmundus in commentario, quem scripsit de corpore & sanguine Christi, eidemq. præfuisse Leonem Pontificem tradit. Ipse vero Pontifex (vt ex Hermanno patet) vbi Synodus Vercellensis absoluta fuit, trans Alpes iter dirigens, conuenit Imperatorem, in Saxonia tunc agentem. reliqua itineris eius dicentur anno sequenti.

* Guitm. lib. 1.

Hoc eodem anno Ferdinandus Magnus, cum ob tumultus bellicos ecclesias in suo regno Hispaniæ collocatas, excrescentibus vepribus, siluescentes cerneret, conuocatis Episcopis, Dominici agri cultoribus, eum ad optimam frugem reuocare laborans, Concilium colligendum curauit, cuius decreta reperta in ecclesia Cordubensi Antonius Augustinus exscripsit, nosq. eius codicem nacti, ea hic tibi (quod cusa adhuc nesciamus) reddenda curauimus, eiusmodi præfixa inscriptione:

Concilium Coyacense in diœcesi Ouetensi, Era millesima octogesimaoctaua, id est, anno Christi millesimo quinquagesimo, sub Ferdinando Rege Primo Castellæ, qui cognominatus est Magnus. *ex eodem codice vetusto ecclesiæ Cordubensis.*

Decreta Ferdinandi Regis, & Sanciæ Reginæ, & omnium Episcoporum, in diebus eorum in Hispania degentium, & omnium eiusdem regni optimatum, Era millesima octogesimaoctaua.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Ego Ferdinandus Rex, & Sancia Regina ad restaurationem nostræ Christianitatis fecimus Concilium in castro Coyaca, in diœcesi scilicet Ouetensi, cum Episcopis, & Abbatibus, & totius regni nostri optimatibus. In quo Concilio præsentes extitere Froilanus Episcopus Ouetensis, Cyprianus Legionensis, Didacus Asturicensis, Syrus Palentiæ sedis, Gomes Visocensis, Gomezius Calaguritanensis, Ioannes Pampilonensis, Petrus Lucensis, Crescónius Zrienſis.

In primo igitur titulo statuimus, vt vnusquisque Episcopus ecclesiarum ministerium cum suis clericis ordinate teneat in suis sedibus.

In secundo titulo, vt omnes Abbates se & Fratres suos, & monasteria, & Abbatissæ se & moniales suas, & monasteria secundum beati Benedicti regant statuta, & ipsi Abbates, & Abbatissæ cum suis congregationibus, & cœnobijs sint obedientes, & per

omnia

omnia subditi suis Episcopis. Nullus eorum recipiat monachum alienum, aut sanctimonialem, nisi per Abbatis sui & Abbatissæ iussionem. Si quis hoc decretum violare præsumpserit, anathema sit.

Tertio autem titulo statuimus, vt omnes ecclesiæ, & clerici sint sub iure sui Episcopi; nec potestatem aliquam habeant super ecclesias, aut clericos laici. Ecclesiæ autem sint integræ & non diuisæ, cum presbyteris & diaconis, & cum totius anni circuli libris, cum ornamentis ecclesiasticis; ita vt non sacrificent cum calice ligneo, vel fictili. Vestes autem presbyteri sint in sacrificio Amictus, Alba, Cingulum, Stola, Casula, Manipulus. Vestes diaconi, Amictus, Alba, Cingulum, Stola, Dalmatica, Manipulus. Altaris vero ara tota sit lapidea, & ab Episcopis consecrata. Hostia sit ex frumento sana & integra. Vinum sit mundum, & aqua munda, ita vt inter vinum, hostiã, & aquam Trinitas sit significata. Altare sit honeste indutum, & desuper lineum indumentum mundum. Subtus calicem, & desuper Corporale lineum mundum & integrum. Presbyteri vero & diacones, qui ministerio funguntur ecclesiæ, arma belli non deferant, semper coronas apertas habeant, barbas radant, mulieres secum in domo non habeant, nisi matrem & sororem, aut amitam, aut nouercam. Vestimentum vnius coloris & competens habeant. Intra etiam dextros ecclesiæ laici vxorati non habitent, nec iura possideant. Doceant autem clerici filios ecclesiæ, & infantes, vt Symbolum & Orationem Dominicam memoriter teneant. Si quis autem laicus huius nostræ institutionis violator extiterit, anathema sit. Presbyter vero & diaconus, si huius iussionis destructor extiterit, sexaginta solidos Episcopo persoluat, & gradu ecclesiastico careat.

Quarto vero titulo statuimus, vt omnes Archidiaconi & presbyteri, sicut sacri canones præcipiunt, vocent ad pœnitentiam adulteros, incestuosos, sanguine mixtos, fures, homicidas, maleficos, & qui cum animalibus se inquinant; & si pœnitere noluerint, separentur ab Ecclesia & a communione.

Quinto autem titulo decreuimus, vt Archidiaconi tales clericos, constitutis Quatuor temporibus ad ordines ducant, qui perfecte totum psalterium, hymnos, & cantica, Epistolas, Euangelia, & Orationes sciant. Presbyteri ad nuptias causa edendi non eant, nisi ad benedicendum. Clerici & laici, qui ad conuiuia defunctorum venerint, sic panem defuncti comedant, vt aliquid boni pro eius anima faciant: ad quæ tamen conuiuia vocentur pauperes & debiles pro anima defuncti.

Sexto vero titulo admonemus, vt omnes Christiani, die sabbati aduesperascente, ad ecclesiam concurrant, & Dominica Matutina, Missas, omnes Horas audiant, opus seruile non exerceant, nec sectentur itinera, nisi orationis causa, aut sepeliendi mortuos, aut visitandi infirmos, aut pro Regis secreto, aut pro Sarracenorum impetu.

Nullus etiam Christianus cum Iudæis in vna domo maneat, nec cũ eis cibum sumat. Si quis autem hanc nostram Constitutionem fregerit, per septem dies pœnitentiam agat. quod si pœnitere noluerit: si maior persona fuerit, per annum integrum communione careat: si inferior persona fuerit, centum flagella accipiat.

Septimo quoque titulo admonemus, vt omnes Comites, seu Maiorini regales populum sibi subditum per iustitiam regant, pauperes iniuste non opprimant, in iudicio testimonium, nisi illorum præsentium, qui viderunt, aut audierunt, non accipiant. Quod si testes falsi conuicti fuerint, illud supplicium accipiant, quod in libro Iudicum de falsis testibus est constitutum.

Octauo autem titulo mandamus, vt in Legione & in suis terminis, & in Gallæcia, & in Asturijs, & in Portugale tale sit iudicium semper, quale est constitutum in decretis Adefonsi Regis pro homicidio, pro rauso, pro saione, aut pro omnibus calumnijs suis. Tale vero iudicium sit in Castella, quale fuit in diebus aui nostri Sancij Ducis.

Nono quoque titulo præcipimus, vt triennium non includat ecclesiasticas veritates, sed vnaquæque ecclesia (sicut canones præcipiunt, & sicut lex Gothica mandat) omni tempore suas veritates recuperet & possideat.

Decimo vero titulo decreuimus, vt ille, qui laborauit vineas, aut terras in contentione positas, colligat fruges, & postea habeant iudicium super radicem, & si victus fuerit laborator, reddat fruges domino hereditatis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vndecimo autem titulo mandamus, vt Christiani per omnes sextas ferias ieiunent, A
& hora congrua cibo reficiantur, & faciant labores suos.

Duodecimo quoque titulo præcipimus, vt si quilibet homo pro qualicumque culpa ad ecclesiam confugerit: non sit ausus aliquis eum inde violenter abstrahere, nec persequi infra dextros ecclesiæ, qui sunt triginta passus, sed sublato mortis periculo, & corporis deturpatione, faciat quod lex Gothica iubet. Qui aliter fecerit, anathema sit, & soluat Episcopo mille solidos purissimi argenti.

Tertiodecimo titulo mandamus, vt omnes maiores, & minores veritatem, & iustitiam Regis non contemnant, sed sicut in diebus domini Adefonsi Regis fideles & recti persistant, & talem veritatem faciant Regi, qualem illi fecerunt in diebus suis. Castellani autem in Castella talem veritatem faciant Regi, qualem fecerunt Sancio Duci. Rex vero talem veritatem faciat eis, qualem fecit præfatus Comes Sancius. Et B
confirmo totos illos foros cunctis habitantibus Legione, quos dedit illis Rex dominus Adefonsus, pater Sanciæ Reginæ vxoris meæ. Qui igitur hanc nostram Constitutionem fregerit, Rex, Comes, Vicecomes, Maiorinus, Sago, tam ecclesiasticus, quam sæcularis ordo, sit excommunicatus, & a consortio Sanctorum segregatus, & perpetua damnatione cum diabolo, & angelis eius damnatus, & dignitate sua temporali sit priuatus. Finis.] hæc ex codice Cordubensi.

Ad hæc tempora Leonis Pontificis spectat, quod Sueno Rex Danorum cognomento Magnus, trium regnorum dominus, consobrinam ducens vxorem, cogitur a Romano Pontifice eam dimittere, cum diu frustra in hoc laborasset Adalbertus Archiepiscopus Hamburgensis. rem gestam ab Adamo eius temporis auctore descriptam pe-
a Adam lib. 3. cap. 12. tamus: [a] Suen duo regna possedit, classemq. parasse dicitur, vt Angliam suo iuri subC
ijceret: verum sanctissimus Eduardus, cum iustitia regnum gubernaret, tunc quoque pacem eligens, victori obtulit tributum, statuens eum, vt supra dictum est, post se regni heredem] quod factum ante biennium anno Domini millesimo quadragesimo octauo Rogerius habet. pergit Adam: Cum Rex iuuenis Suen tria pro libitu suo regna tenuerit, mox succedentibus prosperis, oblitus est cælestis Regis, & consanguineam a Suedia duxit vxorem. Quod domino Archiepiscopo *Adalberto* valde displicuit, furentemq. Regem, missis ad eum Legatis, de scelere terribiliter increpauit. postremo nisi resipuerit, excommunicationis gladio feriendum esse. Tunc ille conuersus in furorem, minabatur omnem parochiam Hamburgensem vastare & excindere. Ad quas minas imperterritus noster Archiepiscopus, arguens & obsecrans, perstiSVENO REX DANORVM DIMITTERE COGITVR CONSOBRINAM.
tit immobilis: donec tandem flexus tyrannus Danorum per litteras Papæ, libellum D
repudij dedit consobrinæ. Nec tamen Rex sacerdotum admonitionibus aurem præbuit, sed mox vt consobrinam a se dimisit, alias, itemq. alias vxores, & concubinas assumpsit. Et suscitauit ei Dominus inimicos in circuitu multos, sicut Salomoni fecit proprios seruos] hæc Adam. Qui de eodem Rege [b] inferius agens, plane fuisse
b Idem lib. 4. cap. 16. doctum satis prædicat, atque de Christiana religione optime quidem meritum: hoc tamen malo non caruisse, quod morbo luxuriæ laboraret. Idemq. his subijcit statum ecclesiæ Sueonum, siue Sueorum his temporibus nonnihil perturbatum a pseudoepiscopo pessimo, Regi coniuncto, ac tandem Dei beneficio liberatum. ait enim: [c]
c Id. lib. 3. c. 15. Cum hæc ibi gesta essent, Christianissimus Rex Sueonum Iacobus migrauit a sæculo, & successit ei frater eius Emund pessimus. Nam iste a concubina Olaph natus
E
erat, & cum baptizatus esset, non multum de nostra religione curauit, habuitq. secum quemdam Episcopum nomine Osmund Acephalum, quem dudū Sigefridus Northmannorum Episcopus Bremæ scholis docendum commendauit. Verum is postea beneficiorum oblitus, pro ordinatione Romam accessit: indeq. repulsus, per multa loca circumiuit erroneus, & sic demum meruit ordinari a quodam Poloniæ Archiepiscopo. Tunc veniens in Suediam, iactauit se a Papa consecratum ad illas partes Archiepiscopum. Sed cum noster Archiepiscopus Legatos suos ad Gamalam Regem dirigeret, inuenerunt ibi eumdem gyrouagum Osmund, Archiepiscopali more crucē præ se ferentem. Audierunt etiam, quod barbaros adhuc neophytos nō sana Fidei nostræ doctrina corruperat. Quorum ille presentia territus, solitis populum, Regemq. dolis impulit, vt Legati repellerentur, quasi non habentes sigillum Apostolici. Illi quidem ibant gaudentes a conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine IESV contumeliam

A meliam pati. Erant autem Legati Fratres Bremensis ecclesiæ, quorum potissimus fuit Adaluardus senior, olim nostri claustri Decanus, verum tunc Sueonum genti ordinatus Episcopus. De cuius viri virtutibus multa possent dici, nisi properaremus ad alia] Subijcit vero his idem auctor de cladibus, quibus affectus est Rex cum populo: qui Legatum miserunt, vt Episcopum legitimum accipere mererentur. qui datus, adeo munus Apostolicum, quod acceperat, digne exercuit, vt, quod idem subdit auctor, gentem Virnilanorum integram Christo lucratus, etiam miracula virtutum in populo fecisse dicatur] qui autem in locum Emund veneno defuncti successit, fuisse pium, idem auctor affirmat. sed de his hic satis.

Hoc item anno Marianus Scotus de Rege Scotiæ narrat, ipsum Romam venisse ad Limina Apostolorum, quem & effusa liberalitate argenteum disseminasse in pauB
peres tradit, eumq. Machetad nominatum.

Conuenit hoc tempore sanctus Robertus Aruernensis, erecto monasterio, cui Casa Dei nomen inditum, Leonem Papam, vt illud Apostolicis muniret priuilegijs: qui hoc fecit, sed & eidem præfecit ipsum, coluitq. virum sanctum quibus opus fuit beneficijs. hæc habent [a] Acta vitæ ipsius.
a Apud Sur. die 24. April. to. 2.

Hoc eodem anno pridie Idus Aprilis S. Alferius Salernitanus monachus Cluniacensis, primus Abbas monasterij Cauensis, quieuit in pace, cuius sanctitate idem monasterium magnopere illustratum est. successit in locum ipsius Leo eius discipulus & sanctitate proximus, post quem ad multos annos non defecit propago sanctorum eidem monasterio præfectorum. est autem Cauense monasterium ita dictum a loco, nempe a Caua Metelliana, quæ quinto lapide a Salernitana distat ciuitate versus AmalC
phitanos.

Hoc eodem anno sanctus Dauinus Confessor Lucæ in Hetruria moritur insignis meritis, clarus miraculis, quem Lucenses propensiori studio colunt plura ab eo beneficia consecuti.

IESV CHRISTI ANNVS 1051. LEONIS IX. PAP. ANNVS 3. HENRICI II. IMP. 5. CONST. MONOM. IMP. 9.

ANNVS millesimus quinquagesimusprimus Indictione quarta incipit, quo Leo Papa ex Germania redijt in Italiam. Accidit autem siue hoc itinere, vel alio (sæD
pe enim contigit ex Italia in Germaniam proficisci, & ex Germania redire Romam) ipsum Pontificem transeuntem per Hetruriam hospitari in monasterio Passiniano apud sanctum Ioannem Gualbertum. quid tunc mirandum acciderit, accipe ex Actis eius: [b] Manente viro Dei in monasterio Passiniano, Leo Papa illuc transiens cum
b Vita Ioan. Gualb. cap. 11. extat apud Sur. die 12. Iul. to. 4. Curia sua, volebat illic cibum capere. Quæsiuit ergo vir sanctus ex œconomo suo, num pisces haberet beatissimo Pontifici offerendos; cumq. didicisset nullos eum habere, conuersos quosdam iussit ire piscatum in fluuio, siue lacu vicino. Cunctis affirmantibus illic pisces non inueniri, perstitit in sententia, dicens vt irent, & Domini auxilium sibi affuturum minime dubitarent. Itum est ergo, & duo magni lucij capti sunt. Eos cum omni admiratione apportatos ipse beatus vir Pontifici obtulit, gratissimo animo illos accipienti] Ante decennium (vt eius habent Acta) innotescere orbi
E
cœpit egregia sanctitate ipse Ioannes, dum parcens inimico, veniam in nomine Christi crucifixi petenti, sibi oranti Crucifixi imaginem inclinare caput in signum gratæ sibi admodum actionis aspexit: cum tanta victus diuina clementia, monasticæ vitæ arripuit institutum. Sed postea Abbatem deserens simoniacum, noui ordinis monachorum, dictorum Vallis vmbrosæ, factus est institutor & auctor, virtutibus, atque miraculis clarus.
S. IOANNES GVALBERTVS AVCTOR NOVI ORDINIS MONACHORVM.

Sed redeamus ad Leonem Papam redeuntem in Vrbem. Vbi autem peruenit Romam, Synodum celebrauit, de qua Hermannus paulo fusius verbis istis: Nec multo post *a celebratione Natalis Domini* ipse *Imperator*, & dominus Papa cum multis Episcopis, & Principibus apud Augustam Vindelicam conuenientes, Purificationem Dei Genitricis celebrauerunt, Rauennateq. Archiepiscopo apud Papam inibi reconciliato, charitatiue a se inuicem discedentes, Papa Romam reuertitur] & paulo post:

Universidad de Deusto
Biblioteca

SYNODVS ROMAE SVB LEONE PAPA.

post: Post Pascha item dominus Papa Leo Synodum Romæ collegit, vbi inter alia A
Gregorium Vercellensem Episcopum propter adulterium,cum vidua quadam auunculi sui sponsa admissum, & periuria perpetrata, absentem, & nescientem excommunicauit. quem tamen non multo post Romam venientem, satisfactionem promittentem officio priori restituit] In hac eadem Synodo ventilatam fuisse quæstionem de ordinatis ab Episcopis simoniacis,ex Petri Damiani epistola ad Henricum Rauennatem Episcopum intelligimus, de qua agemus anno sequenti, quo scripta fuit. Insuper Leonem Papam sanxisse decretum, quod Constitutum vocabant, de continentia clericorum, testatur Petrus Damiani in epistola ad Cunibertum Episcopum Taurinensem, vbi & de feminis, clericis malo vsu inseruientibus hæc statuisse cumdem Leonem Pontificem tradit: In plenaria plane Synodo sanctæ memoriæ Leo

LEONIS DECRETVM ADVERSVS SVBINTRODVCTAS MVLIERES.

Papa constituit, vt quæcumque damnabiles feminæ intra Romana mœnia reperirentur presbyteris prostitutæ,ex tunc & deinceps Lateranensi palatio adiudicarentur ancillæ. Quod videlicet salutare statutum,æquitatis,iustitiæq. plenissimum,nos etiam per omnes ecclesias propagandum esse decernimus, quatenus percepto prius Apostolicæ Sedis edicto, vnusquisque Episcopus ecclesiæ vendicet famulas, quas in sua parochia deprehenderit sacrilega presbyteris admixtione prostratas,æquitatis scilicet iure,vt quæ sacris altaribus rapuisse seruorum Dei conuincuntur obsequium,ipsæ hoc saltem Episcopo per diminuti capitis sui suppleant famulatum] hæc Petrus. Ceterum ex succisis vepribus infausta vitulamina rursus exorta, falce Apostolica post sanctum Leonem Papam amputanda fuerunt per successores Pontifices, rursumq. radicitus excidenda, vt suo loco dicturi sumus. B

Insuper sanctus Leo Papa aduersus quoque expilatores domorum Episcopalium C
post obitum Episcopi scripsisse ad Auximanos epistolam reperitur,quæ in codice Cassinate inter epistolas Petri Damiani reperta, ab ipso Petro scripta legitur. sic enim se habet:

LEONIS PAP. EPIST. AD AVXIMANOS.

Leo Episcopus seruus seruorum Dei dilectis in Christo filijs omnibus Auximanis Clero & populo salutem & Apostolicam benedictionem.

Quia auctore Deo sic nobis vnius Ecclesiæ cura specialiter est commissa, vt per dignitatem Apostolicæ Sedis etiam ceterarum ecclesiarum generalis sit prouisio delegata, nostro competere videtur officio, non solum quæ hactenus aduersus easdem ecclesias temerarijs ausibus sunt vsurpata, corrigere; sed etiam, ne rursus eadem præsumantur, in posterum prouidere. Peruersam autem & prorsus execrabilem quarumdam plebium consuetudinem,fama vulgante, cognouimus: vt videlicet suo defuncto D
Episcopo, domum Episcopi hostiliter irrumpentes, inuadant, facultates eius prædonum more diripiant, prædiorum domos incendant, vites insuper & arbusta, bestiali immaniores feritate succidant.

Quod nimirum nisi ecclesiastici vigoris fuerit censura correctum, haud dubium, quia regionibus illis repentini furoris immineat gladius. Si enim honorare parentes, primum dicitur in repromissione mandatum: si maledicens patri vel matri mulctari

CONTRA EXPILATORES DOMVS EPISC.

morte præcipitur: cuius animaduersionis sententia digni sunt, qui non carnales genitores persequi gestiunt, sed ipsam matrem suam ecclesiam, in qua ex aqua & Spiritu sancto regenerati sunt, vt viperinum genus dissipare contendunt? Etsi enim sacerdos quilibet ex debito humanæ conditionis obijt, sed Christus, qui animarum nostrarum Episcopus est, ex virtute diuinitatis in æternum viuit. sicut enim Paulus dicit: Plures facti sunt sacerdotes secundum legem, eo quod morte prohiberentur permanere; IESVS autem eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium. Deum ergo inhonorare conuincitur, qui mortali Episcopo viuente, terrena pressus formidine,ab ecclesiæ se læsione cohibuit: defuncto autem eo,ad iniuriam Christi,qui immortalis Ecclesiæ sponsus est,fel odij, & virus malitiæ, quod eatenus occultabat,effundit. Et fortasse Episcopus in vita sua aliquem læsit; sed Christus, qui Ecclesiæ custos relictus est, quid peccauit? Si ergo illi, qui nocuit, malum pro malo non redditur, cur æterno Pontifici, qui nobis bona pro malis reddidit, reuerentia non habetur? Verumtamen si ecclesiæ prædo Dei Filium, immortalem procul dubio Pontificem videret, si eum vbique præsentem omnia nosse ac posse consideraret: coram eius oculis admittere tam impium, tam sacrilegum facinus non auderet. Sed vere in illo completur, E

quod

A quod per Psalmistam dicitur: [a] Dixit insipiens in corde suo,non est Deus. Porro si illi, a Psal. 13.
qui bona sua ecclesiæ conferunt, proprij reatus absolutionem felici commercio promerentur: subsequenter autem illi, qui ecclesiasticas facultates barbarica feritate diripiunt,in æternæ suæ damnationis voraginem cadunt; qui nimirum nouo & incomparabili criminis genere sic Iudaicam perfidiam superant, vt non modo Gentilium errorem, sed & hæreticorum prauitatem detestabiliores excedant, a quibus videlicet Christus iterum crucifigitur, & corpus eius, quod est Ecclesia, crudeliter laceratur.

Deprimatur ergo ausus illicitus & nefarius diabolicæ instigationis, cohibeatur excessus; abstineat manus audax ab ecclesiastico patrimonio, ne victus pauperum pereatne quod ex oblatione Fidelium iam Deo factum est sacrificium,præda raptorum fiat. Quisquis autem huius nostri decreti improbus temerator extiterit: ex parte Dei
B omnipotentis, & auctoritate beatorum Apostolorum Petri & Pauli anathematizandum esse decernimus, & vt reuera putridum membrum excommunicationis ferro a sanctæ Ecclesiæ corpore detruncamus. Sit igitur, nisi resipiscat, Anathema, Maranatha,omnesq. maledictiones [b] Hebal super caput suum descendisse cognoscat.Obser- b Deut. 27.
uatoribus autem gloriam, & honorem, & incorruptionem quærentibus vitam æternam. Amen] Cur autem ad Auximanos eiusmodi decretum Leo Pontifex scripserit, eosq. præ ceteris redarguerit; ex epistola Petri Damiani ad Clementem Papam possumus existimare. Quod enim facinorosus ille esset Episcopus, ecclesiæq. vt tyrannus, non vt pastor præesset, ciuium animi exasperati eius tyrannide, in bona ab eo relicta furorem in illum conceptum male conuerterunt.

Eodem tempore idem Pontifex Leo ex Vrbe digressus, ad Sublacense cœnobium
C profectus est. quæ tunc ibi egerit, eius monasterij vetera monimenta declarant: extat siquidem ibidem eiusdem monasterij antiquum Chronicon, in quo ista leguntur:

Otto Abbas trigesimus tempore sancti Leonis Papæ Noni. Hic sanctissimus Pontifex Leo curam omnium gerens ecclesiarum, cunctaq. perlustrans, venit ad monasterium sancti Benedicti Abbatis. Itaque Otto cognito Apostolici aduentu, fugam petijt, & latuit Treuæ. Venerabilis autem Pontifex, cum venisset & monasterium sine Rectore inuenisset,contristatus est valde,destinatisq. Legatis fecit inquiri Abbatē: qui venire renuit, quippe dimissus a Treuentibus, iuit in Campaniam, videlicet ad sanctæ Cæciliæ ecclesiam, quæ est iuxta Plumbinariam, & ibi vsque ad obitum vitæ suæ mansit, mortuusq. ibi iacet sepultus. Quapropter magnificentissimus Pontifex habito Concilio,ordinauit in eodem cœnobio Humbertum ductum ex Francia.Sublacianos ad se vocauit in monasterio, quorum requirens monimenta chartarum, notauit falsissima, & ex magna parte ante se igni cremari fecit. Pontificali itaque præcepto confirmauit monasterio Sublacum & totam Abbatiam &c.] plura de rebus præclare gestis ab eodem Humberto Abbate habentur ibi, qui dira passus a tyrannis peruenit vsque ad Alexandrum Secundum Romanum Pontificem, cum missionem petijt ab Hildebrando eius Archidiacono,ab eodem Pontifice illuc delegato. D

Hoc eodem anno idem Leo Pontifex Salernitanæ ecclesiæ Metropolitanatus iura confirmauit, cum Ioanni eiusdem ecclesiæ Archiepiscopo has Apostolicas litteras dedit, quas inter alias reperimus in Vaticana bibliotheca:

Leo Episcopus seruus seruorum Dei sanctæ ac venerabili Salernitanæ ecclesiæ, quæ est beatæ & semper Virginis Dei genitricis Mariæ,vbi etiam gloriosum Matthæi Apo-
E stoli & Euangelistæ corpus cum beato martyre Fortunato requiescit, & per eum confratri nostro Ioanni eiusdem ecclesiæ Archiepiscopo in perpetuum.

Officium sacerdotale assumere, si interiori vigilantia perpendamus, oneris est magis quam honoris, quippe cui propria curare non sufficiat, nisi & salubriter gesserit aliena. Nam ad hoc pastoralis regiminis curam aggreditur, vt aliorum in se sollicitudinem pia prouisione suscipiat, vt in eorum se custodia vigilanter disponat, ne nostra forte desidia inuidus hostis rabida (quod absit) quemquam fauce deglutiat, & eorum ad nostram non immerito applicetur pœnam perditio, qui commissos sollicita custodire cautela negligimus. Exhibeamus ergo quod dicimus, & quibus diuini dispensatione consilij præesse nos contigit, prodesse quantum possumus, festinemus, vt dum creditor rationem nobiscum positurus aduenerit, lucrum nos feciſse reperiat, & sua (sicut promisit) remuneratione lætificet. Et quoniam ad præsens ecclesiam istam

nullis

Universidad de Deusto
Biblioteca

nullis bonis nostris honorare, ditare, vel vt oportet, adaugere possumus, sua sibi confirmare, & indiscissa, vel imminuta pia deuotione censemus conseruare. Vnde fratris Ioannis Archiepiscopi petitioni libentissime annuentes, hoc Apostolatus nostri priuilegium fieri decreuimus, statuentes Apostolica censura, vt quæcumque Imperatores, Reges, Principes, aut qui nunc clare principatur Guaimarius, ad hanc domum Domini contulit bona, vel omnia a quibuscumque Christi Fidelibus concessa, vel in perpetuum sunt concedenda, rata semper & inuiolata permaneant. A

Confirmamus etiam tibi ipsum ex integro Archiepiscopatum Salernitanum cum sibi adiacentibus parochijs suis. Et insuper licentiam & potestatem damus ordinandi & consecrandi in his subiectis nobis locis, hoc est, Pestanensem Episcopatum cum parochijs, & adiacentijs suis, & Nolanum, & Consanum cum parochijs & adiacentijs suis, necnon Maluitanum, & Cusentinum, simulq. Episcopatum Bisunianensem, atque Episcopatum Acerentinum cum omnibus parochijs & adiacentijs eorum. Nec non liceat tibi ordinare Episcopos super congruentia loca, secundum regulam sanctorum Patrum, in ipsa integritate Salernitani Archiepiscopatus. Et non habeant potestatem successores nostri in cunctis prædictis Episcopatibus, quos vobis Apostolica auctoritate concessimus, deinceps in perpetuum Episcopos consecrare, quemadmodum vobis concessum est. B

Si quis autem contra huius nostræ præceptionis priuilegium agere præsumpserit, aut præsumentibus consenserit, aut fautor extiterit, & non potius obseruare eum in integrum studuerit, sed nostram Apostolicam hanc præceptionis interdictionem transgredi præsumpserit: sciat se auctoritate beati Petri Apostolorum principis cælorum regni clauigeri, nostroq. anathematis vinculo & innodatum, & a regno Dei alienatum, atque cum diabolo & eius atrocissimis* pompis, transgressorem sanctorum Patrum canonica traditione deputatum. quoniam scriptum est: [a] Terminos Patrum nostrorum nulla auctoritate illicitæ temeritatis transgredi præsumi. Et quia opportunitatis exigit ratio, proteruos ac transgressores ex canonicæ correctionis fræno debere constringi: illius insuper *speciali iaculo perdat animam, cuius temporali gladio Malchus amisit auriculam. Qui vero huius nostri priuilegij constitutionem & confirmationem obseruauerit: a Domino Deo benedicatur, & æterni regni, beato interueniente Matthæo Euangelista, particeps effici mereatur. Datum xj. Kalendas Augusti per manus Friderici diaconi sanctæ Apostolicæ Sedis Bibliothecarij & Cancellarij, & domini Herimanni Colonienſis Archiepiscopi & Archicancellarij. Anno domini Leonis IX. Papæ tertio, Indictione quarta.] C D

* Spirituali.

a Prou. 22.

OBITVS S. BARDONIS ARCHIEPISCOPI MOGVNTINI.

Hoc eodem anno, quarto Idus Iunij ex hac vita migrasse sanctum Bardonem Moguntinum Archiepiscopum, virtutibus clarum, cum sedisset annos vndeuiginti, Scriptores rerum Germanarum huius temporis testantur, Marianus Scotus, Hermannus, atque Lambertus, qui ait, ipsum, habito ex more in Missa sermone, prædixisse suum instare obitum, seq. ipsorum precibus commendasse. sic eodem mense ex hac vita migrasse.

HENRICVS III. NASCITVR.

Quo pariter anno (vt auctor est Lambertus) quarto Idus Nouemb. Henricus Imperator auctus est filio, eidemq. Henrici nomen imponi voluit. sed plane magno Ecclesiæ damno hunc genitum, præuidit per visum, quæ ipsum gestabat in vtero Agnes Augusta, nimirum se draconem parere virulentum: quod ipsum eadem sæpe testata scribitur ab auctore vitæ Mathildis, eiusdem temporis Scriptore, his versibus: [b] E

b Vit. Mathild. lib. 1. c. 18.

Cuius erat mater Regina videlicet Agnes,
Hunc in ventre gerens vidit, quod sit draco vere
In somnis infans. hoc multis rettulit ipsa] at quam vera ista fuerint, ipsa declararunt euenta. Cum autem baptizatus est Henricus, sanctus Hugo Abbas Cluniacensis susceptit eum de fonte, factus ei pater secundum spiritum, vt idem auctor affirmat his versibus: [c]

c Lib. 2. c. 1.

Inter quos Abbas Hugo Cluniacensis hic astat,
Qui pater in lauacro Regis fuerat sacrosancto]

IESV

MILLESIMVS quinquagesimus secundus Indictione quinta surgit annus, quo Leo Papa ad componendas dissensiones inter Imperatorem, & Andream Hungariæ Regem, ab eodem Rege in Germaniam venire rogatur. Non renuit sanctissimus Pontifex, laborum patientissimus, & charitatis cultor studiosissimus, atque vigilantissimus custos, vt inter Christianos Principes pax perpetua seruaretur. At quomodo a Rege fœdifrago eluſa fuerit tunc demum Pontificia maiestas, ab Hermanno, qui ista videbat, sic accipe:

LEO PAPA SEQVESTER PACIS INTER REGEM HVNGARIAE ET IMP.

Interim dominus Leo Papa ab Andrea accitus, cum pro pace componenda interuenisset, Imperatorem ab obsidione auocauit, eumq. sibi per omnia consentaneum inueniens, sed e contra Andream consilijs suis minus parentem experiens, eiq. excommunicationem, vtpote deluſa Sede Apostolica, minitans, cum Imperatore discessit, & aliquantum cum eo temporis mansit] & paulo post: Imperator cum domino Papa, multisq. Episcopis, & Principibus Natalem Domini Vuormatiæ egit] reliqua ad sequentem cum spectent annum, suo loco dicturi sumus. [a] Leo autem Ostiensis aliam asserit causam profectionis Pontificis, nempe vt ab Imperatore aduersus Northmannos auxilium peteret. ait enim: Sequenti itidem anno Capuam veniens, rursus Beneuentum perrexit, inde Salernum, inde, vt Northmannos expelleret, Imperatorem adijt, militum petiturus auxilia] hæc Leo. B

a Leo Ost. lib. 2. cap. 85.

Habet idem Hermannus, hoc anno ab eodem Imperatore promotum Henricum esse ad Rauennatem ecclesiam Archiepiscopum tempore Quadragesimæ: ad quem eodem anno epistolam, seu librum potius, inscriptum, Gratissimus, Petrus Damiani misit, quo agitatam quadriennio controuersiam de ordinatis ab Episcopis simoniacis, contendentibus aliquibus eosdem iterum ordinandos, diffusius disputauit, atque argumentis pluribus demonstrauit, eiusmodi nequaquam iterum ordinari debere. Quæ quidem sententia optatissima cum esset ordinatis ab illis, & eos obscuris ambagibus, & molestissimis scrupulis liberaret, effecit, vt idem Petrus eidem suo commentario titulum illum inscripserit, Gratissimus; siue (vt notauit Scholiastes) ea de causa, quod de illis ageret, qui gratis fuissent a simoniacis ordinati, quibus gratissimus liber existeret. Cuius exordium, quod contineat ipsam rerum gestarum seriem, hic describendum putauimus. sic se habet: C

DE ORDINATIS SIMONIACIS.

PETRI DAMIANI LIBER GRATISSIMVS.

Domino Henrico, venerabili Rauennaticæ Sedis Antistiti Petrus, viuificæ Crucis Christi humillimus seruus salutem in idipsum. Vt sacerdotium, auctore Deo nouiter susceptisti, nonnullum tibi in primis offerendum munus credidi. De his itaque, qui gratis sunt a simoniacis consecrati, quanta iam per quadriennium in tribus Romanis Concilijs fuit disputatio, quamq. perplexa atque confusa dubietas & ijs in partibus quotidie ventilatur, sanctitatem vestram latuisse non arbitror; præsertim cum crescente fluctuationis ambiguo, eatenus sit processum, vt constet nonnullos Episcopos ab illis ordinatos, Catholicos denuò consecrasse. Vnde a me plerique Fratres quadam præsumptiuæ charitatis instantia familiariter exigunt, & violenta (vt ita fatear) supplicatione compellunt, vt in tantæ necessitatis articulo subuenire (vel compendiosum quid scribendo) non pigeat, atque, quod mihi super hac sententia videatur, exponam. Quod quidem diutius detrectaui, sperans me videlicet ab amabilissimo prius Apostolicæ Sedis Antistite licentiam accepturum (hac quidem transiturus in proximo ferebatur) sic namque integrum decernebam, ecclesiasticam quamlibet tractare materiam, si ab ipso Ecclesiæ principe tractandi mihi auctoritas aspiraret. Sed cum tamen recurreret ad memoriam, quod iam venerabilis Papa in postrema Synodo omnes Episcopos ex diuina obtestatione rogauerit, quatenus dicendi materiam in communi deponerent, vt quid scilicet in hoc scrupulo & negotio decernendum esset, nutantibus reuelarent: eius me arbitratus sum obsecundare prorsus imperio, si vel rogatus tam difficilem nodum de Ecclesia soluere, superna illucescente gratia, potuissem. Quapropter in illum fideliter sperans, qui aperit librum, & soluit signacula eius, soluendæ huius quæstionis iter aggrediar; & quia copia dicendi non suppetit, & tibi loqui nescio delegatæ in obedientiæ studio, nutibus saltem gestire tentabo.] D E

Universidad de Deusto
Biblioteca

COMMENDATVR MODESTIA PETRI DAMIANI.

Ista ad opus suum Petrus præfatus est, cuius plurimum commendanda modestia, quæ Catholicum tractatorem in primis decet, dum sibi non licere putauit, absque Romani Pontificis iussione expressa, vel saltem tacita per alios sibi insinuata, de quæstione in Ecclesia controuersa aliquid scribere, pulsatus licet precibus plurimorum, & necessitate ipsa præsentanea exigente, ac propemodum extorquente. quibus plane redarguitur temeritas nonnullorum, id sibi interdum præsumptione nimia arrogantium. Quomodo enim prædicabunt (a Apostolus inquit) nisi mittantur? At si non licet illud, quomodo vsurpatur istud? Siquidem maioris momenti, sicut & firmitatis videntur esse commentarij conscripti, quam prædicatio; fluit enim ipsa, & emissa semel cito in memoriæ alueo torrentis instar præterlabentis arescit: scripta autem ipsa permanent, atque ex autographo propagantur fœcunda prole in multiplicia exemplaria, numquam in posterum desitura.

a Rom. 10.

Sed quid est, quod quadriennio laboratum ait disputatione, in quæstione haud adeo difficili, & iam antea decretis Pontificum & Conciliorum canonibus definita, vt idem ipse Petrus eadem tractatione perdocuit? Non id quidem factum inscitia tanti Pontificis, qui ipso sui Pontificatus exordio (vt idem Petrus ibidem testatur, & nos suo loco superius diximus) firmiter decreto Apostolico in Synodo statuit, vt ordinati a schismaticis absque alia iterata ordinatione in acceptis ordinibus ministrarent, post expletam pœnitentiam quadraginta dierum. At quoniã complures inuenti sunt ex Ecclesiæ filijs, qui zelum habentes, sed reuera non secundum scientiam, odio simoniacorum Episcoporum, ordinatos ab ijs non recipiendos, sed iterum ordinandos esse dixerunt, (sicut olim a grauissimis Ecclesiæ doctoribus odio hæreticorum, non recipiendum esse ipsorum baptismum assertũ fuerat:) sanctissimus Pontifex consultius esse duxit pacifice rem agere, tractu temporis, lento gradu morbo mederi, quam non absque periculo ferro præcidere, quod erat infirmum: sicq. disputationibus decoquere illam animorum acerbitatem exuberantem. de his enim hæc Petrus: b dicunt enim: Quæ tunc videbatur ecclesia, ab his scilicet consecrata, domus simplex erat: quod videbatur altare, purus lapis erat: sacerdotes, & qui reliquis cernebantur ordinibus constituti, prorsus laici erant, cunctisq. spiritualis sacramenti viribus alieni: quod corpus & sanguis Domini credebatur, simpliciter panis erat & vinum, terrena substantia, nulla sancti Spiritus benedictione perfusa. cuncta ergo falsa terebantur & friuola, & a Christianæ redemptione veritatis penitus remota] hæc & alia de his Petrus. Qui aduersus hos cum triginta capitibus disputasset, vt iam matura zizania ad messem parata, & a tritico separata tradant ad comburendum, sic in fine compellat Episcopos: c

NOVA HAERESIS EMERGIT DE REORDINANDIS ORDINATIS A SIMONIACIS.

b ead. epist. cap. 29.

c ead. ep. c. 30.

EXHORTATIO AD EPISCOPOS

Vnde, inquit, quæso vos, pij pontifices, aduersus impium dogma diuino sancti zeli feruore concurrite, & emergenti nunc primum nouæ hæresi vnanimiter obuiate, obstruatur os iniqua loquentium, & peccatorum manus Apostolicæ Fidei non quatiat fundamentum. seruetur ecclesiastica in sua puritate doctrina, nec eam vexare permittatur terrena sapientum turbulenta versutia. Surgit inimicus noctu per agrum Christi zizania aspergere; vos in die quo ambulatis, sanæ doctrinæ sæculo malesata radicitus extirpate. Noctu d Allophyli puteos ruderibus implent? in die Isaac euacuare festinet. Sacrarium Christi nocturnus fur tentat irrumpere? excitetur lingua canum eius salubriter allatrare. Quid si e vestro fortassis ordine quisquam prodeat, qui dogmatizare tam nefanda præsumat? tanto illum durius debetis arguere, quanto is, qui Ecclesiæ adiutor esse debuerat, eam nititur oppugnare.

d Gen. 26.

Suggerite igitur domino nostro Papæ beatissimo, quatenus sic in reos vigorem ecclesiasticæ seueritatis extendat, vt iuxta disertorum hominum vota, innocentes quosque eadem sententia non inuoluat. Videtur enim luxuriare iudicium, quod in filiorum necem pro paterno fuerat crimine promulgatum: & simoniacos quidem, vt iam cœperat, diuinis animatus viribus destruat, sed non eotenus, vt eorum ordinationem immoderato quorumdam iudicio subiacere permittat. Immo qui vice Petri claues tenet Ecclesiæ, ipse potissimum aduersus nouum dogma consurgat, & introductores prauitatis diuinæ sententiæ iaculatione confodiat, & qui clauum regit, e sagena, quæ piscatoribus est commissa, malos pisces a bonis studeat sub hac dispensatione secernere, vt cum eis simul etiam bonos non adijci, sed reprobare &c.] hæc & alia in reprobationem ac detestationem nouæ hæresis Petrus; cuius scriptionis tanta fuit auctoritas,

PETRVS DAM. OCCVRRIT EMERGENTI HAERESI.

tas, vt nullus amplius sit repertus, qui eidem fuerit patrocinatus errori: sicque (vt est in a Psalmo) fiat sicut fœnum tectorum, quod priusquam euellatur exaruit] fata semel ab inimico homine hæresis in ipsa sui segete absque maturitate exiccata defecit. Non prætereat, quod idem Petrus eadem epistola, siue commentario ad Henricum, ad confutandum errorem, in exemplum adducit plerosque sanctos viros huius sæculi, qui licet ordinati fuissent a simoniacis, tamen egregia claruerunt sanctitate, ab Ecclesia inter Sanctos relati, cultuq. publico frequentati. ait enim: b

a Psal. 128.

b ead. ep. c. 29.

Illud quoque quod crebrius iterari, multis ferentibus, audio, tacite prætereundum non duco. Quid enim, quod nonnullos venerabiles viros, quos constat proculdubio a simoniacis ad sacerdotium prouectos, & vsque ad obitum nouimus offerendis indesinenter sacrificijs institisse, & nunc perspicue videmus insignibus miraculorum virtutibus coruscare? Nostra quippe ætate beati viri, videlicet Ronaldus Camerinensis, Amicus Ramibonensis, Guido Pomposianus, Firmanus Firmensis, & complures alij sanctæ conuersationis studio floruerunt: super quorum videlicet veneranda cadauera ex sacerdotalis Concilij auctoritate sacra altaria sunt erecta, vbi nimirum diuina mysteria, miraculis exigentibus, offeruntur. Euidens ergo claresçit indicium, ex eorum manibus sacrificium diuino conspectui quam suauiter sit acceptum. Atque per eos diuina dispensatio luce clarius innotescit, quia neminem caligo alienæ peruersitatis obnubilat, quem fulgor propriæ religionis & honestatis illustrat; nec reatus obruit promouentium, vbi stat puritas & innocentia promotorum. Sed dum hæc aliquando cum religiosis quibusdam Episcopis agerem, ecce nunc in memoriam redit, quod Hubertus Ariminensis reuerendissimus videlicet & honestissimus præsul attulit: Acquiuocus, inquit, prædecessor meus Hubertus Episcopus, in sacræ sedis acquirendæ commercio, teste prouincia, nongentas Papiensis monetæ libras appendit. qui tamen postmodum beatum Arduinum, per quem omnipotens Deus tot exhibet stupenda miracula, in presbyterum consecrauit. Quem cum perquisissem e vestigio, vtrum beatæ memoriæ vir ab offerendo in sua incolumitate perstiterit vsque ad vltimæ decubationis articulum: Offerendo, salutaribus hostijs sedulo insudasse, respondit &c.] Quod autem ad ipsum Leonem Pontificem pertinet, non cessauit, sed totus fuit, vt simoniæ scelus ab Ecclesia penitus eradicaret, vt de ipso testatur Gregorius Septimus. c

VIRI SANCTI IN ITALIA HVIVS TEMPORIS.

ARDVINVS PRESB. SANCTVS.

c Greg. 7. ep. 45

Hoc eodem anno, cum idem Leo in Germaniam (vt vidimus) profectus esset, atque Ratisponæ in Bauaria constitisset, eiusmodi Constitutionem, siue declarationem corporis sancti Dionysij ibidem consistentis scripsisse asseritur, quam in veteribus Pontificum Romanorum scriptis Antonij Augustini repertam licet mendosam aliquantum, hic reddimus. sic enim se habet:

DIPLOMA LEONIS PAP. IX. DE CORPORE S. DIONYSII.

In Saluatoris nostri Iesv Christi nomine Amen. Leo Episcopus seruus seruorum Dei clarissimo filio inclyto Regi Francorũ, ac venerabilibus fratribus Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis in Christo filijs, Abbatibus, Prioribus, Præpositis & Decanis, vniuersisq. tam subditis, quam Prælatis eiusdem regni salutem & Apostolicam benedictionẽ.

Deus omnipotens, qui non immerito per Prophetam in Sanctis suis esse mirabilis prædicatur, mira quadam inscrutabilis consilij sui profunditate disponit, quæ dum considerare non sufficit mens humana, ipsa suimet infirmitate deficiens, in quemdam sui excessum rapi cogitur & stuporem. Quod ipsi nos nuper experti, & vobis in Christo charissimis, & vniuersitati Fidelium promulgare compellimur, vt & Dei opera pariter admiremur. Nam cum per instantiam sereniss imi Imperatoris Henrici ad partes Germaniæ visitandas, ac præcipue ad vrbem, quæ dicitur Ratispona, vel Regenspurg, euocati essemus ad venerabile corpus beati Vuolfgangi eiusdem vrbis Episcopi transferendum, hoc ea qua decuit reuerentia & deuotione peracto, tui, Francorum Rex in Christo fili charissime, nos Legati, tuorumq. omnium vice solliciti rogarunt, quatenus litem, quæ inter vos & vrbem prædictam super sacrosanctis ossibus beatissimi Dionysij Areopagitæ diutissime ventilata, veritate discussa, dirimere curaremus, vobis quidem eadem apud vos esse dicentibus, ciuibus autem atque incolis vrbis præfatæ astruentibus e conuerso, ea per inuictissimum Arnulphum quondam Imperatorem ad ecclesiam beati martyris Emmeranni esse translata, ibidemq. deinceps contineri. quæ quidem ecclesia inibi fira est, atque ab omni aliorum subiectione ac iurisdictione libera & excepta, ad ius, & proprietatem beati Petri Apostolicæ Se-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cæ Sedis immediate pertinere dignoſcitur, oblatione videlicet excellẽtiſſimi Romanorum Imperatoris Caroli Magni, ac poſterorum ipſius, qui eidem hactenus ſucceſſerunt ſeu in Imperio, ſeu in regno. Idipſum nihilominus venerabilis Abbas Reginuuardus ac Fratres eiuſdem eccleſiæ cum vniuerſitate Ratiſpona inſtantiſſime petiuerunt fieri.

Nos ergo vtriuſque partis precibus inclinati, nec volentes vlterius corda Fidelium huius dubij ambiguo caligare, in fratrum noſtrorum ac plurium Epiſcoporum ac Prælatorum præſentia & conſpectu ſcripta Arnulphi Auguſti, ordineq. rei diligentiſſime perlegentes, nec eo contenti, capſas, thecas & ſcrinia, in quibus ſacræ reliquiæ conditæ dicebantur, ac titulos, ac epigrammata eorumdem oculo tenus ſolerti examine diſcutiendo, nihilq. omittendo, quod ad indagationem certitudinis pertinet, tam Imperialibus, quam Papalibus anteceſſorum noſtrorum litteris ſufficienter inſtructi, picturis quoque parietum multiplicibus, & ſculpturis vetuſtiſſimis, exprimentibus indicia veritatis & notas: indubitata fide comperimus, dicti doctoris & Martyris oſſa venerabilia, excepta particula vnica ſimul & minima manus dextræ apud memoratum beati Emmeranni cœnobium integraliter contineri. Etenim ne teſtimonia hominum, quæ iam diximus, non ſufficerent, diuina quoque non defuere prodigia & portenta, quæ dubium omne penitus abegerunt: quæ nos quoque conſcribi iuſſimus diligenter, vobisq. tranſmitti per veſtros Nuntios ac Legatos, necnon apud eccleſiam prædictam perpetuo conſeruari: vt & ad poſteros geſtæ rei notitia deducatur, & vlterius litigandi materia penitus conquieſcat. Inſuper & diſtricte præcipimus, ſtatuentes, vt tranſlationis ipſius veneranda ſolemnitas, tam a Fratribus eiuſdem eccleſiæ, quam ab vniuerſis vrbis iam dictæ annis ſingulis cum omni iucunditate & gaudio celebretur, totaq. tripudiet regio Germanorum tanti Patris atque patroni aduentui non ingrata.

Vos autem in Chriſto dilectiſſimi filij, Rex Francorum, tuiq. fideles, quamuis inuidendi Teutonicæ genti videamini iuſtam quidem habere materiam, ita vt putatis, merito de Alemannorum vobis lætitia ſit dolendum; conſiderantes tamen & Dei omnipotentis, & inuicti Martyris ſui voluntatem, quem ablatum plangitis, conſolationis tandem admittite placamentum, penſantes attentius, quod nec vobis ablatus eſt, quippe qui chariſſimos prædicationis ſuæ, & paſſionis conſortes, Ruſticum & Eleutherium in dilectionis adhuc & tutelæ pignus, & certitudinem dereliquit: nec dolete ſi Germanos iam viſitare dignatus eſt vel defunctus, qui vobis adhuc viuens prædicauit, & apud vos bonum certamen certando, curſum conſummando, fidem ſeruando, triumphum peregit victorioſiſſimæ paſſionis, Apoſtolatus ſui ſuper vos ſigna tam in vita perficiens, quam in morte. Qui igitur Alemanniam ipſius oſſa fouere non permittatis in ſolatium & tutelam, quem vobis Athenæ, vt Chriſto lucrifaceret vos, viuum recipere, audire, & cælo tranſmittere permiſerunt? accedet nihilominus conſolationis & alia ratio, & auctoritas ſcilicet & excellentia ſubtractoris. Pretioſum quidem theſaurum vos perdidiſſe fatemur, ſed ablatoris attendite dignitatem, ſimulq. patris & Apoſtoli veſtri gloriæ congaudete, qui cum vos meritorum, atque doctrinæ ſuæ gaza ditauerit, & reliquiarum ſaltem ſuarum * ac apothecas tam deuotum furem ſui corporis habuit, quam inſignem, auro vtique & topazio meliorẽ, qui ſui valore ad oſſa ſua ſanctiſſima ſubtrahenda, Cæſareum etiam verticem inclinauit. nec maieſtas Imperialis, nec regia celſitudo pij furis hic notam, aut nomen erubuit in Arnulpho, dummodo beati corporis opibus vel doli, vel furti, vel ſacrilegij modo ſacrari, atque diteſcere mereretur: qui fures; atque ſacrilegos erat ſolitus condemnare, dummodo macarij Dionyſij pretioſo corpore frueretur, fur ipſe tunc fieri & ſacrilegus non contempſit. Cum inſuper fides atque deuotio dubium etiam omne per hoc penitus amputauit, quod non in ipſa Roma, non in quacumque metropoli, non in vrbe qualibet regni, vel arce ſibi ſtudebat eligere ſepulturam, ſed vbi ſuum ſe Dionyſium condidiſſe & ſciunt, & lætantur, ſuo ſe ſperans patrocinio defendendum, & conreſuſcitandum in die nouiſſimo cum Beatis. Præſentibus igitur dilectionem veſtram monemus attentius, & hortamur in Domino, diſtricte præcipientes, quatenus Ruſtico & Eleutherio pie contenti, non fallentes voſmetipſos & alios, beatiſſimi Dionyſij oſſa in vrbe Ratiſponenſium apud eccleſiam beati Emmeranni martyris & noſcatis, & fateamini coruſcare. Datum & actum Ratiſponæ per manus Friderici

derici diaconi Bibliothecarij & Cancellarij ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Catholicæ & Apoſtolicæ, anno Domini M LII. anno Pontificatus domini Leonis Noni Papæ IV. Indict. * v. Non. Octobr.] * vj.

At iſta eſſe commenticia, exclamant Franci: Rigordus enim, qui ſub Ludouico Philippi filio claruit, habet iſta de his temporibus: Iſte Henricus Rex, *Roberti ſcilicet filius*, auditis rumoribus, quod in Alemannia in ciuitate Ratiſpona in Abbatia ſancti Emeranni martyris inuentum fuit quoddam corpus, quod dicebant eſſe Dionyſij Areopagitæ: miſit Nuntios ſuos ad Henricum Imperatorem cum litteris ſuis, vt diem eleuationis illius corporis protelarent, quouſque per certos Nuntios, vtrum corpus hieromartyris Dionyſij Areopagitæ Athenarum Archiepiſcopi, diſcipuli Apoſtoli Pauli, in Francia in eccleſia, quam Dagobertus fundauerat, eſſet, vel non, pleniſſime certificarentur. Quo audito, Imperator miſit magnos viros & ſapientes in Franciam, vt plene rei veritatem agnoſcerent. Viſis Nuntijs Imperatorijs, Henricus Rex conuocauit Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Barones totius regni, & cum Odone chariſſimo fratre ſuo ad eccleſiam beatiſſimi martyris Dionyſij miſit. Facta autem oratione, allata ſunt tria vaſa argentea, Dionyſij, Ruſtici, & Eleutherij coram omni populo, diligentiſſime ſigillata. Et aperto vaſe beati martyris Dionyſij, totum corpus ipſius cum capite inuentum eſt, exceptis duobus oſſibus de collo, quæ ſunt in eccleſia Vergiacenſi, & os quoddam de brachio, quod Stephanus Papa Tertius ſecũ ad Romanam portauit Eccleſiam, & poſuit in eccleſia, quæ hodie, Schola Græcorũ, vocatur. Hoc videntes vniuerſi populi, cum lacrymis & ſuſpirijs puras manus leuantes ad Dominum, Deo & beatæ Mariæ Virgini, & ſanctis Martyribus ſe commendantes, cum gaudio receſſerunt. Tunc Nuntij, qui miſſi fuerant, ad Imperatorem citiſſime reuertentes, ſuper his, quæ viderant, & audierant, Imperatorem pleniſſime certificauerunt. Hoc fuit factum tempore Leonis Papæ Noni, anno Domini milleſimo quinquageſimo] hæc ipſe. qui & inferius anno milleſimo centeſimo nonageſimoprimo hæc habet: Eodem anno, octauo Kal. Septemb. conſilio domini G. Rhemenſis Archiepiſcopi, & Adelæ Reginæ, & omnium Epiſcoporum, corpora beatiſſimorum martyrum Dionyſij, Ruſtici, & Eleutherij cum puriſſimis vaſis argenteis, in quibus diligentiſſime ſigillata continebantur, ſunt extracta, & ſuper altare poſita, adiunctis ibi alijs corporibus Sanctorum, in eadem eccleſia quieſcentium, vt ibi omnes Fideles ad tam ſanctum ſpectaculum conuenientes, cum gemitu & iuſpirijs pro ſancta Terra liberanda, & pro Rege Francorum, & vniuerſo comitatu ſuo puras manus cum Moyſe leuantes, ad Dominum preces funderent: quia non in armorum potentia, ſed in Chriſti virtute & miſeratione Chriſtiani confidunt, nec in ſe, ſed in Deo virtutem faciunt, ſuperantes populos infideles, & ad nihilum redigentes inimicos crucis Chriſti. Sequenti vero feſto beati Dionyſij aperto vaſe argenteo, in quo corpus ſacratiſſimi martyris Dionyſij continebatur, aſſiſtentibus venerabilibus Epiſcopis Siluanectenſi, & Meldenſi, & Adela Francorum Regina, & multis Abbatibus, & viris religioſis, totum corpus ipſius cum capite (vt prædiximus) eſt inuentum, & vniuerſis Dei Fidelibus, qui de longinquis partibus orandi cauſa conuenerant, deuotiſſime demonſtratum. Et ad remouendum errorem Pariſienſium, retento capite hieromartyris Dionyſij, & in vaſe argenteo decenter collocato, corpora Sanctorum in vaſis ſuis ſub altare in crypta marmorea, vnde extracta fuerant, ſunt deuotiſſime repoſita. Caput vero pro excitanda deuotione Fidelium, per totum *annum* omnibus peregrinis eſt oſtenſum, & in ſequenti feſto beati Dionyſij cum corpore in vaſe ſuo repoſitum] hucuſque Rigordus. Vt plane appareat, eamdem controuerſiam viguiſſe inter Pariſienſes, & Ratiſponenſes, Francos & Bauaros, quæ inter Caſſinenſes & Floriacenſes de ſancti Benedicti corpore per plurima ſæcula eſt agitata. Commendanda alioqui eorumdem populorũ in cultu Sanctorum ſicut religioſiſſima, ita & tenaciſſima pietas & Catholica Fides, Deo iſta permittente omnia, ad maiorem gloriam Sanctorum ſuorum.

FRANCI CONTRA BAVAROS SIBI VENDICANT DIONYSIVM.

DIONYSII CORPVS ITERVM VIDENDVM EXPOSITVM.

Iam ad finem hoc declinante anno, ipſam diem Natalem Redemptoris Leo Papa vna cum Imperatore Vuormatiæ (vt habent Hermannus & Vrſpergenſis) celebrauit. qui autem incipiunt annum ab ipſo Natali die, id quidem in anni ſequentis ponunt exordio. Nos vero, qui ex inſtituto ab ipſis Ianuarij Kalendis conſueuimus numerare, ponimus in fine præſentis anni. Quid autem ſequenti die turbarum acciderit,

LEO PAPA VVORMATIAE CELEBRAT NATALEM DIEM DOMINI.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Missam celebrante Archiepiscopo Moguntino, ab Vrspergensi Abbate sic accipe: A
Apostolico, & Imperatore Natalem Dominicum diuino & regio cultu Vuormatiæ
agentibus, Missarum celebratione in sancta die peracta (vt oportuit) ab Apostolico: in sequenti die Luitpoldum Moguntinæ sedis Archiepiscopum, vtpote in sua diœcesi præcipuum, huic subrogauit officio. Qui peracta processione, & vbi ad hoc ventum est, dicta oratione, postquam se in sua sede locauit, quidam ex diaconis suis, Hunibertus nomine (sicut multi ob illius festi venerationem solent) Lectionem decan-
QVAE INTER MOGVNTINVM ET PAPAM. tauit. Quod quidam ex Romanis Papæ assistentibus vituperantes, & contra Papam, quia Romano more non ageretur, obiurgantes, persuaserunt ei, vt ad eumdem diaconum mitteret, & decantationem interdiceret. Quod cum ille iuuenum more contemneret, iterum mittendo Papa interdixit. Qui mox eadem vocis sonoritate, qua prius, cantauit, legendo decenter, Lectionem vsque ad finem perduxit. Qua finita, Papa illum ad se vocauit, & quasi pro inobedientiæ contumacia degradauit. Archiepiscopus vero misit ad illum, vt suum sibi redderet ministrum. Quod vbi Papa abnuit, pontifex, vt erat antiquæ disciplinæ, licet ægre, patienter tamen interim tacendo sustinuit. Perlecto autem Euangelio, & decantato Offertorio, vbi sancti sacrificij tempus aduenit, pontifex, *Moguntinus scilicet Archiepiscopus*, in sede sua resedit, vere contestans nec se, nec alium quempiam completurum illud officium, nisi recipe-
ret processionis suæ ministrum. Quod vbi Apostolicus intellexit, pontifici cessit, reindutumq. ministrum continuo remisit. Quo recepto, debito se Præsul iniunxit officio. Qua in re & pontificis auctoritas, & Apostolici consideranda est humilitas: dum & ille officij sui dignitatem defendere contendebat; & iste licet maioris dignitatis, Metropolitano tandem in sua diœcesi cedendum perpendebat] hucusque Vrspergensis, C
sed male sentiens. Non enim, quod cedendum sit a Romano Pontifice cuiquam Archiepiscopo in sua diœcesi, Leo id præstitit, sed ne eiusmodi intercedentibus turbis, paratum sacrificium impediretur, magno scandalo totius populi, qui conuenisset. Quicumque enim, & vbicumque coram Romano Pontifice Missas canat, non nisi eo inchoante Missas, facere id præsumit, cui ipse celebraturus respondens ipsi Papæ, se intelligat imparem, & vice ministri eidem deseruire, ne intumescat, vel quidquam amplius sibi sumat, licet ipse sit, qui Deo tunc offerat sacrificium. Cui Romanus Pontifex sic assistat, vt non desistat esse semper, quod est, Christi Vicarius, successor Petri, omnibus quibuscumque Episcopis maior & eminentior. Præstitisset autem, vt Assistens ille nullas tunc de canente diacono Leoni Pontifici querelas ingereret, ne tumultus (quod contigit) oboriretur; sed alio loco & tempore illi eidem corrigenda pro- D
poneret. Erat tunc Archiepiscopus Moguntinus Luitpoldus, qui anno superiori, Bardone defuncto, in locum eius subrogatus fuerat ex Præposito ecclesiæ Bambergensis, tenuitq. annos octo, vt ex Hermanno apparet. Hic tu primum Vrspergensis schismatici flatus graueolentes ex bile in stomacho putrescente spirantes odium in Romanos Pontifices experire: cuius inferius erunt confutanda mendacia, & arguenda iactantia.

MANICHAEI INVENTI ET PATIBVLO DAMNATI. Eodem anno Imperator cum Goslariæ Natalem diem Domini celebraret, audiuit ibi esse hæreticos Manichæos, non sine admiratione, vt adeo execrandæ hæresis adhuc reperiri reliquiæ possent. Quamobrem zelo, quo æstuabat Fidei Orthodoxæ, eos omnes repertos patibuli suspendio necari iussit, ne videlicet, si parceret eis, Christianos Catholicos hæresis eiusdem veneno inficeret. E

Hermannus hoc anno, quo & ista contigisse memorat: Reliquiæ, inquit, beati Zenonis Confessoris a Vualtario Veronensi Episcopo in Alemanniam ad villam Vlmam allatæ, plurimis per hæc tempora claruere miraculis]

IESV CHRISTI ANNVS 1053. LEONIS IX. PAP. ANNVS 5. HENRICI II. IMP. 7. CONST. MONOM. IMP. 11.

SEQVITVR annus Redemptoris millesimus quinquagesimustertius, Indictione sexta, quo Leo Romanus Pontifex, dum in Germania moraretur, de locis, alijsq. iuribus sancti Petri in Germania existentibus male possessis, modo recuperandis, cum Henrico

A Henrico Imperatore egit. Tunc enim æquissimo cum Imperatore transactum est, vt ea Pontifex cederet Imperatori, acciperet vero ab eo in Italia eiusdem æstimationis loca. ita de his Hermannus hoc anno: Imperator cum domino Papa, multisq. Episcopis, & Principibus Natalem Domini Vuormatiæ egit. Vbi cum Papa (sicut dudum cœperat) Fuldensem Abbatiam, aliaq. nonnulla loca, & cœnobia, quæ sancto Petro antiquitus donata feruntur, ab Imperatore reposcens exegisset: demum Imperator pleraque in Vltramontanis partibus ad suum ius pertinentia pro Cisalpinis illi quasi per concambium tradidit] hæc Hermannus. Leo Ostiensis hac ratione asserit peruenisse ad Sedem Apostolicam Beneuentum. nam ait: [a] Tunc inter ipsum Apostolicum & Imperatorem facta est commutatio de Beneuento, & Bambergensi Episcopio, sicut iam supra retulimus] Addidit etiam, vt exercitum idem Imperator in Italiam mitte-
B ret ad profligandos Northmannos, qui res ad Ecclesiam Romanam spectantes inuaserant, impieq. ac si non Christiani, sed Gentiles persecutores, crudeliter abusi erant. quænam autem istæ fuerint, idem Pontifex in epistola, quam scripsit anno sequenti ad Constantinum Monomachum Imperatorem, fusius narrat, nosq. suo loco ponemus.

PERMVTATIO FACTA INTER PONTIFICEM ET IMPERATOREM.

[a] Leo Ost. lib. 2. cap. 85.

EXPEDITIO ADVERSVS NORTHMANNOS.

Quænam autem in primis de expeditione ista Hermannus habeat, videamus. sunt hæc verba ipsius, scriptis suis vestigia Pontificis assectantis: Cumq. idem Papa de Northmannorum violentijs, & iniurijs, qui res sancti Petri, se inuito vi tenebant, multa conquestus esset, ad hos etiam inde propulsandos Imperator ei auxilia delegauit. Ea siquidem gens a temporibus prioris Henrici Imperatoris, in Calabriæ, Samniæ, Campaniæq. partes paulatim ex Gallici oris oceani aduenticia confluebat. & quia
C bellicosior Italicis gentibus videbatur, primo grataner accepta, crebro indigenis contra Græcorum, & Sarracenorum incursiones audacter præliando auxiliabatur; NORTHMANNORVM DIRA TYRANNIS. postea vero pluribus eorum ad vberem terram accurrentibus, viribus adaucti, ipsos indigetes bello premere, iniustum dominatum inuadere, heredibus legitimis castella, prædia, villas, domos, vxores etiam, quibus libuit, vi auferre, res ecclesiarum diripere: postremo diuina & humana omnia, prout viribus plus poterant, iura confundere, nec iam Apostolico Pontifici, nec ipsi Imperatori, nisi tantum verbo tenus cedere. Ad horum igitur nefaria & inextricabilia scelera illis e partibus eliminanda, indigenasq. ab eis liberandos dominus Papa animum intendens, summa cum charitate, ab Imperatore Romam reuersurus digreditur.

Secuti sunt autem eum plurimi Teutonicorum, partim iussu dominorum, partim
D quæstu adducti; multi etiam scelerati, & proterui, diuersasq. ob noxas patria pulsi. Quos ille omnes tum consuetæ misericordiæ nimia compassione, tum etiam, quia opera eorum ad imminens videbatur bellum indigere, clementer & gratanter suscipiebat. Transiens ergo per Alemanniam, Purificationem sanctæ Mariæ Augustæ REDITVS LEONIS PAPAE IN ITALIAM. egit, Mantuæq. Quinquagesima acta, & nonnullis suorum, orto inibi tumultu, occisis, infra dies Quadragesimæ Romam peruenit] addit his hæc Lambertus: Romam reuersus est, adducens secum Godefridum Ducem, & fratrem eius Fridericum, qui Gebehardo postmodum in Sede Apostolica successit, *Victori scilicet*. Item alios quamplures tam clericos, quam laicos in re militari probatissimos, quorum virtute Northmannis, qui Apuliam occupauerant, obuiam ire parabat] hæc ipse. Sed & Leo
E Ostiensis de his agens, Gebehardi Episcopi sugillat proditionem, cum desertor improbe factus est eo tempore. nam de ipso hæc ait: [b] Gebehardus tunc Episcopus Aistetensis, gente Noricus, vir singulari prudentia, gerendarumq. rerum peritissimus, Regis Consiliarius erat. Is, cum ex iussione Imperatoris magnus valde Apostolico traditus esset exercitus, iamq. itineris multum confecisset, Imperatorem adijt, GEBEHARDVS DESERTOR. eumq. hac de re valde corripiens, vt eius exercitus totus rediret, dolosus effecit, quingentis tantum ex amicis & propinquis Apostolici illum comitantibus] Quod quidem vt graue peccatum idem Gebehardus diutius deplorauit, cum factus Pontifex est diuinam vltionem expertus. nam de ipso idem Leo inferius hæc habet: [c] Qui quoniam prædecessori suo (vt supra retulimus) impedimento maximo fuerat, quoties postmodum a circumpositis molestiæ aliquid patiebatur, dicere solebat: Merito hæc patior, quia peccaui in dominum meum. & item: Dignum est, vt quod fecit Saulus, patiatur Paulus: quod egit lupus, sustineat agnus]

[b] Leo Ost. lib. 2. cap. 85.

[c] Idem lib. 2. cap. 90.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SYNODVS ROMAE HABITA.

Antequam autem aduersus Northmannos Leo Pontifex proficiscereturA (vt Hermannus ait) post Pascha Romæ Synodum habuit: in qua vltima Synodo Gerardum Leucorum supra se quintum Episcopum in Sanctorum numerum retulisse Sigebertus affirmat. In hac item Synodo definita est vetus controuersia inter Foroiulienſem & Aquileienſem Antistites, de limitibus diœceseos, statutumque, vt Aquileia totius Venetiæ, & Istriæ metropolis esset, Foroiulienſis ecclesia finibus Longobardorum contenta esset. extat de his epistola [a] Leonis Pontificis, hac Indictione sexta conscripta. His peractis in Synodo, Leo Papa Cassinum petijt, expetiturus a sanctis monachis preces: de cuius aduentu hæc Leo Ostienſis: [b] Rediens itaque Romanus Pontifex ex Alemannia, rursus ascendit ad monasterium nostrum, Fratribusq. se commendauit deuotissime. Cumq. apud sanctum Germanum honorifice fuisset acceptus, rogatus a Fratribus, vt monasterium sancti Stephani, quod supra Tarracinam est, illis restitueret: B interrogat an ad illos vmquam pertinuisset. Asserentibus, ostendi sibi id postulat. mox dialogo sancti Gregorij exhibito, vtq. sanctus Benedictus illud monasterium constructum erat, ex eiusdem Patris vita ostenso (aut enim ignorabant, aut promptum non habebant Agapiti Papæ priuilegium, Balduino Abbati inde confectum) vere, ait sanctus Pontifex, æquissimum est quod quæritis: moxq. Friderico Cancellario mandat priuilegium inde conscribere, ipsumq. monasterium assignari nostro cœnobio cum suis omnibus iussit. Fecit & eodem tempore huic monasterio priuilegium aliud, per quod nauem huius monasterij in Romano portu omni tempore cum nauclero & omnibus nauticis suis liberam ab omni conditione, pensioniq. debito esse constituit. Post hæc adiunctis sibi cunctis fere militibus, Apuliam, cum Northmannis dimicaturus, ingreditur] hæc Leo. C

[a] *Leo. epist. 2 10. 3. ep. Ro. Pont.*

[b] *Leo Ost. lib. 2. cap. 88.*

LEO PAPA CASSINVM VENIT.

AVDIT CAVSAS LEO MONACHORVM IN IPSO PROCINCTV.

At vero, antequam veniret in Apuliam, litigium compulsus est definire inter Abbatem monasterij sancti Vincentij, positi ad fontes Vulturni (de quo Tomo superiori sæpe contigit meminisse) & Albertum intrusum; de quo in libro priuilegiorum eiusdem [c] monasterij hæc leguntur: Anno domini Leonis Noni summi Pontificis & vniuersalis Papæ quinto, Indictione sexta, mense Iunio, die decima, cum idem Leo contra Apuliæ fines pergens &c. occurrit ei Luitfridus Abbas monasterij sancti Vincentij ad fontes Vulturni, conquestus contra Albertum presbyterum & monachum, vsurpantem sibi nomen Abbatis in monasterio sanctæ Mariæ in Castanleto. Tunc assistentibus pluribus Præsulibus, ab eodem Leone causa est iudicata Abbati sancti Vincentij. qui interfuerunt, hi sunt.

[c] *pag. 332.*

Humbertus Episcopus Siluæcandidæ. D
Petrus Amalphitanus Archiepiscopus.
Amalguisius Ceuetensis Episcopus.
Vldaricus Beneuentanus electus Archiepiscopus.
Fridericus sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cancellarius & Bibliothecarius.
Adenolphus Dux Caietanus.
Landus Comes Aquinas.
Landulphus Comes de Tiano, & alij] hæc ibi. Indicia plane summi Pontificis summæ benignitatis, quod cum in tanti momenti expeditione esset, monachorum sineret se detineri litigijs, & fatigari querelis, cū iam proxime tempus instaret, quo Romanus exercitus collatis signis cum Northmannis conflicturus esset, quod factum est paucos post dies eodem mense. sed audiamus ipsum Hermannū tum viuentem, hæcq. scribentem. ait enim: Dominus Papa habita post Pascha Synodo, cōtra Northmannos, vt proposuerat, exercitum mouit. Cumq. illi pacem petentes, subiectionem, seruitiumq. ipsi promitterent, & quæ prius iniuste sibi vsurpantes inuaserant, eius beneficio, gratiaq. retinere velle se dicerent: idq. Papa abnegans, vi & iniuria raptas res sancti Petri reposceret, eosq. perperam peruaso cedere loco iuberet; illi quia numero longe præstabant, quasi rem impossibilem sibi propositam refutantes, se potius bello obuiam ituros, armisq. acquisitam patriam armis defensuros, vel morte occubituros denuntiant. E

LEONIS BENIGNITAS AD OMNES ET OMNI TEMPORE.

Sicq. decimoquarto Kal. Iul. valida pugna confligentes, prima acie *Northmanni* a Teutonicis pene victi sunt; sed succenturiatis copijs ex insidijs nostros circumuenientes, Italis citius terga vertentibus, Teutonicis maxima ex parte, sed non inulte occumbentibus, occulto Dei iudicio, siue quia tantum sacerdotem spiritalis potius, quam

pro

A pro caducis rebus carnalis pugna decebat; siue quod nefarios homines quammultos ad se ob impunitatem scelerum, vel quæstum auarum confluentes, contra itidem sceleſtos expugnandos secū ducebat; siue diuina iustitia, alias, quas ipse nouit, ob causas, *ueatus* nostros plectente, quamuis nimis cruentam, hostes adepti sunt victoriam. Ipseq. dominus Papa in quodā ab eis castello obsessus, cum expugnata iam iamq. munitione, necessitate coactus, communionem eis prius interdictam reddidisset, acceptus ab eis, Beneuentum cum honore tamen reductus est, ibiq. tempore aliquanto detentus, nec redire permissus] intentus ibi (vt subdit) diuino seruitio. hæc Hermannus.

ACERRIMVM BELLVM INTER ROMANOS ATQVE NORTHMANNOS.

Sed quæ Leo Ostienſis de his habeat, accipe: [a] Apuliam, cum Northmannis *Leo Papa* dimicaturus ingreditur anno Domini milleſimo quinquageſimo * quarto. Atque ex parte ipsius quidem Apostolici Rudolphus in Beneuentanum Principem iam electus, B & Guarnerius Sueuus signa sustollunt. Northmanni vero tres de suis statuunt turmas, quarum vnam Comes Hunfridus, aliam Richardus item Comes, tertiam Robertus agebat Guiscardus. Inito autem certamine in planitie maxima, quæ ciuitati adiacet, paulatim se subducentibus fugientibusq. nostratibus, & solis, qui cum Papa venerant amicis, propinquisq. remanentibus, cum diu ab his acriter pugnatum esset, omnibus tandem in ipsa pugna trucidatis, Northmanni Dei iudicio euasere victores. Dehinc Hunfridus Pontificem adijt, & in sua illum fide suscipiens, cum suis omnibus Beneuentum perduxit, spondens, quandocumque Romam ire disponeret, ipse illum Capuam vsque deduceret. Intrauit autem idem Papa Beneuentum mense Iunio, vigilia sancti Ioannis Baptistæ, mansitq. ibi vsque ad mensis Martij duodecimam diem] hæc Leo.

[a] *Leo Ost. lib. 2. cap. 88.*

* tertio

NORTHMANNI VICTORES VICTVM COLVNT PONTIFICEM.

Vidisti in Northmannis quamuis hostibus implacabilibus, tam in Gallijs, quam C in Anglia, atque demum in Italia vbique victoribus, a se victo Pontifice victos ipsos esse reuerentia culminis Apostolici: adeo vt (sicut ipse Pontifex suis litteris testatus est, scribens ad Constantinum Monomachum Imperatorem) viciſſe Pontificem, ipsos pœnituisset? Addit his Sigebertus, Pontificem captum a Northmannis relaxari noluisse, nisi suis omnibus pariter relaxatis. quod eidem obsequentes præstitere Northmanni, Pontifici in omnibus perinde ac victori morem gerentes.

At de his non audiendus Benno schismaticus, qui rabie canina in Hildebrandum oblatrās, ipsum cum Benedicto Nono Sedis Apostolicæ inuasore insidiatum esse Leoni Pontifici in hoc bello Northmannico tradit. Quanta autem in homine fuerit mentiendi vsurpata licentia, & struēdi calumnias fraus, superius iam satis est demonstratū.

PETRVS DAMIANI QVAE IN LEONEM BELLA TRACTANTEM.

Verum sicut iste non audiendus, ita quæ Petrus Damiani aduersus eumdem Leo- D nem, militaribus copijs se miscentem scripsit, in his quæ asserit, examinanda sunt, an in omnibus veritate subsistant. Cum enim ipse esset mœrens animo ac lugens eremi incola, quod frequenter audiret Episcopos aliquos in Gallijs atque Germanijs galeatos ac loricatos ad bella procedere; facinus execratus, scripsit epistolam ad Firminum Episcopum, qua deplorans mundi huius mala, præcipue vero discordias oboriri solitas inter Imperatores atque Pontifices, sic vult munera eorum esse distincta, vt nec Imperatores attingant quæ sunt sacerdotum, nec sacerdotes quæ sunt Imperatorum, vt bella tractare, & alia id genus, quæ ipsis omnino reseruet. ait enim: Sicut ergo ipse Dei Filius cuncta mundi furentis obstacula non per districti examinis vltionem, sed per inuictam superauit inconcussæ patientiæ maiestatem; ita docet mundi rabiem potius æquanimiter ferre, quam vel arma corripere, vel lædenti læsionibus respondere: præsertim cum inter regnum & sacerdotium propria cuiusque distinguantur officia, vt Rex armis vtatur sæculi, & sacerdos accingatur gladio spiritali, qui est verbum Dei. De sæculi nempe Principe Paulus dicit: [b] Non sine causa gladium portat, E Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit. Ozias [c] Rex, qui sacerdotale vsurpat officium, lepra perfunditur. Et si sacerdos arma corripit (quod vtique laicorum est) quid meretur? Nam & Dauid idcirco ante Euangelium euangelice vixisse creditur, quia non modo Semei & Saul, sed & plurimis indulsisse hostibus suis inuenitur. de quo, & ceteris sanctis Patribus nonnulla hic exempla perstringerem, nisi vobis incomparabiliter notiora quam mihi hæc & his similia certum tenerem. Plane quis non videat, quam sit inhonesta confusio, vt quod Ecclesia agendum denegat, imprudenter ipsa committat? & cum alijs prædicat patientiam, infœderabilem contra nocentes accendatur in iram? Contigit hoc facienti quod Apostolus dicit:

[b] *Rom. 13.*

[c] *2. Paral. 26*

Universidad de Deusto
Biblioteca

a 1. Cor. 9.
b Rom. 2.
* præsto pro cito vel mox.

cit: [a] Ne cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Vel illud potius quod ad Romanos ait: [b] Qui ergo alium doces, teipsum non doces: qui dicis, non mœchandum, & mœcharis: qui abominaris idola, sacrilegium facis: Et præcipue id quod * præsto subiunctum est, sacerdoti congruere videtur: Qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis Deum inhonoras] & post alia id genus adducta & cumulata subijcit ista: A

Et reuera qua fronte, qua libertatis audacia sacerdos quilibet in dissidentium confœderatione desudet, cum ipse suis osoribus non remissionis indulgeat veniam, sed efrænetur implacabiliter ad vindictam? Inter omnes sane virtutum gemmas, quas Saluator de cælo veniens attulit, duas insignius atque præclarius rutilare monstrauit, quas & in se prius expressit, & vt nobis imprimerentur edocuit, charitatem scilicet & patientiam] & paulo post: His nimirum virtutibus & fundatores Apostoli Ecclesiam sanctam condiderunt, & propugnatores eius sancti Martyres diuersa mortium supplicia triumphaliter pertulerunt. Si ergo pro Fide, qua vniuersalis viuit Ecclesia, arma ferrea capere priuato non licet, nusquam ferrea corripere arma conceditur: quomodo pro terrenis & transitorijs Ecclesiæ facultatibus loricatæ acies in gladijs debacchantur? Porro sancti viri cum prævalent, hæreticos, idolorumq. cultores nequaquam perimunt, sed potius ab eis pro Fide Catholica perimi non refugiunt. quomodo ergo pro rerum vilium detrimento Fidelis Fidelem gladio petat, quem secum vtique redemptum Christi sanguine non ignorat? B

In Galliarum finibus audiui gestum esse, quod narro. Inter Abbatem & quemdam sæculi potentem orta est non leuis de possessione contentio: cumq. a partis vtriusque fautoribus minis diu certaretur & iurgijs: tandem vt armis ageretur, vtrimque conditum est. Et sæcularis quidem, paratis militum copijs, campum prœliaturus ingreditur, acies struit, cuneos ordinat, atque ad fortiter agendum mentes acerrimus cohortator inflammat. Silescunt omnia gladijs, rubent clypei, vociferantium clamor attollitur, minaces armatorum fremitus inhorrescunt, tela stringuntur, & solus aduersæ partis impetus ad congrediendum * accensis manibus expectatur. Abbas enim non in armis terrenis spem suam, sed in humanæ salutis Auctore constituens, cunctis, qui pro se dimicare conuenerant, suum prohibuit comitatum: solos autem monachos suis equis imposuit, capita cucullis cooperire præcepit, sicq. cum illis, velut galeatis, & loricatis Fidei munimento, Crucisq. vexillo ad locum certaminis venit. Cumq. vir ille non ferrea, vt sperabat, arma conspiceret, sed tamquam cælestem atque angelicam aciem cominus aduersisset; tantus eum cum suis omnibus diuini timoris horror inuasit, vt desilientes de equis, protinus arma proijcerent, terræ se humiliter sternerent, indulgentiam flagitarent. Sic, sic nimirum titulos victoriæ triumphalis obtinuit, qui non in frementibus equis, non in micantibus gladijs spem posuit, sed ex diuinæ tantum potentiæ virtute præsumpsit. C

* f. extensis

ARMIS SPIRITVALIBVS CEDVNT ARMA BELLICA.

Ad hæc si quis obijciat, Leonem bellicis vsibus se frequenter implicuisse Pontificem, nihilominus verum esse dico, quod sentio: Quoniam nec Petrus ob hoc Apostolicum obtinet principatum, quia negauit: nec Dauid idcirco prophetiæ meretur oraculum, quia thorum alieni viri inuasit: cum mala, vel bona non pro meritis considerantur habentium, sed ex proprijs debeant qualitatibus iudicari. Numquid hoc legitur vel egisse, vel litteris docuisse Gregorius, qui tot rapinas ac violentias a Longobardorum feritate est perpessus? Num Ambrosius bellum Arrianis, se suamq: ecclesiam crudeliter infestantibus intulit? Numquid in arma sanctorum quispiam traditur insurrexisse Pontificum? Causas igitur ecclesiastici cuiuscumque negotij leges dirimant fori, vel sacerdotalis edicta Concilij, ne quod gerendum est in tribunalibus iudicum, vel ex sententia prodire Pontificum: in nostrum vertatur opprobrium, congressione bellorum.] D

PETRVS DAMIANI SVGILLAT LEONEM PONT.

Hucusque de his Petrus Damiani, cui Catholica dogmata penitus aduersantur, quibus hæresis errore notantur omnes, qui ab Ecclesia Romana, cathedra Petri, e duobus alterum gladium auferunt, nec nisi spirituale concedunt, ipso sancto Bernardo dicente: Materialem gladium qui tuum negat, non satis mihi videtur attendere verbum Domini, dicentis: Conuerte gladium tuũ in vaginã] de cuius vsu habet ista Gregorius IX. in [c] epistola ad Germanum Patriarcham Constantinopolitanum, suo loco inferius recitanda: Illud tantum adijcimus, quod vtrumque gladium ad Romanum Pontificem pertinere, ex Euangelica lectione tenemus. Etenim loquente IESV Discipulis de E

GREG. PAPA IX. DE DVOBVS GLADIIS ECCLESIAE.

c cusa cum alijs epist. Romæ anno 1587. curante Gerardo Vossio.

acqui-

A acquisitione gladij spiritualis, illi duos ibi positos ostenderunt, quos Dominus dixit sufficere, ad cohibitionem videlicet spiritalis, & temporalis offensæ. Si materialem gladium pertinere concedis ad potentiam temporalem: attende quod in Matthæi Euangelio Dominus dicat Petro: [a] Conuerte gladium tuum in locum suum, dicendo tuum, materialem significauit gladium, quo percussit ille seruum principis sacerdotum. De spirituali vero nemo venit in dubium, cum ei, id est Petro, per cuiusdam specialitatis apicem [b] ligandi, atque soluendi commiserit potestatem. Vterque igitur gladius Ecclesiæ traditur, sed ab Ecclesia exercendus est vnus, alius pro Ecclesia manu sæcularis Principis eximendus: vnus a sacerdote, alius ad nutum sacerdotis administrandus a milite] hæc Gregorius. His consentientia Bonifacius Papa Octauus habet his verbis: [c] Vterque gladius est in potestate Ecclesiæ, spiritualis scilicet, & materialis: sed is quidem pro Ecclesia, ille vero ab Ecclesia exercendus: ille sacerdotis, is manu Regum, & militum, sed ad nutum, & patientiam sacerdotis] cum videlicet iubet, vel sponte facienti consentit. & pergit: Oportet autem gladium esse sub gladio, & temporalem auctoritatem spirituali subijci potestati] hæc Bonifacius. Cui assentiuntur omnes, vt nullus discrepet, nisi qui dissidio ab Ecclesia excidit. B

a Matth. 26.
b Ibid. 16.
c Extrau. de maior. & obed. cap. 1.

Sed præter Doctores, & Theologos omnes ipse vigens vsus in Ecclesia dogma probauit. siquidem ad propulsandos ab Italia Longobardos, vel Sarracenos, frequentibus legationibus Romani Pontifices, ijdemq. sanctissimi (vt superiores Tomi satis abunde demonstrant) studio propensissimo apud Christianos Principes institere, alienaq. manu pugnantes, atque vincentes, erexere de barbaris victis sæpe triumphos, nusquam vero reperti, qui armati in acie dimicarint. Sed Leo ipse, de quo agimus, licet sit comitatus exercitum, seorsum tamen, exitum expectans certaminis, in loco munito, in quo postea obsessus est, mansit. vnus Ioannes Duodecimus adolescens, Sedis inuasor est repertus, qui armatus aliquando equitasse, delatus in Synodum fuit: quod habitum pro monstro, vt suo loco superius dictum est. Sed & probro sæpe datum Episcopis siue Francis, siue Germanis id factitantibus, cum aliena non sua manu (vt audisti a Gregorio & Bonifacio) sit in defensionem Ecclesiæ eiusmodi gladius exerendus. C

Idq. etiam factum a S. Gregorio Magno Papa, quem adeo male in sententiam suam adducit Petrus, ex suiipsius scriptis epistolis satis superq. euidenter apparet. Et quo magis eum errantem ex ipso, quem contra Leonẽ citat, coarguas: accipe ex ipsius Gregorij epistolis certa loca, quibus ipse aduersus Longobardos militũ gladios aliena manu magna instantia monuerit exerendos. nam ad Velocem Magistrum militum scribens, hortansq. aduersus Arnulphum Ducem Longobardorum prodire cum copijs, hæc habet: [d] Si huc vel ad Rauennates partes nec dicendum Arnulphum cognoueritis excurrere: vos a dorso eius (sicut decet viros fortes) laborate, qualiter opinio vestra ex laboris vestri qualitate amplius in Republica, Deo auxiliante, proficiat. &c.] & ad Mauritium & Vitalianum itidem Magistros militum sequentem epistolam scribens, hæc itidem post alia habet: Sed & gloria vestra, si huc perrexerit ipse hostis Arnulphus, quomodo consueuistis cum auxilio Dei, a dorso eius, quod potestis, perficite. speramus enim in omnipotentis Dei virtute, & in ipsius beati Petri Apostolorum Principis, in cuius natali sanguinem effundere desiderat, quia ipsum sibi contrarium sine mora inueniet] hæc Gregorius. Erat tunc Roma sub Imperatore Constantinopolitano, qui per Præfectos regebat eam, & quæ ad bellum spectabant, Magistris militum missis ad hoc delegabat. & quamuis hoc non suum, sed alienum videretur esse negotium, tamen ac si suum peculiare esset, de resistendo, & expugnando eosdem perfidos Longobardos, plures extant eius [e] epistolæ ad Mauritium Imperatorem, & ad eius [f] successorem Phocam. Quin etiam in his quæ spectant ad defensionem mœnium ciuitatum, vigilare iubet [g] Episcopos, & necessaria cuncta parare, ad quorum custodiam nec viros ecclesiasticos esse iubet exemptos, sed obligatos. Cum igitur tam in offendendo, quam defendendo Gregorius bellum adornat: quid est rogo, quod Petrus ait, hoc non egisse, nec litteris docuisse Gregorium? D E

d Greg. Regist. lib. 12. ep. 41. & 22.

S. GREGORIVS AN VSVS GLADIO TEMPORALI.

e Idem Regist. lib. 4. epist 31.
f Idem Regist. lib. 11. epist. 43.
g Idem Regist. lib 7. epist. 20. Ind. 1. & Ind. 2 ep. 2 & 3 eod. lib. 7.

Qui tamen ita mansuetudine bene compositus erat, vt patienter cuncta prius ferret: si vero hac via nihil proficeret, inde concitatus aduersus obuiantia quæque prodiret. nam audi ipsũ de se ista loquentẽ: [h] Mores meos bene cognitos habes, quia diu porto: sed si semel deliberauero non portare, contra omnia pericula lætus vado] ita ad Sabi-

h Idem lib. 7. ep. 1. Ind. 1.

nianum

Universidad de Deusto
Biblioteca

S. GREG. PAP. PRIMVM PATENTIA IN DE ARMIS.

nianum diaconum: vt plane se gessit in causa Longobardorum, quos primum diu to- A
lerare dispoluit, agensq. apud eos sequestrem pacis, se a sanguine eorum compescuit. nam eadem epistola hæc inferius: Si ergo (inquit) seruus eorum in morte Longobardorum me immiscere voluissem, hodie Longobardorum gens nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet, atque in summa confusione esset diuisa: sed quia Deum timeo, in mortem cuiuslibet hominis me immiscere formido] ita ipse primum, antequam eorumdem Longobardorum expertus esset perfidiam, & pertinaciam, quibus tandem maximo damno Reipublicæ cognitis, qualiter se gesserit cum eis, audisti ex epistolis, ab eo postea datis. Errore igitur lapsus conuincitur Petrus (excusare eum nec debemus nec possumus) quem communi Catholicæ totius Ecclesiæ consensu constat esse damnatum. Post Tertullianum, Iulianus Apostata fuisse cognoscitur originarius sator erroris, ex quo & iste noscitur propagatus. Porro sicut ille antiquitus in Ecclesia B
reperitur a sanctis Patribus cum suo auctore error esse damnatus, quo Iulianus Apostata huiusmodi a Christianis quibuslibet exigebat patientiam, vt nedum quempiam non offenderent, sed nec se defenderent ex præscripto (vt aiebat) Euangelicæ legis: ita & longe ante eiusdem quoque generis damnatus pariter Tertulliani & aliorum hæreticorum ille error, quo nō licere alicui Christiano militare dicebāt. sed de his, suis locis superius, nunc ad Leonem redeamus.

Dum ipse Pontifex Beneuenti moraretur (permansit enim ibi in ciuitate recens Romanæ Ecclesiæ conquisita vsque ad anni sequētis mensem Martium) legationem ac-
PETRVS PATRIARCHA ANTIOCH. AD LEONEM MITTIT EPIST. cepit a Petro Patriarcha Antiocheno, qui more maiorum sapiens quæ sunt Catholicæ Fidei, simulac creatus est Patriarcha, expetens Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ communionem, misit epistolam ad Leonem Romanum Pontificem, vna cum Fidei C
Catholicæ professione, qua recepta atque probata ab ipso Leone Pontifice, reddidit ad eumdem ipse litteras, quæ cusæ habentur inter ceteras epistolas Romanorum Pon-
a Leo ep. 5. to. 3. ep. Rom. Pont. tificum. est earum exordium: [a] Congratulamur vehementer in Domino &c.] vbi inter alia de eius creatione hæc habet:

Quod ipse ex specula sanctæ illius ecclesiæ, cui videris designatus diuinitus speculator, prudenti oculo considerans promotionem tuam ad Episcopale fastigium, electione Cleri & populi (sicut asseris) factam, atque fidem tuam secundum antiquæ consuetudinis religiosum & valde necessarium studium Apostolicæ & primæ Sedi, cui, Deo auctore, quamuis indigni præsidemus, annuntiare, & exponere curasti: in quo facto nouerit tua dilectio nos plurimum recreatos, & gauisos in Domino. Quia quod maxime oportebat, tibi & ecclesiæ, cui temporaliter præsides, non distulisti D
efficere. Siquidem ab Apostolica tua sede, nostram Apostolicam Sedem consulendo, perpendimus tuam dilectionem nolle deuiare a Dominico, & omnium sanctorum
DE PRIMATV ROM. ECCL. LEO AD PETRVM. Patrum concordi decreto, quo inuiolabiliter cunctis in toto orbe terrarum ecclesijs sancta Romana & Apostolica Sedes caput præponitur, ad quam maiores & difficiliores causæ omnium ecclesiarum definiendæ referantur. sic omnia veneranda Concilia, sic leges humanæ promulgant, sic ipse Sanctus Sanctorum, Rex Regum, & Dominus dominantiū confirmat, quatenus ibi principalis dignitatis, & totius ecclesiasticæ disciplinæ venerabilis apex præfulgeat, & præcellat, vbi ipse vertex & cardo Apostolorū Petrus carnis suæ beatam resurrectionem in nouissimo die expectat. Nimirum solus est
b Luc. 22. ille, pro quo, ne deficeret eius fides, Dominus & Saluator asserit se rogasse, dicens: [b] Simon, Simon, ecce satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: ego autem rogaui E
pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Quæ venerabilis & efficax oratio obtinuit, quod hactenus fides Petri non defecit, nec defectura creditur in throno illius vsque in sæculum sæculi, sed confirmabit corda fratrum, varijs concutienda fidei periclitationibus, sicut vsque nunc confirmare non cessauit.

DE ANTIOCHENA ECCLESIA. Pro cuius excellentia tertiam a Romana Ecclesia dignitatem retinet Antiochena, quam te defendere summopere monemus, non tuæ gloriæ causa, sed pro sedis, cui ad tempus præsides, antiqua honorificentia. Nec reuoceris ab hac intentione cuiuslibet pompa, vel arrogantia, quin constanter defendas honorem, quem Antiochenæ ecclesiæ reliquerunt omnia sanctorum Patrum Concilia. Ad quod vtique, si oportuerit, maxima mater, Romana scilicet atque prima Sedes tam dilectæ sibi filiæ, immo consociæ, nusquam & numquam deerit. Quod totum ideo dicimus, quia
quosdam

A quosdam conari minuere antiquam dignitatem Antiochenæ ecclesiæ audiuimus.

Porro quod a nobis causas diuisionis vniuersalis Ecclesiæ compatiendo requiris: fatemur tuæ religiosæ sollicitudini, nos adhuc a Domino miserante firmissime retinere vinculum sanctæ vnitatis; nec videmus nos alicubi * incurrisse damnū schismatis, quos * integritas concordiæ, & plenitudo ecclesiasticæ disciplinæ indesinenter regit. Vnicuique nostrum debitus honor, & sua iura conseruantur; terminos, quos Patres nostri fixerunt, nulli arroganter transgredi conceditur. Magis vestra fraternitas circumspiciat, ne qua radix amaritudinis atque diss̄ensionis (quod absit) in vestris partibus succrescat, per quam inquinentur multi, & quam necesse sit districta falce sanctorum canonum a Catholicæ Ecclesiæ agro extirpari. Mea vero humilitas in culmine Apo- QVIBVS CONDITIONIBVS CONFIRMET ELECTIONEM PETRI LEO PAPA.
stolici throni ideo exaltata, vt approbanda approbet, improbanda quoque impro-
B bet, tuæ sanctissimæ fraternitatis promotionē libens approbat, collaudat & confirmat, & communem Dominum instanter exorat, vt quod humano ore iam diceris, ante eius oculos existas. Noueris tamen, nos ipsam tuam promotionem taliter approbare, si non hanc neophytus, aut curialis, aut digamus, vel pretio, aut alio quolibet modo, sacris canonibus contrario (quod absit) obtinuisti. Sane fidem tuam, quam proprio scripto summæ & Apostolicæ Sedi exposuisti, sanam & Catholicam atque orthodoxam per omnia protestamur, & sicut vere vnicam & salutarem amplectimur, & tuæ dilectioni vehemēter congratulantes in Domino, eamdem nostram esse deuoto corde & prompto ore profitemur. Firmiter enim credo &c.] Quod autem septem tantum Concilia Oecumenica se retinere profiteatur, nec de Octauo sit aliqua mentio, cur id acciderit, consule quæ dicta sunt Tomo superiori, dum de ipsa Octaua Synodo actum est. Por-
C ro non solum ecclesia Antiochena, sed & Alexandrina atque Hierosolymitana retinebant hoc tempore communionem Romanæ Ecclesiæ, nomenq. Romani Pontificis ex Dyptichis ex more in ecclesia recitabant. quod infenso tulit animo Constantinopolitanus Patriarcha Michael, vt quæ de eo anno sequenti dicturi sumus, ostēdent. Sed quantam hoc anno hic ipse Michael excitauerit in Ecclesia tempestatem, videamus.

Ipse Michael cognomento Cerularius, necnon & Leo Acridanus Archiepiscopus GRAECI EPISCOPI QVID IN LATINOS. Bulgarorum, in sugillationem omnium Latinorum, aduersus sanctam Romanam & Apostolicam Sedem, immo contra omnem Occidentalem Ecclesiam scripserunt epistolam, quam miserunt ad Ioannem Tranensem in Apulia Episcopum, peruulgandam apud Latinos omnes, cui in codice titulus huiusmodi affixus legitur: Calumnia Epi-
D scoporum Michaelis Constantinopolitani, & Leonis Acridani peruicaciter exhalantium pestiferas mephites diuersarum hæreseon aduersus sanctam Romanam & Apostolicam Sedem, immo contra omnem Latinam & Occidentalem Ecclesiam. Hæc quidem calumnia Græco sermone edita, & Ioanni Tranensi Episcopo in sugillationem omnium Latinorum directa, cum fuisset Trani exhibita Fratri Humberto, sanctæ ecclesiæ Siluæcandidæ Episcopo, in Latinum est translata eius studio, atque delata domino Leoni Nono. Quæ etiam hic ad cautelam multorum & notitiam, non autem ad aliquam vtilitatem inserta, cunctis scire volentibus fideliter est conseruata] ita ibi. ipsa autem ipsorum epistola sic se habet:

Michael vniuersalis Patriarcha nouæ Romæ, & Leo Archiepiscopus Acridiæ, me- EPISTOLA MICHAELIS CERVLARII PATRIARCHAE CONTRA LATINOS. tropolis Bulgarorum, dilecto fratri Ioanni Tranensi Episcopo.

Dei magna dilectio & iucunda compositionis viscera flexerunt nos scribere ad tuā
E sanctitatem, & per te ad vniuersos principes sacerdotum, & sacerdotes Francorum, & monachos & populos, & ad ipsum reuerendissimum Papam, & memorari de azymis, & sabbatis, quæ mystice indecenter custoditis, & communicatis Iudæis. Etenim azyma & sabbata ipsi custodire a Moyse iussi sunt: nostrū vero Pascha Christus est. Qui vt non iuxta legem inueniretur aduersarius, & circumcisus est, & legale pascha celebrauit primitus. sic illo discedente nostrum nouum operatus est. & hoc manifestum est in Euangelio secundum Matthæum. De mystica cœna loquens Euangelista sic quo-
que inquit: [a] Prima autem die azymorum accessere Discipuli ad IESVM, dicentes ei: a Matth. 26.
Vbi vis paremus tibi comedere pascha? qui ait: Ite ad ciuitatem ad quemdam, & dicite ei: Tempus meum prope est, apud te facio pascha cum Discipulis meis. Et post pusillum: Vespere autem facto discumbebat cum duodecim, & edentibus illis dixit: Amen amen dico vobis, quia vnus vestrum me traditurus est. Et post pusillum dicen-

Universidad de Deusto
Biblioteca

te Iuda: Numquid ego sum Rabbi? dicit ei: Tu dixisti. Hucusque o Dei homines vniuersa legalis paschæ sunt: deinde quæ mystici & nostri sunt, addidit Euangelista, & dixit: Edentibus autem illis, accepit IESVS panem, fregit, & dedit Discipulis suis, & dixit: Accipite & comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex eo omnes, hic est sanguis meus noui Testamenti. Dicendo enim, noui, ostendit quomodo ea, quæ veteris fuerunt Testamenti, cessauerunt. Aspicite quomodo panem corpus suum sub nouo Testamento vocauit, sicut viuificum, & plenum spiritu, & sicut caloris demonstratiuum. Vos quidem panem, nos arton dicimus. Artos autem interpretatur eleuatus, & sursum portatus, a fermento & sale calorem & eleuationem habens: azymæ autem nil distant a lapide sine anima, & luto lateris deorsum consumptæ terræ, & sicco luto comparatæ, quas cum amaritudinibus Moyses comedere miseris Iudæis semel in anno legem constituit, dicens: Quoniam malæ passionis & tribulationis symbola sunt, significatiuæ sunt: & nostrum Pascha gaudium, & lætitia totum est, & extollit nos ab humo propter gaudium ad cælum, sicut & fermentum propter proprium calorem panem, qui panis omni suauitate repletus est. Azymæ vero neque sal, neque fermentum habentes, lutum est aridum. Aut non audistis IESVM dicentem Discipulis suis, [a] quia vos estis sal terræ: & quoniam simile est [b] regnum cælorum fermento, quod accipiens mulier abscondit in farinæ satis tribus, vsque dum fermentaretur totum? Mulierem sanctam Ecclesiam vocat: satis vero tribus modijs repletis, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, quorum nequaquam lutulentæ azymæ sunt participes. Dicit enim & Dauid de Christo: [c] Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, qui ante Moysem & Abraham cæli & terræ, & ceterarum creaturarum agnoscens Dominum, exurgens obtulit illi panem & vinum. Ideo dicit diuinus Apostolus: [d] Quoniam si consummatio per Leuiticum sacerdotium erat, non secundum ordinem Melchisedech sacerdos Christus diceretur. Et quia translato sacerdotio, necesse est vt legis translatio fiat, quæ lex lutulenta constituit azyma Iudæis custodire. Idem ipse magnus Paulus ad [e] Corinthios prima Epistola de his loquens ait: Fratres, ego accepi a Domino, quod & tradidi vobis: quoniam Dominus in nocte qua tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite & comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. hoc facite in meam commemorationem. Similiter & de calice: Hic est calix nouum Testamentum in meo sanguine, hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem. Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis. Azymæ vero neque commemorationem habent Domini, neque mortem illius annuntiant: sicut Moysaicæ, & ante mille quadringentos annos ex lege constitutæ, & per nouum Testamentum, hoc est, per sanctum Euangelium, & per Christum maledictæ, & derelictæ.

a *Matth.* 5.
b *Luc.* 13.
c *Psal.* 109.
d *Hebr.* 7.
e 1. *Cor.* 11.

DE SABBATO CALVMNIA.

At sabbata vero quomodo in Quadragesima Iudaice obseruatis? Aut non audistis Euangelium [f] loquens, quia transeuntes Discipuli in sabbatis cœperunt iter agere, euellentes spicas, & comedentes? Dicebant autem Iudæi ad Christum: Vides quid isti faciunt in sabbatis? qui dixit: etiam. An nescitis quid egit Dauid cum esuriret ipse, & qui cum eo erant, quomodo intrauit in templum, & panes propositionis comedit? &c. Et quia sabbatum propter hominem factum est, non homo propter sabbatum. qui & dicebant: [g] Quoniam homo iste non est ex Deo, qui sabbatum non custodit. Et iterum loquente [h] Christo in sabbato, & ei qui manum aridam habebat, similiter & ei qui dæmonis [i] spiritum habebat, in sabbato mundato, & murmurantibus Iudæis, & multa dicentibus dicit Christus: Hypocritæ, vnusquisque vestrum non soluit asinum a præsepe, aut bouem suum, & ducit adaquare? Et paralytico similiter, quem sanum fecit. Et ideo hi, qui sabbata cum azymis custodiunt, neque Iudæi, neque Christiani sunt, sed similes sunt leopardo, sicut dicit magnus Basilius, cuius capilli nec nigri sunt, nec omnino albi.

f *Marc.* 2.
g *Ioan.* 9.
h *Matth.* 12.
i *Luc.* 13.

DE SVFFOCATIS SVPERSTITIO.

Quomodo autem & suffocata hi tales comedunt, in quibus sanguis tenetur? aut nescitis, quod omnis animalis [k] sanguis sit anima ipsius, & qui comederit sanguinem, animam comedit? Et idcirco secundum hoc nec Gentiles ex toto sunt: Illi autem occidunt, aut plagantes comedunt.

k *Gen.* 9.

Et

DE ALLELVIA OBIECTIO.

Et iterum: Alleluia in Quadragesima non psallitis, sed semel in Pascha tantummodo, quod interpretatur, Dominus venit, Laudate, Hymnum dicite, & benedicite eum. Ergo secundum hoc neque Domini Dominum, neque Benedictus qui venit, psallitis. Et istud vero Alleluia Hebraice dictum est. Cur tantam deceptionem horum talium non aspicitis, nec intelligitis, neque corrigitis populos, & vosmetipsos, sicut qui debent iudicari ex his a Deo? Non derelinquitis quod dicitur, quod hoc Petrus, & Benedictus, & Paulus, & ceteri docuerunt? decepistis vos ipsos, & populum in istis.

MIRA ARROGANTIA.

Quæ vero scripsi, ea sunt, quæ Petrus & Paulus & ceteri Apostoli, & Christus docuit, & sancta atque Catholica Ecclesia suscepit & custodit religiose, quæ & vos correcti custodite. Azyma vero, & custodias sabbatorum proijcite miseris Iudæis: similiter & suffocata barbaris gentibus, vt fiamus puri in recta & immaculata fide, & vnus grex vnius pastoris Christi. Cuius in cruce diuino sanguine inebriati laudamus puri pure Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, vniuersa Mosaicæ legis, & ab eo custodita derelinquentes sine Deo Iudæis, qui velut cæci perquirentes Christum, lumen amiserunt, permanentes in vmbra, sicut insipientes perpetuo.

DE VVLGANDA EPISTOLA.

Hæc autem, homo Dei, & multotiens ipse cum populo agnoscens docuisti esse, & correctus scripsisti multis similem consuetudinem habentibus, & vt habeas salutem animæ tuæ, mitte principibus sacerdotum, & sacerdotibus, & adiura, vt per hæc seipsos corrigant, & Dei populum, vt Dei mercedem in istis habeas: & si hoc feceris, propono & per secundam scriptionem maiora, & perfectiora his tibi scribere, fidei vera ostensione & firmamento animarum, pro quibus Christus posuit animam suã] hactenus epistola Michaelis Cerularij & Leonis Acridani Episcopi, vt vidisti ex ipsius titulo.

TEMPVS SCRIPTAE EPISTOLAE.

Porro hanc Michaelis & Acridani epistolã in Apuliam missam Humbertus S. R. E. Cardinalis Episcopus Siluæcandidæ acceptam Trani cum esset, in Latinum transtulit, detulitq. eam ad ipsum Leonem Pontificem: Ita quidem habet scriptus codex, in quo ista omnia descripta leguntur: Leo autem Papa ea perlecta, prolixam illam ad eumdem Michaelem & Leonem Acridanum epistolam scripsit, quæ inter cusas ipsius Leonis epistolas prima ordine ponitur. Vbi & ex nota temporis in ea appositã, hoc esse anno cõscripta cognoscitur, dum ait interuenisse mille & fere viginti annos a Christi passione vsque ad illud tempus, quo scribebatur epistola. Quod enim dicit, fere viginti, plane nondum fuisse viginti declarat. Etenim exordio sequentis anni iam fuisse viginti, ait in epistola data ad eumdem Michaelem mense Ianuario. A trigesimoquarto Christi anno incipere consueuisse Romanam Ecclesiam numerare ab eius passione annos, suo loco superius dictum est. Ex qua quidem Leonis Papæ epistola primum hic describemus, quæ spectant ad quæstionem de azymis, quo nomine illi damnassent Romanam Ecclesiam, simulq. Occidentales omnes: inde vero reliqua attingemus.

Quod enim ipsorum epistola (vt apparet) ad Tranensem Episcopum scripta de azymis, in primis in sugillationem Romanæ Ecclesiæ vertebatur, ipse Leo Pontifex sibi respondendi onus incumbere existimauit, & quod ad ea spectent, ista rescripsit, dicens: [a] Inde est totum illud, quod tandem cum indicibili contritione & gemitu cordis ac corporis effundimus, in quo omnia viscera Catholicæ matris concutiuntur, in quo omnes sensus Christianorum obtunduntur, in quo disciplina ecclesiastica, & sanctorum vigor canonum confunditur, ac calcatur, quia tu, charissime nobis & adhuc dicende in Christo frater & Antistes Constantinopolitane, tuq. Leo Acridane, dicimini Apostolicam & Latinam Ecclesiam noua præsumptione, atque incredibili audacia, nec auditam, nec conuictam palam damnasse, pro eo maxime, quod de azymis audeat commemorationem Dominicæ passionis celebrare. Ecce incauta reprehensio vestra, ecce non bona gloriatio vestra, quando [b] ponitis in cælum os vestrum, cum lingua vestra transiens in terra, humanis argumentationibus, & coniecturis antiquam Fidem confodere ac subuertere moliatur. Ecce iam post mille ac ferme viginti a Passione Saluatoris nostri annos incipit per vos discere Romana Ecclesia, qualiter memoria Passionis eiusdem sit recolenda, quasi nil ei contulerit præsentia, conuersatio, & diuturna institutio, seu qua clarificauit Deum, mors pretiosa illius venerabilis senis, cui specialiter Christus Filius Dei viui dicit: [c] Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui est in cælis. Non ergo perpenditis, quanta impudentia dicatur Pater, qui est in cælis, abscondisse a principe Apostolorum Petro

a *Leon. ep. 1. to. 3. epist. Roman. Pont. cap 5.*

IMMENSA TEMERITAS MICHAELIS CONSTANT. PATRIARCHAE.

b *Psal.* 72.
c *Matth.* 16.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cultum, siue ritum visibilis sacrificij per dispensationem Vnigeniti sui, cui persemetipsum plenissime reuelare dignatus est illud ineffabile arcanum inuisibilis diuinitatis eiusdem Filij sui? &c.] A

Quid insuper furore percitus egerit aduersus Latinos Michael, idem Leo Pontifex inferius ita significat: [a] Vos enim alloquimur, qui (sicut Dominus ait Pharisæis) tulistis clauem scientiæ, qui clauditis regnum cælorum ante homines, nec ipsi intrastis, nec alios intrare permittitis, sed potius prohibetis, dum matris venerandã faciem conspuere quæritis, dum eam insequimini conuiciis & maledictis, dum agnos eius ab ea segregare etiam anathemate, & flagellis, ne vocem maternam agnoscant, & sequantur, contenditis. Vt enim fertur, omnes Latinorum basilicas penes vos clausistis, monachis monasteria & Abbatibus tulistis, donec vestris viuerent institutis. Ecce in hac parte Romana Ecclesia quanto discretior & clementior vobis est? siquidem cum intra, & extra Romam plurima Græcorum reperiantur monasteria, siue ecclesiæ, nullum eorum adhuc perturbatur, vel prohibetur a paterna traditione, siue consuetudine; quin potius suadetur, & admonetur eam obseruare. Nec enim animositatem impiæ hæreseos habet, quæ semper diuisione gaudet, dicens per parricidam meretricem: [b] Nec mihi nec tibi sit, sed diuidatur. sed pietate veræ matris sic Salomonem deprecatur: Obsecro domine, date huic infantem viuum, & nolite interficere eum. scit namque, quia nihil obsunt saluti credentium diuersæ pro loco & tempore consuetudines, quando vna fides per dilectionem operans bona quæ potest, vni Deo commendat omnes &c.] B

ECCLESIAE ROMANAE BENIGNITAS.

[a] ead. ep. c. 29.

[b] 3. Reg. 3.

Quod autem pertinet ad obiectorum solutionem, alia se id facturum ipse Leo Papa epistola pollicetur, quod & præstitit, scribens ad eumdem Michaelem anni sequentis exordio, ipso Ianuarij mense, vt suo loco dicemus. cur autem id modo non faciat, sic se in fine excusat: Sed quia iam nunc videmur digressi modum epistolæ, alio exordio congruum censuimus respondere vestræ calumniæ, quam confratribus, & Coepiscopis nostris Appulis scriptam ad sugillationem nostri azymi, & prædicationem vestri fermenti, non dubitastis dirigere. Inter hæc dirigimus vestris cauillationibus refragantia venerabilium Patrum nostrorum aliqua super his scripta: deinde, vt Deus inspirabit, nostra rescripta, quatenus multipliciter vestra retundantur & retro ferantur iacula, & quem non vultis feriant. Nam si vos non erubescitis nec timetis de loquacitate; nos non tantum erubescere, quantum timere debemus de taciturnitate, quia de nostra multorum pendent animæ, quæ falsis fratribus calumniantibus, & nobis tacentibus, habent perire. Ista autem vobis paterna pietate, & germana dilectione interim rescribimus, in quibus satis declinasse nos credimus, ne in illud Salomonis incideremus: [c] Noli respondere stulto iuxta stultitiam suam, ne efficiaris illi similis. Verum si non respueritis, experiemini quod idem mox secutus ait: Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur, &c.] hæc de his, quæ spectant ad criminationem in Latinos omnes ingestam de azymis. C D

[c] Prou. 26.

Cum ea occasione (vt dictum est) idem sanctissimus Leo Papa scribens epistolam, luculenter de primatu Romanæ Ecclesiæ disputans, plane ipsum cum reliquis insanire demonstrat, qui in eius contemptum atque despectum cornua erigat. esset sane ipsa epistola hic integre describenda, sed quod cusa iam extet, oculis omnium patens, id facere prætermittimus. satis autem paucis complexam hic totius epistolæ reddere seriem. [d] Primum omnium vt pacis filius, pacem si accipere velint, insinuans benignus offert: [e] eam per schismaticos & hæreticos labefactari dolet, Ecclesiæ vnitatem commendat: [f] deplorat ipsorum procaciam in condemnando receptum vsum azymi in sacrificio Missæ: [g] Romanæ Ecclesiæ firmitatem, & auctoritatem in cunctis hæresibus damnandis ostendit, hæresesq. [h] numerat, quæ a Græcis inuentæ, ac propagatæ fuere: ipsos Episcopos Constantinopolitanos in transuersum actos; Romanam Ecclesiam a nemine iudicari debere demonstrat: [i] ex priuilegio, quod dicitur Constantini, multa depromit: [k] quodq. sua priuilegia Ecclesia Apostolica per Petrum accepit a Christo: [l] contra vero exprobrat Ecclesiæ Constantinopolitanæ leuitatem in ordinandis eunuchis eius Episcopis, locoq. vnius ex ijs ordinatam fuisse feminam ferri; eidemq. arroganti sibi primatum, & deroganti Ecclesiæ Romanæ omnium matri, pœnas ingerit, quas Deus filijs de matre male merentibus est comminatus. E

[d] Leo ep. 1. e. 1. SERIES TOTIVS LEONIS EPISTOLAE.
[e] ead. ep. c. 2. 3.
[f] ibid. c. 5. 6.
[g] ibi. c. 7. 8. 9. 10
[h] ibid. c. 10. 11.
[i] ibi. 12. 13. 14.
[k] ibi. c. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21
[l] ibi. c. 22. 23. 24. 25. 26. 27.

Insuper

Insuper de beneficijs ipsi Constantinopolitanæ Ecclesiæ ab Ecclesia Romana collatis agens, ita illi impartita tradit, vt salua voluerint Romani Pontifices iura antiquæ Patriarchalium ecclesiarum: quæ quidem hic totidem sunt reddenda verbis, quod agatur de re grauissima. ait enim: [a] Sed ecce iam non debet ingrata filia apparere, quia præ ceteris eam honorare dignata est mater sua. Nam cum nullo diuino vel humano priuilegio honorabilior, seu clarior alijs ecclesijs Constantinopolitana existat Ecclesia, & Antiochena, atque Alexandrina ob reuerentiam Principis Apostolorum inter alias retentent dignitatis iura: tamen pia mater, Romana scilicet Ecclesia, nolens dilectam filiam dote honorificentiæ ex toto carere, per beatos prædecessores nostros in aliquot Synodis curauit decernere, vt salua principalium & Apostolicarum sedium antiqua dignitate, Constantinopolitanus Antistes honoraretur, sicut regiæ ciuitatis Episcopus; quamuis Iustinianus religiosus Augustus legibus humanis voluisset astruere, vt post Papam Romanum sedeat Constantinopolitanæ Præsul Ecclesiæ. Et certe hoc nulla alia excellentia meritorum est assecuta, nisi quod Romana Ecclesia pro amore venerabilis Constantini seipsam quantum in eo fuit, honorantis, & exaltantis, ciuitatem ipsius hoc priuilegio honoris sola humana beneuolentia insigniuit, iuxta *Prophetæ dictum ad Heli: [b] Glorificantem me glorificabo: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Aut si quod aliud retinet, aut putat se habere dignitatis priuilegium; vos rebelles lumini ac veritati, & signiferi vmbræ & vanitatis proferte in medium] hæc de priuilegijs eius Ecclesiæ, quibus eius Episcopi vane gloriarẽtur, cum Iustiniani non esset ista decernere. At quam sint minus tutæ veritatis, quæ de his decreto donationis Constantini leguntur apposita, suo loco superius est demonstratum. Appareat ex his etiam, minime fuisse concessa, quæ a Ioanne Vigesimo Romano Pontifice obtinere conatos esse Græcos, superius hoc eodem Tomo est declaratum. A B C

INANIA PRAESVMPTA ET NON VERA PRIVILEGIA CONST. ECCL.

[a] Leo ep. 1. c. 28

* iuxta Dei per Prophetã dictũ

[b] 1. Reg. 2.

His inculcatis, ipsorum [c] Pontifex exprobrat ingratitudinem: improbat vero multo magis, quod ipse Michael ex laico peruaserit eius Ecclesiæ thronum, quem multa arrogantia possideret. Ad Romanam rursum cathedram stylo recurrens, hæc de ipsius sõlius perpetua ingerit firmitate: [d] Romanæ Ecclesiæ Fides per Petrum super petram ædificata, nec hactenus deficit, nec deficiet in sæcula, Christo eius Domino rogante pro ea, ceu testatur sub ipsa passione sua: [e] Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua; & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Quo dicto demonstrauit, fidem fratrum vario defectu periclitandam, sed inconcussa, & indeficiente fide Petri, velut firmæ anchoræ subsidio figendam, & in fundamento vniuersalis Ecclesiæ confirmandam. Quod nemo negat, nisi qui euidenter hæc ipsa verba veritatis impugnat. Quia sicut cardine totum regitur ostium; ita Petro, & successoribus eius totius Ecclesiæ disponitur emolumentum. Et sicut cardo immobilis permanens ducit & reducit ostium; sic Petrus, & sui successores liberum de omni ecclesia habent iudicium, cum nemo debeat eorum dimouere statum, quia summa Sedes a nemine iudicatur. vnde clerici eius Cardinales dicuntur, cardini vtique illi, quo cetera mouentur, vicinius adhærentes &c.] ex quibus & inferius auream plane sententiam istam infert: [f] Quisquis Romanæ Ecclesiæ auctoritatem, vel priuilegia euacuare, seu imminuere nititur, non hic vnius ecclesiæ, sed totius Christianitatis subuersionem, & interitum machinatur. Cuius enim compassione, vel sustentatione respirabunt filiæ a quouis oppressæ, vnica illa suffocata matre? cuius refugium appellabunt? ad quam confugium habebunt? &c.] præmonens, [g] quod etsi successores Petri non sint meritis sicut Petrus, tamen indignum sentire, vt quod Deus tribuit cathedræ Moysi, negauerit cathedræ Petri, cum ipse IESVS sedentibus super cathedram Moysi, licet longe virtutibus degeneres essent, parendum tamen esse præceperit. Demum vero monens eos cauere superbiam, & arrogantiam, debitum locum tenere suadet: quod si non faciant, diu toleratos amplius ferendos non esse, sed pœna plectendos, quam differat spe correctionis ipsorum. hisq. claudit epistolam. Ex qua apud [h] Gratianum fragmenta aliqua inuenies recitata. D E

ROMANA ECCLESIA CARDO VNIVERSALIS ECCLESIAE.

[c] ead. ep. c. 30. 31. 32.

[d] ibid. c. 32.

[e] Luc. 22.

[f] Leon. ep. 1. c. 36

[g] ibid. c. 34. 35.

[h] c. fecit sancta. 12. dist. & c. triduo de consecr. dist. 1.

Michael vero his acceptis litteris, videri volens eiusdem esse cupidus vnitatis, & pacis, atque renouandæ cum Ecclesia Romana concordiæ, ad ipsum Leonem Pontificem hoc eodem anno conciliatrices pacis litteras scripsit, siue sponte permotus, siue persuasione Imperatoris, qui videns Northmannos iam magna parte potitos Apuliæ,

Universidad de Deusto
Biblioteca

IMP. CONSTANTINVS LABORAT PRO VNITATE ECCLESIARVM.

inhiareq. ad reliquam partem, necnon ad proximam illi prouinciam Calabriam: quibuſcumque potuit demereri gratiam Romani Pontificis, laborauit, probe ſciens eius arbitratu arma pendere Principum Occidentalium, potiſſimum vero Henrici Imperatoris. quapropter cum litteris, tum legatione egit apud eumdem de ſancienda inter Græcos Latinoſq. poſt tot diſſidia vnitate: vtq. idipſum litteris ageret Patriarcha Conſtantinopolitanus apud eumdem Leonem Papam, effecit. Qui cum rem tractaret non ex animo, ſed coacte, ſub pacis inuolucro acriora diſſidia occultauit, dum faſtu magno, arrogantiaq. ſumma rem ageret. ſed quales fuerint litteræ hoc anno tum ab Imperatore, tum a Patriarcha Michaele datæ ad Leonem Pontificem, ex litteris ad ipſos anni ſequentis exordio redditis, melius poterimus intelligere, cum eas ſuo loco poſitas perlegerimus. Pontifex enim his ab eis acceptis litteris, ad Imperatorem Conſtantinopolim honorificam mittendam anni ſequentis principio legationem ornauit: quæ autem tractaturus, ex litteris recitandis accipies.

EPISC. CARTHAGINENSIS APPELLAT ROM. ECCLES.

Hoc eodem anno menſe Decembris, inchoata iam Indictione ſeptima menſe Septembri, idem Pontifex Leo reſcripſit ad Epiſcopum Carthaginenſem, appellantem Romanæ Sedis auctoritatem. Quæ quidem epiſtola cum ſtatum infelicem Eccleſiæ Africanæ contineat, hic eam totidem verbis reddendam, dignum exiſtimamus. ſic enim ſe habet:

a Leo. ep. 3. to. 3 epiſt. Rom. Pont.

Leo[a] Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Thomæ confratri chariſſimo, & Coepiſcopo *Carthaginenſi* ſalutem.

Cum ex venerabilium canonum auctoritate recolimus, ducentos quinque Epiſcopos Concilio interfuiſſe Carthaginenſi, & nunc a tua fraternitate audimus, quinque vix Epiſcopos ſupereſſe in tota Africa, vtique tertia huius corruptibilis mundi parte: C

STATVS ECCL. AFRICANAE.

compatimur tantæ veſtræ imminutioni totis viſceribus animi. Cum autem ipſas Chriſtianitatis reliquias ediſcimus interna & mutua diſſenſione diſcindi & diſpergi, & aduerſus ſe inuicem zelo & contentione principatus inflari: nil aliud nobis primo dicendum occurrit, quã illud ſancti Amos vatis: *b Amos 7.* [b] Parce Domine, parce obſecro. quis ſuſcitabit Iacob, quia paruulus eſt? ſed quamuis in tali tantoq. defectu religionis plurimum doleamus; multum tamen gaudemus, quia ſanctæ Romanæ Eccleſiæ matris veſtræ ſententiam requiritis, & expectatis ſuper quæſtionibus veſtris, & quaſi riuulis ab vno fonte erumpentibus, & in ſuo ſe curſu per diuerſa ſpargentibus, ad ipſius fontis primã ſcaturiginem reuerti debere, optimum putatis, vt inde reſumatis directionis veſtigium, vnde ſumpſiſtis totius Chriſtianæ religionis exordium.

Noueris ergo procul dubio, quia poſt Romanum Pontificem primus Archiepiſcopus, & totius Africæ maximus Metropolitanus eſt Carthaginenſis Epiſcopus: nec, quicumque ſit ille Gummitanus Epiſcopus, aliquam licentiam conſecrandi Epiſcopos, vel deponendi, ſeu prouinciale Concilium conuocandi, habet ſine conſenſu Carthaginenſis Archiepiſcopi, cuiuſlibet dignitatis, aut poteſtatis ſit, exceptis his, quæ ad propriam parochiam pertinent: cetera autem, ſicut & alij Africani Epiſcopi, conſilio Carthaginenſis Archiepiſcopi aget. Vnde chariſſimi confratres noſtri & Coepiſcopi Petrus, & Ioannes recte ſentiunt de Carthaginenſis eccleſiæ dignitate, nec conſentiunt errori Gummitanæ eccleſiæ. Hoc autem nolo vos lateat, non debere præter ſententiam Romani Pontificis vniuerſale Concilium celebrari, aut Epiſcopos damnari, vel deponi: quia etſi licet vobis aliquos Epiſcopos examinare; definitiuam tamen ſententiam abſque conſultu Romani Pontificis (vt dictum eſt) non licet dare. quod E in ſanctis canonibus ſtatutum ſi quæritis, poteſtis inuenire. Quamuis enim omnibus generaliter Apoſtolis dictum ſit a Domino: *c Matth. 18.* [c] Quæcumque ligaueritis in terra, ligata erunt & in cælo: & quæcumque ſolueritis in terra, ſoluta erunt & in cælo: tamen non ſine cauſa ſpecialiter & nominatim dictum eſt beato Petro Apoſtolorũ principi: *d Id. 16.* [d] Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claues regni cælorum. & in alio loco: *e Luc. 22.* [e] Confirma fratres tuos, ſcilicet quia omnium eccleſiarum maiores & difficiliores cauſæ per ſanctam & principalem beati Petri Sedem a ſucceſſoribus eius ſunt definiendæ.

Iam vero quia ad interrogata etiam confratrum noſtrorum Petri & Ioannis Epiſcoporum decreuimus reſpondere, optamus vt ſanctam tuam fraternitatem iugiter inuigilantem vtilitatibus ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ, atque deuote pro nobis orantem ſanc-

ta &

A cta & indiuidua Trinitas ſemper conſeruet, chariſſime frater. Datum xvj. Kalend. Ianuarij, anno domini Papæ Leonis Noni quinto, Indictione ſeptima.]

Dedit enim & alias litteras[a] eiuſdem argumenti ad eoſdẽ Petrum & Ioannem Epiſcopos Africanos, quibus pariter infelicem ſtatum Eccleſiæ Africanæ deplorat, eisq. declarat, velle eſſe integra priuilegia eccleſiæ Carthaginenſis, ſiue (vt ait) Carthago deſerta iaceat, ſiue reſurgat glorioſa aliquando, vtpote, quæ ſola ex eccleſijs Africanis habere conſueuerit pallium ab Apoſtolica Sede. Sane quidem, quod Gummitanus Epiſcopus inſurgeret aduerſus Carthaginenſem, inde ſibi vindicabat qualemcumque rationem, quod ſcilicet Carthago deſolata iaceret, vt videretur cum mœnibus pariter corruiſſe eiuſdem eccleſiæ auctoritas, & poſſeſſa antiquitus priuilegia: quod penitus negans, eidem eſt refragatus Leo Romanus Pontifex (vt audiſti) volens antiquam B eccleſiam cum mœnibus non perire. En quo deuenit infelix Eccleſia Africana ex Donatiſtarum ſchiſmate ſæpe curato, numquam ſanato, a Deo tot ſæculis tolerato, cum tandem hoſtibus e longe vocatis, impijs & crudelibus Mahometanis deſolanda penitus tradita, ipſa æmula Romæ Carthago, vel vbi fuerit, vix poſſit oſtendi ex paucis veſtigijs, frutetis obductis. ſic enim nec ipſæ ſtare potuerunt eccleſiæ, vbi a cardine defecerunt, & ſuper petram eſſe, ſchiſmate deſtiterunt. Quod vtinam non eſſet alijs pleriſque exemplis in alijs eccleſijs facile demonſtrare, cum ecce totus fere Oriens ex auulſione a Romana Eccleſia facta, magna ira Dei Turcarum gladio vindici traditus, fruſtra luget, nolens intelligere, tanti mali vnde manat, originem. Sed ad boreales eccleſias iam conuertamus orationem.

a Leo ep. 4. tom. 3. ep. Rom. Pont.

STATVS ECCL. CARTHAGINENSIS.

Inter hæc autem Rex Danorum, ne ſubijceretur Archiepiſcopo Hamburgenſi, age- C re cœpit cum Leone Romano Pontifice, vt in regno ſuo Archiepiſcopalem ſedem erigeret. quod vbi accepit Adalbertus Archiepiſcopus Hamburgenſis, potentiſſimus apud Imperatorem & Papam, agere cœpit de erigenda Hamburg in Patriarchatum. Sed dum iſta æmulis ſtudijs agerentur, & in multum temporis ſpacium differrentur, contigit ipſum Leonem Romanum Pontificem mori. de his agens Adam ſuorum temporũ ſcriptor, hæc habet: [b] Metropolitanus igitur his rerũ ſucceſſibus eleuatus, & quod Papam, vel Cæſarem ſuæ voluntati pronos videret, multo ſtudio laborauit in Hamburg Patriarchatum conſtituere. Ad quam intentionem primo ductus eſt ea neceſſitate, qua Rex Danorum, Chriſtianitate iam in fines terræ dilatata, deſiderauit in regno ſuo fieri Archiepiſcopatum. Quod tamen vt perficeretur, ex auctoritate Sedis Apoſtolicæ, conuenientibus canonum decretis, prope ſancitum eſſet: ſola expectaba- D tur ſententia noſtri pontificis, *ipſius ſcilicet Archiepiſcopi Hamburgenſis.*

DISSIDIA INTER REGEM DANIAE ET ARCHIEP. HAMBVRG.

b Adam lib. 3. cap. 34.

Quam rem ille, ſi Patriarchatus honor ſibi & eccleſiæ ſuæ concederetur Romanis priuilegijs, fore vt conſentiret, promiſit, quantumlibet inuitus. Diſpoſuit vero Patriarchatui ſubijcere duodecim Epiſcopatus, quos ex ſua diuideret parochia, præter eos Suffraganeos, quos in Dania, ceterisq. gentibus noſtra tenet eccleſia] numerat illos Adam, atque ad poſtremum, cur id minime fuerit effectum, hæc adijcit: [c] Interea conditionibus vtrimque protractis, ſanctiſſimus Papa Leo migrauit] quod contigit anno ſequenti. Cum vero videret Rex Danorum non ob id, quod in ſuo regno ſedes Archiepiſcopalis conſtitueretur, liberaretur eccleſia illa a dominio Antiſtitis Hamburgenſis in Patriarcham erigendi: a cœpto deſtitiſſe viſus eſt. neque enim defuncto Leone, eſſe proſecutum negotium apud eius ſucceſſores Romanos Pontifices, litteræ E Gregorij Papæ Septimi ad eum ſcriptæ ſignificant. Porro poſt hæc ipſum Adalbertum inanis gloriæ cupidiſſimum in tranſuerſum actum, atque cuncta ipſius in deteriora dilapſa demõſtrat, & inter alia cum addit: [d] Acceſſerunt quotidie alij gnathones, paraſiti, ſomniatores, & rumigeruli, qui ea, quæ ipſi confinxerunt, nobisq. placitura rebantur, iactabant ſibi per Angelos reuelata, iam publice diuinantes, Hamburgenſem parochũ (ſic enim voluit vocari) cito Papam futurum, æmulos ſuos a Curia pellendos, ipſum vero ſolum diuq. Rempublicam gubernaturum, atque ita fieri longæuum, vt quinquaginta annos excederet in Epiſcopatu. poſtremo per illum virum quædam aurea ſæcula orbi ventura. Et quidem licet ficte, & ab adulatoribus pro quæſtu promitterentur; Epiſcopus tamen, quaſi de cælo ſonuiſſent, vera omnia putabat &c.] ita potens & fallax rete diaboli, quo plurimos vidimus illaqueatos. ſed de his ſatis: ad res Hiſpaniæ.

CVR A COEPTIS DESTITIT REX DANIAE.

c Id. lib. 3. c. 35.

d Id. lib. 3. c. 43.

Eodem anno corpus ſancti Iſidori Hiſpalenſis Epiſcopi tranſlatum Legionem a Le-

Universidad de Deusto
Biblioteca

S. ISIDORI CORPVS TRANSLATVM LEGIONEM.

gatis Ferdinandi Regis, sanctæ Iustæ martyris corpus expoſcentibus, qui res Hiſpaniarum ſunt proſecuti, ſignificant, multaq. in via miracula edita, fidem faciunt. collocata vero ſunt ſacra pignora in baſilica, in honorem ſancti Ioannis Baptiſtæ ab eodem Rege erecta, poſtea ſancti Iſidori nomine celebrata. iſta Tudenſis & alij. Cum interea idem Rex Ferdinandus his operibus conciliato ſibi numine, maioribus in dies acceſſionibus regnum feliciter propagaret, iure Magni cognomentum eſt conſecutus.

ARDERICVS NOVATOR ABLICITVR.

Inter hæc autem in Hibernia Ardericus, qui magnam de ſe ſanctitatis opinionem concitauerat, vbi repertus eſt a receptis in Eccleſia ritibus diſſentire: ab Inſula tenaciſſima Catholicæ fidei eiectus eſt. Cum enim viderent Fideles, hunc ipſum pueros & puellas clericorum more tondere in modum coronæ, & contra Apoſtolum, [a] feminas non velare debere caput, aſſerere; iudicarunt, ſtultitiæ & leuitatis, vel (quod deterius eſt) magnæ eſſe ſuperbiæ indicium, antiquis Eccleſiæ vſibus, ac traditionibus non acquieſcere.

a 1. *Cor.* 11.

IESV CHRISTI ANNVS 1054. LEONIS IX. PAP. ANNVS 6. HENRICI II. IMP. 8. CONST. MONOM. IMP. 12.

LEGATIO MISSA A LEONE PAPA CONSTANTINOPOLIM.

MILLESIMO quinquageſimoquarto Chriſti anno, Indictione ſeptima, Leo Papa Legatos Conſtantinopolim miſit, tum pro bello conficiendo aduerſus Northmannos, tum etiam pro eccleſiaſtica pace inter Latinos atque Græcos concilianda. qui autem ad id muneris obeundũ delecti ſunt, duo fuere Cardinales, nempe Humbertus Epiſcopus Siluæcandidæ, Fridericus Archidiaconus & Cancellarius, & Petrus Archiepiſcopus Amalphitanus. meminit Legationis huius Leo Oſtienſis, res ſui temporis proſecutus; ſicq. ſummatim ingens negotium abſoluit: [b] Eodem, inquit, anno, *nempe milleſimo quinquageſimoquarto*, gratia concordandi Romanam Conſtantinopolitanamq. Eccleſiam, *Leo Papa* prudentiſſimos viros ad Imperatorem Conſtantinum cognomento Monomachum Apocriſarios miſerat, Fridericum ſcilicet Cancellarium ſuum, & Humbertum Epiſcopum Siluæcandidæ, & Petrum Archiepiſcopum Amalphitanum. Qui ad *Caſinenſe* monaſterium primitus aduenientes, ac ſe Fratribus deuote commendantes, ita demum viam ſuam profecti ſunt. Eos Imperator honorifice ſuſceptos aliquamdiu ſecum in palatio tenuit. Quo tempore pleraſque Græcorum hæreſes corrigere ſtudentes, Patriarcham tandem Michaelem, & Leonem Acridanum Epiſcopum, omnesq. illorum complices auctoritate Apoſtolica damnarunt. Sed cum intra hos dies defuncto iam Papa redire diſponerent, regijs illos donis ſecutus Imperator, beato quoque Petro munera per eos haud parua tranſmiſit. Illorum inſuper precibus binas auri libras huic monaſterio ex redditibus regijs dari ſingulis annis inſtituit] hæc Leo, breuiter ſummam rerum geſtarum complexus.

b Leo Oſt. lib. 2. cap. 89.

At tanti negotij res ſingulas ſigillatim referre, operæpretium exiſtimamus, atque in primis Leonis litteras, ijſdem Legatis datas tum ad Imperatorem, tum ad Patriarcham hic deſcribere, quibus legationis huius mittendæ occaſio aperitur. quæ enim ad Imperatorem datæ ſunt a Leone Papa litteræ, ſic ſe habent: [c]

c Leo ep. 7. to. 3. ep. Rom. Pont.

LEONIS PAP. EPIST. AD IMPERATOREM.

Leo Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei glorioſo & religioſo Imperatori nouæ Romæ Conſtantino Monomacho dilecto filio ſalutem.

Quantas gratias referre iugiter debeamus creatrici & gubernatrici omnium ſanctæ & indiuiduæ Trinitati ſuper inenarrabili dono eius, quo operatur omnia in omnibus: etiam ex tua deuotione, & religioſa induſtria, glorioſiſſime fili atque ſereniſſime Imperator, perpendere poſſumus, qui te talem noſtris exhibuit, & gratuita pietate prouidit diebus, cuius fida ope ſtatum ſanctæ & Catholicæ Eccleſiæ releuari, & terreni Imperij Rempublicam meliorari confidamus. Tu enim poſt nimium longas & pernicioſas diſcordias primus pacis & concordiæ monitor, * portitor, & exoptatus exactor efficeris, & cum ipſo vaſe electionis humillimo Paulo dicere videris: [d] Pro Chriſto legatione fungentes, tamquam Deo exhortante per nos, exhortamur, reconciliamini propter eum, [e] qui eſt pax noſtra, qui facit vtraque vnum. Etenim velut religioſa & egregiæ indolis proles gemitus matris tuæ non obliuiſceris, nec contemnendam quia ſenuit, ſed potius reuerendam arbitraris, atque plenis charitate viſceribus ad eam

redire

* petitor.

d 2. *Cor.* 5.

e Epheſ. 2.

redire meditaris, vt vni Deo & Patri omnium tanto fias charior & propinquior, quanto eidem principali matri benignior atque humilior. Neque enim tuam prudentiam latet, quod in Eccleſiaſtico habetur: [a] Benedictio patris firmat domos filiorum: maledictio autem matris eradicat fundamenta. & illud: [b] Ne dimittas legem matris tuæ, liga eam in corde tuo iugiter. Quæ vtique prouerbia magis curant nobis commendare matrem, quæ ad æternam vitam nos generat & erudit, quam illam, quæ ad mortem parit, & carnaliter diligit & inſtruit. cui niſi illa ſucceſſerit, vt regeneret & refoueat, iſta procul dubio ſecundæ morti filios ſuos deſtinat.

a Eccl. 3.

b Prou. 1.

Porro hæc Catholica mater & incorrupta virgo, quamuis omnem terram, & fines orbis occupauerit membris ſuis, & repleuerit; tamen vnum caput omnibus reuerendum & ſuſcipiendum exerit & prætendit. Quod quicumque exhonorat, fruſtra ſe in ipſius membris computat. Illud autem quid ſit, tua Imperialis claritas omnino nouit: illud nimirum, quod Chriſti vox prætulit, & præeminere voluit vniuerſis, & ſubſequens Eccleſiæ pietas, & generalis ſanctorum Patrum conſenſus iugiter hactenus celebrauit. Cuius venerabilem faciem tu quoque honorificare diſponis, non ingratus illi, qui tuum verticem diademate terreni principatus decenter inſigniuit, & tremendum, & amandum populis effecit, & vt in ſempiternum regnes, chriſmate adoptionis inunxit, nempe ipſa antiqua & iam emerita Roma illum primum nobiliſſimum & religioſiſſimum Conſtantinum, cuius genealogia gloriaris, & potentia magnificaris, cuiusq. de nomine dictam vrbem famoſam Regis temporaliter edidit, nutriuit, prouexit, & ſuper omnes mortales conſtituit, nec a beneficijs ceſſauit, donec eumdem æterni regni gloria cumulauit.

Vnde multimoda gratiarum actione tuam excellentiam, glorioſiſſime fili, magnificando, tanto maiori ſuper tua deuotione & recognitione replemur gaudio, quanto copioſior animarum numerus ex tuo regimine pendet, tuoq. innititur exemplo. Et ideo non ceſſamus orare communem Dominum, per [c] quem Reges regnant, & Principes iuſta decernunt, vt in ſuo beneplacito te conſeruet longæuum, & compleat in bonis deſiderium tuum. Porro ego ipſe qualiſcumque Apoſtolicæ Vicarius Sedis, pro modulo humilitatis meæ & poſſibilitatis ſupplere laborans vicem mihi commiſſæ diſpenſationis, ſecundum Deiloquum Paulum: [d] Væ mihi eſt, ſi non euangelizauero: neceſſitas enim mihi incumbit maxima, poſituro rationem æterno & diſtricto Iudici propter vnius regimen Eccleſiæ, de omnium eccleſiarum merito.

c Ibid. 8.

d 1. *Cor.* 9.

DE NORTHMANNORVM TYRANNIDE.

Illa ergo ſollicitudine, qua omnibus eccleſijs debeo inuigilare, videns indiſciplinatam & alienam gentem incredibili & inaudita rabie, & plus quam pagana impietate aduerſus eccleſias Dei inſurgere, paſſim Chriſtianos trucidare, & nonnullos nouis horribilibusq. tormentis vſque ad defectionem animæ affligere, nec infanti aut ſeni, ſeu femineæ fragilitati aliquo humanitatis reſpectu parcere, nec inter ſanctum & profanum aliquam diſtantiam habere, Sanctorum baſilicas ſpoliare, incendere, & ad ſolum vſque diruere: ſæpiſſime peruerſitatem eius redargui, commonui, obſecraui, prædicaui, opportune, importuneq. inſtiti, terrorem diuinæ & humanæ vindictæ denuntiaui. ſed quia Sapiens ait: [e] Nemo poteſt corrigere quem Deus deſpexerit. &: Stultus non corrigitur: adeo obdurata & obſtinata eius malitia permanſit, vt de die in diem adderet peiora peſſimis. Vnde non tantum exteriora bona pro liberatione ouium Chriſti cupiens impendere, ſed ſuperimpendi ipſe peroptans; viſum eſt mihi ad teſtimonium nequitiæ eorum, vel ſi ſic expediret, ad repreſſionem contumaciæ humanam defenſionem vndecumque attrahendam fore, audiens ab Apoſtolo, [f] Principes non ſine cauſa gladium portare, ſed miniſtros Dei eſſe, vindices in iram omni operanti malum: & quia Principes non ſunt timori boni operis, ſed mali; & Reges, atque Duces miſſos a Deo ad vindictam malefactorum.

e Eccl. 7.

f Rom. 13.

LEONIS PAP. QVID ANIMVS IN BELLO GERENDO.

Suffultus ergo comitatu, qualem temporis breuitas, & imminens neceſſitas permiſit, glorioſi Ducis & Magiſtri Argyroi fideliſſimi tui colloquium & conſilium expetendum cenſui, non vt cuiuſquam Northmannorum, ſeu aliquorum hominum interitum optarem, aut mortem tractarem, ſed vt ſaltem humano terrore reſipiſcerent, qui diuina iudicia minime formidant. Interea nobis eorum pertinaciam ſalutari admonitione frangere tentantibus, & illis ex aduerſo omnem ſubiectionem ficte pollicentibus, repentino impetu comitatum noſtrũ aggrediuntur. ſed adhuc de victoria ſua

potius

Universidad de Deusto
Biblioteca

potius tristantur, quam lætentur. Sicut enim tua pietas scribere curauit ad nostram consolationẽ, pro ista sua præsumptione maiorem in proximo expectant sibi superuenturam indignationem post illam, quam experti sunt suæ cateruæ diminutionem. Nos quoque diuinum adiutorium nobis affore, & humanum non defore credentes: ab hac nostra intentione liberãdæ Christianitatis non deficiemus, nec dabimus requiem temporibus nostris, nisi cum requie sanctæ Ecclesiæ periclitantis. Ad quam acquirendam & obtinendam habemus maximum ex diuina pietate solatium & præsidium, charissimum atque clarissimum filium nostrũ Imperatorem Henricum, cuius de die in diem expectamus promissum & proximum aduentum, vtpote cum procinctu, & expeditione Imperiali properantis ad nostrum subsidium. ad quod etiam superna gratia tuam serenitatem animauit, vt hinc inde vobis duobus, veluti totidem brachijs, inimicam gentem ab Ecclesia Christi propellentibus, & procul effugantibus, afflictæ nunc Christianitatis releuetur decus, & Reipublicæ reformetur status.

STATVS ROM. ECCL.

Et quia abundante iniquitate, & refrigescente charitate, sancta Romana Ecclesia & Apostolica Sedes nimium diu obsessa fuit mercenarijs, & non pastoribus, a quibus sua, & non quæ sunt IESV Christi, quærentibus, deuastata iacebat miserabiliter hactenus: diuinum consilium voluit meam humilitatem suscipere tantæ cathedræ pondus. quo licet plurimum mei imbecilles prægrauentur & deprimantur humeri: non parum mihi subest sanctæ spei, quandoquidem ex vtroque latere tales astant filij, religione & potentia præclarissimi. Quapropter deuotissime fili & serenissime Imperator, collaborare nobis dignare ad releuationem tuæ matris sanctæ Ecclesiæ, & priuilegia dignitatis atque reuerentiæ eius, nec non patrimonia recuperanda in tuæ ditionis partibus, sicut manifeste cognoscere poteris ex venerabilium prædecessorum nostrorum, seu tuorum scriptis & gestis. Tu ergo magnus successor Magni Constantini sanguine, nomine, & Imperio factus, vt fias etiam imitator deuotionis eius erga Apostolicam Sedem, exhortamur: & quæ ille mirabilis vir post Christum eidem Sedi contulit, confirmauit, atque defendit; tu iuxta tui nominis etymologiam constanter adiuua recuperare, retinere & defendere. Ita enim apud Deum singulariter pugnans cognominaberis *Monomachus*, quod iamdudum inter homines cognominaris. Hoc sane glorioſissimus filius noster Henricus perficere molitur in suis partibus. Quæ omnia nobis & vobis prouenient felicius, & multiplicius, vbi quantocyus, Dei gratia præueniente, & beatissimis Apostolorum Principibus interuenientibus, & me qualicumque Vicario eorum mediante & obtinente, firmissimũ pacis & amicitiæ inter vos ambos componetur fœdus.

DE CONATV MICHAELIS EPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI.

Præterea confrater noster Archiepiscopus Michael exhortatorias ad concordiam & vnitatem direxit nobis litteras; quem ad tam optabile & necessarium bonum præmonentem tanto necesse est nos deuotius & alacrius suscipere, quanto perspicacius consideramus, non posse computari inter Discipulos Christi aliquem, qui fraternæ paci dedignatur acquiescere, Domino suis dicente: [a] In hoc cognoscent omnes, quia mei estis Discipuli, si dilectionem habueritis ad inuicẽ. & magno Paulo sic protestante: [b] Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. sed nouerit tua claritas super præsumptionibus eius multa & intolerabilia iamdudum peruenisse ad aures nostras, qualiter etiã aperta persecutione in Latinam Ecclesiam exardescens, anathematizare non timuit omnes, qui sacramenta attrectant ex azymis: & quod Alexandrinum & Antiochenũ Patriarchas antiqua dignitate sua priuare contendens, contra fas, & ius sibi subdere noua ambitione appetit, & pleraque, quæ vsurpare dicitur, sicut a nostris Nuntijs diligenter cognoscere poteris. In quibus, si (quod absit) pertinax fuerit, pacem nostram nullatenus retinere poterit, quia procul dubio [c] ad nos reuertetur (sicut Dominus dicit) si ille noluerit esse filius pacis. vnde & Apostolus: [d] Si fieri, inquit, potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Siquidem in vano patrem familias honorat, qui vxorem eius exhonorat: & frustra matris familias caput & faciem magnificat, qui vel minimos filiorum eius impugnans, velut digitos pedum eius conculcat. Contra quem Sapientia Dei in Ecclesiastico sic intonat: [e] Quam malæ famæ est qui fugit patrem, & est maledictus a Deo qui exasperat matrem: confidimus tamen, quod præueniente gratia Dei inuenietur innoxius ab his, aut correctus, aut cito resipiscet admonitus, & efficietur non qualis dicitur, sed qualis a nobis pie desideratur & speratur.

a Ioan. 13.
b Hebr. 12.
c Luc. 10.
d Rom. 12.
e Eccli. 3.

Hinc

Hinc iam tuæ gloriæ præsentes filios nostros, sanctæq. Romanæ & Apostolicæ Sedis Nuntios per omnia commendamus, quatenus, vt decet, liberaliter suscipiantur, reuerenter habeantur, benigne & honeste tractentur, rationabiliter, patienterq. audiantur, atque quantocyus nobis laudabiliter remittantur; ne tantum laborem illos frustra arripuisse pigeat, & nos mandasse pudeat. Porro ex Amalphitano Episcopo nulla tibi suboriatur suspicio, quia Romanus est omnino, & ab Amalphitanis discedens, familiariter nobiscum viuit iam pene anno integro. *Salutatio*. [a] Benedictus Deus & Pater Domini nostri IESV Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis dignetur tuam excellentiam benedicere omni benedictione spirituali, repleatq. omni gaudio, & pace, vt in præsenti sæculo per longa tempora feliciter domineris, & in futuro sine fine cum Rege Regum, & Domino dominantium regno cælorum beate perfruaris, honorabilis & desiderabilis nobis in Christo fili & glorioſe Auguste. Amen] Licet autem, quando data sit, non appareat signata dies, tamen ex epistola per eosdem Legatos data ad Michaelem Patriarcham, hoc anno, mense Ianuario esse scriptam, apparet. quæ sic se habet:

a 2. *Cor.* 1.

LEONIS PAP. EPIST. AD MICHAELEM EPISC. CONSTANTINOP.

Leo Episcopus seruus seruorum Dei dilecto confratri Michaeli Constantinopolitano Archiepiscopo.

Scripta tuæ honorandæ fraternitatis tandem ad nos peruenerunt, in quibus ad maxime necessarium, omnibusq. Christifidelibus amplectendum bonum concordiæ & vnitatis exhortari studes, quatenus post nimium longas & pernicioſas discordias, filia ex propriæ matris reconciliatione exultet. Ad quod vtique te prouocantem, & præmonentem tanto promptius auscultare cupimus, quanto vigilantius animaduertimus, hanc solam esse propriam & specialem virtutem piorum, atque Sanctorũ, cum ceteræ virtutes bonis & malis esse possint communes, Domino sic præmonstrante: [b] In hoc cognoscent omnes, quod mei estis Discipuli, si dilectionem habueritis ad inuicem. & Deiloquo Paulo protestante: [c] Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. Vnde plurimum tuæ fraternitati congratulamur in Domino, quoniam summũ desiderium nostrum tua industria anticipasti: quod vtique si aliquo frigore charitatis pigritareris exequi, nostra debueras solertia præueniri. Nos enim iuxta præfatum [d] Apostolum, si fieri potest, cum omnibus hominibus pacem habere peroptamus, quanto magis ergo tecũ, quem videmus Ecclesiæ Dei valde vtilẽ & necessarium posse fore ministrum, si non transgredi laboraueris terminos, quos patres nostri posuerunt? Et quia Christianæ perfectionis est, pacificum esse etiam cum inimicis pacis, spe correctionis, non consensu malignitatis: tanto sollicitius debemus omnes occasiones scandalorum de medio tollere, quanto tenacius optamus pacis amicos retinere.

b Ioan. 13.
c Hebr. 12.
d Rom. 12.

QVÆ DE MICHAELE PATRIARCHA AVDITA.

Plurima autem ex tua fraternitate intolerabilia rumor iam diu pertulit ad aures nostras, quæ nos, partim quia incredibilia videbantur, partim quia nulla facultas inquirendi talia concedebatur, indiscussa hucusque; reliquimus. Denique diceris neophytus, & non gradatim prosilijsse ad Episcopale fastigium: quod nullatenus esse faciendum, & Apostolus edocet, & venerabiles canones interdicunt. Hinc noua ambitione Alexandrinum, & Antiochenos Patriarchas antiquis suæ dignitatis priuilegijs priuare contendens, contra omne fas & ius tuo dominio subiugare conaris. quod quanto tuo periculo tentes, omnibus sanæ mentis patet. Quandoquidem vana gloria, & pompa sæculari elatus, consilium diuinitatis antiquum super stabilimento columnarum suæ Ecclesiæ *mutare* contendis, quasi ex fallacibus diuitijs præiudicium facturus illi, qui cum vere & singulariter diues esset, pauper pro nobis factus, delegit suæ temporali natiuitati oppidulum, & speluncæ diuersorium, non quodlibet Regum palatiũ. Cuius exempla quisquis horret, ad sortem illius pertinet, qui tunc per se, nunc autem per suos satellites dicere audet: [e] Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Sed non [f] cogitationes meæ cogitationes vestræ, neque viæ meæ viæ vestræ, dicit Dominus, [g] qui dispergit superbos in furore suo, & respiciens omnem arrogantem humiliat, & exurgit, vt non præualeat homo, in cuius [h] conspectu non est Deus. Ne enim superbia propter altitudinem suam se coniunctam putaret Deo, dicit Psalmista: [i] Alta a longe cognoscit excelsus Dominus. vnde per semetipsum testatur: [k] Quod altum est hominibus, abominabile est apud Deum.

e Isai. 14.
f Idem 55.
g Iob 40.
h Psal. 9.
i Psal. 137.
k Luc. 16.

Qualis

Universidad de Deusto
Biblioteca

DE TITVLO VNIVERSALIS.

Qualis vero & quam deteſtabilis atque lamentabilis eſt illa ſacrilega vſurpatio, qua te vniuerſalem Patriarcham iactas vbique & ſcripto, & verbo, cum omnis Dei amicus huiuſmodi hactenus horruerit honorari vocabulo? Et quis poſt Chriſtum conueniens tius poſſet inſigniri hoc vocabulo, quam cui dicitur diuina voce: [a] Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam? &c. Verumtamen quia ille non inuenitur vniuerſalis Apoſtolus dictus, quamuis Princeps Apoſtolorum ſit conſtitutus: nullus ſucceſſorum eius tam prodigioſo prænomine conſenſit appellari penitus, licet Magno Leoni prædeceſſori noſtro, & ſucceſſoribus ipſius hoc ſancta decreuerit Chalcedonenſis Synodus. Nempe animaduertebant, non eſſe amicum ſponſi, qui pro ſponſo vellet amari: quin potius paranymphum, & lenonem Antichriſti, qui aduerſatur, & extollitur [b] ſuper omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. Ecce ille Ioannes veſter, cuius veſanæ adinuentionis adhuc heredes permanetis, qui ſecundum Pſalmiſtam, per vos adhuc vocat [c] nomina ſua in terris ſuis, cum interijt, non ſumpſit omnia, neque deſcendit cum eo gloria eius ad infernum; quia cum in honore eſſet, non intellexit. ipſe a beatiſſimis Pontificibus Pelagio, & Gregorio, ſucceſſoribusq. eorum pro hac inſolentia anathematizatus in ſua pertinacia irreuocabilis perijt, iamq. per quadraginta & quadringentos annos ſuæ contumaciæ ſequaces præcipitare non ceſſauit. Quibus quid profuit ſuperbia, & diuitiarum iactantia quid contulit? tranſierunt omnia velut vmbra. Quid denique prodeſt homini, ſi totum mundum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur? Et quomodo animas pro fratribus habetis ponere, qui inane nomen, & vniuerſam Eccleſiam ſcandalizans dedignamini deponere? Reſipiſce ergo rogamus ab hac inſania, ne illius conſors tu quoque (quod abſit) fias, de quo dicitur: Omne ſublime videt, & ipſe eſt Rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ.

a *Matth.* 16.
b 2. *Theſſ.* 2.
c *Pſal.* 43.

DE AZYMIS ET FERMENTO DISPVTATIO.

Illud autem quis non ſtupeſcat, quod poſt tot ſanctos & orthodoxos Patres per mille & viginti a Paſſione Saluatoris annos nouus calumniator Eccleſiæ Latinorum emerſiſti, anathematizans omnes, & publicam perſecutionem excitans, quicumque participarentur ſacramentorum ex azymis? Quam præſumptionem tuam & fama nobis obtulit, & litterarum ſub nomine tuo ad Appulos datarum textus manifeſtauit: quæ violenter aſtruere conantur, fermentatum panem fuiſſe, quo Dominus Apoſtolis ſuis corporis ſui myſterium in Cœna commendauit. quod omnino falſum eſſe, ex vtroque Teſtamento facillime deprehenditur. Quia qui non venerat [d] ſoluere legem, ſed adimplere, iuxta ipſius legis præceptum, ex azymis, & vino vetus paſcha adimpleuit, & protinus ex azymis, & vino nouum (ſicut aperte Lucas narrat) Diſcipulis tradidit. Neque enim totis octo diebus illis fermentatum apparebat in omnibus finibus Iſrael: & apud quemcumque inueniebatur, [e] peribat anima eius de populo ſuo. Quod ſi in Cœna Domini IESV apparuiſſet, aut ipſe, aut Diſcipuli eius quoquo modo guſtaſſent, iuſte ſicut præuaricatores legis perirent: nec ipſe Dominus diceret ſuis inſidiatoribus: [f] Quis ex vobis arguet me de peccato? Nec eſſet opus falſos teſtes ad perdendum eum quærere, cum hoc ſolo perderetur iuſte. Sed qui [g] peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius, quod paſſurus Diſcipulis mandauit, euidenter per Apoſtolum, in quo loquebatur, commemorans, inquit: [h] Epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ; ſed in azymis ſinceritatis, & veritatis. Denique modicum fermentum totam maſſam corrumpit. Vbicumque autem corruptio, ibi procul dubio naturæ deterioratio, & alicuius vitij ſuſceptio.

d *Matth.* 5.
e *Exod.* 12.
f *Ioan.* 8.
g 2. *Petr.* 2.
h 1. *Cor.* 5.

Porro noſtrum Paſcha ideo nouum dicitur, quia illud vetus præceptum eſt Iſraelitis in memoriam ſuæ egreſſionis ex Aegypto: iſtud vero Chriſtianis in memoriam Dominicæ Paſſionis, qua ad Patrem tranſiuit ex hoc mundo. Sed quia tam de his, quam de alijs, quibus nos calumniaris, latius a noſtris Nuntijs per alia ſcripta noſtra, quæ deferunt, inſtrueris: hic breuiter attigiſſe ſit ſatis.

DE ARROGANTIA MICHAELIS EPISCOPI CONSTANT.

Diſcat autem fraternitas tua ſaltem admonita caute & humiliter loqui, ne aliquando Dominus dicat & tibi: [i] Ex abundantia cordis os loquitur. Scripſiſti ſiquidem nobis, quoniam ſi vna Eccleſia Romana per nos haberet nomen tuum; omnes eccleſiæ in toto orbe terrarum haberent per te nomen noſtrum. Quid hoc monſtri eſt, frater chariſſime? Romana Eccleſia caput & mater eccleſiarum, membra & filias non habet? Et quomodo poteſt dici caput, aut mater? Credimus enim, propter quod & loquimur,

i *Matth.* 12.

A loquimur, atque conſtanter profitemur: Romana Eccleſia adeo non eſt ſola, vel ſicut tu putas, vna: vt in toto orbe terrarum quacumque natio diſſentit ſuperbe ab ea, non ſit iam dicenda, vel habenda eccleſia aliqua, ſed omnino nulla, quin potius conciliabulum hæreticorum, aut conuenticulum ſchiſmaticorum, & ſynagoga ſatanæ. Videris dicere illud ſancti Eliæ, tunc præſumentis de ſe: [a] Relictus ſum ego ſolus. ſed audi, quid ille audiuit a Domino: Reliqui mihi ſeptem millia virorum. Quieſce, quieſce iam, venerabilis frater, ab his ſuperſtitionibus, ne illud Salomonis in te dicatur: [b] Sunt qui ſe diuites affectant, nihil habentes. Simillimum nempe hoc eſt diabolicæ arrogantiæ, qui regna mundi a Conditore omnium facta putans ſua eſſe, dixit illi: [c] Hæc omnia tibi dabo. Igitur hinc iam ad cor redeatur, & tam pernicioſa ſcandala de medio tollantur, & tunc (ſecundum Pſalmiſtam) loquetur [d] Dominus pa-
B cem in plebem ſuam, & ſuper Sanctos ſuos, & in eos qui conuertuntur ad cor. Nam nos cum pertinacibus, & in errore ſuo permanentibus pacem aliquam habere non poſſumus, ne operibus malignis communicemus: quia nec Dominum Chriſtum alicubi talia feciſſe inuenimus. cum etiam in Natiuitate ipſius [e] Angeli pacem annuntiauerunt ſolummodo bonæ voluntatis hominibus. qui etiam oculum [f] ſcandalizantem eruendum, manum, vel pedem ſcandalizantes abſcindendos inſinuat. Ceſſent ergo hæreſes & ſchiſmata; & [g] diligentibus legem Dei iam non erit ſcandalum, ſed pax multa.

a 3. *Reg.* 19.
b *Prou.* 13.
c *Matth.* 4.
d *Pſal.* 84.
e *Luc.* 2.
f *Matth.* 18.
g *Pſal.* 118.

Quicumque gloriatur Chriſtiano nomine, ceſſet Romanam ſanctam & Apoſtolicam Eccleſiam maledicere, & laceſſere; quia fruſtra patremfamilias honorat, quiſquis eius vxorem exhonorat: & fruſtra matrisfamilias caput & faciem magnificat,
C qui minimos filiorum eius impugnans, tamquam digitos pedum illius conculcat. Vnde & in Eccleſiaſtico dicitur: [h] Quam malæ eſt famæ, qui fugit patrem, & eſt maledictus a Deo, qui exaſperat matrem. & in Prouerbijs: [i] Oculum, qui ſubſannat patrem, & deſpicit matrem, effodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ. Confidimus tamen ex diuina pietate, quod ab his innoxius aut correctus inuenieris, aut certe admonitus, cito corrigeris. Quod dum fuerit effectum, pax noſtra iam ad nos non reuertetur, ſed ſuper te requieſcet, ceu ſuper pacis filium: & regnabit inter nos germana charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide nō ficta: nec neceſſe habebis nobis ſupplicare, ſed iubere. Super hæc, ſicut cœpiſti, collabora, vt duo maxima regna connectantur pace optata. Orantem pro nobis tuam honorabilem fraternitatem ſancta Trinitas in perpetuum conſeruet. Data menſe Ianuario, Indictione ſeptima.

b *Eccli.* 3.
i *Prou.* 30.

D

His acceptis litteris tam ad Imperatorem, quam ad Michaelem Patriarcham, ijdem, qui ſupra nominati Legati, Humbertus Epiſcopus Siluæcandidæ, Fridericus Archidiaconus Cancellarius Cardinales, & Petrus Epiſcopus Amalphitanus (vt diximus) viſitato primum cœnobio Caſſinenſi, & ibi precibus a religioſis monachis expetitis, ſunt profecti Conſtantinopolim. Quo cum peruenirent, honorificentiſſime ab Imperatore excepti ſunt.

Humbertus autem omnia, quæ ſiue ſecreto, ſiue publice cū Imperatore ijdem tranſegerunt, ſcriptis mandauit cum ijs, quæ ipſe contra epiſtolam Michaelis Patriarchæ in
E Apuliam miſſam aduerſus Latinos fuſius diſputans per dialogiſmum hoc anno conſcripſit: quibus acceptis Imperator, vt ex Latino transferrentur in Græcum, iuſſit, Græciſq. vulganda mandauit. Quod quidem magni momenti monimentum, cum hactenus in angulo puluere obſitum delituerit, nec ab aliquo cuſum alicubi ſciamus: ne ſemel inuentum rurſus (vt accidere ſolet) diſpendium patiatur, vendicatum in lucem conſecrare perennitati, hic deſcribendo, dignum exiſtimauimus: ſimulq. cetera, quæ ad hanc eamdem legationem ſpectantia ſimul poſita inuenimus in codice Romam miſſo ab Antonio Auguſtino, ad dignæ memoriæ prædeceſſorem meum Antonium Carrafam S. R. E. Bibliothecarium. contulimus ea cum ijſdem ſcriptis, quæ in bibliotheca Vaticana aſſeruantur, ne quid erroris vitio librariorum irrepſerit. Verum quod prolixior ſit ea diſputatio, quæ detinere plus ſatis Lectorem poſſit: ponemus eam in huius Tomi appendice, ſicut fecimus ſuperius de diſputatione ſancti Maximi cum Pyrrho Monothelita, quam collocauimus in appendice octaui Annalium Tomi, vt ſic abſque obice longioris diſputationis rerum geſtarum ſeries currat.

DE SCRIPTIS HVMBERTI EPISC. CARD.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De hac autem Humberti & collegarum legatione agens Rupertus Abbas Tuitiensis his temporibus proximus in commentario [a] de Diuinis officijs, & aduersus eos de azymis disputans, hæc inter alia habet: Tantis autem hæresibus fermentata est Græcia, vt mirum videri non debeat hoc, quod de fermento immolat. Tantæ e contra sinceritatis semper fuit sancta Romana Ecclesia, vt cui deest scripturarum notitia, vel argumentandi facultas, sola illi de azymo contra Græcos sufficere debet eius auctoritas. Nam Constantinopolitana non solum hæreticos, sed & hæresiarchas protulit multos: Romana vero Ecclesia super Apostolicæ fidei petra altius fundata, firmiter stetit, & tam Græciæ, quam totius orbis hæreticos semper confutauit, & de excelso Fidei tribunali, data sententia iudicauit] & in fine: Quæ beata Ecclesia, quæ in fundamento suo petram illam excepit, quam in suo veritatis ore laudauit & beatificauit: tali structura super illam ædificata est, vt contra omnes hæreses perstaret murus inexpugnabilis. Et quacumque mundi ex parte periclitata fides ad illam confugit: [b] mille clypeos ex ea, omnemq. armaturam fortium, qua se defenderet, pendentem & præparatam inuenit] hucusque Rupertus. Sed prosequamur Legatos, Roma a sancto Leone Constantinopolim ad Imperatorem Constantinum Monomachum missos. Quorum res gestæ Constantinopoli summatim descriptæ inueniuntur ab eodem (vt existimatur) Humberto Legatorum primario post duos tractatus a se scriptos, alterum contra Michaelem Cerularium, alterum contra Nicetam cognomento Pectoratum. quas nos ex eodem volumine hic describendas curauimus. quæ sic se habent:

[a] Ruper. de diu. offic. lib. 2. c. 22.

DE ECCLESIA ROMANA PRAECONIA.

[b] Cantic. 6.

Incipit breuis, & succincta commemoratio eorum quæ gesserunt Apocrisarij sanctæ Romanæ & Apostolicæ Sedis in regia vrbe, & qualiter anathematizarunt Michaelem cum sequacibus suis.

RES GESTAE PER LEGATOS APOST. CONSTANTINOPOLI.

Anno xij. Imperij Constantini Monomachi Indictione vij. ipso die natiuitatis beati Ioannis Baptistæ, aduenientibus a domno Papa Leone Nono Apocrisarijs sanctæ Romanæ & Apostolicæ Sedis, Humberto scilicet Cardinali Episcopo Siluæcandidæ, & Petro Amalphitanorum Archiepiscopo, Friderico quoque diacono & Cancellario, ad monasterium Studij intra vrbem Constantinopolitanam: Niceta monachus, qui & Pectoratus, ante præsentiam præfati Imperatoris, & procerum eius, insistentibus ipsis Nuntijs Romanis, anathematizauit quoddam scriptum sub suo nomine contra Sedem Apostolicam, & omnem Latinam Ecclesiam editum, & prætitulatum de azymo, de sabbato, & de nuptijs sacerdotum. Insuper anathematizauit cunctos, qui ipsam sanctam Romanam Ecclesiam negarent primam omnium ecclesiarum esse, & qui illius Fidem semper orthodoxam præsumerent in aliquo reprehendere. Post hæc statim in conspectu omnium ad suggestionem eorumdem Nuntiorum Romanorum iussit idem orthodoxus Imperator præfatum incendi librum; sicq. fuit discessum.

Describitur in Appendice Tomi huius Nicetæ Pectoratis libellus iste contra Latinos, vna cum Humberti scriptis, quibus eum valide confutauit.

NICETA PECTORATVS ITERVM CANTAT PALINGDIAM.

Sequenti autem die prædictus Niceta vrbe egressus vltro adijt ipsos Legatos intra palatium Pigi, a quibus accipiens perfectam suarum propositionum solutionem, iterum sponte anathematizauit omnia dicta, & facta, vel tentata aduersus Primam & Apostolicam Sedem. Sic ab eis in communionem receptus, effectus est eorum familiaris amicus. Porro dicta, vel scripta eorumdem Nuntiorum aduersus diuersas calumnias Græcorum, & maxime contra scripta Michaelis Constantinopolitani Episcopi, & Leonis Acridani Metropolitani Episcopi, atque sæpe dicti Nicetæ monachi, iussu Imperatoris in Græcum fuere translata, & in eadem vrbe hactenus conseruata. Tandem Michaele præsentiam eorum & colloquium deuitante, atque in stultitia sua perseuerante, præfati Nuntij xvij. Kal. Augusti adierunt Ecclesiam sanctæ Sophiæ, & super obstinatione illius conquesti, Clero ex more ad Missas præparato, iam hora tertia, die sabbati chartam excommunicationis super principale altare posuerunt sub oculis præsentis Cleri & populi. Inde mox egressi, etiam puluerem pedum suorum excussere in testimonium illis iuxta dictum Euangelij, proclamantes: Videat Deus, & iudicet. Hinc ordinatis ecclesijs Latinorum intra ipsam Constantinopolim, anathemate dato cunctis, qui deinceps communicarent ex manu Græci, Romanum sacrificium vituperantis, in osculo pacis, accepta orthodoxi Imperatoris licentia, donisq. Imperialibus sancto Petro, & sibi, alacres cœpere reuerti xv. Kal. Augusti.

HVMBERTI SCRIPTA IN GRAECVM TRANSLATA.

EXCOMMVNICATVR MICHAEL PATRIARCHA CONST.

[c] Matth. 10.

Sed nimia instantia precum Michaelis, spondentis tunc demum se conflicturum cum

cum eis, Imperator compulsus a Solembria litteris suis eos reuocauit xiij. Kal. Augusti. Quo etiam die festinantes regressi diuerterunt ad palatium Pigi. Quos præfatus Michael hæresiarcha comperiens rediisse quasi ad Concilium, conabatur adducere in ecclesiam sanctæ Sophiæ sequenti die, vt ostensa charta illorum quam omnino corruperat transferendo, obruerentur ibidem a populo. Quod prudens Imperator præcauens, noluit haberi aliquod Concilium, nisi & ipse adesset præsens. Cumq. in hoc ei omnimodis Michael contradiceret, iussit Augustus ipsos Nuntios confestim arripere iter. quod & factum est.

LEGATI APOSTOLICI PROFECTI REVOCATI.

MACHINATIO CONTRA LEGATOS APOST.

Porro vesanus Michael dolens suas non procedere insidias, concitauit Imperatori seditionem vulgi maximam, velut Nuntijs cooperata fuerit eius voluntas. Vnde Imperator coactus interpretes Latinorum, Paulum videlicet, ac filium eius Smaragdum cæsos & detentos Michaeli tradidit; sicq. tumultus ille conquieuit. Verum Imperator post Nuntios Romanos directis suis, exemplar excommunicationis veracissimum a ciuitate Russorum sibi remissum accepit, ciuibusq. exhibuit, ac tandem Michaelem falsasse chartam Legatorum comperit, atque conuicit. Itaque commotus, amicos & affines ipsius honoribus priuatos a Palatio eliminauit: contraq. ipsum vsque nunc graues iras retinuit. denique exemplar chartæ excommunicatoriæ est tale:

COMMOTVS POPVLVS CONTRA IMP.

Humbertus Dei gratia Cardinalis Episcopus sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Petrus Amalphitanorum Archiepiscopus, Fridericus diaconus & Cancellarius omnibus Catholicæ Ecclesiæ filijs. Sancta Romana prima & Apostolica Sedes, ad quam tamquã ad caput sollicitudo omnium ecclesiarum specialius pertinet, ecclesiasticæ pacis & vtilitatis gratia ad hanc regiam vrbem nos Apocrisarios suos facere dignata est, vt iuxta quod scriptum est, descenderemus, & videremus vtrum opere completus sit clamor, qui sine intermissione ex tanta vrbe conscendit ad eius aures: aut si non est ita, vt sciret. Quamobrem cognoscant ante omnia glorioſi Imperatores, Clerus, Senatus & populus huius Constantinopolitanæ vrbis, & omnis Ecclesiæ Catholicæ, nos hic persensisse magnum, vnde vehementer in Domino gaudeamus, bonum, & maximum, vnde miserabiliter contristemur, malum. Nam quantum ad columnas Imperij, & eius honoratos, atque ciues sapientes, Christianissima & orthodoxa est ciuitas: quantum autem ad Michaelem abusiue * dicatum Patriarcham, & eius stultitiæ fautores, nimia zizania hæreseon quotidie seminantur in medio eius.

LIBELLVS EXCOM. CONTRA MICHAELEM PATRIARCHAM.

* al. dictum

Quia sicut simoniaci, donum Dei vendunt. Sicut Valesij, hospites suos castrant, & non solum ad clericatum, sed insuper ad Episcopatum promouent. Sicut Arriani, rebaptizant in nomine sanctæ Trinitatis baptizatos, & maxime Latinos. Sicut Donatistæ, affirmant, excepta Græcorum ecclesia, Ecclesiam Christi, & verum sacrificium atque baptismum ex toto mundo periisse. Sicut Nicolaitæ, carnales nuptias concedunt, & defendunt, sacri altaris ministris. Sicut Seueriani maledictam dicunt legem Moysi. Sicut Pneumatomachi, vel Theomachi, abscciderunt a Symbolo Spiritus sancti processionem a Filio. Sicut Manichæi, inter alia quodlibet fermentatum fatentur animatum esse. Sicut Nazareni, carnalem Iudæorum munditiam adeo seruant, vt paruulos morientes ante octauum a natiuitate diem baptizari contradicant, & mulieres in menstruo vel partu periclitantes communicare, vel si paganæ fuerint, baptizari prohibeant, & capillos capitis, ac barbas nutrientes, eos qui comas tondent, & secundum institutionem Romanæ Ecclesiæ barbas radunt, in communione non recipiant. Pro quibus erroribus, & alijs pluribus factis suis ipse Michael litteris Domini nostri Leonis Papæ admonitus, resipiscere contempsit. Insuper nobis Nuntijs illius causas tantorum malorum rationabiliter reprimere volentibus, præsentiam suam, & colloquium denegauit, & ecclesias ad Missas agendum interdixit. Sicut & prius Latinorum ecclesias clauserat, & eos Azymitas vocans, verbis & factis vbique persecutus fuerat, in tantum, vt in filijs suis anathematizasset Sedem Apostolicam, contra quam se adhuc scribit Oecumenicum Patriarcham. Vnde nos quidem sanctæ primæ & Apostolicæ Sedis inauditam contumeliam, & iniuriam non ferentes, Catholicamq. Fidem subrui multis modis attendentes, auctoritatem sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis, atque Apostolicæ Sedis, cuius legatione fungimur, & cunctorum orthodoxorum Patrum ex Concilijs septem, atque totius Ecclesiæ Catholicæ anathemati, quod Dominus noster reuerendissimus Papa eidem Michaeli, & suis sequacibus

ERRORES MICHAELIS ET SOCIORVM.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bus nisi resipiscerent, denuntiauit, ita subscribimus: Michael abusiuus Patriarcha, neophytus, & solo humano timore habitum monachorum adeptus, nunc etiam criminibus pessimis a multis diffamatus; atque cũ eo Leo Acridanus Episcopus dictus; & Sacellarius ipse Michaelis Constantinus, qui Latinorum sacrificium profanis conculcauit pedibus; & omnes sequaces eorum in præfatis erroribus & præsumptionibus sint Anathema Maranatha cum simoniacis, Valesijs, Arrianis, Donatistis, Nicolaitis, Seuerianis, Pneumatomachis, Manichæis, & Nazarenis, & cum omnibus hæreticis, immo cum diabolo & angelis eius nisi forte resipuerint. Amen, Amen, Amen.] post hæc mox ista: A

Item alia excommunicatio ibidem facta in præsentia Imperatoris, & optimatum eius viua voce:

Quicumque Fidei sanctæ Romanæ & Apostolicæ Sedis, eiusq. sacrificio pertinaciter contradixerit: sit Anathema Maranatha, nec habeatur Christianus Catholicus, B sed Prozimita hæreticus. Fiat, Fiat, Fiat] hactenus narratio de rebus gestis Constantinopoli per Legatos Apostolicæ Sedis.

At quid post hæc infelicissimus ac perditissimus Cerularius? nihil præterea, quam secundum illud Apocalypsis: [a] Qui nocet, noceat adhuc; & qui in sordibus est, sordescat adhuc] quidnam molitur?

[a] *Apoc.* 22.

CONATVS MICHAELIS CERVLARII.

Misit hoc eodem anno quas scripserat in Occidentem litteras, atque aliam insuper virulentam epistolam aduersus Latinos, confertam mendacijs, atque calumnijs ad Petrum Patriarcham Antiochenum: Aestuans infelix odio implacabili in Latinos, tantum abest, vt ex medicorum fuerit curatus antidotis, & redditus sanitati, vt potius proijciens medicamenta, medicos ipsos phrenesi percitus, omni qua potuit, affecerit contumelia, & blasphemijs fuerit infectatus, quæque obuia stylo in eos, & a qua C missi fuerant, Ecclesiam Romanam obiecerit, plura fingens atque componens in eam, quo auertat eum a communicatione eiusdem Ecclesiæ; cum iam percepisset, eumdem Petrum eius amplecti communionem, restituto in sacro Diptycho nomine Romani Pontificis. At hæc quæ ad Petrum scripsit, eadem vult esse communia alijs Patriarchis, Alexandrino nimirum, atque Hierosolymorum. Deprompta est epistola ista ex locuplete Vallicellana bibliotheca vna cum alijs monimentis, ad hæc ipsa spectantibus: vertit autem in Latinum noster fidelis & doctus interpres Federicus Metius Thermularum Episcopus. sic enim se habet:

MICHAELIS CERVLARII AD PETRVM ANTIOCHENVM EPISC. EPISTOLA.

Michael sanctissimus & Oecumenicus Patriarcha cognomento Cerularius, Petro sanctissimo Patriarchæ Theopoleos magnæ Antiochiæ.

Beatitudinis vestræ legit humilitas nostra, & cum ab eo qui litteras attulit, didicerimus, quod bene, diuina fauente gratia, secundum eamdem te habes: Dei benignitati, vt par est, gratias egimus, & longæuam vitam & tranquillam tibi insuper precati sumus] *& post alia:* Ante aliquod tempus, cum nouissemus ab ijs, qui e vetere Roma ad nos venirent, de nobilitate & scientia Papæ videlicet Vrbis Romæ nuper defuncti, Leonis scilicet; nec non quod simul nobiscum sentiret, & conueniret propter ea scandala, quæ de ipsis feruntur circam Orthodoxam Fidem, non pauca illi scripsimus nostris litteris, multa videlicet humilitate, vt tu recte vales cognoscere ex ijsdem litteris. Idq. ea de causa fecimus, quoniam ipsum lucrari volebamus; nec non vt beneuolum nobis & familiarem redderemus, quo per eum Francorum auxilium nobis procuraremus. Quas quidem litteras cum illi tradidissemus, qui ad Papam vna cum Imperatoris litteris esset illas allaturus, & responsiones accepturus, & nobis redditurus: ille vero cum has accepisset litteras, & peruenisset ad Magistrum & Ducem Italiæ, Argyrum nuncupatum, qui artificiose ipsum decepit, eo videlicet nomine, quo citius litteræ ad Papam peruenirent: ipse illas accepit. Qui cum omnia diligenter didicisset, nec inquam suæ superstitionis, & vafriciei oblitus esset, sed semper ea moliretur, quæ regiæ vrbi & Romaniæ damno essent; neque hac in re sui absimilis, sed nomina ipsa, quæ ab Imperatore Vestiarius accepta referebat; ipse etiam accepit, vt lucro suo omnino illis vteretur, id scilicet curans, vt viderentur prædictæ litteræ hac de causa scriptæ, pro ædificatione castrorum, & cura de illis habenda. & ita rem, quam dicemus, artificiose parauit. D E

DE LEGATIS CALVMNIAE CERVLARII.

Cum enim quosdam, quibus ille maxime confidebat, vt par est, accessisset, quorum vnus est, qui (vt audiuimus) Amalphitanorum ecclesiæ aliquando præfuit; deinde

A inde vero ab eadem eiectus ecclesia rationabilibus de causis, quinquennio peregrinus vagatur; alter vero nomine tantum Archiepiscopus, re autem omnino alienus, cum nulli metropoli præfuisse vmquam reperiatur; tertio personam, quæ illi placuerit, tribuens, Cancellarij videlicet, idq. coram Romana dignitate pro insigni quadam versutia, vt talem se diceret, abduxit, vt posset per eum, quæ machinabatur, obtinere, quasi quodam forti clypeo illo vsus. mearum itaque litterarum dempto sigillo, & quæ in ipsis habebantur cum legisset, & alia quædam ad nos quasi Papæ nomine missa componens: & pro huiusmodi litteris offerendis prædictos destinauit, miseris illis suadens (O seductionem magnam, & illorum stultitiam!) vt ad regiam vrbem venirent, & has litteras darent mihi. Qui vrbem regiam ingressi, potenti primo & sancto Imperatori se eos conspiciendos exhibuerunt, graui quidem & superbo habitu, & B gressu, & supercilio. Deinde vero cum ad nostram humilitatem venissent, quis dicere posset, quanta superbia, & arrogantia vsi sint? cum nec triuiali salutatione nos salutassent, neque sua capita vel modicum quid inclinassent, & consuetam nobis venerationem exhibere dignati fuissent, neque a tergo Metropolitarum nobiscum in secreto congregatorum sedere vllo pacto voluissent, sed quasi pro ipsorum contumelia id factum putassent] Vidisti ignominiam, cum post terga Episcoporum sedere sunt inuitati Legati? pergit vero: Sed cur non dicam, quæ his sunt absurdiora? Nec ipsi Imperatoris conspectui & maiestati omnino se inclinarunt, sed potius seipsos magnopere extollentes, & quæ eos non decebant, cogitantes; cum cruce & sceptris regium ingrediuntur palatium. Nihil igitur horum, vt par erat, cum fecissent, epistolam nobis sigillatam dederunt, & quamprimum recesserunt. Quam cum humilitas nostra accepisset, & C sigillum aperire aggressus essem, & diligenter ipsum sigillum inspexissem, inueni illud deprauatum, & litteras doli, & malæ mentis plenas.

IN ARGYRVM OMNIA CONVERTIT CERVLARIVS.

Illæ enim per se manifestabant, quæ Argyrus Megalopolim cum venisset, frequenter nostræ insusurrabat humilitati, præcipue de fermentato. quapropter non solum semel, sed bis & tertio, & sæpius a nobis eiectus fuit a sacra communione. Exemplum nostrarum litterarum ad Papam, nec non earum ad nos, quas Papæ nomine improbi isti attulerunt, in Græcam linguam cum vertissemus, ad tuam beatitudinem misimus, vt cognosceres, quid nos illis scripserimus, & quæ nobis illata epistola significaret: vt aperte cognoscas, quod non leuem suspicati sumus suspicionem, sed veritatem ipsam sumus assecuti. hæc vero techna apertius fuit deprehensa & manifestata ab Archiepiscopo Tranensi, & Sincello, qui inde ad nos venit, & veram eorum mentem aperuit (vt diximus) potenti & sancto nostro Imperatori] Audisti Lector, versuti D hominis vafriciem, negare esse Romani Pontificis litteras ad se missas per Legatos, sed fuisse commentum Argyri: idq. eo consilio, ne crederentur se tot iaculis confodi a summo Pontifice. pergit ipse:

Iam vero quoddam ad nostras aures peruenit, quod tua beatitudo prædictum Papam in sacris referat Dyptichis, nec non & idem faciat Alexandriæ, & Hierosolymorum Patriarcha: nec adduci possum vt credam, vos tanta ignorantia detineri, præcipue tuam incomparabilem virtutem. Nosti enim, quod a Sexta Oecumenica Synodo hucusque a sacris Dyptichis dempta est Papæ commemoratio a nostra sanctissima Ecclesia, cum Vigilius Papa, qui tunc Romanæ præerat Ecclesiæ, ad Synodum non venisset, neque anathemate damnasset ea, quæ a Theodoreto aduersus rectam E fidem, & duodecim capitula sancti Cyrilli scripta sunt, epistolam præterea Ibæ. Et ex eo tempore vsque ad nostra tempora Papam a sanctissima nostra Ecclesia segregatum esse. Qua de causa incredibile nobis omnino visum fuit non adeo pro illis, quam pro tua magna sapientia, & singulari prudentia. nec hoc solum, verum etiam quod prædicti duo Patriarchæ non solum alios azymis vescentes recipiunt, sed etiam ipsi aliquando in azymis sacrum conficiunt sacrificium. Et nos quidem cum non haberemus in promptu hominem, per quem de hac re illos sciscitaremur: quin etiam nec alijs confidere volentes, rem totam tuæ sanctitati requirendam relinquimus, vt de hac re cum omnia diligenter fuerit scrutata, humilitati nostræ singula faciat manifesta. & de his quidem hactenus.

MVLTA MENTITVR CERVLARIVS.

Peruenit præterea ad manus nostras per illustrissimum Præfectum & Ducem Antiochiæ, cognomento Durum, exemplar epistolæ tuæ, ad Gradensem, seu Aquileien-

Universidad de Deusto
Biblioteca

IN PETRVM MITIVS AGENTEM CVM LATINIS.

sem Patriarcham: quod cum legissem, concitato cursu de azymis tantum multa te A
dicere inueni, omissis alijs Romanorum erroribus, cum multi sint & grauissimi. Fortasse ita etiam scripsit sanctitati tuæ, quod de his quidem humilitas nostra illi scripserat: sed de nulla istarum rerum vel ipsi vmquam, vel Papæ, vel alij cuipiam Episcoporum eius humilitas nostra significauit & scripsit, præter eam epistolam, cuius nunc exemplum ad te misimus. sed vt videre licet, e rebus ipsis, & eorum gestis sunt illi omnino mendaciorum, & fraudis studiosi. Sed certo cito, quod non vnica tantum sagitta, azymorum videlicet errore confossi sunt Romani (quod omnibus aperte patet) sed multis & alijs diuersis. Quapropter illos omnino auersari necesse est; & quæ quidem Iudæorum more peragunt, talia sunt; vt error, qui illis tribuitur de azymo, & quod suffocatum comedunt, & barbam radunt, & sabbata custodiunt, & comedunt immunda, monachi carnibus vescuntur, nidore videlicet suis, & larido omni, B
quod vsque ad carnem pertinet. & quod etiam attinet ad primam hebdomadam Quadragesimæ, & aliam etiam hebdomadam Quinquagesimæ, qua nos ouis tantum, & lacte vescimur, & propterea Casei hebdomadam illam appellamus.

QVAE CERVLARIVS CALVMNIOSE VEL LEVITER OBIICIAT IN LATINOS.

Sed præter hæc talia & huiusmodi se habentia in sacro Symbolo hanc etiam adhibent additionem, male & pernicioſe sentientes. ita enim se habet: Et in Spiritum sanctum, Dominum & viuificantem, qui ex Patre Filioq. procedit. In sacra etiam Missa illud, Vnus, Sanctus, vnus Dominus IESVS Christus in gloria Dei Patris per Spiritum sanctum, alta dicunt voce. Præter hæc, nuptias sacerdotum prohibent, illos videlicet, qui vxores habent, vt nullo pacto sacerdotij dignitatem consequantur, permittunt, sed innuptos manere volunt eos, qui sacerdotes esse cupiunt. duo etiam fratres duas ducunt sorores. Et in sacra Missa tempore communionis alter ministrorum C
comedens azyma, alios amplexatur, & pacem illis largitur. Episcopi etiam anulos gestant in manibus, quasi vxores ecclesias accipientes, & arrhabonem ferre dicunt. Ad bellum etiam exeuntes, manus suas sanguine coinquinant, & in conspectu suo animas occidunt, & occiduntur: quemadmodum etiam a nonnullis, qui hoc affirmant, accepimus. Sacrum baptisma ita peragunt, vt eos, qui baptizantur, vnica mersione baptizent, In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, dicentes. Sale etiam præterea eorum, qui baptizantur, ora implent. Male etiam Apostolicum illud accipientes,
1. Cor. 5. quod ait: Modicum fermentum totam massam fermentare: ipsi vero ita scriptum habent: Modicum fermentum totam massam corrumpit: contendentes hac modica huius verbi occasione tollere fermentatum, quod panem subleuat & attollit. Quin immo Sanctorum reliquias illorum nonnulli non venerantur, nec sanctas etiam imaD
gines. Sanctos etiam illos & magnos patres nostros Basilium & Chrysostomum cum reliquis Sanctis non connumerant, nec illorum doctrinam omnino recipiunt. Alia etiam faciunt multa, quæ singula enumerare esset molestum]

CONFVTATIO OBIECTORVM.

Audisti Lector, quænam Cerularius obijciat in Latinos? quæ cuncta vel omnino falsa, vel leuia, nec obseruatione digna quisque prudens facile iudicabit, & plane talia esse pleraque, quibus non debeant accusari Latini, sed eiusdem Cerularij imperitia egregie sugillanda, & redarguenda temeritas. Illa vero per calumniam illata portentosa mendacia, quibus Latinos non esse cultores Sanctorum reliquiarum, atque eorum imaginum, nec connumerare Basilium, & Chrysostomum cum alijs Sanctis, quæ portentosus ipse mentitur: quis non intelligat? Et quod obijcit de sacerdotibus prælatis, æque sentias calumnioſe prolatum. non id ex institutione prodijt Occiden- E
talis Ecclesiæ, quæ eiusmodi sæpe improbauit, atque damnauit; sed quorumdam vitio, vt alia quæque peccata, quorum vel cogitatio sola ad tribunal perferri debeat pœnitentiæ. sed audi quæ sint reliqua eiusdem epistolæ, quibus excusat se, Latinorum accidere vitio, vt cum illis non possit inire concordiam, sancireq. pacis fœdera, cum talia agant, quibus sint ab omnibus execrandi. ait enim:

CERVLARIVS EXECRANDOS LATINOS PERPERAM SENTIT.

Cum itaque hoc pacto viuant, & istiusmodi moribus sint educati, & quæ aperte sint legibus vetita, & interdicta, & execrata, facere audeant; quomodo inter eos, qui Orthodoxi sunt, collocandi ab ijs, qui recte sentiunt, iudicabuntur? Numquid equidem id ego crederem? Qui vero istos ita sentientes recte facere fuerint arbitrati, eamdem cum illis sortiantur portionem. Numquam enim nos ipsos æmulabimur in hac ipsorum concordia & confessione. Nec ita, inquam, mente capti erimus, vel nostro sen-

A stro sensu priuati, vt hanc sequamur viam. Hæc vero hac de causa voluimus nos percurrere, vt scire valens tua beatitudo, quæ ab istis peragantur, non putet eos circa azyma tantum errare, quemadmodum nos etiam hucusque putauimus: sed cum nouerit alios præter hæc ipsorum errores, cum illis eos numeret, cum quibus digni sunt vt connumerentur. Quod vero omnium est grauissimum, & intolerabile, & eorum amentiam satis superq. declarat, illud est. Dicunt enim quod non acceperunt hæc, tamquam vt ab alijs edocerentur; sed potius vt alios ipsi docerent: fore etiam vt persuadeant nobis sequi eorum dogmata. Et hoc inquiunt cum imperij potestate, & inuerecundia maiore. Dominus Deus beatitudinem tuam custodiat incolumem multis annorum curriculis pro nobis Deum orantem] hactenus Cerularius ad Petrum Antiochenum.

B Hic rogo te, Lector, mecum considera rem bene actam, diuinitusq. dispositam inueniri, si post innumeras tempestates, aduersariorum ventorum impetu agitatas, post frequentes in scopulos illisiones, in Syrtes eiectiones, & piratarum aggressiones, diligenti studio, accurata sollicitudine perlustrata nauis, quæ millies perijsse debuerat, nulla sit inuenta læsione quassata, nullo aperta foramine, nullo denique alicuius momenti affecta detrimento. Ecce post tot tantosq. enumeratos superius turbines, quibus (vt antiquiora mala prætermittamus) per centum annorum curricula fuit miserandis casibus Ecclesia Romana exagitata, concussa, elisa, iactata, vt vix tabula iuncta tabulæ humana existimatione supereſſe, videri potuisset: ista ipsa obtutu lynceo intus, forisq. ab aduersarijs, eam perire cupientibus perspecta, liuoris lucerna peruestigata, quæ recta quæque etiam apparere facit obliqua, & bona cuncta mala videri: nullo reuera sit inuenta errore eius compago resoluta, vt eadem penitus esse cognita sit, qualis fuerat ab exordio ante procellas, quibus obrui videbatur, in omnibus integra. Nam quæ Cerularius sicut curiosus, ita & malignus, dolosus, ac mendax perscrutator obiecit inania, vana, falsa, ridenda esse potius quam confutanda, satis, si sapis, puto intellexisti, vt ex ijs potius eiusdem Ecclesiæ sinceritas demonstretur, & prædicetur integritas, quam erroris labe aliqua ostendi possit aspersa. Vnde magis magisq. erubescant ter miseri Nouatores, dum Romanam Ecclesiam probrosis adeo laborant inquinare calumnijs, quas Cerularius vel cogitare saltem exhorruisset, quamuis eiusdem infensissimus hostis. Sed iam, quas ad ipsum Petrus Patriarcha Antiochenus redarguens in multis, litteras rescripserit, videamus. acceptæ sunt ex eodem codice, & ab eodem interprete redditæ Latinitati, quæ sic se habent absque titulo:

DECOR ECCLESIAE ROMANAE EX OBIECTIONIBVS INIMICORVM APPARET.

C

D Quæcumque humani generis hostis aduersus sanctitatem tuam machinatus est, & quam peruersam mentem aduersarij tui in te exercuerunt, attollentes capita sua in medio ecclesiæ tuæ: satis superq. tuæ sacræ litteræ nos edocuerunt, sacratissime & sanctissime domine. & magnopere sumus mirati, dum eas legeremus, cum non possemus conijcere, quo spiritu motus, vel quid sibi volens Italus ille Argyrus ad tantum declinauit errorem, & profanus cum sit, sacra contrectare non dubitauit. Quid enim commune cani & balneo? vt ille in sæcularium ordine constitutus, eadem quæ ad sacerdotes pertinent, nimis curioſe satagat, & huiusmodi litteras, vt tu docuisti, falsas excogitet atque conficiat, ex quibus nihil magis quam dedecus lucrari debeat, re ipsa patefacta. præsertim cum Papa vita fuerit functus. Sed gratias Deo, qui corripit sapientes in eorum malitia, & non diu eorum figmenta latere permisit.

EPIST. PETRI EPISC. ANTIOCH. AD CERVLARIVM.

E Habent præterea sacræ litteræ sanctitatis tuæ, quod rumor quidam ad aures peruenit tuas, quod nos Papam in sacris Diptychis referimus, & hoc ipsum faciunt alij sanctissimi Patriarchæ: & quod non oporteret tali insciti nos detineri, me præcipue ante alios, cum sciam, quod a Sexta sancta Oecumenica Synodo ad hæc vsque tempora (vt tuis verbis vtar) in sacris Diptychis Papæ commemoratio e medio sublata est, ea videlicet de causa, quod Vigilius tunc temporis Papa ad Synodum non venit, neque ea damnauit, quæ a Theodoreto aduersus rectam fidem, & duodecim capitula sancti Cyrilli scripta fuerant: & ex eo tempore hucusque a nostra sancta Ecclesia Papam segregatum fuisse. Hæc quidem cum tuæ venerandæ litteræ haberent, pudore nescio quo pacto confusus sum (crede mihi) præcipue vero tua causa, præsertim si eo pacto, quo ad nos scripsisti, eadem ad alios scripseris beatissimos Patriarchas, cum absque diligenti inquisitione, & exacta rerum cognitione, quæ non gesta sunt, ac si gesta

REDARGVITVR A PETRO CERVLARIVS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

esſent, vano rumore impulſus protuleris. Quomodo enim debebam ego hucuſque in ſacris Diptychis Papam referre, cum ſanctiſſima eccleſia tua ipſum non referat? cum ego ſim ipſius eccleſiæ alumnus & æmulus, vt quiuis alius, & verbis eius priuilegia ſemper magni faciens & venerans?] Memorare, Lector, quæ ſcripſerit anno ſuperiori idem Petrus ad Leonem Romanum Pontificem, & plane ſenties ipſum eſſe bilinguē in ijs, quæ de Conſtantinopolitana Eccleſia prædicat: de qua valde conqueſtus erat, quod ipſius Patriarcha ſubijcere ſibi ſtuderet reliquos Patriarchas. pergit ipſe:

IN CHARTOPHYLACEM CVLPA REIICITVR.

Quod vero de Vigilio Papa perperam dicitur, cum res non ita ſe habeat, id quantum ignauiæ tribuat venerabiliſſimo Chartophylaci tuo, tute ipſe videris. Etſi enim doctus eſt ille vir circa Rhetoricam facultatem (vt accepimus) nondum tamen eam, vt par eſt, eccleſiaſticarum rerum notitiam adeptus eſt: Fidem enim non habet (vt inquit Ioannes ille Climachus) vinum, quod recens e torculari expreſſum eſt. & hac de cauſa oportet eum, cum ad tantum gradum euectus fuerit, diligenter & exacte, & non per tranſennam ſcripturas percurrere. Subſtantia enim noſtri ſacerdotij ſunt eloquia a Deo tradita, videlicet ſacrarum Scripturarum vera ſcientia, quemadmodum magnus nos docuit Dionyſius. Vigilius enim Quintæ Synodi temporibus fuit, in quo de Origene, Euagrio, & Didymo, & alijs, Petro & Seuero & Zoara, & de operibus Theodoreti actum eſt, non in Sexta Synodo, cum inter vtramque Synodum centum ſexagintanouem interceſſerint anni. Illum vero contigit paulo ante a Diptychis amoueri, quoniam ipſum cum ſanctiſſimo Patriarcha Mena altercari accidit, & eum depoſitionis ſubijcere vinculo, quouſque iterum Pontifices illi inuicem conciliati inter ſe conuenerunt. Tempore vero ſanctæ Sextæ Synodi ſacer Papa fuit Agathon, vir quidem venerandus, & ſacrarum rerum peritus. Et lege tu Acta ipſa Sextæ Synodi, quæ legi conſueuerunt Dominica poſt exaltationem venerandæ Crucis. Inuenies enim ibi prædictum Agathonem Papam multis encomijs honoratum. Et hac in re ego quidem teſtis fidus, & alij multi Eccleſiæ proceres, quod tempore beatæ memoriæ Patriarchæ domini Ioannis, Romanus Papa, Ioannes etiam ipſe nuncupatus, in ſacris Diptychis habebatur. Et cum Conſtantinopolim quadragintaquinque ab hic annis veniſſem, inueni tempore beatæ memoriæ Patriarchæ domini Sergij prædictum Papam in ſacra Miſſa vna cum alijs ſanctiſſimis Patriarchis relatum. Quomodo vero deinde eius relatio & commemoratio e medio ſublata ſit, & quanam de cauſa, ignoro. Sed de his quidem res ita ſe habet, & aliud præterea nihil. de Papæ commemoratione cupio te diligentius indagare.

DE OBIECTIS A CERVLARIO QVID PETRVS.

Quicumque vero a te ſunt enumerati Romanorum errores, percurrimus: & alios quidem illorum execrandos duxi, atque vitandos, alios vero incertos, & alios prætermittendos. Quid enim noſtra intereſt, quod illorum ſacerdotes barbam radant? quid etiam, quod illi anulos geſtent in ſymbolum contracti cum ſancta Dei Eccleſia connubij? Nos etenim etiam coronam in capite geſtamus, pro veneratione procul dubio principis Apoſtolorum Petri, ſuper quem Dei Eccleſia eſt ſuperædificata. Quod enim impij illi ad contumeliam illius Sancti excogitarunt: hoc nos pie ad gloriam, & honorem ipſius facimus. Romani quidem barbam radentes: nos vero in capite coronam geſtantes. Auro etiam exornamur & nos, chirothecas, & manipulos, & ſtolas auro contextas habemus. Quod vero immundis rebus veſcantur, & monachi carnes comedant, & nidorem ſuillum: inuenies etiam huiuſmodi res, ſi diligenter inquiras, a nonnullis noſtrorum fieri. Bithyni enim, & Thraces, & Lydi comedunt picas, corniculas, & * turtures, & terreſtres, echinos, quorum vſum indifferentem patres nobis reliquerunt. nulla enim creatura Dei eſt reprobanda, ſi cum gratiarum actione ſumatur: idq. nos docet [a] vas illud ſindonis e cælo demiſſæ. Inquit enim beatus Baſilius: Sicut in oleribus quod noxium eſt ab inuicem ſegregamus; ita a carnibus quod noxium eſt, ab vtili diſtinguimus. herba enim eſt aconitum, ſicut caro vulturis; nihilominus neque toſciamum comederet aliquis ſanus mente, neque carnem canis attingeret abſque aliqua magna neceſſitate vrgente, ita vt qui comederet, non male feciſſet. In leguminibus vero, & oleribus nidorem ſuillum immiſcere, hoc etiam a ſanctis Patribus permiſſum eſt & decretum, præſertim illis, apud quos bonum oleum non reperitur. Inquit præterea in ſua Regula beatus Baſilius, quod ciborum differentia nihil prodeſt. ſocij præterea ſancti Pachomij ſues alebant.

* vultures

[a] Act. 10.

Sed

Sed malum eſt illud, & malorum peſſimum, additio in Symbolo: Si enim noſtra Euangelia eadem ſunt cum illorum Euangelijs; vnde illa plura, quæ nos edocti, huiuſmodi alienam additionem fecerunt? Sed vt videtur, amiſerunt Romani exempla Nicenæ ſanctæ Synodi. Cum Vandalica gens Romæ imperio diu potita ſit, a quibus fortaſſe Arrianorum errores ſectantibus didicerunt, vnica immerſione, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti (ſi vera ſunt quæ ſcripſiſti) baptiſmum conficere. Nobis enim ſatis eſt ad perfectam veritatis cognitionem & confirmationem ſapiens illud & ſalutare diuinæ gratiæ Symbolum. Docet enim nos perfectam fidem de Patre, & Filio, & Spiritu ſancto: Incarnationem præterea Domini Fidelibus manifeſtat, qui illam recipiunt. Illos itaque, qui Symbolo aliquid addunt, vel auferunt, anathemate damnamus. Si quis enim (inquit [a] Apoſtolus) euangelizauerit vobis præter id, quod euangelizatum fuit vobis, anathema ſit. Bonum eſt enim ad bonum reſpicere, præſertim cum neque Deus, neque Fides aliquod patitur detrimentum, ad pacem ſemper inclinare, & fratrum dilectionem. Fratres enim noſtri iſti ſunt, licet ruſticitate, vel ignoratione contingat illos ſæpe a recto recedere, propriæ ſeruientes voluntati. Nec oportet nos adeo exactam rerum diligentiam quærere inter barbaras gentes, quam nos quærimus, qui circa litteras verſamur. Magnum enim erit, ſi apud illos abſque aliquo errore ſanctiſſima Trinitas, vitæ origo & cauſa prædicetur, & ſi Incarnationis etiam myſterium iuxta noſtram ſententiam illi confiteantur.

[a] Galat. 1.

Quod vero ſuffocata ipſi comedunt, & duæ ſorores duobus fratribus commiſceantur, puto hæc fieri abſque Papæ permiſſione, vel ab alijs pontificibus hæc paruipendi. Id vero contigit fieri propter eorum audaciam, qui hæc facere non dubitant: qualia etiam in noſtro Romano Imperio multa præter leges, etiam execranda, fieri contigit, quæ nos ignoramus. Inuenies ſiquidem etiam in ipſa Conſtantinopoli, & extra eam multos, qui ſanguinem ſuillum comedunt. Vide itaque, venerabiliſſime domine, quomodo nos multa eorum, quæ a noſtris perperam fiunt, negligentes, & prætermittentes, diligentius, quam par eſt, res alienas curioſe indagamus, & de illis verba facimus] hucuſque epiſtola Petri Patriarchæ Antiocheni ad Cerularium.

In qua vidiſti ipſum alia a Cerulario ſcripta mendacij redarguere, alia vt leuia & nullius ponderis contemnenda eſſe iactare, alia diſſimulando præterire, ea ſcilicet de recepto in Diptychis nomine Romani Pontificis, & de duobus Patriarchis, in azymis ſacrificium offerentibus. Latinos vero additamenti ad Symbolum redarguere, & imperitiæ nomine fugillare. De quibus ipſis, quam ipſe ſit imperitus, quamq. cum Græcis omnibus erret, cum Tomo ſuperiori pluribus actum ſit, & ſcripta Humberti cum epiſtolis Leonis Papæ demonſtrent, ſuperfluum eſt rurſus ea in iudicium reuocare. Ceterum ſi Petrus Romanæ Eccleſiæ Fidem non probat, cur mox, vt eſt creatus Epiſcopus, ſuæ fidei profeſſionem Romam anno ſuperiori (vt vidimus) ad Romanum Pontificem miſit? Et ſi imperitus: cur eiſdem ſuis litteris eumdem conſulendum putauit? iſta enim omnia patent ex reddita ad ipſum epiſtola Leonis Pontificis. At quantum ex ijſdem litteris Petri liquet, idem ipſe haud liberioris affectus fuiſſe perpenditur, ſed temporibus inſeruiſſe, fidemq. pro perſona mutaſſe. Quod enim ſub Conſtantinopolitano Imperio Antiochia erat, & mutarentur eius arbitrio Patriarchæ, offenſam veritus eſt incurrere Michaelis. Sic infelix Orientalis Eccleſia vel (vt vidiſti in Michaele) craſſa admodum ignorantia laborabat; vel qui præ ceteris ſcire aliquid viderentur, circumferebantur in gratiam hominum omni vento doctrinæ. Sed iam ad res Occidentales conuertamus orationem, ipſoſq. aſſectemur Legatos in Italiam redeuntes, de quibus iſta Leo Oſtienſis: [b]

PETRVS EPISC. ANTIOCH. MVLTIPLICITER REDARGVENDVS.

[b] Leo Oſt. lib. 2. cap. 89. DE REDITV LEGATORVM IN ITALIAM.

Cum intra hos dies, defuncto iam Papa, Legati redire diſponerent, regijs illos donis ſecutus Imperator, beato quoque Petro munera per eos haud parua tranſmiſit. Illorum inſuper precibus binas auri libras huic monaſterio ex redditibus regijs ſingulis annis inſtituit. Eorum pro ſpero reditu Traſimundus Theatinus Comes *admonitus ſcilicet*, eos, dum per terram ſuam tranſirent, cepit, & cuncta quæ ferebant, tollens, tandem dimiſit. ſic itaque Fridericus Romam adiit] Qui nec ſic ipſe inuidiam vitare potuit atque calumniā de ingenti pecunia accepta ab Imperatore, in Italiamq. delata, cuius rei cauſa eidem Henricus Imperator negotium faceſſiuit: quem ipſe pia arte ſapienter eluſit, ſubijcit idem Leo: [c] Comperto, inquit, Imperator, Fridericum Conſtantinopoli reuerſum

[c] Idem lib. 2. cap. 90.

Universidad de Deusto
Biblioteca

uersum magnam detulisse pecuniam, cœpit eum vehementer habere suspectum. Eo A
enim tempore fratri eius Duci Godefrido inimicissimus erat] ait enim Hermannus hoc anno: Godefridus iterum contra Imperatorem tyrannidem inuasit, Italiamq. latenter adiens, Beatricem, Bonifacij quondam Marchionis viduam vxorem accepit] quo inito coniugio, ex rebus Italicis magnam ad suam potentiam faceret accessionem, vt ipsi Imperatori timendus pariter esset. Sed quid Fridericus tanta pulsatus calumnia? subdit Leo: Hoc per necessarios Fridericus agnito, Abbatem nostrum, qui per eos dies fuerat ab Imperatore reuersus (Richerius erat iste Cassinensis Abbas) Romæ clam conuenit, & se vt secum ducat, & monachum faciat, studiose precatur. Annuit Abbas gratissime, præmissoq. cum suis ad monasterium, ipse post paucos dies cum Imperatoris Nuntijs, qui ad Principes mittebantur, aduenit. Mox igitur Fridericus coram positis Nuntijs abiecta, qua tunc vtebatur, pretiosissima veste, religionis habitum sumpsit, ipsisq. Nuntijs id de se Imperatori nuntiare iubens, Fratribus de cetero adiunctus est] at de spreto sæculo centuplum iste retulit in hac vita. Nam B
postmodum eiusdem monasterij creatus est Abbas; inde vero Pontifex Romanus est effectus, Stephanus nominatus. sed de his suo loco: modo de Ecclesiæ Romanæ statu loquendum.

FRIDERICVS CANCELLARIVS FIT MONACHVS.

Leo Papa (inquit Leo[a] Ostiensis) mansit Beneuenti vsque ad mensis Martij duodecimum diem, ibiq. infirmatus, vocato prædicto Comite Hunfrido *Northmanno, haud pridem hoste victore, modo obsequentissimo Dei virtute famulo*, ab eo Capuam vsque deductus est. ibi duodecim dies remoratus, accersito tandem Abbate nostro, sui itineris socio, Romam redijt: ibiq. post paucos dies sancto fine quieuit. Ad cuius tumulum plurima tunc temporis signa Christus effecit] hæc Leo Ostiensis. eadem de miraculis etiam C
Hermannus, eiusdē temporis scriptor: qui & ista de obitus die: Paschali instante tempore Romam ægrotus reuersus, inualescente indies languore, glorioso exitu, cunctis prius benedicens, & admonitis valedicens, sanctoq. Petro peccata sua confessus, & deuote se illi commendans, xiij. Kal. Maij. obijt, & in basilica sancti Petri, iuxta sepulchrum sancti Papæ Gregorij sepultus, miraculis claruisse memoratur] hæc Hermannus. Quem igitur Deus miraculis illustrauit, sancta Ecclesia inter Sanctos retulit, annis singulis diem natalem eius sacris ritibus colens decimanona mensis Aprilis. sedit Leo annos quinque, menses duos, & dies octo.

[a] *Leo Ost. lib. 2. cap. 88.*

DE OBITV LEONIS PAP.

Quod rursum ad miracula ab eo edita spectat, præter illa quæ superius sunt recensita, illud pluriū Scriptorum auctoritate fulcitur, Leprosum quemdam ad fores iacentem ab ipso iussum in suum lectum ferri, atque curari; sed non amplius cuiquam visus, D
creditus est a cunctis Christus in leprosi specie apparuisse, vt sæpe alias visum esse contigit. sed hæc in vita ipsius. Quæ autem ab eodem post obitum sunt miracula edita, omnes, qui res ab eo gestas describunt, absque vlla ambiguitate confirmant, plurimos ab eo in ipsius sepulchro esse sanatos diuersis, quibus detinebantur, languoribus. Sed egregium plane illud, quod describitur a Desiderio Abbate Cassinensi, qui fuit postea Romanus Pontifex, Victor eius nominis Tertius, in tertio libro dialogorum, quiq. vbi narrasset, quæ viuens miracula insignia edidisset: de obitu eius agens, & miraculis post obitum editis ista habet:

DE MIRACVLIS S. LEONIS PAPAE IX.

Dum beatissimus Pontifex Leo quinque per annos diuinitus sibi concessum sacerdotium pie ac religiosissime administrasset, ab hac instabili luce ad Christum, qui E
vera & æterna lux est, cælorum lætantibus ciuibus, angelicis subuectus manibus commigrauit. Et illi quidem paradisus patuit, Sanctorum recepto consortio: sed infelix mundus, qui talem pastorem diu habere non meruit. Cuius post obitum multa & magna ad eius tumulum, alijsq. in locis per eum, Domino tribuente, claruere miracula. E quibus omissis ceteris, duo tantum (quia ad aliorum gesta narranda festino) ædificationis gratia huic libello subnectam. Victor Papa, qui in regimine sacerdotali ei successerat (sicut a veridicis viris nobis relata sunt) audita fama miraculorum eius, quod per eum Dominus talia operaretur, fidem accommodabat. Sed quia (vt ait[b] Apostolus) linguæ in signum sunt non Fidelibus, sed Infidelibus: omnipotens Dominus experimento eum docere voluit, quæ audita a pluribus, minime credere volebat.

MIRACVLA DVO A DESIDERIO DESCRIPTA.

[b] *1. Cor. 14.*

Curiensis quidam Episcopus, cuius nomen e memoria excidit, cum supra memorato

A rato Pontifice Victore e Germania veniens, eius in obsequio Romæ morabatur. Hic puerum ab vtero matris mutum habebat, quem pro mercede animæ suæ pascens, ac vestiens, quocumque ibat, secum ducere consueuerat, in cuius vacuo ore nec indicium quidem linguæ inesse videbatur. Qui etiam Episcopus ex mirabilibus ad beati Leonis tumulum patratis, similiter vt Papa, incredulum animum gerebat. Cum igitur quadam die ad sedem sui Episcopatus, iam accepta licentia, reuerti decreuisset: ecclesiam beati Petri Apostoli orationis gratia ingressus, postquam beato Petro se attentius commendauit, suis cum clientibus equis ascensis, puero in eadem ecclesia oblito, festinus viam, quæ eum ad suam ducebat patriam, egressus Vrbe gradiebatur. Cum itaque longiuscule adhuc esset ab Vrbe profectus, repente ei in memoriam rediit, quod mutum puerum in ecclesia beati Petri Apostoli reliquisset. Qui mox subB stitit, ac famulos suos, a quibus puer reduci deberet, quosdam remisit. Igitur cum illi Apostolorum Principis basilicam essent ingressi, conspiciunt puerum ante tumulum beati Leonis stantem, atque cum ijs, qui circumstabant, loquentem. Illis itaque mirantibus, & qualiter hoc sibi euenisset, quærentibus, puer inquit: Postquam dominus meus hac in ecclesia me relinquens discessit, huc ad sepulchrum beati Leonis me contuli, si forte omnipotens Dominus, officium, quo carebam vocis, meritis eius mihi restituere dignaretur. Nec fum meo, quod corde poscebam, voto fraudatus; sed mox, vt ante eius venerandam Memoriam lacrymans aliquantulum prostratus iacui; ilico recepta voce loquens (vt ipsi videtis) surrexi. Ab illa itaque die (quod mirabilius est) cœpit in ore eius lingua, quæ defuerat, paulatim crescere, ita vt intra paucos dies pleno ore linguam perfecte reciperet, & verba sine impedimento sonaret.

GRANDE MIRACVLVM DE MVTO CVRATO.

C Denique qui missi fuerant, curauerunt puerum ad Episcopum ducere, & quem tacentem reliquerat beati Leonis suffragantibus meritis, ei loquentem adducunt. Regressus igitur Episcopus, Romanum Pontificem adijt, & quod omnipotens Dominus per beatum Leonem operari dignatus fuisset, ostendit. Ex tunc cœperunt ipsi eius veneranda merita cunctis prædicare, quæ alijs antea referentibus non patiebantur audire] hæc de muto sanato.

Inferius vero rursus de eodem beatissimo Papa Leone, in sepulchro suo miracula operante, quod postea contigit sub Alexandro Papa, tempore schismatis, ista subnectit: Illustris vir Maximus, Romanæ Vrbis ciuis, nuper retulit mihi de eodem venerabili Præsule, quæ narro. Bernardus quidam pessimæ mentis miles extitit, qui Apostolicæ Sedi contrarium se in omnibus, quibus potuit modis, exhibuit. Sed in bello,
D quod a vicinis circa Vrbem manentibus, coniurantibus cum *Cadulo Parmensi Episcopo, qui tunc Apostolicam Sedem inuadere tentabat, cum militibus, qui Romanam Ecclesiam defendebant, commissum est, iusto Dei iudicio confossus interijt. Hic igitur audita fama miraculorum, quæ omnipotens Deus meritis beati Leonis fidelibus populis exhibebat: non solum non credebat, verum etiam ore sacrilego deridebat, & blasphemabat. Cum denique quadam die in conuentu appareret populi, & sermo inter eos de signis, & virtutibus beati Leonis exortus esset, cœpit irridere, dicens: Si sanctus est (vt dicis) contrahat mihi digitum meum. Cumq. compesceretur ab ijs, qui astabant, ne de sancto viro talia loqueretur, dimisso conuentu discessit. Cum ecce forte canis, qui eum sequebatur, suem in platea inuentum inuasit. Ille vero ne porcus discerperetur, festine cucurrit, ac iniecta manu, canem tenere voE luit: sed mox porcus hianti ore digitum eius momordit. Sicq, ab illa die, omni tempore quo vixit, digitum contractum habens, nullatenus eum extendere potuit. Vnde factum est, vt qui Dei famulum irridere præsumpserat, ipse contracto digito, omnibus derisui haberetur. Hæc de tanto patre Leone dicta sufficiant, vt quia ad aliorum narranda gesta properamus &c.] hucusque Desiderius. Iam vero quæ sunt secuta de successoris electione videamus.

* Cadaloo

DERISOR S. LEONIS DAT POENAS.

Post mortem eius pene interlapsus est annus, quod caruit Ecclesia Romana pastore: vacauit enim Sedes menses vndecim, & dies vigintiquatuor. Tam diuturni interregni non nisi discordia in Vrbe Romana potuit esse causa, nempe quod absente Imperatore vigeret factio Comitum Tusculanorum, viuente adhuc Benedicto illo intruso, sæpe reiecto, pseudo Romano Pontifice, iterum statum sanctæ Romanæ Ecclesiæ perturbante. Ad quod tam grande malum vitandum opus fuerit legationem mit-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nem mitti ad Imperatorem ab ipso Romano Clero, vt eiusdem Cleri nomine Imperator ipse eligeret quem Clerus vellet creari Pontificē.de his enim habet ista Leo Ostiensis, agens de missa legatione : [a]

[a] *Leo Ost. lib. 2. cap. 90.*

LEGATIO AD IMP. PRO PETENDO ROM. PONT.

Defuncto sanctæ memoriæ Leone Papa, Hildebrandus tunc Ecclesiæ Romanæ subdiaconus a Romanis ad Imperatorem mittitur: vt quoniam in Ecclesia Romana persona ad tantum officium idonea reperiri non poterat, de partibus illis, quem ipse, tamen vice Cleri, populiq. Romani Pontificem elegisset, adduceret. Quod cum Imperator annuisset,Gebehardum Aistetensem Episcopum, cuius supra meminimus, de Romanorum consilio postulauit. Tristis ad hæc Imperator (nimis enim illi charus erat) cum illum omnibus modis sibi necessarium diceret, & alios plerosque huic officio magis idoneos proponeret: Hildebrandus in sententia perstitit. erat enim idem Episcopus non modo prudentissimus, verum in toto regno ditior, atque potentior omnibus. Hunc itaque inuitum licet, ac nolente Rege (propter quod postmodum monachos non amasse dictus est) Romam secum adduxit, &c.] reliqua vero de eius creatione dicemus anno sequenti, quo contigit. Addit his vero Hermannus, voluisse Imperatorem electionem tantæ Sedis Pontificis fieri in Concilio Episcoporum: cuius rei agendæ causa celebratum est Concilium Moguntinum. ait enim: Conuentus ab Imperatore Moguntiæ factus est, in quo Gebehardus Aistetensis Episcopus ab Episcopis electus Romam missus est, &c.]

A

B

Quod autem Bennonis sententia (qualiscumque æstimanda sit) asseratur Benedictus, qui & antea Theophylactus est dictus, perturbasse post Leonis obitum Romanam Ecclesiam, nec de eo amplius vsquam sit mentio: existimari potest, hominem nefarium hoc eodem tempore finem viuendi fecisse, quem Deus condemnatum ad inferos voluit omnibus innotescere, quo non dubitarent homines secundum illud Sapientiæ accidere post obitum, quod [b] Potentes potenter tormenta patientur, & fortioribus fortior instabit cruciatio] longeq. decipi mortales miseros, qui ex amplitudine dignitatum, non meritorum aliquem iudicant felicem atque beatum. Nam accipe terribile horrendumq. Dei iudicium super hominem, qui non posuit [c] Deum adiutorem suum, sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum, & præualuit in vanitate sua. Scribit ista Petrus Damiani, quæ se accepisse testatur a viro præstantissimo, scientia & integritate notissimo Humberto Episcopo Siluæcandidæ, perfuncto hoc eodem anno (vt audisti) legatione Constantinopolim. In epistola igitur, quam scribit ad Fratres eremi, hæc habet: De æquinoco quoque eiusdem Benedicti Senioris Papæ nepote, qui post eum tertius, Ioanni vero secundus in Romanæ Ecclesiæ inuasione successit,idem mihi narrauit Humbertus. Quia Vaclus quidam dum iter ageret, accidit vt iuxta molendinum equo insidens pertransiret: ecce repente monstrum immane conspexit. Quo viso subito eum terror inuasit, & stupefactus intremuit. Videbatur autem monstrum illud in aures aselli,caudamq. desinere, cetera vrsus erat.

C

[b] *Sap. 6.*

[c] *Psal. 51.*

VISIO DE BENEDICTO PSEVDOPAPA.

D

Cumq. viator ad hoc portentum territus obrigescret, fugamq. præcipitem formidolosus iniret: informe prodigium humanæ vocis verba formauit: Noli,inquit,o vir, expauescere: hominem me olim fuisse, sicut & ipse nunc es, procul dubio crede; sed quia bestialiter vixi, post finem vitæ bestiæ præferre speciem merui. Porro cum ille perquireret, quis fuisset: Ego,ait,solo nomine Benedictus fui, qui nuper Apostolicæ Sedis apicem indignus obtinui. Inquisitus autem, quidnam retributionis haberet: Nunc, inquit, vsque ad diem Iudicij per dumosa atque squalentia,per sulphurea loca, atque fœtorem exhalantia, atque incendijs conflagrata rapior, atque pertrahor. Post extremum vero Iudicium corpus meum simul & animam irremediabilis cruciatus, & gehennalis barathri me irreuocabilis olla deglutiet, ita vt nulla mihi recuperationis spes in posterum restet. post hæc vero & huiusmodi verba disparuit.]

E

INTERPRETATIO VISIONIS PER PETRVM FACTA.

Petrus autem super ostensa visione philosophatus, cur videlicet eo modo visus sit apparere, effigieq. formari, ista mox subijcit, dicens: Sed cum ego,cur ille in hac specie conspectus sit, indagare quæro, non deesse mysterium ab eo quod visum est, deprehendo. Nam quia miserabilis ille ab ipso Pontificatus primordio vsque ad finem vitæ in luxuriæ cœno conuersatus est:non incongrue visus est & ab auribus incipere,& in caudam asini terminare. Asinus quippe luxuriosum est animal,sicut Propheta designat, cum de carnis immunditiæ deditis ait: [d] Et carnes asini carnes eorum. Quod autem

[d] *Ezech. 23.*

A autem per cetera membra vrsi tenebat speciem,vitam in omnibus docetur duxisse carnalem. Nam sicut a Physicis traditur, vrsa cum parit, non catulum, iuxta consuetudinem bestiarum, sed frustum carnis effundit: moxq. quod effusum est, crebrius lingendo & lambendo componit, sicq. ad sui similitudinem lingua formante perducit. Iure igitur, quia luxuriose & carnaliter vixit, in asini similitudine, & vrsi figura comparuit] hæc Petrus. Nec vacat mysterio,cur iuxta molendinum eiusmodi visio apparuerit (nam & sanctus [a] Gregorius ipsa loca, in quibus ostensæ sunt visiones, aliquid semper significare demonstrat) per [b] molam namque asinariam, & [c] molarem lapidem pœnarum æternitatem, per orbem iugiter reuoluendam interpretati sunt Patres, eadem sacræ Scripturæ loca elucidantes. Hactenus de Benedicto pseudopapa: ita enim eum nominare libet. Quoniam etsi aliquando vt legitimus Papa sit cognitus;

[a] *Greg. in Exec. homil. 1. & 2.*
[b] *Matth. 18.*
[c] *Apoc. 18.*

B tamen, quod postquam se abdicauit, iterum atque iterum Sedem inuasit: habito respectu posteriorum actionum, quæ præcipue sunt in homine considerandæ, tali iure dignus est nomine.

CONST. MONOM. IMP. OBITVS. THEODORA IMPERAT.

Eodem anno Indictione septima ex hac vita migrasse Constantinum Monomachū, Curopalata testatur, habenas vero Imperij moderandas suscepisse Theodoram Porphyrogenitam,filiam Constantini Decimi Imperatoris,sororem Zoes Augustæ;eamq. animaduertisse in aliquos,Imperij culmen arripere satagentes, testatur idem Curopalata; qui eumdem Imperatorem defunctum esse in monasterio, quod ædificauit, affirmat. de quo, cum quæ damnanda essent in homine, lasciuiam & tributorum nouorum exactionem recensuit, hæc laude digna commemorat verbis istis: Quædam eius opera memoria digna referuntur. Nam monasterium, quod diximus, & in ipso

C constructa hospitia ad alendos senes,hospites & mendicos, laude digna sunt: & quod præstitit erga magnum Dei templum, non est debita laude fraudandum. Siquidem vsque ad illius tempestatem insignibus tantum diebus festis in ipso, itemq. sabbatis & Dominicis diebus incruentum Deo sacrificium peragebatur: reliquis vero diebus nequaquam. Id autem nulla alia de causa fiebat, nisi ob redituum inopiam: quos ille opipare constituens & abunde, vt quotidie sacra celebrarentur,auctor fuit: idq. etiam nunc obseruatur. & sacro huic cultui vasa dedicata in hoc templo proposuit, ex auro, & pretiosis margaritis, lapillisq. cōtecta,reliqua magnitudine,pulchritudine,& pretio longe superantia; reliquisq. alijs muneribus ipsum haud paucis illustrauit] hæc ipse.

VICTOR SECVNDVS PAP.

ANNVS Redemptoris sequitur quinquagesimusquintus supra millesimum, Indictione octaua, quo Idibus Aprilis, Gebehardus ex Episcopo Eistetensi electus Papa(vt dictum est)anno superiori,consecratur Romæ Pontifex,vocatus Victor Secundus. facta est hæc solemnitas (ait Hermannus) in die Cœnæ Domini. Venisse autem Romam Henricum Imperatorem, secumq. duxisse Pontificem consecrandum, tradit Leo Ostiensis.Hermannus autem illum missum ab eo tradit;Imperatoris autē aduentum in Italiam postea contigisse hoc anno. de quo ista: Imperator Natalem Domini

[d] *Leo Ost. lib. 2. cap. 90.*

E Goslariæ celebrauit, ac deinde expeditionem in Italiam parauit, ac diem sanctæ Paschæ Mantuæ egit: diem autem Pentecostes Florentiæ, ibiq. coram eo a domino Papa generali Synodo habita, multa correcta sunt] at quænam ista fuerint statuta in Concilio Florentino, perquirenda. Constat quidem testificatione Lanfranci, Victorem ipsum in omnibus Concilijs, quæ celebrauit, vel celebranda curauit, confirmasse cuncta a prædecessore statuta, præcipue damnationem hæresis Berengarij per prædecessorem ipsum Leonem in Romano Concilio constitutam. ait enim: Quæ sententia Leonis Papæ non effugit successorem quoque suum felicis memoriæ Papam Victorem. Sed quidquid de hac re, seu de ceteris ipse statuit, statuiue præcepit, hoc etiam iste sua, atque omnium Conciliorum suorum auctoritate firmauit] hæc ipse.

CONCILIVM FLORENTINVM.

Insuper etiam in hoc eodem Concilio Florentino liquet constitutum fuisse decretum de beneficijs ecclesiasticis, ne illa scilicet distraherentur ab Episcopis. Meminit huius decreti Petrus Damiani in epistola ad V. Episcopum scripta. extat inter alias

Universidad de Deusto
Biblioteca

nondum cusas, quas continet codex bibliothecæ sancti Petri in Vaticano, quam tibi hic describendam curaui. sic enim se habet: A

EPIST. PETRI DAM. DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS.

Domno V. reuerentissimo Episcopo Petrus peccator monachus salutem.

Nolo te lateat, venerabilis frater, quia de prædijs ecclesiæ tuæ, quæ distrahere diceris, non paruus rumor increuit. nam & cor nostrum non leui mœroris aculeo nuper eadem fama transfodit. Numquid oblitus es, quod ante fere quinquennium Victor Apostolicæ Sedis Episcopus in plenario Concilio Florentiæ celebrato, cui simul & Henricus Imperator interfuit, hoc sub excommunicationis censura prohibuit? An ignoras quia ad hoc ecclesijs prædia conferuntur, vt ex eis pauperes sustententur, indigentes alantur, & ex eis viduis atque pupillis subsidium procuretur? Ecclesiæ quippe nascentis initio hic mos inoleuit, vt quilibet venientes ad Fidem possessionum suarum iura distraherent, atque ad pedes Apostolorum pretium, quod ex eis sumebatur, B

a Act. 4.

offerrent. vnde & in eorum [a] Actibus legitur: Quotquot, inquit, possessores agrorum & domorum erant, vendentes, afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Procedente vero tempore, sanctis ecclesiarum rectoribus visum est, vt ipsa potius prædia traderentur, vnde scilicet non modo clericos, sacris excubantes officijs ecclesia pasceret: sed & refrigerij stipem diuersis indigentibus & inopia laborantibus ministraret.

Perpende ergo venerabilis frater, quantorum homicidiorum in die Iudicij reus erit, qui modo tot viduis, tot orphanis, diuersisq. pauperibus, vnde viuere debeant, subtrahat? Ad tribunal illius, qui pauperes singulariter diligit, qui se in paupere refici, in paupere se perhibet esurire: ad tribunal, inquam, illius qua conscientia veniet, qui alimenta se subtraxisse pauperibus recognoscit? Si damnatur ille, qui vel vnum peremit hominem ferro: qua sententia dignus est, qui bona Ecclesiæ profligando, complures interficit famis, & inopiæ gladio? de quibus diuina voce malo cuilibet venditori iam dicitur: C

b Gen. 4.

[b] Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Et ille quidem fratrem peremit inuidia, quia sacrificium non est, Deo reprobante, susceptum: isti plerumque tale quid faciunt amore pecuniæ, quæ est seruitus idolorum.

Sed quia conueni te, ac super his qua licebat auctoritate corripui, respondisti paruum quid esse quod datum est, nec rei modum excessisse, quod mihi fama vulgante perlatum est. Ad quod ego: Aliquando guttatim liquor emanat, qui tamen vas prorsus euacuat. vber etiam promptuarium, vnde modicum quid quotidie tollitur, tamen aliquando vacuum reperitur. Idipsum tamen quod paruum & exiguum dicis, iudi-

c Ierem. 32.

cantis omnia scientiam non euadit. audi quid Ieremias dicat: [c] Factum est verbum D Domini ad me dicens: Ecce Hanameel filius Sellum patruelis tui veniet ad te, dicens: Eme tibi agrum meum qui est in Anathoth: tibi enim competit ex propinquitate vt eum emas. & paulo post subdit: Intellexi autem quod verbum Domini esset: & emi agrum ab Hanameel filio patruelis mei, qui est in Anathoth, & appendi ei argentum, stateres septem & decem argenteos. Ecce quam exilis, quam paruus fuisse ille perpenditur, vt decem dumtaxat argenteis, & septem stateribus emeretur: & tamen verbum Domini ad se factum super eum Propheta testatur. Nam & eidem Ieremiæ tanti fuit agellus, vt de eo dicat: Et scripsi in libro & signaui, & adhibui testes, & appendi argentum in statera, & accepi librum possessionis signatum, stipulationes, & rata, & signa forinsecus, & alia plura, quæ hic annotare postponimus, ne fastidium legentibus ingeramus. Dum ergo tam parua possessio a Propheta tam solemniter sumitur (vt etiam diuinæ vocis oraculo prædicatur) quælibet ecclesiastici iuris hereditas quanto ad vendendum debet esse terrori: ex qua videlicet Christus in suis debet indigentibus sustentari? E

Sed quid venditionem loquimur, cum non modo ea, quæ per emphyteuseos sunt locata contractum, vel quæ hypothecario iure perueniunt, siue etiam quæ libellario nomine pensitantur: sed illa quoque, quæ sub nudo beneficij vocabulo sæculares accipiunt, reuocari de cetero, & restitui ecclesijs nullo modo possunt? Ita quippe manus diripientium diabolicæ tenaciæ glutinis inuiscantur, vt quolibet modo semel acceperint, ecclesijs reddere sua bona nullatenus acquiescant: & non modo ipsi dum viuunt, proprietario quasi iure possideant, sed & in posteros sui germinis eminus possidenda transmittant. Petunt a te sæculares ecclesiastica prædia, importune se ingerunt, suppli-

A supplicantes insistunt, & sub astipulationibus monimenti, sed tantum forte nomine beneficij, quod vbique tantundem est, ac si adamantino stylo tabulis æreis scriberetur. Veniunt itaque ad te dicentes cum [a] Achab Rege Samariæ: Da mihi vineam tuam, vt faciam mihi hortum olerum, quia vicina est, & prope domum meam? Tu cum Naboth Iezraelite præsto responde: Propitius mihi sit Dominus, ne dem hereditatem patrum meorum tibi. a 3. Reg. 21.

Præterea non ignoras, quia cum a pœnitentibus terram accipimus, iuxta mensuram muneris eis de quantitate pœnitentiæ relaxamus; sicut scriptum est: Diuitiæ hominis redemptio eius. Perpende igitur, & congrua ratione considera, quia sicut illis, qui prædia præbent ecclesijs, pœnitentiæ suæ pondere merito leuigatur: sic ille qui subtrahit, subeundæ pœnitentiæ digna mole deprimitur. Nam si dator absoluitur, B consequēs est vt præreptor vinculis innodetur, tantoq. huic debito teneatur obnoxius, quanto ille non ambigitur absolutus. Quisquis igitur ecclesiastici territorij prodigus est . . . tot in vnum caput mala concurrunt. In tremendo namque Iudicio Sancti, quorum honor clericorum egestate minuitur, irascuntur: pauperes, viduæ, pupilli, quilibet hospites famis se gladio clamitant interemptos. sic multiplicis homicidij reus erit, qui sanguinem forte numquam fudit.

DE NON TRADENDIS DECIMIS SAECVLARIBVS.

Sunt & qui plebes sæcularibus tradunt: hi nimirum tanto grauius delinquunt, quanto & sacrilegium committere conuincūtur. quia & sancta profanant, & his, quibus quasi beneficium prærogant, venenum lethale propinant. Quid est & decimas in vsum sæcularium vertere, nisi mortiferum eis virus, quo pereant, exhibere? Huc accedit, quia & Plebanis iusta datur occasio, vt matricibus suis ecclesijs obedientiam C subtrahant, vt non eis legitima decimarum tributa persoluant. Et hæc reuera sunt egregia dona pontificis, quibus nimirum honor ecclesijs tollitur; accipienti quod datur in perniciem vertitur, populus a Christiani ritus obedientia reuocatur. Ab his itaque sacrilegis donis, dilectissime frater, manum retrahe: ab his nefarijs, profanisq. contractibus cauta semper ac diligentissima te prouisione compesce. Prius animas tibi commissas, deinde etiam facultates ecclesiæ peruigili semper attentione guberna, vt stadio tui villicatus emenso, non (quod absit) ecclesiæ dissipator, sed celebris famæ testimonio custos dicaris & pastor. Obsecro frater, ne grauis tibi videatur ista correctio. Nam quia nostro studio prouectum te ad Episcopatus apicem non ignoras; dignum est, vt sicut prouehentem, ita nihilominus & redarguentem aliquando æquanimiter feras. Nam & ipse Dominus Petrum vniuersali prius Ecclesiæ prætulit; de-

D inde grauis reprehensionis inuectione pulsauit. nam cum diceret: Tibi dabo claues regni cælorum; & quodcumque ligaueris, siue solueris super terram, ligabitur, & soluetur in cælis: paulo post eum tam austere corripuit, vt diceret: Vade post me satana, scandalum es mihi, quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum. In quo nimirum nobis dedit exemplum, vt quos ad honoris culmen attollimus, sub disciplinæ semper magisterio refrænemus. Et ne ipsi se lenocinante fastigio in superbiæ tyrannidē erigant; magistri eos sub custodiæ suæ calcibus premant] hactenus Petrus.

RESTITVTIO VSVS CANONVM POENITENTIALIVM.

Hic vero opportune se ingerit, & quasi necessitas exigit, vt eiusdem Petri verba illa explicantes, quibus ait: Non ignoras, quia cum a pœnitentibus terras accipimus, iuxta mensuram muneris eis de quantitate pœnitentiæ relaxamus, &c.] de eiusmodi redemptione pœnitentiæ (vt Ecclesiæ ritus plenius innotescat) agamus. Quos E enim Patres siue ex Concilijs, siue ex decretis Romanorum Pontificum statuerunt canones, quibus delinquentibus pœna, seu (vt dici solitum) pœnitentia irrogari consueuit, ob idq. pœnitentiales nominatos, ad coercendos homines, ne absque disciplina, atque timore supplicij prolaberentur ad mala: eosdem vniuersa Ecclesia, Romana præsertim, retinere consueuit in sui vigore & obseruantia venerandos. sed & cum temporum iniuria eorum seuera censura prætermissa videri posset: eos iterum in vsum pristinum reuocare studuit; vt hoc sæculo factum videmus, quo tandem post tot naufragia ecclesiarum, exul censura postliminio reuocata vigere cœpit: atque adeo, vt neque per religionis ingressum quis eo debito solueretur. Nam audi quæ idem Petrus Damiani scribat in libro De perfectione monachorum sexto capite, cū queritur, quod illi, qui reus teneretur implendæ pœnitentiæ septuaginta annorum, Abbas eam remisisset in eius religionis ingressu ob commodum monasterij. ad quem hæc ipse: Quid di-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cam? fateor, mihi res valde displicuit, despexi, horrui, & hominem deceptum esse A
clamaui] quod diceret Abbas scilicet, sufficere post peractam confessionem ad pœnitentiam ipsam a sæculo conuersionem. quæ in exemplum voluimus adduxisse, ad significandum, quam tenax his temporibus esset ecclesiastica censura in obseruantia pœnitentialium canonum.

REDEMPTIO POENITENTIAE.

Quoniam vero contingeret ob iterata frequenter peccata mortalia, quorum causa plurium annorum pœnitentia inferretur, desperare homines tot annorum curriculis, & aliquando sua ætate integra sub eodem pœnitentiæ fasce gemere; immo interdum nec hominis ætatem sufficere ad expianda per pœnitentiam præscriptam canonibus commissa peccata: aperta est in Ecclesia ianua pœnitentiæ redemptionis, ne quis ex hac vita Ecclesiæ debitor præuentus morte decederet, factumq. est, vt breuiori compendio temporis satisfaceret, quæ plurimorum annorum termino persoluere teneretur. Quæ quidem redemptio multiplici via, quo vnicuique hominum statui prospectum esset, vt fieri posset, consultum optime fuit: nimirum vt qui diuitijs affluerent, erogando eas in vsum pauperum, pro quantitate persoluti pretij tot redimeret eis annos, quot lex ecclesiastica concessit. hoc est igitur quod Petrus ait: Non ignoras, quia cum a pœnitentibus terras, possessiones agrorum videlicet accipimus: iuxta mensuram muneris eis de quantitate pœnitentiæ relaxamus] Quibus plane ostendit, bona ecclesiastica eiusmodi fieri solita redemptione aucta creuisse. B

Rursus autem ne diuitibus tantum aperta redemptionis huius ianua videretur, aliæ ab Ecclesia excogitatæ sunt corporeæ afflictiones, quibus pauperes & alij qui vellent, redimere breui tempore multiplices annos possent. de istiusmodi remedijs apud Burchardum, de quo suo loco, hoc Tomo superius egimus, tractatio prolixior est. Scripsit enim librum Decretorum pœnitentiæ, qui in sua Collectione ordine numeri ponitur decimusnonus: a cuius capite duodecimo de pœnitentiæ redemptione agere sic incipit: C

Pro vno die, quem in pane & aqua ieiunare debet, quinquaginta Psalmos in ecclesia, si fieri potest, decantet: sin autem, in loco conuenienti eadem faciat, & vnum pauperem pascat, & eo die, excepto vino & carne & sanguine quidquid velit, comedat] & de alijs similibus vsque ad caput vigesimumquintum incluisiue. Inter alia autem redemptionis remedia palmatæ annumerantur, nimirum vt ferula palma manus pœnitentis verberaretur (vt sub austero Orbilio in scholis pueri accipere consueuere) vt dies vnus pœnitentia palmatis viginti redimi posset. hæcq. omnia & alia ipse, qui ex Romano Pœnitentiali ea recitare profitetur. Aliud erat genus verberum, quod per scopas inferebatur, ita instrumentum illud nominabant, quo pœnitens sibi ipsi verbera infligebat: de quo redemptionis genere est frequens mentio apud eumdem Petrum Damiani huius temporis scriptorem. qui scribens ad Alexandrum Papam, hæc habet de scopis: Vt tria scoparum millia vnum pœnitentiæ annum explerent cum modulatione Psalmorum: decem Psalmorũ modulatio mille scopas admittit. cumq. Psalterium constet ex centum & quinquaginta Psalmis, in quoque Psalterio quinque annorum pœnitentia expletur: sicq. viginti Psalteria cum disciplina cantata centum annorum pœnitentiam explent] Hæc ad Alexandrum Petrus, intelligens per disciplinæ vocem, verberationem ipsam, cum videlicet quis psallendo scopis verbera infligeret sibi ipsi: quod nomen cum actione ipsa ad posteros transijt, vt disciplinam agere sit, seipsum flagellis cædere. Sed illud accidit, vt quæ in redemptionem pœnitentiæ scoparum verberatio est introducta; eadem frequentiori vsu sit recepta inter omnes etiam Christianos nihil debentes eiusmodi canonum exactori pœnitentiario presbytero, imitatores Apostoli dicentis: [a] Liuidam facio carnem meam, & in seruitutem redigo, ne cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar] sponte se eiusmodi verberibus cruciantes. Quod & his Petri Damiani temporibus cœpit, vt sequenti anno dicturi sumus.

DE POENITENTIAE CANONICAE REDEMPTIONE.

VSVS ET NOMEN SCOPARVM SIVE DISCIPLINAE.

D

E

a 1. Cor. 9.

Sed iam vnde digressi sumus, ad canonem Concilij Florentini hoc anno editum a Victore Pontifice aduersus alienantes bona ecclesiastica, redeamus. Quod autem in Synodo damnatum hoc malum diu multumq. viguisset in maximum animarum detrimentum, quod ecclesiasticis legibus sub anathematis grauissima pœna iam vetitum fuerat; voluit etiam Deus ijsdem temporibus ad auertendos a tanto periculo homines,

A nes, in quod præcipites ruerent, successoresq. suos secum traherent in gehennam, per visum ostendere certam horum ad inferos damnationem, quam Episcopi populo prædicarent. rem gestam narrat Petrus Damiani in epistola ad Dominicum & alios Fratres eremi scripta; nec non in epistola ad Nicolaum Papam, quam continet codex basilicæ sancti Petri. sic enim se habet:

Porro autem, quia prudentissimi illius viri Humberti Archiepiscopi scilicet, *titulo tantum nominatus, sed Siluæcandidæ reuera Episcopus Cardinalis, de quo superius*, semel incidit mentio, aliud etiam insigne quod retulit (etiamsi magnopere ad propositum thema non pertineat) non silebo. Nam dum prædijs ecclesiarum iniuste possessis, sub conspectu præsentiæ venerandi Papæ in maritima ecclesia conuiuaretur, intulit congruenter exemplum. In Teutonicis partibus, inquit, Comes quidam diues ac præpotens, COMITES POSSESSORES REVM ECCLESIAE DAMNATI AD INFEROS.
B sed quod in illo hominum genere prodigium est reperiri, bonæ opinionis, & innocentis vitæ, prout humanum erat de eius æstimatione iudicium, ante decennium fere defunctus est. Post cuius obitum quidam religiosus vir per spiritum ad inferiora descendens, præfatum Comitem in supremo gradu cuiusdam scalæ positum vidit. Aiebat namque, quia scala illa inter stridentes & crepitantes vltrices incendij flammas videbatur erecta, atque ad suscipiendos omnes, qui ex eadem Comitum genealogia descenderent, constituta. erat autem tetrum chaos, immane barathrum, infinite patens, atque in profunda demersum, vnde scala producta surgebat. Hoc igitur ordine succedentium sibi series texebatur, vt cum quis eorum nouus accederet, primum interim scalæ gradum teneret: is autem, qui illic repertus erat, alijq. omnes ad proximum sibi gradum in ima descenderent. Cumq. alij atque alij ex eodem genere
C homines post carnis obitum ad præfatam scalam per temporum interualla confluerent, alij protinus cederent, ineffabilis iudicij necessitate ad inferiora migrabant. Plane dum vir, qui hæc contemplabatur, causam huius horrendæ damnationis inquireret; & præsertim cur ille Comes sui temporis puniretur, qui tam iuste, tam decenter, tam honeste vixisset? Audiuit quia propter quamdam prædij Metensis ecclesiæ possessionem, quam B. Stephano proauus eius abstulerat, cui videlicet iste iam decimus in hereditate successisset, omnes isti non diuerso supplicio deputati sunt. Et sicut eos ad peccandum non dispar auaritiæ culpa coniunxit: ita nihilo minus ad perferendas atrocis incendij pœnas commune supplicium copulauit] hæc Petrus, & quidem talia, quæ non solum ex grauissimis testibus conciliant sibi fidem, sed ex diuinæ Scripturæ præscripto, ita prorsus rem se habere, necesse sit affirmare. cum certum sit, [a] Apostolo prædicante, quod neque fures, neque rapaces, multo minus sacrilegi regnum Dei
D possidebunt. & ab eodem præscriptum sit, eadem pœna teneri facientes, [b] & facientibus consentientes, dum quod sciant heredes ab ecclesia esse sublata a maioribus bona, mala fide possideant.

a 1. Cor. 6.

b Rom. 1.

Quod autem (vt audisti) huic Concilio Florentino Henricus Imperator interfuit: in rebus gestis sancti Ioannis Gualberti de eo ista leguntur: Per idem tempus Henricus Imperator Florentiam veniens, cum multas beati Ioannis virtutes auditione accepisset, quadam erga illum concepta beneuolentia, hortante Theuzone supradicto, misit Episcopum Catholicum ad Vallis vmbrosæ monasterium, qui summum altare consecraret. post aliquot vero annos Humbertus S. R. E. Cardinalis totum templum consecrauit cum duobus alijs altaribus] hæc ibi. HENRICVS IMP. STVDIOSVS S. IOANNIS GVALBERTI.

E Qui autem rebus componendis, & restituendis Ecclesiæ sanctæ probatis moribus Victor Pontifex incumbebat: ad corrigendos prauos vsus Ecclesiæ Gallicanæ, causasq. quorumdam Episcoporum cognoscendas ac iudicandas Legatum a latere misit Hildebrandum ipsum tunc subdiaconum, qui postea creatus Pontifex fuit Gregorius Septimus. hic vbi illuc peruenit, Lugduni celebrauit Concilium. De quo Concilio quæ reperimus in antiquioribus Gestis Romanorum Pontificum, quæ collegit Nicolaus Aragonius Cardinalis, hic in primis describamus. sic se habent:

Eodem tempore cum simoniaca hæresis totam Italiam, & Burgundiam occupasset, idem Pontifex misit a latere suo eumdem * Archidiaconum Hildebrandum ad vltramontanas partes cum quibusdam Episcopis. Cum autem ad Lugdunensem prouinciam peruenisset, in ea Synodum celebrauit: in qua per ipsum Archidiaconum Deus maximum dignatus est operari miraculum. Residentibus enim in ea Synodo Archie- piscopis,

* non nisi subdiaconum.

CONCILIVM IN GALLIA PER HILDEBRANDVM.

Universidad de Deusto
Biblioteca

piscopis, Episcopis, & aliarum ecclesiarum Prælatis; Archiepiscopus vir quidam litteratus & eloquens accusatus est de crimine simoniæ. Qui sequenti nocte omnes suos accusatores pecunia corrupit, & sibi amicos fecit. Mane autem facto rediens ad Synodum, audacter dixit: Vbi sunt qui me accusant? exeat in publicum quicumque me voluerit damnare.

ARCHIEPISCOPVS MIRACVLO ARGVITVR SIMONIACVS.

Tunc obmutescentibus cunctis, prædictus Archidiaconus, tamquam vir discretus & sapiens, conuertens se ad illum, dixit: Credisne o Archiepiscope, Spiritum sanctum cum Patre, & Filio vnam esse substantiam Deitatis? quo respondente: Credo. addidit Archidiaconus: Dic Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Tunc ille Gloria Patri, & Filio, expedite dicebat, sed Spiritum sanctum nullatenus proferre poterat. Quem cum frequenter inchoaret, & nihil proficeret: videns se per diuinum iudicium omnino confusum, procidit ad pedes Archidiaconi, & confessus est proprio ore se B simoniacum esse. Postquam vero a sacerdotali & Episcopali officio est depositus, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto libera & clara voce decantauit. Quod factum simoniacos in tantum perterruit, quod præter alios Prælatos ecclesiarum vigintiseptem, Episcopi quadragintaquinque simoniacos se esse confessi sunt, & suis honoribus absque vlla alia accusatione renuntiauerunt. Celebrata Synodo, & alijs rebus rite ordinatis & compositis, Legati ad Vrbem redierunt] hæc ibi, sed male sub Papa Stephano. Deceptus est Collector, quod legationem istam contigisse putauerit, cum Hildebrandus iam Archidiaconus esset, quem & sciret ab eodem Stephano Papa creatum fuisse Archidiaconum. Verum cum ea perfunctus est legatione Hildebrandus, nondum erat Archidiaconus, sed subdiaconus tantum. quod expresse affirmat Petrus Damiani, qui & aperte testatur sub Victore Papa eiusmodi Hildebrandi in Gallias C contigisse legationem. sed ne veritas in alicuius præiudicium sepulta remaneat, non in aliquo Archiepiscopo, sed Episcopo tantum ista esse gesta reperimus apud Desiderium Abbatem sancti Benedicti, presbyterum Cardinalem sanctæ Cæciliæ, hoc tempore viuentem atque scribentem auctorem: qui in libris dialogorum, quos scripsit, ita ipsum Hildebrandum ista narrantem adducit. ait enim:

Venerabilis Gregorius Papa, cuius superius mentionem feci, quid circa eamdem simoniacam hæresim se præsente Dominus ostendere voluit, sæpe mihi solitus est re-

EADEM HISTORIA EX DESIDERIO ABB. CASSIN.

ferre. Cum essem, inquit, subdiaconus, & a beatæ memoriæ Victore huius Apostolicæ Sedis Pontifice in Galliam pro ecclesiasticis negotijs discutiendis essem transmissus: curæ mihi fuit Episcoporum conuocare Concilium, vt illis coram positis, de ecclesiasticis negotijs tractaremus. In eadem vero ciuitate, in qua Synodus agebatur, Epi- D scopus erat, qui pretio honorem comparasse Episcopatus, a multis infamabatur. igitur vocatus Episcopus venit in medium] vbi autem habita Synodus, verbum nullum. ponebantur, conscientia iam fatente, humiliter confiteretur: ille, tum quia eiusdem ciuitatis erat Episcopus; tum quia fretus auxilio Comitis terræ ipsius, plenus superbia, omnino verba nostra vilipendebat. Sed cum a nobis, & a ceteris, qui aderant Episcopis, sub iustitiæ regula se (quod non sperauerat) constringi conspiceret, nec effugiendi habere licentiam: negare pertinaciter cœpit, quod ante vix audire dignabatur. Cumq. verba producerentur in longum, & maximum diei spacium esset consumptum, & ille nihilominus in sua pertinacia negando persisteret: hoc modo eum cum ceteris, qui aderant, religiosis Episcopis nobis adiurare visum fuit, & totum iudicium in ostenE sione Spiritus sancti committere: In nomine, inquam, Patris, & Filij, & Spiritus sancti, cuius donum gratiæ te comparasse audiuimus, vt huius rei nobis veritatem edisseras, adiuramus. Quod si amplius, vt cœpisti, negare tentaueris; Spiritum sanctum, donec quæ vera sunt, confitearis, nominare non valeas. Qui Episcopus cum abunde eloquens esset, & a nobis exoraretur, vt Spiritum sanctum nominaret: Patrem quidem, & Filium satis diserte nominabat, Spiritum vero sanctum, mirum in modum, nominare nullo modo poterat. Tunc omnibus, qui aderant, luce clarius patuit, quod honorem Episcopatus dato pretio emerat, qui non nisi Spiritus sancti gratia largiente tribuitur. Tunc virtute Spiritus sancti tremefactus Episcopus, humiliter coram omnibus confiteri coactus est, quod ante inflatus superbia, Dei timore postposito, procaciter negare præsumpserat] hæc apud Desiderium, quem citauimus.

Petrus

A Petrus Damiani eamdem historiam breuiter recitans addit, tam hunc, quam quinque alios Episcopos ab eodem Hildebrando tunc fuisse Apostolica auctoritate depositos. ait enim tum in epistola ad Dominicum & Fratres eremi, tum in epistola ad Nicolaum Papam: Interea illud etiam, quod Hildebrando, Romanæ Ecclesiæ Archidiacono referente didicimus, hic inserere operæpretium iudicamus. Nam cum ad- EX PETRO DAM. EADEM. huc subdiaconatus dumtaxat fungeretur officio, a Victore Papa Apocrisarius in Gallias destinatus Synodum congregauit: in qua videlicet sex Episcopos diuersis criminibus inuolutas ex Apostolicæ Sedis auctoritate deposuit. Inter quos quidam erat Episcopus, qui, quoniam per simoniacam hæresim ad Episcopatus culmen irrepserat, Spiritum sanctum verbis exprimere, quibuscumque tentaret nisibus, non valebat. Et quidem Patrem, & Filium expedite satis ac facile proferebat; ad Spiritum
B vero sanctum cum peruenisset, mox lingua balbutiens, tandem rigida manebat. Merito siquidem Spiritum sanctum dum emit, amisit, vtq. exclusus erat ab anima, procul etiam consequenter esset a lingua. Hac igitur difficultate conuictus, Episcopale * decarcerauit officium] hæc Petrus. * renuntiauit

Hæc eadem de Hildebrando recitat a Vuillelmus Malmesburiensis Bibliothecarius, ex relatione S. Hugonis Abbatis Cluniacensis, atque in fine ait: Huius miraculi testis fuit Abbas sæpe nominatus, *Hugo scilicet*, qui deiectum Episcopum per loca secum ducens, illius rei experimentum sæpe risit: de quorum verborum certitudine dubitantem omnis Europa confutat, qui Cluniacensis religionis numerum per eum augmentatum non nescit] hæc de Hildebrando Vuillelmus ex Hugone, cuius etiam testificatione alia de eodem admiranda narrat, quæ dicturi sumus inferius suo loco. a *Vuill. Malm. de gestis Regũ Angl. lib. 3.*

C Porro ad tantam sibi impositam prouinciam obeundam Hildebrandus Cluniacum petens, eumdem Hugonem Abbatem adsciuerat sibi coadiutorem, cui inhærere Christum, patenti fuit dignus visione cognoscere. in vita enim ipsius ista ab alio Hugone scribuntur: Hildebrandus Romanæ Ecclesiæ * diaconus, Apostolicæ Sedis Pontifex Gregorius Septimus mox futurus, Galliarum legatione susceptа, Cluniacum venerat. Hic quadam die sedens in Capitulo cum beato Hugone, Fratrum negligentias pietatis gladio corrigente, aspexit Dominum IESVM præsentem, prædictoq. Patri assidentem, eiq. de singulis quid agere deberet, suggerentem. Itaque Hildebrandus sancti viri merita prædicans, in famulo Dominum collaudabat] S. HVGO QVALIS INNOTVIT HILDEBRANDO. * subdiaconus

Mentio habetur ibidem de Concilio Heduensi, in quo quænam eiusdem Hugonis fuerint partes, ex eodem auctore sic accipe: Mirandis plus miranda subiungo, quæ D referentibus viris authenticis, probata cognosco. Hæc sane referunt Gaufredus de monte sancti Vincentij, & Rainaldus Heduensis, qui adhuc præsentes sunt. Dux Burgundiæ Robertus Haganonem Heduorum Episcopum nimia infestatione grauabat, varijsq. prædonum incursibus passim Burgundia laborabat. Ea propter Gaufredus Lugdunensis, Hugo Bisuntinensis, Aichardus Cabilonensis, & Drogo Masticensis Heduam conuenerunt, magniq. patrem consilij prædictum Hugonem Cluniacensem Abbatem venire rogauerunt. Aderat illustrium multitudo virorum, populus confluebat infinitus, pro pace supplicans indefessis clamoribus. Adueniens ipse Dux, immo tyrannus, Heduam intrauit, sed fastu maligno interesse conuentui recusauit. At pater Hugo feruore charitatis permotus adijt tyrannum, eumq. vehementer increpans, cunctis mirantibus, tamquam ouem mitissimam secum adduxit. Episcopis E autem supplicantibus, vt pater Hugo pro pace componenda loqueretur, turbis vndique reticentibus, & ab eius ore pendentibus, sic ait: Qui pacem quærunt, qui Deum diligunt, nos audiant, nobiscum agant. Qui vero filius pacis non est, qui non ex Deo, sed aduersarius est, huic ex parte omnipotentis Dei præcipio, vt a nobis exeat, & operi diuino non noceat. Vix dicta compleuerat, cum ecce quidam statura procerus, facie truculentus, multis eum sequentibus, egressus disparuit. Non fuit in tanta multitudine hominum, qui aliquem nosset ex ijs, qui egrediebantur. mirabantur singuli, stupebant vniuersi. His ita depulsis, tantam mox efficaciam prædicatio Sancti habuit, vt eo iubente Dux ipse sui necem filij interfectoribus condonarit, & ecclesia pacem receperit. Res equidem mira, sed altiori miraculo cumulata. Quamdiu enim in conuentu ille vir sanctus perdocuit, sicut columba candida super caput eius apparuit. quibus id videre datum est, Deum glorificauerunt: non enim omnes hanc CONCILIVM HEDVENSE IN GALLIA.

Universidad de Deusto
Biblioteca

videre gloriam meruerunt] hucusque de his Hugo in S. Hugonis Actis. A

Sed quæ sunt reliqua Hildebrandi legationis in Gallijs, prosequamur. Præcipue autem eius inuigilauit sedulitas, vt Berengarium, rursum hæresim, quam fuerat detestatus, defendentem ac propalantem, in Concilio Episcoporum conuentum, vel hæresim rursus damnare cogeret, vel synodali eum sententia anathematis condemnaret. Quamobrem ne subterfugiendi amplius locus esset, domi suæ eum conueniendum putauit, nempe Turonis, sicq. Concilium Turonense Apostolica indixit auctoritate: in quo ipse Berengarius redargutus & correctus (vt videbatur) detestatus errorem, Fidem Catholicam est professus. Testatur id quidem eius temporis scriptor Guitmundus Auersanus Archiepiscopus his verbis: [a] Inde enim, inquit, ipsa Romana Ecclesia per beatum Leonem Papam hæc Berengariana figmenta mox suo exortu damnauit: deinde per hunc ipsum, qui nunc præest, dominum Gregorium Papam, B tunc *Archidiaconū eiusdem Romanæ Sedis in Concilio Turonensi conuicit: ipsumq. Berengarium (vt videbatur) correctum, ac propriæ manus sacramento satisfacientem clementer susceptt &c.] reuersum ipsum ad vomitum docet.

CONCILIVM TVRONENSE CONTRA BERENGARIVM.

[a] Guitm. de sacram. lib. 3.

* subdiaconū

Porro subdiaconum pro Archidiacono esse restituendum, dubium esse non potest; cum id factum sub eodem Victore Pontifice constet, sub quo idem Hildebrandus semper subdiaconus perseuerauit. nam de eodem Concilio Turonensi iussu Victoris Papæ per legationem missam habito Lanfrancus agens contra eumdem Berengarium, meminit istis verbis: [b] Denique in Concilio Turonensi, cui ipsius Victoris interfuere Legati, data est tibi optio defendendi partem tuam. Quam cum defendendam suscipere non auderes: confessus coram omnibus communem Ecclesiæ Fidem, iurasti te ab illa hora ita crediturum, sicut in Romano Concilio te iurasse, est superius deprehensum] hæc de rebus gestis in Concilio Turonensi in Berengarium. Qui quidem sic comparatus fuit, vt subterfugeret, cum posset, sacros Episcoporum conuentus; sed conuentus ipse & respondere coactus, ne damnaretur, eam damnaret hæresim, quam rursus inter suos tueretur ex animo; sicq. iterum opus fuerit eamdem causam ad ecclesiasticum iudicium reuocare post Turonense Concilium, de quo agimus. Nam simulans impius pœnitentiam, vbi Legati Apostolicæ Sedis discesserunt, dimissis Episcopis, rursum cœpit infaustam hæresim propugnare, adeo vt opus fuerit, eum iterum sub Victoris successore Nicolao Pontifice conuenire. quæ autem tunc facta sunt, suo loco dicturi sumus.

[b] Lanfr. contra Berengarium.

BERENGARIVS REVERSVS AD VOMITVM.

C

QVERELA LEGATORVM IMP. ADVERSVS FERDINANDVM MAGNVM.

Ad hoc ipsum Concilium Turonense missi ab Henrico Imperatore Legati, eius nomine questi sunt aduersus Ferdinandum Magnum, Castellæ ac Legionis Regem, detrectantem parere Romano Imperatori, arrogantemq. sibi contra iura, moremq. maiorum nomen Imperatoris, petentes nisi desistat a cœptis, excommunicatione percelli, vniuersamq. Hispaniam ipsi subiectam interdicto subijci debere. Iusta visa est Henrici Imperatoris petitio tum Concilio, tum etiam ad quem est delata, Victori Pontifici. Quorum nomine legatio decreta est ad eumdem Ferdinandum in Hispaniam, qua moneretur a cœptis desistere. cuius legationis occasione indictum est Concilium in Hispania, vt ex consulto Principum, & Episcoporum decerneretur, quid Legatis responsi daretur. Varijs in re tanta pro cuiuscumque arbitratu sententijs dictis: obtinuit pars illa, vt obediretur Romano Pontifici, sicq. cessatum ab Imperatorio nomine, & rebellione ab Imperatore Germaniæ. Hæc ex antiquioribus rerum Hispanicarum Scriptoribus pluribus prosecutus est Ioannes Mariana, qui postremam manum summo studio pro rei dignitate historiæ Hispaniarum imposuit. D E

Sed redeamus ad Victorem Pontificem, quem post Concilium Florentinum visitasse loca Italiæ; ex Leone Ostiense perdiscimus, dum agit de Richerio Abbate Cassinensi, legatione fungente apud eumdem Pontificem. Qui eum conuenit, rogaturus pro sacrilego illo Trasimundo Theatino Comite, qui (vt vidimus) Legatos Sedis Apostolicæ Constantinopoli redeuntes, & per suum Comitatum transeuntes, contra ius Gentium atque diuinum turpiter spoliauerat: Percussus enim graui infirmitate, patrati sceleris pœnitens, plurima donans Cassinensi monasterio, per eius Abbatem optauit reconciliari summo Pontifici. de his enim agens Leo Ostiensis, hæc ait: [c] Per idem tempus præfatus Comes Trasimundus grauiter ægrotans, & monachus fieri cupiens, Richerium Abbatem Cassinensem ad se pergere orauit. Cui sese suppliciter tradens,

TRASIMVNDVS COMES POENITENS VENIAM PETIT A PONT.

[c] Leo Ost. lib. 2. cap. 92.

A tradens, multamq. illi pecuniam offerens, tria iuris sui castra sancto Benedicto in territorio Theatino concessit, Montis Alberici, Frisæ & Muclæ, cum portu ac piscatione sua, & ecclesijs sanctæ Mariæ, sanctæ Luciæ, & sancti Blasij, omnibusq. omnino castrorum ipsorum, seu ecclesiarum rebus, terram modiorum quinque millium quingentorum: ecclesiam item sanctæ Iustæ cum omni iure suo, modijs scilicet quingentis. In territorio item Pinnensi, castro Lasteniano ecclesiam sancti Nicolai, terram modiorum trium millium. Sed cum prædictus Papa transisset Anconam, Abbas ad illum eiusdem Trasimundi causa profectus est] Quid autem obtinuerit a Pontifice pro Comite sacrilego, non dicit: sed nihil penitus obtinuisse, argumento est, quod post sequentem annum vnus ex Legatis illis Fridericus, mortuo Imperatore, a quo fouebatur Comes, ab eodem Pontifice (vt suo loco dicetur) ipsum excommunican-
B dum curauit.

MORTVO RICHERIO SVBROGATVR PETRVS ABBAS CASSIN.

Addit Leo, tunc eumdem Richerium Abbatem eadem legatione fungentem, mortuum esse apud Aternum tertio Idus Decembris: ipsum vero Fridericum reuersum in Cassinense cœnobium; electumq. a monachis successorem Petrum senem laudatissimum, de quo plura Leo Ostiensis. Sed eius electionem Victor Pontifex indigne tulit, quod eam absque nutu Apostolicæ Sedis & Imperatoris celebrassent. erat plane magni ponderis opus, Abbatem constituere Cassinensem, vtpote non tam monasterij Abbatem, quam Principē, qui complura castra & oppida possideret. sed dum ista litteris Pontifex ageret, necessitate (vt dicetur) incumbente proficiscendi in Germaniam ad Imperatorem, a cœptis desistere coactus est vsque ad tempus, cum reuersus est in Italiam, interim Petro anno vno cum dimidio præfectura illa potito.

C Passus interea asseritur Victor Papa, hoc ipso anno primo sui Pontificatus, horrendam plane proditionem, cum ad eius interitum immissum est venenum (dictu pauendum) in sacrum calicem. sed Deus duplici miraculo, ne Pontifex biberet, obstitit, & tanti sacrilegij auctorem detexit. Lambertus rem gestam sic describit: Huic, *nempe Victori Papæ*, subdiaconus toxicum in calicem misit. Quem cum ipse post consecrationem leuare vellet, nec posset: a Domino causam facti inquisiturus, cum populo ad orationem prosternitur; statimq. toxicator a dæmone arripitur. Ita igitur causa manifestata, Dominus Papa calicem cum sanguine Dominico cuidam altari iussit includi, & pro reliquijs in perpetuum conseruari. Deinde iterum cum populo tamdiu ad orationem prosternitur, quousque subdiaconus a dæmonio liberaretur] hæc Lambertus, necnon Vrspergensis Abbas, & alij post eos. Scimus Bennonem schismaticum
D asserere, Gerardum quemdam, Braxutum cognomine, sex Romanos Pontifices extinxisse veneno, primumq. numerat Clementem Secundum, & post eum quinque eius successores. Sed quoniam tanta ista & toties iterata nullum penitus assertorem habeant temporis huius scriptorem, nec quisquam de his questus inueniatur, nullam penitus in homine mendacissimo conciliant sibi fidem, cum præsertim in sugillationem ista iactet Gregorij Septimi, quem tot scelerum complicem fuisse delirat; sed vanum hominem non tam historiam scribere, quam somnia fingere, & calumnias componere solitum, sæpe superius contigit demonstrari. At cum id semel præsumptum fuit, atque pernix ira Dei in subdiaconum tanta ausum effusa est: ipse Gregorius honorificentissima fungebatur in Gallijs legatione. sed quem Deus plurimis donis prosecutus est in terris, eumdem glorioſum fecit in cælis, frustra contra eum rabido cane
E latrante.

SVBDIACONVS PROPINANS VENENVM PAPAE ARRIPITVR A DIABOLO.

Hoc eodem anno quinto Non. Martij magno beneficio totius Germanorum Ecclesiæ collocatur in cathedra Colonienſis Archiepiscopatus sanctus Anno. Sed cum libere Regem argueret, eius indignationem incurrit, cuius & obitum sequenti anno fore significauit. hæc enim temporis eius Scriptor ita testata reliquit: [a] Quibusdam simultatibus inter ipsum & Regem fraude malignantium obortis, cum Rex mentem, quam conceperat in Archiepiscopum, mandatis solito durioribus detexisset: Præsul ad audientiam veniens, oratione & iustitia pro sua causa agere laborauit. Cui facultate erepta hac progrediendi via, tandē in hæc verba prorupit: Rex excellentissime, cælestis Regis intuitu, cuiuscumque discordiæ aut odij malū vel hoc anno non præualeat inter nos, quandoquidem anno proximo quid nos maneat, mentium nostrarum nunc penetralia latet. quod dicens, Regem, quem sciebat hoc ipso anno moriturum, emendatio-

[a] Apud Sur. to. 6. die 4. Dec.

QVID S. ANNO COLON. ARCHIEPISC. CVM HENRICO IMP.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dationis vitæ visus est ad semitam perducere] hæc ipsa ab ipso prædicta, nondum ela- A
psо anno constat fuisse impleta, anno sequenti scilicet. agemus de eius obitu suo loco.

IESV CHRISTI ANNVS 1056. VICTORIS II. PAP. ANNVS 2. HENRICI II. IMP. 10. THEODOR. PORPH. IMP. 2.

HENRICI IMP. OBITVS.

SEQVITVR annus millesimus quinquagesimus sextus Indictione nona, quo Henricus Imperator inuitans Victorem Romanum Pontificem in Germaniam, magno Dei beneficio in manibus eius tradidit Deo spiritum tertio Non. Octob. ita scriptores temporis huius Hermannus & Marianus. Hermannus enim sic habet: Henricus Imperator domino Apostolico ad se tempore autumnali inuitato, cum in Saxonia in- B
Bothfeldino commoraretur, morbo ingrauescente infirmatus, obijt anno ætatis suæ
* I. xxxix. Regni vero xviij. Imperij * xv. Indictione decima *proxime inchoata*] Marianus paulo altius res anni huius lugubres memorans, ista ait: Iisdem temporibus multi diuersarum prouinciarum Principes perierunt: fames multas prouincias afflixit: egestas & penuria vndique prævaluit: multa mala tunc temporis facta sunt. Henricus Imperator his doloribus corde tenus compunctus, infirmari cœpit, & productus vsque ad mortem, sapienti tamen vsus consilio, ab omnibus, quibus potuit, veniam petens, quibusdam prædia quæ abstulit, restituit: cunctis qui contra eum culpas damnabiles fecerunt, relaxans. Filium suum Henricum Romani Pontificis tunc præsentis, ceterorumq. pontificum & Principum electione Regem constituit. His & alijs, prout vitæ possibilitas admisit, bene dispositis, tertio Non. Octob. vitam præsentem finiC
uit, sepultusq. est Spiræ, Papa præsente] hæc ipse.

VISIO OSTENSA GVNTHERO CANCELLARIO.

Ostensam fuisse diuinitus imminentem super orbem Dei vindictam, Lambertus sic narrat: *Hoc anno* Guntherus tunc temporis Cancellarius Imperatoris, visionem vidit memoria dignam, Dominum in solio maiestatis suæ residere, & eleuato in altum brachio, districtum gladium magno nisu vibrare, & circumstantibus dicere: Reddam vltionem hostibus meis, & his qui oderunt me, retribuam. Quam visionē protinus mortalitas subsequuta est Principum regni. Eaq. expleta, vidit eodem rursus schemate Dominum residere, & remisso iam in vaginam gladio, & super genua sua reclinato, dicere circumstantibus: Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad infer- D
ni nouissima] hactenus Lambertus. porro visionem fuisse veram, declararunt euenta. Quidnam autem Henricus Imperator peccauerit, vt in eum Dei vindicta sæuierit? intercessit in primis causa illa, quod electionē sibi Romanorum Pontificum (vt vidimus) arrogasset, & Episcoporum iudicia sibi sumpsisset. nam & paulo ante Gebehardum Ratisponensem Episcopum reum maiestatis detrusit in carcerem. displicere quidem ista Deo, narrata sæpe superius exempla testantur. Displicuit Deo pariter quod idem peccasset in feminam maxime piam Beatricem, coniugem Godefridi, fratris Balduini Comitis Flandriæ, quod ipsa vidua relicta Bonifacij eidem nupsisset inconsulto Imperatore, cuius rei causa eam captiuam in Germaniam perduxisset. Sed nec leuis illa culpa Cæsaris videri potuit, cum iure regnandi fauerit Trasimundo Comiti Theatino, qui sacrilegio ius Gentium violans, Legatos Apostolicæ Sedis Constantinopoli redeuntes spoliauit. Ista Imperatorem apud Deum reum constituere potuere, E
supplicioq. obnoxium reddere. ipse enim Deus vltionum Dominus, qui aufert
a *Psal. 75.* spiritum Principum, terribilis apud Reges terræ, Regis [a] Prophetæ oraculo nuntiatur. Nec fuit leuis culpæ, quod aduersus sanctum Annonem simultatem exercuit, cum tamen sanctus Episcopus sicut viuentem semper coluit, ita post obitum preces pro salute eius animæ frequentauit, vt eiusdem sancti Episcopi vitæ Acta testantur. In Chronico Cassinensis monasterij antiquitus scripto recensetur prolixa narratio de malorum dæmonum accursu ad obitum eiusdem Imperatoris, eumdemq. vt suum sibi accusationibus vendicantium; sed ab eorum manibus traditur liberatus S. Laurentij martyris intercessione, cuius cultor propensior extitisset. Porro visionis certa & explorata fides ibidem ponitur. hæc de Henrici obitu satis.

Antequam autem ad eiusdem Principis successorem filium veniamus, hic recensenda quæ digna memoria ijsdem Henrici temporibus accidisse noscuntur. Narrat ea qui

A qui est expertus Petrus Damiani. Hic enim cum monachos eremi cultores ex munere præfecturæ sibi creditæ institueret, passus est grassatores frequentes, qui inter alia fruges cunctas ex ipsorum agris diriperent, & quas secum efferre non possent, incendio concremarent. Ad ipsos propulsandos cum vires non suppeterent, nec monachorum esset armis rem agere: legationes in Germaniam ijdem miserunt ad Imperatorē, a quo auditæ, cum quod petierant, impetrassent, nihilominus excrescente adeo peruersorum audacia, nec Imperatoriæ iussionis habita aliqua ratione; ad causam tandem malorum omnium quæ paterentur, oculos conuertentes, admonitione eiusdem Petri propulsando culpam, conciliato per pœnitentiam numine, sunt redditi liberi a supplicio. res plane contigit memoria digna, quæ ab eodem Petro ita describitur in epistola ad Fratres, præcepti transgressores, his verbis:

B. VIRGINIS OPE PROPVLSATA CALAMITAS.

B Dicam & aliud, quod in præfato contigit monasterio Gamugense. Statutum erat, atque iam per triennium fere seruatum, vt cum horis canonicis quotidie beatæ Mariæ semper Virginis officia dicerentur. Erat autem quidam inter eos Gozo, habitu monachus, reprobæ quidem vitæ, sed dicacis & aculeatæ facundiæ. Hic cœpit conqueri, satis superq. sufficere, quod sanctus præcepit Benedictus, nec nouæ adinuentionis pondus debere superponi, nec nos esse antiquis Patribus sanctiores, qui videlicet hæc superstitiosa & superuacua iudicantes, psallendi nobis metam, omnemq. viuendi regulam præfixerunt. Quid plura? contra Reginam prœliari visus est, & confecit. Ad hoc nimirum Fratres versuta machinatione pellexit, vt solitas beatæ Mariæ laudes vlterius non offerrent. Sed o diuinum iudicium, a nostræ prauitatis intuitu non dormitans! Mox enim aduersus præfatum monasterium tot aduersitatum grandines, C
tot vndique bellorum atque conflictuum exortæ sunt tempestates, vt ipsis quoque monachis minaces gladij necis exitum intentarent. Fiunt vndique deprædationes, vndique rapinæ, conflagrantur cum segetibus areæ familiares, ac serui sancti loci crudeliter trucidantur, & non iam imago mortis, sed ipsa mors grassatur, adeo, vt tæderet iam monachos viuere, dum nequaquam possent in procinctu certaminis amicum quieti suæ professionis officium custodire. Non paruis expensis ad Teutonum partes Imperator expetitur; pragmaticæ sanctiones cum titulis aduehuntur. sed tandem est in omnibus quippe studijs non fructus, sed labor superuacuus. Vnde cum ego petitione Fratrum sæpe pulsarer, quatenus sequester accederem, & si possibile esset, pacis inter eos fœdera continuarem, hac rogantibus voce respondi: Christus, inquam, est pax nostra, de quo etiam de Virgine recens nato angelitus dictum est: [a] Gloria in
a *Luc. 2.* D excelsis Deo, & in terra pax. Quia ergo Matrem veræ pietatis de suo monasterio proiecerunt: dignum est, vt inquietis, calamitatum, tribulationumq. procellis atque turbinibus agitentur. Verum (ne Lectorem diutius protraham) Fratres illi hæc quæ dixeram, non dubijs erumpentibus signis vera probantes, in arcto siti, tandem ad cor redeunt, pauimento se humiliter sternunt, ac percepta pœnitentia, numquam se de cetero neglecturos solita Dei Genitricis præconia, vnanimiter pollicentur. Mox itaque (vt fatear) ita post coruscationes atque tonitrua tandem cæli serenitas redijt, vt nunc vsque hodie Fratres iucundæ pacis otio perfruantur, & de Scyllea voragine se delatos ad portum, gubernante filio Virginis, gratulentur. Impletum est ergo, quod per Prophetam dicitur: Reuertimini ad me, & ego reuertar ad vos, dicit Dominus] hæc Petrus. Qui sicut auctor fuit, vt in monasterio suo officium Dei Genitricis dicen- E
dum assumeretur, ita ex eodem fonte manasse cognoscitur, vt illud ipsum toto Christiano orbe Occidentalis Ecclesiæ non a monachis tantum & clericis, sed etiam a laicis, viris atque mulieribus quotidianis pensis persoluatur, monente Vrbano Papa, vt suo loco dicemus.

OFFICIVM B. VIRGINIS RESTITVTVM.

DE VSV DISCIPLINAR.

Eodem quoque tempore, etsi non eodem auctore Petro, tamen certo propagatore, atque aduersus impugnantes propugnatore introductus est in Ecclesia ille laudabilis visus; vt pœnitentiæ causa Fideles verberibus seipsos afficerent, flagellis ad hoc paratis idoneis, exemplo beati Dominici Loricati sibi subditi sanctissimi eremitæ. Testatur id quidem ipse Petrus in epistola ad Blancam Comitissam, vbi hæc inter alia: [b] Huius itaque sancti senis exemplo faciendæ disciplinæ mos in nostris partibus inoleuit, vt non modo viri, sed & nobiles mulieres hoc purgatorij genus inhianter arriperent. Nam & relicta Thetbaldi sublimis vtique generis, & non infimæ dignitatis mihi ali-

b *Petr. Dam. ep. 4. cap. 14. tom. 3. bibl. sanct.*

quando

Universidad de Deusto
Biblioteca

quando retulit, per prætensam huius disciplinæ regulam centum annorum pœnitentiam se peregisse] cum (vt idem ait) tria scoparum millena conficerent vnum annum, vt dictum est superius ex eiusdem Petri epistola ad Alexandrum Papam. Sed quod dicit, in nobiles viros ac mulieres vsum illum verberum propagatum: constat ipsum etiam ab Henrico Imperatore, de cuius obitu egimus, frequentatum. Nam accipe tantum in tanto Imperatore imitandum exemplum: de eo enim ista Reginardus habet in rebus gestis Annonis Archiepiscopi Colonienſis: [a] Considerans Henricus Imperator nominis maiestatem longe suis præcellere meritis, numquam insignia regalia sibi præsumpsit imponere, nisi clam per confessionis, ac pœnitētiæ, verberum insuper satisfactionem licentiam a quolibet sacerdotum suppliciter mereretur] subdit de eodem sancto Archiepiscopo, istam verberum pœnitentiam ab eodem Imperatore exigente. ait enim: Tempore quodam magna imminente festiuitate, cum pontifices, Duces, Comites, & cuiuscumque alius dignitatis & ordinis viri regiam vndique properarent ad Curiam, cum & ipsum mos & honor impositus trabeatum exigeret procedere, non inscius sanctitatis & vitæ probatissimi inter Præsules Annonis (vt suæ consuetudinis seruaret institutum) supplex & pœnitens eum cœpit adire. Mox sacer Antistes auctoritate plenus, tali in negotio Imperialem paruipendens magnificentiam, sicut parcere solitus erat inopi & pauperi; sic opportunitatem adeptus, misericors sine misericordia sæuire cœpit in Principem. Nam vehementissimis eum inuadens correctionibus, quidquid animo pro iustitia concitato se obtulit, libere & constanter effabatur; illumq. durissimis verberum plagis afflictum non aliter ea die coronatum incedere consensit, quam prius manibus suis trigintatres argenti libras in pauperes expendisset] hæc ipse de Henrico Imperatore, acquiescente pœnam verberum accipere imperio sacerdotum. At vero non defuit, qui hoc ipso tempore eiusmodi pium institutum improbaret Petrus quidam cerebrosus homo, aduersus quem extat Petri Damiani epistola apologetica in defensionem instituti. est titulus epistolæ: Petro cerebroso monacho Petrus peccator & monachus in Domino salutem: Qui dicaciam eloquentiam putauere &c.]

HENRICVS II. IMP. SE VERBERIBVS CRVCIABAT.

[a] *Reginar. in vit. S. Ann. c 6. apud Sur to. 6. die 4. Decemb.*

RITVS AB ECCLESIA RECEPTI.

Quod insuper ad alios ritus spectat, suorum monachorum & eremitarum institutione seruari cœptum ait, quod nos iam videmus vbique in Ecclesia Occidentali receptum, nempe vt feria secunda animabus defunctorum liberandis a pœnis, sacrosancto Missarum sacrificio, sit adscripta. Feria sexta pro memoria Dominicæ passionis eodem sacrificio, insuper ieiunio, & verberum afflictione colenda esset. Sabbatum vero in honorem sanctissimæ Dei Genitricis Mariæ celebrandum idem incruentum sacrificium Missæ. De quibus omnibus ipse pluribus agit in epistola ad Desiderium Abbatem Cassinensem, cuius est exordium: Non ignorare te patior, venerande Pater &c.] extat in codice sæpius citato sancti Petri.

His decursis, agamus iam de Imperatoris filio, itidem Henrico nominato, quem hoc tempore patris obitus nondum absoluisse quintum ætatis annum, certum est ex eo, quod Lambertus affirmet eum natum anno salutis millesimo quinquagesimoprimo, tertio Idus Nouemb. vnde errare probantur, qui hoc tempore eum septennem, vel octennem fuisse tradunt. Porro ipsum pater moriens Romanæ Ecclesiæ commendauit, Victori Papæ illum offerens tunc præsenti. de eo enim Gregorius Septimus hæc habet in epistola ad Rudolphum Sueuiæ Ducem: [b] Ipse Henricus Imperator moriens Romanæ Ecclesiæ per venerandæ memoriæ Papam Victorem prædictum filium suum commendauit] Verum Agnes Augusta mater puerum religiose educare cœpit, sed cum excessit ex ephœbis a matre abstractus, in transuersum actus, Romanæ in primis redditus est hostis Ecclesiæ, cuius ope, id agente Victore Pontifice, eidem regnum fuerat stabilitum.

HENRICVS FILIVM COMMENDAT ROM. ECCLES.

[b] *Greg. Sept. lib. 1. epist. 19.*

CONCILIVM COLONIENSE.

Plurimum namque contulit ad firmamentum noui Regis admodum pueri præsentia Romani Pontificis, cuius opera collecto Colonienſi Concilio, qui hactenus visi essent hostes Imperij Balduinus, & Godefridus Flandriæ Comites, conciliati sunt nouo Regi. de hoc enim Concilio hæc Sigebertus: Coloniæ generali conuentu habito, Balduinus, & Godefridus, mediante Papa Victore, ad gratiam Regis, & pacem reducuntur, & omnes bellorum motus sedantur] in hac inita concordia redditam fuisse Beatricem viro suo Godefrido, licet non dicat auctor, par est credere.

Hoc

A Hoc pariter anno Victor Papa habendum curauit in Gallia Concilium Tolosanum, quod ex codice M. S. Moissacensis monasterij descriptum misit Romam nobilis & R. D. Antonius a S. Sulpitio, Archidiaconus ecclesiæ Caturcensis. ne autem pereat, hic tibi describendum curauimus, sic se habet:

CONCILIVM TOLOSANVM.

Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quinquagesimosexto, Idib. Septembr. habita est sancta Synodus decem & octo Episcoporum apud vrbem Tolosam, iussu Dom. Papæ Victoris, qui ob funditus extirpandam simoniacam hæresim, ac reparandum S. Ecclesiæ statum secundum priscorum scita canonum, Vicarios vice sua direxit Rambaldum Arelatensem, & Pontium Aquensem Archiepiscopos, qui adiuncto sibi Vuifredo Dei gratia Narbonensi Archiepiscopo, alijsq. Coepiscopis ceterarum vrbium, S. Petri auctoritate & prænominati Papæ iussione, sanctorum Patrum . . .

B sequentes, hæc in prouincijs Galliæ, atque Hispaniæ perpetim obseruanda æstimauerunt.

Si quis Episcoporum accepta quocumque modo pecunia ordinauerit Episcopum, Abbatem, presbyterum, diaconum, aut quemcumque alium, qui numeratur inter clericos, ipse gradus sui subiaceat periculo: & qui sic ordinatur, nullum habeat fructum ex huiusmodi mercimonio, sed sit alienus eius dignitatis & ordinis, quem per pecunias acquisiuit.

Item placuit confirmare sicut scriptum est, vt Episcopus vel Abbas presbyter ante xxx. annos, diaconus vero ante xxv. non ordinetur, nisi aut studio sanctitatis aut sapientiæ ornati, prouidentia Episcopi simul & Cleri promoueantur, & eadem ordinatio ne fiat nisi temporibus secundum canones statutis. aliter quidem irrita fiat

C ordinatio.

Dedicationes item ecclesiarum eadem sancta Synodus per pecunias fieri nullatenus voluit.

Item placuit, vt nullus clericus, vel monachus, vel alius aliquis pro eis Episcopatum, vel Abbatiam, vel presbyteratum emere præsumat. Sed neque Comes, vel alia vlla potestas, eadem vendere aut pretium pro eis accipere audeat. Quod si quis hoc transgressus fuerit, nisi resipuerit, & digne satisfecerit, communione priuetur.

Statuit item sancta Synodus, vt si quis clericorum adipiscendæ Abbatiæ causa monachus effectus fuerit, in Abbatia quidem monachus permaneat, sed ad ipsum honorem, ad quem spirabat, nullatenus accedat. Quod si præsumpserit, excommunicetur.

D Item decreuit, vt Abbates curam monachorum & monasteriorum exerceant, & eis victum & vestitum secundum Regulam sancti Benedicti præbeant, & hoc agentes, proprium eos habere nullatenus permittant. ipsi vero monachi absque voluntate Abbatis Præposituram aliquam non teneant. Abbas autem, vel monachus, has institutiones corrigentes a proprijs corrigantur Episcopis.

Placuit quoque presbyteros, diaconos, & reliquos clericos, qui ecclesiasticos tenuerint honores, abstinere omnimodis ab vxoribus, vel reliquis mulieribus. Quod si non fecerint, honore simul & officio priuentur, & a proprijs Episcopis excommunicentur.

Inter hæc quoque placuit noxios diuersorum scelerum diuersis sententijs refrænari. Et quia audiuimus quosdam laicorum nefario ausu res ecclesiasticas suis vsibus

E applicuisse, & iniusto dominio in suum opus retinuisse: idcirco omnimodis prohibemus, vt nemo laicorum Abbatiam monachorum, vel clericorum Archidiaconatum, neque Præposituram vel honorem presbyterij, vel sacristæ, seu magistri scholæ, neque vllos honores ad ius prædictum pertinentes, ausit suis vsibus retinere, & si fecerit, excommunicationi subiaceat.

Præcipimus quoque, vt nullus laicorum aliquid suscipere audeat de rebus, aut substantijs defunctorum, nisi quantum ipsi defuncti adhibitis idoneis testibus in vita sua ordinauerint, aut si intestati obierint, ad libitum propinquorum heredum diuidantur.

Statuimus etiam, vt ecclesiæ ad sedem pertinentes, quæ soluunt tertium, aut paratam, vel Synodum, solito more persoluant Episcopis vel clericis. De ijs vero ecclesijs, quæ non dant tertium, vel paratam, tertia pars decimarum cum primitijs &

Universidad de Deusto
Biblioteca

oblationibus, quæ de cœmeterijs & defunctis consequantur, Episcopo & clericis assignetur. Simili quoque modo statuimus de ecclesijs ad monasteria pertinentibus. A

Item de ecclesijs in alodijs laicorum constitutis, vt tertia pars decimarum cum primitijs, & presbyterio, & ceteris in potestate presbyteri ad seruitium ipsius ecclesiæ sub Episcopi, vel clericorum ditione permaneant. Qui autem contrarij sanctæ matri Ecclesiæ & auferunt & retinent ad suum opus alodia, quæ pertinent ad communitates canonicorum, vel monachorum, nisi resipuerint, & reddiderint ea, præd. anathemati subdantur.

Adulteros vero, incestuosos, ac periuros monemus per Domini obedientiam, & Petri Apostolorum principis, & D. Victoris, & nostram, vt resipiscant a vitijs huiusmodi, & ad dignam satisfactionem secundum statuta canonum perueniant, & excommunicamus id in futuro fieri nullatenus. B

Cum hæreticis & cum excommunicatis vllam participationem vel societatem habentem præcipue excommunicamus, nisi correctionis vel admonitionis causa, vt ad Fidem redeant Catholicam. Si qui autem adiuuantes eos defendere conati fuerint, vinculo simul excommunicationis cum eis subditi permaneant.

* Quæcumque superius scripta *tenentur, confirmauit & anathematizauit subscripta S. Synodus præd. congregata temporibus, iubente Papa Victore, regnante Henrico pio Imperatore, sub venerabili Pontio Tolosano Comite. Quibus quicumque obedire studuerit, Domini benedictione & Apostolica repleatur; qui vero contemptor, & inobediens extiterit, Domini iudicio perpetualiter subiectus sit. Firmant & consignant Rambaldus Arelatensis, & Pontius Aquensis Archiepiscopi, vice Papæ Victoris. Consignat Vuifredus Narbonensis Dei gratia Archiepiscopus. Confirmant domini antedicti Episcopi, scilicet Arnaldus Tolosanus Episcopus, Bernardus Biterrensis, Gontherius Agathensis, Arnaldus. . . . . Bernardus Agennensis, Raimundus Vasatensis, Arnaldus Magalonensis, Elfandus Aptensis, Petrus Ruthenensis, Proterius Nemausensis, Rostagnus Luteuensis, Eraclius Bigorrensis, Bernardus Conuenensis, Bernardus Coseranensis, Arnaldus Elnensis] hactenus Synodus Tolosana. C

CONCILIVM COMPOSTELLANVM.

Insuper hoc eodem anno in Hispania celebratum est Concilium Compostellanum, cui præfuit Cresconius Compostellanus Archiepiscopus, in quo cum fuerint complura præclare constituta, quæ ad ecclesiasticam disciplinam conseruandam spectarent; illud inter alia sancitum reperitur, vt sacerdotes omnes, Episcopi, atque presbyteri Missam quotidie celebrarent. Vt clerici tempore ieiunij, & Litaniarum, quoties publica delictorum expiatio indiceretur, cilicio induerentur. hæc tantum de his ad nos peruenere ex schedis Antonij Augustini. D

THEODORA IMPERATRIX MORITVR.

Quod ad res Orientales pertinet, hoc eodem anno Indictione nona ad finem declinante (inquit Curopalata) Theodora Augusta, cum iam imperasset annum vnum, & menses nouem, intestinorum morbo laborans, ex hac vita eximitur, cum iam pauMICHAEL STRATONICVS IMPERAT.
lo ante suasione eunuchorum creasset Imperatorem Michaelem, cognomento Stratonicum, ætate senem, militiæ valde peritum hominem, cui a pueritia assueuerat, regiminis autem magistratuum curialium inexpertum: qui primam exortam tyrannidem Theodosij filij Monomachi superauit, in secunda per Alexium Comnenum permota defecit, quando & Imperio cessit, vt suo loco dicturi sumus anno sequenti quo acciderunt.

E

IESV CHRISTI ANNVS 1057. VICTORIS II. PAP. ANNVS 3. VACAT. IMP. OCCID. 1. MICHAELIS VI. IMP. 1.

REDITVS VICTORIS PAPAE IN VRBEM.

MILLESIMVS quinquagesimusseptimus annus incipit, decima Indictione currente, quo Victor Papa ex Germania rediens, Romam peruenit initio Quadragesimæ: cum Fridericus ille germanus Godefridi ex Cancellario, & Legato Constantinopolim Apostolicæ Sedis, monachus monasterij Cassinensis, omni metu Imperatoris morte solutus, quem, vt effugeret, genus illud vitæ subierat, Pontificem adijt, & querelas ingessit aduersus Trasimundum Comitem Theatinum, qui Legatos redeuntes Constantinopoli spoliauerat. quid tunc actum, Leo [a] Ostiensis sic breuiter narrat: Frideri-

[a] Leo Oft. lib. 2. cap. 95.

A Fridericus dehinc Imperatoris comperto obitu, Papam iam fiducialiter adijt, & omnia illi quæ Trasimundus egerat, referens, eumdem excommunicari fecit. Trasimundus dehinc Romam profectus absolutionis causa, & omnia ferme, quæ Friderico tulerat, referens: cum id tandem obtinuisset, suggerente Friderico ipso, & Humberto, conuentus a Papa atque commonitus, castrum Frisa, quod vxor eius sancto Benedicto concesserat, quodq. ipse post mortem eius abstulerat, reddidit, ac monasterij iuri restituit] hæc aduersus sacrilegum Comitem acta sunt. TRASIMVNDVS COGITVR RES TITVERE ABLATA.

Quo etiam tempore Petrus Damiani amariori animo, sed zelo læsæ iustitiæ exæstuante, ad eumdem Victorem Pontificem has dedisse litteras reperitur pro Henrico Episcopo spoliato, cum ad Sedem Apostolicam confugisset:

B Domno Victori summæ Sedis Antistiti Petrus peccator monachus debitam seruitutem in Christo.

PETRVS DAN. AGIT PRO HENRICO APVD VICT. PAP.

Miratur mundus, pijssime domine, cur huic misero clementia vestra tanto tempore non compatitur, & ad vlciscendum tam cruentæ rapinæ facinus zelo iustitiæ non mouetur. Quamdiu enim terreno sæculo militauit, sua omnia bona *nauiter & quiete possedit: postquam vero sub alas Christi confugium petijt, postquam Petri secutus exemplum, dimissis omnibus, ad sectanda Saluatoris vestigia properauit, protinus eum crudelis prædo suis possessionibus expulit, & quasi sub inualidi defensoris patrocinium fugientem, bonis omnibus spoliauit. hoc itaque modo non iam Henricus iniuriam videtur sustinere, sed Christus; Christus, inquam, vestri Præsulatus tempore præiudicium patitur: & qui facit iudicium omnibus iniuriam patientibus sipse sibimet in vestræ districtionis examine iustitiam non meretur. * suauiter.

C Quid enim si ipse te Saluator his conueniat verbis, & has effundat improperando querelas? Ego te, inquit (vt non a principio repetam) de communi clericorum grege ad sacerdotale fastigium extuli, & de clientela Episcopij ad obtinenda Episcopalis officij iura promoui. Ego te quasi patrem Imperatoris esse constitui, & cor illius ad gratiam tui præ cunctis pene mortalibus inclinaui. Ego claues totius vniuersalis Ecclesiæ meæ tuis manibus tradidi, & super eam te mihi Vicarium posui, quam proprij sanguinis effusione redemi. Et si pauca sunt ista, etiam monarchias addidi: immo sublato Rege de medio, totius Romani Imperij vacantis tibi iura permisi. Ego itaque, qui tibi tanta & talia præstiti, legem, siue iustitiam in tuo examine non inuenio; atque a tuis tribunalibus despectus, & inultus abscedo. Si ergo te, pijssime domine is, qui iudicaturus est viuos, & mortuos, his verbis impeteret: quid ad hæc tua

D sanctitas excusationis opponeret? quid allegationis, quid defensionis ad purgandum se coram eo, qui argumentatione non fallitur, inueniret? Iam iam itaque zelus faciendæ iustitiæ sacratissimum vestræ clementiæ pectus accendat: iam vigor ecclesiasticæ disciplinæ in vltionem se plectendi criminis exerat, & in expoliato homine Christum suo iuri, contempta impiorum hominum tergiuersatione, restituat. Exhibeatur misero cum sacerdotali pietate iustitia: prodeat in peruersum cum regiæ animaduersionis seueritate censura: quatenus qui tibi tradidit in hominibus potestatem, in semetipso experiatur legalis iustitiæ defensorem. Parce ori meo, venerabilis pater, nec homo hominis humiliter suggerentis verba fastidi: cū & ipse omnipotens Deus dicat: Venite, & arguite me] hæc ad Victorem Pontificem Petrus. quam epistolam accepimus ex Cassinensi bibliotheca, opera Constantini Caietani, eiusdem ordinis monachi.

E Alia adhuc causa tunc detinuit occupatum Victorem Pontificem ex obitu Richerij Abbatis Cassinensis, & subrogatione præpropere facta Petri in locum eius, indigne ferentem, nihil ea de re se redditum certiorem. Quousque autem ista progressa sint, audi Leonem: Et quoniam (vt superius diximus) eam Abbatis ordinationem indigne tulerat *Victor Papa*, comperto quod non omnes monachi in eam electionem consensissent occasionem nactus, quasi minus canonice electus esset, mandat ei, vt Romam cum duodecim monachis ad se protinus pergat, atque de sui ordinatione opportunam sibi rationem reddat. Cumq. vt iussus fuerat Abbas, illum adijsset; vix post biduum ad illum cum duobus tantum Fratribus ingredi permissus est. honorifice tamen susceptus, cum inter loquendum commotionem suam interdum Apostolicus significaret: redire tandem ad monasterium iubetur, vt ibi coram Conuentu, siue per seipsum, idem Pontifex, siue per Nuntios suos causa illa plenius discussa, demum AGITVR DE LEGITIMA PETRI ABBATIS CASS. ELECTIONE.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quid canonicum esset, ipse definiret. Igitur Abbate ad monasterium regresso, non A
multo post ex parte Papæ missus est Humbertus Episcopus, dato illi præcepto, vt diligentissime discussa electionis causa, si quam forte occasionem reperisset, Abbatem sine mora deponeret. Qui si forte contradicere vlla ratione præsumeret, tam ipsum, quam & fautores omnes Apostolica excõmunicatione feriret. ita ad subiugandum sibi monasterium Papa animum vehementer incenderat, cum nemo ante illum ex Romanis Pontificibus id attentasset, sed electio libera semper monachis fuerit, sola confirmatione ad Papam pertinente.

Ipso itaque sanctæ Pentecostes die prædictus Humbertus Capitulum Fratrum ingressus, Apostolicam illis benedictionem, si sint obedientiæ filij, nuntiat. ea die nihil ab eo quæsitum, sed Pascha solemniter celebrato, secunda feria, cur venisset, aperuit: & quid olim Apostolico de illis, illorumq. Abbate relatum fuerit, retulit. Se itaque B
adesse, vt rei exploret veritatem. Responsum a senioribus est, Cassinensis Abbatis electionem & auctoritate Regulæ,& Apostolica cõcessione ad neminem omnino mortalium, præterquam ad monachos solos pertinere: liberam auctore Deo domum istam, nulli conditioni obnoxiam esse. Electionem, quam concorditer fecerant, ratam omnimodis atque canonicam, & ex Regulæ præcepto,& auctoritate præcedentium omnium summorum Pontificum se fecisse: nulli ambitionum locum aliquem in ea ordinatione fuisse. Neminem de suis aut honestiorem, aut religiosiorem, aut omnino meliorem, quem eligerent, inuentum esse. Inuito illi & renitenti officium impositum fuisse, omnes vnanimiter in eius electione fuisse concordes, seditionis consuetudinem, Dei gratia, in hoc monasterio numquam fuisse: nullius demum imperio alterum vt recipiant, se vmquam passuros] schismatis semen iacitur, cum etiam C
Romano Pontifici velint esse negatum, eligere posse, si velit, Cassinensem Abbatem: inaudita hactenus in monachis arrogantia. sed pergit auctor: Huiusmodi perceptatione Episcopus tacuit, nihil quod contradiceret, habens. eo etiam die ita a Capitulo discessum est. [a]

[a] *Leo Ost. lib. 2. cap. 96.*

TVRBAE EXCITATAE ADVERSVS LEGATVM APOST.

Interea ex Fratribus quatuor indigne id ferentes, solumq. ad Abbatem deponendũ Apostolicum Nuntium venisse putantes, ignaro Abbate, nescientibus ceteris, imprudenter clam directis nuntijs, omnes terræ huius habitatores ad arma excitos, die altera, quasi in Abbatis auxilium euocant. cum ecce postridie a Capitulo cum omni pace surgentibus, varijs armata telis aduenit multitudo frementium, & qui essent, qui vellent Abbatem deponere, cum clamore inquirentium, eosq. perdere cupientium. quod etiam forte fecissent, nisi egressus ad illos Abbas, vix tandem eorum sæuitiam, D
& impetum ratione frænasset, adijciens: Hactenus nemo mihi officium Abbatis auferre potuit, sed vos hodie vestra stultitia plane mihi illud eripuistis. quod profecto verissimum fuit. Nam prædictus Episcopus iam iamq. recedere, nulla super eius ordinatione inuenta contradictione, parabat. Hac igitur sola tandem occasione reperta, omnes pariter Fratres in Abbatis cubiculum euocat, ac de tanta sibi, Romanis scilicet Nuntijs, ante ipsas Romanorum ianuas facta iniuria queritur. Huic & monachi iuncti, sibi quoque eamdem factam testantur iniuriam, nolle se amplius Abbatem, qui non sibi, sed sæcularibus armis confideret, asseuerantes. inde simul omnes in Capitulum redeunt. Vbi cœpit Humbertus sub districti anathematis præcepto perquirere, quinam fuissent tantæ seditionis auctores. Et cum Abbas, ac ceteri Fratres huius rei se prorsus ignaros constanter faterentur, & ille id inquirere omnino persisteret: E
surgentes tandem illi quatuor Fratres, de more monasterij, terræ humiliter prostrati, se solos ignorantibus ceteris, huius facinoris auctores fuisse confessi sunt. Commoti Fratres, monasterij e claustris illos continuo deturbant, & apud hospitij domum ingrauiori culpa eos constitui mandant. Abbas interea Humbertũ latenter alloquitur: libenter se officio cessurũ pollicetur, dari sibi locum, vbi decenter possit viuere, flagitans.

PETRVS ABB. CASS. ABDICAT SE.

Tertia vero post hæc die coram cunctis Fratribus in ecclesiã veniens, ac virgam super altare deponens, officium,& hoc monasterium deseruit: postridie vero, id est feria sexta post Pentecosten in Capitulum Fratres conueniunt, ac præsidente Humberto, Apostolicæ Sedis Legato, cœperunt de eligendo sibi Abbate tractare. Vno igitur tandem consensu pariq. voluntate Fridericum omnes pariter eligunt, qui tum & nobilitate, & sapientia magna pollebat, eiusq. monasterij monachus erat. Id cum Humbertus

A bertus quoque approbasset, ab eo mox Fratribus traditus, ingenti gaudio & exultatione omnium, de more monasterij, Abbas electus est] quisnam autem, quantusq. fuerit iste Fridericus, idem auctor pluribus declarat: quæ cum nos superius attigerimus, hic repetere prætermittimus. pergit vero idem auctor post pauca in hunc modum: Post decem igitur dies paratis omnibus itineri necessarijs, secum octo Fratribus sumptis, vna cum Episcopo Humberto consecrationis gratia Pontificem in Tusciam adijt. super quo dum Papa plurimum exhilaratus esset: omnia illi per ordinem quæ gesta essent, retulerunt, religionem conuersationemq. nostrorum, & loci huius dignitatem Humberto multum collaudante.

FRIDERICVS ABB. CASSIN. PRESB. CARD. CREATVS.

Sabbato itaque ieiunij, mensis Iunij *Fridericus Abbas*, presbyter Cardinalis tituli sancti Chrysogoni ordinatus, in natiuitate demum sancti Ioannis Abbas consecratus
B est, atque vsque ad sancti Apollinaris festum cum Apostolico ipso remoratus. Quo etiam tempore priuilegium ab eo per manus Humberti accepit, quo translatam ad se a Petro Abbatiam saniori consilio idem Apostolicus valde collaudans, hanc illi ex maiorum vsu Apostolica auctoritate firmauit: vsum quoque illi sandaliorum,ac ceterorum insignium, iuxta quod sanctus Papa Leo dudum Abbati Richerio concesserat, contulit. In omni præterea Episcoporum Principumq. conuentu superiorem Abbatibus omnibus sedem, & in consilijs eorum atque iudicijs priorem nihilominus sui ordinis hominibus sententiam illi pariter & eius successoribus omnibus Apostolica auctoritate firmauit. Quod & ipse postmodum similiter Pontificatus sui tempore cœnobio huic,& per ipsum omnibus deinceps huius monasterij Abbatibus canonice promouendis solemni cum priuilegio in perpetuum delegando roborauit. In quo etiam
C præter cetera seditiones, quas dicunt Leuas, seu prædationes, quas hic in Abbatis dormitione fieri solere compererat, ne vlterius fierent, seueriſſime interdixit.

Cumq. petita remeandi licentia [a] Romam venisset, Dominica sequenti apud sanctum Petrum Missam solemniter celebrans, magna Romanorum stipatus multitudine, ad titulum suum, de more Cardinalium, cum laude perductus est. Inde ad Pallariam, vbi hospitabatur, eadem frequentia officij deductus est. Vbi cum vsque ad quintam feriam comparandorum ornamentorum causa substitisset, paratisq. omnibus Vrbe egredi pararet: repente Bonifacius Albanensis Episcopus ex Tuscia veniens, VICTORIS PAP. OBITVS.
Romani Pontificis obitum nuntiauit] defunctum Florentiæ, ibiq. sepultum, idem Leo [b] Ostiensis testatur. Mortuum Victorem Pontificem vigesimaoctaua Iulij tradit
D Lambertus,vacasse vero Sedem vsque ad diem secundam mensis Augusti,Leo Ostiensis affirmat. qui de subrogatione successoris hæc subijcit:

[a] *Leo Ost. lib. 2. cap. 92.*

[b] *Id. lib. 3. cap. 8. in fine.*

Hoc *Fridericus* consternatus nuntio, substitit, & ita demum frequentari a Romanis tam clericis, quam laicis cœpit. Reliquum itaque diei eius, & nox integra cum sequenti die in huiusmodi peracta consilijs, rogatus quid facto opus esset, quem eligere ad tantum Pontificatum deberent: quinque illis personas in his partibus, quæ digniores essent,proposuit,vt ex his quem vellent,eligerent,nempe Humbertum sanctæ Rufinæ Episcopum,Episcopum Velitrensem, Perusinum,Tusculanum,& Hildebrandum Ecclesiæ Romanæ * subdiaconum. Sed cum Romani neminem ex ijs sibi idoneum vi- * Archidiaconum.
deri dicerent, eiq. hunc apicem largiri se velle assererent: De me, inquit ille, non potestis agere, nisi quod permiserit Deus: & absque illius nutu istud mihi nec dare, nec
E auferre potestis. Fuere tamen, qui Hildebrandum adhuc apud Tusciam, vbi fuerat cum Papa, morantem opportune expectandum dicerent: ceteri moras nullas nectendas esse iudicantes, vno consilio & voluntate concordi mane summo ad Abbatem conueniunt, eumq. per vim Pallaria eductum eligendum ad basilicam sancti Petri, STEPHANVS X. PAPA ELIGITVR.
quæ ad Vincula dicitur, pertrahunt: vbi electione celebrata, Stephanum eum (quoniam sancti Stephani Papæ, *nempe die secunda Augusti*, celebritas ipso die agebatur) appellarunt. sicq. lætante Roma, summis cum laudibus ad Lateranense Patriarchium illum deducunt. Die vero altera illucescente, Cardinalibus omnibus cum Clero, populoq. Romano ad eum concurrentibus apud beati Petri basilicam ingenti lætitia omnium summus vniuersalisq. Pontifex consecratur. Post hæc missis ad monasterium Fratribus, duobusq. tantum sibi ad seruiendum retentis, mandat Præposito nostro, vt cum duodecim monachis, quos ipse litteris notabat, ad se protinus pergat, vt & de se, & de illis communiter consulant. Profecti omnes, vt iusserat, post dies fer-

Universidad de Deusto
Biblioteca

me decem reuersi sunt] hæc Leo Ostiensis, qui proxime hæc cuncta oculis vidisse potuit. quæ autem, vbi creatus est Pontifex, Stephanus egerit, ab eodē auctore sic accipito. A

PROFICISCITVR CASSINVM STEPHANVS PAPA.

Quatuor itaque mensibus Romæ remoratus, & crebris Synodis Clerum Vrbis, populumq. conueniens, maximeq. coniugijs clericorum & sacerdotum, consanguineorumq. copulationibus tollendis insistens; tandem in festiuitate sancti Andreæ ad monasterium cum plerisque Romanis reuersus, vsque ad festiuitatem sanctæ Scholasticæ moratus hic est, nempe vsque ad decimam Februarij. Et quoniam vitium proprietatis paulatim a prioribus annis irrepserat; cœpit omnibus modis insistere, opportune, importune, arguens, obsecrans, increpans, & districtius inhibens, vt prædictum hinc vitium iuxta mandatum Regulæ, radicitus velleret. quod ex parte maxima fecit. Tunc & Ambrosianum cantum in ista ecclesia cani omnino interdixit.]

Quemnam autem, ipso agente, creauerint monachi tunc Abbatem, idem Leo alibi B sic narrat: [a] Cum vero idem Apostolicus post menses ferme quatuor ad monasterium venisset, graui paulo post languore detentus, ad extrema fere perductus est. Accersitis itaque senioribus monasterij, vt quem vellent, Abbatem eligerent, mandat. Sed cum varia primo sententia esset, communi tandem voto omnes ad expetendum Desiderium conspirant, ipsumq. sibi a summo Pontifice in patrem constitui exorant. Cumq. hanc electionem Apostolicus quoque valde probasset (dudum enim illum tempore sancti Leonis Papæ cognitum habuerat, ac postmodum illi in monasterio familiarissimus fuerat) eam ita sua auctoritate confirmauit, vt diceret: Licet multi in eo monasterio boni spiritualesq. essent viri, magnaq. prudentia præditi; neminem tamen ad id onus subeundum aptiorem eligere illos potuisse] His auditis Petrus Damiani scripsit tunc ad Desiderium creatum Abbatem Cassinensem epistolam, cuius est exordium: Sacra testatur historia &c.] qua monuit eum, quomodo in ea Abbatis functione se gerere debeat, monens inter alia frequenter offerre incruentum sacrificium. Sed & aliam ad eumdem dedit epistolam de fugienda iactantia. incipit: Licet ignis circumposita quæque corripiat &c.] At ita electionem successoris Abbatis Pontifex voluit celebrari, non quidem, vt tunc ipsi viuenti Pontifici Abbas electus succederet, sed post obitum suum. voluit enim viuens esse sicut Pontifex, ita Cassinensis Abbas, exemplum prædecessoris secutus, qui cum esset Episcopus Eistetensis, ipso viuente neminem voluit ordinari eius ecclesiæ Episcopum successorem. Quæ hæc autem secuta sunt, de legatione Constantinopolim adornata, dicturi sumus suo loco anno sequenti, quo decerni contigit.

[a] *Leo Ost. lib. 3. cap. 8.*

ELIGENDVM CVRAT ABBATEM CASSINENSEM.

STEPHANVS PAPA CONCILIA CELEBRAT.

Quod autem Leo dicit ab eodem Pontifice celebrata fuisse istis quatuor mensibus D suæ in Vrbe commorationis plura Concilia, his interfuisse Petrum Damiani, quem liquet hoc anno Romæ fuisse præsentem, possumus existimare: quem etsi constat hoc anno creatum Episcopum Cardinalem; tamen cum esset tantummodo monachus, nondum Cardinalis, pluribus Synodis interfuit. Consueuisse interdum vocari ad Concilia insignes monachos, plurima exempla declarant, ipseq. in Apologetico, quem scripsit de contemptu sæculi ad Albisonem & Petrum, hoc testatur, dum monet monachos, quantum possint, abesse, vocatos licet, a conuentibus synodalibus.

Ceterum etsi adhuc tantum monachus Petrus (vt ipse asserit) in synodalibus conuentibus refractarios interdum est passus Episcopos, a Romanis Pontificibus probe auditum, susceptumq. sermonem eius, & vti diuinum oracullum obseruandum esse propositū, Leonis Papæ recitata superius scripta ad eum epistola docet; ipseq. rursum E in epistola ad Gislerium Auximanum Episcopum satis ostendit, dum in conuentu synodali questus aduersus eos, qui monastico relicto habitu ad sæcularem vitam redibant, hæc de his habet: Nuper autem, cum te corporali valetudine laborante, Romanæ Synodo me interesse contingeret, huiusmodi rei notitiam Domino Papæ suggerere congruum iudicaui. Ille autem, vtpote vir sanctissimus, sinceriſſimæ charitatis viscera, quæ in templo sui pectoris viget, rem valde perdoluit, & mox congruum immanissimo vulneri remedium adhibere curauit. Itaque, quia ad executionem huius negotij idoneorem in illis partibus virum nequit adsciscere, suas ad te litteras censuit destinare, quatenus præuaricatores illos tu secundum prudentiæ tuæ facundiam conuenires, obedire volentes, ad suum propositum reuocares: qui vero rebelles existerent, perpetua anathematis sententia ferirentur] Quanta autem animi constantia,

PETRVS IVDEX ADVERSVS APOSTATAS.

orisq.

A orisq. libertate tunc inuectus sit in eadem Synodo in Episcopum, qui huiusmodi fauere desertoribus dicebatur, idem Petrus pergens ita testatur: Domnum autem Guidonem Numanum Episcopum in prædicto Concilio reperi. Quia ille, vt nosti, incitamenta præbere huic vitio dicebatur (fateor peccatum meum) dure illum censurare præsumpsi. Ille nimirum vir dignæ humilitatis & patientiæ, non solum sacris eloquijs, sed etiam liberalium artium studijs eruditus, insultantem quidem me patienter tulit; obiecti vero criminis culpam negando, detestando, Dei testimonium implorando, disertissime propulsauit. vltro enim pro me cœpit verborum tela dirigere, qui aduersum me falso dicebatur eatenus dimicare] Porro synodalem inuectiuam illam, in Episcopum a se scriptam, ad dictum Auximanum Episcopum misit, vt licet frustra aduersus innocentē illum Episcopum emissa fuisset, tamen sicut vt sic vulgata percuteret

B vbique noxios præuaricatorum huiuscemodi defensores. incipit: Cur aduersum te, venerabilis Episcope Maure &c.] in fine autem se tantum monachum, nondum fuisse Episcopum, sic perorans ostendit: Non te pudeat, errorem tuum minoris fratris redargutione corrigere, cum non ignores Apostolorum minimum ipsi Apostolorum Principi [a] in faciem restitisse. Et si forte respondeas, quia Paulus licet minimus, tamen fuerit Conapostolus; ego autem non Coepiscopus: audi saltem quid Dominus hominibus dicat: [b] Venite, inquit, & arguite me. Si ergo Dominus, vt ab hominibus redarguatur, inuitat: satis dignum est vt homo correptus ab homine, zelum charitatis æquanimiter ferat] hæc Petrus. quibus intelligas, qualis fuerit in Episcopos ipse monachus adhuc, in conuentibus synodalibus. Quo magis credendum est, ad absterrendos suos ab huiusmodi cupidine monachos, ea recitata superius, quæ semel ipsi accidissent, in exemplum adduxisse.

[a] *Galat. 2.*

[b] *Isai. 1.*

C Quod rursum ad Concilia sub Stephano tam breui spacio temporis celebrata pertinet: in vno ipsorum aduersus clericos concubinarios sancitum ab eo fuisse decretum, satis ipse Petrus significat, dum aduersus eosdem ad Taurinensem Episcopum scribens, eiusmodi lugubrem de vno ex ipsis historiam recitat, dicens: Alio quoque tempore, cum Papa Stephanus, qui zeli Phinees æmulabatur ardorem, omnes clericos Romæ, qui post interdictum Papæ Leonis incontinentes extiterant, de conuentu clericorum, & choro ecclesiæ præcepisset exire; vt quamquam relictis feminis per pœnitentiæ se lamenta corrigerent; tamen quia sancto viro inobedientes fuerant, & de sacrario ad tempus exirent, & celebrandæ Missæ licentiam de cetero non sperarent.

QVID IN CONCVBINARIOS STATVTVM.

Iuxta canonicā beatæ Cæciliæ trans Tiberim constitutam presbyter habitabat, qui

D nec feminam vllo modo quiescebat abijcere, nec vmquam poterat hæc statuta nisi vana prorsus & friuola iudicare. Quadam itaque die dum incolumis, vegetus, ac robustus existeret, vespertinis horis ad quiescendum se in lecto composuit: sed repentina diuinæ vltionis animaduersione percussus, mane repertus est cadauer exanime. Illico præfatæ canonicæ religiosus certe conuentus duos ad me clericos direxerunt, quid tali deberent mortuo, consulentes. Nos si rem recte tenemus, consilium dedimus, vt eum quidem, quia presbyter fuerat, penes ecclesiam sepelirent; sed nullum ei vel hymnorum, vel psalmodiæ officium redderent, quatenus & incestis terror accresceret, & castitatis gloria germinantius pullularet, & certe dignus videretur, vt mortuus (iuxta [c] Prophetam) sepulturam possideat asini, qui dum viueret, humana contempsit lege constringi &c.] hæc Petrus Damiani Romæ tunc scribens.

DIVINA VLTIO IN PRESBYT. CONCVB.

[c] *Ierem. 21.*

E Quem abstractum ab eremo idem Stephanus creauit Episcopum Cardinalem Ostiensem, testatur id quidem [d] Leo in Chronico Cassinate: testatur id ipse Petrus in epistola ad Nicolaum Papam de dimittendo Episcopatu, cum vim se passum queritur, & vim inferentem ipsum Stephanum Romanum Pontificem suum appellat persecutorem, post cuius obitum numquam cessauit ipse Petrus, vt se abdicaret Episcopatu. Hæc vt melius percipias, accipe verba ipsius, ad eumdem Nicolaum Papam scribentis: Post sanctæ memoriæ domni Stephani, vestri quidem decessoris, mei autem persecutoris obitum, ego a me protinus Episcopatum non canonice traditum, sed violenter iniectum, funditus abscidissem. Meministis etiam domine mi, quot querelas coram vobis sæpe deposui, quot gemitus, quot denique profunda suspiria ex imis visceribus traxi: quotiens etiam vberibus lacrymis tristia ora rigaui. Verumtamen apud vos tunc non obtinui missionem, quia Romanæ Ecclesiæ, quæ ruinam

PETRVS DAM. EPISC. CARD. CREATVR.

[d] *Leo Ost. lib. 2. cap. 102.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

minari videbatur, id vtilitas non poscebat. Nunc autem &c.] hæc ipse, easdem sæ- A
pe querelas iterans, in epistola præsertim ad Alexandrum Papam electum, & Hilde-
brandum Archidiaconum, qua se inuitum & renitentem creatum Cardinalem Epi-
scopum contestatur.

STAVS DAM. ADMONET COEPISCOPOS CARDINALES.

Cum autem ipse Petrus Episcopus Cardinalis creatus esset, in eminentioris loci
specula constitutus, cuncta longe lateq. lustrans oculis, plurima, quæ sibi displice-
rent, corrigenda conspexit. quamobrem de his omnibus voluit fratres commonuis-
se collegas, quibus pariter, quales esse deceret, formam insinuat. scribit autem ad Co-
episcopos Cardinales, quod ijdem in Romana Ecclesia præcipue eminerent. epistо-
la sic se habet:

Venerabilibus in Christo sanctis Episcopis, Lateranensis ecclesiæ Cardinalibus Pe- B
trus indignus intimæ deuotionis affectum.

ECCLESIAE ROM. FORMA HVIVS TEMPORIS.

Quod autem in limine ipsius epistolæ titulo hactenus inaudito hæsitantem
Lectorem videre videor: hic antequam ipsam reddamus epistolam, necessitas in-
cumbit, vt quæ esset horum temporum Romanæ Ecclesiæ forma, ex scripto antiquo
Vaticano codice sacrorum rituum describamus. sic enim se habet: Sunt in Ecclesia
Romana, *Romæ scilicet*, quinque ecclesiæ patriarchales. Prima est ecclesia Latera-
nensis, quæ & Constantiniana, & basilica Saluatoris diuerso nomine nuncupatur.
Hæc habet septem Cardinales Episcopos, hosq. dictos Episcopos collaterales, itemq.
& hebdomadarios, eo quod singulis hebdomadibus per vices expleant munus Pon-
tificis. Episcopi Cardinales erant hi, Episcopus Ostiensis, Episcopus Portuensis, Epi-
scopus sanctæ Rufinæ, siue Siluæcandidæ, Episcopus Albanensis, Episcopus Sabinen- C
sis, Episcopus Tusculanus, Episcopus Prænestinus.

Alia patriarchalis est sanctæ Mariæ, Maior dicta, in qua habet septem Cardinales
presbyteros, scilicet Cardinalem sanctorum Apostolorum Philippi & Iacobi, sancti
Cyriaci in Thermis, sancti Eusebij, sanctæ Pudentianæ, sancti Vitalis, sanctorum Pe-
tri & Marcellini, & sancti Clementis.

Alia patriarchalis ecclesia sancti Petri, in qua item septem sunt presbyteri Cardina-
les, scilicet sanctæ Mariæ trans Tiberim, sancti Chrysogoni, sanctæ Cæciliæ, sanctæ
Anastasiæ, sancti Laurentij in Damaso, sancti Marci, sanctorum Martini & Silueстri.

Alia ecclesia patriarchalis est basilica sancti Pauli, in quo sunt Cardinales sanctæ
Sabinæ, sanctæ Priscæ, sanctæ Balbinæ, sanctorum Nerei & Achillei, sancti Sixti, san-
cti Marcelli, sanctæ Susannæ.

Quinta patriarchalis erat sanctus Laurentius extra muros, in qua sunt hi Cardina- D
les, sanctæ Praxedis, sancti Petri ad Vincula, sancti Laurentij in Lucina, sanctorum
Ioannis & Pauli, sanctorum Quatuor coronatorum, sancti Stephani in monte Cœlio,
sancti Quirici.

His autem patriarchalibus ecclesijs præfecti erant hi, Lateranensi primus Episco-
pus collateralis, sanctæ Mariæ Maiori Archipresbyter Cardinalis, sancto Petro Archi-
presbyter Cardinalis, ecclesiæ sancti Pauli Abbas Cardinalis, ecclesiæ sancti Lauren-
tij Abbas Cardinalis.

Sunt præter titulos Diaconiæ, ijsq. præfecti diaconi Cardinales, dicti Regionarij,
ijdemq. numero duodecim. Diaconijs Regionarijs præfecti item diaconi Palatini sex:
hi præsunt Diaconijs, quæ sunt sancta Maria in Dominica, cui præst Archidiaconus, E
sancta Lucia ad septem Solia, sancta Maria Noua, sancti Cosma & Damianus, san-
ctus Hadrianus, sancti Sergius & Bacchus, sanctus Theodorus, sanctus Georgius,
sancta Maria in schola Græca, sancta Maria in Porticu, sanctus Nicolaus in Carcere,
sanctus Angelus in Foro piscario, sanctus Eustachius, sancta Maria in Aquiro, sancta
Maria in Via lata, sancta Agatha in Equo marmoreo, sancta Lucia in capite Suburræ,
sancti Viti in Macello. Est munus diaconorum Regionariorum cantare Euangelium
in Stationibus, Palatini cantant Euangelium in ecclesia Lateranensi.

Subdiaconi sunt omnes numero viginti & vnus, septem Regionarij, qui Epistolas,
& Lectiones cantant in Stationibus, septem Palatini, qui idem munus præstant in
ecclesia Lateranensi, septem alij, qui dicuntur schola Cantorum, qui cantant tan-
tummodo, quando summus Pontifex celebrare consueuit.

Sunt in Vrbe Abbatiæ viginti duæ, videlicet sancti Cæsarij in Palatio, sancti Grego-
rij in

A rij in cliuo Scauri, sanctæ Mariæ in Auentino, sancti Sabini Episcopi, sanctorum Ale-
xij, & Bonifacij, sanctorum Priscæ & Aquilæ, sancti Sabbæ, sancti Tiburtij, sancto-
rum Cosinæ & Damiani in Vico aureo, sancti Silueстri inter duos hortos, sanctæ Ma-
riæ in Capitolio, sancti Basilij iuxta Palatium, sanctæ Agathæ, sancti Laurentij in Pa-
neperna, sancti Thomæ iuxta forum Claudij, sancti Blasij inter Tiberim, & portam
sancti Petri, sanctæ Trinitatis Scotorum, sancti Valentini iuxta pontem, sanctæ Ma-
riæ in Capite aureo, sanctæ Mariæ in Pallaria, sanctæ Mariæ iuxta sanctum Petrum ad
Vincula.

Insuper præter septem collaterales Episcopos erant alij Episcopi, qui dicuntur Suf-
fraganei Romani Pontificis, nulli alij Primati, vel Archiepiscopo subiecti, qui fre-
quenter ad Synodos vocarentur. In Campania Tiburtinus, Anagninus, Signinus, Fe-
B rentinus, Alatrinus, Verulanus, Soranus, Fundanus, Caietanus, Tarracinus. In
Marsis sunt hi, Furconensis, Marsicanus, Valuensis, Theatinus, Pennensis, Apru-
tinus. In Tuscia sunt hi, Nepesinus, Sutrinus, Ciuitensis, Hortanus, Balneoregien-
sis, Vrbeuetanus, Viterbiensis, Castrensis, Suanensis, Clusinus, Perusinus, Castel-
lanus, Aricinus, Grostetanus, Volaterranus, Senensis, Lucanus, Pistorienſis, Floren-
tinus, Fesulanus, Lunensis. In Vmbria, & Marchia Spoletum, Assisium, Fulginas,
Nucerinus, Eugubinus, Reatinus, Tudertinus, Amerinus, Narniensis, Interamnen-
sis, Esculanus, Firmanus, Camerinensis, Auximanus, Humanus, Anconitanus, Esi-
nus, Senogallienſis, Fanensis, Pisaurienſis, Forosempronienſis, Callienſis, Vrbinas,
Ariminensis, Ferentanus] hæc de Ecclesiæ Romanæ huius temporis statu. Vt non
mireris, si audis ipsum Petrum Damiani Ostiensem Episcopum, primumq. Episco-
C porum collateralium præfectum ceteris, ad Coepiscopos sibi ordine inferiores eius-
modi admonitionem conscribere eo, vt audisti, titulo.

Venerabilibus in Christo sanctis Episcopis Lateranensis ecclesiæ Cardinalibus Pe-
trus indignus intimæ deuotionis affectum]

PETRI EPISC. OST. AD COLLATERALES EPISCOPOS EPIST.

Castrensium specularum, turriumve custodes vt se promptius exhibeant intempe-
sta nocte peruigiles, clamosas sibimet inuicē sæpe dirigunt voces; sic itaque dum alios
excitant, semetipsos vtique ad peragendas excubias vigilantiores seruant. Ego quo-
que, qui pro castris ecclesiasticæ militiæ stantium vtcumque particeps esse coactus
sum, ad vos venerabiles fratres ista conscribo, & impolito stylo, quasi raucis vocibus
perstrepo, non vt vos sopor deserat, vtpote strenue vigilantes; sed vt me potius exci-
tem sub torpore desidiæ ignobiliter oscitantem. Sæpe namque melius ipsi discimus;
D dum dicimus, & quasi proprio ore compellimur exequi, quod alijs inculcamus, Salo-
mone attestante, qui ait: [a] Anima laborantis laborat sibi, quia compulit eum os suum. a Prov. 16.

Videtis itaque, dilectissimi, quia totus mundus pronus in malum, per lubrica vitio-
rum in præceps ruit, & quanto fini suo iamiam vicinius appropinquat, tanto gra-
uiorum super se quotidie criminum moles exaggerat. ecclesiastici siquidem genij
vbique pene disciplina negligitur, debita sacerdotibus reuerentia non præbetur, ca-
nonicæ sanctionis statuta calcantur, & soli terrenæ inhianter explendæ digna Deo cu-
ra seruitur. In fœderandis porro coniugijs legitimus ordo confunditur, & (o nefas)
ab eis in veritate Iudaice viuitur, qui superficie tenus Christiano vocabulo palliantur.
Enimuero vbi rapinæ desunt? vbi furta cauentur? qui periuria, qui lenocinia, qui
sacrilegia metuunt? qui denique perpetrare quælibet atrocissima crimina perhorre-
E scunt? Iamdudum plane virtutum studijs repudium dedimus, omniumq. peruersi-
tatum pestes, velut impetu facto, feraliter emerserunt. Sed ne tamquam cothurnati
tragœdiam videamur attollere; sufficiat nobis Apostolica dumtaxat super his verba
referre. nam velut prophetiæ depromit oraculum, dicens: [b] Hoc autem scitote, quod b 2. Tim. 3.
in nouissimis diebus erunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes,
cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine
affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, prodi-
tores, proterui, tumidi, voluptatum amatores, magis quam Dei, habentes quidem
speciem sanctitatis, virtutem autem eius abnegantes.

Inter hæc ergo tam profunda periclitantis mundi naufragosa discrimina, inter tot † sagena sæpe
immane patentes humanæ perditionis voragines vnicus & singularis portus Romana pro naui vsur-
patet Ecclesia, & (vt ita fatear) pauperculi piscatoris est parata † sagena, quæ omnes patur ab auc-
tore.

ad se

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad se sincere confugientes, de procellarum intumescentium fluctibus eripit, & in litore salutaris quietis exponit. Hinc est, quod ipsa Ecclesia excellētioribus præ ceteris totius orbis ecclesijs nititur priuilegijs, sed & mysticis etiam institutа atque disposita non ambigitur sacramentis. Nam vt de pluribus pauca perstringam, Lateranensis ecclesia sicut Saluatoris est insignita vocabulo, qui nimirum omnium caput est electorum; ita mater, & quidam apex ac vertex est omnium per orbem ecclesiarum. Hæc septem Cardinales habet Episcopos, quibus solis post Apostolicum, sacrosanctum illud altare licet accedere, ac diuini cultus mysteria celebrare. In quo nimirum illud [a] Zachariæ continetur euidenter oraculum: Ecce, inquit, lapis, quem dedi coram Iesu. super lapidem vnum septem oculi sunt. Lapis autem iste illa procul dubio petra est, de qua verus IESVS Petro pollicetur dicens: [b] Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Septem igitur oculos habet hæc petra, quia totidem sancti Spiritus donis sancta perfulget Ecclesia, quibus nimirum velut candelabrum aureum inextinguibiliter rutilans, ignorantiæ tenebras effugat, & ad contemplandum iustitiæ solem hominum mentes illustrat. de quo idem Propheta: [c] Vidi, ait, & ecce candelabrum aureum totum, & lampas eius super caput ipsius, & septem lucernæ eius super illud. Quod vtique sacramentum & beatus Ioannes in [d] Apocalypsi se didicisse non tacuit, cui dictum est: Mysterium septem stellarum quas vidisti in dextera mea, & septem candelabra aurea: septem stellæ Angeli sunt septem ecclesiarum, & candelabra septem, septem ecclesiæ sunt. Hæc igitur ad honorem condita sancti Saluatoris ecclesia, culmen, ac sublimitas totius Christianæ religionis effecta (vt ita dixerim) ecclesia est ecclesiarum, & sancta sanctorum. Habet autem altrinsecus beatorum Apostolorum Petri & Pauli diuersis quidem locis constitutas ecclesias, sed sui compage sacramenti (quia videlicet in quodam meditullio posita, quasi caput membris supereminet) indifferenter vnitas. His itaque tamquam expansis diuinæ misericordiæ brachijs, summa illa & vniuersalis Ecclesia omnem ambitum totius orbis amplectitur: omnes qui saluari appetunt, in maternæ pietatis gremio confouet, & tuetur. Hac IESVS sacerdos, summus videlicet Pontifex, arce subnixus, totam in orbe terrarum Ecclesiam suam in sacramenti vnitate confœderat, vt vnus sacerdos, vna merito credatur Ecclesia. vnde per Prophetam dicitur: [e] Ecce vir, Oriens nomen eius, & subter eum orietur, & ædificabit templum Domino. Et ipse construet templum Domino & portabit gloriam, & sedebit, & dominabitur super solio suo, & erit sacerdos super solio suo. Sed quia nobis non est proderanda relinquimus: ad exhortationis vero seriem, sicut instituimus, articulum reflectamus.

PRAEROGATIVAE LATERAN. ECCLES.

a Zach. 3.

b Matth. 16.

c Zach. 4.

d Apoc. 1.

e Zach. 6.

EXHORTATIO AD FRATRES.

Nos itaque fratres mei (vt & me vobis audenter interseram) nos, inquam, qui tamquam septem sumus oculi super lapidem vnum, qui stellarum portamus imaginem, qui Angelorum tenemus per annuntiationis officium, dignitatem: videamus, & splendeamus, & verba vitæ populis non solum vocibus, sed & moribus nuntiemus. sermonem siquidem prædicantium lingua quidem nuntiat, sed vita commendat. Porro, quia ad Lateranense palatium a diuersis populis de toto terrarum orbe confluitur: necesse est, vt ibi præ ceteris vspiam locis recta semper viuendi sit forma, districta teneatur assidue sub honestis moribus disciplina. Et tamquam si iugiter iaceat in fornace moneta, quæ læsis nummis reformet imaginem: sic in sacerdotali domo omnem deprauatæ vitæ suæ debent homines corrigere falsitatem. quod si ipsius monetæ oblitterata, vel detrita sit regula, postquam metallis imprimitur, non numus, sed paracharaximus inuenitur. Non ergo quorumlibet hominum tam noxia est, quam prauitas sacerdotum, dum proponitur ad exemplum. Nam qui dux itineris constituitur, si ipse in præcipitium labitur, necesse est, vt quisquis eius vestigia sequitur, in eiusdem ruinæ profunda mergatur.

Consideremus interea, quid scilicet hac sententia prædicator egregius dicat: [f] Qui Episcopatum, inquit, desiderat, bonum opus desiderat. Hic euidenter ostenditur, nil aliud esse pontificem, quam boni operis sectatorem. non enim dixit, bonam dignitatem, vel bonum honorem desiderat; sed, Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. ac si dicat: Qui ad Episcopatum anhelat possidendum sine bono opere, inane vult nomen induere, sine rei ipsius veritate. Non ergo constat

f 1. Tim. 3.

Episcopa-

Episcopatus in turritis gebelinorum, transmarinarumve ferarum pileis, non in flammantibus martorum submentalibus rosis, non in bractearum circumfluentium phaleris, non denique in glomeratis constipantium militum cuneis, nec in frementibus, ac spirantia fræna mandentibus equis; sed in honestate morum, & sanctarum exercitatione virtutum. moxq. subiungit: Oportet Episcopum irreprehensibilem esse. Hic tantæ vult esse perfectionis Episcopum, vt pene extra naturam loquatur Apostolus. Quis enim in carne constitutus tam caute viuat, tam se sollicite vndique circumspiciat, vt reprehendi aliquando nequeat? Væ his, qui & reprehensibiliter viuunt, & locum irreprehensibilem viuendi adhuc reprehensibilius concupiscunt! Ex his nimirum sunt, qui obliuiscentes affectum cognationis, & patriæ, sequuntur castra Regum per ignota & barbara regna terrarum. Et ad hoc eos impellit pereuntium ambitio dignitatum, quod extorquere non potuit cælestium promissio præmiorum. Vt enim non sint domestica facultate contenti, fiunt apud extraneos peregrini: vtq. super alios vel seram arripiant ferulam, duram ipsi præpositis exhibent clientelam. Enimuero facilioris exitus fuerat, si pro honoribus venaliter acquirendis pecuniam semel appenderent, quam tot laborum, tot pressurarum molestias sustinerent. nam cum Propheta [a] de viro iusto dicat: Quia excutit manus suas ab omni munere; quis eum a munerum præstatione defendat, qui & seipsum alienæ seruitutis imperio subiugat, & insuper in diuturnæ expeditionis impensas facultatum suarum lucra profligat?

a Isa. 33.

Plane prophetica illa sententia sic exponitur, vt tria dicantur esse munerum genera, scilicet munus a manu, munus ab obsequio, munus a lingua. siquidem munus a manu pecunia, munus ab obsequio obedientia subiectionis; munus a lingua fauor adulationis. Et cum ab vnoquoque horum manus excutiendas Propheta denuntiet; omnibus his manus implicasse conuincitur, qui nanciscendæ dignitatis ambitu potestatum sublimium castra sectatur. Nam dum in vehiculis acquirendis, diuersorumq. sumptuum apparatibus non modica summa profunditur, hic procul dubio datæ pecuniæ obnoxius inuenitur: qui etiam nulli dubium, quin ei & obsequiū præbeat, cui factus assecla, sub tanto laboris & itineris fasce desudat. Postremo dum domino suo blandiri, eiusq. voluntati congruere per omnia nititur, sæpe ipsi quibusdam adulationis fauoribus assentatur. Porro autem, quisquis in dandis, accipiendisve dignitatibus ecclesiasticis vna dumtaxat earum, quæ prædictæ sunt, peste corripitur, simoniacæ hæreseos teneri crimine iudicatur. Quam ergo sui afferent excusationē, qui licet verbis non contraxerint venalis pacta commercij; operatione tamen non vno, sed omnibus his probantur laqueis irretiti? Verumtamen iactant se, & eo gloriantur innoxios, quia nullam talenti summam pro susципiendis honoribus se pepigere daturos. sed dic mihi, o clerice, quisquis es, si redempto quolibet aureo vase, vel prædio distractor exigeret, vt retenti apud te vice pretij huiusmodi sibi sedulitatis impendium exhiberes: numquid non postmodum constanter assereres, te quod acceptum est, iusto pretio comparasse? non videlicet, quia pecuniam persoluisti, sed quia seruitium præbuisti. diceres enim, & non hoc fortassis impudenter astrueres, charius emi, dum tanto me labore vexarem, dum toties facultatum mearum sumptus expenderem, quam si semel præfixæ quantitatis pecuniam numerarem. Nequaquam ergo sibi innocentiam spondeant, & a simoniacæ hæreseos maculis se mundos esse confidant, qui licet metalla vibrantia non appendunt, pretium tamen pro susципiendis honoribus per subiectionis ei obsequium quædam quasi talenta persoluunt. Hæc aduersus eos dicta sufficiant, qui negant se venalis reos esse commercij, dum tamen fuerint pro dominationis ambitu dura diu seruitute grauati.

TRIPLEX SIMONIAE GENVS.

Vos autem dilectissimi, quibus hæc & alia praua datum est ex Apostolicæ Sedis auctoritate corrigere, vosmetipsos ceteris non modo Fidelibus, sed & sacerdotibus quādam viuendi regulam exhibete. in vita nostra legatur, quid agi, quid vitari conueniat. Ex labijs nostris verba otiosa non effluant; sacerdotalem linguam discreti silentij censura compescat; non ioci soluant; non pectus nostrum lætitia immoderata concutiat; puerilis ludus abscedat; mordax eloquentia, vrbana dicacitas euanescat; caueantur scurrilia verba; nec aliquando misceantur fabulosa colloquia. Quomodo enim ex ore sacerdotis oratio ad Deum munda dirigitur, quod videlicet proprij sermonis sordibus inquinatur? Aut quomodo inter Deum, & homines lingua mediatrix

Universidad de Deusto
Biblioteca

trix efficitur, quæ iram Iudicis ex proprio reatu & ipsa meretur? Incassum quippe reus supplicationibus vtitur, cũ interceſſor ipse culpabilis inuenitur. Mementote quod sacerdotibus dicitur: [a] Vos estis sal terræ. sed sicut Veritas dicit: Si sal euanuerit, in quo condietur? Exiguo quippe sale multa dulcescunt, *condiuntur ad esum scilicet*, & paruo sacerdotum numero totius Christianæ plebis eruditur & instruitur multitudo. Sicut enim Episcopi duodecim Apostolorum noscuntur obtinere primatum; ita & sacerdotes Ecclesiæ septuaginta Discipulorum ordinem repræsentant. quod profecto mansio illa Israelitici populi in Elim, [b] figurate designat. Ibi nimirum duodecim profluebant Apostolici fontes, qui diuini verbi imbribus arentia hominum corda perfunderent: ibi septuaginta virebant palmæ, totidem videlicet Discipuli, qui mundo diabolicæ tyrannidis seruitute depresso, victoriæ Christi palmas inferrent. Illi siquidem fontes palmarum arbores irrigant, qui e sacri Pontificis verbis effluunt, vnde ceteri sacerdotes Ecclesiæ in spe cælestium præmiorum sine cessatione viresc unt: qui nimirum decuplato septenario numero hoc significare videntur, vt per septiformis gratiæ Spiritum legis Decalogus impleatur.

a Matth. 5.

b Exod. 15.

Quod igitur, dilectissimi, non modo sacerdotes, sed sacerdotum nos decet esse magistros, necesse est, vt vita nostra quasi quædam sit linea, & velut adamantis signaculum, quod viuendi ceteris adhibeat formam. Adamantinum quippe sigillum suam ceteris imprimit, a nullis vero metallis imaginem sumit. Cum igitur ex diuersis mundi partibus aduentantium nobis ingruit multitudo, cum multimodæ conspersionis homines obstrepunt, cum morigerari sibi quisque nos importune compellunt; vultus noster semper idem, sic festiua quadam serenitate resplendeat, ne, quod absit, in aliquo leuitas puerilis erumpat: sic sacerdotalem vultum grauitas matura componat, ne rigorem nimium intuentium infirmitas perhorrescat: sic alios hilaritatis nostræ dulcedo demulceat, vt seueritas nostra sese in petulantiam, vel lasciuiam non resoluat. Ridere quis, vel leuiter loqui incipiens, si nos repente conspexerit, verbum supprimat, ori digitum superponat, territus obmutescat. Sic, sic videlicet cum Petro claues Ecclesiæ, merito facti participes, obtinebimus, dum nosmetipsos certam viuendi formam, atque signaculum ceteris Fidelibus exhibemus] hucusque Petri Damiani ad collegas epistola, atque familiaris admonitio. Qui enim inuitus, nolensq. penitus ad eam (vt audisti) dignitatem fuit ex eremiticæ vitæ rigore perductus: ad eam, cui assueuerat, disciplinæ monasticæ seueritatem optauit transformare collegas, ne vel otiosum verbum risumq. leuem ipsi ore proferrent. cum vero ista non ita ex sententia sibi succedere intelligeret: cœpit eiuscemodi vitæ generis tædere, & de reditu ad eremum voluere secum sæpe consilia. Sed quod dum viueret, qui eum creauerat Cardinalem, id sibi non licere cognouit, ad aliud tempus conceptum mente propositum distulit. quando autem id contigerit, suis locis dicturi sumus.

Porro hoc eodem anno ad recens creatum Romanum Pontificem Stephanum cum Vuillelmus Archiepiscopus Rhemensis epistolam scripsisset officij plenam, qua ipsi omne studium pollicitus, fidelem in omnibus se fore Ecclesiæ Romanæ spopondit: ad eum ista rescripsit idem Stephanus Papa:

STEPHANI PAP. EPIST. VD VVILLELMVM ARCHIEPISC. RHEMEN.

Stephanus Episcopus seruus seruorum Dei Vuillelmo Archiepiscopo salutem & Apostolicam benedictionem.

Promotioni nostræ, sicut nobis scripsisti, non ambigimus te gratulari; amicitiam quoque sinceram & volumus & optamus inter nos fore perpetuam. Porro obedientiam, fidelitatemque, quam nobis polliceris te integerrime seruaturum, si vt debes, & vt te decet, seruaueris, facis, quod faciendum optime scis, quod principalem & communem matrem, non modo nos, reuereris in nobis. De Concilio autem Rhemis habendo quid aliud dicendum, nisi quod beatæ memoriæ domnus Victor Dei iudicio hinc est raptus, & quod tu, sicut inter nos conuenit, non remandasti, an in hoc esset Regis consensus. sed & de Bituricensi Archiepiscopo, quia dilectus filius noster Hildebrandus, cui illius causa maxime nota est, abest, hoc tantum respondemus, quod eo reuertente, & te cum illo ad nos veniente, tam ex hoc, quam ex alijs ecclesiasticis negotijs tuum consilium habebimus. Ne deficias, aut frangaris, si aduersarios pro fidelitate sanctæ Romanæ Ecclesiæ, immo pro sanctorum canonum defensione pateris, sciens secundum Apostolum, quod in hoc positus sis. auxilium enim nostrum,

strum, & consilium tibi pro iustitia agonizanti tempore nostri Pontificatus, ad quem nullo meo merito videor assumptus, non deerit: & secundum quod oras, orabimus Dominum IESVM, ne a bono proposito aliquando decidas. Ceterum Romæ quinto die post sanctum Pascha Synodum celebraturi, tuam fraternitatem cum Suffraganeis eius volumus, & auctoritate Apostolica iubemus interesse, absque ineuitabili necessitate] hucusque Stephani Papæ epistola, quam exscripsimus ex Papirio Massone, qui primus eam ex antiquis membranis in lucem dedit.

Hoc eodem anno in Hispania vir sanctitate celebris, Enocho nomine, ex hac vita migrauit, cuius præclara est memoria in ecclesia Burgensi, penes quam res ab eo laudabiliter gestæ sunt notiores.

MICHAEL IMP. SE ABDICAT.

Quod ad res pertinet Orientales, hoc eodem anno mense Septembri, Michael Imperator cum se abdicasset, locum præbuit Isacio Comneno tyranno, qui nullo iure, sed violenter Imperium inuaserat, Patriarcha eidem fauente, secreto primum, deinde publice etiam id perficere laborante. Erat iste Michael Cerularius, de quo multa superius, quem tradit Ioannes Curopalata simulasse inuitum consentire Isacio tyrannice inuadenti Imperium, cum vocatus ab eo, ire nullatenus voluisset. Verum vt exitus comprobauit, volens libensq. omni conatu laborauit tyranno Imperium stabilire, cooperante eadem cum illo, qui tunc aderat, Theodoro Antiochiæ Patriarcha, qui nuper Petro defuncto successerat. Qui igitur nolle assentiri tyranno primum videri voluit Michael Cerularius, idem (inquit Curopalata) non solum particeps, sed cognitus est etiam eius rebellionis auctor & princeps. Qui & misit Legatos Metropolitas ad Imperatorem, qui suaderent ei Imperio cedere, ad propriasq. ædes secedere. Quodnam tunc idem Michael Imperator egregiæ pietatis specimen dederit, ex eodem Ioanne Curopalata rem accipe, sic enim ait: Cum vero senex ipse Imperator Michael missos ad se Metropolitas interrogasset: Et quid pro Imperio tradit Patriarcha? & illi respondissent, cæleste regnum: statim deposita purpura, & cocco tinctis calceamentis, veste priuata indutus descendit] sed derogat nonnihil tanto operi pietatis Curopalata, cum ista mox subdit: Hoc autem, inquit, prorsus vere accidisset, vt & ipse cupiebat, & Metropolitæ pollicebantur, si simulatque rebellari cœptum est, relicta Regia abijsset. Verum cum vsque ad bellum permanserit, & tantam suæ gentis cladem videre sustinuerit; deinde fractus, & compulsus a ciuibus, atque inuitus Imperio cedens: non satis mihi certum, an pro terreno Imperio sit mercedem cælestem accepturus. verum hæc, vt Deo placuerit, fient] ista Curopalata, sed quæ nulla subnixa ratione subsistant. Si enim cuique inuadenti Imperium tyranno cedere æquum sit, & præmio æterno dignum: quæ vlterius cuiuslibet Imperij firmitas esse poterit, ad cuius defensionem gladium ei Deus dederit in vindictam malefactorum, vt [a] Apostolus ait? Non ista docent sacræ leges, neque monent exempla: cum nullus fuerit hactenus Christianissimorum Imperatorum, qui præ ceteris in Ecclesia laudem meruerint, qui non aduersus insurgentes tyrannos totis viribus se obiecerint. Meruit laudem & a Deo primum Michael resistendo, vt decebat legitime a Deo constitutum Imperatorem: meruit & laudem cedendo, a sacerdotibus promissione oblata regni cælestis, qui in domum suam se contulit die vltima mensis Augusti, hac decima Indictione. Cũ inchoante mense Septembri Isacius Comnenus ab ipso Patriarcha solemni ritu coronatus est Imperator, virga [b] Assur, quæ in primis promotorem suum Patriarcham, malorum omnium architectum abigeret. sed de his anno sequenti. Sic tyrannice vbi Imperium adeptus est, vitio illi a Curopalata adscribitur, quod in nummis signum exprimi illud voluit, quo significaret, sua se fortitudine, non diuina gratia esse consecutum Imperium: Statim, inquit, regio numismate Spataphorus imprimitur, non omnia accepta Deo referens, sed propriæ virtuti, & rei militaris peritiæ] Illud autem laude dignum tunc præstitisse subijcit, quod ecclesiam in pristinam vendicauerit libertatem, sic inquiens:

a 1. Petr. 2.

ISACIVS COMNENVS IMP.

b Isa. 10.

REVOCATA LIBERTAS ECCLESIASTICA.

Magnæ ecclesiæ permisit sacras suas res administrare, interdicta prorsus eius administratione Imperio, ita vt neque ad obeunda sacra munera, neque ad habendam sacri thesauri rationem aliquis ab Imperatore delectus præesset; verum a Patriarchæ potestate omnia penderent, & personarum delectus, & rerum administratio] hæc Curopalata: ex quibus eiusdem ecclesiæ pristinam seruitutem, atque deiectionem consi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dera, qua ceteras ecclesias minime relaxauit, sed strinxit magis. A

Ad cohibendam autem auaritiam Episcoporum eiusmodi promulgauit sanctionem: [a] Maiestas mea sanxit, vt tam in ordinatione sacerdotum, quam in canonico antiqua sanctio vigorem obtineat. Neve quid amplius in ordinatione capiat Episcopus, qui sacerdotem ordinat, præter septem nummos aureos præstantioris monetæ maiestatis meæ: videlicet vnum, quando eum simplicem papam siue Lectorem facit: tres quando diaconum ordinat, & alios tres, quando sacerdotem. Similiter nomine canonici a vico, habente triginta fumaria, similis nummus aureus vnus exigatur, argentei duo, aries vnus, hordei modij sex, vini mensuræ sex, farinæ modij sex, triginta gallinæ. Ab eo qui fumaria viginti habet, tres aurei, pro duobus argenteis argenteus vnus *agnus dimidiatus, hordei modij quatuor, vini mensuræ quatuor, farinæ modij quatuor, gallinæ viginti. A vico denique decem habente fumaria, quinque argentei, agnus vnus, hordei modij duo, vini mensuræ duæ, farinæ modij duo, gallinæ decem: quemadmodum in veterum exactorum sigillis hæc præscripta sunt, & maiestati meæ consentiens omnium depositio prouincialium probauit] ista Isacius. B

QVAE DEBEANT A VICIS EPISC. EXIGERE.

[a] Nouel. Imp. lib. 2.

* aries

Qui aliam Constitutionem edidit, quæ exulat ab Orientalis iuris corpore, qua omnia monasteriorum bona addixit Fisco, relicta tantummodo stipe Deo seruientium monachorum. de qua quidem meminit verbis istis Curopalata: Quibusdam etiam monasterijs multas possessiones ademit, & relictis monachis idoneis sumptibus ad victū, quos computari iusserat; id quod supererat publico vendicauit. Rem ijs qui inconsiderate iudicabant, dicentibus ex prompta impietate, & iniquitate ad sacrilegium profectam; sed nihil absurdi perficientem committere alijs visus qui illam grauiter considerarent, atque spiritualiter, vt aiunt, vt quæ ad paupertatem eos, qui ipsam professi essent, adduceret, & Sybariticas epulas ad delicias auferret: neque tamen ijs, quæ ad vsum necessaria essent, priuaret; & finitimos, id est, qui propinquos agros haberet, a monachorum molestia, & auaritia liberaret. Quod vtinam ad exitum ipse feliciter perduxisset, non solum in monasterijs, sed in omnibus rebus ad Ecclesiam omnino spectantibus] hæc Curopalata. Cuius iudicium ipsa euenta plane fatuum arguerunt, cum aduersus ista patrantem Imperatorem cælitus ictibus fulminum ab irato numine dimicatum est, vt idem ipse inferius testatur auctor; adeo vt vrgens metus adegerit eum exuere purpuram, & induere monasticum habitum, & inter monachos obire seruitia monachorum qui monachos ita persequi aggressus est. C

ISACIVS VENDICAT FISCO POSSESSIONES MONASTERIORVM.

D

IESV CHRISTI ANNVS 1058. STEPHANI X. PAP. ANNVS 1. VACAT. IMP. OCCID. 2. ISACII COMNENI IMP. 1.

ANNVS Redemptoris millesimus quinquagesimusoctauus exurgit vndecima Indictione, quo Stephanus Papa, quamuis infirmus corpore, assiduo studio pro Ecclesiæ Catholicæ tranquillo statu laborans, multa aggreditur digna tanto Pontifice, si perficere licuisset. Decernit in primis legationem in Orientem ad Ecclesiam Constantinopolitanam, schismate scissam, Catholicæ & Apostolicæ communioni consociandam. De hac legatione meminit Leo [b] Ostiensis, vbi agit de viro dignissimo Desiderio, designato Abbate Cassinensi, ad hoc munus obeundum electo, aitq. eidem Legato Desiderio duos adiunctos fuisse collegas, Stephanum Cardinalem, & Mainardum, postea Siluæcandidæ Episcopum: quibus dans litteras Pontifex, & in mandatis dedit, vt quamprimum possent, reditum pararent. Quo minus autem ea legatio suum consequeretur effectum, Pontificis obitus intercessit, vt suo loco dicetur. E

LEGATIO DECERNITVR CONSTANTINOPOLIM.

[b] Leo Oft. lib. 3. cap. 8.

Hic, *scilicet Stephanus Papa*, quidem Cassino recedens, Romam se contulit, ducens secum Alphanum, electum Archiepiscopum Salernitanum, tempore ieiunij mensis Martij, quem sequenti Dominica consecratum, Salernum cum honore misit. hæc Leo: qui & ea, quæ idem Pontifex tunc aggredi cœpit de pellendis Northmannis consilia, sic prosequitur:

[c] Idem lib. 2. c. 99. 100.

Post paucos dies mandauit Præposito nostro, vt omnem ecclesiæ huius *Casinensis* thesaurum in auro dumtaxat atque argento festinanter sibi, & quam posset occultius,

ferret,

A ferret, multo plura his huic monasterio breui se daturum spondēs. Cupiebat enim fratri suo * Gaufredo Duci apud Tusciam in colloquium iungi, eiq. vt ferebatur, Imperij coronam largiri: demum ad Northmannos Italia pellendos, qui sibi maxime inuisi erant, vna cum eo reuerti] ista secundum hominem cogitans, zelum habens, vt S. Leo; sed haud erant secundum diuinum consilium, qui (vt exitus declarauit) Northmannos illic voluit sedes figere pro Ecclesiæ Romanæ subsidio aduersus schismaticos Principes. Verum ignaros mortales diuini propositi contingit sæpe contra propria cōmoda laborare, vt magna misericordia anteuertat Deus conatus ipsorum (vt hic fecisse dignoscitur) vt non sinat executioni mandari quod cœperant. pergit autem Leo:

* Godefrido

CONSILIVM PAPAE CONTRA NORTHMANNOS.

Cumq. tristes nimium atque dolentes quod Papa mandauerat, Fratres matutinali tempore perficere maturarent: nouitius quidam bonæ conuersationis Frater Leo, B cognomine Amalphitanus, post nocturnam synaxim, ceteris ecclesiam exeuntibus, orandi gratia substitit, & post orationem residens parumper obdormiuit; cernebatq. in somnis reuerenda canitie monachum vna cum sanctimoniali quadam ab ipsis absidæ prodire adytis, & ad medium ecclesiæ peruenisse; eamdemq. sanctimonialem suffusam lacrymis, quod quasi prædaretur, elata voce non mediocriter conqueri. Quam ita vociferantem monachus ille a latere comitans, taliter consolabatur: Noli, inquiens, soror, noli flere, nam hæc omnia ad nos proxime omnino reuertentur. Experrectus Frater attonitus, pergens forte ad secretarium, & quæ agerentur inspiciens, cum illius mandati prorsus esset ignarus, accepta mox a Priore licentia, quæ viderat, per ordinem retulit: cœperuntq. omnes, qui aderant, flere. Verum, quia mandatum præterire non audebant, sumptis omnibus Romam ad Apostolicum profecti sunt. his C ille visis, totus intremuit. Demum præfata illi visione recitata, cognitaq. nostrorum immensa tristitia, pœnitentia ductus lacrymari cœpit, vnamq. tantum iconam, quam ipse Constantinopoli attulerat, tollens, cetera referri huc perniciter iussit. Cum itaque receptis omnibus prædictus Præpositus noster redire maturaret, magna iam itineris parte confecta, nuntius repente a Pontifice missus aduenit, mandans, vt misso ad monasterium thesauro per socios, ipse quamprimum ad eum remearet. Quem ad se reuersum, Abbatem sancti Vincentij, vt a Borelli filijs oratus fuerat, constituit, eumq. protinus ad monasterium suscipiendum misit] At qui nihil abstulit, multa eidem monasterio Stephanus Papa dedit: de quibus hæc inferius Leo: [a]

ABSTINET PAPA A THESAVRO CASINENSI.

[a] Leo Oft. lib. 2. c. 103.

Hæc sunt, quæ de Friderici (qui & Stephanus Papa) muneribus hoc monasterium diuersis temporibus cepit: Crucem auream gemmis ac margaritis ornatam lib. II. D cum tripode argenteo deaurato, & hastili onychino, auro & argento ornato, librarum quinque: Imagines argenteas deauratas quatuor, auream vnam cum gemmis, pulcherrimo opere, inclusa intus non modica Dominicæ Crucis portione; cerostrata crystallina duo, argētea alia duo: codicem Euangelij paruum auro, gemmisq. decoratum: pluuialia sex, laternam argenteam magnam librarum quinque cum nigello: vrceolum argenteum ad altaris ministerium: situlam argenteam cum smaltis, deauratam: pallia historiata aliquot: tapetia septem, & vnum maius omni pallio pretiosius: Antiphonarium vnum] hucusque de his Leo: qui & de legatione tunc missa ad Agnetem Imperatricem, deq. migratione eiusdem Papæ Florentiam hæc habet: [b]

DONA COLLATA MONASTERIO CASSINENSI.

[b] Idem lib. 2. cap. 101.

Post hæc congregatis intra ecclesiam Episcopis, & Clero, populoq. Romano, sub districta nimis inhibitione constituit, vt si, antequam Hildebrandus Romanæ tunc E Ecclesiæ subdiaconus ab Imperatrice, ad quam pro quibusdam Reipublicæ negotijs communi consilio mittebatur, se mori contingeret; nullus omnino Papam eligere auderet, sed vsque ad illius reditum Sedes Apostolica intacta vacaret, eius demum ordinanda consilio.]

STEPHANI PAP. DECRETVM DE ELECTIONE FVTVRI PONTIFICIS.

Post hæc autem Stephanus Papa profectus est Florentiam. Tunc acciderunt, quæ in Actis sancti Ioannis Gualberti sic scripta leguntur: Quo in monasterio, *scilicet Vallis vmbrosæ* cum resideret, & Stephanus Romanus Pontifex per vicina loca iter haberet: audita celebri fama ipsius sancti Ioannis Gualberti, Nuntios ad eum misit viros honoratos, orans vt ipsius conspectui se præstare non grauaretur: sed cum aduersa valetudo non sineret, eum ad sanctitatem illius proficisci; Pontifex denuo Nuntios misit, fortassis quod existimaret eum modestiæ & humilitatis causa nolle venire, indignumq. se arbitrari, qui coram ipso appareret, vel etiam cupere eum latere, iussitq.

STEPHANVS PAP. QVAERIT S. IOANNEM GVALBERTVM

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt si aliter venire non posset, in lectica se adduci pateretur. Cernens igitur vir Dei mentem Pontificis, in ecclesiam ingreditur, rogatq. Dominum, vt citra scandalum, & inobedientiam aliqua ratione id efficiat, ne cogatur ipse summo Pontifici se præsentem exhibere. Deinde surgens e lecto, coram Nuntijs Pontificis conuersos aliquot ad se accersiri iubet, qui ipsum ad Pontificem perferant. Sed cum paululum e monasterio discessissent: mox ingens extitit aeris tempestas, ventis sæuientibus, & immenso imbre e cælo ruente. Quod Legati cernentes, & non sine diuino miraculo fieri credentes, illum ceu verum Dei hominem in monasterium reduci mandant, beatissimo Pontifici, rem, vt gesta erat, referentes. Qui deinceps noluit eum ad se acciri, vt in sua quiete permanens, pro felici Ecclesiæ statu Dominum oraret]

Quomodo autē Papa Florentiæ ægrotante, illi contigit reddere Deo spiritum, præsente sancto Hugone Abbate Cluniacensi, & a prauo dæmone eum defendente, in eius Actis sic describitur: [a] Stephano Papa apud Florentiam decumbente, dum Hugo eum visitaturus accederet; eumq. sanctis consolationibus, & oratione releuaret: dæmon, qui morituro manifestus aduenerat, territus exijt; Sanctoq. a Papa recedente, iterum redijt. Qua de causa sæpius ad se patrem Papa reuocauit: sæpiusq. dæmonem reuocatus abegit, sicut ipse Pontifex præsentibus reuelauit. qui postmodum Sancti se precibus commendans, in eius manibus spiritum reddidit, sancta confessione præmunitus] hæc ibi de Stephano Papa, quem obijsse quarto Kal. Aprilis, Leo Ostiensis affirmat, ibiq. digno honore sepultum tradit, additq. ista: Ad cuius sacrum corpus, interuenientibus meritis, plurima signa Christus ostendit. Fratres igitur nostri, qui cum eo perrexerant, capella eius, quam hinc tulerat, fidelibus viris commendata, quia Romano itinere regredi timebant, deducentibus se Florentinis, per Marchias ad nostrum monasterium reuersi sunt.]

[a] *Apud Sur. die 29. April. to. 2.*

MORITVR STEPHANVS PAPA S. HVGONE PRAESENTE.

At Legati missi Constantinopolim in via positi, audita morte Pontificis, antequam nauem conscenderent, a cœpto itinere desistentes, reuersi sunt ad propria. de quorum expeditione hæc Leo: [b] Desiderius igitur iniunctū sibi munus exequi satagens, assumptis, quæ erant itineri conficiendo necessaria, vna cum socijs iter aggreditur, & ad monasterium S. Ioannis, quod appellatur Veneris, vt illic mare ingrederetur, profectus est. Cum vero dies aliquot ibi frustra remoratus ob inclementiam aeris soluere ex portu non præsumeret, Sipontum inde contendit. ibi nauem, qua Barim nauigaret, ingressus, per Episcopum quemdam, qui orationis gratia montem Garganum adierat, commendari se Fratribus, eisq. se ingressum mare, significari orauit. Sed cum apud Barim quoque tempestatis causa aliquamdiu restitisset, alium item huc nuntium dirigere studuit, per quem significaret, ob cæli intemperiem apud Barim se eatenus morari.

[b] *Leo Ost. lib. 3. cap. 8.*

DESIDERIVS VBI DIDICIT MORTEM ROMAN. PONTIF. REDIIT.

Contigit autem dispositione diuina, quæ illum ad huius monasterij regimen elegerat, vt eo ipso die, quo nuntius huc venit, Fratres nostri, qui cum Papa profecti fuerant, illo Florentiæ sepulto, remearent. Mox itaque nostri communi consilio Fratres duos, qui Desiderium, nuntiata Papæ morte, reuocarent, festinanter mittunt. Iam tandem Desiderius sufficienter parato commeatu, cum Argyro Barensium Magistro nauigare maturabat: cum ecce ipso Palmarū die iam adueſperascente, per aduentantes Fratres nuntium de Apostolici morte suscepit. Oratur itaque communi omnium studio, vt ad regendum monasterium redire properaret. Obriguit ille primum, tam subita Apostolici morte perculsus: moxq. aduocans itineris comites, eiusmodi aperit nuntium; vnaq. cum Argyro tractare cœperunt, quo pacto, antequam mors Papæ innotesceret, redire potuissent. neque enim dubitabant, se cognito ipsius obitu, a Northmannis capiendos. Itaque conductis continuo pro se ac socijs, quibus veherentur, equis, secunda feria post Palmas iter aggressi, ad Robertum Guiscardum se contulerunt, tum quidem Northmannorum tantum Apuliæ Comitem; postmodum vero totius Apuliæ, & Calabriæ, atque Siciliæ Ducem, rogantes vt secure illis per solum ditionis suæ transire liceret. Qui (vt fuit) vir summe bonus, licet Papæ transitum iam haberet exploratum, & tutos ire permisit, & tres equos, quibus adhuc egebant, Desiderio largitus est. Ita Deo per omnia fauente, sine impedimento aliquo reuersi, Paschali sabbato tardiuscule iam ad oppidum sancti Germani peruenerunt: ipso autem Dominicæ Resurrectionis summo mane huc ascendentes, de more monasterij Capitulum

tulum Fratrum ingressi sunt, præsidentibus Humberto sanctæ Rufinæ, & Petro Tusculano Episcopis, & Stephano Cardinali, ac Mainardo Desiderij socijs. Namque memorati Episcopi (vt iam supra retulimus) Roma tunc Mincij ordinationem fugientes, Beneuentum Pascha celebraturi pergebant, sed ordinante Deo, gratia tantæ festiuitatis a senioribus nostris inuitati, atque in monasterio retenti fuerant. Post solemnem itaque pro tanta solemnitate sermonem Humbertus ipsius ordinationis optime conscius, Desiderium aduocat, eique, vt pridem fuerat a Papa dispositum, monasterij curam suscipere, ex parte Fratrum omnium imperat. Nulla in medium mora, nulla responsionis expectatio, omnes protinus surgentes, raptum Desiderium magnis cum laudibus ad ecclesiam deferunt, illumq. in Abbatis sede honorifice locant, omnibus tum pro Paschali solemnitate, tum pro ipsius ordinatione lætantibus, atque exultantibus, anno Dominicæ Incarnationis millesimo quinquagesimooctauo] hæc Leo.

QVAE MINCIVS TVRBAS MOVERIT ROMAE

Sed quæ operante Mincio Romæ turbæ obortæ sunt, quarum causa Cardinales inde egredi, & alium quærere locum celebrandi causa Paschatis opus fuerit, est enarrandum. Cum iam mortuo Imperatore, cuius reuerentia, atque timore obortæ factiones reprimi consueuerunt, quæ inhiarent electioni Romanorum Pontificum, & Apostolicæ Sedis inuasioni, siue essent ex Comitibus Tusculanis, siue Ptolemæorum, Gregoriorum, siue Crescentiorum familijs, alijsve, armis, diuitijsq. potentibus: vbi audita est mors summi Pontificis, rursus nullo habito respectu eorum, quæ Pontifice viuente ab eo omnibus consentientibus statuta fuere: irrumpunt armis, inuadunt ecclesiam vi publica, quem cupiunt, illum in Apostolicum thronum attollunt, rursumq. maledictionibus suis Deo odibilem, hominibus execrabilem conflant alium Benedictum. Quinam isti fuerint auctores patrati sceleris, a Leone sic accipe: [a] Interea Gregorius Lateranensis, & Tusculanensis Comes, comperto Romani Pontificis obitu, sociato sibi Gerardo * Galesense, & Romanis potentibus aliquot, noctu cum armatorum turbis ecclesiam vna peruadunt, & Ioannem Velitrensem Episcopum, Mincium postea cognominatum, Papam constituunt, Benedicti illi imposito nomine. Quod cum Petrus Damianus, vir valde religiosus, quem eo tempore Stephanus Papa ab eremo extractum in Ostiensi ecclesia Episcopum fecerat, comperisset, vna cum Cardinalibus resistere, ac reclamare cœpit, atque anathematizare. Sed tamen hi omnes timore compulsi, per varia loca fugere. Ita a satellitibus satanæ Ostiensis ecclesiæ Archipresbyter, vt prædictum Mincium ad Apostolatus culmen proueheret, raptus, ac violenter attractus est. Humbertus interea Episcopus Florentia rediens vna cum Petro Tusculano Episcopo, nequaquam Romæ remorandum ratus, clam iter arripiens, Beneuentum, vt ibi Pascha celebraret, properat. Qui cum feria quarta præcedente Dominicam Cœnam, ad sanctum Germanum applicuisset, simul cum socio inuitatus a Fratribus, festiuitatis gratia cum eis remoratus est] hæc Leo de schismate recens oborto.

[a] *Leo Ost. lib. 2. cap. 102.*

* al. Galerense

PETRVS DAM. FRVSTRA GRNITITVR.

Extat de hoc ipso schismate epistola Petri Damiani ad quemdam Archiepiscopum tunc ab eo scripta, cum Benedictus intrusus sederet, alter vero electus tantum esset. habetur in scripto codice sancti Petri in Vaticano, vna cum alijs eiusdem Petri scriptis, quæ sic se habet:

Domno * H. reuerentissimo Archiepiscopo Petrus peccator monachus, debitæ subiectionis obsequium.

* f. ad Henricū Archiepisc. Rauennatem.

EPIST. PETRI DAM. DE SCHISMATICO PAP. ET CATHOLICO ELECTO.

Litteras sigillo vestræ sanctitatis impressas, venerabilis Pater, mox vt aspexi, promptus arripui, lecturus explicui, curiose perlegi: in quibus nimium liquido comperi & paternum circa meæ vestræ pietatis affectum, & certum de ea, quam vobis ante suggesseram, mea petitione promissum. Illud autem quod in calce subiecistis epistolæ, vt vobis scriberem, quid mihi de eo, qui in Apostolica Sede nunc præsidet, vel eo, qui eiusdem Sedis electus est, videretur, quamquam per nonnullos ecclesiæ vestræ filios iam potuissetis audire, quæ sit nostra super duorum hominum diuersitate sententia: tamen quia præcipitis, etiam apicibus annotamus. Ille nimirum (in quantum mihi videtur) absque vlla excusatione simoniacus est: quia nobis omnibus eiusdem Vrbis Cardinalibus Episcopis reclamantibus, obsistentibus, & terribiliter anathematizantibus, nocturno tempore cum armatorum turbis vndique tumultuantibus

SCHISMATICVS SIMONIACVS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

inthronizatus est. Dehinc ad marsupiorum patrocinia funesta concurritur; pecuniam A
per regiones, andronas, vel angiportus in populos erogatur; beati Petri venerabilis
arca peruaditur: sicq. per totam Vrbem, velut officinam male fabricantis Simonis fa-
ctam vix aliud, quam (vt ita loquar) malleorum, atque incudinum tinnitus auditur.
Et o scelus, & ferale prodigium! Petrus cogitur nundinas Simonis ex sua quantitate
persoluere, qui Simonem cum omni suo commercio cognoscitur perpetua maledi-
ctione damnasse. Quod autem ille crimen hoc palliat, & tractum se, viq. coactum,
quibus potest verbis excusat: hoc ego licet ad liquidum nesciam; tamen & ipse non
vsquequaque diffiteor. Ita quippe est homo stolidus, deses, ac nullius ingenij, quod
credi potest, nescisse pro se talia machinari. Verumtamen in hoc reus est, quia in cœ-
ni voragine, in quam semel est violenter iniectus, volutatur vltroneus, & in adulte-
rio, quod nolens commiserat, delectabiliter perseuerat. B

SCHISMATICVS A PRESBYTERO CONSECRATVS.

Vt autem & de ipsa eius promotione lacinioſa (vt aiunt) verba non protraham,
nobis Episcopis per diuersa latibula fugientibus: presbyter Ostiensis ecclesiæ, qui vti-
nam syllabatim nosset vel vnam paginam rite percurrere, vt eum ad Apostolatus cul-
men proueheret, raptus a satellitibus sathanæ & violenter attractus est. Et ecce, vt
vos canonicæ sanctionis decreta non latent, si cuncta etiam, quæ sibi opponi possunt
obiectionum capitula, supprimantur: hoc solum tale est, vt ex eo se nullatenus valeat
expedire. Nam si presbyter procul dubio deponendus est, quia sui sibimet priuile-
gium pontificis vsurpauit; quo pacto poterit is qui ordinatus est, stare, propter
quem solum ordinator eius iudicatus est a sua dignitate corruere?

STEPHANI PAPAE PRAECEPTVM.

Huc accedit, quia piæ memoriæ Stephanus Papa, congregatis intra ecclesiam Epi-
scopis, ciuibusq. Romanis, Clero & populo, hoc sub districti anathematis excom- C
municatione statuerat, vt si eum de hoc sæculo migrare contingeret, antequam Hil-
debrandus Romanæ Ecclesiæ subdiaconus, qui cum communi omnium consilio mit-
tebatur, ab Imperatrice rediret, Papam nullus eligeret, Sedes Apostolica vsque ad il-
lius reditum intacta vacaret. De his porro plura sunt, quæ dicantur, sed ne sanctitas
vestra pluribus intenta negotijs, prolixa (quod absit) verba fastidiat, & regulæ suæ
limitem epistolare compendium non excedat, nunc ista sufficiant.

QVALIS ELECTVS.

Vt autem percontationi vestræ in hoc etiam nostra responsio satisfaciat: de electo
hoc mihi videtur, quia bene litteratus est, & viuacis ingenij, sine suspicione castus,
in erogandis eleemosynis pius. His vltra non addo, ne non videar vniuersitatis amа-
tor, sed singularitatis assertor. Ille autem contra, si vnum non dicam Psalmi, sed ho- D
miliæ quidem versiculum plene mihi valet exponere: muttum aduersus eum vltra
non facio, manus do, plantas osculor, & non modo iam Apostolicum, sed etiam
Apostolum, si iubetis, appello.

PETRI INGENVITAS.

Quod autem scripsistis, vt mitterem vobis litteras taciturnitate signatas, quasi pa-
terno mihi consulentes affectu, ne aduersa fortassis incurrerem, si sensa cordis cum li-
bertate proferrem: absit a me hoc, vt in tali negotio, dura prorsus & aspera perpeti sub-
terfugiam; & negligendo tam ingenuæ matris incestum, sub vmbra degener filius de-
litescam. Immo peto vt epistola hæc in publicum veniat; sicq. per vos, quid super
hoc totius mundi periculo sentiendum sit, omnibus innotescat. De benedictione au-
tem vestra, quam petij, venerande Pater, nihil aliud dico, nisi quia quidquid ei qui
missus est, datur: eius procul dubio manibus, qui misit, immittitur] hucusque epi- E
stola Petri, hoc tempore schismatis scripta, iam electo, sed nondum consecrato Pon-
tifice.

Rediens siquidem Hildebrandus ex Germania ab Agnete Imperatrice, Florentiam
venit, quæ erat ciuitas vna cum prouincia Tusciæ sub Godefrido Duce, germano (vt
audisti) eiusdem Stephani defuncti Pontificis, viro Beatricis, cuius causa idem Dux
ijsdem potiebatur in Italia regionibus. Visum est igitur, ad explodendum schisma-
GERARDVS EPIS. FLORENTINVS ELECTVS PAPA. ticum Episcopum, eligere Florentinum, Gerardum nomine, quem suo tempore præ-
sidio Godefridi in Vrbem inducerent: quod factum est anno sequenti, mense Ianuarij,
quo loco nos pluribus dicturi sumus. Porro ne id fieret inuita Imperatrice, sed con-
sentiret futuræ electioni eiusdem Gerardi Episcopi Florentini, præmissa fuit Hilde-
brandi ad eam legatio. Quod enim iugi ægritudine confectus moribundus Pontifex
sciret haud posse diu se viuere; post mortem suam Ecclesiæ Romanæ optauit esse con-
sultum,

A sultum, mittendo Hildebrandum ad Imperatricem. Verum post obitum Papæ eius-
modi missam legationem Lambertus tradit. ait enim: Romani Principes satisfactio-
nem ad Regem mittunt, se scilicet fidem, quam patri dixissent, filio, quoad possent,
seruaturos, eoq. animo vacanti Romanæ Ecclesiæ Pontificem vsque ad id tempus non
subrogasse, eius magis super hoc expectare sententiam: orantq. sedulo, vt quem ipse
velit transmittat, nihil eius ordinationi obstare, si quis non per legitimæ ordinationis
ostium, sed aliunde ascendisset in ouile ouium. Rex habita cum primoribus delibe-
ratione, Gerardum Florentinum Episcopum, in quem & Romanorum & Teutonico-
rum studia consenserant, Pontificem designat, Romamq. per Godefridum Marchio-
nem transmittit. Ita Benedicto, qui sine iussu Regis & Principum sacerdotium vsur-
pauerat, reprobato, Gerardus, qui & Nicolaus, Pontificatum obtinuit] hæc Lam-
B bertus. Verum comitia de eius electione, quod Romæ fieri non potuissent, habita
Senis, habent eiusdem Pontificis vetera Acta, collecta a Nicolao Aragonensi S. R. E.
Cardinali, quæ habentur in Vaticana bibliotheca.

Quod ad Benedictum pseudopapam pertinet, hoc tempore quo sedit (mansit nam-
que in Pontificatu totum quod fuit reliquum anni huius vsque ad Ianuarij mensem)
nihil boni ab eo factum reperitur, sed malum illud, dignum homine, qui pecuniæ vi
aperuisset sibi viam ad Sedem capessendã: nempe vt qui pretio Sedem emisset, pretio
pariter sedes distraheret, & inuasor ipse faueret sui similibus inuasoribus. Accipe de his
exemplum ex rebus Anglicanis acceptum, quod Vuillelmus ita describit, [a] post obi- [a] Vuillel de reb. gest Reg. Angl. lib. 2. cap. 13
tum Roberti Archiepiscopi Cantuariensis, qui persecutionem passus Sedem Apostо- DE STIGANDO INVASORE.
licam appellarat, Romamq. profectus erat: Inuasit (inquit) continuo, illo viuente, Sti-
C gandus, qui erat Episcopus Vuintonienſis, Archiepiscopatum Cantuariæ, infamis am-
bitus pontifex, & bonorum vltra debitum appetitor, qui spe throni excelsioris Episco-
patum Saxonum australium deserens, Vuintoniam insedit, illam quoque cum Archie-
piscopatu tenuit. Quapropter ab Apostolica Sede numquam pallium meruit, nisi
quod Benedictus quidam peruasor Apostolatus misit, pecunia scilicet ad persuaden-
dum corruptus, vel quod mali gratificantur similibus. sed ille mox a Nicolao, qui ex
Episcopo Florentiæ legitime Papatum susceperat, expulsus zelo Fidelium, indebitum
nomen exuit. Stigandus quoque tempore Regis Vuillelmi Cõquæstoris per Cardina-
les Romanos degradatus, perpetuisq. vinculis innodatus, inexplebilis auiditatis nec
moriens fecit finem] hæc Vuillelmus in commentario de rebus gestis Anglorum
Regum.

CASIMIRI REGIS OBITVS.

D Moritur hoc anno die xxviij. Nouembr. ille, qui ex Duce monachus, ex monacho
Rex effectus est, Casimirus Poloniæ Rex, magnum suis desiderium relinquens, vt qui
collapsum regnum penitus restituisset, ecclesiamq. Polonicam mirum in modum illu-
strasset. de quibus plura Longinus. subrogatus est in locum eius Boleslaus eius filius.

MICHAEL CERVLAR. PATRIARCHA DEPONITVR, EXVLAT. MORITVR.

Quod ad res pertinet Orientales, hoc anno Michael Cerularius, vbi sedisset annos
quindecim, e sede eijcitur, in exilium relegatur: in cuius locum ab Imperatore sub-
stituitur Constantinus Protouestiarius. Quæ autem intercesserint, vt Cerularius e
throno eijceretur, sic narrat Curopalata: Patriarcha autem inexplebili beneuolentia
fretus Imperatoris, contra ipsum elatus est, non petitionibus modo & admonitioni-
bus vtens, si quando alicuius rei aut pro aliquo indigeret: verum sæpe minime voti
compos propter frequentes & odiosas petitiones, minas & absurdas increpationes
E adhibebat, ac nisi pareret, Imperij a missione minabatur, vulgare ac tritum hoc dictum
proferens: Ego te condidi furne, & ego te deijciam. Aggressus est etiam croco tin-
cta induere calceamenta, antiqui sacerdotij morem hunc asserens, & oportere his vti
nouum quoque Archiepiscopum. Nam inter sacerdotium, & regnum nihil interes-
se, vel admodum parum, & in rebus pretiosioribus amplius fortasse & magis colen-
dum sacerdotium. hæc audiens Imperator illum mussitantem, studuit potius aliquid
ipse perpetrare quam pati. Quare cum Archangelorum dies festus aduenisset, egre-
ditur Patriarcha ad suburbana loca *Sostenium nominata*, vt ibi studiose ac solemni ri-
tu, quæ ad diem festum pertinerent perageret. Imperator autem lucro sibi oblata oc-
casione arrepta, veritus ne quis tumultus, aut perturbatio fieret, turmam militum
misit, qui communi lingua appellantur Barangi, qui ipsum non sine ignominia e thro-
no ereptum, ac mulo impositum vsque ad litus, quod est in Blachernis, impellentes

Universidad de Deusto
Biblioteca

deduxerunt & ipsum, & patrueles eius, atque inde in lembum impositum, ad Proconnesum, vbi exularet, perducendum curant. Ipse cum aliquibus Metropolitanis collocutus, & de se abdicando peritiores ipsorum consulens, ostendit velle se Archiepiscopatum deponere, priusquam ipsum cum dedecore amittat Synodo & Concilio eorum, qui contra se cogerentur. Sed cum ipsis visus esset huiusmodi, qui expugnari non posset, & summus ingenio, quantum ad ipsum attinebat, desperata fuit eius depositio sacerdotij. de qua Imperatore assidue cogitante, interea vitam cum morte Patriarcha tranquille commutat. Cuius corpus Imperator (quod ipsum iam pœnituerat) honorifice importandum, & in suo monasterio reponendum curat, perculsus eo miraculo, quod acciderat, non ipse modo, sed omnes qui cum ipso erant. Nam dextera Patriarchæ manus in crucis figuram conformata (vt mos est benedicendi populo acclamanti pacem) ita firma permansit, neque cum mortuo corpore est immutata] talia sunt miracula schismaticorum, humana arte composita. Et quis ignorat, defuncti mox hominis membra adhuc calentia, quam quis velit, recipere formam, & situm; eademq. ipsa obrigescentia frigore immobiliter permanere? Defuncto Cerulario, in locum eius subrogatus est Constantinus Licudex protouestiarius.

CONST. PATRIARCHA CONSTANTINOP.

IESV CHRISTI ANNVS 1059. NICOLAI II. PAP. ANNVS 1. VACAT. IMP. OCCID 3. ISACII COMNENI IMP. 2.

NICOLAVS PAPA II.

ANNVS sequitur Christi Redemptoris millesimus quinquagesimusnonus Indictione duodecima feliciter inchoatus, cum eius exordio legitimus electus Pontifex introducitur Romam, schismaticoq. Sede pulso, in Petri cathedra collocatur. hæc autem quomodo se habuerint, ex Leone Ostiensi eius temporis scriptore integerrimo sunt petenda, qui ait: [a] Cum post obitum piæ memoriæ Stephani Papæ memoratus Hildebrandus ab Imperatrice rediens, contra eiusdem Apostolici vetitum, incubari a pessimis hominibus Ecclesiam comperisset: Florentiæ substitit, suisq. litteris Romanorum primates conueniens, vbi eorum percepit assensum, annitente Godefrido Duce, Gerardum Florentinum Episcopum mox in Romanum Pontificem eligit: atque vna cum ipso & Duce Romam, mense Ianuario venit. Vbi præfatus electus a Romano Clero & populo in Sede Apostolica locatus, Nicolai sortitus est nomen. Qui prædictum Romanæ Sedis inuasorem cum suis fautoribus omnibus excommunicans; tandem interuentu quorumdam admissum ad communionem, apud ecclesiam sanctæ Mariæ, quæ Maior a Romanis dicitur, sacerdotali officio priuatum manere constituit] hæc de rebus Romæ gestis ipso ingressu Pontificatus.

[a] Leo Ost. lib. 3. cap. 12.

Quod autem Romanus Pontifex Stephanus mortuus est Florentiæ, Episcopus vero Florentinus creatus est Papa, Petrus Damiani ita eiusmodi Tristicho lusit, cuius hic inscriptus est titulus.

De Florentia, in qua Papa Stephanus obijt, & Nicolaus Papa ex eadem processit.

Parua virum viduæ debet Florentia Romæ:
Quæ tenet extinctum cogatur reddere viuum.
Sic noua Bethleis lux mundo fluxit ab oris.] eo quod parua tunc ciuitas esset Florentia.

Præcessisse autem Sutrinum Concilium, antequam Papa se inferret in Vrbem, vetera Gesta Romanorum Pontificum, quæ collegit Nicolaus Aragonensis Cardinalis, testantur his verbis: Celebrata itaque in pace electione (vt dictum est) Senis dictus Nicolaus Pontifex cum Archidiacono & Cardinalibus consilium habuit, vt pro causa iam dicti Velitrensis intrusi apud Sutrium Synodum celebraret: ad quam non solum Episcopos Tusciæ & Lombardiæ, sed & magnum Godefridum, & Guibertum Cancellarium conuocare deberet. Quod absque dilatione factum est. Prædictus autem Mincius vbi Nicolaum Papam cum personis, quæ apud Sutrium conuenerant, in Synodo residere cognouit, Sedem, quam inuaserat, conscientia remordente, reliquit, & in domum propriam remeauit. Quod factum posteaquam Nicolaus Pontifex rei veritate cognouit, consilio cum fratribus habito, ad Vrbem vna cum eis, non cum potentia, sed tamquam bonus & humilis pastor accessit. Vnde auctore Domino factum est, quod cum a populo & Clero digno honore susceptus, iuxta consuetum ordinem a Car-

CONCILIVM SVTRINVM.

a Cardinalibus in Sede Apostolica positus est. Transactis autem paucis diebus, memoratus Mincius ad præsentiam Nicolai Papæ veniam petiturus accessit, & ad eius vestigium procidens violentiam se fuisse perpessum asseruit, sed inuasionis crimen, & periurij reatum non negauit. ex propria igitur confessione digna factis recipiens, Episcopalis & sacerdotalis officij depositionem incurrere meruit. Illud autem ipsius Pontificis animum vehementer angebat, quod Romanorum Pontificum capitanei vrbis dominium, & ecclesiastica iura, quæ illicite occuparant, per violentiam detinebant] hæc ibi. quæ acta esse in Concilio ab eodem Pontifice celebrato, dubium non est.

In hoc eodem Concilio depositum fuisse Mincium dictum Papam Benedictum, priuatumq. omni sacerdotali officio, ipsumq. postea Romæ conueniisse Pontificem Stephanum, veniamq. petijsse pro admissis, habetur etiam in codice Vaticano, qui inscribitur liber censuum. additur ibi, ipsum Nicolaum post Concilium in Apuliam secessisse, Northmannosq. ab excommunicatione absoluisse; restitutis ab eis bonis ecclesiarum; accepisseq. ab eisdem iuramento fidelitatis Romanæ Ecclesiæ: eodemq. tempore Hugonem cognomēto Candidum schisma fecisse ab Ecclesia Romana. erat hic Cardinalis, sed aduersus sanctam Romanam Ecclesiam auctor multorum maloruin. nam ibi hæc de eo: Quanta hic mala fecerit, difficile est referre.]

Simulac autem sublato schismate, pax Ecclesiæ postliminio reuersa secura quieuit, Petrus Damiani, qui nolens, inuitusq. abstractus ab eremo creatus fuerat a Stephano Papa Cardinalis Episcopus Ostiensis, de abdicando se a munere Nicolao Pontifici libellum dedit, cuius hic est titulus:

LIBELVS DE ABDICATIONE EPISCOPATVS PETRI DAM.

Domino suo Nicolao vniuersali Papæ Petrus monachus seruitutem] sic & in alijs epistolis post datis numquam amplius Episcopum Ostiensem, nec se nominat Cardinalem. libelli vero hoc est exordium:

Sacrarium Spiritus sancti vestrū pectus agnoscit, quia nisi me tunc necessitas Apostolicæ Sedis impelleret, & antiqua, quam iamdudum circa vos habueram, charitas inuitaret: post sanctæ memoriæ domni Stephani vestri quidem prædecessoris, mei autem persecutoris obitum ego a me protinus Episcopatum non canonice traditum, sed violenter iniectum funditus abscidissem. Meministis enim domine mi, quot querelas coram vobis sæpe deposui, quot gemitus, quot denique profunda suspiria ex imis visceribus traxi: quoties etiam vberrimis lacrymis tristia ora rigaui. Verumtamen apud vos tunc non obtinui missionem, quia Romanæ Ecclesiæ, quæ tunc ruinam minari videbatur, id vtilitas non poscebat. Nunc autem te in †sagena Petri clauum regente, sub tranquilla pace tota Christi gratulatur Ecclesia: ventorum quippe se turbines reprimunt, procellarum spumantium volumina conquiescunt, miteſcunt maria, totaq. videtur cæli serenitas innouata. Cum igitur sub sancto Pontificatu vestro iucunda pace vniuersalis Ecclesia potiatur scanis meis grandæuæ iam senectutis quæso requies non negetur. Quamobrem ob remissionem omnium peccatorum meorum, quæ nequiter perpetraui, cedo iure Episcopatus, & per hunc anulum (virgam enim tulistis) desperata deinceps omni repetendi querela, renuntio. Vtrumque etiam vobis monasterium reddo, & vt quiescendi municipium veterano & emerito militi permittatur, imploro. Hic mihi fortassis obijcitur, semel acceptum dimitti regimen non licere. ad quod breuiter dico quod sentio. Quia plerique, qui Pontificatus iura non deserunt, de siniſtris sunt. Quotquot autem legimus recta intentione dimisisse, certa spes est eos de æterna cum Christo societate gaudere. Neque tamen hoc dicimus, vt passim deseri Episcopatus liceat, nisi videlicet id fieri necessitas, siue rationalis quælibet causa deposcat.] de his post hæc plura adducit exempla.

† sagena pro naui vsurpata frequenter ab eo.

Inter alia autem iam a periculis animæ argumentis ab exemplo pluribus inductis, a periculo etiam corporis, deducto Siluano in exemplum, sic concludit: Si igitur sanctus ille vir, Siluanus scilicet, propter solam corporis incommoditatem, non cunctatus est dimittere Thraciam: cur ego non deseram pro cauendis tot animæ vulneribus Romam? Quamquam & ipsi corpori meo non sit prorsus innoxia, vt puta ferax febrium, nec vagarum. Vnde Tetrastichon hoc olim protulisse me memini.

Roma vorax hominum, domat ardua colla virorum,
Roma ferax febrium, necis est vberrima frugum.
Romanæ febres stabili sunt iure fideles.

Quem

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quem semel inuadunt, vix a viuente recedunt. A

Animæ igitur simul & corporis aduersitate detentus, reuertatur fugitiuus ad Dominum suum: spretis porcis & siliquis, ad patris osculum filius redeat, ad vires Sampson pristinas, capillis nascentibus, inualescat, quatenus stolam primam, quam amiserat, induat, & victores suos, reparatis viribus, sternat.]

Ingerit post hæc complura exempla sanctorum Episcoporum, atque Abbatum, qui se a regimine abdicarunt. quibus singulis recensitis, sic ad finem perorat:

Horum ergo, aliorumq. Patrum auctoritate suffultus, Episcopatui simul & monasterijs in sanctis manibus vestris irretractabiliter renuntio, omneq. ius a me mouendæ in posterum quæstionis ac repetitionis, abscindo. Et quia pro innumeris peccatis meis non sum dignus in ecclesiastica dignitate persistere: det mihi diuina misericordia per sanctas orationes vestras, venerabilis Pater, hoc ipso vitæ quod restat, in luctu & pœni- B
tentia permanere. Confiteor enim quia criminosus simul & vitiosus ad honorem hunc, & non sine reprehensione perueni, & in eo reprehensibiliter vixi. Ideoq. mihi tutum visum est, vt ipse me potius sponte deponerem, quam ante tribunal tremendi Iudicis in conspectu omnium Angelorum & hominum, depositionis sententiam sub æterna damnatione subirem. sed iam ista sufficiant] moxq. istas apponit pro obtinendo quod peteret, ad Deum preces:

Omnipotens Deus, qui incomprehensibilis dispensationis suæ consilio & me ab obtinendi regiminis ambitione deiecit, & vos ad ecclesiastici culminis summa prouexit: sancto cordi vestro, cuius est inhabitator, inspiret, talia mihi per sacras litteras mandata dirigere, quæ meis votis, meisq. valeant desiderijs concordare. Amen] hæc Petrus, sed frustra. Verum licet repulsam sæpe tulerit, pulsare sæpius adhuc Pontifi- C
cias aures importune minime prætermisit, quamlibet quacumque ex causa oblatam occasionem arripiens. Etenim cum aliquando siue ioco, siue serio pontificiæ vestes ipsius sublatæ fuissent, & hospitio Pontificis Episcopatus redditus consumpti fuissent; inde etiam Episcopatum dimittendi captans æquissimam rationem, ista ad eumdem Pontificem tunc scripsit, ludo licet, negotium suum agens.

Ad Nicolaum II. Romanum Pontificem, & Hildebrandum S. R. E. Archidiaconum.

Beatissimo Papæ Nicolao, & Hildebrando venerabili Archidiacono Petrus peccator monachus debitam seruitutem.

Benedictus omnipotens Deus, quia dum quidquid mihi pro beneficio datum fuerat, tollitur: dum ipse quoque sacerdotalis ornatus aufertur, certa mihi signa clarescunt, quod Episcopalis in proximo dignitas mihi funditus adimatur. Nam & filij D
a Gen. 37. Iacob [a] cum fratrem suum Ioseph perdere decreuissent, prius eum talari atque polymita tunica nudauerunt. Dominus etiam cum Aaron sacerdotem obire præciperet,
b Num. 20. ait Moysi: Pergat [b] Aaron ad populum suum. & paulo post: Cum nudaueris, inquit, patrem veste sua, indues ea Eleazarum filium eius, & Aaron colligetur, & moritur ibi. nimirum quem a sacerdotali iam officio quiescere voluit, sacra prius veste nudauit, eaq. filium induens, pro patre ministrare constituit. In ablatione igitur vestis claret amissio dignitatis. In tripartita quoque reperitur historia, quia cum fames Hierosolymorum prouinciam occupasset, in Cyrillum, qui tunc Hierosolymis præerat, reuera tamquam in Episcopum, necessitate ciborum turba respiciebat egentium. Cumq. pecuniæ ad consulendum deessent, vasa ille sacra, ac vela distraxit: sicq. populo, qui laborabat inopia, subsidia ministrauit. Qua de re Constantius Imperator E
ad iracundiam prouocatus est, ob id maxime, quod Acatius Cæsareæ Palæstinæ Episcopus contra Cyrillum noscitur machinatus. Sacram namque vestem, quam famosissimus Imperator Constantinus ad honorem Hierosolymorum ecclesiæ dederat Macario illius pontifici ciuitatis, auro scilicet, sericoq. contextam, vt ea circumamictus ministerium sacri Baptismatis adimpleret, Cyrillum asseruit vendidisse, eamq. tunc emisse quemdam Thymelicum saltatorem. Dumq. indutus ea solito more saltaret, vt ille testabatur, protinus cecidit, & contritus, ac diuina vltione percussus, spiritum exhalauit. Hoc igitur Acatius Cyrillo crimen obiecit, sicq. illum Episcopali dignitate deposuit. Si ergo summi illi pontifices, Aaron videlicet, & Cyrillus post amissionem vestium perdiderunt etiam consequenter sacerdotalium insulas dignitatum: quid mihi paruulo & indigno aliud datur intelligi, nisi quia dum ornamenti, sacerdo-

A sacerdotalibus exuor, sacerdotali proculdubio dignitate deponor? Præterea monasterium hospitando, & confiscando muneribus abstulistis, de Episcopatu quoque quidquid prouentus inueniri poterat, consumpsistis. Quid ergo restat, nisi vt miles emeritus abijciat cum chlamyde cingulũ, qui militaris stipendij perdidit donatiuum? Cedant igitur iam in vsus vestros Episcopatus simul & monasteria, nec mihi quispiam de cætero inane beneficij nomen obijciat, sed vestris luce clarius innotescat. Nouerit itaque vestra vtriusque benignitas, quia hæc vobis ita irreuocabiliter reddo, quod donec vita comes fuerit, vlterius non tenebo] ista ad Pontificem Petrus.

Quid autem Nicolaus Papa responderit, non extat rescriptum aliquod; certum tamen est, missionem Petrum non accepisse, sed vel Romæ apud Pontificem in Gestis synodalibus laborasse, vel legationibus inseruisse. Porro tantum abest, vt Ponti-
B fex eiusmodi viros a munere Cardinalatus absoluerit, vt alios his similes diligenter quæreret, quos in sacrum Senatum cooptaret. Sic igitur imitatus prædecessorem, qui creauit ipsum Petrum Damiani Cardinalem Ostiensem; ipse virum, qui omnium consensu optimus omnium habebatur, sententia quoque prædecessoris plurimum commendatus erat, Desiderium Cassinensem Abbatem mox creat presbyterum Cardinalem. Sed quomodo id se habuerit, ab eodem Leone, qui res ab ipso gestas ab infantia est prosecutus, sic accipe: [a]

a Leo Ost. lib. 3. cap. 12.

DESIDERIVS ABBAS CASS. CREATVS CARD. TITVLI S. CAECILIAE.

Mandat *Nicolaus Papa* deinde ad monasterium domno Abbati *Desiderio* sibi in Picenum agrum proficiscenti quam primum occurrat, vt proximo Martij mensis ieiunio & presbyteri gradum, & Cardinalis pariter officium sumat. Dominica igitur prima Quadragesimæ paratis omnibus necessarijs, *Desiderius* iter arripiens, apud Far-
C fense monasterium Apostolico se coniunxit. A quo amicissime, honorificeq. susceptus, Auximum simul cum eo profectus est. ibi secundo Quadragesimæ sabbato, id est pridie Nonas Martij Cardinalis presbyter ab ipso ordinatus, sequenti Dominica Abbas quoque consecratus est, priuilegiumq. amplum satis & honorificum de suorum consuetudine prædecessorum consecutus est. Præterea de Cardinalatus ipsius dignitate, & sanctissimi patris Benedicti honorificentia per totam Campaniam, & Principatum, Apuliam quoque atque Calabriam vicem suam illi idem Apostolicus plena auctoritate commisit. Post hæc accepta licentia, Romam rediens, proxima Dominica mediæ Quadragesimæ in ecclesia sancti Petri solemniter Missas celebrauit, atque Romanorum innumera turba prosequente, ad titulum sanctæ Cæciliæ trans Tiberim maxima cum laude deductus est: sicq. ad monasterium in beati Benedicti festiuitate remeauit.
D & quoniam ab eodem Pontifice Paschalis festiuitatis gratia inuitatus fuerat, Romam reuersus est.] hæc Leo, cetera vero Desiderij suis locis inferius.

Hoc eodem anno, mense Aprilis (vt habet eiusdem Pontificis Constitutio de electione summi Pontificis edita) Romæ in Laterano celebratũ liquet ab eodem Nicolao Papa generale Concilium, ad quod reus dicturus causam vocatus est Berengarius ille Turonensis patria, Archidiaconus Andegauensis sæpe damnatus hæresiarcha. De numero Episcoporum, qui huic Concilio interfuerunt, Algerus sic habet: [b] Quod vt certius innotescat Fidelibus, Berengarij Andegauensis hæretici confessio, quã de huius rei Catholica Fide scripsit Romæ præsente Nicolao Papa, & coram centũ tredecim Episcopis iureiurando firmauit, ad medium deferatur &c.] eadẽ de numero habet Lanfrancus:
E idemq. Conciliũ a Guitmundo huius temporis nobilissimo scriptore Generale nominatur. ait enim: Reuersusq. aliquanto post ad vomitum suum, agente sanctæ recordationis Nicolao Papa, in generali Concilio Romæ iterum confutatur &c.] In fragmentis vero historiæ Francorum ad Glabrum appositis hæc leguntur de ipso: Qua de causa a Nicolao Papa euocatus Romam petijt, vbi in præsentia eiusdem Papæ, & multorum Episcoporum examinatus, suum confitens anathematizauit errorem, Ioannem Scotum igni comburens, cuius lectione ad hanc nefariam deuolutus fuerat sectam &c.]

CONCILIVM ROMANVM GENERALE.

b Alger. de sacram. lib. 1. c. 19

BERENGARIVS VOCATVR AD SYNODVM.

Porro quod ad Ioannem Scotum pertinet, male quidem audisse apud Nicolaum Primum Pontificem huius nominis, suo loco superius dictum est: qui, licet virulenta adeo aduersus Fidẽ Catholicam scripserit; quia tamen nõ illa ita vulgauit, vt omnibus comperta fierent: hinc accidit, vt bonæ æstimationis fuerit apud multos, qui ei etiam martyrij titulum nimia facilitate tribuerint. Fortasse potuit id esse odoratus Paschasius Rathbertus Abbas Corbeiensis, qui eodem tempore vixit, ac scripsit luculentum commen-

IOANNES SCOTVS DETECTVS HAERESIARCHA.

Universidad de Deusto
Biblioteca

commentarium de corpore & sanguine Domini, parato veneno parans antidotum. A
[a] Lanfr. de Euchar. contra Bereng.
de vtroque autem ista Lanfrancus: [a] Igitur cum a quodam Rhemensi clerico Romam perlatas, *litteras scilicet Berengarij* recitator legeret, intellecto quod Ioannem Scotum extolleres, Paschasium damnares, communi de Eucharistia fidei aduersa sentires, promulgata est in te damnationis sententia &c.] de facta autē tunc in eodem Concilio per ipsummet Berengarium combustione librorum, habet ista Lanfrancus: A beatæ memoriæ Nicolao totius Christiani nominis summo Pontifice, & a centum tredecim Episcopis Romæ audita, examinata, atque damnata sunt. Tu quoque inclinato corpore, sed non humiliato corde ignem accendisti, librosq. peruersi dogmatis in medio sancti Concilij in eum coniecisti, iurans per id, quod rebus omnibus incomparabiliter maius est, fidem a Patribus, qui præsentes erant, traditam inuiolabiliter seruaturum, veteremq. doctrinam tuam de corpore & sanguine Domini ab illa die alijs non B
POENITENTIA BERENGARII.
prædicaturum] Quibusnam verbis conceptum fuerit eiusmodi Berengarij iusiurandum, cum in pleno Concilio est detestatus errorem, Fidemq. Catholicam professus, hic ex Lanfranco, qui recitat, describendum putamus. sic se habet:

[b] Apud Iuon. par. 2. c. 10.
Ego [b] Berengarius indignus diaconus ecclesiæ sancti Maurilij Andegauensis, cognoscens veram & Apostolicam Fidem, anathematizo omnem hæresim, præcipue eam, de qua hactenus infamatus sum. Quæ astruere conatur, panem, & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem solummodo sacramentum, & non verum corpus & sanguinem Domini nostri IESV Christi esse, nec posse sensualiter nisi in solo sacramento manibus sacerdotum tractari, vel frangi, vel Fidelium dentibus atteri. Consentio autem sanctæ Romanæ Ecclesiæ & Apostolicæ Sedi, & ore, & corde profiteor de sacramento Dominicæ mensæ eam fidem me tenere, quam dominus & venerabilis Papa Nicolaus, & hæc sancta Synodus auctoritate Euangelica & Apostolica tenendam tradidit, mihiq. * firmauit: scilicet panem, & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem non solum sacramentum, sed etiam verum corpus, & sanguinem Domini nostri IESV Christi esse: & sensualiter non solum sacramento, sed in veritate manibus sacerdotum tractari, frangi, & Fidelium dentibus atteri, iurans per sanctam & homousion Trinitatem, & per hæc sacrosancta Christi Euangelia. Eos vero, qui contra hanc fidem venerint, cum dogmatibus, & sectatoribus suis, æterno anathemate dignos esse pronuntio. Quod si ego ipse aliquando aliquid contra hæc sentire, * ac prædicare præsumpsero, subiaceam canonum seueritati. Lecto & perlecto sponte subscripsi] hucusque ex scripto Berengarius recitauit, confirmauit, & suo chirographo roborauit, quod iubente Nicolao Papa, vniuersoq. Concilio ab Humberto Episcopo Cardinali scriptum, & ab ipso Papa, vniuersoq. Concilio recognitum, atque probatum antea fuerat. testatur hæc idem Lanfrancus, cum ista mox subijcit, causam eiusmodi conscribendi per Humbertum confessionem retexens, his verbis Berengarium ipsum compellans:

PROFESSIO BERENGARII.
* formauit
* aut
D
Cum ergo venisses Romam, * fretus ijs, qui plus impensis a te beneficijs, quam ratione a te audita, opem tibi promiserant, non ausus defensare, quod antea senseras: postulasti Nicolaum Pontificem, eiusq. Concilium, quatenus fidem, quam teneri oporteret, verbis tibi traderet, scriptura firmaret. Iuncta est huius rei causa Humberto Episcopo. Itaque verba fidei superius comprehensa scripsit, recitauit, assensu omnium ad legendum, & confitendum tibi tradidit. Tu vero acquiescens accepisti, legisti, confessus es, te ita credere iureiurando confirmasti, tandem manu propria subscripsisti. Nicolaus Papa gaudens de conuersione tua, iusiurandum tuum scriptum misit per vrbes Italiæ, Galliæ, Germaniæ, & ad quæcumque loca fama tuæ prauitatis antea potuit peruenire: vt sicut ecclesiæ scandalizatæ prius dolebant de te auerso atque aduerso; ita postea gauderent, gratiasq. Deo agerent de te reuerso atque conuerso. Cur ergo scriptum hoc magis adscribis Humberto Episcopo, quam tibi? quam Nicolao Pontifici? quam eius Concilio? quam denique omnibus ecclesijs, quæ id cum debita reuerentia susceperunt, & pro conuersione tua Deo gratias retulerunt? &c.]
* spretus ab BERENGARIVS NOLVIT DEFENDERE HAERESIM.
E
BERENGARIVS IN HAERESIM RELABITVR.
Quid igitur? versipellis homo, versutus hæresiarcha, veternosus serpens non sic deposuit ibi vetera spolia, vt etiam venena dimiserit, sed vt innouatus squamis in percussores ardētius insiliret, quod declarauit euentus. Etenim vt abunde Lanfrancus docet, post

A cet post Romanum Concilium, vbi quæ vellet, scribendi liberam facultatē nactus esset infelix, scripsit inuectiuā aduersus eam, quam in hoc ipso Concilio legit, probauit, iuramento firmauit, atque subscripsit, Fidei Catholicæ confessionem, conuersus in Humbertum, qui eam scripsisset, & in Romanam Ecclesiam, cuius auctoritate fecisset. Quod vbi nouit Lanfrancus, mox sparso veneno parauit antidota, scribens ad eumdē Berengarium egregium commentarium, quo arrogantis hæresiarchæ retundit audaciam, refellit errores, dissoluit fallacias, blasphemias redarguit, conuertens eas in caput ipsius, nullumq. docet hactenus extitisse procaciorem hæreticum, qui eas ausus fuisset in Romanam Ecclesiam iactare blasphemias, quas ipse periurus & fœdifragus præsumpsisset. Nam vbi ad illa suæ confessionis verba venit, quibus dicitur: Consentio, inquit Burgundus, sanctæ Romanæ Ecclesiæ: *hic mox ipse Berengarius ista subiecit*: Reue-
B ra non sanctam Ecclesiam experta est ipsa veritas, sed ecclesiam malignantium, concilium vanitatis, non Apostolicam, sed sedem satanæ] in quem mox ista Lanfrancus:

Non deberes dicere: Consentio, inquit Burgundus, sed consentio ego Berengarius. Tua enim hæc verba fuerunt, hæc te credere, sanctum Concilium fefellisti: hæc te seruaturum iureiurando firmasti. Venerabilis Humbertus, quem quasi exprobrando Burgundum nominas (quasi non possit Deus in Burgundia habere seruos suos) nihil aliud fecit, nisi quod scripturam ipsam, præcipiente Synodo, manu in manum tibi porrexit. Verum o infelix anima, de hæresi ad periurium prius transijsti; nunc iterum de periurio ad hæresim remeasti. Propterea traditus in reprobum sensum, sanctam Romanam Ecclesiam vocas ecclesiam malignantium, concilium vanitatis, sedem satanæ: & hoc impio ore garristi, quod garrisse nemo legitur, non hæreticus,
BLASPHEMIAE IN ROM. ECCL. REFELLVNTVR.
C non schismaticus, non falsus aliquis Christianus. Quotquot enim a primordio Christianæ Ecclesiæ, Christiani nominis dignitate gloriati sunt; etsi aliqui relicto veritatis tramite, per deuia erroris incedere maluerunt: Sedem tamen sancti Petri Apostoli magnifice honoratunt, nullamq. aduersus eam huiusmodi blasphemiam vel dicere, vel scribere præsumpserunt. quod indubitatum habet, qui eorum scripta legit, quæ diuersis temporibus, ac diuersis de cautis Sedes Apostolica ab eis vel transmissa, vel porrecta recepit. Denique ipse Dominus honorifice alloquitur eam in Euangelio suo dicens: [a] Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ infe- [a] Matth. 16.
ri non præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claues regni cælorum: & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælo: Et quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis. Quæ tametsi de pastoribus sanctæ Ecclesiæ dicta esse
D credantur; præcipue tamen de Romana Ecclesia intelligenda esse sacri canones, & Pontificum decreta testantur] hæc Lanfrancus. quibus intelligas, Nouatores Berengarij erroris heredes, eiusdem mores pariter assecutos. Porro vir doctissimus atque sanctissimus eodem commentario eumdem redarguens de blasphemijs in Romanam Ecclesiam, ista habet: Dum ipsum Humbertum contra Catholicam veritatem scripsisse asseris, non ipsum solum, sed Romanos Pontifices, Romanam Ecclesiam, multosq. sanctos Patres redarguis; incurrisq. in illud, quod beati doctores, si non ijsdem verbis, ijsdem tamen sententijs multis in locis concorditer astruxerunt: Hæreticum esse hominem, qui a Romana & vniuersali Ecclesia in Fidei doctrina discordat &c.]

Aduersus autem eiusmodi virulentam Berengarij scriptionem non solum Lanfrancus scripsit, sed alij, qui tunc in Ecclesia Catholica florebant viri sanctissimi atque
E doctissimi, vt Guitmundus, de quo dicturi sumus, Algerus monachus Cluniacensis, quorum summa cum laude meminit Petrus Cluniacensis, scribens aduersus hæreticos Petrobasianos. Scripsisseq. aduersus Berengarium Albericum diaconum Cassinen- DE ALBERICO DIACONO CASSINENSI.
sem, testatur Leo Ostiensis. qui tamen aduersus veritatem historicam superius ex Lanfranci, & aliorum scriptis firmissime stabilitam, eidem plus quam par est, tribuit, dum de ipso Romanoq. Concilio hæc scribit: [b] Eius temporibus facta est Synodus in [b] Leo Ost. lib. 3. cap. 33.
Vrbe Roma contra Berengarium diaconem ecclesiæ Andegauensis, qui inter multa, quæ nitebatur astruere, sacrificium corporis & sanguinis Domini figuram esse dicebat. Eiq. cum nullus valeret obsistere, Albericus idem euocatur ad Synodum. Quo cum venisset, post multos verborum conflictus, cum neuter cederet, Albericus vnius hebdomadæ acceptis inducijs, librum aduersus eumdem diaconem edidit de corpore Domini, sanctorum Patrum testimonijs roboratum, in quo omnes assertiones eius

Universidad de Deusto
Biblioteca

destruxit, æternaq. obliuione deleuit] hæc Leo, sed glorianter nimis, ac valde mendaciter. Nam, vt audisti, Berengarius absque vlla præuia habita in Synodo de hæresi altercatione, statim sponte damnauit errorem. A

Sed redeamus ad Lanfrancum, amantissimum veritatis, qui eodem commentario dum prouocat Berengarium ad miracula, in confirmationem Catholicæ veritatis, diuersis temporibus in Ecclesia frequenter edita: hanc de ecclesiasticæ historiæ efficacia dignam tanto viro sententiam habet: Quæ miracula facta esse ignorat nullus, quis in ecclesiasticis historijs, seu sanctorum Patrum Gestis est aliquantulum studiosus. Quæ scripturæ tametsi illam excellentissimam auctoritatis arcem non obtinent, qua donatæ sunt, quas propheticas, seu Apostolicas nuncupamus: hoc tamen probare sufficiunt, quod hanc fidem, quam nunc habemus, omnes Fideles, qui nos præcesserunt, a priscis temporibus habuerunt] hæc Lanfrancus. Extat eodem argumento contra Berengarium scripta epistola a sancto Vuolphelmo Abbate, huius temporis auctore, quam [a] Conradus monachus, qui & ipse eodem tempore claruit, eiusq. auditor fuit, atque vitam ipsius exacte conscripsit, in eadem dignum contexuit tanto viro opus. Vbi etiam narrat, atque redarguit eiusdem Berengarij aliam hæresim, qua negabat Christum ingressum ad Discipulos ianuis clausis, cõtemnens ob id Euangelicam veritatem. quibus videas cerebrosum hæresiarcham laxasse penitus habenas impudentiæ, & cuius generis sint homines, qui aduersus ista adeo probata delirant. B

HISTORIAE ECCLESIASTICAE VSVS.

a Apud Sur. to. 2. die 22. April.

At quoniam ipsa miracula diuinitus edita, testante etiam perfido Pharaone, [b] digitus Dei esse operando noscuntur, sicut & nominantur: quæ digito isto suo his diebus scripserit ipse Deus, & subscripserit veritati, videamus. Prætermittimus antiquiora, recensemus ea tantummodo, quibus, dũ ista, vrgente nefando Berengario, in cõtrouersiam præter morem sunt adducta, Deus intelligatur sicut astipulatus veritati, ita refragatus errori. Petrus Damiani in epistola, quam dedit ad Desiderium Cassinensem Abbatem Synodo absoluta, rescribens ad litteras, quas ab eodem acceperat, dum Synodus haberetur, de eo quod tunc accidisset, ista habet ipso exordio: Recordatus sum litterarum, quas tu quidem sub interrogatione misisti: sed his ego, synodali præpeditus instantia, adhuc non respondi. Et hæc in illis (si reminisci valeo) continebantur epistolis: Quia zelotypa quædam mulier habens virum ex adulterij fraude suspectum, qualiter eum sibi vendicare posset proprio thoro contentum, a vicina petijt muliere consilium. Quæ nimirum peruersa, & vltricibus flammis euidenter obnoxia, hoc eam sacrilegium venenata serpentis antiqui suadela perdocuit, vt corpus Dominicum quasi communicatura perciperet, quod caute reseruans viro suo postmodum non sine quibusdam maleficijs propinaret. Quod videlicet a sacerdote perceptum, vsque dum occasio præberetur, palliolo reseruatum non sine magno dedit stupore miraculum. Hæc enim particula Dominici corporis inuenta est vsque ad medietatem in carnem conuersa, altera vero medietas panis speciem non mutauit. Itaque (si rite reminiscor) hoc proposuisti: deinde quid portenderet, inquisisti. Super qua quæstione quia non necesse est diutius immorari: breui compendio quid mihi videatur, expediam. Idcirco Deus omnipotens sacrosanctum illud mysterium in carnis speciem vertit, vt perfidiam reprobæ mulieris augeret, dum visibilem Dominici corporis ostenderet veritatem, quatenus quæ purum panem, vt videbatur ante, credebat; veræ carnis speciem cerneret: sicq. sacrilegam cœpti sceleris audacia sub ipso iudicio condemnaret. Quod autem medietas sic remansit, ad euidentioris iudicij testimonium profecit, vt dum in vna eademq. substantia hinc panis, illinc carnis adesse consideras speciem, in vtroque veræ carnis, veriq. panis indifferenter intelligas veritatem: quia & ipse est panis, qui de cælo descendit, & ipsa nihilominus caro, quæ de virginalis vteri materia prodijt. C

b Exod. 8.

FIDES CATHOLICA MIRACVLIS CONFIRMATA.

Nam & vester ille finitimus piæ recordationis Amalphitanus Episcopus (nomen nescio) Stephano Romano Pontifici, me præsente, sub iureiurando testatus est, quia cum aliquando ad mensam Domini sacrificaturus accederet; sed super sacramento Dominici corporis incredulus hæsitaret: in ipsa confractione salutaris hostiæ rubra prorsus ac perfecta caro inter eius manus apparuit, ita vt digitos illius cruentaret, sicq. sacerdoti scrupulum dubietatis auferret. Vnde notandum est, quam sit immane periculum indignis manibus attrectare tam terribile sacramentum &c.] Porro Amalphitanus D

ALIVD DE S. EVCHARISTIA MIRACVLVM.

A nus Episcopus ille Petrus nomine dictus est, quem legatione functum Constantinopoli vna cum Humberto Episcopo Cardinali, suo loco superius dictum est. sed ad ipsum Romanum Concilium redeamus.

Constat etiam in eodem Romano Concilio editam esse Constitutionẽ de electione Romani Pontificis, de qua Petrus Damiani in Disputatione Aduocati regij cũ Defensore Romanæ Ecclesiæ, hæc habet ex persona eiusdem regij Aduocati: Verumtamen tu hoc negare non potes, quod pater domini mei Regis piæ memoriæ Henricus Imperator factus est Patricius Romanorum, a quibus etiam accepit in electione super ordinatione Pontificis principatum. Huc accedit (quod præstantius est) quia Nicolaus Papa hoc domino meo Regi priuilegium, quod ex paterno iam iure susceperat, præbuit, & per synodalis insuper decreti paginam confirmauit] & inferius: Synodalis etiam decreti pagina, quam cum Concilij totius assensu beatus Papa constituit, cui propriæ manus articulum indidit, quam tot Episcoporum venerandus celebrisq. conuentus subscriptione firmauit, anathematis vinculo iuxta morem carere non potuit] de hoc concesso Henrico Regi de Pontificis Romani electione priuilegio nec Ecclesiæ Romanæ Defensor Petrus ipse negauit; sed quomodo Principes regni abusi essent illo, respondit, dum libera iura Romanæ Ecclesiæ defendit. Quod enim eiusdem Regis ope proxime præcedenti schismati finis impositus esset, legitimusq. Pontifex, Ecclesiæ Romanæ pace reddita, constitutus: gratitudinis ergo quod datum fuerat eadem ex causa patri priuilegium, hoc Nicolaus vna cum sancta Synodo propagandum putauit in filium. quod quidem cum ad ædificationem Ecclesiæ collatum esset, & eo ad destructionem ministri regij vti vellent: iure priuari ipso meruerunt, vt, B C quæ dicentur suo loco, significabunt.

QVID PAPA CONCESSIT HENRICO REGI.

Vt autem ipsius priuilegij concessionem, factam in hoc Concilio a Nicolao summo Pontifice Henrico Regi, exactissime disquiramus, hæc accipe: Non ita quidem apparet concessisse illi Pontificem atque Concilium ius eligendi Romanum Pontificem, vt eo priuari voluerit Romanum Clerum; immo ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales Episcopos voluit id potissimum pertinere, inde ad ceteros, quos siue iura, siue consuetudo hactenus admisissent, ne cuiquam præiudicium inferretur. Nec quidem quis dixerit (quod nec Aduersarius ipse iura regia defendens dicere ausus est) plura modo esse Henrico Regi concessa, quam eius patri Henrico Imperatori data fuerant a prædecessoribus Romanis Pontificibus, nimirum, quod hactenus factum vidimus, vt illum eligeret Imperator, in quem primo (si per pacem licuisset) suffragia Romanorum concurrerent: sicq. primum Clerus eligeret, & Cleri electioni Imperator ipse faueret; sin minus id Clero facere licuisset: ipsemet Clerus refunderet tunc liberam in Imperatorem electionem, vt quem vellet eligeret, nomine tamen Romani Cleri, vt quæ sunt superius dicta in electionibus Romanorum Pontificum, docent. In hoc autem Concilio de Romanorum Pontificum electione Constitutio edita est, perneccessaria temporibus istis, quibus vis tyrannica vigeret. quæ sic se habet: [a] D

a c. In nomine dist. 23.

DECRETVM DE ELECTIONE ROMANI PONT.

In nomine Domini nostri & Saluatoris IESV Christi. Anno ab Incarnatione eiusdem millesimo quinquagesimonono, mense Aprili, Indictione duodecima, propositis sacrosanctis Euangelijs, præsidente quoque reuerendissimo ac beatissimo Nicolao Apostolico Papa in basilica Lateranensis Patriarchij, quæ cognominatur Constantiniana; considentibus etiam reuerendissimis Episcopis, Abbatibus, presbyteris, diaconis, idem venerabilis Pontifex auctoritate Apostolica decernens de electione summi Pontificis, inquit: E

Nouit beatitudo vestra, dilectissimi fratres Coepiscopi (inferiora quoque membra Christi non latuit) defuncto piæ memoriæ domino Stephano prædecessore nostro, hæc Apostolica Sedes, cui auctore Deo deseruio, quot aduersa pertulerit, quot denique per simoniacæ hæreseos trapezitas repetitis malleis, crebrisq. tunsionibus subiacuerit, adeo vt columna Dei viuentis iam iam pene videretur concussa nutare, & sagena summi piscatoris, procellis intumescentibus, cogeretur in naufragij profunda demergi. Vnde, si placet fraternitati vestræ, debemus, auxiliante Deo, futuris casibus prudenter occurrere, & ecclesiastico statui, ne recidiua (quod absit) mala prævaleant, præcauere. Quapropter instructi prædecessorum nostrorum aliorumq. sanctorum Patrum auctoritate, decernimus atque statuimus, vt obeunte huius Romanæ vniuersalis

Universidad de Deusto
Biblioteca

* Christi

salis Ecclesiæ Pontifice, in primis Cardinales Episcopi diligentissime simul de electione tractantes, mox * ipsi clericos Cardinales adhibeant, sicq. reliquus Clerus, & populus ad consensum nouæ electionis accedat, nimirum præcauentes, ne venalitatis morbus aliqua occasione subrepat. & ideo religiosissimi viri præduces sint in promouenda Pontificis electione, reliqui autem sequaces. Certus vero atque legitimus electionis ordo perpenditur, si perspectis diuersorum Patrum regulis, siue gestis, etiam illa beati Leonis prædecessoris nostri sententia recolatur: Nulla, inquit, ratio sinit, vt inter Episcopos habeantur, qui nec a clericis sunt electi, nec a plebibus expetiti, nec a Comprouincialibus Episcopis cum Metropolitani iudicio consecrati. [a] Quia vero Sedes Apostolica cunctis in orbe terrarum præfertur ecclesijs, atque ideo supra se Metropolitanum habere non potest: Cardinales Episcopi procul dubio Metropolitani vice funguntur, qui videlicet electum Episcopum ad Apostolici culminis apicem prouehant.

[a] Ivon. par. 5. cap. 80.

A

B

Eligatur autem de ipsius Ecclesiæ gremio, si reperitur idoneus; vel si de ipsa non inuenitur, ex alia assumatur, saluo debito honore, & reuerentia dilecti filij nostri Henrici, qui in præsentiarum Rex habetur, & futurus Imperator, Deo concedente, speratur, sicut iam sibi concessimus, & successoribus illius, qui ab Apostolica Sede personaliter hoc ius impetrauerint. Quod si prauorum atque iniquorum hominum ita peruersitas inualuerit, vt pura, sincera, atque gratuita fieri in Vrbe non possit electio: Cardinales Episcopi cum religiosis clericis, Catholicisq. laicis licet paucis ius potestatis obtineant, eligere Apostolicæ Sedis Pontificem, vbi congruere viderint. Plane postquam electio fuerit facta, si bellica tempestas, vel qualiscumque hominum conatus malignitatis studio restiterit, vt is, qui electus est, in Apostolica Sede iuxta consuetudinem auctorizari non valeat: electus tamen sicut verus Papa obtineat auctoritatem regendi Romanam Ecclesiam, & disponendi omnes facultates illius. quod beatum Gregorium ante suam consecrationem fecisse cognouimus.

C

Quod si quis contra hoc nostrum decretum, synodali sententia promulgatum, per seditionem, vel præsumptionem quolibet ingenio electus, aut etiam ordinatus, seu inthronizatus fuerit: auctoritate diuina, & sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, perpetuo anathemate cum suis auctoribus, fautoribus, & sequacibus a limine sanctæ Dei Ecclesiæ separatus, abijciatur sicut Antichristus, inuasor, & destructor totius Christianitatis. Nec aliqua super hoc audientia reseruetur, sed ab omni ecclesiastico gradu, in quocumque fuerat prius, sine retractatione deponatur. Cui quisquis adhæserit, vel qualemcumque tamquam Pontifici, reuerentiam exhibuerit, aut in aliquo eum defendere præsumpserit, pari sententia sit mancipatus.

D

Quisquis autem huius nostræ decretalis sententiæ temerator extiterit, & Romanam Ecclesiam sua præsumptione confundere, & conturbare contra hoc statutum tentauerit; perpetuo anathemate, atque excommunicatione damnetur, & cum impijs, qui non resurgent in Iudicio, reputetur, Omnipotentis iram contra se sentiat, & sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, quorum Ecclesiam præsumit confundere, in hac vita, & in futura furorem sentiat. [b] Fiat habitatio eius deserta, & in tabernaculis eius non sit qui inhabiter. Fiant filij eius orphani, & vxor eius vidua: commotus commoueatur ipse & filij eius, & mendicent, & eijciantur de habitationibus suis. Scrutetur fœnerator omnem substantiam eius, & diripiant alieni labores eius. Orbis terrarum pugnet contra eum, & cuncta elementa sint ei contraria; & omnium Sanctorum quiescentium merita illum confundant, & in hac vita super eum apertam vindictam ostendant. Obseruatores autem huius nostri decreti omnipotentis Dei gratia protegat, & auctoritas beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ab omnium peccatorum vinculis absoluat] hactenus Nicolai Constitutio labefactata tamen, vt dicetur, dolo malo schismaticorum.

[b] Psal. 108.

E

De qua quod in primis dicendum occurrit, est illud, quod tam salubre ad schismata vitanda remedium, conuersum est nequitia Principum ad deteriora, quam vmquam fuerint, schismata excitanda: nam eam corrumpentes schismatici, inde Reges & Imperatores ansam arripuere confirmãdi Pontifices: & si creatos a Romano Clero Pontifices non susciperent, tunc quem vellent in Romanam Sedem intruderent. Ita quidem post hæc pestilentissimus Cadalous, ita funestissimus Guibertus & alij hoc ipso sæculo creati

A creati sunt pseudopontifices. Quod enim reuera eiusmodi germanum Nicolai Papæ decretum nullo pacto Imperatori faueret, vt intrudendi Pontifices eidem tribuerit facultatem: idem qui supra nefandissimus Guibertus Antipapa decretum ipsum corrupit, aliqua addendo, & minuendo. Quod testatur Deusdedit presbyter Cardinalis tituli sanctorum Apostolorum in Eudoxia, in libello, quem contra inuasores, simoniacos, atque schismaticos paulo post edidit, cum eiusdem Guiberti schisma vigeret, vbi hæc habentur de eodem Nicolai Papæ decreto.

DECRETVM NICOL. DEPRAVATVM.

Sunt autem qui obijciunt, Nicolaum Iuniorem decreto synodico statuisse, vt obeunte Apostolico Pontifice, successor eligeretur, & electio eius Regi notificaretur. Facta vero electione, & (vt prius dictum est) Regi notificata, ita demum Pontifex consecraretur. Quod si admittendum est, vt ratione factum dicatur: obijcimus ad

B hoc confutandum, præfatum Regem, & optimates eius se ea constitutione indignos fecisse: primum, quod postea, cum præfatus Nicolaus Colonienſem Archiepiscopum pro suis excessibus corripuisset, grauiter tulere, eumq. huius rei gratia (quantum in se erat) a Papatu deposuere, nomenq. eiusdem in canone consecrationis nominari vetuere; ideoq. decretum eiusdem iure irritum esse debebit, qui cum a toto orbe Papa haberetur, iuxta eorumdem sententiam eisdem Papa non fuit, quasi non ex Dei, sed ex eorum tantum penderet voluntate, quempiam quodlibet esse vel non esse. Romanus enim Pontifex (vt sapientes norunt) non modo deponi non potest, sed etiam Christiano iure a quolibet non potest iudicari. Deinde quia cum in eodem decreto cautum esset, vt Romæ Pontificis electio a Romano Clero & populo ageretur, & postea notificaretur ipsi: præfatum violantes decretum, elegere (quod eis non licebat) prius Cadaloum Parmensem, postea Guibertum Rauennatem, induentes eos

C Apostolicis insignibus, vocantes Apostolicos, Apostatas & Antichristi præcursores. Præterea autem præfatus Guibertus, aut sui, vt suæ parti fauorem adscriberent, quædam in eodem decreto addendo, quædam mutando ita illud reddiderunt a se dissidam, vt aut pauca, aut nulla exemplaria sibi concordantia valeant inueniri. Quale dens, vt aut decretum est, quod a se ita diserepare videtur, vt quid in eo potissimum credi debeat, ignoretur?] & inferius: Excommunicatio autem, quæ in præfato decreto terribiliter profertur, a Guiberto, aut a suis fautoribus indita solummodo creditur: quoniam in antiquioribus huius decreti exemplaribus longe aliter habetur. & hæc quidem super eos veniet, qui eam in sui fauorem ibidem indidere, & super eos, qui eam timendam dicere præsumunt. Super illos quidem, vt incidant in foueam, quam

D fodere, & vt apprehendat eos captio, quam occultauere &c.] Ex quibus intelligis, Lector, eiusmodi a Gratiano editum Nicolai decretum haud esse integrum, purumque, prout ab eodem Pontifice in Synodo est constitutum, sed a schismaticis labefactatum, atque additione corruptum. Hic omittimus dicere, quod idem Deusdedit Cardinalis etiam pluribus probare nititur, non potuisse eumdem Nicolaum eiusmodi sanciuisse decretum, per quod relaberetur in manus Principum ius super electionem siue confirmationem Romanorum Pontificum, cum tam in Orientali quam Occidentali Ecclesia sacris Conciliorum decretis, id non esse concessum laicis Principibus, nec in minoribus Episcopatibus, iura quæ citat, admoneant: quod tantum occasione schismatis ingruentis visum sit aliquando vsurpatum exemplum, toleratum vero, dum ijdem potestate regia hanc subire seruitutem sint coacti Pontifices, vt de his est que-

E rela sancti Gregorij de suis temporibus suo loco superius recitata. at de his alias pluribus, redeamus ad alia in eadem Romana Synodo statuta decreta.

CONTRA SIMONIACOS DECRETVM

Præterea contra simoniacos ab eodem Pontifice constat constitutum fuisse decretum, ex quo tria, quæ subsequuntur, capita [a] Gratianus in suo Decretorum libro descripsit his ipsis verbis: Statuimus decretum de simoniacis tripartita hæresi; id est, de simoniacis simoniace ordinatoribus, vel ordinatis; & de simoniacis simoniace a non simoniacis; & de simoniacis non simoniace a simoniacis. Simoniaci simoniace ordinati, vel ordinatores secundum ecclesiasticos canones a proprio gradu decidant. Simoniaci quoque simoniace a non simoniacis ordinati similiter ab officio male accepto remoueantur. Simoniacos autem non simoniace a simoniacis ordinatos misericorditer per manus impositionem pro temporis necessitate in officio concedimus permanere] & inferius:

[a] c. Statuimus. 1. q. 1. huc par. 3. c. 79.

Universidad de Deusto
Biblioteca

[a] 1. q. 1. cap. de cetero & seq.

De cetero statuimus, vt si quis in posterum ab eo, quem simoniacum esse non dubitat, se consecrari permiserit: & consecrator, & consecratus non disparem damnationis sententiam subeant, sed vterque depositus pœnitentiam agat, & priuatus propria dignitate persistat] & sequenti capite ita: A

Erga simoniacos nullam misericordiam in dignitate seruanda habendam esse decernimus, sed iuxta canonum sanctiones, & decreta sanctorum Patrum eos omnino damnamus, ac deponendos esse, Apostolica auctoritate sancimus] hactenus apud Gratianum. De his etiam Petrus Damiani in epistola ad Florentinos, cum ab eodem Nicolao Pontifice ait in hoc Concilio decretum editum contra simoniacos, testatur his verbis: Constitutum est in Romano, sanctæ memoriæ Nicolao Pontifice præsidente, Concilio, vt quicumque per eos, nempe simoniacos, eatenus fuissent in cuiuslibet ecclesiastici gradus dignitate promoti, in percepti honoris ministerio permanerent: B ex tunc vero & deinceps, quicunque se paterentur a simoniaco prouehi, nihil penitus deberent ex ea promotione lucrari, & sic ministrandi iura deponerent, tamquam si hæc nullatenus percepissent] ita ibi:

Qui igitur decretum edidit contra ordinatos a simoniacis Nicolaus, ipsos Episcopos simoniacos conuictos gradu deposuit. ita quidem fecisse reperitur in Aldredum Archiepiscopum Eboracensem, qui Romam accipiendi causa pallium venerat. rem

[b] Vuill. de gest. pōt. Angl. lib. 3.

gestam ita describit Vuillelmus Malmesburiensis in Episcopis Eboracensibus: [b] Dispositoq. apud Regem consilio, *Aldredus* Romam pertendit, comitatus duobus electis Episcopis, Gisone Vuellensi, & Vualtero Herefordensi, necnon & Tostino Comite Northumbrorum. Comitem Nicolaus Papa gratiose suscepit, & eum in Synodo, quam contra simoniacos coegerat, sibi a latere allidere fecit: Gisonem, & Vualterum C voti compotes reddidit, qui essent non vsquequaque contemnendæ scientiæ, & nullius notati ignominia simoniæ. Aldredum suapte responsione culpabilem vtrobique repertum, omni honore seuerus expoliauit. ita differenti effectu cum regrederentur, vna pariter ærumna omnes inuoluit. Nam prædonibus irruentibus, præter simplices vestes expoliatis omnibus ad * nummum valens, corporibus tamen illæsis Romam refugere. hæc calamitas peperit Aldredo recuperandorum occasionem honorum. Tostinus quoque grauibus verborum contumelijs Apostolicum aggressus, in sententiam sibi placitam reduxit, parum metuendam a longinquis gentibus eius excommunicationem, quam propinqui latrunculi deriderent: in supplices enim furere, in rebelles parum valere: aut sua sibi per eius auctoritatem reddenda, quæ per eius fraudulentiam constaret amissa, aut futurum vt hæc Rex Anglorū audiens, tributum sancti Petri merito Nicolao subtraheret; se non defuturum rerum veritati exaggerandæ. Hoc minarum fulmine Romani territi Papam flexerunt, vt Aldredo Archiepiscopatum redderet, & pallium; esse impium, si & inglorius & vastatus repatriaret. Fecit ille quod monebat ratio, hac moderationis libra adiecta, vt Vuigornienſi sedi proprius Antistes accederet. Abierunt ergo domum incolumes, magna & diffusa omnes Apostolici liberalitate de damno priori consolati. Consecuti sunt abeuntes Romanorum Legati, qui sanctissimum Vulstanum per consensum Aldredi Vuigorniæ ordinarunt Episcopum] hæc ibi. Porro grassatorum præcipuum, qui Anglos istos deprædati sunt, fuisse Gerardum Comitem Galeriæ, Petrus Damiani testatur in Defensione Romanæ Ecclesiæ aduersus regium Aduocatum, cumq. in hac eadem Synodo excommunicatum affirmat his verbis: De Gerardo liceat tantummodo dicere, Ecclesiæ E hominem non fuisse, & Christi nequaquam pertinuisse Fidelibus. Illud enim vnum caput anathemati maledictioniq. subiacuit omnium fere Pontificum, quicumque Romanæ Ecclesiæ suis temporibus præfuerunt. Deinde paulo antequam moreretur, propter Ducem Anglorum, & Archiepiscopum, quos a beati Petri Liminibus redeuntes inuasit, spoliauit, & vsque ad mille Papienſis monetæ libras appendentia rapuit. propter hoc itaque in plenaria Synodo, Papa Nicolao præsidente, excommunicatus est, & extinctis luminibus perpetuo anathemate condemnatus] hæc Petrus Damiani in controuersia synodali regij Aduocati cum Ecclesiæ Defensore.

Porro meminisse debet Lector, hunc illum esse Gerardum Comitem Galeriæ, quem

[c] Leo Ost. lib. 2 cap. 102.

diximus fauisse Benedicto pseudopontifici, eius factione ad culmen Pontificatus euecto: idq. testificatione Leonis [c] Ostiensis. Quomodo autem Eduardus Rex Anglorum

* minimum

NICOLAVS PRIVATVM RESTITVIT ARCHIEPISCOPVM EBORACENSEM.

GERARDVS COMES GALERIAE EXCOMMVNICATVR.

rum anno sequenti legationem misit ad Nicolaum Pontificem, suo loco dicturi sumus. iam quæ sunt reliqua Synodi prosequamur. A

Cum autem (quod vnum desiderari a bonis omnibus videbatur) Nicolaus Pontifex remissius agere visus esset in Episcopos insectandos, qui introductam haberent feminam, ne ex hoc publico iudicio infamaretur dignitas Episcopalis, decantareturq. vbique locorum, quod synodali sententia sciretur publice definitum: Petro Damiani mandauit, vt Pontificia auctoritate cum illis secretius ageret, eosq. ad meliorem frugem conuerteret. Qui rem aggressus, cum non ex sententia succedere tentata sensisset, ad Nicolaum conuersus, libellum obtulit, quo ipsum hortatus est, vt postposito omni humano respectu, aduersus huiusmodi Apostolico zelo succensus insurgeret, non reueritus potentes, qui Dei Ecclesiam turpitudine coinquinarent. libellus autem B forma expressus epistolari sic se habet:

Domino Nicolao summo Pontifici Petrus peccator monachus debitæ subiectionis obsequium. PETRI DAM. LIBELLVS IN EPISCOPOS IMPVDICOS.

Nuper habens cum nonnullis Episcopis ex vestræ maiestatis auctoritate colloquiū: sanctis eorum semoribus volui seras apponere. Tentaui genitalibus sacerdotum (vt ita loquar) continentiæ fibulas adhibere. Sed quoniam hæc secta est, cui ab omnibus contradicitur, aliud quidem quodcumque vestræ Constitutionis imperium sub spe perficiendi fideliter indicimus. Huius tamen capituli nudam saltem promissionem tremulis prolatam labijs difficilius extorquemus. Primum, quia fastigium castitatis attingere se posse desperant: deinde quia synodali se plectendos esse sententia, propter luxuriæ vitiū non formidant. Nostris quidem temporibus gemina quodammodo Romanæ Ecclesiæ consuetudo seruatur, vt de ceteris quidem ecclesiasticæ disciplinæ studijs examen, prout dignum est, moueat; de clericorum vero libidine, propter insultationem sæcularium dispensatiue conticescat. Quod certe satis correctione dignum C est; ne vnde vulgus omne conqueritur, inde potissimum a magistris Ecclesiæ in iudicijs taceatur. Si enim malum hoc esset occultum, fuerat fortasse vtcumque ferendum; sed, heu scelus! omni pudore postposito, pestis hæc in tantam prorupit audaciam, vt per ora populi volitent loca scortantium, nomina concubinarum, socerorum quoque vocabula simul & socruum, fratrum denique & quorumlibet propinquorum. Et ne quid his assertionibus deesse videatur: testimonio sunt discursio nuntiorum, effusio munerum, cachinnantium ioca, secreta colloquia. Postremo vero omnis dubietas tollitur, vteri tumentes, & pueri vagientes. Ergo præ pudore nescio quomodo supprimatur in Synodo, quod publice vociferatur in mundo: vt non modo peccantes, vt dignum est, non notentur infamia; sed hi quoque, qui vltores esse debuerant, videantur in culpa. Non hic pudor faciem [a] Phinees sacerdotis operuit, qui ni- D mirum coeuntem cum Madianitide Israelitem coram omni multitudine in locis genitalibus, arrepto pugione, transfodit. Porro autem nos contra diuina mandata personarum acceptatores, in minoribus quidem sacerdotibus luxuriæ inquinamenta persequimur; in Episcopis autem (quod nimis absurdum est) per silentij tolerantiam veneramur. Sed ecce hic Phinees &c.] ostendens diuinæ Scripturæ exemplis, aduersus potentiores acrius insurgendum: docensq. exemplo Heli, quam damnandum, quamq. plectendum sit in sacerdote silentium. vbi tandem aculeata inuectiua prosciE dit eiusmodi delinquentes Episcopos, rursus ad Nicolaum Papam conuersus hæc ait:

Tu autem domine mi venerabilis Papa, qui Christi vice fungeris, qui summo pastori in Apostolica dignitate succedis, noli pestem hanc per ignauiam ad incrementa perducere, noli conniuendo & dissimulando grassanti luxuriæ fræna laxare: serpit enim hic morbus vt cancer, & viroſa propago ad infinita porrigitur, nisi euangelica falce, quod male pullulat, amputetur. Absit igitur, vt sanctum cor vestrum segnis Heli torpor emolliat, sed potius ad sceleris vltionem ingenui Phinees zelus accendat. Deponantur hi, qui ecclesiasticæ castitatis non verentur fœdare munditiam; & deiecti deterreant, quos male stantes ad turpis luxuriæ contumeliam prouocabant. Ad vltionem igitur se canonicus vigor exerat, & petulantium clericorum mala compescat: quatenus & beatitudini vestræ (quod absit) næuus non obrepat infamiæ, & solitus nitor ecclesiasticæ resplendeat disciplinæ. Vestra quippe clementia non ignorat, quoniam Achab Rex Israel, dum Regi Syrorum Benadad inordinata pietate pepercit, di-

[a] Num. 20.

HORTATVR PETRVS NICOLAVM VT SIT VLTOR IN EPISC.

Universidad de Deusto
Biblioteca

uini aduersum se furoris sententiam prouocauit. cui nimirum vir Dei ait: [a] Hæc dicit Dominus: quia dimisisti virum morte dignum de manu tua: erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius. Hic ipse quoque vir Dei, cum diceret socio suo in sermone Domini: Percute me: noluisse tq. ille percutere, ait: Quia noluisti audire vocem Domini: ecce recedes a me, & percutiet te leo. Cumq. paululum recessisset ab eo (vt Scriptura testatur) venit in eum leo, atque percussit. Quibus vtique sacri eloquij verbis quid aliud innuitur, quam quia incomposita pietas procul dubio meretur iram Dei, dum non promulgat in reos sub districti iuris æquitate censuram? Meritoq. debet superni iudicis subire vindictam, qui neglexit in subditos exercere disciplinam; illiq. leoni, qui circuit quærens quem deuoret, merito traditur, qui ab infligendo pœnitentiæ vulnere per torporis desidiam cohibetur. Sic igitur ingenuus vester spiritus, & ad tollendum castitatis opprobrium se feruenter accingat, sic se in vltionem Nicolaitæ hæresis strenue ac viriliter erigat, vt iuxta sponsionem Phinees pacem sui fœderis vobiscum Deus omnipotens statuat: immo sicut Eliam, cæsis typice quadringentis quinquaginta sacerdotibus; cælo vos non equis igneis, sed Angelis comitantibus introducat] hactenus ad Nicolaum libellus Petri.

[a] 3. Reg. 20.

CONTRA CONCVBINATVM CLERICORVM CONSTITVTIO.

Qui cum esset probatæ castitatis Pontifex (vt idem Petrus Damiani epistola de eius electione superius recitata testatur) haud socors destitit consulere hac ex parte Ecclesiæ honestati. quamobrem in hoc etiam Romano Concilio Constitutum de honestate clericorum edidisse certum est. Citatur illud ab [b] Alexandro eius successore, recitaturq. ad omnes Episcopos inscripti decreti breue fragmentum his verbis: [c] Nullus Missam audiat presbyteri, quem scit concubinam indubitanter habere, aut subintroductam muherem. Vnde etiam ipsa sancta Synodus hoc capitulum sub excommunicatione statuit, dicens: Quicumque sacerdotum &c.] vt apud Gratianum recitatum habetur decretum.

[b] Dist. 32. cap. prater hoc. [c] ead. dist. cap. nullus.

LEGATIO NICOLAI PAPAE AD MEDIOLANENSES.

Verum sanctissimi pastoris zelus contineri non potuit termino illo ambitus synodalis: sed cum percepisset Mediolanensem ecclesiam, sicut simoniaca labe, ita & clericorum impuritate labefactatam, penitusq. collapsam, ad eam restituendam Legatos decernit viros sanctissimos atque doctissimos, nimirum ipsum Petrum Damiani Cardinalem Ostiensem, & Anselmum Lucensem Episcopum, qui postea ipsi Nicolao in Pontificatu successit, dictusq. est Alexander. Præcessisse autem legationem Mediolanensium ad ipsum Pontificem, antiqua Gesta Romanorum Pontificum, quæ collegit Nicolaus Aragonius Cardinalis, edocent, in quibus ista: Legati Mediolanenses venerunt ad eumdem Pontificem Nicolaum, suppliciter exorantes, vt Mediolanensis ecclesiæ contritionibus dignaretur misereri & compati. Huius rei gratia venerabilem virum Petrum Damiani Ostiensem Episcopum Nicolaus Papa illuc destinauit, & vices suas in corrigendis ac statuendis his, quæ ad ecclesiam illam pertinebant, ei concessit] Huius quidem legationis extat plena relatio in epistola, quam tunc idem Petrus scripsit ad Hildebrandum, qui ex subdiacono ab eodem Nicolao nuper in Archidiaconum sanctæ Romanæ Ecclesiæ fuerat exaltatus. mutuati sumus eam ex codice basilicæ Vaticanæ, sicut & alias, cui eiusmodi præposita est inscriptio: Actus Mediolani. &: De priuilegio Romanæ Ecclesiæ liber:

RELATIO PETRI DAM. DE EVA LEGATIONE.

Domno Hildebrando venerabili Archidiacono Petrus peccator monachus sincerissimæ deuotionis affectum.

Priuilegium Romanæ Ecclesiæ quantas habeat vires ad seruandam canonicæ æquitatis & iustitiæ regulam, quantum vigorem ad disponendam ecclesiastici status continuat disciplinam: solus ille dilucide comprehendit, qui ecclesiasticis consueuit insudare negotijs. Quod vtique priuilegium, qui inexpertus est, paruipendit, exercitatus amplectitur. Quia sicut arma non curat, qui certamen ignorat; sic e diuerso telis inhianter accingitur, qui ad reportandos ex more victoriarum titulos animatur. Armis autem priuilegium Romanæ Ecclesiæ non incongrue comparauimus; quia dum hæc vna per cathedram beati Petri totius Christianæ religionis caput effecta, cunctis in orbe terrarum principetur ecclesijs, velut dux ante aciem Fidelium cuneis fulcia, ac specialis prærogatiuæ auctoritate munita, & Euangelico mucrone veritati resistentium cervicem obtruncat, & ad inuictissime dimicandum totam Christi militiam in vnius charitatis ac fidei vnanimitate confirmat. Hoc tu subtiliter, & alia multa

multa perpendens, frequenter a me charitate, quæ superat omnia, postulasti, vt Romanorum Pontificum decreta, vel Gesta percurrens, quidquid Apostolicæ Sedis auctoritati specialiter competere videretur, hinc inde curiosus excerperem, atque in parui voluminis vnionem nouæ compilationis arte conflarem. Hanc itaque tuæ petitionis instantiam cum ego negligens flocci penderem, magisq. superfluitati, quam necessitati obnoxiam iudicarem: diuinitus, vt reor, actum est, vt Mediolanensem vrbem beatissimi Nicolai Papæ legatione functus adirem.

Erat enim inter Clerum & populum propter duas hæreses, Simoniacam videlicet, & Nicolaitarum satis turbulenta seditio. Nicolaitæ autem dicuntur clerici, qui contra castitatis ecclesiasticæ regulam feminis admiscentur. Qui plane tunc fornicatores fiunt, cum fœdi commercij copulas ineunt; tunc Nicolaitæ iure vocantur, cum hanc lethiferam pestem velut ex auctoritate defendunt. Vitium quippe in hæresim vertitur, cum peruersi dogmatis assertione firmatur. quid plura? Nobis digna Sedis Apostolicæ veneratione receptis, ac negotijs, quæ nos attraxerant, intimatis, post diem alterum factione clericorum repente in populo murmur exoritur, Non debere Ambrosianam ecclesiam Romanis legibus subiacere; nullumq. iudicandi, vel disponendi vim Romano Pontifici in illa sede competere. Nimis indignum, inquiunt, vt quæ sub progenitoribus nostris semper extitit libera; ad nostræ confusionis opprobrium nunc alteri (quod absit) ecclesiæ sit subiecta. Postremo tumultuantium clamor attollitur, ex diuersis partibus ad Episcopale palatium conuenitur: dein tintinnabula perstrepunt, prægrandis æreæ tubæ, quæ illic est, tota ciuitas clangoribus intonatur. Intentabant mihi (vt ita loquar) omnia mortem, & vt ab amicis meis mihi sæpe suggestum est, nonnulli meum sanguinem sitiebant. Augebatur autem huius ignis incendium hoc permaxime, quia congregatis quasi ad Synodum totius Ambrosianæ parochiæ clericis; ego in medio residens, siue potius præsidens, reuerentissimum Mediolanensem Archiepiscopum ad sinistram; prudentia quoque ac sanctitate conspicuum Anselmum Lucensem Episcopum posuisse mihi accusabar ad dexteram. Hinc porro quanta a frementi populo dici potuerunt, non est necesse apicibus tradi, quod nimirum per se valet intelligi. Vt autem ad compendium veniam, ascendi pulpitum, ac sedato vix populo, huiusmodi sum verbis exorsus] quæ male sub titulo epistolæ Nicolai Papæ ad Mediolanenses recitata reperimus: [a]

TVRBAE MEDIOL. ECCLESIAE.

[a] c. omnes sine. dist. 22.

CONCIO PETRI DAM. AD MEDIOLANENSES.

Nouerit charitas vestra, dilectissimi, non me pro Romanæ Ecclesiæ huc honore venisse, sed vestram gloriam quærere, vel salutem, & gratiam, quæ in Christo est, cum eius auxilio, si permittitis, prouidere. Quo enim pacto honore indiget paruuli hominis, quæ laudes atque præconia ex ipsius ore sortita est Saluatoris? Quæ autem prouincia per omnia regna terrarum ab eius ditione extranea reperitur, cuius arbitrio ipsum quoque cælum ligatur, & soluitur? Omnis autem siue Patriarchatus cuiuslibet apicem, siue Metropoleon primatus, siue Episcopatuum cathedras, vel ecclesiarum cuiuscumque ordinis dignitates siue Rex, siue Imperator, siue cuiuslibet conditionis homo purus instituit, & prout voluntas, aut facultas erat, spiritualium sibi prærogatiuarum iura præfixit: Romanam autem Ecclesiam solus ille fundauit, & super [b] petram Fidei mox nascentis erexit, qui beato vitæ æternæ Clauigero, terreni simul & cælestis imperij iura commisit. Non ergo quælibet terrena sententia, sed illud Verbum, per quod constructum est cælum & terra, per quod denique omnia condita sunt elementa, Romanam fundauit Ecclesiam. illius certe priuilegio fungitur, illius auctoritate fulcitur. Vnde non dubium, quia quisquis cuilibet ecclesiæ ius suum detrahit, iniustitiam facit: qui autem Romanæ Ecclesiæ priuilegium ab ipso summo omnium ecclesiarum capite traditum auferre conatur; hic procul dubio in hæresim labitur: & cum ille notatur iniustus; hic est dicendus hæreticus. Fidem quippe violat, qui aduersus illam agit, quæ mater est Fidei; & illi contumax inuenitur, qui eam cunctis ecclesijs prætulisse cognoscitur.

[b] Matth. 16.

PRIMORDIA ECCL. MEDIOL.

Vt autem, omissis alijs, ad id quod nunc agitur, veniamus: non debet ignorare sancta vestra deuotio, quia beati Apostolorum principes Petrus & Paulus sicut per suum sanguinem Romanam Ecclesiã consecrarunt: ita mox inter ipsa nascentis Fidei rudimenta hanc Mediolanensem ecclesiam per suos discipulos lucrati sunt Christo. Nazarius quippe martyr insignis (sicut scripturæ testantur) Petri auctoritate baptisma a Lino

eius

Universidad de Deusto
Biblioteca

eius successore suscepit: qui postmodum cum beato Celso in hac sancta vrbe martyrio coronatus est. Sancti vero martyres Prothasius atque Geruasius beatum Paulum Apostolum magistrum ac præceptorem habuisse noscuntur; sic beato Ambrosio & ipso testante: Isti sunt, inquit, qui monita pia secuti, respuentes prædia, & diuitias, secuti sunt Domini nostri vestigia. Sicut ergo Saluator noster binos ante faciem suam Discipulos misit; ita quodam modo vterque sanctus Apostolus ex magisterio suo in hanc vrbem prædicatores sanctæ Fidei geminos destinauit. Cum ergo vestræ salutis auctores ex Romanæ Ecclesiæ prodierint disciplina: consequens est iuxta æquitatis ordinem, vt Ecclesia Romana mater, Ambrosiana sit filia. Vt autem hic ordo inter vtramque, Ambrosianam videlicet, & Apostolicam Sedem non nouiter oriri, sed antiquitus obtinuisse non dubitetur: beatus Ambrosius, cum hanc Nicolaitarum sordem ad multorum fœtere perniciem in hac vrbe doleret, eamq. per se solus coercere non posset, Sedis Apostolicæ mox quæsiuit auxilium. Cum videlicet is, qui tunc præerat, Papa Siricius tres personas, presbyterum, diaconum, & subdiaconum ad correctionem vlciscendi huius sceleris destinauit. Cum his itaque beatissimus pontifex, quos corrigere non potuit, velut scatentem vermibus sentinam ex vrbis huius sagena proiecit. Vnde & ipse sanctus Ambrosius in omnibus sequi se magistram Romanam profitetur Ecclesiam. Scrutamini itaque scripturas vestras, & per quos vultis, diligenter inquirite; & si non potestis apud vosmetipsos inuenire, quod loquimur, mendacij redarguite: si autem potestis, nolite veritati resistere, nolite matrem vestram crudeliter impugnare, sed ex cuius vberibus lac suxistis Apostolicæ Fidei, eius semper gaudete solidæ doctrinæ dapibus recreari.

His itaque rationibus de prærogatiua, & principatu Sedis Apostolicæ redditis, populus omnis beneuolus redditus, & executurum se quidquid ingererem, vnanimiter pollicetur. Tunc nimirum liquido persensi, in ecclesiasticis causis quantum Romanæ Ecclesiæ nosse priuilegium, valeat; quamq. hoc sanctitas tua non otiose deposcat. Quod vtique, Deo annuente, implere studebimus. Sed tamen huius rei gestæ prius ordinem digeramus. Quid multis moror? Adest clericorum perplurimus ille conuentus, communiter, & sigillatim quisque perterritus, vix e tanto numero quispiam promotus ad ordinem sine pretio reperitur. Erat enim genuinus, immo inordinatus ordo, & ineuasibilis regula illius ecclesiæ, vt quicumque ad quemlibet ordinem, vel etiam ad Episcopatum consecrandus accederet, præfixum prius absque vlla controuersia canonem daret. Hic plane quot curis afflictus, quot sim cogitationum stimulis tædiatus; quot denique suspiria ex imis visceribus traxerim: fœcunda etiam lingua non explicat. Tam latæ siquidem diœcesis, tam nobilis vrbis omnes ecclesias sacris mysterijs profanare, quodammodo Christianæ religionis videbatur euersio. Sed & litigiosum erat indulgere paucis, cum fere omnium esset culpa communis; nec legitimum videbatur, diuersam in eos prodere sententiam, cum esset vna omnibus causa. Hoc etiam nostras augmentabat molestias, quia nisi qualemcumque diuisionis calculum causa ista susciperet, nisi cum magna hominum strage furentis populi iurgia non cessarent.

Tunc inter multas disceptationes processit in medium illa Innocentij Papæ sententia, ab antiquioribus inuenta: Quod a multis peccatur, inultum est. Illa quoque discretio ad memoriam rediit, qua sancti vsi sunt Pontifices, & authentici canonum conditores de Donatistis, Nouatianis, ac reliquis, qui apud diuersas hæreses ordinati sunt. Item etiam nos non præterijt, quod vestra memoria Nonus Leo Papa plerosque simoniacos, & male promotos tamquam nouiter ordinauit] quomodo hoc, suo loco superius dictum est. Recitat hic Petrus sancita Patrum ad hæc spectantia, atque demum subijcit ista: In arcto itaque positi, quia non poteramus mala illius ecclesiæ mera canonum auctoritate corrigere: studuimus saltem peruersis eius vsibus finem imponere, ac gratuitum promotionis ordinem futuris temporibus prouidere. Exegimus igitur ex tunc & deinceps gratuitæ promotionis inuiolabilem sponsionem, prius per monimenta litterarum, deinde per manum, postremo per Euangelicum sacramentum. & quidem sponsio stylo digesta, vt apud nos habetur, hic simpliciter transcribatur.

CONSVLITVR EN FVTVRVM.

SPONSIO ARCHIEPISCOPI MEDIOLANEN.

Guido diuina gratia Mediolanensis ecclesiæ Archiepiscopus omnibus Christifidelibus

bus eiusdem ecclesiæ filijs Clero & populo æternam salutem in Domino.

Non ignorat sancta deuotio vestra, dilectissimi fratres, & filij, quam reprobæ, quam detestabilis, Deo odibilis, ignominiosa, atque peruersa, omniumq. sanctorum canonum auctoritate damnata consuetudo in hac sancta ecclesia, cui Deo auctore, deseruio, antiquitus inoleuit, quamq. lethalis atque pestiferæ lepræ animas innocentium contaminatione perfuderit simoniacæ videlicet hæresis damnata, semperq. damnanda venalitas, & pernicioſa negotiatio huiusmodi quæ in hac sancta ecclesia consuetudinaliter obtinebat, vt quisquis ad clericales ordines prouehendus accederet, de subdiaconatu quidem duodecim nummos, de diaconatu vero decem & octo, postremo de presbyteratu suscipiendo vigintiquatuor, quasi per præfixam conditionis regulam daret. Hoc itaque modo Simon magus, heu proh dolor! hanc sanctam Ambrosianam ecclesiam peruersitatis suæ velut officinam fecerat. Follem, malleos, & incudem trapezita ac monetarius iniquitatis habebat: nihilq. aliud nisi animarum omnium omne periculum fabricabat. Nostris vero temporibus quia Saluator noster pius ac misericors plebem suam, quam pio cruore redemerat, sub hac mortiferi languoris atrocia perire condoluit, velut ad obuiandum, ac viriliter obsistendum voraci ac virulento draconi, vestros animos, visitante Spiritus sancti gratia, concorditer incitauit: ita vt quibusdam ex nostris Sedem Apostolicam adeuntibus, tantum huius terræ periculum sanctus ac Deo dignus Nicolaus Papa cognosceret, atque ad compescendum, & funditus extirpandum hoc facinus dominum Ostiensem Petrum Episcopum destinaret.

Quapropter, dilectissimi fratres, in conspectu Dei omnipotentis, & Filij eius IESV Christi, qui iudicaturus est viuos & mortuos, & Spiritus sancti, qui hanc pestem specialiter damnat, ac destruit, sub testimonio omnium Angelorum, cunctorumq. Sanctorum Dei, præsente iam dicto domno Petro Episcopo, & etiam venerando domno Anselmo Lucensi Episcopo, & omnibus vobis, damno, detestor, ac reprobam iudico hanc peruersam, quæ hactenus viguit in hac ecclesia, negotiandi consuetudinem, omnemq. simoniacam hæresim. Insuper obligo non solum me, sed & omnes clericos meos, qui nunc sunt, omnesq. successores nostros, & inuiolabili modo firmissimæ promissionis astringo, vt nec ego, nec quisquam successor meus, nec Inquisitor, nec * Todolanus, nec aliquis huiusmodi de promouendis ad ecclesiasticos ordines aliquid tollat. Quod si, suadente diabolo, siue aliquis nostrum, qui nunc sumus, siue successorum nostrorum, qui post nos futuri sunt, huius saluberrimæ promissionis violator extiterit, & aliquid in conferendis ordinibus tollere pestifera negotiatione præsumpserit: dator simul & acceptor cum ipso hæresis huius auctore Simone, perpetuo anathematis vinculo constringantur, & a Dei omnipotentis, omniumq. Sanctorum consortio separentur, cum Iuda & Caipha, cum Dathan & Abiron sub æternæ damnationis atrocitate damnentur.

Nicolaitarum quoque hæresim nihilo minus condemnamus, & non modo presbyteros, sed & diaconos, & subdiaconos ab vxorum, vel concubinarum fœdo consortio, nostris studijs, in quantum possibilitas nobis fuerit, sub eodem quo supra, testimonio arcendos esse promittimus. Quod vt verius credatur, nos cum nostris clericis propria manu subscribēdo firmamus, sigilli quoque nostri formam imprimi iubemus. Insuper hoc addentes, ac sub eiusdem sponsionis vinculo inuiolabiliter promittentes, vt nec de Abbatijs ordinandis, nec de Capellis, vel quibuslibet ecclesijs inuestiendis, vel ordinandis, siue tradendis, nec de Episcopis promouendis, nec de sacrosancto chrismate, nec de consecratione ecclesiarum vel nos, vel nostri familiares aliquid omnino tollamus. Spiritus sanctus, qui sanctorum charismatum auctor est, nos, nostrosq. successores ab omni vinculo præfatæ maledictionis eripiat: ita tamen, vt hanc saluberrimam Constitutionem perseueranter implere concedat, qui cum Patre, & Filio viuit in sæcula sæculorum. Amen.

Ego Dei gratia Guido Mediolanensis ecclesiæ Archiepiscopus hanc sponsionem a me factam firmaui, roboraui, atque subscripsi.
Odaldericus Vicedominus & presbyter subscripsi.
Fribertus presbyter subscripsi.
Arderatus presbyter subscripsi.

Aripran-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ariprandus indignus diaconus subscripsi. A
Ardericus diaconus subscripsi.
Ambrosius diaconus subscripsi.
Ago diaconus subscripsi.
Adam subdiaconus subscripsi.
Arnulphus subdiaconus subscripsi.
Eiprandus subdiaconus subscripsi.
Landulphus subdiaconus subscripsi.
Acto subdiaconus subscripsi. & alij subscripsere.

IVRAMENTVM ARCHIEPISC. MEDIOLAN.

Postmodum accedens idem Archiepiscopus ad sacrum altare, præsente domno Lucense, iurauit in manu mea, dicens: Si hæc de simoniaca, & Nicolaitarum hæresi delenda, & funditus destruenda fideliter non obseruauero: ab omnipotenti Deo & omB nibus Sanctis sim excommunicatus & anathematizatus, & ab omni Christianorum consortio efficiar alienus. Similiter & Vicedominus & Cancellarius eius, & omnes alij qui aderant clerici, manus suas in manus meas dederunt, & eadem excommunicationis & anathematis verba dixerunt. Deinde accessit Arnulphus nepos Archiepiscopi, honestus videlicet & prudens clericus, cuius vnam manum Archiepiscopus tenuit, alteram ipse super sanctum Euangelium posuit & iurauit, dicens: Dominus meus Archiepiscopus, qui hic est, ab hodie, & antea, & quod promisit de castitate clericorum, fideliter obseruabit. Insuper & numquam consecrabit alicuius ordinis clericum suæ diœcesis præter monachos, quem ante promotionem non faciat iurare, quod in hoc breuiculo scriptum est. sic me Deus adiuuet, & sancta ista Euangelia.

Breuiculus sacramenti eorum qui promouentur. C

Pro suscipiendis ecclesiasticis gradibus, siue per me, siue per submissam personam, siue per quodlibet ingenium nec dedi, nec promisi, nec per promissionem daturus sum aliquid. sic me Deus adiuuet, & ista sancta Euangelia.

POENITENTIA ARCHIEPISC.

Hoc facto, domnus Archiepiscopus ilico in pauimentum cum omni humilitate prosternitur, & iniungi sibi pœnitentiam pro venalitatis huius nefandæ commercio deprecatur: cuius videlicet sceleris licet in illa ecclesia non ipse primus extiterit auctor; non tamen, vt debuit, fuerat extirpator. Centum itaque annorum ipsi pœnitentiam indidi, redemptionemq. eius taxatam per vnumquemque annum pecuniæ quantitate præfixi. Mox maiorem ecclesiam simul ingressi, pulpitum ascendimus. Tunc coram copioso populo & Clero, clericum suum, tactis sacrosanctis Euangelijs, iurare feci, quod ipse Archiepiscopus, donec aduiuet, in quantum posset (recepta D bonorum suorum damnatione, si nollet) istas duas, Nicolaitarum videlicet, & simoniacam hæreses omni studio, totisq. viribus sincere ac fideliter extirpare contenderet: ita vt nec presbytero, nec diacono, nec subdiacono feminam cum gradu simul habere permitteret: a conferendis etiam ecclesiasticis sacramentis venalitatis omne commercium funditus prohiberet. Idipsum iusiurandum contra simoniacos & Nicolaitas permaxima pars populi non modo ciuilis, sed & suburbani iam dederat, quorum videlicet multitudo, vt fertur, numerum excedebat.

His ita gestis, consideratisq. sanctorum Patrum sententijs, quos superius memorauimus, aliorumque, quos studio breuitatis omisimus, visum est nobis, vt omnes illi clerici, accepta pœnitentia, inter Missarum solemnia reconciliarentur, ornamenta de manu Episcopi recipientes, sicut Fulbertum Episcopum supra notauimus dedisse E consilium: hoc tamen prius, quod infra scriptum est, ante sanctum altare legentes:

IVSIVRANDVM CLERICORVM.

Ego Arialdus dictus diaconus de Capella Mediolanensis Archiepiscopi, hac scriptura, quam manu mea scripsi, profiteor me eam fidem tenere, quam sacrosancta septem Concilia Euangelica & Apostolica auctoritate firmarunt, & quam beatissimi Pontifices Romani promulgata prædicatione lucidissimæ veritatis, expossuerunt. Anathematizo quoque generaliter omnes hæreses, extollentes se aduersus sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam: specialiter vero ac nominatim Simoniacam hæresim, quæ in ipsam Ecclesiam conatur introducere sacrorum ordinum, siue officiorum maledictam venalitatem; deinde Nicolaitarum æque abominabilem hæresim, quæ impudenter latrat, sacri altaris ministros debere vel posse licenter vti coniugibus, quomodo & laicos. Vnde quia his diebus hæ duæ hæreses, scilicet simoniacorum & Nico-

A Nicolaitarum grauius Ecclesiam Dei vexant, & impugnant: simoniacos omnes, & Nicolaitas cum dogmatum auctoribus, sectatoribusq. suis æterno anathemate dignos esse pronuntio, iurans per sanctam homousion Trinitatem.

POENITENTIA CLERICORVM.

Pœnitentia clericorum talis est: Hi nimirum, qui solum constitutæ a diabolo regulæ canonem dederunt; ita vt nonnulli eorum vix peccatum hoc esse cognoscerent, quinque annorum pœnitentiam acceperunt, hoc modo, vt omni tempore, æstate simul & hieme duos dies ieiunent in pane & aqua: duabus autem anni Quadragesimis, Natalem videlicet, & sanctum Pascha præcedentibus, tres dies per hebdomadam ieiunent in pane & aqua. Eorum autem, qui plus dederunt, septem annorum est pœnitentia, sub eadem videlicet ieiunij quantitate distincta. post quod septennium, quamdiu vixerint, sextam feriam ieiunabunt. Qui autem ieiunare facile non potest,
B vnum ex his diem per omnem hebdomadam redimere licentiam habet, ita vt vnum Psalterium meditetur, aut medium cum quinquaginta * metanœis, aut vnum pauperem pascat, & lotis pedibus, nummum porrigat. Hoc insuper domno Archiepiscopo permittente, quod omnes orationis causa procul ipse diriget, siue videlicet Romam, siue Turonum: ipse autem Archiepiscopus profecturum se ad beati Iacobi venerabilem tumulum, qui est in Hispania, disponebat. His itaque tali modo reconciliatis, decretum est, vt non mox passim omnibus redderetur officium, sed his dumtaxat, qui & litteris eruditi, & casti, & morum grauitate viderentur honesti: ceteris autem sufficeret, quod sanctæ Ecclesiæ per diuinam gratiam essent rursum inserti, a qua eatenus fuerant diræ sententiæ falce præcisi. Illi etiam ipsi, quibus ministrandi licentia redditur, non ex male mercata veteri ordinatione ad missum reparantur officium;
C sed ex illa potius beati Apostolorum Principis efficacissima auctoritate, qua in beatũ Apollinarem repente vsus est, dicens: Surge, accipe Spiritum sanctum, simulq. pontificatum.

* pœnitentijs.

PETRVS LEGATVS SVA SVBLICIT IVDICIO APOST. SEDIS.

Ecce omnem discretionis illius ordinem apud Mediolanensem ecclesiam habitum, breuiter exposuimus: adhuc tamen vtrum Sedis Apostolicæ iudicio placeat, ignoramus. Nos enim, si quid erraiimus, ad Petri magisterium corrigendi libenter accedimus, & retractationis opprobrium non veremur. Hæc est enim illa (vt ita loquamur) officina fabrilis, cui nimirum is, qui fabri dicebatur filius, præsidet; ad cuius regulam omnis merito moneta reducitur: ad cuius rectitudinis lineam, quidquid vspiam deprauatum fuerit, reformatur. Vtrum autem ego in reconciliatione illorum errauerim, nescio. Vnum autem per omnipotentis Dei clementiam spero, quia post tot iuD rationis genera, quibus Archiepiscopus hæc pia iussa firmauit, post sacramenta tam multiplicis populi per Euangelium data, post iuramenta certa omnium clericorum ante sanctum altare, litteris, & proprio ore prolata, vtræque istæ hæreses sic in illa ecclesia sunt per argumenta prouidæ correctionis attritæ, vt auctore Deo, nostris temporibus non sint ad rediuiua certamina reparandæ. Apostolica tamen Sedes hæc apud se tractanda discutiat, & vtrum puncto, an lima digna sint, ex auctoritatis suæ censura discernat] hæc ad Hildebrandum Archidiaconum Petrus Damiani Cardinalis Ostiensis. Post hæc in eodem codice posita sequitur eiusdem Petri epistola ad clericos illos Mediolanenses, qui aduersus pullulantes iterum succisos surculos, vt penitus eos extinguerent, laborabant. incipit epistola: Omnipotenti Deo gratias agimus, dilectissimi &c.]

DE MVNERE ACCEPTO PETRI POENITENTIA.

E Sed his plane attexenda ducimus, vt memoria digna, quæ idem Petrus de seipso, & contra seipsum scribit ad Dominicum & alios eremi accolas, nimirum de accepto munere Mediolani ab Abbate S. Simpliciani, cum in seipso fuerit eiusmodi factum detestatus, & vltor implacabilis non quieuerit, donec tandem illud ipsum largitori inuito & renitenti reddiderit. exemplum dignum tanto Sedis Apostolicæ Cardinali sic se habet: Dico vobis quid mihi nuper acciderit. Mediolanensem vrbem, domini Nicolai Papæ legatione functus, adiui. ibi dum essem, Abbas S. Simpliciani vasculum mihi argenteum loco muneris misit. Quod dum oblatum repente vidissem, primo quidem aspernatus abhorrui, & cur ille mihi munus offerret, subtiliter inquisiui. Suspicatus quippe sum, quod negotium fortassis haberet, atque ideo anticipando præueniens, muneribus occuparet. Mos quippe est apud nos, ministris videlicet Apostolicæ Sedis, ab his, quorum negotium pendet, nihil prorsus accipere; ab his autem, qui omnino quieti sunt,

Universidad de Deusto
Biblioteca

si dare voluerint, non abijcere. & hæc regula non omnium nostrum, sed illorum dumtaxat est, qui meliuscule se ab auiditate custodiunt. quid plura? Conuenitur ad commune colloquium: cur donum sit largitus inquiritur: vtrum causam habeat, scisciatur. Vndique quietus, ex omni parte reperitur securus; ita vt re ipsa respondere videretur: [a] In medio populi mei habito. Adhuc tamen quæsiui, vtrũ dum ad ecclesiasticos ordines ascenderet, siue cum monasterij regimen accepisset, venalitatis forte commercium irrepsisse cognosceret: cumq. hæc omnia funditus abnegasset ille; & non pro talibus se dedisse munus astrueret, sed ob hoc solum, vt in nostram amicitiam aditum reperiret: respondi, vt, quod suum est, tollens, amicitiam nostram non more sæcularium mercede redimeret, sed quod inter fratres est legitimũ, gratuito possideret. A

a 4. Reg. 4.

Inter hæc tamen (vt vobis in aure loquar) mens mea talis erat, vt postquam etiam districte requirens, nihil in eo noxium reperi; si ille mihi ad ingerendum munus importunus existeret, eius violentia mihi nullatenus displiceret. Volebam siquidem vim mihi fieri, & velut inuitus ad vota compelli. Cumq. ille ad recipiendum quod semel dederat, se prorsus auerteret, & ne aurem quidem petitionibus inclinaret: ego iam securus & audacior factus, vt sua reciperet, ingerebam. interea dies elabitur: Cumq. peculiaribus Psalmis nocturnus meditator insisterem, cœpit me conscientia acrius remordere, & quasi sub quodam ratiocinio conuenire: Si ille, vt videtur, bonus est vir, tu innocenti homini suam voluisti pecuniam tollere, cum illi Capitulum non obsistat, in quo tuum sit necesse auxilium expectare. Porro si negotium habet, indignum est & sancto fratri linguam tuam venalem facere, quæ tamquam vtriusque communis, sibi quoque debet, vt tibi, gratuito ministrare. Cumq. hæc aduersum me pugna perseueranter ingrueret, iamq. ego clamorem cogitationum remordentium non perferrem; recedente crepusculo, mox ad hominem properans, indicaui, eiq. tabescentis conscientiæ vulnus aperui. Cumq. vtriusque nostrum hinc iam verba confligerent; & ille, quod semel dederat, non recipere, ego me assererem non tenere: tandem amicæ contentioni hunc terminum posui: Duo, inquam, mihi sunt noua monasteria, vnum ad calcem iam, Deo auxiliante, perduxi; alterum vero * nec dudum Episcopali benedictione firmatum. Sanctorum itaque locorum si placet, participium suscipe, atque vt tibi libet, quod animæ tuæ proficere debeat, munus transmitte pro benedictione. hoc igitur argumento cupiditatis meæ turpitudinem palliaui, & tamquam non accipiens, astutus accepi. B C

* iam

Postmodum vero ad eremum rediens, cellam quidem festinus intraui, sed me ipsum intrare vix potui; & qui extra me inordinate sum fusus, iusto iudicio in me sum (vt ita loquar) satis difficulter ingressus. Inter cetera vero tanta animum meum illius muneris caligo confudit, & tamquam vermis scatens mea corrodere viscera non cessauit, vt teste conscientia, mallem me lepra percussum, quam illo munere sauciatum. Attendebam illius tantum fratris liberalitatem, qui nihil mihi debebat, & obtulit: hinc meam auaritiam, quæ, quod per officium non merebatur, accepit. Tædebat me tunc oblitum, quod per virum sapientem dicitur: [b] Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta. Et cum iuxta [c] Apostolum beatius sit magis dare, quam accipere; illum beatum, me miserum reputabam. Heu me, inquam, cum a suscipiendis muneribus excutiendam manum Scriptura præcipiat: quomodo tu manum excutis vt abijcias, quam potius incutis vt accipias, stringis vt rapias, retrahis, vt possidenda recondas? Etenim auaritia in manu accipientis viscus est, quæ, quidquid apponitur, excuti non permittit, sed more picis hærere compellit. Quid ergo? rixam mentis meæ vltra non perferens, sancto fratri munus suum remittere studui. deinde, auxiliante Deo, contra sordes munerum iam cautius vigilabo &c.] Ita vnum hoc sauciatæ conscientiæ suæ medicamentum, vt redderet acceptum, inuenit. D E

b Eccl. 4.
c Act. 20.

EPIST. PETRI POST REDITVM AD VIDONEM ARCHIEPISC. MEDIOLAN.

At nec illud vitare potuit Petrus, quin ab Archiepiscopo Guidone allatas acceperit binas stolas, licet illata ab alijs diuersis diuersa munera reiecisset; sed mox vbi reuersus, percussus aculeo conscientiæ, hanc ad eum breuem scripsit epistolam:

Domno Guidoni reuerentissimo Archiepiscopo Petrus peccator monachus deuotissimæ seruitutis obsequium.

Nouerit sanctitas vestra, venerabilis pater, quia me nimis pœnituit, atque (vt ita loquar)

A loquar) cor meum valde percussit in eo, quod liberalitati vestræ tam largæ, tamq. munificæ non peperci. ad instar enim futuræ resurrectionis, binis me stolis induere decreuistis. Ego autem vestra oppressus auctoritate nihil restiti, non manum retraxi, sed seruorum Dei genuini rigoris oblitus, facile cuncta susc epi. Quod plane cum recolo, conscientia mordente redarguor, rubore perfundor; sicq. sub proprijs, tamquam sub alienis reprehensionibus erubesco. neque hoc frustra. Si enim Dauid [a] cor suum (Scriptura teste) percussit, quia dumtaxat oram chlamydis Saul silenter abscidit; quid ego, qui non vestis particulam cultro, sed etiam pretiosas a domino vestes extorsi, & sub non impendendæ, sed percipiendæ charitatis obtentu, dum me indui, alium spoliaui? Qui profecto si vere sacerdos essem, iustitia magis indui, quam textilibus ornamentis ambirem.

a 1. Reg. 24.

B Inter hæc tamen, dum tribunalibus meæ mentis examinandus assisto, meq. ipse districta prorsus animaduersione discutio: hoc mihi defensionis est, & pro me stat, quia nonnulla mihi tum temporis munera sunt oblata, quæ tamẽ apud nos surreptionis aditu non reperto, ad eos, qui miserant, sub omni sunt celeritate remissa. Vnde possum forte colligere, quia charitas, quæ dominum meum, vt benedictionem conferret, admonuit, eadem in seruo suo, vt collatam susciperet, acquieuit. Sed dum beneficij vestri recolimus modum, ad illud Zachariæ [b] mens redit oraculum: Erat, inquit, Iesus indutus vestibus sordidis, & stabat ante faciem Angeli. Qui respondit, & ait ad eos, qui stabant coram se, dicens: Auferte vestimenta sordida ab eo, deinde (vt Scriptura prosequitur) indutus est mutatorijs. Felix ille dies, in quo vestium ista permutatio celebrabitur, & corpus IESV, quod est Ecclesia, omni luctus atque tristitiæ squalore deposito, beatæ immortalitatis gloria vestietur, sicut in illo dedicationis Psalmo iam gratulabunda præcinit, dicens: [c] Commutasti planctum meum in gaudium mihi: concidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia, vt cantem tibi gloriam. sed cui ego de talibus loquor? Sufficit mihi tamen modo dicere, quia tu, venerabilis pater, Angelus Domini mihi factus es, qui pro amore IESV mihi sordida detrahens, eumdem ipsum me infulis sacerdotalibus adornasti. Quibus tamen ego muneribus non prorsus ingratus, hanc vicissitudinem compensaui, vt in pluribus non tantum nostris, sed & extraneis atque longinquis & eremis, & monasterijs vestrum nomen adscriberem, Fratrumq. vos orationibus humili deuotionis studio commendarem] Hæc Petrus, in eremum iam reuersus, qui ex quo se abdicarat ab Episcopatu Ostiensi, & Cardinalatu sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ad præstitutum regressus est habitum, atque titulum, vt non se amplius Episcopum, sed tantum monachum nominaret. nec ea functione legationis passus est foris splendoribus illustrari, cui erat omnis gloria eius ab intus; vt posteris esset exemplo, ex virtutibus magis, quam ex fulgore vestium, & comitantium pompa legationes ad præstandum quod quæritur, vires acquirere. Scimus prædecessori Nicolai Stephano Papæ tribui vnionem ecclesiæ Mediolanensis cum Romana: verum quantum ex recitata relatione Petri assequi licet, ex tumultuantibus Mediolanensibus, eos nondum conciliatos fuisse Ecclesiæ Romanæ, possumus existimare. C D

b Zach. 3.
c Psal. 29.

Iam vero ad ipsum Nicolaum Pontificem redeamus, eiusq. vestigia assectemur, quem post celebratum Romæ Concilium in Apuliam esse profectum, & Northmannos fideles Ecclesiæ Romanæ redditos conciliasse, [d] Leo Ostiensis testatur. Porro profectio ista Pontificis in Apuliam qua occasione contigerit, vetus historia Romanorum Pontificum, quam Nicolaus Aragonius Cardinalis in lucem prodidit, ita insinuat: Northmanni ad præsentiam eiusdem Præsulis Nuntios transmiserunt, rogantes, vt in Apuliam descenderet, & satisfactione suscepta, eos Ecclesiæ reconciliare paterna charitate deberet. Quibus verbis auditis, post deliberationem Concilij Pontifex ab Vrbe Roma exiuit, & in partes Apuliæ venit. Accedentes igitur Northmannos ad præsentiam, & restitutis omnibus terris beati Petri, quas abstulerant, in libera potestate summi Pontificis, a vinculo excommunicationis absoluit, & in gratiam Sedis Apostolicæ paterne recepit. Quia vero potentia & vires eorum tunc temporis in Vrbe Romana magnates ceteros superabant, & in causis Ecclesiæ contra illos, qui Apostolicæ Sedis iura violenter occupauerant, Romano Pontifici magnum solatium, & opportunum auxilium manu valida poterant exhibere: omnino fidelitate ab eis suscepta, præter E

d Leo Ost. lib. 3 cap. 12.

LEGATIO NORTHMANNORVM AD NICOLAVM PAP.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Beneuentum,totam Apuliam & Calabriam eis conceſſit] hæc ibi. Porro tunc his de rebus Concilium fuiſſe Malphiæ ab eodem celebratum, Leo Oſtienſis ſic narrat: Poſt feſtum Vrbe egrediens,Malphiam, vnam Apuliæ adijt vrbem, vbi tunc idem Apoſtolicus Concilium celebrare decreuerat. In qua etiam Synodo dum Richardus Capuanus Princeps cum alijs pluribus interfuiſſet,a ſupradicto Pontifice admonitus, monaſterium ſanctæ Mariæ in Calena cum pertinentijs ſuis beato Benedicto per ſcriptum ſolemniter obtulit] Hæc Leo, intentus potius rebus Caſſinenſibus, quas enarrandas ex inſtituto ſuſceperat; adeo vt res pontificias non niſi per occaſionem attigerit. qui & inferius, quomodo idem Pontifex tranſegerit cum Northmannis, hæc ait: [a] Per hos etiam dies *Nicolaus Papa* & Richardo Capuanum principatum, & Roberto *Guiſcardo ſcilicet*, Apuliæ, Calabriæ, atque Siciliæ Ducatum confirmauit, accepta prius ab eis cum ſacramento Romanæ Eccleſiæ fidelitate, cenſuq. quotannis per iugaboum ſingula denarijs duodecim] hæc Leo.

CONCILIVM MALPHIAE.

[a] *Leo Oſt. lib. 3. cap. 15.*

SICILIA ETIAM DATA ROBERTO.

Extat adhuc eiuſdem Roberti iuramentum iteratum, deſcriptum in Vaticano codice, qui inſcribitur Liber cenſuum &c.] quod hic tibi vt monimentum egregium deſcribendum putauimus. ſic enim ſe habet:

IVRAMENTVM DE SOLVENDO CANONE.

Ego Robertus Dei gratia & ſancti Petri Dux Apuliæ,& Calabriæ,& vtroque ſubueniente, futurus Siciliæ, ad confirmationē traditionis, & ad recognitionem fidelitatis, de omni terra,quā ego proprie ſub dominio meo teneo,& quā adhuc vlli Vltramontanorum vmquā conceſſi vt teneat: promitto me annualiter pro vnoquoque iugo boum penſionē ſcilicet duodecim denarios Papienſis monetæ perſoluturum beato Petro, & tibi domino meo Nicolao Papæ, & omnibus ſucceſſoribus tuis, aut tuis, aut tuorum ſucceſſorum Nuntijs. Huius autem penſionariæ redditionis erit ſemper terminus, finito vere anno, ſanctæ Reſurrectionis die Dominico. Sub hac conditione huius perſoluendæ penſionis obligo me, & omnes meos, ſiue heredes, ſiue ſucceſſores tibi domino meo Nicolao Papæ, & ſucceſſoribus tuis. ſic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Euangelia] Huic iuramento aliud additum eſt,quod Fidelitatis nominari conſueuit, illudq. eidem Nicolao Pontifici idem Robertus Guiſcardus ſic exhibuit:

IVRAMENTVM FIDELITATIS ROBERTI GVISCARDI.

Ego Robertus Dei gratia & ſancti Petri Dux Apuliæ, & Calabriæ, & vtroque ſubueniente, futurus Siciliæ, ab hac hora & deinceps ero fidelis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & tibi domino meo Nicolao Papæ. In conſilio, vel in facto: vnde vitam, aut membrum perdas, aut captus ſis mala captione, non ero. Conſilium quod mihi credideris, & contradices, ne illud manifeſtem, non manifeſtabo ad tuum damnum, me ſciente. Sanctæ Romanæ Eccleſiæ vbique adiutor ero ad tenendū, & ad acquirendum regalia ſancti Petri, eiuſq. poſſeſſiones, pro meo poſſe, contra omnes homines; & adiuuabo te, vt ſecure & honorifice teneas Papatum Romanum, terramq. ſancti Petri, & principatum: nec inuadere, nec acquirere quæram, nec etiam deprædari præſumam abſque tua, tuorumq. ſucceſſorum, qui ad honorem ſancti Petri intrauerint, certa licentia, præter illam, quam tu mihi concedes, vel tui conceſſuri ſunt ſucceſſores. Penſionem de terra ſancti Petri, quam ego teneo, aut tenebo, ſicut ſtatutum eſt, recta fide ſtudebo vt illam annualiter Romana habeat Eccleſia. Omnes quoque eccleſias, quæ in mea perſiſtunt dominatione, cum earum poſſeſſionibus dimittam in tua poteſtate. Et defenſor ero illarum ad fidelitatem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ. Et ſi tu, vel tui ſucceſſores ante me ex hac vita migraueritis, ſecundum quod monitus fuero a melioribus Cardinalibus, clericis Romanis, & laicis, adiuuabo vt Papa eligatur, & ordinetur ad honorem ſancti Petri. Hæc omnia ſupraſcripta obſeruabo ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & tibi, cum recta fide, & hanc fidelitatem obſeruabo tuis ſucceſſoribus, ad honorem ſancti Petri ordinatis, qui mihi firmauerint inueſtituram, a te mihi conceſſam. ſic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Euangelia] hactenus Fidelitatis iuramentum. Sed illud in vtroque mirum, quod ſecundum appoſita verba illa, Et vtroque interueniente, Deo, atque ſancto Petro videlicet, futurus Siciliæ Dux] res accidit, vt præuia pietate, ipſe magna ex parte ſit potitus Sicilia, vt idem qui ſupra, eius temporis ſcriptor Leo Oſtienſis teſtatur.

In hoc eodem Concilio in Apulia celebrato depoſitum throno fuiſſe Tranenſem Epiſcopum, quem puto illum, quem conniuentem cum Græcis ſuperius vidimus, ex Petro Damiani conſtat: qui de ipſo in epiſtola ad ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales hæc

A les hæc obiter habet: Numquam certe vidiſſe me memini pontificales baculos tam continuo radiantis metalli nitore contectos, ſicut erant, qui ab Eſculano atque Tranenſi geſtabantur Epiſcopis: vterque tamen, alter in Apulis finibus,Nicolao præſidente, alter in Lateranenſi eccleſia coram Alexandro Papa, Romanis ſcilicet Pontificibus, ſunt delecti; nec eis profuit, quod pontifices lignei auratis vſi ſint baculis, dum ſacerdotij meritum non nitor efficiat veſtium, ſed ſpiritualium norma virtutum] hæc Petrus.

NICOLAVS VINDICAT A TYRANNIS ROM. ECCLES.

At quid poſt hæc Nicolaus? Cum adeo indigna paſſi eſſent prædeceſſores Romani Pontifices a Comitibus Tuſculanis, & alijs Comitibus diuerſorum vicinorum oppidorum Romæ degentibus, a quibus tot ſæpe ſunt intruſi Pontifices, immo eleuata monſtra ad Sedem Apoſtolicam occupandam; & adhuc recentia eſſent vulnera
B ſacroſanctæ Apoſtolicæ Sedi per eoſdem Romanam Eccleſiam inuadentes; & quod nuper accidiſſet Anglo Comiti & Archiepiſcopo Eboracenſi per Gerardum Comitem Galeriæ, in itinere tanta ignominia, atque ſcandalo ſpoliatis: Nicolaus Pontifex non abſque nutu Dei conſilium inijt, eiuſmodi nefarios homines, eorumq. loca munita manu euertere potentiori. quod egregie per Northmannos, quos ſecum ex Apulia duxit, perficiendum curauit, Deo in omnibus feliciter patrocinante. rem tanti ponderis ſic breuiter ex antiquis Actis Romanorum Pontificum idem qui ſupra Nicolaus Aragonius Cardinalis enarrat:

Poſt hæc autem ordinatis & diſpoſitis omnibus, quæ ad Beneuentanum patrimonium pertinebant, Nicolaus Papa reuerſus eſt Romam. Northmanni ad ipſius commonitionem collecto exercitu ſubſecuti ſunt eius veſtigia. Et tranſeuntes Campaniam,
C Prænestinorum, Tuſculanorum, & Nomentanorum terras hoſtiliter inuadentes, eis tamquam contumacibus,& a domino ſuo,nempe Pontifice rebellantibus,damna grauiſſima intulerunt. Deinde fluuium Tiberis cum immenſa militia, & fortitudine armatorum peditum,& ſagittariorum copioſa multitudine tranſeuntes, Galeriam,& vniuerſa Comitis Gerardi caſtella vſque ad Sutrium deuaſtarunt. Poſt multa denique damna, & expoliationes, Capitaneorum ceruicoſitate valde deſtructa, redire ad mandatum, & ſubiectionem domni Pontificis coacti ſunt, liberata Vrbe ab eorum tyrannide,& in ſuum ſtatum Eccleſia reſtituta] hæc ibi. diuinum plane conſilium. Nam poſthac aliquamdiu non ſunt auditæ adeo frequentes illæ tyrannicæ inuaſiones,quas a Comitibus Tuſculanis Romana Eccleſia tanto cum dedecore pati conſueuerat.

COMPRESSI TYRANNI, ET DEMOLITA PRAESIDIA.

CONCILIVM PARISIENSE.

Eodem anno celebratum eſt Concilium Pariſienſe, vbi conuenientibus Galliarum
D Epiſcopis vigintiduobus, ſimulq. Principibus,Henricus Francorum Rex filium ſuum Philippum impuberem Regem conſtituit, atque ſolemni ritu coronandum curauit: cuius Acta ex antiquis monimentis eruta Papirius Maſſonus ita in ſuos Annales intulit, ex Rhemenſi eccleſia accepta, quæ ſic ſe habent:

*MLIX.

Anno milleſimo* ſexageſimo, Indictione xij. Henrico regnante trigeſimoſecundo, & quarto Kal. Iunij in die Pentecoſtes, Philippus Rex hoc ordine in maiori eccleſia ante altare ſanctæ Mariæ, a venerabili Archiepiſcopo *Rhemenſi* conſecratus eſt. Inchoata Miſſa, antequam Epiſtola legeretur, dominus Archiepiſcopus vertit ſe ad eum, & expoſuit ei Fidem Catholicam, ſciſcitans ab eo, vtrum hanc crederet, & defendere vellet. Quo annuente, delata eſt eius profeſſio, quam accipiens ipſe legit, dum adhuc ſeptennis eſſet, eiq. ſubſcripſit. erat autem profeſſio eius hæc:

PHILIPPVS FRANCORVM REX VNGITVR.

E Ego Philippus, Deo propitiante, mox futurus Rex Francorum, in die ordinationis meæ promitto coram Deo & Sanctis eius, quod vnicuique de vobis mihi commiſſis canonicum priuilegium, & debitam legem, atque iuſtitiam conſeruabo, defenſionem adiuuante Domino, quantum potero, exhibebo, ſicut Rex in ſuo regno vnicuique Epiſcopo & eccleſiæ ſibi commiſſæ per rectum exhibere debet: Populo quoque vobis credito me diſpenſationem legum in ſuo iure conſiſtentem noſtra auctoritate conceſſurum. Qua perlecta, poſuit eam in manus Archiepiſcopi. Deinde accipiens Archiepiſcopus baculum ſancti Remigij, diſſeruit quiete & pacifice, quomodo ad eum pertineret electio Regis, & conſecratio, ex quo ſanctus Remigius Ludouicum baptizauit & conſecrauit. Diſſeruit etiam, quomodo per illum baculum hanc conſecrandi poteſtatem, & totum Galliæ principatum Hormiſdas Papa ſancto dederit Remigio, & quomodo Victor Papa ſibi & eccleſiæ ſuæ conceſſerit. Tunc an-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nuente patre ipsius Henrico, elegit eum in Regem post eum] hæc ibi de initiatione A
Philippi Regis.

Quod autem hic de Victore Papa vna cum Hormisda mentionem haberi vides, sic accipias, quod ipse Rhemensis Archiepiscopus tempore Victoris electus, ab eo accipiens pallium, eamdem ex more consecrandi Regem acceperit potestatem. fuit hic Vuillelmus nomine, de quo superius. Cæterum quod ad tempus spectat, hoc potius anno quam sequenti hæc facta esse, cum numerus Indictionis significat, tum etiam Hermannus huius temporis scriptor firmiter asseuerat, sequenti vero defunctum esse Henricum, & filium solum regnare cœpisse. quod & Sigebertus affirmat, asserente auctore; qui ad Aimoinum affixit appendicem, hoc anno Redemptoris millesimo quinquagesimonono vnctum esse Regem Philippum, filium Henrici Regis, sequenti vero, nempe sexagesimo post millesimum mortuum ipsum Henricum B
parentem eius. quin etiam in fragmento historiæ Francorum ad Glabrum apposito, hoc pariter anno esse defunctum Henricum traditur. Porro defuncto ipso parente Henrico, Philippus tutorem accepit a patre relictum Balduinum Comitem Flandriæ, qui amitam eius habebat vxorem, qui pie sancteq. opus exegit, omni fide pupillo Regi regnum conseruauit atque defendit.

Porro ad hunc eumdem Rhemensem Archiepiscopum Nicolaus Papa epistolam scripsit, qua eum de nonnullis admonuit, valde instans, vt Henricum ipsum Francorum Regem adhuc superstitem ob quædam perperam facta corripiat. extat ipsa epistola edita a Papirio Massono, quo nomine ipsi bene precamur. sic enim se habet:

NICOLAI PAP. EPISTOLA AD RHEMENSEM, ARCH.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei Vuillelmo venerabili Archiepiscopo salutem cum benedictione Apostolica. C

Licet de vestra fraternitate quædam sinistra, nec sine discussione dimittenda peruenerint ad Apostolicam Sedem, scilicet quod eius inuasoribus fauerit, quod pontificales actus post posuerit; tamen quia testimonio personæ non leuis defendaris scilicet: potius de fidelitate sancti Petri laudaris. * Præmissa transimus, & vt verum sit de vobis testimonium, optamus. Vos autem omni conamine studete ita viuere, vt vestri non habeant inimici, vnde nos possint in vos contristare. Scitis enim quam benigna vobis fuerit communis mater sancta Romana Ecclesia, quamq. de te magna ei fiducia, vt tua solertia Francorum posset succurrere pene lapsæ Ecclesiæ. proinde agere studе, quod de te sperauit Apostolica Sedes. Et vestrum Regem gloriosum castiga, precare, admone, ne prauo nitatur pessimorum consilio, qui nostra discordia putant se Apostolicam censuram euadere, caueatq. sacris canonibus, immo beato Petro resistere, nosque, qui eum sicut pupillam volumus amare oculi, contra se mouere. Satis enim mirari potest, si pro aliquo stulto, sicut est, quem voluit ordinari, Matisconis Episcopus, vult Dominum & sanctum Petrum offendere, vestram charitatem atque sinceram dilectionem circa se parui pendere. An putat aliquis, membrum Antichristi, quod plus non possit ei prodesse gratia beati Petri, quam omnium impiorum perfida fidelitas? Agat itaque gloriosus Rex, vt libet, contra nos quamuis: pro illo ejusq. exercitu Deum semper precari parati simus. De Duce vero Godefrido nemo vos terreat, cum fuerit opus vos venire Romam: quia non tantum vobis impedimentum non faciet, sed etiam fideliter seruitium impendet. Salutant vos charissimi fratres nostri Cardinales Episcopi, necnon humilitas charissimi nostri filij Hildebrandi] hactenus Nicolaus ad Rhemensem Archiepiscopum. Ex quibus intelligas, Henricum Regem aduersantem Apostolicæ Sedi meruisse quam citius e medio tolli, & tribunali incorrupti Iudicis præsentari. D E

* Prætermissa.

NICOLAVS PAPA COHIBET BVRCHARDVM HALBERST. EPISC.

Eodem anno Nicolaus Papa Burchardum Halberstadensem Episcopum, inuadentem iura aliena, cohibuit. rem gestam Lambertus sic narrat: *Nicolaus Papa* eodem anno ab Abbate Meginhero interpellatus propter decimationes Saxoniæ, litteras & mandata direxit Burchardo Halberstadensi Episcopo, ne statutos Patrum terminos transgrederetur; neve monasterium Herueldense superfluis concertationibus inquietaret. Si pergeret molestus esse, necessario se Apostolicæ auctoritatis virga vsurum aduersus eius inobedientiam: præsertim cum monasterium illud sub iurisdictione esse Romani Pontificis, tot prædecessorum eius priuilegia testarentur. Abbati quoque epistolam scripsit verbis consolatorijs, quæ vsque in præsentiarum in Chartario seruatur Heruelden-

A ueldensis monasterij] sed quomodo demum, qui contempsit obedire, præcipienti Romano Pontifice, ipsum Deum est expertus seuerum vltorem, cum eius iudicium appellauit Abbas, idem auctor enarrat. qui & addit hoc eodem anno sexto Kal. Octobris defunctum esse ipsum Abbatem Meginherum vitæ sanctitate clarum, hoc tanto eius elogio dignum: Vir, inquit, magnarum in Christo virtutum, & vere (quod omnium modernorum Abbatum pace dixerim) vnicum sua ætate in Teutonicis regionibus recte ac monastice viuendi exemplar] subdit vero de eadem causa cum Halberstadensi Episcopo hæc memoratu digna:

Is (vt prædictum est) cum Burchardo Halberstadensi Episcopo diuturnam traxerat litem propter decimationes Saxoniæ, quas ille Herueldensi monastrio ereptas, per occasionem Episcopalis regiminis sibi vendicabat. Contra cuius improbitatem cum
B nec forenses, nec ecclesiasticæ leges quidquam valerent, & Abbas sæpe querimonia in ius delata surdis tribunalibus fabulam narrasset; tandem breui, antequam vita excederet, mandauit ei per Fridericum Palatinum Comitem, se quidem tamquam viribus imparem causa cadere; Deo tamen vires ad tuendam æquitatem non defuturas esse. proinde parati ambo essent, vt intra paucos dies ad tribunal æquissimi Iudicis Dei causam dicerent: victurum ibi esse, non qui plus posset, sed cuius causa iustior esset. nec fefellit euentus. Nam post dormitionem Abbatis pauci dies interceserant, & DIRA DEI VINDICTA IN HALBERST. EPISCOPVM.
ecce Episcopus, cum prædictæ rei gratia Synodum indixisset, & admoto iam equo illuc properare vellet, repente diuina animaduersione ictus corruit, reportatusq. ad cubiculum, adscitis ocyus presbyteris suis per Deum obtestabatur, vt decimationes suas Heruelдensi monasterio restituerent, atque omnem in perpetuum super hac re
C litem præciderent, scirentque, cunctis qui eadem tentassent, sic infeliciter rem cessuram, vt sibi cessisset, qui iniustæ exactionis tam acerbum vindicem ipsum experiretur Dominum. Cumq. Magdeburgensis & Hildenesheimensis Episcopi visitatum eum aduenissent, cum magno eiulatu fatebatur, se iuxta prædictum eximij Abbatis ad tribunal Dei iamiam abripi, & pro inuasis rebus alienis rationem exigi rogabatq. obnixe, vt missis Heruelдiam nuntijs, veniam sibi pro admisso supplices precarentur. Nec multo post diruptis miserabili genere morbi visceribus, expirauit. Vto quoque Archipresbyter eius, quo ille potissimum incentore in hanc sæuitiam inarserat, quiq. exactor atque administer hujus calumniæ vehementissimus extiterat, eodem anno subitanea morte, sine confessione, sine sacra communione interijt, a diabolo (vt fama vulgatior loquebatur) suffocatus] hæc Lambertus, qui his omnibus præsens aderat. Quod si Deus vnius monasterij iura inuadentes, quantumlibet pœnitentes adeo
D acerbe punit: quid erit de Principibus bona omnia omnium monasteriorum, & ecclesiarum sibi auctoritate hæresis vendicantium? An non requiret ista Deus, qui de verbis ipsis etiam leuibus in die Iudicij non leuem quæstionem habendam esse prædixit? a Matth. 12.
Væ b mundo a scandalis.] b Ibid. 18.

Quod ad res Orientis pertinet: hoc eodem anno Isacius Imp. Dei vindicta vehementer exagitatus, sponte deposita purpura, successore delecto Constantino Duca, monasticum sumens habitum, in monasterio Studij monachis seruiens, illic reliquum vitæ tempus absoluit. hæc pluribus Curopalata dum ait: Fulmine siquidem percussus Imperator deiectus est equo, & humi, spumas ex ore edens vti epilepticus, deuoluebatur. In paruum autem nauigium impositus ad Regiam defertur incolumis: at-
E tonitus tamen, & ob afflatum seipsum minime sentiens, morboq. dies aliquot detentus mortem expectabat. & ideirco ad placandum sibi Deum pœnitentiam amplectitur, & Imperatoriam potestatem, quam sibi iniuria vendicarat, libens deponit. Hoc ISACIVS COMNENVS IMP. SE ABDICAT IMPERIO.
certe recte faciens, & monasticæ se vitæ dedicat, priorem fastum ac delicias voluntario contemptu, ac modestia corrigens. & quod magis ostendit, illum vere totoq. ex animo pœnituisse eorum quæ patrarat, Imperatorem delegit, non Ioannem sibi sanguine coniunctum, non nepotem ex sorore Theodorum Docianum, non filiæ maritum, neque alium aliquem sibi consanguinitate proximum, sed præsidem Constantinum, cui iam inde a suis maioribus Ducas cognomen erat, tamquam peritum & CONSTANTINVS DVCAS IMPERATOR CREATVR.
consciun, & adiutorem, quippe qui optime nosset rationes parandæ copiosæ pecuniæ ad Imperij conseruationem.

Comnenus autem monasticas vestes indutus, cum parum expectasset, si quo mo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

do a morbo liberaretur; vbi nouit se insanabili morbo captum, adhuc ipso vexatus, A
Studij monasterium ingreditur, multum Ægatherina Augusta eius consilium adiuuante, & pro terrarum Imperij amissione cælestis gaudij fructum ipsi promittente, cum annos duos ac menses tres imperasset. & in habitu monastico pauciores his superuixit, omnem præstans præfecto monasterij obedientiam, ita vt ianitor esset, & alia ministeria obiret, propter multam animi æquitatem & modestiam. castissimus autem fuisse dicitur, & supra quam credi possit, continens &c.] Defuncti autem viri coniugem Ægatherinam Augustam post persoluta postrema, adhuc memoriam anniuersarijs sacris solemniter fuisse prosecutam, idem testatur auctor. sed hæc de his ad institutum satis.

IESV CHRISTI ANNVS 1060. NICOLAI II. PAP. ANNVS 2. VACAT. IMP. OCCID. 4. CONST. DVCÆ IMP. 1. B

SEXAGESIMVS supra millesimum sequitur annus Redemptoris, Indictione decimatertia, quo Nicolaus Papa sexto Idus Ianuarij, Florentiæ cum esset, monasterio sanctæ Felicitatis ista concessit:

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei Teibergæ Abbatissæ monasterij sanctæ Felicitatis iuxta Florentiam siti, sibiq. successuris, & in sancto proposito permansuris in perpetuum.

Quoniam Omnipotentis dignatio suo gratuito munere, nullo digno præcedente opere, ad hoc nostram humilitatem dignata est prouehere, quatenus per nos vbique C
terrarum proprio sanguine redemptæ Ecclesiæ lumen administraret indeficiens: profecto rationabile ducimus, cooperante ipso, de quo loqui præsumimus, secundum proprias vires vnicuique acceptum talentum distribuere, ne apparente ipsius Maiestate (quod absit) sine acquisito lucro, velut inutilis seruus videamur remeare. Quod vtique per diuinam misericordiam consequi posse speramus, si membris eius adhuc per fidem in terra cælestia anhelantibus, præsidia quæ possumus, sereno affectu suppeditare curamus. Sic enim, sic profecto & supernum nostræ fragilitati conciliamus auxilium, & pura intra cordis hospitium manente intentione, hominum consequimur fauorem honestum. Cum licet vniuersis debitores simus Gentibus, fidei lumine clarentibus; domesticis quoque nostris beneuolentiæ studio singularem curam D
impendimus, Magistrum Gentium sequentes, qui bonum opus adimpleri præcepit in omnes, ad domesticos fidei maxime.

Monasterium itaque sanctæ Felicitatis cum omnibus sibi pertinentibus rebus, quod nostra Episcopalis simplex adhuc dispensatio quorumdam prædecessorum nostrorum negligentia destructum, coaptato nobilium sanctimonialium plurimarum collegio reædificare curauit ex integro; nunc etiam secundum Apostolicæ Sedis, cui deseruimus, valentiam, per nostras manus dedicatum, stabilitate perseueranti roboramus, & confirmamus, atque vt perpetua vigeat religione, sequestrata prauorum infestatione, omnipotentis Dei committimus tutelæ. Cui etiam, sicut dignum nobis videtur, quia in curia Florentinorum Episcoporum sua prædia nequiter sunt distracta, & sacrilegorum quorumdam temeritate inuasa: concedimus & Apostolica E
auctoritate stabilimus mansos, & fundos, venerabili loco pia deuotione oblatos, & offerendos, vbicumque veraci relatione eius nomini fuerint titulati, suoq. iuri religiosa sollicitudine inuestiti, atque inuestiendi. Liberum præterea idem reddimus monasterium, atque absolutum ab omni sæculari & mundana cõditione, siue districtione, ne liceat alicui magnæ, paruæq. personæ a nobis restituta prædia, firmiterq. stabilita, Decimales, *prouentus scilicet*, quoque quosdam a nobis cõcessos aliquo ingenio inuadere, aut aliqua fraude surripere, siue diminuere. Fiscum denique, seu debitam subiectionem exigere: sed maneat venerabilis locus, nostra tutela firmatus in sancto proposito; nulliq. alij sit obnoxius, nisi Florentino Episcopo, qui memor nostræ deuotionis, suæq. fragilitatis, iustitiæ norma seruata, secundum Doctoris Gentium præceptum, eisdem sanctimonialibus honorem congruum exhibendo, nil præter blandum dominium requirat ex debito. Si autem (quod non credimus) aliquis temerarius hanc Apostolicam

A stolicam sanctionem crudeli mente tentauerit infringere, nostramq. institutionem secundum locum lædendo cassare, nisi admonitus resipuerit, ac digne emendauerit, anathematis gladio percutiatur ab omnipotenti diuinitate, iaculata sibi de cælo vltione in hac præsenti carne, interficiatq. eum Deus spiritu oris sui, dum venerit iudicare sæculum. Qui vero nostræ roborationis pius conseruator extiterit, in secundo aduentu mereatur illam mellifluam vocem audire: Venite benedicti Patris mei, percipite regnũ. Præterea vt hæc pagina fidem legentibus astruat, & propriæ manus subscriptione & Apostolici sigilli munire studuimus impressione. ✠ *Sigillum Nicolai Papæ.*
Ego Bonifacius Albanensis Episcopus subscripsi.
Ego Ioannes Portuensis Episcopus subscripsi.
Ego Petrus Lauicanensis Episcopus subscripsi.
B Ego Brunus Prænestinus Episcopus subscripsi. Ego Petrus peccator monachus subscripsi.] hic est Petrus Damiani, quem vides seorsum a Cardinalibus subscribere diplomati voluisse, & absque titulo Ostiensis Episcopatus, quo se exuisse contenderet, ex quo libellum renuntiationis dedisset Nicolao Pontifici, vt suo loco superius dictum est. post subscriptiones ista ibi leguntur.

Datum Florentiæ vj. Idus Ianuarij, anno ab Incarnatione Domini nostri IESV Christi M. LIX. per manus Humberti sanctæ ecclesiæ Siluæcandidæ Episcopi, & Apostolicæ Sedis Bibliothecarij, anno primo Pontificatus domini Papæ Nicolai Secundi, Indictione xiij. Ita quidem ad amussim omnia respondent quæ ad tempus spectant: nam annus Christi millesimus quinquagesimusnonus adhuc erat annus; sexagesimus enim annus Incarnationis a die Annuntiationis Dei genitricis Mariæ numerandus
C erat; eratq. adhuc & annus primus Nicolai: nam secundus hoc anno eodem mense Ianuario (nescitur verus dies) numerari incipiebat. Indictio vero decimatertia vtrique conuenit tempori notato, tam Pontificis, quam Domini Incarnationis.

Florentia autem recedens, Romam rediens, inde Cassinũ Nicolaus Papa se contulit. quid tunc egerit, Leo Ostiensis sic narrat: [a] Sequenti tempore iam dictus Pontifex ad has iterum partes aduenies, domnũ Oderisium, Oderisij Marsorum Comitis filiũ, & huius monasterij a puero monachum, diaconum in Lateranensi ecclesia apud acerras positus ordinauit. Postmodum autẽ in Aquinensi oppido, depositio Episcopo Angelo, eo quod neophytus, *nempe ex laico ordinatus*, & ecclesiasticarũ rerum male prodigus, & agentibus nequitijs suis, a sanctæ memoriæ Leone Papa fuisset excõmunicatus, domnũ Martinum, Florentinum genere, religiosum plane ac prudentem, inter primores huius
D monasterij monachum Episcopum consecrauit. Petrus etiam Venefranæ & Isernensis sedis Episcopus, natione Rauennas, noster monachus tempore ipso sacratus est] hæc de rebus gestis Nicolai Papæ cum monachis Cassinensibus: de reliquis altum silentiũ.

[a] *Leo Ost. lib. 3. cap. 14.* NICOLAI PAP. RES GESTAE CVM MONACHIS CASSINENSIBVS.

Inter monimenta autem Petri Damiani reperitur ipse, cum iam se abdicasset ab ecclesiasticis curis, absens ab Vrbe, solitarius degens in monasterio, interpellatus scripsisse ad eumdem Nicolaum Papam pro Anconitanis iam excommunicatione mulctatis. Quidam enim inter eos exortus tyrannus, ad defectionem ciues adegerat; premente vero eodem tyranno populum, ijdem exurgendi haud liberam nacti fuerant hactenus potestatẽ, gementes interea, quod Apostolica censura perculsi æternæ damnationi obnoxij permanebant. quorum miseratus conditionem acerbissimam Petrus, ista pro illis ad Nicolaum Pontificem scripsit:

E Domno Nicolao, beatissimo summæ Sedis Antistiti Petrus peccator monachus deuotissimæ seruitutis obsequium.

EPIST. PETRI DAMIANI PRO ANCONITANIS.

Quod in partibus nostris prosperitatis vestræ fama percrebuit, magna cor nostrum lætitiæ iucunditate perfunditur; totisq. in Domino, qui istorum auctor est munerum, viscera gratulamur; ita vt dum mens intrinsecus iubilat, lingua etiam in hanc vocẽ diuinæ laudis erumpat: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. De Anconitanis autem, venerabilis domine, quotidie pereuntibus nimis doleo, & de confuso atque commixto peccatorum, innocentiumq. periculo medullitus contremisco. Ecce enim per conditionem carnis eorum quotidie corpora moriuntur, & per sententiam vestram Petri gladius in animarum eorum mortem grassatur. Et nos quidem dormimus, sed euaginatus Sedis Apostolicæ mucro non dormit, qui tot hominum millia vna cruentæ mortis strage prosternit, non quidem in corporibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

ribus aliquando morituris, se heu (proh dolor) quod intolerabile est, in animabus A
sine fine victuris. Enimuero audacter dicam, quia postquam dominus meus ad Apostolatus culmen ascendit, numquam aliquid fecit, quod a nobis, qui in eius debemus inuigilare custodia, tantopere debeat formidari. Vobis enim subijci, vobis vrbem tradere, vobis se & sua voluerunt humiliter subiugare; sed eorum culpis obstantibus, non modo ianua illis misericordiæ vestræ non patuit; quin etiam prolata sententia a regno Dei, & a liminibus Ecclesiæ, tamquã e diuerso rebelles & contumaces excluſit.

Absit autem a domino meo, vt cum vibrata tyranni cuiuspiam dextera, post cædem duorum, vel trium hominum non compescatur, illius, qui totius Christianæ magister est pietatis, gladius passim in tot animarum internecione grassetur. Nam
a 2. Reg. 2. & Abner, cum in ipso belli certamine diceret ad Ioab: [a] Num vsque ad internecionem tuus mucro desæuiet? protinus ille respondit: Viuit Dominus, si locutus fuisses, mane recessisset populus persequens fratrem suum. Absit inquam, vt dum vnius hominis placere vult oculo, tanta eorum, pro quibus Christi effusus est sanguis, pereat multitudo. Vicem quippe illius tenes, qui adhuc pauper & tenuis, summis Principibus
b Act. 5. & magistratibus libera voce non timuit dicere: [b] Obedire oportet Deo magis quam
c Ibid. 4. hominibus. & rursus: [c] Si iustum est in conspectu Dei vos potius audire quam Deum, iudicate. Quapropter si placet domino meo, adscitis domno Hildebrando sanissimi & purissimi consilij viro, reuerentissimis etiam Humberto & Bonifacio Episcopis, qui vestri videlicet acutissimi & perspicaces sunt oculi: cum his vtique consilij vestri communicate mysterium, simulq. tractate, quo medicamine mors atque perditio tot pereuntium desinat animarum. Moderetur itaque solito more Sedis Apostolicæ prolata sententia, sesecq. ecclesiastici vigoris temperet disciplina, vt quos hostilis dispergere crudelitas nititur, in sacerdotalis misericordiæ gremio colligantur. Parce ori meo, clementissime pater, & non procacis linguæ strepitum, sed deuoti considera cordis arcanum. Nec a seruo tuo te pigeat humiliter argui, cum ipse omnipotens
d Isa. 1. Deus hominibus dicat: [d] Venite & arguite me.]

LEGATIO REGIS ANGL. AD NICOL. PAP. Cum ista agerentur, sanctus Eduardus Anglorum Rex legationem misit ad Nicolaum Papam vna cum litteris: de qua legatione agit Ealredus, in vita eiusdem Regis hæc inquirens: Nuntios Romam transmisit, talem epistolam Papæ deferentes:

EPIST. SANCTI EDVARDI REG. AD NICOL. PAP. Summo vniuersalis Ecclesiæ patri Nicolao Eduardus Dei gratia Anglorum Rex debitam & subiectionem & obedientiam.

Glorificamus Deum, quia curam habet suæ electæ Ecclesiæ, quoniam in loco boni prædecessoris vos optimum successorem constituit. Quapropter iustum iudicamus, D
apud vos, velut ad solidam petram * acuere, & probare omnes bonas actiones nostras; & vestram notitiam, atque societatem in bono habere, quatenus eas donationes & priuilegia, quæ obtinuimus apud prædecessorem vestrum, renouetis & augeatis nobis. videlicet, vt quod ille iniunxerat nobis sub nomine obedientiæ & pœnitentiæ propter votum quod voueram ire Romam: & in remissionem omnium peccatorum meorum constructe cœnobium monachorum in honorem Apostoli Petri, ratum faciatis, & priuilegia possessionum, & dignitatum eiusdem loci confirmetis, renouetis, & decernatis. Ego quoque pro modulo meo augeo, & confirmo donationes, & consuetudines pecuniarum, quas habet sanctus Petrus in Anglia. Et ipsas pecunias collectas cum regalibus donis mitto vobis, vt oretis pro me, & pro pace regni mei; & E
continuam ac solemnem memoriam instituatis totius gentis Angliæ coram corporibus sanctorum Apostolorum] hucusque Regis epistola ad Nicolaum Pontificem. pergit autem auctor. Rescripsit autem illi Papa in hunc modum:

* accedere

NICOL. PAP. EPIST. AD REGEM ANGL. S. EDVARDVM. Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei glorioſissimo ac pijssimo, omniq. honore dignissimo, speciali quoque filio nostro Eduardo Anglorum Regi visitationem omnimodam, salutem mellifluam, & benedictionem Apostolicam.

Omnipotenti Deo referimus grates, qui vestram prudentissimam excellentiam in omnibus ornauit & decorauit erga beatum Petrum Apostolorum principem, & nobiscum habere dilectionem, & in omnibus Apostolicis consentire censuris. Litteras igitur vestræ nobilitati transmittimus, & per eas sanctorum Apostolorum societatem & nostram vobis damus, orantes misericordiam illius, qui est Dominus omnium, & Rex super omnia solus, vt ipse vos participem faciat ex omnibus, si qua sunt coram Deo bonis

A bonis operibus nostris; & fratres nos, & socios in sua dilectione constituat in omni tempore amplius, ac non minorem partem obsequij nostri vobis in suo regno reconsignet, quam nobismetipsis prouenire optamus. Erimus etiam deinceps pro vobis sine dubio orantes assidue, vt ipse Deus subijciat hostes & inimicos, qui contra vos voluerint insurgere; & confirmet vos in paterno solio, & propria hereditate. At beatus Petrus sit vobis custos, & adiutorium in omni tribulatione.

Renouamus ergo & confirmamus ac augemus vobis priuilegia vestra scilicet, vt absoluti sitis ab illo voto, quod timebatis, & ab omnibus alijs peccatis & iniquitatibus vestris, auctoritate illius, qui me licet indignum, suæ sanctæ præesse voluit Ecclesiæ. Præterea in loco, quem sub nomine sanctæ pœnitentiæ constituendum, & meliorandum suscepistis: quoniam (vt fertur) primo antiquitus consecrationem a beato Pe- PRIVILEGIVM
B tro accepit, cuius licet indigni, Vicarij sumus, & quia regia antiquitus sedes est; ex MONASTERII.
auctoritate Dei & sanctorum Apostolorum, atque huius Romanæ Sedis & nostræ concedimus, permittimus, & solidissime confirmamus, vt amplius in perpetuum regiæ Constitutionis locus sit, atque repositorium regalium insignium, & habitatio perpetua monachorum, qui nulli omnino personæ nisi Regi subdantur, habeantq. potestatem secundum Regulam sancti Benedicti per successiones eligere ex se idoneos Abbates; neque introducatur per violentiam extranea persona, nisi quam concors congregatio esse prælegerit. Absoluimus etiam eum locum ab omni seruitio & dominatione Episcopali, vt nullus Episcopus illuc introeat ordinaturus, aut præcepturus aliquid, nisi ex petitione & consensu Abbatis & monachorum. Et habeat idem locus liberum procinctum, id est, ambitum & cœmeterium mortuorum circa se, absC que Episcopali, vel cuiuslibet respectu, vel exactione, & omnia, quæ ad libertatem & exaltationem illius loci, ad honorem Dei pertinentia, per nostram auctoritatem accedere possunt, hilari & promptissima voluntate concedimus. Possessiones autem, quas antiqui Reges, seu quicumque alij homines, vos quoque, & vestri Barones ad eumdem locum contulistis, & chartas, quæ ex eis factæ sunt, diuina & nostra auctoritate roboramus, & ratas ac stabiles esse decernimus, & infractores earum, vel inuasores, aut diminutores, aut dispersores, venditores etiam æterna maledictione cum Iuda proditore damnamus, vt in beata partem non habeant resurrectione; sed a beato Petro Apostolo se iudicandos sciant, quando sedebit cum suis Coapostolis, iudicans [a] duodecim tribus Israel. Vobis vero, & posteris vestris Regibus committimus a Matth. 19.
aduocationem & tuitionem eiusdem loci, & omnium totius Angliæ ecclesiarum, vt
D vice nostra cum consilio Episcoporum & Abbatũ constituatis vbique quæ iusta sunt, scientes pro hoc vos recepturos dignam mercedem ab eo, cuius regnum & imperium non desinet, nec minuetur in sæculum] hucusque litteræ Apostolicæ ad sanctũ Eduardum Anglorum Regem.

CONCILIVM ACCITANVM IN HISPANIA Hoc eodem anno in Hispania Iaccæ, olim Osca dicta, Concilium est celebratum, cui interfuerunt Episcopi, Austindus Archiepiscopus Auxitanus, Sancius Episcopus Aragonius, Paternus Cæsarauguſtanus, Arnulphus Rotensis, Gometius Calagurita-
nus, Vuillelmus Vrgelitanus, Heraclius Bigerrinensis, Stephanus Olorensis, & Ioannes Leontinensis. In quo in primis sacri ritus, temporum iniuria deprauati, vel aboliti sunt restituti, disciplina ecclesiastica resarcita, moresq. ad normam sacrorum canonum reuocati. Insuper ne alio quam Romano more sacræ preces in ecclesia persoE luerentur: & vt qui Oscæ erat Episcopatus transferretur in Iaccam. hæc summatim de Concilio scripta reperimus.

IESV CHRISTI ANNVS 1061. ALEXANDRI II. PAP. ANNVS 1. VACAT. IMP. OCCID 5. CONST. DVCAE IMP. 2.

NICOLAI PAP. OBITVS. Annvs incipit Redemptoris millesimus sexagesimusprimus Indictione decimaquarta, noui oborti schismatis perturbationibus turbulentus. Moritur siquidem hoc anno mense Iulij in fine ipsius Nicolaus Papa, cum sedisset annos duos, & menses sex: & post tres ferme menses vacationis Sedis eligitur Romæ a sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus legitimo ritu Anselmus Lucensis Episcopus, patria Mediola-

diolanensis, dictusq. est Alexander Secundus. Quod indigno ferentes animo ministri pueri Regis, quod scilicet non ex Regis electione creatus Pontifex esset, mox eligendum curant Cadalum, quem alij nominant Cadaloum, Parmensem iam Episcopum, pseudopontificem. de his enim hæc breuiter Leo Ostiensis, eius temporis auctor: Defuncto autem (vt ad superiora redeam) Apostolico Florentiæ, duobus ac semis annis in Pontificatu peractis: cum ingens inter Romanos seditio de ordinando Pontifice cœpisset oriri; Hildebrandus Archidiaconus habito consilio cum Cardinalibus, nobilibusq. Romanis, ne dissensio incresceret, Anselmum Lucensem Episcopum post menses ferme tres, in Romanum Pontificem eligunt, Alexandrumq. vocari decernunt, nostro Desiderio, *Abbate Cassinensi presbytero Cardinali tituli sanctæ Cæciliæ* Romam cum Principe proficiscente] Roberto Guiscardo videlicet, qui iam hoc ipsum suo iuramento promiserat Nicolao, præsto fore Cardinalibus, legitime eligere volentibus Romanum Pontificem. Quod cum Imperatrix (pergit Leo) audisset, vna cum filio tulere grauiter, hæc sine sua auctoritate gesta fuisse: Cadalumq. Parmensem Episcopum a Placentino dumtaxat & Vercellensi Episcopis, ipsa die festiuitatis Apostolorum Simonis & Iudæ, in Papam eligi faciunt &c.] sed antequam reliqua persequamur, ista quomodo se habuerint, dilucidius sunt explicanda.

Leo Ost. lib. 3. cap. 20.

LEGATIO FACTI OSORVM ROMANORVM AD HENRICVM REGEM.

Exulceratis animis procerum Romanorum, qui Comites dicebantur, vt Tusculani, Galeriani, & aliorum ob ea, quæ agente Nicolao Pontifice, a Northmannis (vt vidimus) grauissima passi erant, in S. R. E. Cardinales redditi insensissimi, legationem ad Henricum Regem adornant; adduntq. ad pueri Regis animum alliciendum illecebras, coronam auream, & cum ea insignem titulum Patriciatus.

PSEVDOSYNODVS BASILEENSIS.

Qui autem hac est perfunctus legatione, fuit ille sceleratissimus grassator, Comes Galeriæ, in Romana Synodo a Nicolao Pontifice excommunicatus. De hac Romanorum legatione mentio habetur apud Hermannum, deq. Synodo eam secuta, his verbis: Romæ Papa Nicolao defuncto, Romani coronam, & alia munera Henrico Regi transmiserunt, eumq. pro eligendo summo Pontifice interpellarunt. Qui ad se conuocatis omnibus Italiæ Episcopis, generaliq. conuentu Basileæ habito, eadem imposita corona, Patricius Romanorum appellatus est &c.] tacet auctor pudenda, quæ in eadem Synodo sunt constituta, vtpote perpetua obliuione delenda, atque abolenda silentio. sed quæ de ipsa a Petro Damiani sunt scripta in schismaticorum opprobrium, in medium adducamus: ita tamen vt primum, quæ in antiquis Gestis Romanorum Pontificum, a Nicolao Aragonensi collectis de alia legatione missa scripta leguntur, hic recitemus. sunt ista:

GVIBERTI CANCELLARII STVDIA IN ROM. ECCL.

Cum autem in Vrbe Romana hæc agerentur, Longobardorum Episcopi, tam simoniaci & incontinentes, quam alij facinorosi, auctore Guiberto Parmensi (constitutus erat hic Cancellarius Regis, homo nequissimus (vt idem auctor habet in Nicolao) conuenerunt in vnum, & consimilium clericorum multitudine congregata, communiter statuerunt, vt aliunde non deberent Papam recipere, quam de paradiso Italiæ (ita Longobardiam nominabant) & talem personam, quæ infirmitatibus eorum compateretur, & condescenderet. Quo facto, aliquos ex ipsis ad Imperatricem vltra montes miserunt, qui eius animum quibusdam verisimilibus figmentis allicerent, & sibi propitiam facerent. Venientes autem ad eam, suggesserunt, quod filius eius ita in honorem Patriciatus deberet succedere, sicut in regia dignitate. Præterea impudenter asserebant, quod Nicolaus Papa statuerat decretis suis, quod nullus deinceps haberetur Romanus Episcopus, nisi prius a Cardinalibus eligeretur, cui postea accederet consensus Regis] hæc de legatione ad Henricum: ordinatio autem schismatici pontificis, quam subijcit, postea contigit. non enim in Synodo facta est, sed seorsum, vt dicemus inferius. Porro isti fuisse noscuntur Episcopi, qui Basileam ex Italia conuenisse dicuntur.

Quæ autem probrosa in eadem pseudosynodo facta sint, in disputatione illa, habita inter regium Aduocatum & Romanæ Ecclesiæ Defensorem, auctore Petro Damiani, a nobis suo loco inferius recitanda, hæc descripta leguntur: Defensor Romanæ Ecclesiæ dixit: Ecce compellis me vulgato sermone deponere, quod ob Imperialis palatij reuerentiam, decreueram silentio præterire. sed iuxta vestræ scilicet exactionis instantiam iam proferatur in medium opus egregium vestrum, sæculis omnibus inauditum.

Rectores

PSEVDOSYNODI INFAMB DECRETVM.

Rectores enim aulæ regiæ, cum nonnullis Teutonici regni sanctis (vt ita loquar) Episcopis conspirantes contra Romanam Ecclesiam concilium collegistis, quo Papam, *Nicolaum videlicet*, quasi per synodalem sententiam condemnastis, & omnia, quæ ab eo fuerant statuta, cassare incredibili prorsus audacia præsumpsistis. In quo nimirum, non dicam iudicio, sed præiudicio idipsum quoque priuilegium, quod Regi prædictus Papa contulerat (si dicere liceat) vacuastis. Nam dum, quidquid ille constituit, vestra sententia decernente, destruitur; consequenter etiam id, quod ab eodem Papa Regi præstitum fuerat, aboletur. Sed absit a nobis, vt propter cuiuslibet hominis insolentiam Rex, qui innocens erat, quantum ad nos, rem sui iuris amittat: & quem, auctore Deo, votis omnibus præstolamur, ad Imperiale fastigium, non permittemus ob alienam culpam regiæ dignitatis incurrere detrimentum] hæc de pseudosynodi decreto perinfami Defensor Romanæ Ecclesiæ. At cū ista de Catholico Rege, nomine ipsius Regis edita vulgarentur, plane erubuerunt, qui sanioris mentis essent, Germaniæ Episcopi; quorum etiam nisu factum est (quod suo loco dicemus) vt Cancellarius ille Parmensis auctor malorum omnium eo munere priuaretur: insuper vt Rex ipse, qui femineo regi videretur imperio, ab ipso matris gremio abstractus abduceretur. sed hæc anno sequenti: modo reliqua anni huius, ipso seruato ordine rerum gestarum, prosequamur.

Vbi tanta ista Cardinalibus innotuissent, ad tantum facinus perpurgandum, & Ecclesiæ Romanæ viduatæ pastore consulendum, ad eumdem Regem legationem decernunt. Delectus ad munus Stephanus presbyter Cardinalis, vir laudatissimus, qui ex Cluniacensi cœnobio ad eum dignitatis apice virtutum merito fuerat sublimatus. Sed regijs ministris obstantibus, contra ius Gentium, ad audientiam non admissus, ad suos vacuus redire compulsus est, prout exprobrasse legitur Defensor Romanæ Ecclesiæ in eadem disceptatione cum regio Aduocato habita, in qua ista leguntur ingesta: Sed vt totam inauditæ calamitatis nostræ proferamus historiam; Stephanus Cardinalis presbyter Apostolicæ Sedis, vir videlicet tanto grauitatis & honestatis nitore conspicuus, tantis denique (sicut obscurum non est) virtutum floribus insignitus, cum Apostolicis litteris (*ita dicebantur litteræ, missa nomine Apostolicæ Sedis, quamuis Sede vacante*) ad aulam regiam missus, ab aulicis administrantibus non est admissus, sed per quinque fere dies, ad beati Petri & Apostolicæ Sedis iniuriam, pro foribus mansit exclusus. Quod ille, vtpote vir egregius & patiens, æquanimiter tulit: Legati tamen officio, quo fungebatur, implere non potuit. Clausum itaque, signatumq. mysterium consilij, vt iussus erat, gerulus retulit, quia regijs eum præsentari conspectibus, curialium plectenda temeritas non admisit. In qua nimirum inopinatæ præsumptionis audacia, tanta disputandi videtur inesse materia, vt & Demosthenis eloquentiam vincat, & Tullianæ copiam facultatis excedat &c.]

STEPHANI CARD. LEGATIO REPVLSA.

Porro de Stephano hoc laudatissimo Cardinali, quod reperimus vetus monimentū, hic reddendum, antequam e manibus effluat, eiusdē videlicet sepulchrale epitaphium scriptum a sancto Alphano Archiepiscopo Salernitano huius temporis auctore, ex bibliotheca Cassinate depromptum.

STEPHANI CARD. LAVDES.

Stephane qualis in æde Petri quantusq. sacerdos
Extiteris, nouit Gallia cum Latio.
*Edidit hæc, & nutriuit, * timuit: Hoc amauit*
Hoc te dilexit, compsit, & auxit idem.
Iudicio canonum noras terrere nocentes,
Et sine lege reos legibus erigere.
Nobilitas, grauitas, probitas, & mentis acumen,
Et virtus animi magna fuere tibi.
** Quinque manere cum sol deberet: in vrna*
Clausus es hac. Requiem det tibi Christus. Amen.

At quæ eiusdem Stephani legationem secuta sint videamus. Hæc cum relatione Stephani didicissent sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, nec sic quidem iusta indignatione perciti ob acceptam iniuriam permoti sunt, vt in contemptum Regis, quem vellent, crearent Romanum Pontificem, sed potius, quem putarent omnino ipsi posse placere. adeo vt prætermissis reliquis omnibus, qui e gremio essent, eligerent re-

CREATIO ALEXANDRI PAPAE.

giæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

giæ aulæ ipsius alumnum, familiarem Regis Anselmum, patria Mediolanensem, A
tum vero Lucensem Episcopum, putantes rem gratam Regi facturos, cum audiret electum virum probum, suum ipsius domesticum atque familiarem. Ita plane hoc consilio rem gestam aperit Defensor Romanæ Ecclesiæ aduersus regium Aduocatum his verbis: Porro autem, quod in constituendo Pontifice Romana Ecclesia a charitate regia non recesserit, hoc etiam indicio est, quia cum in Clero suo religiosissimis & sapientibus viris abundaret: non de proprijs, sed eum, qui Regi tamquam domesticus & familiaris erat, elegit] sed & cur non amplius expectauerint, idem ibi hanc superius causam adducit: Glorioso Regi, nobis eligendo Pontificem, absit vt nos intulerimus iniuriam, cum ad hoc nos (sicut superius dictum est (necessitas impulerit, non rapina. Ad hoc, inquam, nos inuitos attraxerit periculum ciuilis belli, non lædendi, vel minuendi liuor Imperij] ita plane, qui præcesserant motus & turbines, minitari B
hoc videbantur. Quonam autem die hoc anno Alexander creatus fuerit, in eadem concertatione inferius hæc dicuntur: Constat enim tres plus minus menses intercurrisse, ex quo sanctæ memoriæ Papa Nicolaus occubuit, vsque ad Kalend. Octobr. cum iste successit.]

His auditis in aula regia, conclamata ab omnibus Regis iniuria, quod ipso nescien-
* Guibertus te Pontifex Romanus electus esset, Cancellarius * Cunipertus Parmensis eiusmodi optata arrepta occasione, nihil morandum ratus, mox eligendum ab ipso Rege Papam affirmans, suæ ciuitatis intimum familiarem proponit Cadalum, alias Cadaloum,
CADALOVS PARM. EPISC. ELECTVS PSEVDOPAPA. vel Cadalaum Parmensem Episcopũ, qui a nulla Synodo, nec a pluribus, quam a duo-
bus Episcopis fuit electus Pontifex, nempe Vercellensi & Placentino, publico concubi-
natu turpissime infamatis. & ne deesset eius electioni omne quod nefandissimum esset, C
Gerardus ille Comes Galeriensis excommunicatus Romæ in Synodo ob deprædatos ab ipso Anglos, interfuit, vt obijcit Defensor Romanæ Ecclesiæ Aduocato regio, addens, sicut promotores, ita & promotum fuisse iam antea excommunicatum. Facta sunt hæc de promotione Cadaloi eodem mense Octobris, die vigesimaoctaua eiusdem, in festa die sanctorum Apostolorum Simonis & Iudæ. Sed vt ista certius pernoscamus, reddenda est hic epistola Petri Damiani, quam ad ipsum Cadaloum, postquam est electus ab eis Pontifex, scripsit: ex ea enim rerum gestarum seriem plenius intelligemus. accepimus eam ex scripto codice sancti Petri basilicæ Vaticanæ. sic enim se habet, simplici stylo, sed neruoso conscripta:

EPIST. PETRI DAM. AD CADALOVM PSEVDOPAPAM ELECTVM.
Cadaloo dicto Episcopo Petrus peccator monachus, quod dignum & iustum est. D
Qui non corripit puerum oua furantem, magnum postea latronem patitur equorũ
stabula perfringentem. Si a cori . . . netis suis matrona potens negligit arcere petulcum, quid mirum, si in eam quoque ille postmodum vesaniæ suæ porrigat appetitum? Vtq. de Scripturis aliquid inferam: Dauid Rex, [a] qui in Absalon fratricidium nõ vlciscitur, ab ipso deinceps eiectus, regalis solij dignitate priuatur. Adonias [b] filius Haggith, dum in superbiæ fastũ proteruus erigitur, dum conniuente patre, paratis equis & curribus, regnum sibi mercetur; ad hoc quandoque progreditur, vt Abisai Sunamitidẽ in coniugium quærat, ac paternos incestare thalamos concupiscat. In multis tibi, frater, Romana pepercit Ecclesia, frequenter a te legitimi rigoris cohibuit disciplinam; adeo vt asserant, qui se interfuisse fatẽtur, quod in tribus iam Concilijs synodalibus, Papiensi scilicet, Mantuano, & Florentino perspicua damnationis in te sententia claruit. vbique tamen Sedes Apostolica maternæ pietatis affectu tibi clementer indulsit. E

Sed dum illa studuerit canonum circa te coercere vigorem: tu non vereris aduersus eam hostilem redhibere tyrannidem. Porro autem si Scripturæ series diligenter attenditur, ter vnctus in Regem [c] Dauid fuisse reperitur, prius scilicet a Samuele in Bethleẽ, secundo [d] a viris Iuda in Hebron, [e] tertio coram vniuersis tribubus Israel rursus in Hebron. Et vt de piscatore nostro, cui tantopere vis succedere, simile quid perhibeam: tres Petrus sedes obtinuit, quas diuersis sui Præsulatus priuilegijs insigniuit: Antiochenam scilicet, vbi post quam ipse suæ fidei posuit fundamẽtum, Ignatium vice sua mox ordinauit Episcopum: Alexandrinam quoque, vbi sanctus Euangelista Marcus, postquam nouæ fidei semen sparsit, eam beati magistri sui Petri glorioso nomine fideliter dedicauit. Postremo Romanæ Vrbi per quinque annorum lustra præsedit: quam etiam cum Coapostolo suo Paulo pretioso triumphalis victoriæ sanguine purpurauit. Sed cur

a 2. Reg. 13.
b 3. Reg. 1. 2.
c 1. Reg. 16.
d 2. Reg. 2.
e 2. Reg. 5.

nos

A nos vel illum ter vnctum, vel istum ter præsidentẽ in allegationem huius disputationis adducimus, nisi vt tu interim ad conscientiam redeas, teq. totidem vicibus, etsi non iudicio sacerdotum, sed canonum auctoritate depositum, quam procul a sanctis viris sis, & ipse perpendas? Licet enim illorum vtriusque terna promotio, tamquam vna dumtaxat, nullum vel regni, vel sacerdotij fuerit incrementum, quodammodo tamen plenioris fuit sanctitatis indicium. Sicut enim ille pietate, vel iustitia Regessisic & iste transcendit omnes priuilegio sacerdotes. hinc est, quod cum reliquis Sanctis hoc non impendimus, solius beati Petri festiue cathedram celebramus. Cum itaque sacerdotium tuum tanta laboret infamia; quo pacto præsumpsisti, vel (vt mitius loquar) acquiescere potuisti, ignorante Romana Ecclesia, Romanum te Episcopum eligi? taceamus interim de Senatu, de inferioris ordinis Clero, de populo.

B Quid tibi de Cardinalibus videtur Episcopis? qui videlicet & Romanum Pontificem principaliter eligunt, & quibusdam alijs prærogatiuis, non modo quorumlibet Episcoporum, sed & Patriarcharum, atque primatuum iura transcendunt? Saluo quippe vniuersalis Ecclesiæ sacramento, isti sunt oculi vnius lapidis, id est, Romanæ Ecclesiæ, de quibus per Zachariam dicitur: [a] Ecce, inquit, lapis, quem dedi coram Iesu. super lapidem vnum septem oculi sunt, ipsi lucernæ vnius candelabri. de quibus ipse postmodum loquitur dicens: [b] Vidi, & ecce candelabrum aureum totum, & lampas eius super caput ipsius, & septem lucernæ super illud. Ipsi sunt & candelabra, in quorum medio IESVS, iuxta beati Ioannis verba, discurrit, & hunc sermonem, qui illic præsto subiungitur, in te quodammodo specialiter dirigit: Memor esto, [c] inquit, vnde excideris, & age pœnitentiam. Plane si pœnitentia iure plectendus est, C quisquis cuilibet iniuriam irrogat sacerdoti: qua tu sententia dignus es, qui illud præiudicium sacerdotibus intulisti, quorũ consilio, & iudicio status ac disciplina debet totius Ecclesiæ gubernari? Et cum canonica decernat auctoritas, vt vel humilis cuiuscũque ecclesiæ Clero liceat liberum de illo, qui sibi præferendus est, habere iudicium: qua tumoris audacia tu præsumpsisti te violenter illis ingerere, qui præter communẽ Ecclesiæ regulam, super ipsos quoque pontifices authenticam prævalent seruare censuram?

a Zach. 3.
b Ibid. 4.
c Apoc. 2.

Cur per ambitionem adipiscendi culminis, inaccessibilisq. fastigij, totum fere mundum in condemnationis tuæ iurgium concitasti? vt illud Ieremiæ prophetæ quodammodo vociferantes exclament: [d] Terra, terra, terra, audi sermonem Domini. hæc dicit Dominus: Scribe virum istum sterilem, virum, qui in diebus suis non prosperabitur: & tu econtra eiusdem Prophetæ verbis apte valeas respondere: [e] Væ mihi mater D mea, quare me genuisti virum rixæ, virum discordiæ in vniuersa terra: non fœneraui, nec fœnerauit mihi quisquam: omnes maledicunt mihi. Reassume illud quoque propheticum: [f] Maledicta dies, in qua natus sum, dies, qua peperit me mater mea, non sit benedicta. vbi præsto subiungit: Maledictus vir, qui annuntiauit patri meo, dicens: Natus est tibi puer masculus, & quasi gaudio lætificauit eum. sit homo ille, vt sunt ciuitates, quas subuertit Dominus, & non pœnituit eum. Audiat clamorem mane, & vlulatum in tẽpore meridiano, qui non me interfecit a vulua, vt fieret mihi mater mea sepulchrum, & vulua eius conceptus æternus. Non hic dies illa, in qua natus est homo, maledicitur, sed prosperitas potius, qua lenocinante in peccatum lapsus, est condemnatus. In qua videlicet die tu quodammodo morereris in vulua, si ab ea, quam cœperas, immo in qua male nascebaris, desisteres culpa. Cum te videlicet alieni, & E non filij Apostolicæ Sedis eligerent, & ab ea potius, quam tenebas, sede deponerent, quam ad aliam, non per iudicium, sed per strepitum promouerent. sicut scriptum est: Deiecisti eos, dum alleuarentur.

d Ierem. 22.
e Ibid. 15.
f Ierem. 20.

Sæculares a liminibus ecclesiæ coercemus, qui dimissis vxoribus proprijs, extraneis fœderantur: sed quanto deterius adulterium ille committit, qui absque synodali sententia, relicta sua, alieni iuris ecclesiam more prædonis inuadit? Hoc adulterium deplorat Propheta, cum dicit: [g] Contritum est cor meum in medio mei, & contremuerunt omnia ossa mea: factus sum quasi vir ebrius, & quasi homo madidus vino a facie Domini, & a facie verborum sanctorum eius. Cur autem tanto doloris tædio contabescat, protinus aperit, cum subiungit: Quia adulterijs plena est terra, quia a facie maledictionis luxit terra, arefacta sunt arua deserti. Quod autem genus hominum hoc perpetret adulterium, vnde & terra lugeat, & corda hominum velut arua deser-

g Ierem. 23.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ti ab inundatione prædicationis arescant, aperit ilico, cum consequenter adiungit: A
Propheta namque, & sacerdos polluti sunt, & in domo mea inueni malum eorum, dicit Dominus. Sed quid eiusmodi adulteris sacerdotibus & prophetis immineat, mox subsequendo declarat: Idcirco via eorum erit quasi lubricum in tenebris; impellentur enim & corruēt in ea. Afferam enim super eos mala: annum visitationis eorum. Prophetabant in Baal: & decipiebant populum meum Israel, & in Prophetis Ierusalem vidi similitudinem adulterantium, & iter mendacij. Audis similitudinem adulterantium, audis iter mendacij? alterum scilicet pendet ex altero. a tramite quippe veritatis aberrant, qui per luxuriantis concupiscentiæ ambitum castitatis ecclesiasticæ mundiciem fœdant. Nunc Ecclesiam, proh dolor, vsque ad verticem constupratam dolemus,
a Ierem. 2. quod Ierusalem dudum [a] Ieremias contigisse conqueritur: Filij, inquit, Mempheos & Taphnes constupraverunt te vsque ad verticem. Ierusalem namque vsque ad verti- B
cem constupratur, quando a minimis quibusque ecclesijs vsque ad Apostolicam Sedem, quæ omnium caput est ecclesiarum, luxuria venalitatis extenditur. Sed huius
b Ibid. 9. adulterij dulcedo in quantam vertatur amaritudinem, ilico vox diuina subiungit: [b]
Ecce, inquit, ego potabo eos absinthio, & potabo eos felle.
c Isai. 46. Fac itaque, frater, iuxta vocem Prophetæ, dicentis: [c] Redite præuaricatores ad cor. discute, obsecro, conscientiam tuam, & prudenter examina, qua quiete, quo refrigerio potitus es, postquam te huic periculoso negotio, tamquam Scylleæ voraginis fluctibus immersisti. Dilapidantur æra cupidinis, exhauriuntur folles diuersi generis metallo turgentes; profligantur in cuneos militum erogandæ pauperibus Ecclesiæ facultates. Cunctis subiectus obtemperas, vt cunctis in dignitate præcellas, & ambitio dominationis iuri te mancipat. seruitutis. Vnum te non lateat, quia quisquis Ec- C
clesiæ per venalitatem semel irrepserit: donec illi præfuerit, redimere non cessabit. Iusto quippe Dei iudicio agitur, vt quisquis regimen ecclesiæ nundinatus aggreditur, quietis, vel opulentiæ commodum quod sperauerat, de suo commercio non lucretur: sed sedens in cathedra pestilentiæ fabriles semper malleos versat, vt immundæ prælationis riuus per sordida conuexa decurrens, vnde funestus oboritur, suo semper fonti respondeat. Enimuero, cum religiosus quisque vir subire tam laboriosæ Sedis onus abhorreat: illicq. constitui vix vllis hominum precibus acquiescat: cur tu onus onerum (vt sanctus Leo Papa dicebat) non modo non paras aufugere, sed vltro etiam preces, & pretium offerendo, anxie te conaris intrudere? vt liquido videatur tibi sen-
d Ezech. 16. tentia illa congruere, quam per [d] Ezechielem aduersus Ierusalem diuinus sermo pronuntiat: Omnibus, ait, meretricibus dantur mercedes: tu autem dedisti mercedes D
cunctis amatoribus tuis. in eo enim quod dedisti mercedes, & mercedes non accepisti, factum est in te contrarium.

Præterea, si eos sacri canones hæreticos notant, qui cum Romana Ecclesia non concordant: qua tu iudicaberis dignus esse sententia, qui sibi resistenti, & obstinatissime reluctanti non pastor, sed tyrannus ingereris, eamque, quam supra petram fidei Petrus prædicator erexit; tu cum satellitibus satanæ nouus prœliator euertis? & vt immeritum pastoris nomen obtineas, ipsam confundere ac dilacerare pascuam cum suis gregibus non formidas? Sed vide quid tibi, tuisq. similibus Dominus per Pro-
e Ibid. 34. phetam dicat: [e] Væ pastoribus, qui dispergunt, & dilacerant gregem pascuæ meæ, dicit Dominus. Ideo hæc dicit Dominus Deus Israel ad pastores, qui pascunt populum meum: Vos dispersistis gregem meum, & eiecistis eos, & non visitastis eos: E
ecce ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum. Hoc autem quod tu moliris, non est gregem Domini visitare, sed potius instar prædonis, ac furis perdere &
f Ioan. 10. mactare. sicut in Euangelio Dominus dicit: [f] Fur non venit, nisi vt furetur, & mactet, & perdat. Numquid ad hoc natus es, vt mundum in bella concutias, Apostolorum labores & opera destruas, totamq. Christi Ecclesiam tua, vnius videlicet hominis
** al. Cadalaos ὑπὸ τῶ λαοῦ* ambitione confundas? & hæc fortasse turbatio tui nominis est intentata præsagio. *Cadalous quippe vocaris. Et prima quidem pars huius nominis manifeste denuntiat casum, secunda populum: λαὸς siquidem Græce, Latine populum sonat. & quid aliud in hoc exprimitur nomine, nisi quod Scriptura dicit: Quia videlicet ruina populi sunt sacerdotes mali? Hoc itaque modo, qui sanctæ Ecclesiæ fueras filius, aduersus
g Ezech. 21. eam factus es gladius. & forte tu ille gladius, de quo Ezechiel propheta dicit: [g] Gladius,

A dius, gladius exacutus est & limatus. Cur autem duo hæc iste gladius habeat, hoc est, vt limatus sit & acutus, secutus exponit: Vt cædat, inquit, victimas, exacutus est, vt splendeat, limatus est. Nonne in te videntur ista congruere, qui videlicet, vt solus valeas dignitate splendere, totum regnum laboras in prœlium, velut occisionis victimas congregare? sed adhuc audi, quod * præsto subiungit: Qui moues sceptrum * idiotismus
filij mei, succidisti omne lignum, & dedisti ad læuigandum, vt teneatur manu. deinde sequitur: Iste exacutus est gladius, & iste limatus est, vt sit in manu interficientis. Tu profecto, tu ille es gladius, qui Filij Dei moues sceptrum, hoc est, qui eum, in quo ille regnat, & imperat, commoues populum. Sceptrum Filij Dei est Ecclesia Catholica, hæc regnum, hæc est & nostri Redemptoris imperium: quam tu mouere merito diceris, dum eam vexare, & conturbare contendis. Non est mihi propositum
B Prophetæ verba more commentantis exponere, vt debeam de lignis quoque, vnde post Arcam Noe nunc fabricatur Ecclesia, disputare: sufficiat mihi dumtaxat illa perstringere, quæ tuæ videantur vesaniæ conuenire. Porro autem, quia conatus tuus iste numquam perueniet ad effectum, sed infaustum postremo concludetur in exitum; & qui Romanis arcibus superbus inueheris, ad solum proprium cum ignominia reuerteris: audi quod sequitur. Nam postquam diuina vox ait: Mucro, mucro, euagina te ad occidendum, lima te vt interficias, & fulgeas: paulo post sequitur: Reuertere ad vaginam tuam, in locum, in quo creatus es: in terra natiuitatis tuæ iudicabo te, & effundam super te indignationem meam, & ignem furoris mei sufflabo in te.

Habes nunc forsitan mitram, habes iuxta morem Romani Pontificis rubeam cappam: caue ne hanc aduersum te sententiam diuinus per eumdem Prophetam sermo
C decernat: [a] Tu autem profane, impie dux Israel, cuius venit dies in tempore iniquitatis *a Ezech. 21.*
præfinita; hæc dicit Dominus: Aufer cidarim, tolle coronam: nonne hæc est, quæ humilem subleuauit, & sublimem humiliauit? ac si patenter enuntiet, quia quisquis ad hanc cidarim, vel sacerdotalem coronam arroganter anhelat, iure deprimitur: qui autem indignum se vociferans renuit, merito sublimatur.

Multum sane lætificat, quod huiusmodi te pontifices elegerunt, Placentinus videlicet, & Vercellinus, qui nimirum multum petulci, & prolectarij, sicut norunt disputare de specie feminarum, sic vtinam potuissent in eligendo Pontifice perspicax habere iudicium. Ecce iterum duo senes illi, de quibus locutus est Dominus, [b] quia *b Dan. 13.*
egressa est iniquitas de Babylone a senibus iudicibus, qui videbantur regere populum. Ecce iterum Susanna in iudicium accusata producitur: ecce falsum innocenti crimen
D intenditur, & sanguis innoxius condemnatur. Sed numquid deerit etiam Daniel, cuius repente spiritus suscitetur, falsorumq. testium nequitias vlciscatur? Aderit vtique aderit verus ille vir desideriorum, de quo dicitur in Propheta: [c] Ecce veniet desi- *c Aggæ. 2.*
deratus cunctis Gentibus: aderit, inquam, potentior ille Daniel, qui & impios senes perperam iudicasse conuincat, & Susannam nostram ab iniusta sententia damnationis absoluat. de cuius repentino iudicio alius Propheta dicit: [d] Ecce turbo Dominicæ *d Ierem. 23.*
indignationis egredietur, & tempestas erumpens super caput impiorum veniet: non reuertetur furor Domini vsque dum faciat, & vsque dum compleat cogitationem cordis sui. Salua plane digna reuerentia Regibus nostris, quibus vtique siue pro sexus, siue pro ætatis infirmitate surripi potuit: præter illos, quicumque te ad hoc flagitium impulere, filij Caiphæ, primogeniti dicendi sunt satanæ, adiutores Antichristi, ad-
E uersarij veritatis. Itaque libet exclamare; o cælum, o terra! cum quibus scilicet & omnia turbanda sunt elementa. O tragœdia omnibus ante nos sæculis inaudita! vt alienus Episcopus, propria sede contempta, ignorante Deo, nescient Petro, nescient Romana Ecclesia, super Romanam constituatur Ecclesiam? & quod non fert ecclesia cuiuslibet infimæ dignitatis, perferat illa, quæ mater est & magistra totius Christianæ religionis?

Sed quispiam fortassis obijciat, inordinatæ huic ordinationi aliquem interfuisse Romanum. Erubescat ad hæc lingua phrenetica, & quæ nescit esse facunda, discat esse vel muta: nescit quid vtiliter dicere? sciat saltem sine damno tacere. Nimirum cum electio illa per Episcoporum Cardinalium fieri debeat principale iudicium: secundo loco iure præbeat Clerus assensum: tertio popularis fauor attollat applausum: sicq. suspendenda est causa, vsque dum regiæ celsitudinis consulatur auctoritas, nisi

Universidad de Deusto
Biblioteca

(ſicut nuper contigit) periculum fortaſſis immineat, quod rem quantocyus accelerare compellat. Porro autem, ſicut diabolus diuino nomini pluralem numerum indidit, vt diceret mulieri: [a] Eritis ſicut dij, ſcientes bonum & malum: ita tu Grammaticorum regulis nouum aliquid addidiſti, vt in declinatione iam pueri dicant, Papæ, Paparum. per te itaque ſenex iam mundus addiſcit, quod hactenus ignorauit: & ſicut iuxta [b] Pauli vocem, ſummus pontifex in ſancta per annos ſingulos ingrediebatur in ſanguine alieno; ſic & tu nunc miſerorum hominum, velut porcorum ſuccidium, ſuccidium facis, & ſanguinem fundis, vt ad beati Petri ſanctuarium cruentus ingrediaris. Caue frater, caue, ne velut hoſtis inſurgas tam præcipitanter in Petrum, qui certe & Ananiam cum coniuge verbi ſui telo confodit, & Simonem arroganter aſtra petentem in gehennæ profunda demerſit.

Quod mihi a ſenioribus intimatum eſt, refero. In Babyloniæ partibus poſſeſſionem Apoſtolica Sedes habebat, vnde tantum balſami redditum per annos ſingulos capiebat, quod indeficiente fomite ſufficeret lampadi, quæ videlicet ante altare beati Apoſtolorum Principis rutilabat appenſa. quam poſſeſſionem, accepta pecunia, Papa diſtraxit, canonemq. aromatis, quem accipere ſolebat, amiſit. Aliquanto poſt, cum idem Papa prædicto ſacroſancto altari quaſi deuotus aſſiſteret & oraret: ecce quidam terribilis & grandæuus ſenex, in cuius etiam facie barbirafium videbatur, elato brachio colaphum ipſi vehementer incuſſit, & ait: Tu extinxiſti lucernam meam ante me; & ego extinguam lucernam tuam ante Dominum. moxq. diſparuit. ille vero protinus corruit, & paulo poſt diem clauſit extremum. Sic, ſic nimirum meretur corripi, qui illi ſe præbet aduerſum, qui cæli terræq. primus paſtor obtinet principatum. Quis oro, duorum Paparum duriori tibi videtur auſteritate plectendus? vtrum ille, qui ſacri altaris præſumſit lucernam extinguere; an tu, qui totam vniuerſalem Eccleſiam per furtiuæ promotionis exordium niteris obſcurare? Qui enim iuxta [c] Veritatis vocem, intrat per oſtium, paſtor eſt ouium: qui autem intrat aliunde, fur eſt & latro. ſed ſicut per paſtoris oſtium, qui iam vtique præſidet, domui lumen infunditur; ita per tuum aliunde non aliud niſi fumus & caligo, chaos, & horror ingeritur tenebrarum.

Huc accedit, quod dum in imis eſt quiſpiam, eius quodammodo vitia deliteſcunt; cum vero ad dignitatis culmen aſcendit, in ſuperficiem mox erumpunt, & quæ fuerant eatenus inaudita, iam per ora rumigeruli populi trita vulgantur. Quot hominum millia nunc tua facta dinumerant, qui vſque ad hoc tempus ea funditus ignorabant? Nam præbendarum eccleſiæ tuæ, vel eccleſiarum damnanda commercia, aliaq. longe turpiora, quæ nos erubeſcimus dicere, hactenus in tuo tantum narrabantur oppidulo; nunc alter ad alterum vbique regni huius & mercatores loquuntur in foro, & foſſores in agro, pueri, qui rhetoricantur, in ſcholis, ciues, qui glomerantur in triuijs, omnes pene te lacerant, teq. dijudicant. Hoc ſiquidem tibi contigiſſe comprobatur, quod tranſgreſſori cuilibet per [d] Ieremiam dicitur: Propter multitudinē iniquitatis tuæ reuelata ſunt verecundiora tua, pollutæ ſunt plantæ tuæ. cui paulo poſt etiam dicitur: Hæc ſors tua, parsq. menſuræ tuæ apud me, dicit Dominus, quia oblita es mei, & confiſa es in mendacio. vnde & ego nudaui femora tua contra faciē tuam, & apparuit ignominia tua, & adulteria tua, & hinnitus tuus, ſcelus fornicationis tuæ.

Verumtamen ſi ego te conueniendum eſſe decernerem, his quidem in os ſermonibus obiurgarem: Nonne tu, quæ gratis offerenda ſunt in Eccleſia, diſtraxiſti? Nonne hæc & illa, cælo terraq. teſtibus commiſiſti? quæ videlicet ſi ego tibi dicerem, non me latet, quoniam dum negare hæc, mundo teſte, non poſſis, protinus ad futuræ correctionis patrocinium conuolares. Quilibet enim culminis appetitor, dum de vita tranſacta, conſcientia remordente, confunditur, emendationem ſibimet in poſterum pollicetur; ſed dum culmen celſitudinis occaſio ſit peccandi, quomodo per ſcopuloſi montis prærupta non offendat, qui per plana gradiens impingebat?

Poſſem præterea reſpondere, quod per Prophetam Dominus dicit tibi, tuiq. ſimílibus: [e] Si mutare poteſt Aethiops pellem ſuam, aut pardus varietatem ſuam; & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum. de qua varietate & alibi dicit: [f] Numquid auis diſcolor hereditas mea? numquid auis tincta per totum? ſed culpæ varietatis præſto ſubinfert ſententiam vltionis: [g] Venite, inquit, congregamini omnes beſtiæ terræ, properate ad deuorandum. Quibus autem huiuſmodi animaduerſio deuorationis

[a] Gen. 3.
[b] Hebr. 9.
[c] Ioan. 10.
[d] Ierem. 13.
[e] Ibid.
[f] Ibid. 12.
[g] Ibid.

nis immineat, ilico ſubdens manifeſtat: Paſtores multi demoliti ſunt vineam meam; conculcauerunt partem meam, dederunt portionem meam deſiderabilem in deſertum ſolitudinis, poſuerunt eam in diſſipationem. Quæ videlicet omnia nihil aliud vtique deſignant, niſi Eccleſiam a malis paſtoribus diſſipatam. Quoniam & hoc te noſſe credo, dum verbis pluribus indigeant, non expono. Hoc tantum te latere non patiar, quia & tu, & quicumque tibi ſimiliter per ambitionem Eccleſiæ culmen appetitis, Dominum procul dubio neſcientes, Eccleſiam laceratis. vnde per eumdem [a] Prophetam dicitur: Quia ſtulte egerunt paſtores, & Dominum non quæſierunt: propterea non intellexerunt, & omnis grex eorum diſperſus eſt. [a] Ierem. 10.

Spondes quidem nunc emendationem, vt concupitam obtineas dignitatem: humiliter loqueris, vt ad celſitudinem proueharis. Humilitas hæc quia de radice ſuperbiæ naſcitur, ad ſatisfaciendum idonea non videtur. Illud interim ad memoriam redit, quod in libri [b] Geneſeos reperitur hiſtoria: Quia Dinam, Liæ filiam cum vidiſſet Sichem filius Hemor Heuæi, princeps terræ illius, adamauit, & rapuit & dormiuit cum ea, vi opprimens virginem. Et conglutinata eſt anima eius cum ea, triſtemq. blanditijs deliniuit, eamq. tam impatienter amauit, vt non modo ſe, ſed & omnes ſuæ ciuitatis maſculos circumcideret, vt eius dumtaxat potuiſſet coniugium obtinere. ſed ſatisfactio non Deo placuit, non fratrum illius corda placauit: quia non ob religionem, ſed ad potiendam carnis facta eſt voluptatem. Fratres enim illius ſæuientes ob ſtuprum, omnes, qui circumciſi fuerant, gladijs peremerunt. Tu ergo tu nouus es Sichem, corruptor Dinæ, violator Eccleſiæ, circumcidis carnem, vt carnis valeas explere libidinem. prauos te polliceris mores abſcindere, vt in prauitate poſtmodum impune te liceat permanere. Sed ecce Simeon & Leui Sichem gladijs impetunt, quia vetus & nouum Teſtamentum dum te ſuis ſententijs damnant, quaſi totidem te gladijs armati fratres obtruncant. Siue vt vindices propius requirantur, Petrus & Paulus, qui mundi ſunt iudices, ipſi quoque fient tuæ tranſgreſſionis vltores. foedam enim rem operatus es in Iſrael. [b] Gen. 34.

Sed ne quis mihi fortaſſe obijciat, quod interfectores illi Sichem, Simeon videlicet, & Leui, obeunte Patriarcha Iacob, reprobationis meruere ſententiam: ſciat illic prophetico ſpiritu futuram potius mortem Saluatoris attendi, quam peractam digne ſtragem luxurioſi hominis condemnari. De Simeon enim Scribæ ſunt Iudæorum; de Leui vero tribu principes ſacerdotum. de quibus vtique ſcriptum: Quia conuenerunt principes ſacerdotum & Scribæ, vt IESVM dolo tenerent & occiderent. de quo conſilio dicitur: In conſilio eorum non veniat anima mea; & in cœtu illorum non ſit gloria mea: quia, inquit, in furore ſuo occiderunt virum, & in voluntate ſua ſuffoderunt murum, virum ſcilicet illum, de quo Sapientia ait: [d] Opprimamus virum iuſtum, quia contrarius eſt operibus noſtris. murum autem ſuffoderunt, hoc eſt, illud fortiſſimum & ſpirituale propugnaculum, quod cuſtodit Iſrael. Vt igitur expoſitoribus cetera relinquamus, ſufficiat hic intelligi, non vindictam ſtupri, ſed peremptorum Chriſti ſacrilegia condemnari. Quam plane vindictam Iudith quoque Deo placitam docuit, dicens: [e] Domine Deus patris mei Simeon, qui dediſti illi gladium in defenſionem alienigenarum, qui violatores extiterunt in coinquinatione ſua, & denudauerunt femur virginis in confuſionem, & dediſti mulieres illorum in prædam, & filias eorum in captiuitatem, & omnem prædam in diuiſionem ſeruis tuis, qui zelauerunt zelum tuum. [c Matth. 26.] [d Sap. 2.] [e Iudith. 9.]

Porro autem non es contentus menſura hominis, ſed in humano genere mons videri appetis; & quaſi in promontorium ſuperbiæ, in * faſtigij te cacumen attollis, non vis eſſe de vallibus, de quibus dicitur: [f] Valles abundabunt frumento. Sed audi quid tibi Dominus per Prophetam dicat: [g] Ecce ego ad te, mons peſtifer, ait Dominus, qui corrumpis vniuerſam terram, vt extendam manum meam ſuper te, & euellam te de petris, & dabo te in montem combuſtionis, & non tollent de te lapidem in angulum, & lapidem in fundamenta, ſed perditus in æternum eris. & iterum: Ecce ego ad te ſuperbe, dicit Dominus, quia veniet dies tuus, tempus viſitationis tuæ, & cadet ſuperbus & corruet, & non erit qui ſuſcitet eum. Tantumne in te damnationis ardor inferbuit? huccine te ſuperbiæ faſtus, & celſitudinis ambitio prouocauit, vt Reginam eccleſiarum, ſiue (vt ita fatear) regnorum omnium temerares imperium? Sed [h] deſpexit te, ſubſannauit te virgo filia Sion, poſt te caput mouit filia Hieruſalem, cui exprobraſti, * faſtus [f Pſal. 64.] [g Ierem. 51.] [h Iſa. 37.]

Universidad de Deusto
Biblioteca

& quam blaſpemaſti: ſuper quam exaltaſti vocem, & leuaſti altitudinem oculorum A
a Iſai.37. tuorum. Ad ſanctum Iſrael: In multitudine, [a] inquiens, quadrigarum mearum ego aſcendam multitudinem montium, iuga Libani, Romanam videlicet Eccleſiam, in mundi totius dominam conſtitutam, & nitore virginalis pudicitiæ candidatam. ſed audi, quid tibi per eumdem Prophetam diuina vox dicat: Habitationem tuam, & egreſſum tuum, & introitum tuum cognoui, & inſaniam tuam contra me. Cum furereſ aduerſum me, ſuperbia tua aſcendit in aures meas: moxq. ſententiam in concluſione ſubnectit: Ponam ergo circulum in naribus tuis, & frænum in labijs tuis, & reducam te in viam, per quam veniſti. Sed ecce nos, multo adhuc plura dictante materia, necdum expleuimos votum, & iam excedimus epiſtolare compendium.

Rogandus eſt ergo dumtaxat omnipotens Deus, vt & te ad humilitatis reuocet ſpiritum, & ſopitis erroribus ſimultatum, in Eccleſia ſua pacis atque concordiæ, quæ per B
te ſciſſa eſt, ſtabiliat fundamentum. in fine libet hæc plangere:

DE ECCL. ROM. AB ANTIPAPA INVASA LVCTVS.

Heu Sedes Apoſtolica,
Orbis olim gloria,
Nunc proh dolor, efficeris
Officina Simonis!
Terunt incudem mallei,
Nummi ſunt tartarei.
Iuſto Dei iudicio
Fit iſta conditio,
Vt quiſquis Apoſtolicam
Sedem ſemel comparat,
Redimere non deſinat,
Donec male pereat.
Cathedram peſtilentiæ,
Preſſus anathemate
Tenet cum ſacerdotibus,
Chriſti peremptoribus.
Fit tibi terra ferrea,
Cæli ſedes ænea.
Diligenter igitur intende quod dico.

C
Deſinit eſſe reus, qui punit flendo reatum.
Sacrilegat cœptam geminata ſuperbia culpam.
Cæde necans Vrbem, nunc auro deſtruis orbem:
Heu gladio ferri gladius truculentior auri.
Is animam penetrat, carnem foris ille cruentat,
Vimq. tenet iaculi radiantis vena metalli.
Nil differt ferro perimatur quiſque vel auro.
Quid iuuat an fluuis, furuisve quis occidat armis?
Hos homicida vibras, miſeros & vtroque trucidas.
E cælo rueras, ſed adhuc draco lubrice ſufflas:
Ore vomens rabiem tætrum diffundis odorem.
Fractus adhuc reptas, & flammas naribus efflas.
Squamea colla tumes, ſtrages & prælia frendes.
Oſſa picis dirum perimat conjecta chelydrum.
Deſinat horrenda ſquamis attollere colla,
Vt populus viuat, vitam mala beſtia perdat.
Torua draconteas reprimat iam vipera chelas,
Te ſuper aggeſtus lapidum cumuletur acernus.
Ruder erit lapidum concors ſententia Patrum.
Hæc ſcrabis antra lues tumido ne gutture ſuffles.
Mille vorax hominum crepet inſatiabile monſtrum:
Te ſuper inferna ſua claudant ora cauerna;
Ne reditus pateat, ſed mundi bella quieſcant.
Fumea vita volat, mors improuiſa propinquat.
Imminet expleti præpes tibi terminus æui.
Non ego te fallo, cæpto morieris in anno.

] hactenus ad Cadaloum Petrus, qui cum deploret ſtatum Sedis Apoſtolicæ, Simone cudente nummos, eosq. ſpargente, in accipientes: ſpectare hæc ad ipſum ſchiſmaticum papam, non autem ad legitimum Pontificem, idem ipſe alijs ſuis ſcriptis inferius recitandis ſæpe demonſtrat.

Quod autem pertinet ad pronuntiatum de exitu eiuſdem ſchiſmatici vaticiniũ, alibi ipſe declarat, non de vitæ præſentis exitu intellexiſſe, ſed eius depoſitione, cum eſſe deſineret, quod affectabat, Romanus Pontifex, in Concilio condemnandus. Et reuera illud mirandum accidit, vt ea die, qua male exaltatus eſt pontifex, feſto ſanctorũ Simonis &

A nis, & Iudæ, ſolemni ritu deponeretur: vt eſſe penitus deſierit papa Romanus. ſed de his inferius.

Peſtilens homo Cadalous tantum abeſt, vt ex Petri litteris ceſſaret exterritus, vt etiam ipſe turpiſſimus turpiſſime viueret, & ita viuentibus conuiueret; ſicque, vt hac velut arte quadam illorum omnium incontinentium clericorum conciliaret ſibi animos (erat horum ingens numerus) libidini fræna laxaret, vt qui antea Nicolaitæ (vt vidimus) dicebantur, dicendi eſſent a propagatore Cadaloitæ. ita Petrus in epiſtola ad Cunipertum Taurinenſem Epiſcopum, cum ait: Sed nunc accidit, vt hoc inſigne vocabulum, nouum, ſi prævalent, accipiat incrementum; & qui hactenus dicti ſunt Nicolaitæ, amodo vocentur & Cadaloitæ. ſperatur enim, quia ſi Cadalous, qui ad hoc gehennaliter æſtuat, vniuerſali Eccleſiæ Antichriſti vice præſidebit, ad eorum B votum luxuriæ fræna laxabit.] CADALVS TVR PESSIMVS.

Rurſum vero ad ſchiſma roborandum, vt Romanorum conciliaret ſibi animos, a quibus reciperetur in Vrbem, & ſederet in ſolio Petri, ingentem pecuniarum vim in ipſos effundit. nam in epiſtola ad Alexandrum Papam & Hildebrandum Archidiaconum Petrus Damiani hæc habet: Nunc etiam cum Simon ille, veternoſus ſcilicet trapezita, malleum, & incudem reparat, cum Romanam Vrbem veluti officinam ſibi per monetarios peſtiferæ negotiationis vſurpat: quo vos Petrus vobiſcum fugiens attrahit; illic eſſe Romanam Eccleſiam, omnibus indubitanter oſtendit] hæc Petrus, ſignificans Alexandrum Papam poſt creationem ſuam, timentem Romanos illos potentiores, qui Cadaloo fauerent, ab Vrbe fugam arripuiſſe. CADALOVS AVRO EXPVGNARE NITITVR ECCLESIAM.

Conuenit eum extra Vrbem poſitum tunc ipſe Petrus Damiani, qui ab eo impetra-
C re ſtuduit, quod ab eius prædeceſſore negatum fuerat, nempe vt ſe abdicaret ab onere Epiſcopatus Oſtienſis; inſuper & deponeret procurationem, quæ a Nicolao Papa ipſi iniuncta fuerat eccleſiæ Eugubinæ. diu multumq. in his altercatum, importunitate nimia Petro ſuam cauſam agente, reſiſtente ipſo Pontifice, & contradicente magnopere Hildebrando. Sed ſancto ſeni indulgendum videbatur Alexandro, qui iam ex Mediolanenſi legatione, cum datus ipſi fuerat collega, eum colere, eiq. primas deferre didicerat; ſed Hildebrandus aduerſabatur. Cum ille perſoluto reuerentiæ digno officio Alexandro Pontifici, proiecta ad pedes eius ſarcina Epiſcopatus, cum vlterius eum Pontifex quamuis rogans, manere ſecum ſuadere nullatenus potuiſſet, feſtinus eſt reuerſus in ſolitudinem, mœrentem relinquens Papam, qui eum retinere ſecum potius voluiſſet; indignantem vero Hildebrandum, fruſtra agentem, vt te-
D neretur inuitus, cogeretur reluctans, atque vinciretur compedibus obedientiæ, probe ſcientem, quam eſſet Eccleſiæ Romanæ proficuum, perditiſſimis hiſce temporibus eum aſſiſtere ipſi ſummo Pontifici. PETRVS DAM. DEPONIT EPISCOPATVM.

Quibus omnibus ſuperior factus Petrus, vincens firmo animi propoſito quæque aduerſantia ſui animi inſtituto, reuerſus in ſolitudinem, epiſtolam apologeticam ſcripſit vnam ad ipſos duos, Alexandrum videlicet Papam, & Hildebrandum. Extat ipſa iam cuſa apud Margarinum in bibliotheca ſanctorum Patrum. eſt eius exordium: Ferunt qui in rimandis rerum naturis deſudauere &c.] ſed deceptum in titulo, dum ad Hildebrandum Papam, nempe Gregorium Septimum eam putauit datam epiſtolam, quam non ad vnum, ſed plures ex eius contextu conſtat eſſe ſcriptam, errare eum fecit mendoſa inſcriptio eiuſdem epiſtolæ, quæ ab eo ſic ponitur: *tom.3.col.864.*

E Dilectiſſimo Sedis Apoſtolicæ electo, & virgæ Aſſur Hildebrando Petrus &c.] In Vaticano autem codice baſilicæ ſancti Petri ita emendatius: Dilectiſſimis, Apoſtolicæ Sedis electo, & virgæ Aſſur Hildebrando &c.] ſunt & aliæ eiuſdem Petri litteræ ad ambos ſimul datæ, vt illæ, quibus agit de epiſtola a ſe ſcripta ad Colonienſem Archiepiſcopum, cuius eſt titulus iſte: Ad patrem, & filium, Papam, & Archidiaconum Petrus &c.] Quod vero violentum oppugnatorem ſui propoſiti Petrus eumdem Hildebrandum pateretur, Aſſur virgam appellat: immo & in ipſa epiſtola ſatanam ſanctum nominat, ſatanam, vtpote aduerſarium; ſanctum quod non inimico animo, ſed bona ageret intentione quod ageret. ſancta quippe ſimultas inter eos intercedebat, dum ille vellet anhelantem ad ſolitudinem retinere, iſte nollet penitus retineri. HILDEBRANDVS ARCHIDIACONVS CREATVS.

Sed antequam ipſam hic deſcribamus epiſtolam, primum omnium quod ad ipſum ſpectat Hildebrandum: ſcire debes, quia Alexander vbi creatus eſt Pontifex, nihil antiquius

HILDEBRANDI INSIGNIA MERITA.

quius habuit, quam vt Hildebrandum iam Archidiaconum crearet Cancellariũ, penes quod omniũ vniuersa Romanæ Ecclesiæ administratio veterertur. Pollebat Hildebrandus ad ea cuncta explenda ingenij viribus, & quod magis æstimari debet, gratia Spiritus sancti: quæ abunde inhabitabat in eo, adeo vt supra homines diuinum quidpiam præseferret eiuide sancti Spiritus donis. Nam audi, quæ tunc contigisse, certa assertione S. Hugonis Abbatis Cluniacensis recitat Vuillelmus [a] Malmesburiensis sæculi huius historicus, qui ait: Verum quia Hildebrandi mentio se ingessit, de eo dicã, quæ non friuolo auditu hausi, sed seria relatione eius audiui, qui se illa ex ore Hugonis Abbatis Cluniacensis audisse iuraret. quæ ideo admiror, & prædico, quia cogitationes aliorum prophetico mentis intuitu pronuntiabat. Alexander Papa efficax ipsius studiũ conspicatus, Cancellis Apostolorũ præfecerat. Circuibat ergo pro sui cõtuitu officij prouincias, vt perperã acta corrigeret. Accurrebatur ab omnibus ordinum hominibus, decisiones diuersorum negotiorũ postulantibus. Cuncta ei submittebatur sæcularis potentia tum pro sanctitatis, tum pro ministerij eius reuerentia. Vnde die quadam cum solito masuis sensim progrediebatur. Visoq. eminus tanti viri honore, quod tot mundanæ potestates nutum illius præstolarentur, huiusmodi sententias ventilabat animo, homuncionem exilis staturæ, despicabilis parentelæ, quod Dei iudicio tot diuitum sepiri famulitio, tumere illum proculdubio, & metiri altiora merito pro tot obambulatorum obsequio. Vix hoc (vt dixi) mente versarat, cum Archidiaconus reflexo equo, & calcaribus incitato a longe clamans, & Abbatem * obuncans: Tu, tu, inquit, male cogitasti falso infamans huiusce dumtaxat rei innocentem. Non enim mihi gloriam hanc (si gloria dici potest, quæ cito transit) vel ego imputo, vel ab alijs imputari volo, sed beatis Apostolis, quorum exhibetur priuilegio. Suffusus ille pudore, nec quidquam inficiari ausus, hoc solum retulit: Quæso domine, quomodo nosti cogitatum meum, quem nulli communicaui? Ab ore tuo, ait, quasi per fistulas ad aures meas omnis illa cogitatio deducta est.

Item in eadem prouincia ecclesiam vrbanam ingressi, ante aram continuatis & iunctis lateribus se prostrauerant. In multam horam protracta oratione, respexit Archidiaconus Abbatem, turbulento rictu infrendens. Ille cum diutius oratum esset, fores egressus, causamq. commotionis percunctatus, responsum accepit: Si me amare vis, caue ne me vlterius hac iniuria expugnes. Dominus meus IESVS Christus, speciosus ille præ filijs hominum postulationibus meis visibiliter astabat, intendens dictis & serenis fauens oculis, sed tuæ orationis addictus violentia me deseruit, ad te conuersus] ita plane etiam in carne hic viuens Dominus facere consueuit, vt de sedentius concitaret desideriũ. sic namque repulisse [b] visus est Chananæam, sic repulisse [c] Mariam ne tangeretur ab ea: sic denique finxisse se longius ire, duobus illis discipulis Emmauntem se conferentibus, sed pergit: Puto quod tu ipse non diffiteberis, esse genus iniuriæ, si amico eripias auctorem salutis suæ. Præterea prænoueris mortalitatem hominum, & huic loco imminere excidium. Cuius coniecturæ signum habeo, quod Angelum Domini super altare stantem vidi euaginatum gladium stringere, & huc atque illuc rotare. Futuræ cladis notabilius habeo indicium, quod iam spissus & nebulosus aer prouinciam istam circumuolat, vt vides. Maturemus igitur profugium, nisi cum alijs velimus subire exitium. His dictis introeuntes diuersorium, ad curam corporis assedere. Continuoq. dapibus appositis, exortus in domo luctus auiditatem esurientium repressit. Siquidem vnus & alter, & mox plures e familia, dubium qua pernicie, interempti, animas subito amiserunt. Tum eadem peste per vicinas ædes grassante, ascensis mulis diffugiunt, festinationem viæ stimulis timoris accelerantes] hæc ex sancti Hugonis relatione Vuillelmus, quibus tu discas eiusdem Hildebrandi sanctitatem, qua vniuersum Catholicum orbem in sui admirationẽ conuertit: vnde tu magis magisq. redarguas portẽtosas illas schismatici Bennonis calumnias in eum excogitatas. Coluit eum inter alios sanctus Alphanus Archiepiscopus Salernitanus, cuius extat scriptus hymnus ad ipsum, cum apostolico pectore fulmineo anathematis per Alexandrum Papam administrato perterrebat schismaticos. accepimus eum vna cum alijs eiusdem viri sanctissimi metricis monimentis ex Cassinensi bibliotheca, qui sic se habet:

Ad

[a] Will. de gest. Reg. Angl. lib. 3.

QVAE S. HVGO DE HILDEBRANDO.

b Matth. 15.
c Ioan. 20.

A Ad Hildebrandum Archidiaconum.

Quanta gloria publicam
Rem tuentibus indita
Sæpe iam fuerit, tuam
Hildebrande scientiam
Nec latere, putauimus,
Et putamus. idem sacra
Et Latina referri Via;
Illud & Capitolij
Culmen eximium thronus
Pollens Imperij ducet.
B *Sed quid istius ardui*
Te laboris & inuidæ
Fraudis aut piget, aut pudet?
Id bonis etenim viris
Plus pelle subita nocet.
Virus inuidiæ latens
Rebus in miseris suam
Ponit inualetudinem,
Hisq. non alijs necem
Et pericula confert.
Sed vt inuidearis, &
C *Non vt inuideas, decet*
Te peritia quem probi
Et boni facit vnice
Compotem meriti sui.
Omne iudicio tuo
Ius fauet, sine quo mihi
Nemo propositi mei,
Vel fauoris inediam
Præmiumve potest dare.
Cordis eximius vigor
Vitæ nobilis optimæ
D *Res secuta probant quidem*
Iuris ingenium modo
Cuius artibus veteris.
Ex quibus caput vrbium
Roma instior & prope
Totus orbis, eas timet
Sæua barbaries adhuc
Clara stemmate regio.
His & Archiapostoli
Feruido gladio Petri
Frange robur & impetus
Illius, vetus vt iugum
Vsque sentiat vltimum.
Quanta vis anathematis?
Quidquid & Marius prius,
Quodq. Iulius egerant
Maxima nece nullium,
Voce tu modica facis.
Roma quid Scipionibus,
Ceteriſq. Quiritibus
Debuit magè, quam tibi,
Cuius est studijs suæ
**Nacta via potentiæ.* *
Qui probe quoniam satis
Multa contulerant bona
Patriæ, perhibentur &
Pace perpetua frui,
Lucis & regionibus.
Te quidem potioribus
Præditum meritis manes
Gloriosa perenniter
Vita, ciuibus vt tuis
Compareris Apostolis.] Hactenus

Alphani Iambi ad Hildebrandum Archidiaconum, cuius ore Papa anathema promulgaret; & quem ob virtutes eximias etiam ipse Alexander summopere coleret, & obseruaret, prout Petrus Damiani eiusmodi distícho lusit, cuius titulus:

De Papa & Hildebrando.

Papam rite colo, sed te prostratus adoro:
Tu facis hunc dominum: te facit ipse deum.]

ac rursus lepide satis, sed argute valde, vincere se Hildebrandum, quamuis valde potentem, ab ipso vero vinci non posse, his salibus mordens, scripro ad eum pentastícho docet, cuius titulus est:

De Hildebrando patuæ staturæ, sed magnæ prudentiæ viro.

E *Parua tigris missas æquat properando sagittas.*
Vile quidem ferrum, sed quod domat omne metallum,
Sed trahit hoc validus sua post vestigia magnes.
Hunc, qui cuncta domat, Sisiphi mensura coarctat.
Quem tremunt multi, nolens mihi subditur vni.]

ita quidem Hildebrandum statura pusillum, sed ingenij acumine vehementem ostendit, adeo vt ferro comparet, quod licet vile, domet metalla omnia. Verum quod ipse Petrus eum superet, se ex Petri nomine (quod petra est) magneti comparat, qui ferrum vincat ad se trahens. Rursum vero, quod frustra laboret Hildebrandus statuere Petrum ipsum vbi velit, eleganter comparat Sisipho, inanes labores circa petram impendenti; sicq. vinci omnimode Hildebrandum a Petro, vrbane satis concludit vltimo versu. Contra vero in eumdem, cum inuitus eius arctaretur imperio, vt remaneret in Vrbe, licet missionem ab Alexandro

Universidad de Deusto
Biblioteca

xandro obtinuisset, & negaret ipse quod Papa concessisset, cum sic etiam ipsi videretur imperare Pontifici, hoc lusit disticho. A

Viuere vis Roma, clara depromito voce:
Plus domino Papæ, quam domno pareo Papæ.] ac rursus, cum violentum ipsum pateretur, Deum implorans, ad eum misit quod sequitur distichon.

Qui rabiem tigridum domat, ora cruenta leonum,
Te nunc vsque lupum, mihi mitem vertat in agnum.]

Quid tandem? Obtinuit importunitate, immo extorsit ab inuitis, quod voluit. reuersus autem in eremum, quem perstrinxit versibus, haud pepercit epistola, in cuius inscriptione, vt vidimus, Virgam Assur cognomine nuncupauit: sed quæ in epistola non sine stomacho ab ipso scripta habet, iam audiamus, cuius ferme exordio ista:

Benedicta omnipotentis dispensatio Conditoris, quia ad vos nuper ascendens, duorum Episcopatuum, vnius regendi, *nempe Ostiensis*, alterius visitandi, *nempe Eugubini* mole depressus, prærupta Alpium iuga transiui: moxq. sarcina tribulationis abiecta, exoneratus, & liber ad dilectam solitudinem tamquam fugitiuus postliminio repedaui. Libet itaque sub quadam mentis energia, quasi diu stipitibus attritos agitare pedes, durisq. catenis edomitas subleuare ceruices, illudq. propheticum alacriter decantare: [a] Dirupisti, Domine, vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. Nostis plane, certumq. tenetis hæc in me fuisse: proiecta onera, non suscepta, & (vt ita loquar) retiaculum non ingressus sum, sed violenter opertus. Quapropter occasione nacta, pondus libenter abieci, quod vltro me recusante, non subij. Et quia vos Apostolica Sedes, vos Romana estis Ecclesia, ad deponendum, reddendumque, quod baiulare nequiueram: integrum mihi visum est, non adire fabricam lapidum, sed eos potius, in quibus viget ipsius Ecclesiæ sacramentum. Sub persecutione quippe Iudaica, vbi erant Apostoli, illic etiam primitiua dicebatur Ecclesia. Nunc etiam cum Simon ille, veternosus scilicet trapezita, malleum & incudem reparat, cum Romanam Vrbem velut officinam sibi per monetarios pestiferæ negotiationis vsurpat: quo vos Petrus vobiscum fugiens attrahit, illic esse Romanam Ecclesiam, omnibus indubitanter ostendit. Vnde ego cum ecclesiasticum vobis regimen renuntiare disposui: non erraui, quia Romanæ (quæ vos estis) Ecclesiæ quod suum erat, digne restitui, & (vt vobis me confessum esse profitear) pro hac refutatione centum annorum pœnitentia est mihi consequenter iuncta per illa nimirum remedia, quæ monasticis sunt regulis instituta. quod si parum videtur, vos etiam superaddite, vltra etiam carcerali, si placet, custodiæ mancipate. Post tot enim vagationis, & noxiæ libertatis excessus quid restat, nisi vt me relegationis, atque silentij censura coerceat?] D

[a] *Psal.* 115.

VBI PAPA IBI ROMA.

QVAE IN HILDEBRANDVM PETRVS.

Post hæc autem ad Hildebrandum ipsum Archidiaconum, quem expertus esset suis votis obniti, conuersus, ita illum exagitat: Sed adhuc fortasse blandus ille tyrannus, qui mihi Neroniana semper pietate condoluit, qui me colaphizando demulsit, qui me certe aquilino (vt ita loquar) vngue palpauit, hanc querulus erumpet in vocem: Ecce latibulum petit, & sub colore pœnitentiæ, Romæ subterfugere quærit accessum, lucrari machinatur de inobedientia otium, & ceteris in bella ruentibus, hic sibi degeneris vmbræ quærit opacũ. Sed ego sancto satanæ meo respondeo, quod filij [b] Ruben & Gad Moysi ductori suo respondisse dicuntur: Nos, inquiunt, armati & accincti pergemus ad prælium ante filios Israel, donec introducamus eos in loca sua &c. hoc itaque modo comitaturus quidem vos arma corripio, sed vobis, duce Christo, post bella victoribus, mox recedo.] E

[b] *Num.* 32.

PETRI DAM. IVSTVM PROPOSITVM.

Ita quidem Petrus abdicauit se ab Episcopatu, vt tamen recedens in solitudinem certare non prætermiserit aduersus schismaticum pseudopontificem pro Apostolica Sede, pro qua semper, cum iussus est ab Alexandro, legationes subijt, missus trans montes. Sic namque in proposito sibi fuisse alibi narrat, vt manens in solitudine, semper cum obedientia iuberet, inde recederet, vel occasione Synodi celebrandæ, vel susciendæ legationis. Iam enim antea ea conditione incolendi eremum firmo mentis proposito stabiliuit, permotus oraculo viri sanctissimi, de quo in epistola ad Theuzonem hæc inter alia: Sæpe rogatus vt pro necessitatibus ecclesiasticis, vel fœderanda pace procederem, cum mihi detrimentum esse pernoscerem, licet alij prouenirent;

niret; hunc Fratrem ea fide consului, vt illi diuina gratia dignaretur infundere, quod mihi decerneret expedire. protinus sancta simplicitas ad id quod propositum erat, compendiosæ responsionis clausulam fixit: Quid, inquit, prodest candelæ si alijs luceat, cum se interim eadem flamma consumat? Hoc responsum, fateor, lætus arripui, & tamquam diuinitus datum, salua tantummodo charitate & obedientia, seruare decreui] hæc ipse. Sed & sententia sancti Hieronymi se ad hoc permotum in dicta epistola ad Alexandrum & Hildebrandum, affirmans hæc subijcit: Deponenda est ergo sarcina, quam baiulare non possumus, meliusq. est pondus abijcere, quam cum detrimento Domini, cuius sum seruus, fractis ceruicibus interire. sufficit nunc ad hoc testimonium solum B. Hieronymi, quod necdum hora transacta, sub oculis habuisse me memini. Dum enim de otioso pastore Ecclesiæ scriberet, adiecit ilico: Igitur indignantis Domini ferietur responsione: [a] Serue nequam, quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, & ego veniens cum vsuris exegissem illam? quod idem Doctor protinus exponens ait: Id est, deposuisses ad altare, quod ferre non poteras. Dum enim tu ignauus negotiator denariorum tenes pecuniam, alterius locum, qui pecuniam duplicare poterat, occupasti. Hoc ego sancti viri consilium, fateor, libenter arripui, & onus, cui succumbere compellebar, abieci. primo pecuniam, quam duplicare non poteram, negotiator ignauus ad altare deposui] hæc Petrus post recensita plurimorũ sanctorum virorum, qui se ab Episcopatu abdicarunt, quæ ipse esset imitatus, exempla. B

[a] *Luc.* 19.

QVALIS STATVS CVRIAE ROMANAE.

Excusauit se etiam eadem epistola apologetica, quod viuere nesciret cum eis, quibuscum adeo moribus dissentiret: deplorans namque eius tẽporis Ecclesiæ statum, hæc addit: Fuit enim olim, sed iam elapsum est tempus, vt modestiæ pudor, mortificationis insigne, digna seueritas, & sacerdotalis ingenij valeret seruari censura. Nam vt me solum digne coarguam, videtis ipsi, quia protinus vt ad vos veni, ecce sales, ecce facetiæ, lepores, vrbanitates, dicacitates, volumina quæstionum, omnesq. verborum inanium pestes insolenter erumpunt, quæ nos non iam sacerdotes, sed potius oratores ac rhetores, siue (quod inhonestum est) scurras ostendunt. Mox enim vt verba conferimus, paulatim quædam lenocinia cõfabulationis adulterinæ subrepunt, & omnem animi vigorẽ indecenter emolliunt, & seueritatis robur in excussum risum, & turpes iocos dissoluunt. Hinc est, quod mens extra se sparsa confunditur, acies cordis obtunditur, lux diuini amoris extinguitur, terror in alios & reuerentia sacerdotalis amittitur; & quod periculosum est, recte viuendi linea, quæ alijs ad exemplum proponenda fuerat, non tenetur. Quod si nos pudore, vel metu hæc declinare contendimus: mox inhumani, rigidi, & quos Hircanæ genuerint tigres, saxei iudicamur. reprimo calamum. Nam vt turpiores attexantur ineptiæ, rubore suffundor, videlicet, venatio, aucupium, alearum insuper furiæ, vel scachorum, quæ nimirum de toto quidem sacerdote exhibent mimum, sed præcipue in oculis, manu & lingua, quasi mimum verum simul efficiunt: sicq. conditos, & qui suauius sapiant, cibos dæmonum mensis apponunt. C D

DE LVDO SCACHORVM EPISCOPIS INTERDICTO.

Hic plane, si quod mihi de venerabili Florentiæ ciuitatis Episcopo contigerit, recolo, alienum esse ab ædificatione non credo. Dum aliquando illi essem comes itineris, vespertinum tandem subeuntes hospitium, ego me in presbyteri cellam semoui; is vero in spacioſa domo cum commeantium turba resedit. Mane autem facto a meo agasone significatum est, quod prædictus Episcopus ludo præfuerat scachorum. Quod profecto verbum velut sagitta cor meum acutissime pupugit, & indignationis vulnus inflixit. Hora autem, quæ mihi videbatur, electa, conuenio hominem, & acriter inuehor, hoc mihi sermonis initium arripiens, aio: Librata manu virgas & exero, & plagas infligere quæro, si sit qui terga subijciat. & ille: Si auferatur, inquit, culpa, non recusabitur pœnitentia. Rectene, inquam, tuiq. erat officij vespere in scachorum vanitate colludere, & manum, Dominici corporis oblatricem, linguam inter Deum & populum mediatricem sacrilegi ludibrij contaminatione fœdare? præsertim cum canonica decernat auctoritas, vt aleatores Episcopi deponantur? & quid prodest ei, quem efficaciter auctoritas damnat, etiam si extrinsecus iudicium non accedat? Ille autem ex diuersitate nominum defensionis sibi faciens scutum, ait, aliud esse scachum, aliud aleam; aleas ergo auctoritas illa prohibuit, scachos vero tacendo, esse concessos. ad quod ego: Scachum, inquam, Scriptura non ponit, sed vtriusque ludi genus E

Universidad de Deusto
Biblioteca

aleæ nomine comprehendit. Quapropter dum alea prohibetur, & nominatim de A
ſcacho nihil dicitur, conſtat procul dubio, vtrumque genus comprehendi vno vocabulo, vnius ſententiæ auctoritate damnatum. Tunc ille (vt mitis animi, & perſpicacis ingenij) redditis rationibus humiliter acquieuit: culpam nullatenus iterandam, certa pollicitatione conſtituit: iniungi ſibi pœnitentiam poſtulauit. Cui mox præcepi, vt ter Pſalterium meditando percurreret, ac duodecim pauperum pedes ſub totidem numiſmatum erogatione, eorumq. recreatione lauaret. hac ſcilicet ratione perſpecta, vt quoniam hæc culpa manibus, & ſermone commiſſa erat, lauando pauperum pedes, ſuas potius a culpæ contagio manus ablueret, & imprimens alienis veſtigijs ora, pacem ſibi cum Domino, quem per flendos iocos offenderat, reformaret. Hoc autem
diximus, vt, quam inhoneſtum, quam abſurdum, quam denique fœdum ſit hoc ludibrium in ſacerdote, ex alterius emendatione noſcatur] hæc Petrus. Quem ſciolus B
quiſpiam redarguat alucinatum, dum ſub aleis redigit ſcachos, quos non vt aleas, dubia fortuna voluit, ſed humani ingenij acumen exercet. Sit vtcumque velit, ad Pauli
a 1. Cor. 10. [a] ſententiam redigendi proculdubio ſunt ſacerdotes, qua ait, non licere, quæ non expediunt, non licere, quæ non ædificant. Iuxta quam ſanctus Bernardus, iocos in ore ſæcularium eſſe iocos; in ſacerdotum vero ore blaſphemias eſſe pronuntiat. Quod autem in mimum transformari contendat, qui ſcachis ludit, ad illud plane videtur alludere, quod tota illa ludendi ſeries belli ſpeciem repræſentet, & ille denique victor exurgat, qui Regem ligneum ſic obſederit, vt nullum, quo pergat, effugium habeat. ſed ad propoſita redeamus.

Eadem illa ſua, quam diximus, ad Alexandrum, & Hildebrandum Apologia, inter
DE CONVIVIIS REPREHENDENDA. alias illam excuſationem attexuit, quod minime ferre poſſet menſarum luxum, quem C
apud Cardinales atque Epiſcopos viderat frequentari: Quotidie, inquit, regales epulæ, quotidie apparatus, quotidie nuptiale conuiuium. & vnde refrigerari debuerant
* trabearum indigentes, rubentium * tabularum reficiant geſtatores: & cum Epiſcopus diſpenſator promptus debeat eſſe pauperum, ad eorum menſam affluentibus delicijs alieni ructant, cum & illi, quorum eſt tota ſubſtantia, procul excluſi, famis inopia contabeſcant. Inter hæc omnia porro mala & illud excedit, & diabolicam propemodum videtur æquare nequitiam, quia prædijs in militiam profligatis, omniumq. poſſeſſiones terrarum, inſuper & decimæ ac plebes adduntur in beneficijs ſæcularibus. quæ profecto liberalitas inhoneſta & indigentibus adimit vnde viuant, & diœceſanos deterret, vt decimas non perſoluant. Vna res ſcilicet & illis ſubtrahit corporale ſubſidium, & iſtis periculum prouidet animarum] ad finem perorans hæc habet, depre- D
cans quietem & pacem:

Nolite mihi de cetero eſſe moleſti, vt quietis portum, in quem, Chriſto per vos gubernante, relapſus ſum, deſeram, & ſpumantes procellarum cumulos, confragoſa volumina, Scylleam voraginem denuo ſulcare contendam. Quamuis enim ego miſer, ille ſit ſanctus, quia tamen patet mihi quodammodo cum Samuele cauſa non diſpar; promatur ſuper vtrumque ſententia. Ille ſiquidem principatus deſeruit digni-
b 1. Reg. 16. tatem, [b] Dauid tamen vnxit in Principem: nos etiam ad eius exemplum, Apoſtolicæ Sedis, auctore Deo, cupimus ordinare Pontificem, & protinus a pontificatus arce recedere] hæc Petrus, quod eſſet Epiſcopus Oſtienſis, cuius eſſet, conſecrare Pontificem, ſignificans ſe huic muneri non defuturum, ſed eo impleto, mox in eremum reuerſurum. nullus enim poterat alius creari Oſtienſis Epiſcopus, niſi cum ipſe Pontifex con- E
ſecratus eſſet. Hæc enim appoſite voluit expreſſiſſe, ne ſe abdicando videretur ſubterfugiſſe, quo minus Alexandrum conſecraret Romanum Pontificem. Qui electus Pontifex differre conſecrationē voluit, quouſque ſynodali decreto ſua ipſius electio canonice facta cognoſceretur, atque rata pariter haberetur. quod fieri cōtigit anno ſequenti.

QVAE ALEXANDER PAP. AD PETRVM. Alexander autem his acceptis a Petro litteris, ad eum prolixiorem officij plenam reſcripſit epiſtolam, illud ab eo exigens, vt quia iam non liceret ipſius frui verbis, litteras ſaltem legere concederetur. At licet illæ Alexandri Papæ ad Petrum non extent litteræ; ex ijs tamen, quas ad ipſum reddidit Petrus, poſſumus earum ſaltem aſſequi argumentum. extant ipſæ in codice ſancti Petri baſilicæ Vaticanæ, eſtq. ipſarum exordium: Redditas mihi ſanctitatis veſtræ litteras &c.] & paulo inferius: Dixiſtis enim, etſi non his verbis, quia propter contemplationis ſtudium, cui vigilanter inhæreo, non debe-

A deberem prorſus omittere, quin vos aliquando dictaminibus viſitarem. Ego ſiquidem, quantum ad te, venerabilis pater, qui de ponderis Epiſcopalis abiectu mecum vnanimiter concordaſti, contemplādi quidem atque dictandi perfruor otio, ſed a moleſtijs aduentantium cauſarumq. negotijs ingruentibus non reſpiro.

Porro autem, dum intra cellulæ me ſepta concludo, velut in portus ſinu, vel in litorea ſtatione conſiſto. ſed quid prodeſt? Nam dum illic iam quaſi ſecurus quieſcentis otij potiri tranquillitate deſidero; ecce ſæuientis mundi me flabra concutiunt, cauſarum inundantium fluctus feruentius intumeſcunt, flatibus iniuriarum procelloſis illidor, violenta prædiorum, vel quorumcumque prouentuum diminutione perturbor, dicens cum Propheta: [a] Expectauimus pacem, & non eſt bonum: tempus curationis, a Ierem. 8.
& ecce turbatio. Interea non deſunt, qui de animarum quoque ſuarum exigant ſa-
B lute conſilium; & inſuper (quod durius eſt) a non pontifice pontificale nituntur extorquere iudicium: & hoc modo, qui Epiſcopatum fugio, Epiſcopatum non euado, & ſub ſacerdotali fatigor onere, qui ſacerdotalis ſolij de thronizatus ſum dignitate. His itaque vallatus anguſtijs nitor ad contemplationem, moxq. collabor, & tento, ſed præſto deficio: contemplationis ſumma non penetro, in compunctionis lacrymas non erumpo. Mens enim terrenis obtenebrata negotijs, fruſtra ſe in contemplationis culmen attollere nititur, dum actionum ſæcularium merito, quaſi congeſtis lapidum ruderibus aggrauatur] hæc & alia reſpondens ad ea, quæ de ipſius contemplatione ſcripſerat Alexander.

Sed & inferius de inopia miniſtrorum ſic queritur: Et hæc eadem terrena turbatio, DE PENVRIA MINISTRORVM.
quæ videlicet a contemplationis intuitu mentis obruit aciem, ſcribendi quoque mihi
C nihilominus adimit facultatem. Huc accedit, quoniam licet ego dictare forte quid valeam, deeſt antiquarius, qui tranſcribat. ſed cur ego negatæ tranſcriptionis queror incuriam, cum non modo quiſpiam quæ ſcribo, transferre, ſed nec celeri quidem vacet lectione percurrere? Eccleſiarum plane quoque rectores, quibus potiſſimum huius rei cura debuiſſet incumbere, tanto mundanæ vertiginis quotidie rotantur impulſu, vt eos a ſæcularibus barbirafium quidem diuidat, ſed actio non diſcernat: nec ſacra meditentur eloquia Scripturarum, ſed ſcita legum, & forenſe litigium. Multitudini ſacerdotum non ſufficiunt tribunalia iudicum, & aulæ regiæ dum clericorum & monachorum euomunt turbas, breuitatis ſuæ conqueruntur anguſtias. clauſtra vacant, Euangelium clauditur, & per ora eccleſiaſtici ordinis forenſia iura decurrunt &c.] iſtæ iuſtæ querelæ Petri ad Alexandrum, quibus ſtatus præſentis Eccleſiæ deſignatur, atque
D magnopere deploratur.

Quod autem Alexander Papa Comitatum Oſtienſem, qui eius eccleſiæ videbatur annexus, in alium tranſtuliſſet, eo nuntio ſe magnopere lætatum eſſe ſignificat, rogans eum, vt hoc ipſum faciat de eccleſia Oſtienſi. ait enim prope finem epiſtolæ: O DE COMITATV OSTIENSI ALII TRADITO.
quam iucundum, quam ſuaue nuntium, quam denique dulcis ad aures meas nuper fama deuenit, quæ vos Oſtienſem Comitatū mihi ſubtraxiſſe, & alij tradidiſſe perhibuit. Romanus enim quidam velut accuſans te apud me, & tamquā mihi condolens atque compatiens, quod factum erat, innotuit: ſed quem accuſare ſe credidit, neſciens commendauit. Ego quidem primo, quaſi grauiter tuli, ſed erumpentibus quibuſdam lætitiæ ſignis, vel ſuperficietenus quidem mœrorem ſimulare non potui. Vltro etiam diuinam imploro clementiam, vt Epiſcopatum quoque quantocyus ordinare non diffe-
E ras, & ſterile arenoſi litoris aratrum mihi de manibus tollas. Non eſt enim huius temporis, vt qui puritatis & innocentiæ tramitem tenere deſiderat, eccleſiæ baiulare regimen acquieſcat] Atid minime aſſecutus eſt Petrus. Alexander enim quantumlibet ipſi de abdicatione Epiſcopatus acquieuiſſet; tamen tanti viri reuerentiæ cauſa alium, ipſo viuente, ſubrogare Epiſcopum penitus recuſauit. in fine autem: Ne, quæſo, miremini, ſi tenor huius epiſtolæ ſtylo currat incurio: quia dum manus ad iaciendos apices properat, hinc Cadalous draco videlicet tæterrimus ſufflat; illinc virulenta ſerpentium turma de cauernis ſuis egreſſa conſibilat. Quos quia non poſſumus incantationibus frangere, paramus ſquamea colla gladijs obtruncare] alludens puto ad ſcripta illa, quæ diximus aduerſus eumdem pſeudopapam ſchiſmaticum elaborata.

Quod autem accepiſſet Petrus, ab Alexandro ipſo proxime Synodum celebrandam, verſiculis octo in fine eiuſdem epiſtolæ additis, voluit ipſum Pontificem mo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nuisse de seruanda incorrupta iustitiæ statera, sic scribens: Sed quia Synodus immi- A
net, pedestres etiam versiculos subdo:

AD PAPAM ALEXAN. ADMONITIO.

Sedis Apostolicæ qui vult retinere vigorem,
Aequa libret rigide pondera iustitiæ.
Iuris enim pariles nescit suspendere lances,
Quem fauor inflectit, spes vel auara trahit.
Muneribus plena qui laxat ora crumenæ,
Iustitiæ vacuam perdit inops animam.
Cæli Roma feras tenet, & regit orbis habenas:
His si plura velit, tartara sola petit.

] ista Petrus versibus serio ludens. Qui postquam se abdicans Episcopatu in eremum est reuersus, ad Cardinales Episcopos sanctæ Romanæ Ecclesiæ litteras scripsit, proficuas ipsis quidem, vtpote qui consideraret, quod si quæ proxime inhærent capiti membra, sana essent, de reliquis inferioribus Ecclesiæ membris bene sperandum esset. Quamobrem, quos vidisset apud eos prauos mores excrescentes, litteris corrigendos putauit: quibus & cautos alios redderet, ne in eos incurrerent, memores celsitudinis amplissimæ dignitatis gradus, in quo essent diuinitus collocati, quem haud dispari vitæ cultu deberent inficere, atque se exponere, vt in scena, ludibrio detrahentium; sed vt bonum Christi odorem bene cunctis olere. epistola est prolixa satis, sed ex ipsa tantum, quæ pertinent ad institutum hic attexemus. sic se habet exordio: B

CARDINALES EPISCOPOS ABSENS PETRVS DAM. ADMONET.

Cardinalibus Episcopis Apostolicæ Sedis Petrus peccator monachus salutem in Domino.

Sicut verba præsentibus indicia sensuum; sic inter absentes litteræ sunt instrumenta verborum. Bellatoriæ artis industria sicut in bello discitur, vt in pace postmodum doceatur: sic aliquando dum docetur in otio, cautius exercetur in bello. In conflictu Sedis Apostolicæ, in quo vos adhuc vnanimiter desudatis, concertator & ipse pugnaui. Sed ecce cum militari cingulo sim solutus, & in municipij pace compositus, libet docere, quod didici. Inter omnes itaque vitiorum circumfrementium acies, inter densissimas iaculorum ingruentium more grandinum tempestates, aduersus auaritiam vobis est attentius vigilandum, eiusq. sagittis semper opponendus est clypeus; quæ nimirum ad hoc præcipitanter anhelat, vt lethale miseris vulnus infligat] pluribus autem admonet, ne munera accipiant, ad hocq. suadendum ex diuinis Scripturis argumenta complura affert, quæ nimiæ prolixitatis causa vitandæ describere prætermittimus. Additq. de simoniaca labe, aitque: Non ille solummodo dicendus est simoniacus, qui dat, vel accipit de sacris ordinibus pretium, sed qui vendit Synodum, qui distrahit sacerdotale iudicium] sed cur hæc scribat, in exemplum delinquentem adducit, dum hæc inferius subijcit, dicens: Vidi, plane, dum Episcopalis apicis officio fungerer, quemdam de fratribus nostris (nomen quidem supprimo, vitium noto) qui sic subsultabat, atque gliscebat, dum præfixum synodalis Concilij tempus insisteret, ac si trituræ in fine vindemialis prouentus articulus immineret. Accingebat enim se muneribus colligendis, ad quæ vtique præscindenda non aciem ferri, sed falcem exacuebat eloquij] pluribusq. scelus exaggerans, iunctum his vitæ luxum detestans hæc addit: C D

LVXVS REPREHENDITVR EPISCOPORVM

Porro autem, qui eiusmodi sunt, non ea ad hoc conquirunt, vt inopiam, & indigentiam naturæ necessitatum sustentaculis fulciant, sed vt turritæ dapibus lances Indica pigmēta redoleant, vt in crystallinis vasculis adulterata melle vina flauescant. Ad hoc certe ditari cupiunt, vt quocumque deueniunt, præsto cubiculum operosis & mirabiliter textis cortinarum phaleris induant, sicq. parietes domus ab oculis intuentium, tamquam sepeliendum cadauer obuoluant. Mox etiam tapetis prodigiosas imagines præferentibus sedilia sternunt, * περιπετάσμασι laquearibus, nequid occiduum dilabatur, opponunt. Deinde clientium turba diuiditur; alij siquidem domino suo reuerenter assistunt, nutumq. eius si quid forte iubeatur, curiosa nimis velut rimatores siderū, obseruatione custodiunt: alij Marthæ ministerio dediti, velut hirundines inquieti per diuersa discurrunt. Inter has autem deliræ ambitionis insanias quid sibi dorsalia quærunt, quæ a suis conspici dominis non merentur? graue quidem dispendium sui patiuntur ornatus, dum in occipitio, vel ceruicibus oculi non erumpunt. & quam vtile E

* id est aulea seu vela pretiosa.

diuitia-

A diuitiarum genus, quod dum nullum vsum præter solam habeat pulchritudinem, specie tamen sua nequeat pascere possidentem: alienorum nempe dumtaxat oculorum famulatur illecebris, dum non ad aspectum, sed post tergum sui appenditur possessoris. Cui non dissimilis & illa creditur esse dementia, dum lectulus tam operosis decussatur impendijs, vt ornamentum sacrosancti cuiuslibet, vel etiam ipsius Apostolici præcellat altaris. Et quam videtur absurdum, vt stratus ille diligentius excolatur, vbi corruptibilis caro soporis quiete resoluitur, quam ara Crucis, in qua videlicet hostia Dominici corporis immolatur? Hoc ergo modo cum sobrietas soleat commendare pontifices Cardinales, effusis nunc opibus facti sunt helluones. Regalis itaque purpura quia vnicolor est, vilipenditur; pallia vero diuersis fucata nitoribus ad sublimis lectuli deputantur ornatum. Et cum domestici muricipes nostris
B aspectibus sordeant, transmarinorum pelles, quia magno pretio coemuntur, oblectant. Ouium itaque simul & agnorum despiciuntur exuuiæ, ermelini, gibelini, martores exquiruntur, & vulpes. cum illa scilicet in sacris honorentur eloquijs, & vel Ecclesiæ, vel personam exprimant Saluatoris: Oues, inquit, meæ vocem meam audiunt. *a Ioan. 10.* &: [b] Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi: De istis vero vel taceatur omnino, & indigna sint quæ Scriptura commemoret: vel si eorum reperitur vlla memoria, sinistram probantur habere figuram, sicut est illud: [c] Vulpes foueas habent &c.] *b Ibid. 1.* *c Luc. 9.*

Et inferius perstringit illos Episcopos, qui sacerdotali pompa velint se æquiparare summo Pontifici, vel sæcularibus Principibus, ipsisq. Imperatoribus, dicens: Tædet cetera vanitatis attexere non ridenda, sed gemenda ridicula. Fastidium est tot ambitionis, ac prodigiosæ vesaniæ dinumerare portenta, papales scilicet infulas, gemmis micantibus, aureisq. bracteolis per diuersa loca corruptas, Imperiales equos, qui dum pernices gressus arcuatis crinibus glomerant, sessoris sui manus loris innexas indomita ferocitate fatigant. Omitto anulos enormibus adhibitos margaritis: prætereo virgas, nō
C iam auro, gemmisq. conspicuas, sed sepultas. Numquā certe vidisse me memini pontificales baculos, tam continuo radiantis metalli nitore contectos, sicut erant, qui ab Esculano, atque Tranensi gestabantur Episcopis: vterque tamen, alter in Apulis finibus, Nicolao præsidente, alter in Lateranensi ecclesia coram Alexandro, Romanis scilicet Pontificibus sunt delecti: nec eis profuit, quod pontifices lignei auratis vsi sunt baculis, dum sacerdotij meritum non nitor efficiat vestium, sed spiritualium norma virtutum; & non micantia margarita, vel gemmæ, sed mores aurei deceant sacerdotem. Sicut enim vera sacerdotis humilitas Deum sibi conciliat, & cetera eius bona
D commendat; sic arrogantiæ tumor, & vanitatis ambitio diuinæ aduersum se indignationis iracundiam prouocat; & contra bonum, quod aliquando forsitan operatus est, pugnat] Hæcq. vbi ex nonnullis Scripturæ diuinæ locis Deo displicere demonstret, ad postremum hortatur collegas Episcopos, vt propagationi Catholicæ Fidei totis neruis incumbant, atque lucro tantummodo studeant animarum, sic dicens:

Nunc præterea Romana Ecclesia, quæ Sedes est Apostolorum, antiquam debet imitari curiam Romanorum. Sicut enim tunc terrenus ille Senatus ad hoc communicabat omne consilium, in hoc dirigebat, & subtiliter exercebat communis industriæ studium, vt cunctarum Gentium multitudo Romano subderetur Imperio: ita nunc Apostolicæ Sedis æditui, qui spiritales sunt vniuersalis Ecclesiæ Senatores,
E huic soli studio debent solerter insistere, vt humanum genus veri Imperatoris Christi valeāt legibus subiugare. & sicut tunc Romanorum Consules ex diuersis mundi partibus reportabant, peracta hostium cæde, victorias: sic isti nunc animas hominum de manu diaboli debent liberare captiuas. Ad hos quippe victoriarum titulos, ad hos debent semper inhiare triumphos, videlicet vt antiquo prædoni animarum pereuntium manubias rapere, & Regi suo Christo signa gaudeant victricia reportare] his autem diuinæ Scripturæ testimonijs comprobatis, ita demum collegas ipse compellat Episcopos: Vos, inquam, o sancti pontifices, vos potissimum, huiusmodi debetis esse prædones, qui quotidie desudetis animas hominum de manibus reprobi possessoris eripere, & triumphales Regi vestro Dauid manubias reportare. Nec tantum sufficit, cum diabolo raptus ad Deum quisque pia etiam deuotione conuertitur, nisi mox a statu sui duritia, quasi crebro sanctæ prædicationis malleo conteratur &c.]

ANIMARVM LVCRO DEBENT VACARE EPISCOPI.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ad finem vero longiorem epilogo ſtringens epiſtolã,ſic concludit: Sed vt iam,quæ A
ſupra latius comprehenſa ſunt,breuis epilogi fine concludam,& cotis functus officio,
dum ipſe non incidam, incidentis aciem ferri magis ac magis exacuam: Euellatur a
corde noſtro radicitus auaritia, concurrentibus ſcilicet omnium Scripturarum teſti-
monijs euidentiſſime condemnata, & cum [a] Achan filio Charmi quaſi tot patrum
ſententijs, quot lapidibus obruta. Non accipiendis muneribus delectemur, ne in oc-
culti cenſoris examine a ſacerdotali (quod abſit) deijciamur ordine,ſicut [b] filij Samue-
lis ob hoc Iudicialis amiſere culminis dignitatem. Non vendamus Synodum, nec
ſynodale decretum redigamus ad pretij quantitatem, ne ſacri Concilij Spiritum
ſanctum diſtrahere videamur auctorem. Sæcularis pompæ faceſſat ambitio, mode-
retur nitor, & inſolentia veſtium; epularum, ac potuum ingurgitatio temperetur.
In manus pauperum noſtra pecunia tranſeat; quæ per auaritiam turſerat, per miſe- B
ricordiam exhauſta iam crumena folleſcat: noſtræ diuitiæ, noſterq. theſaurus lucra
ſint animarum; & in arca noſtri pectoris pretioſa recondantur talenta virtutum. In
hac etiam ara principaliter ſacrificium offeramus, & profligatis quæ circa nos ſunt,
demum noſmetipſos Deo viuentes hoſtias immolemus, quatenus qui ſacerdotes in
oculis hominum cernimur; in obtutibus etiam occulti Iudicis, veri ſacerdotij iure
fungamur] hucuſque ad collegas Coepiſcopos Cardinales Petrus. Qui etſi iſta non
ferens, atque redarguens, abdicans ſe, receſſit ab Vrbe: non tamen ſe ab Eccleſia ſe-
gregauit, pro ea laborans aduerſus ſchiſmaticos & hæreticos, & eam deturpantes
homines ſceleratos; probe ſciens, non periclitari fidem prauis moribus ſacerdotum.
IN NOVATO-RES. Quem imitari oportuiſſet noſtri temporis Nouatores, qui imprudentes nimis dum
inter vtrumque æquilibrio rationis diſtinguere neſcierunt, cum prauos inſectati ſunt C
mores tunc exiſtentium ſacerdotum, Fidem quoque Catholicam mille lancinare
blaſphemijs ſunt aggreſſi, eadem lance Fidem cum moribus appendentes. nihil enim
ſtultius poteſt excogitari, quam diuina cum humanis pari definitione cenſere, atque
eadem ſententia condemnare.

Ipſe autem Petrus reuerſus in eremum, in contemplatione rerum diuinarum aſſi-
duus, & vigilans in ſacrarum ſtudio litterarum ita fuit,vt tamen opus manuale,more
veterum ſanctorum Patrum minime prætermitteret: cochlearia enim ex ligno elabo-
rabat ad vſum menſæ, quibus interdum donare conſueuit ſummum Pontificem. cu-
ius argumenti extant duo eius epigrammata: atque primum his verſibus, eiuſmodi
indito titulo: D

De cochlearibus ad Pontificem miſſis.

Dent alij fuluum trutina librante metallum:
Sed mundus viuit, quia ligno vita pependit.
Sic modicum magno lignum pretioſius auro.

] & alia vice cum quinque itidem cochlearia miſit:

Magna perexiguum manus aurea ſuſcipe lignum:
Nolo datum trutines, ſed dantis viſcera libres.
★ *Audeo quod parti, non eſt præſumere toti.*
Carmina quot ſcripſi, totidem tibi ligna poliui:
Chartula venalis, donantur cetera gratis.

] hiſce igitur luſibus,& officijs demul-
cebat abſens Petrus Pontificis animum, ne videri poſſet illi, ſe aliquam in ſtoma- E
cho habere amaritudinem atræ bilis, quam iugi ſilentio decoqueret in ſolitudine.

Sed ad ipſum iam Alexandrum Pontificem redeamus, qui ipſo ſui Pontificatus
exordio memor natalis ſoli, ſuorumq. Mediolanenſium, inter quos natus, & in Cle-
ro educatus erat, quos non poſſet præſens, abſens litteris ſaltem alloqui, vt debitum
charitatis officium ſolueret, minime prætermiſit. quas quidem litteras in Caſſinate
codice inter ſcripta Petri Damiani opportune repertas diligentia Conſtantini Caieta-
ni monachi Caſſinenſis hic deſcribere dignum duximus. ſic enim ſe habent:

ALEXANDRI PAPAE EPIST. AD MEDIOLANENSES. Alexander Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei omnibus Mediolanenſibus,Clero & po-
pulo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Diuini iudicij diſpoſitione prouiſum eſt, vt Mediolanenſis eccleſiæ filius, & Am-
broſianis vberibus ſublactatus,ad famulatum Apoſtolicæ Sedis indignus aſcenderem,
ac matri omnium eccleſiarum paſtoralis curæ ſollicitudine deſeruirem. Vnde cum
totius

[a] *Ioſ. 7.*
[b] *1. Reg. 2.*

A totius vniuerſalis Eccleſiæ cura nobis non leuis incumbat, propenſius circa vos ipſa
natura nos prouocat eſſe peruigiles: vt vnde nos conſtat originis duxiſſe primordium,
ibi etiam maioris ad æternam ſalutem habeamus ſollicitudinis incrementum. Nam
& ignis ea primum ligna conflagrat, ex quibus oritur: & fons ante omnia illas terræ
venas infundit, ex quibus profluens deriuatur. Vnde vos dilectiſſimi internæ dilectio-
nis ſtudio cohortãs rogo, vt ad cælum ſe veſter ſpiritus erigat,deceptoria terrenarum
rerum & caduca lucra contemnat, ab amore cœnoſi huius mundi ſe prudenter expe-
diat, ad creatoris ſui deſiderium medullitus inardeſcat. Eſtis enim (ſicut beatus di-
cit [a] Apoſtolus) gens ſancta, populus acquiſitionis, vt virtutes annuntietis eius, qui [a] *1. Petr. 2.*
de tenebris vos vocauit ad admirabile lumen ſuum. Quibus ergo hereditas incontа-
minata immarceſſibilis conſeruatur in cælis: abſit vt eorum mens per amorem re-
B bus ſit inuoluta terrenis.

Plane, quia etiam vulgaribus loquimur, vulgatum Scripturæ teſtimonium liben-
tius exhibemus: Mementote itaque fratres mei, quod in Oratione Dominica dicitis: [b] [b] *Matth. 6.*
Pater noſter, qui es in cælis. Quem itaque Patrem vocamus, ad eius hereditatem
tota mentis concupiſcentia feſtinare debemus. de terrena porro hereditate ſcriptum
eſt: Hereditas, ad quam in principio feſtinatur, in nouiſſimo benedictione carebit.
Cur ergo, cum dicimus: Pater noſter, præſto ſubiungimus: Qui es in cælis, & non
potius, qui es in terris, videlicet quæ nobis notiores ſunt? ſiue, qui es in aquis, aut
in abyſſis, cum vbique Deus ſit, nihilq. ab eius præſentia vacuum ſit? ſed cum dici-
mus: Pater noſter, idcirco addimus: Qui es in cælis, vt ad illam cæleſtem hereditа-
tem ſeſe noſter animus erigat, atque in tam ſublime germen adſcitus, vt ſit heres Dei,
C terrena quælibet ignobiliter non requirat. Enimuero pater fidei Abraham [c] plures ha- [c] *Galat. 4.*
buit filios, ſed ſolus ille nobilis, qui fuit vxoris; qui vero ex concubinarum ſunt ignо-
bilitate ſuſcepti, paternæ hereditatis ſucceſſione leguntur excluſi. Porro autem,dum
eos aluit Abraham, omnes dicebantur filij Abraham: at vero cum teſtamentum ve-
nit, qui eſſet legitimus heres, qui fieri deberet exheres, patenter oſtendit. Nam Scri-
ptura teſtante, [d] dedit Abraham omnem hereditatem filio ſuo Iſaac; filijs autem con- [d] *Gen. 25.*
cubinarum dedit munera, & ſegregauit eos a filio ſuo Iſaac.

Ecce itaque omnes dicebantur filij, ſed non omnes hereditatis paternæ ſunt iura
ſortiti. Sic profecto, fratres, quamplures ſunt hodie Chriſtianæ profeſſionis titulo
decorati, qui videlicet in Chriſti hereditate nequaquam merentur adſcribi: & nunc
quidem paterno vocabulo gloriantur, ſed nequaquam ad hereditanda paterna bona
D perueniunt, quia velut ſpurij, non cæleſtia, ſed terrena ignobiliter concupiſcunt. Vos CASTITATEM CLERICORVM INSINVAT.
autem, dilectiſſimi, membra mea, viſcera animæ meæ, ſic ſatagite per viam manda-
ti cæleſtis incedere, vt mens noſtra merito ſemper debeat de ſancta conſanguineorum
ſuorum conuerſione gaudere. Speramus autem in eo, qui de Virgine dignatus eſt na-
ſci, quia noſtri miniſterij tempore ſancta clericorum caſtitas exaltabitur, & inconti-
nentium luxuria cum ceteris hæreſibus confundetur. Omnipotens Deus, dilectiſſimi
fratres mei, ab omni vos prauitate cuſtodiat, & per iuſtitiæ ſemitam ad cæleſtia vos
regna perducat] hæc Alexander Papa ad clericos Mediolanenſes relapſos in priſtina
ſed ad correctionem eorum, qui magis diligerent officium dimittere, quam con-
cubinam: hos a beneficio alienos eſſe præcepit, tam ad Clerum, quam ad populum
reſcribens: [e]

[e] *c. ſi quis ſacerdotum. & ſeq. dist. 81.*

E Porro eodem tempore, ipſis primordijs eiuſdem Alexandri Romani Pontificis Me- S. ARIALDVS AD ALEXANDRVM VENIT.
diolano Romam ſe contulit ſanctus Arialdus vir Apoſtolicus, qui ſolus cum Nazario
aduerſus Nicolaitas, & ſimoniacos in eccleſia illa Mediolanenſi inualeſcentes ſtrenue
laborabat, veniens ad eumdem Alexandrum Papam vna cum Herlembaldo Duce
ſtrenuo germano Landulphi, eiuſdem Arialdi in opere ſancto collegæ. Cuius aduen-
tus quænam cauſa præceſſerit, audi a Syro presbytero in vita ipſius Arialdi ſanctiſ-
ſimi martyris, quam rebus præſens conſcripſit, ſic enim ait: Per idem tempus Lan-
dulphus ſodalis ipſius Arialdi obiens, ſuperſtitem germanum nomine Herlembal-
dum prudentem & fidelem virum, licet laicum, reliquit. Hic nuper ex Hieroſoly-
ma reuerſus, volebat tunc ſæculum relinquere, & ſe tradere vitæ monaſticæ. Cuius
fidem & conſtantiam beatus Arialdus agnoſcens; cœpit ei promittere, quod ſibi po-
tiorem apud Dominum gradum acquireret, ſi monaſterium ingredi differret, & Fi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dem Catholicam secum defenderet, atque cum ipso hæreticis & Christi hostibus resisteret. Qui volens probare, vtrum in his, quæ a beato Arialdo sibi promittebantur, veraciter se auderet confidere: sumptis aliquantis fidelibus, perrexit Romam, non per viam regiam gradiens, sed per Dei cultores in eremo & monasterijs circumquaque degentes, de re iam dicta omnes interrogans. Cumq. cuncti in vera & pura fide accensi, sententiam ei concordem vna cum beato Arialdo promerent: tandem peruenit Romam. Vbi sub ineuitabili imperio ab Alexandro Papa & a Cardinalibus ei præceptum est redire, & Christi aduersarijs in defensione iustitiæ vsque ad proprij sanguinis effusionem viriliter cum beato Arialdo resistere. Cui etiam Pontifex scilicet & Cardinales ex beati Petri parte mirificum vexillum dedere, vt quoties hæreticorum vesania vltra modum insaniret, illud in manu tenens, eos reprimeret: quod constanter per decem & octo ferme annos impleuit &c.] hæc de Herlembaldi militia Pontificis Romani sacro illustrata vexillo, qui vere Christi miles, Christianæ perfectæ militiæ numeros in omnibus adimplebat: quod discès ex his, quæ inferius sic subijcit auctor: A B

Erat enim nobilis Herlembaldus coram sæculo quasi Dux in vestibus pretiosis, & in equitibus & armis, sed in absconditio Deo sicut eremita, agrestibus indutus erat laneis. Hunc in pedum ablutione pauperum agere vidi, quod in alio nemine me reminiscor vidisse. Nam cum alicubi per vrbem vallatus magna multitudine fidelium sibi gratis obsequentium incederet, & horrentes pauperes & debiles inspiceret, clam alicui ex suis famulis innuebat persistere, atque pauperem post ipsum in domum secum ducere. Dimissis igitur extraneis, allata aqua, cinctus linteo, egeni pedes nimia cum veneratione abluebat & extergebat. Post hæc autem corpore in solo prostrato, sub ipsius pedibus caput ponebat. & tali modo mendicum & pauperem faciebat se modicum conculcare diuitem. Denique honorifice & abundanter ipsum reficiebat secum, sed & hoc opus sanctum interdum in numerum duodenum explere vidi pauperum. Verumtamen Dei zelo sic erat accensus, vt de eo in eius absentia plerumque vir Dei Arialdus suspirans diceret: Proh dolor! præter Herlembaldum & Nazarium clericum vix quemquam reperio, qui quoquo modo mihi sub falsa discretione tacere non suadeant, quatenus simoniaci & adulteri libere possint peragere opera diaboli. Multa namque bona de hoc viro familiariter cognoui, sed quia nuper in defensione iustitiæ martyrio est coronatus, in altero volumine scripta relinquo] At de his inferius suo loco sub Gregorio Papa Septimo dicendum. C

DOMINICI LORICATI TEMPVS OBITVS.

Hoc anno, pridie Idus Octobris, migrauit ex hac vita mirificus ille magnæ abstinentiæ & austeritatis vitæ vir Dominicus, Loricatus cognomēto dictus, cuius res præclare gestas scripsit Petrus Damiani ad Alexandrum Papam: vbi cum testetur, post annum ab obitu Rudolphi Episcopi Eugubini hunc esse defunctum: plane ad præsentem annum reijciendus est eius ad Deum transitus, quem magno animi sui dolore idem Petrus Damiani post tres dies, ex quo Romam se contulit, se accepisse testatur, iam prænuntiatum ab Hildebrando Archidiacono in hunc modum: Somniauerat autem (inquit Petrus ad Alexandrum Papam) quidam Frater de me, quod lumen oculorum amiseram. Quod dum ego Hildebrando Romanæ Ecclesiæ Archidiacono in Lateranensi palatio retulissem: Nequaquam, inquit, vt times, propinquæ est mortis indicium, sed familiaris tibi aliquis extinguetur, qui tibi charus sit sicut oculus, & lumen tuum ac splendor in bonis operibus videatur. & o verum, sed amarius omni felle præsagium! Tertia die, postquam Romanis mœnibus sum egressus, ecce mihi relatio crudelis occurrit, quæ mihi nil minus opinanti, cæcatum me remansisse perhibuit, dominum scilicet & illuminatorem meum Dominicum ex hoc sæculo nuper egressum &c.] vita eius inter Lipomani lucubrationes intexta legitur, ad quam amando Lectorem. D E

IESV CHRISTI ANNVS 1062. ALEXANDRI II. PAP. ANNVS 2. VACAT. IMP. OCCID 6. CONST. DVCAE IMP. 3.

ANnvs sequitur Redemptoris millesimus sexagesimusecundus, Indictione decimaquinta, quo nefandus Cadalus, siue Cadalous, cum primum auro complures

plures Romanorum animos expugnasset, ferro adhuc aperiens sibi viam, ingredi tentauit in Vrbem; sed repulsus, ad propria confusus reuerti compellitur. De his enim hæc apud veterem Romanorum Pontificum collectorem ex codice Vaticano: Cadalus mensis Aprilis decimaquarta Romam cum suo apparatu appropinquans, magnam cædem de prædictis Romanis, tam de amicis, quam de inimicis fecit. hoc vero factum fuit anno millesimo sexagesimosecundo, Indictione quintadecima] hæc quo ad tempus ibi. Res gesta autem ita in collectione Nicolai Aragonij Cardinalis: Cadalus cum multa pecunia, & conducticijs militibus ex improuiso Romæ apparuit, vbi non defuerunt homines seipsos amantes, quos sibi pecunia fauorabiles fecit: inter quos Romanorum Capitanei, volentes Vrbem deprimere, vires ei & auxilium præbuerunt. Cadalus autem eorum auxilio sperans aliquid facere posse, in Prato Neronis castra metari præsumpsit, & in prima congressione victor apparuit: sed post paululum inclyto Duce Godefrido adueniente, adeo coarctatus est atque contractus, vt absque læsione proprij corporis abire retrorsum nullatenus potuerit, nisi humilibus precibus, & effusis magnis muneribus. Rediens igitur Parmam sicut spoliatus & profugus, ab iniquo peruersitatis suæ non destitit incœpto &c.] hæc ibi, reliqua suo loco inferius. Vt plane accidisse illi apparuerit iuxta vaticinium Petri Damiani in eius epistola superius recitatum, quo prædixerat ista dicens: Qui Romanis arcibus superbus inueheris, ad solum proprium cum ignominia reuerteris.] A B C

CADALOVS ANTIPAPA VICTVS PARMAM REDIIT.

Sed nec quidem sic quieuit homo sacrilegus. Malitia nullo coerceri potest aduerso casu, quin non ebulliat in corde impij, & cum facultas datur, erumpat. Quamuis cum dedecore repulsus abscesserit, & vix elapsus cum ignominia sit reuersus ad propria: rursus tamen pecunias colligere parat, quarum ope inferatur in Vrbem. Cum Petrus Damiani ista audiens, posteriorem ad eum scripsit epistolam, quam nos ex eodem codice basilicæ Vaticanæ sancti Petri hic tibi describendam curauimus, quo improbi hominis conatus in omnibus habeas exploratos. sic enim se habet:

Petrus peccator monachus Cadaloo pseudoepiscopo quod meretur.

Si Niniue post prædicationem Ionæ ita constanter a sua se prauitate corrigeret, vt spretis semel vitijs denuo se nullatenus implicasset: propheta [a] Nahum aduersus eam nequaquam onus hoc leuaret, vt in ipso libri sui principio protinus in hæc verba prorumperet: Deus æmulator & vlciscens, vlciscens Dominus, & habens furorem, vlciscens Dominus in hostes suos, & irascens ipse inimicis suis. Scripsi tibi nuper, antequam Romam cum satellitibus satanæ fuisses aggressus, denuntians & obtestans, vt te a tam cruenti moliminis intentione compesceres, vt intra mensuræ tuæ te sepem reprimeres, & nec motum diuini furoris aduersum te, nec mundum aduersus Ecclesiam in bella nefaria concitares. Verum tu tamquam Veseuus gehennæ flammas eructans non quiescis, pecuniæ fauillas (vt ita loquar) per populum spargis, & per æstum cupidinis miserorum hominum corda corrumpis. Tuam profligas ecclesiam, vt obtineas alienam. Illinc aurum argentumq. stateris appenditur; hinc stipulationes ratæ & firmæ procedunt. sub hypothecario iure monimenta fiunt, sicq. prolabentis ecclesiæ prædia distrahuntur. Ducis post te castra, auro potius armata quam ferro, & sic nummi proferuntur e loculis, tamquam gladij vibrentur e thecis. Phalangas plane, quæ te sequuntur ad tuæ signa militiæ, non tam litui, buccinæ, vel tubæ clangor excitat, quam vena metalli vibrantis inuitat: Habens enim (vt aiunt rustici) pugillum auri, frangis murum ferreum. Sed sunt diuitiæ (ait [b] Salomon) conseruatæ in malum domini sui. Quid enim profuit aurum Ptolemæo, Regi scilicet Aegypti, qui post nauale bellum, quod Iulio Cæsari perfidus ac superbus intulerat, enecatus fluctibus, neglectus atque despectus in litore sine custode iacebat, nec aliter est inter ceteros agnitus, nisi quia aurea erat lorica præcinctus? melius ei fuerat sub pannoso tegmine viuere, quam in purpura, vel auro perire. Imperator Nero aureis retibus piscabatur, eaq. (vt historiæ tradunt) blatteis e gurgite funibus extrahebat. Sed eum nullatenus potuerunt ab imminente discrimine neque diuitiæ, neque deliciæ liberare. nam cum a Romanis pro incomparabilis enormitate flagitij ad supplicium quæreretur, pauefactus e palatio fugiens, ipse sibimet in suburbio conscius interitum. Iustinus Imperator tantam thesauri copiam possidebat, vt ad opum custodiam vxor eius arcas ferreas fabricaret: sed postmodum impos mentis effectus, dum se perdidit, etiam possessa D E

PETRI DAM. EPIST. AD CADALVM ANTIPAPAM.

[a] *Nahum.* 1.

[b] *Eccl.* 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sessa quælibet cum ipsis quoque regalibus sceptris amisit. Vnde bene per Prophetam A
a Ezech. 7. dicitur: [a] Argentum eorum foras proijcietur, & aurum eorum in sterquilinium erit: Argentum eorum, & aurum eorum non valebit liberare eos in die furoris Domini. Animam suam non saturabunt, & ventres eorum non implebuntur: quia scandalum iniquitatis eorum factum est: & ornamenta monilium suorum in superbiam posuerunt. Gothorum Dux Alaricus (vt authentica testatur historia) dum inopinatas se possidere diuitias gloriatur, apud Consentiæ regionem subita morte defungitur. Gothi vero protinus Basentium amnem a suo alueo per alium tramitem captiuorum labore deflectunt: sicq. Alaricum cum multis opibus in eodem alueo, aqua deficiente, sepeliunt; rursumq. fluuium proprio meatui iuxta consuetudinem reddunt: ac ne quis addiscere locum posset, captiuos omnes, qui interfuerunt, extinxerunt. Et o vtinam sic tuam tibi pecuniam tuus etiam miles infoderet, ne per eam, sicut iam cœ- B
pit, status Ecclesiæ deperiret; vt quod magistro tuo dictum legitur, tibi quoque me-
b Iud. 17. rito diceretur: Pecunia tua tecum sit in perditione. Habuit porro mater Michæ (sicut in libro [b] Iudicum legitur) argentum, vnde conflatum est idolum. sed absit vt tantum ex illa, quantum de tua pecunia prodierit sacrilegium. Ex illa quippe summa in vna tantum tribu Israel factum est scandalum: tua vero pecunia Christianæ Fidei, & totius sanctæ Ecclesiæ nititur euertere fundamentum.

c Ioan. 19. Et, o scelus inauditum! Pilati milites [c] inconsutilem Domini non præsumunt scindere tunicam: & tu in duos Papas Catholicam partiris Ecclesiam. Illi pendentis in Cruce Saluatoris ossa non frangunt: & tu sectis Ecclesiæ membris, quæ procul dubio
d 1. Reg. 5. corpus eius est, sacramentum violas vnitatis. [d] Captam bello Arcam Dei Israel Philistinorum Principes temerare non audent, sed clausam vndique illibatamq. conseruant: C
tu Christianæ pietatis arcanum, & non lapidearum tabularum, sed Verbi Dei viui &
e 2. Reg. 6. permanentis cæleste mysterium vexare ac soluere niteris frementium cuneis bellatorum. Si [e] Oza moritur, qui humerum supponit, ne Arca Domini corruat: quid illi
f Abd. 1. merito fiet, qui se super Ecclesiam Christi, vt in eius ruina ipse sublimis videatur, exaltat? Audi quid tibi per [f] Abdiam diuina vox dicat: Superbia cordis tui extulit te habitantem in scissuris petrarum, exaltantem solium tuum, qui dicis in corde tuo: Quis detrahet me in terram? vbi mox sequitur: Si exaltatus fueris vt aquila, & si inter sidera posueris nidum tuum: inde detraham te, dicit Dominus. Luce clarius constat, quia Dauid in Regem per Samuelis ministerium vngitur; Saul vero diuini iudicij sententia reprobatur. sed donec Saul aduixit, nec perexiguam quidem regni particulam Dauid D
sibimet vsurpare præsumpsit. Sed quid dicimus, quod Dauid, viuente Saul, regij culminis apicem non ascendit? cum & eo etiam iam defuncto, nequaquam mox ad obtinenda regalia sceptra se contulit, sed vtrum ius saltem habitandi in qualibet regni vrbe mereretur, humiliter inquisiuit, dicens: Num ascendam in vnam de ciuitatibus Iuda? cui cum diuinitus diceretur: Ascende: non mox, in quam sibi melius videretur, credidit ascendendum: sed geminat inquisitionem, vt capiat certitudinem. Inquirit adhuc, quo potissimum ascendere debeat, ne iudicium se disponentis in aliquo vel
g 2. Reg. 2. minimo (quod absit) offendat. Quo, inquit, ascendam? ait Dominus: [g] In Hebron. Dauid ergo Rex in regno sibi diuinitus tradito non modo regnare, sed nec quidem habitare præsumit, nisi diuinæ iussionis adhuc renouetur imperium: & nos, qui sacerdotes dicimur, alienas ecclesias prædonum atque raptorum more peruadimus, E
easq. mundo stupente, Deo prohibente, contra decreta legum, contra sententias ca-
h Ierem. 5. nonum venali commercio redimere festinamus. de quibus sub adulterorum specie per Ieremiam dicitur: [h] Saturaui eos, & mœchati sunt, & in domo meretricis luxuriabantur: equi amatores in feminas emissarij facti sunt, vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat. vnde & sequitur: Numquid super his non visitabo, dicit Dominus? & in gentem talem non vlciscetur anima mea?

PECCATVM PECCATORVM QVOD SIT. Enimuero sicut per auxesin dicitur Sancta Sanctorum & Cantica canticorum: sic Romanam Ecclesiam venaliter distrahi, peccatum est vtique peccatorum. Quamlibet quippe ecclesiam redimens, simoniacus est: qui autem Romanam Ecclesiam ad taxationem pecuniæ redigit, quid aliud quam omnes per orbem terrarum ecclesias, quibus illa prælata est, venaliter vsurpare contendit? Sane sicut triginta denarijs Iudas Iscarioth Dominum vendidit: ita triginta numero maledictiones eius reperiuntur in

A in [a] Psalmo, quem aduersus eum Propheta descripsit. Quæ scilicet maledictiones ab a Psal. 118.
eo versiculo incipiunt, vbi dicitur: Constitue super eum peccatorē. illic vero desinunt, vbi subiunctum est: Operiantur sicut diploide, confusione sua. Si ergo iuxta peccati modum maledictionis suæ damnationis ponderatur elogium: quantæ perditioni Romanæ Ecclesiæ mercator erit obnoxius, qui dum vnam negotiatur, omnes simul ecclesias comparare conuincitur? Quamobrem non dubites hanc in te redundare sententiam, quam per Ezechielem Deus intentat, dicens: [b] Venit tempus, prope est dies b Ezech. 7.
occisionis, & non gloriæ montium. Nunc de propinquo effundam iram meam super te, & complebo furorem meum in te: & iudicabo te iuxta vias tuas, & imponā tibi omnia sceslera tua, & non parcet oculus meus, nec miserebor, sed vias tuas imponā tibi, & abominationes tuæ in medio tui erunt: & scies, quia ego sum Dominus percutiens te.

B Defuncto Cæsare Augusto (cuius videlicet tempore Saluator noster nasci dignatus est) mœrens Romanus populus lugubre clamitabat, videlicet: Aut non nasceretur, aut non moreretur. De te autem Cadaloe merito dicitur, videlicet: Aut non nascereris, aut ilico morereris. Fuisset vtique secundum Scripturam [c] conceptus tuus c Ierem. 20.
conceptus æternus: abortisset mater tua, non peperisset, & aborsum potius fudisset, quam sobolem genuisset. Narrat Eutropius, quia paulo antequam Saguntini ab Hannibale famis inopia caperentur, ne vltimis cogerentur interire supplicijs: cum mulier quædam iam pene fuisset enixa, infans repente regressus in vterum illius ciuitatis portendit exitium. Optaremus etiam, vt tu quoque in viscera materna regressus super vrbem vnam potius triste prodigium intentares, quam ad ætatis incrementa perueniens, totam Ecclesiam Catholicam non iam significatione, sed ipsa potius
C operatione destrueres. Ad hoc enim te furiosa dominandi libido, & non apperendæ sublimitatis præcipitauit insania, vt vnius Episcopatus non sis mensura contentus, sed super vniuersalem Ecclesiam generalem ambias principatum, & vt solus emineas, totum orbem in præcipitium mergere non formidas. Plane Diocletianus Imperator (sicut historiarum tradit antiquitas) regalis fastigij insigne deposuit, & non procul a Salonis per nouem fere annos vsque ad obitum priuatus in amœna virentis hortuli cultura permansit. Qui cum ab Herculeo atque Galerio ad recipiendum obnixe rogaretur Imperium: tamquam pestem aliquā perhorrescens hoc fertur dedisse responsum: Vtinam Salonæ possetis olera visere, nostris manibus instituta, profecto numquam iudicaretis hanc sarcinam nostris iterum ceruicibus imponendam. Cum pater Magni Constantini Constantius atque Galerius crearentur Augusti, Romanus inter
D eos diuisus est orbis, vt Galliam, Italiam, Africamq. Constantius; Illyricum, Asiam, simul & Orientem Galerius obtineret. At Constantius Augusti dumtaxat cum Gallijs dignitate contentus, Italiæ simul & Africæ administrandæ sollicitudinem recusauit. Vir autem ille egregius & præstantissimæ ciuilitatis, dum priuatorum & prouincialium diuitijs studuit, Fisci commoda non admodum affectauit, melius iudicans publicas opes a priuatis haberi, quam intra ærarij vnius angustias reseruari.

Reges ergo Gentium propter curarum ingruentiū tædium amplioris regiminis iura contemnunt, Imperialium dignitatum apicem fugiunt: & sacerdotes Dei, qui hæc specialiter prædicare debuerunt, in superbiæ se cornibus eleuant & non sacerdotalem, sed regalem, immo tyrannicam ferulam arripere super humanum genus anhelant. Illi concessa ordini suo arma deponunt, vt quietis otio perfruantur: isti constipati le-
E gionibus armatorum, velut hostium castra Christi Ecclesiam impetunt, & in gladio corruentium sanguine, tamquam brutorum animalium pinguedine saginantur. Strix malefica etiam si alienum sanguinem fugit, suis tamen pignoribus parcit. Saturnus dum deuorare proprium filium nititur, in suis se dentibus lapidem inuenire miratur. Romanos certe tuos esse filios asserebas, quos tamen in ore gladij deuorare non vt pater, sed tamquam crudelis vitricus decreuisti. In fortibus quidem velut lapideam reperisti duritiam; sed ex miseris atque debilibus gauisus es triumphalem te reportare victoriam. In quo plane certamine & tu Regis Totilæ iudicaris superare tyrannidem, & tuus miles Gothorum excedit immanitatem. Ille namque (sicut nota narrat historia) cum Romam circumfusis militibus obsideret, & inclusus populus tanta laboraret inedia, vt iam pignorum suorum matres decreuissent artus absumere: tandem per Ostiensem ingressus est portam, qui parcere Romanis ciuibus cupiens, per totam noctem

Universidad de Deusto
Biblioteca

noctem clangere tubam iussit, vt dum irrupisse hostem buccina diutius intonante pernosceretur, a Gothorum se gladijs, quibuslibet interim latibulis occultarent. Tu autem, milesq. tuus tantam plebis inualidæ atque imperitæ bellorum stragem dedisti, vt cæsorum numerus ignoretur. Certe dum Pompeius aduersus Cæsarem ciuili prœlio dimicaret, inter hortandum cuique tantum aiebat: Parce ciuibus; cum Cæsar e contrario insisteret, inquiens: Miles faciem feri. Tu itaque Cæsareæ crudelitatis instinctu dum accendis animosa corda satellitum, retulisti manubias & spolia
a 1. Mac. 3. de cadaueribus peremptorum, vt de te per similitudinem dici possit: [a] Et de prœlijs Iuda narrabant Gentes. Et in his omnibus nihil anniteris, nisi vt Præsulem Apostolicæ Sedis eijcias, & cathedram non vacantem alieni iuris inuasor obtineas.

Sed vt noueris, quia molimen hoc nequaquam tibi faustum concedet in exitum, de proxima tibi atque contigua regione præbeamus exemplum. Conuicina autem tibi regio Placentia est, cuius Episcopus non diu ante nostram ætatem subdolæ callidatis artifex extitit, & ad instar tui, sublimitatis, & gloriæ satis superq. ambitione flagrauit, adeo vt prius ante se gestandam (sicut & tu nunc agere diceris) crucem argenteam impetraret. qui etiam cum Imperatrice, quæ tunc erat, obsceni negotij dicebatur habere mysterium; deinde sensim ad maiora prosiliens, tandem Apostolicam Sedem familiaris tibi pecuniæ patrocinio violenter inuaserit. Eiecto itaque Gregorio, Imperatoris Ottonis vtique consanguineo, Romanæ Ecclesiæ cathedram non vt sacerdos magnus, sed vt fur, atque tyrannus obtinuit. Sed paulo post respiscente Quiritum populo, atque in zelum dignæ vltionis vnanimiter exardescente, irruentes in eum manus injiciunt, oculos eruunt, aures, naresq. præcidunt. Expertus est ita-
b Ezech. 23. que, quod & tunc sibi, & nunc tibi per [b] Ezechielem prophetam Dominus commi- C
natur, dicens: Venient super te instructi curru & rota populorum multitudo: lorica, & clypeo, & galea armabuntur contra te vndique: & dabo coram eis iudicium, & iudicabunt te iudicijs suis. Et ponam zelum meum in te, quem exercent tecum in furore: nasum tuum, & aures tuas præcident, & quæ remanserint, gladio concident. & vt attentione tua condignam prosequamur vsque ad finem historiam, postquam Romani ita, vt dictum est, rependissent pontifici; mox ante retro conuersum in asello gloriosum equitem posuerunt, tenentemq. sui vectoris in manibus caudam, per publicam totius Vrbis viam hæc vt caneret, impulerunt: Tale, inquiens, supplicium patiatur, qui Romanum Papam de Sede pellere nititur.

Audiat igitur tale quilibet Ecclesiæ fornicator exemplum, expaueſcat idipsum hodie
c Ibid. die super diuinæ seueritatis inuigilare iudicium. audiat quid per eumdem [c] Prophe- D
tam tibi diuina vox dicat: Nouissimum, inquit, tuum deuorabitur igni, & denudabunt te vestimentis, & tollent vasa gloriæ tuæ, & requiescere faciam scelus tuum a te, quia hæc dicit Dominus: Ecce ego tradam te in manus eorum quos odisti, in manus, de quibus satiata est anima tua, & agent tecum in odio, & tollent omnes labores tuos, & dimittent te nudum & ignominia plenum, & reuelabitur ignominia fornicationum tuarum: scelus tuum, & fornicationes tuæ fecerunt hæc tibi. Propriam quidem dimittere, & alienam Ecclesiam simoniacis contaminationibus profanare, per extremæ fornicationis genus agnoscitur. Porro autem si tu culmen Apostolicæ Sedis fueris, Deo mundum negligente, sortitus; gliscunt, & exultant omnes reprobi, omnes Christianæ religionis tripudiant inimici. E contra quicumque Dei iustitiam esurientes sitiunt, qui pietatis opera cernere concupiscunt, culmen adeptum totius Ec- E
clesiæ præcipitium credunt] hucusque Petri epistola ad Christianorum cæde madentem Cadaloum, postquam victus reuersus est Parmam, Roma tunc exultante post acceptum de pseudopapa victoriam in cuius memoriam hunc scriptum fuisse versum
d Otto Frisi. lib. 6. c. 34. in palatio Lateranensi, testatur qui vidit, [d] Otto Frisingensis.

Regnat Alexander, Cadalus cadit, & superatur.

HENRICVS REX ABSTRAHITVR A MATRE. Post hæc autem in aula regia noua & inaudita prorsus contigisse leguntur, nimirum vt Anno Colonienſis Archiepiscopus Henricum Regem puerum iam annorum decem a matre Agnete Imperatrice subductum, in S. Suitberti insulam post Paschales dies naui alio sub prætextu perductum, inuitum & reclamantem Coloniam vsque perduxerit, eumq. blanditijs delinitum, ceterorumq. Germaniæ Principum obsequio frequentatum & cultum retinuerit educandum. hæc cum eius temporis Scriptores

A ptores referant, de causa, cur ad hæc facienda Colonienſis permotus fuerit, est diuersa sententia. Lambertus affert eam, quod id fecerit, ob inductam in suspicionem pudicitiam Imperatricis propter frequentiorem consuetudinem cum Henrico Episcopo Augustensi, regni negotia iussu eiusdem Agnetis administrante. Sed ista non creditur; tum quod Agnes ipsa omnium pudicissima haberetur: tum etiam, quod per eiusmodi factum non adhiberetur remedium violatæ (vt ait) famæ Reginæ, quin potius vt magis augeretur, efficeret, relicta absque filio, filijq. aulicis ipsa libera absque arbitris, vel testibus (si ita fuisset) lubrica vidua. Adeo vt hac ex parte potius fuisset abducenda, custodiaq. munienda mater ipsa Regis, quam eius filius. Quamobrem certior illa veriorq. causa probatur, vt eo modo regni regimen auferretur a matre, & abillis, qui ab ea eius administrationi præfecti erant, quorum arbitrio cuncta male mi-
B sscerentur, atque plane auditu nefanda perpetrarentur. quæ enim sunt subsecuta, perspicue ista declarant: siquidem correcta sunt mala illa, quæ eiusmodi ministrorum nequitia fuerant, orbe terrarum detestante atque reclamante, commissa. Erat horum princeps Guibertus Parmensis, de quo ista in Gestis Romanorum Pontificum in Nicolao Secundo a Nicolao Aragonensi sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali collecta leguntur: Eodem vero tempore Imperatoris Henrici relicta vxor cum paruulo filio gubernacula Italiæ regni tenebat, quæ inter cetera femineæ leuitatis acta cuidam Parmensi clerico Guiberto, nobili progenie orto, curam ipsius regni & Cancellariam commisit] cuius fauore eiusdem ciuitatis Episcopo Cadalo ad Sedem Apostolicam inuadendam administratæ sunt vires. cuius etiam ope pariter atque consilio, infame illud atque pudendum conciliabulum Basileæ (vt vidimus) fuerat contra Romanum
C Pontificem celebratum.

Quod autem ista mox correcta fuerint, vbi Rex a matris cura fuit ablatus: plane ea peragendi fuisse causam ostendunt. siquidem vt eadem Pontificia habent Acta, Guibertus in ordinem statim redactus est in Comitijs paulo post habitis omnium Principum Germanorum, in quibus (inquiunt eadem Acta) Annoni Colonienſi Archiepiscopo administratio regni, & Regis custodia fuit demandata, qui prædictum Guibertum Parmensem, quem Imperatrix Cancellarium fecerat, sine mora deposuit, & in locum ipsius Gregorium Vercellensem Episcopum ordinauit] Sed & vigilans studium eiusdem Colonienſis Archiepiscopi, quo vt componerentur res Romanæ Ecclesiæ, atque schisma penitus tolleretur, se contulit in Italiam, Romamq. peruenit: plane dilucide satis causam insinuant, cur e matris gremio filium ipse eo modo sub-
D traxerit. Quod licet audax Annonis facinus, hactenus intentatum, tamen a laudatis viris laudatum inuenimus, & inter alios a Petro Damiani, dum hoc anno in Gallijs * legatione Pontificia fungeretur. Cuius extant litteræ ad eumdem Colonienſem Archiepiscopum, dum esset in procinctu, conscriptæ: quæ sic se habent ex eodem codice basilicæ Principis Apostolorum acceptæ:

GVIBERTVS PARMENSIS CANCELLARIA PRIVATVS.

EPIST. PETRI DAMIANI AD ARCHIEPISCOPVM COLON.

Domno Annoni reuerentissimo Colonienſi Archiepiscopo Petrus peccator monachus dignæ deuotionis obsequium.

In expeditionis exercitio constituti, digne non possumus ijsdem manibus, & styli currentis articulum texere; & frænis equorum fluitantibus, vt dignum est, deseruire. Sed licet melius sit luculenter eloqui, quam mutire: verumtamen cum necessitas imminet, melius est vtcumque mutire, quam penitus obmutescere. Cum nobis ad me-
E moriam, venerabilis pater, labor tuus & studium venit, nobilis illa fides, atque prudentia Ioiadæ sacerdotis menti nostræ subsequenter occurrit. Sicut enim sacra (vt optime nostis) testatur historia, [a] Athalia vxor Ioram, cum Ochoziam filium a 4. Reg. 11. suum Regem videlicet Israel videret extinctum, cœpit in omne semen regium immaniter fremere, posteritatemq. Dauid crudelis Bellona tentauit funditus abolere. sed insignis ille sacerdos Ioas filium Ochoziæ pia & multis laudibus efferenda fraude surripuit, & occulte vsque ad septennium intra templi septa seruauit. Cui postmodum regalis sceptri iura contradidit, eumq. ad præsidendum Israelitico populo iuxta proauorum suorum consuetudinem roborauit. Mox vero, tamquam hoc egregio non sufficeret sacerdoti, confirmato Regis imperio, ad vtilitatem sacerdotij, siue templi suam prouexit industriam, & cum præfato Rege ad ordinandam & disponendam consacerdotum suorum se contulit disciplinam. Nam & sarta tecta templi, vt in-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſtaurarentur, inſtituit; & nonnulla, quæ ſacerdotibus competebant, edicta deprom- A
pſit. ſciebat enim quod vtraque dignitas alternæ inuicem vtilitatis eſt indigens: dum
& ſacerdotium regni tuitione protegitur, & regnum ſacerdotalis officij ſanctitate
fulcitur. Sed quid mihi per ſacræ lectionis ſeriem currere, niſi quia in te video eiuſ-
dem operis ſimilitudinem noſtro tempore conuenire? Seruaſti, venerabilis pater, re-
lictum tuis manibus puerum, firmaſti regnum, reſtituiſti pupillo paterni iuris Im-
perium. Ad ſacerdotium quoque manum tuæ prudentiæ protinus extendiſti, dum
& Parmenſis beſtiæ ſquamea colla euangelici mucronis vigore præcidere, & Apoſto-
licæ Sedis Antiſtitem in ſuæ dignitatis elaboraſti ſolium reformare. ſed cœpto operi
niſi poſtrema manus accedat, niſi adhibeantur adhuc illa quæ reſtant, ſanctum veſtri
operis ædificium minatur vt corruat.

Cadalous enim ille ſanctæ perturbator Eccleſiæ, euerſor Apoſtolicæ diſciplinæ, inimi- B
cus ſalutis humanæ, ille, inquam, radix peccati, præco diaboli, apoſtolus Antichriſti,
ſagitta nimirũ producta de pharetra ſatanæ, virga Aſſur, filius Belial, filius perditionis,
qui aduerſatur, & extollitur ſuper omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, velut
draco tæterrimus adhuc ſufflat, adhuc foetore venenatæ pecuniæ ſuæ hominum foe-
dat, fidemq. multorum vento perfidiæ vacillantem nouus hæreſiarcha perturbat. Si-
cut enim Iouem in Danaes gremium per aureum imbrem deſcẽdiſſe fabularum com-
menta confingunt; ſic iſte per aurum de ſuæ eccleſiæ ſacrilega deiectione quæſitum,
adulterinum Sedis Apoſtolicæ concubitum quærit, & tamquã petulcus adulter ſuam
explere libidinem in Romanæ Eccleſiæ violatione medullitus inardeſcit. Quamobrem,
venerabilis pater, vt ſancti ſtudij tui labor ad effectum omnino perueniat, & per caudã
titionis huius, immo per vnum putridum diaboli membrum apud opinionem homi- C
num Romana Eccleſia non vileſcat, & hac occaſione (quod abſit) Chriſtianus popu-
lus in errore permaneat: neceſſe eſt vt veſtra prudentia rotis niſibus elaboret, quate-
nus generale Concilium quantocyus fiat, & pernicioſi huius erroris ſpinas, in quo mi-
ſer mundus verſatur, euellat. Præterea libenter ad veſtræ ſanctitatis colloquium, ſi oc-
caſio daretur, attingerem, vt communicandum conſilium, quod abſentia prohibet,
viua conſerti ſermonis verba conferrent. Sed quoniam id fortaſſe non mereor: peto,
quæſo, & humiliter ſuggero, vt ſancta veſtra prudentia Cadaloicam rabiem, qui latra-
re non deſinit, omnino conetur extinguere, quatenus Chriſtiana religio pacifica per
vos valeat tranquillitate gaudere, vt regnum ac ſacerdotium optata per vos pace
fruatur, is qui vtriuſque dignitatis auctor eſt, pacis æternæ digna vobis præmia lar-
giatur. Sed dum equus offertur, dum ſocij omnes iter arripiunt: D

* *Ecce breuem ſperno, * ſtrenuæ veſtigia ſterno.*] hæc Petrus ad Colonienſem Archiepi-
ſcopum, & quidem non otioſe, ſed operoſe admodum: ſiquidem in opus ſtrenue
Colonienſem Archiepiſcopum laboraſſe, quæ erunt dicenda, ſignificant.

Etenim nihil moratus, vbi Rex, & quæ ſpectarent ad regnum, collocata eſſent in
CONCILIVM IN OSBORIO. tuto, ex Epiſcopis Germaniæ & Italiæ illis, quos tunc apud Regem reperiri contigit, vt Concilium cogeretur, operam dedit, cui & Rex ipſe etiam intereſſet. Sic igi-
tur autumnali tempore Concilium collectum in Germaniæ loco, qui dicitur Osbo-
rium: ita namque apud Petrum Damiani dictum reperimus in duobus codicibus,
quos vidimus, an autem mendoſe ita legatur, neſcimus, locus tamen nobis hactenus
incompertus. At non incomperta, quæ in Synodo geſta ſunt, nempe damnatum E
fuiſſe ibidem Cadaloum, recitata ibidem eiuſdem Petri Damiani ſcriptione, qua tex-
ta haberetur longa diſputatio inter Aduocatum Regium, & Romanæ Eccleſiæ De-
fenſorem, ſicq. omnium conſenſu conclamatam eſſe damnationem pſeudopontificis
Cadaloi, Alexandri vero electionẽ comprobatam. Contigit autem ipſum Cadaloum
damnari ipſis Vigiliis SS. Apoſtolorum Simonis & Iudæ, anno iam vertente ab ipſius
promotione facta (vt vidimus) eorumdem ſanctorum Apoſtolorum natali die, nem-
pe vigeſimo octaua menſis Octobris. Porro concertationem illam inter Regium Ad-
uocatum, & Romanæ Eccleſiæ Defenſorem, quam reperimus inter Petri Damiani
ſcripta, eiuſdem auctoris eſſe non dubitamus: nam ab eius ſtylo non abhorret, immo
magnopere congruit. Verum ipſe non interfuit, neque intereſſe potuit, eodem tem-
pore alterius legationis munere implicatus, vt, quæ inferius hoc eodem anno dicen-
da erunt, oſtendent. Quamobrem ab illo ad Synodum miſſam eſſe, & inter Acta ſy-

A nodalia, vbi probata fuit, relatam eſſe, par eſt credere. Sed accipe ipſam, quam ex
duobus exemplaribus hic tibi deſcribendam curauimus. ſic enim ſe habet eius titulus.

Diſceptatio ſynodalis inter Regis Aduocatum, & Romanæ Eccleſiæ Defenſorem.

Ipſo exordio Petrus Damiani eiuſdem operis auctor compellans impium Cada-
loum Antipapam, poſt alia, quæ in eum dixerat, hæc habet: Sed ad hæc gloriaris, &
iactas: Rex me & Imperatrix mater elegit, ad hunc apicem me regia celſitudo pro-
uexit: ſed cum hinc aula regia ſuum tueatur electum; illinc Romana Eccleſia pro-
prium defendat Antiſtitem, iam in ſolio conſtitutum, dignum eſt, vt ſanctorum at-
que prudentium ſacerdotum multitudo conueniat, & hanc quæſtionem ventilans,
ſub canonici iuris auctoritate diſcernat. Quoniam & in proximo, vt ſperamus, fiet
hic Osborienſe Concilium, hic iam eiuſdem Concilij conſtituamus velut in quadam a Dan. 7.
B tabella picturæ præludium. Iuxta iuſſionem ergo a Danielis, Patrum throni ſint poſi-
ti, iudicium ſedeat, libri aperiantur, & ſolutionis indiga quæſtio in medium dedu-
catur. hic itaque Romanæ Defenſor Eccleſiæ ſuas allegationes inferat: illic Aduoca-
tus Regius propriæ partis argumenta depromat. Taceat Parma cum ſuo hæreſiarcha,
aduocatio tantum regia, & Romana inuicem colloquatur Eccleſia: ſanctorum vero
ſacerdotum erecti ſint animi, vt & quæ vtrimque dicenda ſunt, conferant, & per-
oratæ cauſæ iudicialiter ſententiæ calculum ponant. Age igitur, Defenſor Apoſtolicæ
Sedis incipiat; deinde Regius Aduocatus, quæ ſibi videbuntur, oſtendat.

CAVSA RON. ECCL. QVALIS.

Defenſor Romanæ Eccleſiæ.

Cum beatitudo veſtra, venerabiles Patres, ſuper Apoſtolicæ Sedis negotio diſpu-
tat, ad cunctas eccleſias pertinere, quod verſatur in manibus, non ignorat. hac enim
C ſtante, reliquæ ſtant: ſin autem hæc, quæ omnium fundamentum eſt & baſis, obrui-
tur; ceterarum quoque ſtatus neceſſe eſt collabatur. Omnis autem ſiue Patriarcha-
tus cuiuſlibet apicem, ſiue Metropoleon primatus, aut Epiſcopatuum cathedras, vel
eccleſiarum cuiuſcumque ordinis dignitates, ſiue Rex, ſiue Imperator, ſiue cuiuſli-
bet conditionis homo purus inſtituit & (prout voluntas, aut facultas tulit) ſpiritua-
lium prærogatiuarum iura præfixit: Romanam autem Eccleſiam ſolus ille fundauit,
& ſupra petram Fidei mox naſcentis erexit, qui beato vitæ æternæ Clauigero terreni
ſimiliter & cæleſtis imperij iura commiſit. Non ergo quælibet terrena ſententia, ſed
illud Verbum, per quod conſtructum eſt cælum & terra, per quod denique omnia
condita ſunt elementa, Romanam fundauit Eccleſiam. illius certe priuilegio fungi-
tur, illius auctoritate fulcitur. Vnde non dubium, quia quiſquis cuilibet eccleſiæ ius
D ſuum detrahit, iniuſtitiam facit: qui autem Romanæ Eccleſiæ priuilegium, ab ipſo
ſummo omnium eccleſiarum capite traditum auferre conatur, hic procul dubio in
hæreſim labitur: & cum ille notatur iniuſtus; hic eſt dicendus hæreticus. Fidem
quippe violat, qui aduerſus illam agit, quæ mater eſt Fidei; & illi contumax inue-
nitur, qui eam cunctis eccleſijs prætuliſſe cognoſcitur. Cum hoc igitur veſtra ſan-
ctitas indubitanter agnoſcat, vos, qui non quilibet, ſed nobiliores, & egregij eſtis fi-
lij Romanæ Eccleſiæ, pietatis viſcera circa matrem veſtram compatientes oſtendi-
te, & vtrum deſtrui debeat, ſibimet eligendo Pontificem, iudicate. Mirum quippe
eſt, ſi, quod minoribus eccleſijs canonicus vigor attribuit, illi ſoli, quæ caput eſt om-
nium, non permiſit.

Regius Aduocatus.

E Prolixa declamatio dedit attentionem, beneuolentiam, atque docilitatem, & hoc
potius iuxta conſuetudinem fori iudicialis, quam ſecundum regulam Concilij ſyno-
dalis: vbi ſcilicet non magnopere curare debemus elucubratæ locutionis vrbanitatem,
ſed viuæ ſententiæ potius puritatem. Ad querelam ergo coram ſanctis ſacerdotibus
deponendam ſufficiat nobis dicere, quoniam inthronizaſtis Papam ſine conſenſu do-
mini noſtri Regis, ad iniuriam ſcilicet atque contemptum regiæ maieſtatis.

Defenſor Romanæ Eccleſiæ.

Ordinationem Papæ factam diffiteri nec poſſumus, nec debemus; Regis autem
iniuriam modis omnibus propulſamus. Sed videamus primo ſi placet, vtrum Papa
ſine Rege potuerit fieri, & ſic poſtmodum de Regis diſputemus iniuria.

Regius Aduocatus.

Per te liquido nouimus, quia illi debent Pontificem, cum ordinatur, eligere, quos

sibi, postquam ordinatus fuerit, canonica decreuit auctoritas obedire: Papæ vero, A
quia vniuersalis est Pontifex, non modo Romanus populus, sed Romanus Imperator, qui caput est populi, obedientiam det: censendumne ergo est, vt Papam sine capite suo populus eligat, & ei, quem non elegit Imperator, obediat? Constat ergo, quod nisi Romani Regis assensus accesserit, Romani Pontificis electio nō erit perfecta.

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Perhibendum est itaque iuxta vestræ disputationis articulum, quod neque Stephanus, nec Xystus, neque Cornelius, non denique Clemens, non Siluester, non ipse beatus Petrus Papali nomine digni sunt, qui ab Imperatoribus eorumdem tempore electi non sunt.

Regius Aduocatus.

Gentiles Reges non sunt adhibendi ad huius, de qua loquimur, electionis exem- B
plum: qui quoniam ignorabant Fidem Christianam, Christianorum non poterant ordinare Pontificem. cererum Christiani Principes semper Romanos elegere Pontifices.

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Qui mentitur in communi colloquio, mendax dicitur; qui autem in præsentia venerabilium sacerdotum falsa protulerit, sacrilegij procul dubio crimen incurrit. Dixisti Christianos Principes Romanos semper elegisse Pontifices: percurre mecum ecclesiasticæ antiquitatis historias, Romanorum Præsulum catalogum studiose disquire, & cum perpaucis inueneris in electione sua regium accessisse consensum, confitere te perspicuum protulisse mendacium. Quis enim Rex Antonij filium Damasum C
Hispaniensem? quis Innocentium Innocentij filium Albanensem? quis denique Zosimium Græcum Ebramij filium elegit? Quis præterea Leonem Quintiani filium de Tuscia? quis Hilarium Crispini filium de Sardinia? quis Cælestinum Prisci Romani cuius filium? quis Bonifacium, quis Anastasium æque Romanos? Denique multos attexerem, nisi fastidium generarem. Sed ne me putes non habentem copiam, ab eorum enumeratione deficere: Quis Imperatorum elegit Simplicium Tiburtinum? Felicem natione Romanum? quis Gelasium Afrum Valerij filium? quis Symmachum Sardiniæ prouinciæ filium Fortunati? quis Hormisdam filium Iusti natione Campanum? Ioannem origine Tuscum, Felicem natione Samnitem, Bonifacium Gibaldi filium, Mercurium Proiecti; Agapitum Gordiani, natura Romanos? Quis enim Regum electioni cuiuslibet istorum suum legitur adhibuisse consensum? cum eorum temporibus Romanæ Reipublicæ Christiani Principes præfuisse legantur, id est, Va- D
lentinianus Senior; Valens frater eius, qui occisus est in pugna Gothica prope Hadrianopolim; Gratianus, qui a Maximo tyranno peremptus est; Valentinianus Iunior, qui necatus est a comite suo Viennæ; deinde Arcadius, Honorius, Theodosius; Ioannes ille, qui apud Rauennam occisus est; Valentinianus Tertius, qui in campo Martio est peremptus; Martianus, Leo, Maiorianus, Seuerus, Anthemius, Olybrius, Glycerius, Zeno, Nepos ille, qui in villa sua occisus est iuxta Salonas, Augustulus, Anastasius, Iustinus, & ceteri Romani Imperatores; quos euitandi lacinioſi styli causa præterео. Da mihi ergo eorum, quos enumerauimus, aliquem vel Præsulem requirentem; vel Principem assensum in electione præbentem, & ego do manum, ac te perhibeo laureandum: alioquin si dare non poteris, in hoc te conuictum per omnia pernecesse est fatearis. Quod autem beato Gregorio legitur adhibuisse Mauritius Impera- E
tor assensum, & perpauci alij Principes alijs promouendis: hoc dictauit perturbatio temporum & tempestas horrenda bellorum.

Regius Aduocatus.

Si mentiri est contra mentem loqui, temerarium est me mendacij tam procaciter argui, qui non vtique falsum, sed verum me dixisse putaui: tamen assentior, & in hoc superatum me esse non abnuo.

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

EDICTVM CONSTANTINI. Vt autem id ipsum adhuc manifestius pateat, & te super hac dimicandi materia perdidisse, tibimet ipsi clarius innotescat, lege Constantini Imperatoris edictum, vbi Sedis Apostolicæ constituit super omnes in orbe terrarum ecclesias principatum. Nam postquam supra corpus beati Petri basilicam fundator erexit, postquam Patriarchiū Late-

A Lateranense in beati Saluatoris honore construxit, mox per Imperialis Rescripti seriem Romanæ Ecclesiæ constituit dignitatem. Vbi nimirum beato Siluestro, *suisq. successoribus obtulit, vt regali more, & aurea corona* plectatur in capite, & ceteras regij cultus insulas vsurparent. Verum beatus Siluester ornamenta, quæ sacerdotali congruere iudicabat officio, in proprios vsus assumpsit; coronam vero, vel cetera, quæ magis ambitiosa, quam mystica videbantur, omisit. Cui etiam Constantinus Lateranense palatium, quod eatenus aula regalis extiterat, perpetuo iure concessit; regnum Italiæ iudicandum tradidit. nam & ipsius Regis hæc verba sunt: Vnde, inquit, congruum inspeximus, nostrum Imperium & regni potestatem Orientalibus transferri & transmutari regionibus, & in Byzantia prouincia in optimo loco nomini nostro ciuitatem ædificari, & nostrum illic constitui Imperium. Quoniam vbi prin- B
cipatus sacerdotum & Christianæ religionis caput ab Imperatore cælesti constitutum dist, iustum non est, vt illic Imperator terrenus habeat potestatem. Audisti, quia terrenus Imperator non habet in Romana Ecclesia potestatem: quomodo ergo sine illius arbitrio, qui potestatem ibi non habet, non licet eligi sacerdotem? Ipse vero Constantinopolim, velut in secunda Romæ perpetuo regnaturus absessit. Longe vero post Theodosius Imperator beati Pauli basilicam cœpit; quo defuncto filius eius Honorius eamdem basilicam ad calcem vsque perduxit. Hi quoque Romanæ Ecclesiæ priuilegium nihilominus firmarunt. Quomodo ergo prærogatiuam sibi in Romani Pontificis electione relinquerent, qui Romanam Ecclesiam nequaquam sibi studuerunt subdere, sed præferre? non præcipere, sed parere? non præcellere, sed subesse?

Regius Aduocatus.

C Assentior plane & ratum duco, quod loqueris: sed esto quod nunc regia celsitudo ex antiquorum consuetudine Principum hoc sibimet allegare non possit; verumtamen tu hoc negare non potes, quod pater domini mei Regis piæ memoriæ Henricus Imperator factus est Patricius Romanorum, a quibus accepit in electione super ordinando Pontifice principatum. Huc accedit quod præstantius est, quod Nicolaus Papa hoc domino meo Regi priuilegium, quod ex paterno iam iure susceperat, præbuit, & per synodalis insuper decreti paginam confirmauit. Cum ergo priuatus quisque a suo decidere iure non debeat, donec ventilato negotio iudicialis in eum sententia promulgetur: quo pacto maiestas regia prærogatiuam hanc suæ dignitatis amisit, quam & ex Apostolicæ Sedis liberalitate percepit, & ex paterno Imperialis fastigij iure susceperit? quo, inquam, modo in Romana Ecclesia dignitatis adeptæ locum sine
D iudicio perdidit, qui Romanam Ecclesiam non offendit?

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Priuilegium inuictissimo Regi nostro ipsi quoque defendimus, & vt semper plenum, illibatumq. possideat, optamus. Porro autem Romana Ecclesia multo nobilius atque sublimius, quam mater carnis, mater est Regis: illa siquidem peperit, vt per eius traducem reuertatur in puluerem; ista genuit, vt Christi sine fine regnantis efficiat coheredem. & cuncti liquido nouimus, quia Rex licet egregiæ indolis, tamen adhuc puer est. Quid ergo mali fecit Romana Ecclesia, si filio suo, cum adhuc impubis esset, cum adhuc tutela egeret, ipsa tutoris officium subijt, & ius, quod illi competebat, impleuit? Quis nescit, quia sacerdotem eligere puer ignorat? Sæpe
E mater iudicis tribunal irrumpit, testes adscisci, Notarios conuocat; sicq. per astipulationes & rata, & insuper apicum monimenta omnia bonorum suorum filio iura delegat: interim tamen, vsque dum ille ad iuuenilis ætatis incrementum perueniat, & rationis capax fiat, illa cuncta dispensat, omnia ordinat, sicq. quod iam alieni iuris est patrimonium, ad propriæ disponit prouisionis arbitrium. Numquid ob hoc dicenda est mulier illa filio suo concessa subtrahere? immo verius perhibetur, vt puto, pietatis studio deseruire. Quia quæ rudis adhuc filius dilapidare ac prodigere potest; hæc illa sibimet apte dispositа, caute retenta, & rationabiliter ordinata conseruat. Carnalis ergo mater adiuuat filium in rebus terrenis; & mater Ecclesia filio suo Regi præbere non debet auxilium in spiritualibus donis? * Obtumescat ergo plectenda versutia, quæ scilicet hoc damnat, quod prædicare debuerat; illi crimen imponere nititur, quæ pro beneficijs gloriam promeretur. Huc accedit, quia nonnumquam ob varietatem temporum * sæpe mutandus est ordo causarum. Tunc enim, * quoniam

* f. eiusq.

* Obmutescat

* videtur abundare

* f. quando

Universidad de Deusto
Biblioteca

Pontificem sibi Romana percepit Ecclesia, tantæ simultatis fomes in * seditionis ci- * f. seditiones A
ues accenderat, tantus liuor & odium tumultuantis populi corda turbauerat, vt de-
tam longinquis terrarum spacijs nequaquam regiæ clementiæ præstolari possemus
oraculum. Nisi enim quantocyus ordinaretur Antistes, pernicios⁹us in populo gla-
dius mutuis vulneribus desæuiret, & non parua Romanorum ciuium strages fieret.

Regius Aduocatus.

Obtende quod vis, argumentare quod placet, dummodo constet, quia nullatenus
debuit immutari, quod Papa concessit, quod decreto constituit, quod scriptione
firmauit.

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Quid mirum si hominis carnis adhuc fragilitate circumdati statuta mutentur, quo-
niam omnipotens Deus, qui videlicet omnia quæ futura sunt nouit, ea quoque, quæ B
a semetipso constituuntur, immutat? Nam ex eo quod promittit, aliquando aliquid
minuit, vel etiam totum subtrahit, aliquando mala minatur, & non infligit.

Regius Aduocatus.

Ea quæ proposuisti scripta, declarentur exemplis. quid est ergo quod Deus vm-
quam promisit, & minuit?

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

a Gen. 6. Si non excidit, reminisci potes, quod dixit Dominus ad Noe: [a] Non permanebit
spiritus meus in homine in æternum, quia caro est, eruntq; dies illius centum viginti
annorum. Sed cum Scriptura commemorat quingentorum tunc annorum extitisse
Noe, quando hæc sibi Dominus loquebatur, sexcentorum tunc iam esse, cum cata-
clysmus erupit: liquido patet, viginti annos de præscripti numeri spacio fuisse subtra- C
ctos, vitaq. spacium, quod humano generi Deus promisit, imminuit, quia peruer-
b Ibid. 49. sitatis eorum reatus excreuit. Inde quoque per os [b] Patriarchæ Iacob promisit Spiri-
tus sanctus, dicens: Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec
veniat qui mittendus est. Et tamen nec temporibus Iudicum legimus viros de tribu
Iuda semper super Israel tenuisse ducatum, nec Reges ex eadem tribu principatum
tenuisse vsque ad Christi reperiuntur aduentum. Constat ergo quia Deus omnipo-
tens sæpe quod homini promisit imminuit, quoniam homo, quod Deo debuerat, non
impleuit.

Regius Aduocatus.

Doce & vbi Deus promittit bonum aliquod, & efficaciter non impleuit. D

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

c 4. Reg. 22. Recordare quid dixit Dominus ad Iosiam [c] Regem Iuda: Pro eo, inquit, quod vi-
disti verba voluminis, & perterritum est cor tuum, & humiliatus es coram Domino,
auditis sermonibus contra locum istum, & habitatores eius, & scidisti vestimenta tua,
& fleuisti coram me: idcirco colligam te ad patres tuos, & colligeris ad sepulchrum
tuum in pace. & tamen paulo post Scriptura dicit: In diebus eius ascendit Pharao
* al. Nechao * Necho Rex Aegypti contra Regem Assyriorum ad flumen Euphratem, & abijt Io-
* Mageddo sias in occursum eius, & occisus est in * magedo cum vidisset eum. Ad Sedeciam
d Ierem. 34. quoque Regem Iuda per Ieremiam dicitur: [d] Audi verbum Domini Sedecia Rex Iu-
da: hæc dicit Dominus ad te: Non morieris in gladio, sed in pace morieris, & secun- E
dum combustionem patrum tuorum Regum priorum, qui fuerunt ante te, sic com-
burent te, & væ Domine, plangent te, quia verbũ hoc ego locutus sum, dicit Dominus.
Quod nimirum quomodo potuit fieri, qui seriem scrutatur historiæ, numquam po-
terit inuenire. Nam postquam a Rege Babylonis semel est captus, Babyloniamq.
translatus, numquam legitur vlterius ab eius vinculis absolutus. Iusto ergo iudicio
subtrahit Deus nonnumquam homini bona quæ promisit, cum rebellis homo illius
seruare mandata contemnit.

Regius Aduocatus.

Prosequere etiam, quomodo Deus quod minatus est, non infligit. F

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

e Ion. 3. Nemo, qui limen ecclesiæ terit, ignorat, quia [e] Ionas ad Niniuen a Domino mis-
sus exclamauit, dicens: Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur. Sed quia
ciuitas illa ad Deum toto est corde conuersa, nequaquam iuxta minacem Domini
sententiam excidii est euersione deleta. Cum ergo Deus omnipotens non modo ve- A
rax, sed & ipsa sit veritas, inuiolato consilij sui manente proposito, exterioris iudicij
sui sæpe variat ordinem, iuxta humani siue probi, siue improbi meriti qualitatem,
quatenus & a prauitate correctus, quod Deus iuste minatur, quadat, & prolapsus in
culpam, nullatenus quæ pollicetur bona percipiat. hinc est, quod per Ieremiam di-
cit: [a] Bonas facite vias vestras & studia vestra, & audite vocem Domini Dei vestri, & *a Ierem. 17.*
pœnitebit Dominum mali, quod locutus est aduersum vos. Hinc est, quod ad [b] He- *b 1. Reg. 2.*
li quoque per virum Dei Dominus ait: Loquens locutus sum, vt domus tua, & do-
mus patris tui ministraret in conspectu meo vsque in sempiternum. Nunc autem, di-
cit Dominus, absit hoc a me, sed quicumque glorificauerit me, glorificabo eum: qui
autem contemnunt me, erunt ignobiles.

Regius Aduocatus.

B Recte plane cuncta * proposueras, perspicuis roborasti testimonijs Scripturarum: * f. quæ propo-
attamen ad superiora paulisper reuertere, & iuxta tuæ sponsionis elogium de domi- sueras,
ni mei Regis iniuria rationem redde.

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Glorioso Regi in eligendo Pontificem, absit vt nos intulerimus iniuriam, cum ad
hoc nos, sicut superius dictum est, necessitas impulerit, non rapina ad hoc, inquam,
nos inuitos traxit imminens periculum ciuilis belli, non lædendi, vel minuendi hu-
iusmodi Imperij.

Regius Aduocatus.

Ciuile bellum obijcis, imminens periculum in tuæ allegationis defensione præten- C
dis; dicatur etiam, si placet, quod cælum rueret, terra * subcicinium pateretur, per- * excidium
ge adhuc addens, quod pontus arescceret, terram diluuium inundaret, quid mihi
omnia hæc, dum constet, quia quidquid accideret, nullo modo sancti Papæ senten-
tiam debuisti infringere, nulla ratione synodalis decreti mysterium licuit violare? Si-
cut enim Scriptura perhibet, melius est vt oriatur scandalum, quam veritas relin-
quatur. Nam si hoc bellum timuissent beati Martyres, * fierent procul dubio sanctæ * facti fuissent
militiæ desertores.

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Non ignoras, quod inter omnes sanctos Martyres Petrus & Paulus in Apostolici
Senatus culmine possident principatum.

Regius Aduocatus.

D Hoc sicut negare sacrilegium est, ita etiam affirmare superfluum.

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Eorum sunt nobis tenenda vestigia, eorum forma iuris est actibus imprimenda, sub
eorum magistra debemus viuere disciplina.

Regius Aduocatus.

Hoc vtique clarum est, perspicuum est, sed quid a te portenti, quid præstigij sub
hoc funiculo inductionis alatur ignoro.

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Tolle præstigium, intellige veritatem, times me tamquam tibi tendiculas substruen- *c Gal. 2.*
tem: audi Paulum [c] de capite suo Petro veraciter perhibentem: Petrus, antequam * veniret
E * veniret quidam a Iacobo, cum Gentilibus edebat; cum autem venissent, subtrahe-
bat se & segregabat, timens eos qui ex circumcisione erant. Cernimus ergo Petrum
non rigidum, sed discretum. Timebat enim Iudæos ne per occasionem Gentium a
Fide recederent Christianorum, & ne perderet gregem creditum, boni pastoris est
imitatus exemplum: factus est enim Iudæis tamquam Iudæus, vt Iudæos lucrifaceret.
Sicut Christus apparuit in forma carnis peccati, vt a peccatis hominem liberaret: &
cum legem Moysi non ambigeret abolendam, consulens tamen adhuc rudibus & in-
firmis fratribus, tenuit ad tempus vmbram legis, vt eos quoque proueheret ad perfe-
cte noscendam plenitudinem veritatis. In hoc ergo beatus Petrus discretionis nobis
regulam dedit, quatenus aliquando, vbi tamen non plurimum noceat, declinemus
aliquantulum a tramite rectitudinis, vt consulere valeamus infirmis.

Regius Aduocatus.

Qui dicis, quod Petrus aliquando legem Iudaicam tenuit, cur non dicis quod in-

Universidad de Deusto
Biblioteca

eadem Epistola legitur, nimirum quia [a] Paulus in facie eum reprehendit: In faciem, A
inquit, ei restiti, quia reprehensibilis erat. eiq. dixit: Si tu, cum sis Iudæus, Gentiliter,
& non Iudaice viuis, quomodo cogis Gentes Iudaizare? Cum ergo illud permisisti,
istud quare silentio suppressisti?

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Quod Petrus egit compassione misericordiæ, hoc Paulus arguit pro magisterio
disciplinæ: ille quod fecit dispensatiue, vt infirmis tolleret scandalum; hoc iste
corripuit, ne indiscretus quilibet passim adduceret in exemplum: in Petro discamus,
vt periculo . . . imminente discreti Pauli sermonibus instruamur, vt sanis rebus vi-
ta nostra mere deseruiat rectitudini.

Regius Aduocatus.

Laudo quidem redditam rationem, sed cum duorum Apostolorum proposue- B
ris magisterium, mirum * cum prætermisso Paulo, solum Petrum adduxeris in- * forte
exemplum.

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Noli, frater, pueriliter currere, immo noli volare, sed perge; pro grauitate quip-
pe negotij prolatio est quoque moderanda sermonis. Audi etiam consequenter &
Paulum, discretionis aureæ lineam nostris oculis opponentem, eiusdemq. dispensa-
tiue compassionis auctorem. Sicut enim Apostolorum Actuum [b] testatur historia, [b] Act. 16.
perambulabat Paulus Syriam, & Ciliciam, confirmans ecclesias, peruenitq. in Der-
ben, & Lystram: & ecce discipulus quidem erat nomine Timotheus, filius mulieris
viduæ Fidelis, pater autem gentilis. Hunc ergo, vt ad compendium veniamus, Apo-
stolus circumcidit, quoniam Iudæos, immo Iudæis, qui in illis erant regionibus, ti- C
muit. Cur itaque circumcidit Fidelem hominem, non Iudæum, qui videlicet incir-
cumcisus erat, & natione gentilis, nisi vt discretionis studio deseruiret, ne Iudæi
Fideles in scandalum corruentes a Fide recederent? Hoc etiam nunc ad memoriam
[c] Ibid. 18. redit, quoniam aliquando iuxta morem [c] Nazaræorum comam ex voto nutriuit, &
postquam nauigasset in Syriam, in Cenchris positus caput iuxta legis mandata to-
tondit. Refert adhuc Lucas sacræ scriptor historiæ: Cum venissemus, inquit, Iero-
solymam, libenter susceperunt nos fratres, & sequenti die Iacobus, & omnes senio-
[d] Ibid. 21. res, qui cum eo erant, Euangelio illius comprobato dixerunt ei: [d] Vides frater, quot
millia sunt in Iudæis, qui crediderunt in Christo, & omnes æmulatores sunt legis.
Audierunt autem de te, quod discessionem doceas a Moyse eorum, qui per Gentes
sunt Iudæorum, dicens non debere eos circumcidere filios suos, nec secundum con- D
suetudinem ingredi. Quid ergo est? vtique oportet conuenire multitudinem; audient
enim te superuenisse. Hoc ergo fac quod tibi dicimus: Sunt nobis quatuor viri vo-
tum habentes super se, his assumptis sanctifica te cum ipsis, & impende in illis, vt ra-
dant capita; & scient omnes, quia quæ de te audierunt, falsa sunt, sed ambulas &
ipse custodiens legem. Tunc Paulus assumptis viris, posteriori die purificatus cum
illis intrauit in templum, annuntians expletionem dierum purificationis, donec of-
ferretur pro vnoquoque eorum oblatio. Cur itaque Paulus iuxta cærimonias Iudæo-
rum caput rasit, nudipedalia exercuit, sacrificia obtulit, & legem destruens, legis
præcepta seruauit? cur, inquam hæc omnia, nisi vt his qui ex Iudæis Fideles extiterant,
scandalum tolleretur? formam suscepit ægritudinis, vt morbos auferret ægrotis; ser- E
[e] Philip. 3. uauit cærimonias legis, de quibus tamen in Epistola dicit: [e] Quæ mihi fuerunt lucra,
facta sunt detrimenta, & propter Christum arbitror velut stercora. Circumcidit ho-
minem, & tamen hoc terribiliter clamat: Dico, inquit, vobis, quia si circumcidamur,
[f] Gal. 5. Christus nihil nobis proderit. [f] Quod, quæso, maius peccatum esse poterit, quam
Christum perdere, Christianæ religionis regulam violare, Iudaicæ legis ritus indu-
cere, nouam Euangelij gratiam impugnare? & tamen hæc Apostolus Paulus in su-
perficie fecisse conspicitur, ne in ipsis nouæ Fidei rudimentis mentes adhuc teneræ
scandala paterentur. Quantum namque in exterioribus cernitur, Cherinthus, &
Ebion nil pene peius inueniuntur egisse, quam Paulus, qui nimirum in Christum
credentes, propter hoc solum a Patribus anathematizati sunt, quia legis cærimo-
nias Christi Euangelio miscuerunt, & sic noua confessi sunt, vt vetera non mutarent.
Sed ecce cum dicitur, quoniam Iacobus, & omnes seniores hoc Paulo consilium de-
derunt:

A derunt: omnes ergo Discipuli, quod Paulus fecit, pariter fecerunt; vnumq. scilicet ha-
bent in hoc meritum, & qui fecit, & qui faciendi dedere consilium. Si ergo ipsi Prin-
cipes mundi, quorum legibus parent non modo regna terrarum, sed ipsa etiam cel-
situdo cælorum, non dubitauere pro paucis, qui tunc erant hominibus, in tam peri-
culoso negotio condescendere: cur nobis vtique paruulis, & infra eorum vestigia
longe iacentibus non licuit innumerabili Romanæ Vrbis multitudini subuenire? Sed
quid Apostolos loquimur scandalum cauisse debilium, & nouiter conuersorum; cum
& ipse illorum Magister & Dominus, cuius nimirum omnia sæcula substernuntur im-
perio, ad nostræ imitationis exemplum, scandalum præcauerit Iudæorum? [a] Simon, [a] Matth. 17.
inquit, Reges terræ a quibus accipiunt tributum, a filijs suis, an ab alienis? quo
respondente, ab alienis: IESVS subiungit: Ergo liberi sunt filij. Vt autem non scan-
B dalizemus eos, vade ad mare, mitte hamum, & eum piscem qui prius ascendet, tol-
le, & aperto ore eius inuenies staterem, illum sumens da eis pro me & te. Ad mollien-
dum ergo rigorem rectitudinis, ad tuendam virtutem discretionis, si tibi Petrus non
sufficit ad exemplum, iunge & Paulum. Quod si procaci contumaciæ nequeunt
vterque sufficere, pudeat te vltra IESVM per dicacitatis ineptiam prosilire: [b] Finis [b] Rom. 10.
enim legis Christus ad iustitiam omni credenti.

Regius Aduocatus.

Discretionis virtutem tot Scripturarum testimonijs approbatam improbare non
possumus; sed absit, vt vlla virtus sit tam sublimis, tamve præcipua, cuius tuendæ
studio in anathematis barathrum corruere debeamus. Nam cum omne, quod nobis
ex diuina lege præcipitur, ad hoc procul dubio tendat, vt nos Creatori nostro socie-
C tate æterna coniungat; si nos ab eo, quod absit, per maledictionis sententiam contin-
gat abscedere, quæ virtus, quæ discretio, quæ, sicut dicitur, pia compassio tam
incomparabile damnum nobis poterit compensare? Sane si propter hoc solum virtus
appetitur, vt omnipotentis Dei societas acquiratur, qualis iam illa virtus esset, quæ
nos a diuini contubernij societate repellat?

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Hæc cur prosequaris, quia nobis occulta sunt, euidenter expone.

Regius Aduocatus.

Synodalis enim decreti pagina, quã cum Concilij totius assensu beatus Nicolaus Pa-
pa constituit, cui quippe manus articulum indidit, quam tot Episcoporũ venerandus
celebrisq. conuentus subscriptione firmauit, anathematis vinculo iuxta morem carere
D non potuit. Vnde vos pro compassione, vel condescensione, nescio quam dicitis
furentis populi, nequaquam vosmetipsos deberetis tam inenodabiliter sententiæ ne-
xibus irretire. Ridiculum quippe est, sic obrutum de voragine marini fluctus erue-
re, vt ipse compellatur ereptor vndosis procellarum spumantium cumulis subsidere.

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Cum hæc inconsultius loqueris, Andabatarum aduersum me more confligis, qui
nimirum dum clausis semper oculis pugnant, alios quidem vulnerant, sed quomo-
do seipsos a vulneribus tueantur, ignorant. Dicis, quia nequaquam debemus in
anathema corruere, etiamsi per hoc valeamus infirmis fratribus subuenire. Huc vi-
brasti gladium, tentasti vulnus infligere, sed tibimet vbi clypeum opponeres, non
vidisti. Numquid tibi iam de memoria excidit, quod superius protuli, quoniam bea-
E tus Paulus [c] in Epistola sua dicit, quia si circumcidamur, Christus nihil nobis prode- [c] Gal. 5.
rit? Et tamen quod tam districte prohibuit, ipse pro charitate fratrum infirmantium,
ne scandalum paterentur, impleuit. Quod enim maius, siue deterius poterit quis
anathema subire, quam cui negatum est, Christum pro sui reatus damnatione pro-
desse? Nam cui Christus non prodest, procul dubio anathema est: nihilq. est aliud
anathema aliquem fieri, nisi a Christi, in quo benedicuntur omnes Gentes, societate
repelli. Si ergo Paulus hoc anathema pro charitate fratrum subire non timuit, immo
prorsus euasit, cum non qualemcumque hominem, sed Christianum vtique discipu-
lum circumcidit; tu, quæso, vbi cordis oculos amisisti, qui, quod Apostolus fecit,
non faciendum esse testaris? ipse enim dicit: [d] Quæcumque scripta sunt, ad nostram [d] Rom. 15.
doctrinam scripta sunt.

Regius

Universidad de Deusto
Biblioteca

Regius Aduocatus.

A Verisimile est, quod sicut Paulus Coapostolum suum Petrum de Iudaizandi reditiua vsurpatione corripuit; ita nihilominus & in semetipsum, postquam discipulum circumciderat, reprehendat: nec mihi hoc aliter vmquam poterit persuaderi, nisi fortassis in eius verbis aliquatenus valeat inueniri.

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Vt nullus ambiguitatis næuus in tua mente remaneat, vt nulla cor tuum super hoc
[a] Rom. 9. negotio deinceps caligo confundat, audi quid idem Paulus ad Romanos dicat: [a] Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto, quoniam tristitia est mihi magna, & continuus dolor cordi meo: optabam enim ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei
B secundum carnem, qui sunt Israelitæ. Ecce Paulus cum non sit sicut nos, necessitate coactus, sponte ac voluntarie desiderat anathema esse pro fratribus; & tu mihi proponis anathema timendum, vbi me perspicis & ineuitabili prorsus necessitate fuisse constrictum, & charitatis studio, ne tanta fratrum multitudo corrueret, inclinatum.
[b] Exod. 32. Audi etiam quod Moyses pro populo Israelitico postulans dicat: [b] Obsecro Domine, peccauit populus iste peccatum maximum, feceruntq. sibi deos aureos: aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facias, dele me de libro tuo quem scripsisti. quod nimirum pleniter fiet, cum reprobis in Iudicio dicet: Ite maledicti in ignem æternum. Ecce hic Paulus optat anathema pro fratribus fieri: ecce illic Moyses postulat ex Dei libro pro populi, quem ducebat, charitate deleri: & sola Romana Ecclesia, quæ pietatem & charitatem toto terrarum orbe spiritualiter & principaliter docet, ex imminentibus vibratis vndique gladijs filios suos, quos quotidie per sacri baptismatis my-
C sterium generat, liberare non auderet? Maledictus vir, ait [b] Saul, qui comederit panem vsque ad vesperam, donec vlciscar me de inimicis meis. In hoc, sicut legitur, anathema Ionathas cecidit, sed eum ab imminenti mortis sententia, charitas, qua pro populo strenue dimicauerat, liberauit. Vis audire quid etiam de ipso IESV, totius benedictionis auctore idem Apostolus dicat? Christus, inquit, vt nos liberaret a maledicto legis, factus est maledictum. Si ergo ipse auctor benedictionis æternæ, vt nos a vinculo maledictionis absolueret, maledictioni non dedignatus est subiacere: si Sancti quique vel noui, vel veteris Testamenti, dum sui capitis imitantur exemplum, & infirmis subuenire fratribus in periculis concupiscunt, anathematis subire sententiam nullatenus perhorrescunt: cur vni mihi niteris imputare peccatum, &
D charitatem ad hoc me induxisse non perspicis, quæ operit multitudinem peccatorum? Quomodo autem me cuiuslibet hominis sententia ligat, quem charitas ipsa, quæ Deus est, liberat? Erubescat igitur humani anathematis imputator, cum per charitatis gratiam mecum sit æternæ benedictionis indultor.

Regius Aduocatus.

Cuicumque in disputatione certanti veritas ipsa defecerit, ineptum est adhuc per ambages, atque versutias pertinaciter niti; ridiculum est diutius verbis prolixioribus immorari: de vinculo siquidem anathematis, quo te hactenus arbitrabar astringi, ita te nauiter expedisti, vt nihil de cetero tibi valeat obijci, nihil super hoc capitulo rationabiliter possit opponi. Verumtamen adhuc video mihi materiam superesse,
E quam tibi valeam non sine causa reluctatori obijcere. Dicitis quia necessitate constricti, & velut angusti temporis breui spacio coarctati nequaquam potuistis in electione Pontificis expectare consensum regiæ maiestatis. quod profecto friuolum esse perspicuum est. Constat enim tres plus minus menses interim decurrisse, ex quo sanctæ memoriæ Papa Nicolaus occubuit, vsque ad Kal. Octobr. cum iste successit. Videamus ergo si per tam morosam longitudinem trimestris videlicet spacij non potuerit ab aula regia pragmaticæ sanctionis vobis apocha reportari.

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Ecce compellis me vulgato sermone depromere, quod ob Imperialis palatij reuerentiam decreueram silentio præterire: sed iuxta vestræ scilicet exactionis instantiam iam proferatur in medium opus egregium vestrum, sæculis omnibus inauditum. Rectores enim aulæ regiæ cum nonnullis Teutonici regni sanctis (vt ita loquar) Episcopis conspirantes contra Romanam Ecclesiam Concilium collegistis, quo Papam

A pam quasi per synodalem sententiam condemnastis, & omnia, quæ ab eo fuerunt statuta, quasi sine incredibili prorsus audacia præsumpsistis. in quo nimirum non dicam iudicio, sed præiudicio idipsum quoque priuilegium, quod Regi prædictus Papa contulerat, si dicere liceat, vacuastis. Nam dum, quidquid ille constituit, vestra sententia decernente, destruitur; consequenter etiam id, quod ab eo Regi præstitum fuerat, aboletur. Sed absit a nobis, vt propter cuiuslibet hominis insolentiam Rex, qui innocens erat, quantum ad nos, rem sui iuris amittat, & quem auctore Deo votis omnibus præstolamur ad Imperiale fastigium, non permittemus ob alienam culpam regiæ dignitatis incurrere detrimentum. Sed vt totam inauditæ calamitatis nostræ percurramus historiam, Stephanus Cardinalis presbyter Apostolicæ Sedis, vir videlicet tantæ grauitatis & honestatis nitore conspicuus, tantis denique, sicut non ob-
B scurum est, virtutum floribus insignitus, cum Apostolicis * libris ad aulam regiam missus, ab aulicis administratoribus non est admissus, sed per quinque fere dies, ad beati Petri & Apostolicæ Sedis iniuriam, pro foribus mansit exclusus. Quod ille, vtpote vir grauis & patiens æquanimiter tulit: Legati tamen officium, quo fungebatur, implere non potuit. Clausum itaque signatumq. mysterium Concilij, cuius erat gerulus, retulit, quia regijs eum præsentari conspectibus Curialium plectenda temeritas non permisit. In qua nimirum inopinatæ præsumptionis audacia tanta disputandi videtur inesse materia, vt & Demosthenis eloquentiam vincat, & copiam Tullianæ facultatis excedat. Vnde si vellemus iniuriam nostram districtius persequi, iure possemus obtendere, quia vos Romanæ Ecclesiæ vosmetipsos dono priuastis, qui scilicet ei præiudicij vestri gratis contumeliam intulistis. Ille quippe fœdus amicitiæ violat,
C qui gratis amicum per offensionis molestiam pulsat. Nam & Dominus Iudæis per Ieremiam ait: [a] Ecce feriam domui Israel, & domui Iuda fœdus nouum, non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum, pactum quod irritum fecerunt. Ille ergo irritum reddit beneficij pactum, qui prior violat amicitiæ sacramentum. Verumtamen Romana Ecclesia non vult exaggerare quod pertulit, sed perseuerare cupit in munere, quod regio culmini liberaliter prorogauit.

STEPHANI CARDINALIS LAVDES.
* litteris
[a] Ierem. 31.

Regius Aduocatus.

Quod domino nostro Regi reuerenter adscribis innocentiam, digne facis: quod autem administratoribus aulæ publicæ deuoluis e diuerso calumniam, videtur iniustum. Quidquid enim circa vos in huiusmodi casibus actum est, ad hoc nos Regiæ munus impulit, Imperiale præceptum, non propriæ libertatis arbitrium.

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

D Et ego tibi secundum cordis tui duritiam respondebo: dico enim quod Dei omnipotentis obtemperare sermonibus aliquando peccatum est.

Regius Aduocatus.

Ad hoc quod asseris, mens humana concutitur, & Christianæ pietatis ferre non valet auditus.

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Quia hoc tantopere miraris, illud etiam consequenter adijcio, quia propter hoc quod Deo quidam promptus obediuit, funditus perijt: alius ob id quod obtemperare contempsit, ad cumulum gratiæ plenioris ascendit.

Regius Aduocatus.

E Incredibile est valde quod dicis, verumtamen si vales exemplis approbare quod loqueris, dic quis vmquam Deo obediuit, ac propterea perijt?

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Non te latet quod Iudæ Ischarioti, qui iam accepto consilio eum traditurus erat, ait Dominus: [b] Quod facis, fac citius. Postmodum quoque, cum ad eius osculum accedere præsumpsisset, adijcit: Amice, ad quid venisti? subauditur, perfice. sed quia miser hic sermonibus efficaciter obediuit, irreuocabiliter perijt.
[b] Ioan. 13.

Regius Aduocatus.

Huius propositionis ratione reddita, redde consequenter alterius, quis scilicet Dei omnipotentis obedientiam spreuit, & propter hoc copiosiorem gratiam meruit.

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Si placet, hoc in memoriam reuoca, quod Dominus ad Ieremiam dixit: [c] Vade
[c] Ierem. 35.
ad do-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad domum Rechabitarum, & loquere eis, & introduces in domum Domini in vnam exhedram thesaurorum, & dabis eis bibere vinum. Et paulo post Propheta subiungit: Et posui coram filijs Rechabitarum scyphos plenos vino & calices, & dixi ad eos, bibite vinum. qui responderunt: Non bibemus vinum, quia Ionadab pater noster præcepit nobis dicens: Non bibetis vinum vos & filij vestri vsque in sempiternum. Vnde postmodum Ieremias ait eis: Hæc dicit Dominus Deus exercituum: non deficiet vir de stirpe Ionadab filij Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus. At ecce ille male obediens, perfunctus obedientiæ munere cucurrit ad laqueum: isti feliciter inobedientes, perpetuum sui Conditoris meruere conspectum. Hoc etiam ad hoc valet, quod superius dictum est, quia cum Papam sine consensu Regis eligimus, non debetis quod extrinsecus actum est, dijudicare, sed potius quo animo, & qua intentione sit factum, diligenter attendere.

Regius Aduocatus.

Hæc argumenta nobis domestica sunt, & numquam deficiunt, quia de promptuarijs proferuntur; semper enim possumus in praui operis exhibitione delinquere, sed quia occulta est, ad puræ mentis debemus patrocinium conuolare.

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Censesne semper debere iuxta rerum, atque verborum superficiem iudicari? quid enim iuxta verborum strepitum magis est absonum, quam cum Deus Pater & Filius & Spiritus sanctus mediatorem Dei & hominum dicitur tradidisse? Ecce Christum tradidit Iudas, tradidit & Deus Pater: numquid non quasi similis casus videtur? ergone traditor est Iudas, & traditor Deus Pater?

Regius Aduocatus.

Vnde probas quia Pater & Filius & Spiritus sanctus tradiderint Saluatorem?

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

a Rom. 8. Audi Apostolum dicentem: [a] Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro omnibus
b Sap. 12. nobis tradidit illum. cui & Salomon ait: [b] Cum sis iustus, & omnia iuste disponas, ipsum qui non debet puniri, condemnas. Quod autem se Filius tradit, idem dicit Apostolus: Qui me dilexit, & tradidit semetipsum pro me. Quod autem & Spiritus sanctus tradidit Filium, Sapientia perhibet dicens: Vnigenitus est enim spiritus Sapientiæ, & non liberauit maledictum a labijs suis. Maledictum apud veteres dicebantur omnes qui suspendebantur in ligno. Christus autem, vt Apostolus dicit, *c Galat. 3.* [c] vt nos liberaret a maledicto, factus est maledictum. Spiritus ergo sanctus non liberauit maledictum a labijs suis, quia quæ per ora Prophetarum de Christi passione locutus est, non cohibuit, sed super eum sine dimissione compleri cuncta permisit. Ergo secundum te, qui non de cordis intentione, sed semper ex operum vis superficie iudicare: si Pater tradidit Filium, & ipse se tradidit Filius, & Spiritus sanctus, Iudas quid male fecit? Facta est traditio a Patre, facta est a Filio, necnon a Spiritu sancto, facta est a Iuda: vna res a pluribus facta est, sed eadem res in operatoribus decernenda est. Quod enim Deus omnipotens ex charitate; hoc Iudas fecit ex cupidine acquirendæ pecuniæ. quod Deus fecit ad salutis nostræ remedium; hoc ille fecit ad explendum insatiabilis auaritiæ votum. Vides ergo, quia non quid homo faciat, debemus attendere, sed quo animo & voluntate faciat, diligenter examinare. Nam si sola dumtaxat exteriora perpendimus, inuenimus ipsum Dominum Saluatorem & dixisse quod prohibet, & fecisse aliter quod iubet. Quisquis, ait, dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis: & tamen ipso Resurrectionis suæ die duobus de se dubitatiue *d Matth. 24.* loquentibus ait: [d] O stulti & tardi corde ad credendum! dixerat etiam in monte Di-
e Ibid. 5. scipulis: [e] Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram. In passione vero positus percutienti se in maxillam puero sacerdotis non modo non alteram
f Ioan. 18. præbuit, sed insuper dixit: [f] Si male locutus sum, exprobra de malo; sin autem bene, cur me cædis? Et quomodo iam verum est, quod de illo Lucas ait: [g] Quod cœpit fa-
g Act. 1. cere & docere, si quod docuit, non impleuit? Sed procul dubio intelligendum est hoc eum præcepisse ad præparationem cordis, non autem ad ostensionem operis. Quomodo enim paratus corde non fuit in maxillam alteram cædi, qui pro hominum salute decreuerat toto corpore crucifigi? Paulus etiam palma percussus iussione pontifi-
h Ibid. 23. cis, ait: [h] Percutiet te Deus, paries dealbate. quod minus intelligentibus videtur in-

verbo

verbo conuicium, sed in sensu prophetici tenet oraculi sacramentum. Paries enim dealbatus hypocrisis est, sacerdotalem sub hoc nomine præferens dignitatem, sed occultans intrinsecus luteam malitiæ turpitudinem: nam quod humilitatis fuit, mirabiliter custodiuit. Cum enim illi diceretur: [a] Principi sacerdotum maledicis? respon- *a Act. 23.*
dit: Nesciui frater, quia princeps esset sacerdotum. scriptum est enim: Principem populi tui non maledices. Vbi patenter ostenditur, quanta idem tranquillitate dixisset, quod iratus intulisse videbatur. Quibus Scripturarum testimonijs quid aliud edocemur, nisi quia non iuxta verba nuda semper debemus sententias iudicare, sed quo animo, qua mentis intentione proferantur, suspicere?

Regius Aduocatus.

Dubia quæ proponis, luculenter elucidas per exempla quæ subijcis: sed quæso te vt ad superiora paulisper redeas, & cur nos calumnieris, vobis præiudicium intulisse, qui regiæ ditioni paruimus, patenter exponas.

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Recte plane ordinabiliter & congruenter, postquam omnis vestræ partis obiectio non rhetoricis argumentis, non coloribus oratorijs, non denique dialecticis syllogismis, sed viuæ potius atque perspicuæ veritatis est ratione purgata: versa vice iam dignum est, vt de vestris excessibus vel breuiter disseratur. Enimuero damnatio Papæ tam grauis & inexpiabilis, vt non humano, sed diuino dumtaxat sit tractanda iudicio. Reges autem nostros tum ætatis infirmitas, tum fragilitas sexus excusat: quibus vtique non reatus adscribitur, sed eorum Consiliarijs, vt dignum est, imputatur. Omissis itaque peruersitatibus ceteris, vt quid ignorante Roma, reprobum dominum in Romanum Pontificem eligere præsumpsistis?

Regius Aduocatus.

Electionem quidem, vt palam est, fecimus, sed longe prius Gerardo Comite, alijsq. Romanis, vt videbatur, ciuibus infatigabiliter insistentibus ad hoc inducti sumus. Nam & Abbas monasterij, quod dicitur, Cliuus Scauri, non defuit. Non ergo, vt asseris, ignorante Roma, sed præsente, atque petente, Romani Pontificis electio facta est.

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

In hoc pro me facis, dum Gerardo sub anathemate constituto te communicasse testaris: nam vt de Abbate & alijs interim sileamus, de Gerardo liceat tantummodo dicere, Ecclesiæ hominem non fuisse, & Christi nequaquam pertinuisse Fidelibus. Illud enim vnum caput anathemati, maledictioniq. subiacuit omnium fere Pontificum, quicumque Romanæ Ecclesiæ eius temporibus præfuerunt: demum paulo antequam moreretur, propter Comitem Anglum & Archiepiscopum, quos a beati Petri Liminibus redeuntes inuasit, spoliauit, & vsque ad mille Papienses monetæ libras appendentia rapuit. Propter hoc itaque in plenaria Synodo, Papa Nicolao præsidente, excommunicatus est, & extinctis luminaribus sub perpetuo fuit anathemate condemnatus. Perpendat igitur sancta Synodus, si illius, eiusq. complicum rata iure videatur electio, qui tam terribiliter atque horribiliter est ab Ecclesiæ visceribus euangelica atque canonica falce præcisus, vt ne in morte quidem de Christianitatis fuerit titulo reformatus; & si per eum ordinari Romanam Ecclesiam dignum fuit, qui eius semper cruentus extitit inimicus; qui eam semper est feraliter persecutus.

Et quomodo summam debet Ecclesiam ordinare, cui cuiuscumque limen ecclesiæ non licet attingere? Clamat Dominus ad Israel: [b] Anathema in medio tui Israel, *b Ios. 7.*
nec poteris stare contra hostes tuos, donec deleatur ex te, qui hoc contaminatus est scelere. & hoc quare? Quoniam Achan filius Charmi de anathemate Hiericho ducentos dumtaxat argenti siclos, regulamq. auream quinquaginta siclorum, & coccineum abstulerat pallium. Et ob hanc vilem videlicet summam auctor sceleris non modo lapidatur, sed & lapidum aceruis obruitur. Si propter illum hominem, qui dumtaxat vnum sacrilegium fraude commiserat, Israel ante suorum hostium faciem ruiturus erat: quomodo stabit Ecclesia, si per virum tot criminibus inuolutum fuerit ordinata? præsertim cum & talem elegerit, in quem, teste mundo, omnium vitiorum sentina confluxit. pseudoepiscopi apostolum Antichristi aduersarium Christi, amici puellarum mangonem ecclesiarum. Quis igitur istorum iusto videbitur examine

Universidad de Deusto
Biblioteca

præferendus? vtrum is quem elegit vnus vir perpetuæ maledictionis anathemate condemnatus; an ille potius, quem Cardinales Episcopi vnanimiter vocauerunt, quem Clerus elegit, quem populus expetiuit non ab extremitate terrarum, sed intra mœnia Romanorum, & in ipsius Sedis Apostolicæ gremio? A

Regius Aduocatus.

Tot a te rationibus redditis possemus fortassis adhibere consensum, si semel emissam deceret regiam maiestatem mutare sententiam: principali quippe gloriæ velut inconstantiæ nævus imprimitur, si quodcumque suæ constitutionis edictum leuiter annulletur.

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

a 1. Reg. 15. Quis nesciat Rege Deum esse maiorem, & tamen dicere non erubescit: [a] Pœnitet me, quod constituerim Saul Regem. & per Samuelem ei denuntiat, dicens: Proiecit te Dominus ne sis Rex super Israel. Si pœnitere se Deus asseruit, qui futura cuncta cognouerat: cur homo suam mutare in melius sententiam erubescat, qui qualis & ipse quoque sit futurus ignorat? Ille de bono factus est malus; iste videlicet Cadalous dolosus de malo vtique quod iam erat, fit quotidie diaboli more deterior. B

Regius Aduocatus.

Quam inconsulte nunc loqueris, qui diabolum deteriorari posse testaris, qui certe tam malus est, vt deterior esse non possit.

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

b Isa. 14. c 2. Thess. 2. Mentior, si quod proposui, Scripturæ testimonijs comprobare non valeo. Nam Isaia [b] teste, dicebat superbus in mundi principio: Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Paulus [c] autem dicit, quod in fine mundi veniens aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. Qui ergo tunc affectauit Deo se similem esse in fine mundi iam deterior factus qui vult prior eminere. Per quod manifesto colligitur, diabolum adhuc in deteriora posse corruere: & quia diabolus interpretatur deorsum fluens, Cadalous a cadendo dictus, ruinam populi sonat, ipsisq. nominibus aptissime inuicem concordant. Dic ergo: quomodo iste Pontifex esset, quem non Romanus populus, sed vnus homo cum suis complicibus, idemq. non Romanus, sed suburbanus (*nempe Gerardus Galeriæ dominus. est Galeriæ oppidulum prope Vrbem situm, ideoq. suburbanum appellatum*) & non Ecclesiæ filius, sed maledictus & anathematizatus elegit? Illene esset tuo iudicio Pontifex, qui suam vendidit, vt Romanam Ecclesiam obtineret? qui Romanos occidit in ore gladij, vt Romanus Pontifex fieret? Dices me non debuisse Pontificem sine consensu Regis eligere, & magni pendendum mihi fuisse, vt populus non periret. Ecce hinc beatus Augustinus Hipponensi ecclesiæ, Valerio viuente, præficitur: ecce illinc Ambrosius octauo die postquam baptizatus est, perceptis cunctis ecclesiasticis gradibus Episcopus ordinatur. In quibus vtique ob nihil aliud canonicæ auctoritatis ordo deseritur, nisi dumtaxat vt saluti populi consulatur. Et tu mihi dicis in seruando populo ipsi Regi me debuisse consulere, vt sibimet in dando consensu vnius epistolæ gloria proueniret. Nam vnde postmodum Romanus Imperator fieret, si tunc se Romanus populus mutuis vulneribus peremisset? Porro autem, quia in constituendo Pontifice Romana Ecclesia a charitate regia non recessit, hoc etiam indicio est, quia cum in Clero suo religiosis viris & sapientibus abundaret, non de proprijs, sed eum, qui Regi tamquam domesticus & familiaris erat, elegit. C D E

Regius Aduocatus.

Præmissæ disputationis epilogus. Quisquis veritati, postquam patefacta claruit, obstinate renititur, Dei omnipotentis aduersarius non immerito iudicatur, cuius aduersum se iram inextinguibiliter prouocat, si veritatem, quæ ipse est, pertinaciter & arroganter impugnat. Nam, vt ipse disputationis tuæ velut epilogum faciam, cum inter nos quæstio moueretur, vtrum sine Regis assensu Romani Pontificis fieri posset electio, recensitis historiarum catalogis, tantam Romanorum Imperatorum atque Pontificum copiam coacernasti, & velut nubem mihi testium opposuisti, vt his conspectis, ne mutum quidem me aduersum te super hoc vlterius facere libuisset. De anathemate vero, quod Nicolaus Papa constituit, vt etiam, verum fatear, totam victoriæ vim intentio nostra posuerat, tam inuictis Scripturarum testimonijs, tam lucidis certe modo beatorum Apostolo-

rum, modo ipsius Domini Saluatoris tuæ disputationis assertio se purgauit exemplis, & ad nos eatenus ignota doceret, & vos ab illius sententiæ vinculo patenter absolueret. Deinde a domini nostri Regis quam dicebamus, iniuria, quæ scilicet nos aduersum vos acrius accendebat, tam strenue se purgauit oratio, vt cuidenti clarescat iudicio, quia in eo, quod sibi Pontificem populus Romanus elegit, maiestati regiæ potissimum ministrauit; nec ei, sicut dicebatur, priuilegium tulit, sed potius roborauit, dum non de Romana Ecclesia, sed ex aula regia sacerdotem ad Apostolicæ Sedis culmen euexit. Postremo de electione Parmensis Episcopi quid dicimus? loquar, an fileam? Sed iuxta Scripturam, conceptum sermonem tenere quis possit? Et certe vbi nuda veritas cernitur, temporis ignominia est, si commentæ fallaciæ deseruitur. Ipsi plane liquido nouimus anathematizatum esse Gerardum, nec ignoramus eius instinctu potissimum hunc Episcopum in hoc negotium fuisse pellectum; & vt ita loquar, arbor quæ de venenata radice anathematis oritur, antequã pernicioſum prorumpat in fructum; modis omnibus ne noceat, euellatur, testante Veritate, quæ dicit: [b] Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. A B a Iob. 4. b Matth. 3.

Defensor Romanæ Ecclesiæ:

Ecce audiuit beatitudo vestra, venerabiles Patres, quoniam qui inspector est mentium, confœderat nos in concertatione verborum: videt enim nos non malitiæ causa confligere, sed inueniendæ veritatis studio deseruire; ideoq. dignatus est motam inter nos sopire querelam, & suam nobis inspirare concordiam: Pax enim nostra, quæ fecit vtrumque vnum, conflauit & in eodem sensu corda duorum. Agamus ei gratias, qui prius † sagenam Petri periclitari permisit, & turbine ventorum, & procellis vndarum: sed ecce vt regrediens manum tetendit, Petrum erexit, ventis imperauit, & discrimina marina compescuit, confestim mare, quod in cumulos erigebatur, obruitur, tempestatis procella sedatur, ventorum turbo reprimitur, & aurea cæli facies serenatur. C † sagena pro naicula superius vsurpata a Petro Damiani, quibus intelligas eius esse hoc opus.

Clausula dictionis.

Amodo igitur, dilectissimi, illinc regalis aulæ Consiliarij, hinc Sedis Apostolicæ comministri, vtraque pars in hoc vno studio conspiremus laborantes, vt summum sacerdotium & Romanum simul confœderetur Imperium, quatenus humanum genus, quod per hos duos apices in vtraque substantia regitur, nullis, quod absit, partibus, quod per Cadaloum nuper factum est, rescindatur, sicq. mundi vertices in perpetuæ charitatis vnione occurrant, vt inferiora membra per eorum discordiam non resiliant, & quatenus ab vno Mediatore Dei & hominum hæc duo, regnum scilicet, & sacerdotium diuino sunt conflata mysterio; ita sublimes istæ duæ personæ tanta sibimet vnanimitate iungantur, vt quodam mutuæ charitatis glutino & Rex in Romano Pontifice, & Romanus Pontifex inueniatur in Rege, saluo scilicet suo priuilegio Papæ, quod nemo præter eum vsurpare permittitur. Ceterum & ipse delinquentes, cum causa dictauerit, forensi lege coerceat, & Rex cum suis Episcopis super animarum statu prolata sacrorum canonum auctoritate, decernat. Ille tamquam parens paterno semper iure præemineat; iste velut vnicus ac singularis filius in amoris illius amplexibus requiescat. Attalus plane Rex Asiæ & Nicomedes Rex Bithyniæ in tantum Romanã Rempublicam dilexere, vt vterque moriens Romanum populum testamenti reliquerit heredem. Sanctæ ergo Ecclesiæ Principes quam propensiori inuicem debent charitate congruere, quibus iniunctum est, charitatem præcipue Christiano populo prædicare; vt ex eorum, quæ procedat ex pietate concordia, sancta vniuersalis gratuletur Ecclesia, ac gemino vtriusque studio Christianæ religionis refloreat disciplina. Verum nos piscatoris nostri nauiculam ex hiatu Scyllæ voraginis extrahentes, dum successorem Petri fidei, labente vestigio mersum ad litora quieta deducimus, pium ereptori nostro eleusma cantemus: Te Deum laudamus: Te Dominum confitemur] hactenus synodalis disceptatio, cui in codice mox subscripti leguntur hi versus. D E

Vltio diuina, populi Cadaloe ruina,
Te manet, vt diro medium transuerberet ictu.
Allipetax Simonem sequeris Simon astra petentem:
Te quoque tartareus simul absorbebit hiatus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DECLARATVR VATICINIVM PETRI DAM.

Quemnam autem post concertationem istam recitatam exitum Cadaloi causa A
fuerit consecuta, ex eiusdem Petri Damiani epistola ad Cunipertum Taurinensem
Episcopum euidenter satis apparet, cum de sua prædictione de ipso facta reddidit ra-
tionem. Quod enim ipsum eodem interiturum anno fore prædixerat; intelligere
voluisse ea, quam tyrannice occupauerat, dignitate priuandum fore eodem anno,
significat istis verbis: Etiam mihi ijdem eius fautores insultant; eumq. non esse mor-
tuum iuxta cuiusdam a me facti versiculi prophetiam exprobant: dixeram enim in-
ter cetera.

Non ego te fallo, cæpto morieris in anno.

Sed vt me comprobent non esse mentitum, audiant admirabilem diuinæ dispositio-
nis euentum. Cadalous siquidem ipso festiuitatis die sanctorum Apostolorum Simo-
nis & Iudæ, quasi in Papam, Deo reprobante, ac repellente, fuit electus: eodemq. B
vertente anno, in prædictorum Apostolorum vigilijs, ab omnibus Teutonicis & Ita-
licis Episcopis, & Metropolitanis, qui cum Rege tunc aderant, damnatus est & de-
posítus. Quamobrem iuxta a Ezechielem prophetam fimum boum pro stercoribus a Ezech. 4.
humanis Deus ipsi quodammodo contulit, dum carnis interitum honoris ruina mu-
tauit. Tunc quippe mortuus est in honore, cum honoris synodali iudicio perdidit
dignitatem. Nunc autem, non dicam biothanatus, sed potius millies mortuus toto
terrarum orbe deridetur, exploditur, maledicitur, anathematizatur. Audiant hoc
insultantes mei, & dum diuinæ dispensationis prospexerint ordinem, me mendacij
non accusent] hæc Petrus expressis verbis agens de damnatione Cadaloi in Synodo
facta hoc anno ante diem eius promotionis. quod etiam asserit Leo Ostiensis his ipsis
pariter verbis: Quippe qui eodem ipso die vigiliarum Apostolorum Simonis & Iudæ C
ab omnibus Teutonicis & Italiæ Episcopis, qui tum cum Rege aderant, iusto Dei iu-
dicio damnatus est atque depositus] hæc ipse. Quibus euidenter apparet, hoc ipso
anno in dicto Concilio Cadaloum fuisse damnatum, atque e Pontificio throno syno-
dali sententia ad ima depositum. Sed non quieuit eiusmodi confossa vulneribus fera
bestia, verum eo magis accensa furore in Romanam Ecclesiam, ipsumq. Alexan-
drum insanijt, & insilijt, vt quæ inferius suis locis erunt dicenda, monstrabunt. iam
vero quæ sunt reliqua anni huius, Annalibus intexamus.

Eodem anno Alexander Papa misit legationem in Angliam ad Eduardum Regem:
de qua Rogerius agens sic ait: Hoc eodem anno Legati Sedis Apostolicæ in Angliam
ad Eduardum Regem missi agunt, vt sanctus Vulstanus Vuigornensis ecclesiæ Epi-
scopus eligeretur. res vero gesta ita ab eo describitur: Contigit namque eo tempore D
(hoc scilicet anno millesimo sexagesimosecundo) & Legatos Apostolicæ Sedis eius
electioni interesse, Armenfredum scilicet Sedunensem Episcopum, & alium, qui a
domino Papa Alexandro pro responsis ecclesiasticis ad Regem Anglorum Eduar-
dum missi, regio præcepto Vuigorniæ per totam fere Quadragesimam degebant, ex-
pectantes responsum suæ legationis vsque ad curiam regalem proximi Paschæ. Hi
videntes, dum ibi morarentur, eius laudabilem vitam, in eius electionem non tantum
consentiebant, immo tam Clerum, quam plebem maxime ad hanc instigabant, suaq.
auctoritate electionem firmabant. Illo vero obstinatissime renuente, seq. indignum
acclamante, & cum sacramento etiam affirmante, se multo libentius decollationi,
quam tam altæ ordinationi succumbere velle; cum sæpe a viris religiosis super hoc
conuentus, ad consentiendum minime persuaderi posset: tandem a viro Dei Vulfio E
incluso, qui tunc plus quadraginta annis solitariam vitam egisse noscebatur, acri-
ter pro inobedientia & obstinatione correptus, diuino etiam oraculo territus consentire
cum maximo cordis dolore compulsus est, & Episcopatu susceptο, Dominico die,
quo sanctæ Mariæ Natiuitas celebratur, consecratus, vita, & virtutibus clarus, Vui-
gornensis ecclesiæ Præsul effulsit. Consecratus est ab Aldredo Eboracensi Archiepi-
scopo, eo quod Stigando Doroberniæ Archiepiscopo officio Episcopali tunc a domi-
no Papa interdictum erat, quia Roberto Archiepiscopo viuente Archiepiscopatum
susciperε præsumpsit] hæc ibi.

LEGATI APOS. SEDIS IN ANGLIAM MISSI FAVENT ELECTIONI S. VVLSTANI.

Sed prosequamur aliam ab eodem Papa hoc eodem anno missam legationem in
Galliam, eam expetente sancto Hugone Abbate Cluniacense ad propulsanda mala
illa, quæ tyrannide Principum Cluniacenses monachi paterentur.

Hoc

ALEXANDER PAPA MITTIT PETRVM DAM. IN GALLIAS.

A Hoc eodem itaque anno, Petrus Damiani Episcopus Ostiensis, sed eremi incola
inde ab Alexandro Papa ad publicas negotiorum functiones abducitur: legatio enim
in Gallias ipsi ab eodem Pontifice creditur. Hoc id quidem contigisse anno, quæ re-
citata sunt superius in eius epistola ad Colonienſem Archiepiscopum data, significat.
Existimassem omnino ipsum ad dictam Synodum aduersus Cadaloum habendam
fuisse hoc anno Legatum missum, & eam aduersus Regium Aduocatum, quam reci-
tauimus, disceptationem habuisse, nisi certo certius appareret ex ipsius Petri litte-
ris ad Cluniacenses datis, ipsum ad propria redijsse, tunc temporis, quo in dicta
Synodo Cadalous est condemnatus: adeo vt impossibile omnino fiat, vt Petrus ei-
dem Synodo Legatus Sedis Apostolicæ interfuerit. Non igitur ad Synodum in Ger-
mania congregatam, sed ad alia conficienda negotia in Gallias missum, ex ijsdem ip-
B sius litteris satis possumus intelligere. Scribens enim ad Cluniacenses in Gallias mona-
chos, cum in eremum redijsset, se inuitum ac renitentem euulsum ab eremi monaste-
rio ea promissione firmatum, quod mensis Augusti principio reuersurus esset, cunctis
negotijs absolutis, in monasterium, sed promissionem non seruatam, conquestus est
his verbis: Promissum mihi fuerat, inquit, quod in Kal. Augusti forem regressus ad
propria; sed profligato postmodum trimestri curriculo, & quanta potui celeritate
curaui, & tamen vix ante quintum Kal. Nouembris diem Fontis Auellani, vnde pro-
cesseram, cacumen ascendi] hæc ipse ad Cluniacenses, cum iam in Italiam redijsset,
& dicto die amatam eremi solitudinem repetijsset, nempe quinto Kalend. Nouembris,
cum tunc temporis, nempe sexto Kal. eiusdem Cadalous in Germania (vt vidimus)
damnaretur. hæc, quæ ad tempus eiusdem legationis pertinent, dixisse satis.

C Amaro quidem animo se suscepisse pro commodis Cluniacensium hanc prouin-
ciam, abductum ex eremo diutius exoptata, testatur hexasticho illo, quo vrbane lu-
sit. cuius hic titulus:

Contra Cluniacensem Abbatem, qui eum in Gallias duxit.

Mors mea, grandæuam perimis Cluniace senectam.
Efficis vt non sim, dum petis, vt bene sis.
Vt tibi mella fluant, epulæ, pigmenta rubescant;
Amplaq. conditos præbeat olla cibos:
Scabra fit vt nostris desit vel cantabra mensis.
Dum tibi seruo dapes, me manet atra fames.]

LEGATIO PRO CLVNIACENSIBVS.

Iure quidem eam appellat legationem mortem suam ob vitæ discrimina quæ subijt.
D Perdifficilem siquidem atque periculosam eam fuisse liquet ob insidias Cadaloi pseu-
dopontificis. Nam cum præ ceteris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus eumdem
Petrum pateretur infestum, a quo litteris perstrictus admodum esset: vt eum ea lega-
tione fungentem capere posset, nihil penitus prætermisit. de his enim ipse Petrus ea-
dem ad Cluniacenses epistola habet ista: Noster animus dum post tot intumescentium
vada torrentium, post tot niualium Alpium scopulosa præcipitia, post tot etiam
(quod peius erat) Cadaloici furoris conglobatas insidias suspectus incederem: den-
sam (vt ita loquar) intestini certaminis grandinem pertulit &c.]

Causam autem eiusmodi decernendæ legationis aliam non reperimus, quam Clu-
niacensium monachorum, toto Christiano orbe fama notorum angustias: quarum
causa sanctus Hugo, eorumdem Cluniacensium Abbas hoc ipsum expetierat ab Ale-
E xandro Romano Pontifice. quo nomine ipse Petrus se in eumdem Hugonem animo
infensiore fuisse, aliquando fatetur; sed ea ex parte ipsi plurimum debere, quod ape-
ruit inuito viam, vt Sanctorum inuiseret contubernia, ipsum videlicet famosissimum
Cluniacense cœnobium. Fuisse autem religiosissimum monasterium illud, sub spe-
ciali protectione sancti Petri, idem Petrus Damiani docet in epistola ad Desiderium
Cassinensem Abbatem, cuius est exordium: Cum in meo pectore] in qua plura de
congressu cum sancto Hugone Cluniacensium Abbate obiter commiscet. extat ip-
sa epistola prolixa satis, cura & opera Margarini vna cum alijs, plerisque auctoris
eiusdem epistolis tomo tertio bibliothecæ, quam tu consulas.

QVAE GAVFREDVS COMES IN CLVNIACENSES.

Sed quænam fuerint eiusmodi Cluniacensium monachorum angustiæ, vt tanti vi-
ri legationem exegerint, nobis hactenus incompertum; illæ tantum notæ sunt, quæ in
rebus gestis eiusdem Hugonis per Hugonem monachum, auctorem eius operis inno-
tescunt:

Universidad de Deusto
Biblioteca

tescunt: nimirum quod infensissimum, & omnino implacabilem passi sint aduersa- A
rium Gaufredum Comitem Andegauensem: de quo ista ibi scripta leguntur: Turonos, inquit, venerat Hugo pater, vt pro Abbatia maioris monasterij, quam violentia Comitis Andegauensis Gaufredi, cognomento Barbati, nimis oppresserat, intercessor adesset. Cum omni itaque humilitate Comitem exorans, quia duriorem inuenit, eius se aduoluere pedibus vir sanctus non erubuit. sed cum nulla ratione ab oppressione monasterij eum posset compescere, atque cum multa indignatione recedentem retinere vellet, fibula, qua eius chlamys stringebatur, dirupta est. Abeunti itaque
a 1. Reg. 15. prophetica voce illud Samuelis ilico inclamauit: [a] Scissum est a te regnum hodie. Qui mox iuxta viri Dei vaticinium, perdidit dominium, a fratre suo Fulcone captus, & in carcerem coniectus: vnde etiam sensu iam debilitatus, non nisi morte solutus exiuit] hæc ibi. Porro siue in his, siue maioris momenti negotijs ipsi Petro Legato Apostolico laborandum immenso labore fuit; qui Dei ope omnia confecit ex sententia, vt apparet ex eius verbis eiusdem epistolæ ad Cluniacenses scriptæ, quibus hæc inter alia: B
b 1. Reg. 19. Ego etiam [b] Berzelai non suppar exemplo, in hostili vobis persecutione succurri: sed Deo largiente, triumphum ad propria reportaui] & inferius de ijsdem: Vos, inquit, draconteis per me nexibus expediti, pellem *instar leonis beneficij redditoris* pro beneficio reddite &c.] hæc & alia in dicta epistola, quam reuersus ad Cluniacenses reddidit, cuius est titulus: Vere sanctis & angelica veneratione colendis Cluniacensis monasterij Fratribus Petrus peccator monachus iugem in Domino seruitutem. Nolo vos lateat, dilectissimi &c.] in qua inter alia ista de Cluniacensibus laude dignissima:

C LVNIACENSIVM LAVDABILIS INSTITVTIO.

Porro autem, dum tam districtum tamq. frequentem sanctæ vestræ conuersationis ordinem recolo, non adinuentionis humanæ studium, sed sancti Spiritus magisterium esse perpendo. nam tanta erat in seruandi ordinis continua iugitate prolixitas, tanta præsertim in ecclesiasticis officijs protelabatur instantia, vt in ipso Cancri, siue Leonis æstu, cum longiores sunt dies, vix per totum diem vnius saltem vacaret horæ dimidium, quo Fratribus in claustro liceret miscere colloquium. Hoc autem tam continui laboris exercitium ad hoc est, vt reor, solerti satis ac prouida magisterij arte prouisum, vt leuium, atque infirmorum Fratrum fragilitatem reprimat, & delinquendi propemodum occasionem tollat, quatenus etiam, si velint, præterquam cogitatione peccare vix possint. Fragilium igitur imbecillitati consulitur, dum in persoluendo continui ordinis penso totum non modo diurni, sed & nocturni temporis spacium profligatur &c.] hæc & alia multa de Cluniacensibus laude dignissima Petrus. C

QVAE PETRO CONTIGERE IN LEGATIONE GALLICANA.

Sed non prætereamus, quæ in eadem legatione eidem Petro acciderunt in itinere Gallicano, hic describere, quæ pietati conducunt, & ecclesiasticæ disciplinæ in diuinis precibus recitandis inseruiunt. Scribit enim ea ipse in epistola ad Desiderium Cassinensem Abbatem, atque in epistola ad Archiepiscopum Bisuntinum. atque primum hæc ad Desiderium habet his verbis: Iam sane quomodo prædiximus, Adlardus, dum in Burgundiæ regno mihi conuiator incederet: In hoc, inquit, loco per quem nunc transitum habemus, aliquid contigit, quod si dixerimus, non videtur otiosum. Frater quidam nostri cœnobij piæ mentis & rectæ conuersationis hic aliquando transibat, & ecce crinitus quidam, quasi ex Hierosolymitana peregrinatione veniens palmam ferebat in manu. Cumq. peregrinus & monachus inuicem obuij sese altrinsecus pertransissent, ait ille: Completorium in lecto, nec salus est, nec profectus. Quod Frater audiens admiratus expauit. ac repente post terga respiciens, eum videre non potuit: mox enim vt verbum protulit, omnino disparuit. Ille vero ad conscientiam mox reuersus inuenit quod pridiano vespero lassus de via redierat, & fessa membra in lectulum proijciens, iacendo horas canonicas compleuerat. Vtrum ille Angelus fuerit, an re vera (vt videbatur) homo, Dei duximus relinquendum esse iudicio] & rursum de eodem in itinere comite hæc habet eiusdem argumenti: D E

Adlardi nempe prudentis ac religiosi viri, qui Bremensi præeminet monasterio, didici relatione quod scribo, quod etiam inditum litteris esse dicebat: Clericus, inquit, Colonien sis ecclesiæ, vndam fluminis transibat. Et ecce beatus Seuerinus eiusdem ecclesiæ nuper Episcopus equi eius habenas apprehendit, eumq. retinēs sistit. Cumq. ille ad stuporem versus & grauiter admiratus, cur ille tam clarus & tam celebris famæ ibi moraretur perquireret: Da mihi, ait, manum tuam, & quæ circa me sunt,

non

A non auditu disce, sed tactu. cumq. datam manum fluctibus imposuisset Episcopus: tantus eam ardor absorbuit, vt vndique carnes eius resolutæ diffluerent, & ossa nuda vix hærentibus articulis remanerent. Ad quem clericus: Cum nomen inquit, tuum in tanta benedictione sit apud nos, & fama tua consonis totius Ecclesiæ præconijs celebretur; cur te pestilens hæc vorago constringit, tantoq. proh dolor, incendio cruciaris? Ad quem sanctus Episcopus: Nihil, ait, in me remansit vltione plectendum præter hoc tantum. quia dum in aula regia constitutus, Imperialibus me consilijs vehementer applicui, canonicæ Synaxis officia per distincta horarum spacia non persolui. Mane quippe omnia coaceruans simul, tota die negotijs ingruentibus, secura libertate vacabam. Ob hanc itaque negligentiam horarum, ardoris huius fero supplicium. tu vero omnipotentis Dei clementiam humiliter implora, vt manum tuam
B in salutis pristinum restituat statum. quod cum factum fuisset: Vade, inquit, fili, obsecra fratres nostros clericos ecclesiæ, & alios spirituales viros, vt pro me preces fundant, indigentibus subsidia conferant, sacrificiorum votis insistant. His peractis, ego mox de vinculo pœnæ huius indubitanter expediar, & expectantibus me beatorum ciuium choris lætus adiungar] hæc ad Petrum Adlardus.

Verum quod ad Seuerini nomen pertinet, mendum irrepsisse necesse est affirmare: siquidem nullus nuper Colonien sis ecclesiæ Episcopus eius nominis fuisse reperitur, sed hoc titulo post Euicgerum sanctus Heribertus, qui sedit annos vigintitres, inde Peregrinus, siue Pilegrinus dictus, qui sedit annos sexdecim, post hunc Herimannus annos præfuit decem & nouem, post quem Anno, qui hoc viuebat tempore. Seuerinus autem Colonien sis ecclesiæ Episcopus sanctus iam annis septingentis inter San-
C ctos cultus, creatus reperitur anno Redemptoris trecentesimo quadragesimosexto Colonien sis Episcopus (vt in [a] Notis diximus) vt nihil sit, quod de eo illa esse dicta vllatenus possit existimari. quamobrem pro Seuerino puto legendum esse Peregrinum siue Pilegrinum, nuper reuera Colonien sem Episcopum, vtpote qui creatus est anno Domini millesimo vigesimoprimo, peruenitq. vsque ad millesimum trigesimumsextum, quem & Consiliarium liquet fuisse Imperatoris. a Rom. Martyr. die 23. Octobr.

Dum idem legationis munus obiret ipse Petrus, tradit se in Gallia fuisse exceptum hospitio ab Vualtero Archiepiscopo Bisuntino, celebris famæ Antistite, quem summis laudibus celebrat. Corripuit tamen eum, quē correctione ex eo dignum putauit, quod pateretur ecclesiæ ministros sedentes psallere. ait enim, ad ipsum postea scribens: NON SEDENTES SED STANTES DIVINAS LAVDES PERSOLVANTVR.
D Vnum præterea torporis ac desidiæ signum in ecclesia tua vidi, quod & tunc, prout expeditionis dictabat hora, corripui, & nunc apicibus tradere non superfluum duco. plerique siquidem ibi clericorum resident, dum vel canonica horarum celebrantur officia, vel etiam ipsa Missarum offeruntur terribilia sacramenta. Cuius corporis ignauiam per Galliarum partes nonnullis inesse etiam monachis deprehendi. quod profecto prauæ consuetudinis vitium & correctione dignum, & de stadio militantis Ecclesiæ in his qui incolumes sunt, constat penitus eradendum. &c.] hæc ipse, qui haud visus sibi satis tunc corripuisse de his Episcopum, reuersus ad eumdem, eodem argumento prolixam satis eam epistolam scripsit, cuius est exordium: Non ignoras venerabilis pater &c.] qua ex pluribus diuinæ Scripturæ locis laborauit ostendere, nullo modo neque clericis, neque laicis in ecclesia sedendum (nisi laborat quis infirmitate) dum diuina officia persoluuntur: quod vt primum ipse in sua ecclesia cor-
E rigat, inde in alijs quoque corrigendum procuret, admonuit. Ipse autem Petrus Damiani post hæc ex eremo Romam coactus est proficisci ad consecrationem Alexandri Papæ, eo quod ipse esset Episcopus Ostien sis, cuius tantum muneris, consecrare Pontificem. quando autem id acciderit, suo loco dicetur.

AGNES AVGVSTA ROMAM POENITENTIAE CAVSA CONTENDIT.

Hoc eodem anno ad finem dilabente peruenit Agnes Augusta Romam ad Limina Apostolorum, illic perpetuo permansura. Ita quidem casuum varietate mirum in modum agitata, sapienter vitam instituit, vt sese totam diuino obsequio manciparet, quod didicisset illud esse vere regnare, cum Dei seruituti se, ipsi inhærendo, spontanee subiugaret, illud propheticum mente retinens ac ore concinens: [b] Pars mea Dominus, dixit anima mea, propterea expectabo eum] Verum eius peregrinationis & mansionis in Vrbe illa asseritur certa causa, quod cum eadem Augusta fauisset nefariæ Cadaloi promotioni, pœnitens facti, peccatum ingens ingenti satisfactione voluit redemisse. b Thren. 3.

misse. de ipsa enim hæc habet B. presbyter pœnitentiarius in S. Anselmi Lucensis Epi- A
scopi rebus gestis: Huic nefariæ præsumptioni Cadaloi mater ipsius Agnes Imperatrix interfuit. Quæ sancti Spiritus illustratione compuncta, apud ipsum Papam Alexandrũ confessionem postmodum fecit, pœnitentiam accepit. Huic præ ceteris iniunctum est, quatenus Romæ moraretur, ibiq. sancto Petro vigilijs, orationibus, & ieiunijs satisfaceret, ac prodesset Ecclesiæ consilijs & auxilijs, prout valeret] hæc ipse. quæ quidem ab ipsa abundantissime præstita esse, quæ dicentur inferius, docent. De eiusdem vero abrenuntiatione sæculi extant S. Alphani Archiepiscopi Salernitani huius temporis auctoris hi duo versus in prece metrica.

Deprecor, Agnetis Regina fac memor vt sis:
Quæ Regum Regi seq. suumq. dedit.

Sic igitur mentis firmato consilio, stabilitoq. de sæculi huius abdicatione proposito, festine in Vrbem aduolat, vbi offerat piscatori quod acceperat Imperium a piscatore, receptura cum fœnore a Christo cælestia regna permansura perpetuo. Sed quæ de ipsa Lambertus eiusdem temporis scriptor habeat, rem a principio repetens, accipe: Imperatrix nec filium sequi, nec iniurias suas iure Gentium expostulare voluit, sed in propria recedens, priuate deinceps ætatem agere disposuit. Nec multo post tædium passa ærumnarum sæculi, domesticis quoque erudita calamitatibus, quam cito & velociter exufflante spiritu Dei exiccetur fœnum temporalis gloriæ, cogitauit sæculo renuntiare, statimq. ad explendum quod cogitauerat, præceps abisset, nisi in ea impetum spiritus amici maturioribus consilijs inhibuissent] hæc ipse. At de profectione Romam ad Limina Apostolorum Sigebertus hæc habet anno præsenti: Imperatrix necessitatem vertens in voluntatem, vt obstrueret os loquentium de se iniqua, non solum honore regni, sed etiam honore sæculi reiecto, Romam ad Limina Apostolorum se contulit, ibiq. vsque ad finem vitæ omnibus bonis exemplo & miraculo fuit] hæc Sigebertus. Redarguitur vero ab his omnibus Vrspergensis Abbas, dum eiusdem Augustæ aduentum Romam ponit anno Domini millesimo sexagesimonono.

De eadem, quod Romam veniens, ibi Petrum Damiani Ostiensem Episcopum magni nominis & sanctitatis virum nacta, fecerit in Confessione Petri Apostoli confessionem suorum omnium peccatorum, testatur idem ipse Petrus in epistola ad ipsam postea scripta, quam acceptam nuper a Cassinensi bibliotheca industria domni Constantini Caietani monachi Cassinensis, hic tibi describendam putauimus, egregium antiquitatis monimentum, quo potissimum tamquam scopa omnis puluis aspersus de- D
tantæ feminæ fama euerratur. sic enim se habet:

Scuto bonæ voluntatis Dei coronatæ Agneti Augustæ Imperatrici, Petrus peccator monachus seruitutem.

PETRI DAM. EPIST. AD AGNETEM AVG.

Regina Saba [a] venit in Hierusalem audire sapientiam Salomonis, Imperatrix Agnes Romam adijt addiscere stultitiam piscatoris. nam sicut Paulus ait: [b] Quia non cognouit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Illa, sicut sacra restatur historia, ingressa est cum multo comitatu & diuitijs, camelis quoque portantibus aromata, & aurum infinitum nimis & gemmas pretiosas; ista vero cum Hermisinde cognata sua non dispari sancti Spiritus feruore
[c] Matth. 28. succensa, tamquam Maria [c] Magdalena cum altera Maria veniunt ad sepulchrum, non vt corpus IESV perungant fomentis aromatum, sed vt pedes eius fluentis irrigent lacrymarum. non enim iam quærunt viuentem cum mortuis, sed adorantes tenent vestigia resurgentis. Carnalis plane Salomon Reginæ Sabæ quæstionum nodos & mysteria reserauit ænigmatum: nostra vero Regina nihil sibi solui proposuit, nisi suorum vincula peccatorum. Salomon inquam fuit figura Christi, & quædam velut imago siue prophetia personam nostri Saluatoris expressit. De illo quippe di-
[d] 3. Reg. 4. citur, [d] quia locutus est tria millia parabolas, & fuerunt carmina eius quinque millia. vbi præsto subiungitur: quia disputauit etiam super lignis, a cedro quæ est in Libano vsque ad hyssopum, quod egreditur de pariete, & differuit de iumentis, & volucribus, & reptilibus, & piscibus: quæ scilicet Redemptori nostro non ambiguũ erit cuncta congruere, cui vacat hæc diligenti consideratione tractare. Ipse nimirũ tria millia parabolas est locutus, qui & per mystica patrum præcedentium facta, per allegorica Prophetarum oracula, vel etiam per consonantis Euangelij documenta, dum sub figu-

rarum

A rarum velamine pene cuncta disseruit, quasi tria millia in verbis suis parabolas numerauit. Vnde & in Euangelio Matthæus ait: [a] Hæc omnia locutus est IESVS in para- *a Matth. 14.*
bolis, & sine parabolis non loquebatur eis. Cuius etiam carmina quinque millia sunt, quia chorus Virginum sub quinario numero describitur ante thronum eius (sicut Ioannes in [b] Apocalypsi dicit) canticum nouum iugiter modulari] & post plura *b Apoc. 5.*
alia de collatione Christi cum Salomone ista subiungit:

Ad hunc ergo tu nuper Salomonem, o Regina, venisti, non vt illa Sabæorum curribus & equitibus & elephantis; sed in lacrymis potius gemitibus & lamentis. Tu ergo veraciter es Regina Saba; Saba siquidem interpretatur humilis vel campestris. In campum quippe certaminis descendisti, vt manus manibus conferas, & pro castris Christi stans, non eneruiter cum hoste confligas. Venisti, inquam, non vt ænig- QVALIS AGNES AVG. VENERIT, ET CVR ADVENERIT.
B matum tibi mysteria scrupulosa dissolueret, sed vt per simplicis Clauicularij sui ministerium regni cælestis aditum reseraret. Venisti humilis ad humilem, pauper ad pauperem, & quasi . . . . & incultis gregum pastoribus adorare venisti puerum in præsepio vagientem. Venisti nempe. Tu & quique circa te, mirandum valde spectaculum, & imitandum Saluatoris eras ædificationis exemplum] videtur significare, venisse Romam Agnetem Imperatricem Natalis diei Domini tempore. Pergit de habitu quo est Vrbem ingressa: Vestis enim pulla & lanea, is cui insidebas, non dicam, equus, sed potius burdo, vel burricus, vix mensuram desidis excedebat asselli. Muta- * columnæ
ueras enim coronam velo, purpuram sacco, & manus, quæ in modum * columbæ gestare consueuerat sceptrum, attrita iam erat portare psalterium. reuera, quia omnis gloria filiæ Regis ab intus. Vernantium decor ille gemmarum, & coruscantium auro
C vestium cultus iam ad interiora migrauerat, & in occulti speculatoris obtutibus interior sponsæ species relucebat. cui Sponsus: [c] Tota, inquit, pulchra es amica mea, & *c Cant. 4.*
macula non est in te. & iterum: [d] Pulchra es amica mea, suauis & decora. *d Ibid. 5.*

Delicatam porro ceruicem illam, ex qua cum bracteolis aureis & rutilantibus margaritis dudum murena pendebat, nunc margo laneæ vestis exasperat. Vnde ministri cælestis illius Sponsi tibi blandiuntur & dicunt: [e] Murenulas aureas faciemus tibi ver- *e Ibid. 1.*
miculatas argento. & Sponsus adhuc: [f] Coronaberis, inquit, de vertice Sanir, de capite Amana & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum. Amana quippe mons esse Ciliciæ dicitur, qui & Taurus a compluribus appellatur, Sanir & Hermon terræ Iudaicæ montes sunt, in quibus leones & pardi habitare creduntur. per hos ergo montes Reges & Principes, diuersæq. mundi huius intelligendæ sunt potestates,
D quæ velut montes sese in superbiæ culmen attollunt, & malignis spiritibus tamquam pardis atque leonibus habitaculum faciunt. De his ergo montibus coronaberis, quia quotquot mundi Principes ac potestates ad Deum per tuum conuertentur exemplũ: pro his omnibus æternæ gloriæ tibi cumulabitur præmium. Eris quoque non modo coronata, sed & ipsa corona, Propheta testante, qui ait: [g] Et eris corona gloriæ in ma- *g Isai. 61.*
nu Domini, & diadema regni in manu Dei tui.

Amisisti Regina virum, post quem dedignata es thalamos iterare, vel proci cuiuslibet fœdi admittere, nisi qui priorem virum excellentioris gloriæ dignitate transcenderet. Quid ergo faceres? Vir ille tuus Imperator extitit, regiæ dignitatis apicem te- CONSILIVM AGNETIS AVG. IN DEDICANDO SE DEO.
nuit, & quod in hominibus singulare est, Romani Imperij monarchiam dispensauit. Quia igitur in tantæ celsitudinis arce præeminuit, eo superior quispiam in huma-
E no genere reperiri non potuit. quæ ergo in terris idoneum, & qui tuis placeret oculis inuenire non poteras virum: in cælestis Sponsi prouolasti violenter amplexus, violenter inquam: [h] Regnum quippe cælorum vim patitur, & violenti diripiunt *h Matth. 11.*
illud. O beata ista superbia, o beata mentis elatio & omnibus digna præconijs! quæ dum carnalis thalami vitam contempsit, in dotalitium regis æterni glorioſa transiuit. Carnalis plane virginitatis arcanum corrupit sponsus terrenus; Sponsus autem ille cælestis eas etiam quas sibi violatas associat, in virginale decus ilico sine difficultate reformat, vt nimirum contracti squaloris inquinamenta deponant, & velut aridæ prius arbusculæ denuo comantes in pristinam decoris gratiam reuiresceant. Porro autẽ cum carnali viro nuptura exornatur: mox apud affines & notos vndique pecunia quæsita congeritur, & quidquid valet acquiri, sacculis ilico vel obsignandis . . . . . & quo magis ad virum mulier ornata deproperat, eo & glo-

riosior

Universidad de Deusto
Biblioteca

PROPVSA AGNETIS AVG. MVNIFICENTIA.

riosior appareat, & ille propensius in eius amore sedulus inferuescat. A
Tu contrà vt nuptialia cum cælesti Sponso fœdera contrahas, regalis ærarij congeriem prodigis, radiantia quoque cum auro vel argento margarita dispergis, aulæa tua blattina, vel potius deaurata templorum laquearibus appenduntur, ornamenta regalia sacris famulantur altaribus. Nullis (vt ita fatear) parcitur rebus, & hoc solum indigentibus & ecclesijs confertur, quod extra tui iuris peculium reperitur. cuncta proijcis, cuncta dilapidas, vt ad Sponsi cælestis amplexus exornata prorsus, immo nuda peruenias. Hæc autem non propter te, venerabilis Imperatrix, edissero, quam & his verbis potius offendere pertimesco: sed ob id potius, vt dum tuæ virtutis insigne vtcumque depromitur, non parua legentibus ædificatio procuretur. Vbi enim tanta sublimitas pro sui Creatoris amore ad pauimentum vsque deijcitur; quæ ceruix superbiæ protinus a sui rigoris tentigine non flectatur? Quæ tumidæ cuiuslibet mentis B
inflatio præsto non folleat, cum tantæ gloriæ Principem nunc velut despicabile mancipium cernat? Quis præterea rerum transeuntium pertimescat inopiam, cum spontaneam videat in ea muliere pauperiem, quam tot vtique regnis paulo ante aspexerat imperantem? Aut quis inculti habitus iniuriam perhorrescat, cum aureo subtegmini & regalibus pompis a regia maiestate vile stamen prælatum esse considerat?

AGNETIS MIRA ABSTINENTIA.

Veniam ad mensam & ad famelicam (vt ita loquar) epularum affluentium vbertatem. Quale, rogo, est, congestam ante se struem lancium & renidentium carnium epulas per mensas circumquaque transmittere, & carnium nec ipsam quidem pinguedinem degustare? contrectare manibus dapes, & eas in ore non ponere? immo ipsum panem vel quælibet incultioris apparatus ædulia cum timore summotenus ligurire? Vnde mihi sæpe conquesta es, eatenus non posse cohibere te ab edendi prurigine, C
vt ex his quæ apposita cerneres, non aliquid tibi quandolibet immoderatius indulgeres: hinc sæpius lacrymæ, hinc gemitus, hinc profunda suspiria. Lugebas enim, quia quantauis disciplinæ cautela cuiuslibet districtionis instantia naturam funditus superare non possent: sed sicut ex tunc forte non tacui, ieiunium Regina tuum multiplex est. Nos enim aliquando ieiunamus a cibis, sed tu ieiunas a purpura, ieiunas a corona, atque a quotquot magnificis Imperialis gloriæ pompis. His enim abstinere, non immerito ieiunium nuncupatur, quibus vtique mens quamquam carnalis delectabiliter pascitur. Nam si simplex aqua a Dauid proiecta, Scriptura teste, [a] in sacrificium
a 2. Reg. 23. vertitur: tot rerum honorumq. contemptus quantam apud Deum gloriam promeretur? O quam grauis est, quamq. laudabilis abstinentia, assuetam iuuenculam a virili ieiunare complexu! Numquid & hoc graue ieiunium non est, vt quæ consueueras istos in honorum culmen attollere, illos insolentes a dignitate priuare: nunc regulis contenta domesticis, aspectus hominum fugias, & in orationibus & psalmodiæ sedula modulatione persistas? Et quia fueras olim Susanna cum viro: merito nunc facta es Anna post virum. Et quia tunc coniugalem pudicitiam immaculate seruaueras, nunc cum filia Phanuel (quod templum Domini dicitur) in ecclesia perseueras.

AGNETIS AVG. SCRVPVLVS EIVS MENTIS CANDOREM PATEFACIT. * ipsam egeriē b 1. Tim. 2.

Hinc est quod a me per venerabilem Rainaldum Comanum Episcopum requisisti: Vtrū liceret homini inter ipsum debiti naturalis *egerium aliquid ruminare psalmorum? Ad quod ego, quod ad tempus occurrebat, exposui: Quoniam Iob Deus omnipotens vilitauit in sterquilinio constitutū, & beata martyr Agnes, cuius & tu æquinoca es, in obsoletis ac sordidis lupanarium locis & Angelum simul & angelicum reperit indumentum. Nam & Apostolus vbique nos præcipit orare, cum dicit: [b] Volo ergo vos viros orare in omni loco, leuantes puras manus sine disceptatione. Quamquam hæc magis eo loci versanda tunc in corde quam explicanda sermone, hoc ego quamquam silentio dignum fuerit, & nequaquam per multorum ora vulgandum, idcirco dixerim, vt liquido legentibus innotescat, quantus sancto pectori diuini amoris candor incalescat; vt ne ad breuem quidem punctum a diuinis obtescere laudibus acquiescat. Quid ad hæc dicent, qui de Ecclesia non oratorium, sed locutorium & non oraculum, sed conciliabulum faciunt? ac per hoc in ea domo sæcularia verba permiscent, quæ dumtaxat ob hoc constructa dignoscitur, vt in ea prorsus a negotij sæcularis actione vacetur? E

Sed vt his qui ad Apostolorum Limina confluunt, sanctæ deuotionis tuæ salubriter imitentur exemplum; sub arcana quoque beati Petri Confessione ante sacrum altare

A altare me sedere fecisti, ac per lugubres gemitus & amara suspiria, ab ipsa quinquenni infantia tenera adhuc & nuper ablactata cœpisti, & tamquam illic ipse beatus Apostolus corporaliter præsideret, quidquid subtile vel minutum in humanitatis tuæ potuit titillare visceribus, quidquid in cogitationibus vanum, quidquid præterea subrepere potuit in sermone superfluum, fidelibus est relationibus euolutum. Ad quod mihi visum est, vt nullum aliud pœnitentiæ pondus iniungerem, vt illud diuinæ legationis elogium iterarem: Age quod agis: operare quod operaris; vel illud quod ijs, qui Thyatiræ erant, per Angelum mittitur: [a] Non mittam super vos aliud pondus: tantum id quod habetis, tenete. Nam Deo teste, ne vnum quidem diem ieiunij vel cuiuslibet afflictionis indidi, sed vt in cœptis solummodo sanctis perseuerares operibus, imperaui. & vtinam a quibusdam homicidis vel diuersorum criminum reis illi gemitus, illi B
fletus in confessione prorumperent, sic tabescentis ac acerrimo dolore transfixæ mentis spiritus fremeret, sic male sibi conscia pectora singultirent, sicut illic plangebantur vel inanium phantasmata cogitationum, vel quarumlibet puerilium ineptiæ leuitatum. Hoc prouocentur exemplo, qui ad veneranda Sanctorum corpora pia deuotione festinant. Illic itaque proprij reatus morbos, quasi noxios humores euomant, quibus per conatus puræ confessionis egestis, pœnitētiæ salutaris antidotum sumant. Illic baptismum pœnitentiæ statuant, in quem per iudicium officij sacerdotalis immersi vetusti hominis indumenta reponant, iamq. de veteribus noui viuant.

AD S. PETRI CONFESSIONEM PETRO CONFITETVR PECCATA SVA.

a Apoc. 2.

Tu autem domina mea (nam quia te Redemptoris mei sponsam esse non ambigo, meam te vocare dominam nullatenus erubesco) domina inquam mea fige pedem in radice perseuerantiæ, & in amorem illius, ad quem per manus sacerdotum & pauperum quotidie cuncta transmittis, medullitus inflammare, vt illud tibi iure contingat, C
quod in lege præcipitur, videlicet: [b] Vt qui captam in bello mulierem forte diligeret, eamq. suscipere voluisset vxorem: prius eius cæsariem radat, vnguesq. præcidat, ac vestem in qua capta est auferat. sicq. ad ingenuitatem Israelitidis ex more prosilientem, iure sibi matrimonij copularet. Iam igitur vngues tui cum cæsarie cœpere præcidi, iam vestis, qua tegebaris auferri, quia quidquid in tui cultus ornatibus pulchrū, quidquid in facultatibus pretiosum te velut ambire vel comere in exterioribus cernitur, in pietatis opera quotidie profligatur. Restat ergo vt ad intimi Sponsi tui iam peruenire dulcedinem, & suauissimam illam confœderati spiritus cupias vnitatem. [c] qui enim adhæret Domino, vnus cum eo spiritus est. Videlicet vt ille diuini amoris sapor tuis visceribus influat, illa suauitatis flamma tui pectoris arcana succendat, quam D
& miser mundus, & mens quæque carnalis ignorat. Vt illud Canticorum ardenter exclames: [d] Guttur dilecti mei suauissimum, & totus desiderabilis: & ille tibi vicissitudine grata respondeat: [e] Fauus distillans labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua, & odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.

b Deut. 21.
c 1. Cor. 6.
d Cant. 5.
e Ibid. 4.

PETRVS ROBORAT EAM IN TOLERANTIA ADVERSITATVM PER EXEMPLA.

Nec turberis, si quæ te aduersitas feriat: ob id enim fit, vt internus ille dispositor ad hanc te dulcedinem trahat. Nam & mater cum ablactare vult filium, aliquando fel vberibus adhibet, vt dum aspernatur illud quod horret, compellatur ad alimentum se transferre quod roboret. Israeliticum populum idcirco Rex Aegypti percellere ac lacerare permittitur, vt ad repromissionis arua contendere festinantius prouocetur. Porro vt * omne sileam, quod talione vicaria & odis mundum, & perosa iam exploderis a mundo: numquid & ipsis Regibus, a quibus mundus iste diligitur, & quibus captiosa fraude blanditur, non quantocyus in amaritudinem vertitur? vt nimirum hodie qui ex hostibus victoriæ signa reportat, triumphalis eum gloriæ pompa præcedat: & cras illum ignobiliter terga vertentem hostilis mucro transfodiat? [f] Balthasar nempe ipso die quo vasa templi Domini iam temulentus concubinarum labijs fœdare præsumpsit, Medorum gladijs Dario victoriam obtinente subiacuit. Galba Rom. Imp. quatuor tantummodo mensibus imperauit, & in Romano foro, gladio percussus occubuit. taceo Neronem, prætereo Ottonem, quos a semetipsis interfectos, Romanæ Reipublicæ testantur historiæ. Nonne Vitellius interemptus est a ducibus Vespasiani? Nonne & Pertinax occisus est a militibus Prætorianis? Macrinus, Antoninus, Alexander, Philippus, Gallienus: nonne omnes hi Imperatores militaris impetus gladij pertulerunt? Domitianus præterea suorum coniuratione confossus est. Probus dum castra super Tigridem haberet, cælesti fulmine repente peremptus est.

* f. omnino
f Dan. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

est. Sed qui vult plenius nosse, seriatim Romanæ antiquitatis percurrat historias, A
ibiq. liquido videbit quam pauci Reipublicæ Principes communi morte defecerunt. nam & Gordianus, & Philippus, Decius, Gallus, Volusianus, Gallienus, Quintillus, Aurelianus, Numerianus, Licinius, Constans, Constantinus Iunior, Iulianus, Valens, Gratianus, Valentinianus Iunior, Ioannes, Valentinianus Tertius, Maiorianus, Anthemius, Nepos, omnes isti Romani Imperij rectores, nonne initio seditiosa suorum sunt fraude necati, vel in procinctu hostilibus perierunt gladijs interempti?

Sed & quibusdam quid profuit, quod eorum in hoc sæculo prolixius durauerit annosa vita? Nam vt infinita præteream, Valerianus Imperator in Mesopotamiam cum Sapore Rege prœlium commisit, & perdidit, quem ille protinus captum irreuocabilis custodiæ vinculis mancipauit, qui nimirum ignobili (sicut tradit histo- B
ria) apud Parthos seruitute consenuit, & quoad vixit, huic probrosæ addictus est pœnæ, vt eiusdem prouinciæ Rex, incuruato eo, pedem ceruicibus eius imprimeret, & sic in equum arrogantia tumidus assiliret. quis est enim cui se fortuna non transferat, & modo de aduersis ad prospera, modo de prosperis in aduersa scenica se varietate conuertat? Quanta plane gloria, quantus suorum fauor arrisit Hannibali, cum apud Cannas Paulum Aemilium cum tot Romanorum militum agminibus strauit, cum denique tres anulorum aureorum modios, quos equitum Romanorum, Senatorum, & militum manibus detraxerat, Carthaginem destinauit? plurimas etiam Italiæ sibi ciuitates subdidit, adeo vt iam Romani ciues Italiam relinquere decreuissent, & statum labentis Imperij funditus disperarent. Sed quam in contra- C
rium successus iste conuersus est, cum Mago frater eius a Scipione apud Carthaginem Hispaniæ capitur, Asdrubalis alterius fratris caput mucrone resectum ante ipsius Hannibalis castra proijcitur? ipseq. deinceps post ineuasibile fugæ periculum, vt veneno se perimat, imminente necessitate compellitur? Quam & in contrarium versa est illius eximij fortuna Pompeij, qui post tot triumphos, claraſq. victorias, quas diuerso terrarum orbe confecit, postquam vigintiduos Reges in solo Orientali climate superauit, vilis Achillæ gladio detruncatus occubuit? Cæsar etiam, quem victoriæ cupidum totus occiduus orbis satiare non potuit, cui velut quidam contradictionis obex (vt ita loquar) importunus & arrogans oceanus obsistebat, cuius oraflammantia innumerabilium strages Gentium non complebat, Senatorios intra Curiam pertulit gladios, a quibus vtique vigintiduabus plagis confossus interijt.

Numquid & mulieres ab huius mundanæ deceptionis rotali vertigine reperiuntur D
immunes? Cleopatra nempe magnifice toti dominabatur Aegypto, quod videlicet regnum centum millia villarū includere perhibetur. Huc accessit, quod Antonium, qui Orienti simul imperabat & Asiæ, Octauiani Augusti sororem repudio spreuit, & hanc sibi infaustis auspicijs in matrimonium copulauit. Verum ad quem finem tam glorioſi, tamq. magnifici coniuges peruenerunt? Antonius siquidem ab Augusto apud Actium nauali prœlio superatus in Aegyptum fugit, ibiq. desperatis rebus, ipse sibi propria deliberatione mortem conscIuit. Sed & Cleopatra postmodum non dissimili necessitate coacta in pretioſi viri sui sepulchrum se sponte proiecit, aspidemq. proprijs vberibus adhibens, dum & ille sanguinem sugeret, & hæc in se venena contraheret, expiratuit. Semiramis etiam post obitum viri sui quot strages dederit, quot sibi re- E
RECENTIORIBVS MONET EXEMPLIS. gna subdiderit, quo demum fine decesserit, liquido veterum testantur Annales.

Cum ergo fallax huius mundi felicitas tot calamitatibus sit obnoxia, cum potentia temporalis tot casibus varianda subiacet, & rerum ordo sese vt scenicæ vertiginis alternitate confundat: quis sanæ mentis a rebus tam friuolis, tamq. fugacibus animum non auertat? Nam vt & ipsa, quæ tibi sunt notissima, non prætereā, cum quanta gloria Papa Victor, & vir tuus Imperator Henricus, vterque vir sanctæ memoriæ tum erant & ætate virentes & dignitate florentes, cum luna sereniſſimo terram fulgore perfundens eclipsim passa repente contabuit, & rutili splendoris speculum non dicam pallore, sed obscuritate mutauit? quod profecto sicut in proximo patuit, nil aliud quam vicinum vtriusque Principis interitum præsignauit. nam eodem anno vterque defunctus est. Quod autem postea ante hoc ferme biennium luna in sanguinem versa est (quia sanguis peccata significat: Libera me, inquit Dauid, de sanguinibus

A bus Deus) in quantum mihi videtur, nil aliud nisi sanctam significauit Ecclesiam, Cadaloici sceleris sanguine cruentandam. Cadalous enim millies anathematizatus, dum pro venaliter acquirenda Romana Ecclesia infinitas per populos pecunias spargit: corda hominum per auaritiam in æris speciem, velut in sanguinem vertit. sicq. dum pestilentes homines metalli huius non desinunt habere rubedinem, splendor Ecclesiæ quodammodo vertitur in cruorem. Cor enim quod cupit, eius ante Dei oculos speciem induit. sed hæc alias.

Vt igitur ad id vnde digressus sum redeam: omnes homines siue potentes, siue sint inopes, eamdem sortiuntur originem, nec dissimilem habituri sunt finem. Inter hos autem est quædam vitæ diuersitas; vt alij se glorientur esse spectabiles, alij se doleant indigentes: sed hæc humanæ vitæ varietas momentanea breuitate concluditur, vt & B elati quique diutius de sua prosperitate non gaudeant, & inglorij suæ deiectionis incommodum festinanter euadant. quod est ergo principium nostrum & qui finis, quæ (sicuti dictum est) variare non possumus; sed omnes in commune mortales hæc indifferenter possidemus? Sed audi sapientem virum in libro Sapientiæ perhibentem: [a] *a Sap. 7.* EX HVMANA MISERIA AD MVNDI CONTEMPTVM EAM ROBORAT
Sum, inquit, & ego mortalis homo, similis omnibus, & ex genere terreno illius qui prior factus est, & in ventre matris figuratus sum caro, decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine ex semine hominis, & delectamento somni conuenientis, & ego natus accepi communem vocem, & in similiter factam decidi terram, & primam vocem similem omnibus emisi plorans, in inuolumētis nutritus sum, & curis magnis; nemo enim ex Regibus aliud habuit natiuitatis initium. vbi & protinus additur: Vnus ergo introitus est omnibus ad vitam, & similis exitus. Si ergo vnus qui dicitur introitus C ad vitam, & exitus similis diligenter attenditur, varietas illa quæ versatur in medio, tamquam volax fugacis somnij vanitas contemnatur. Hoc etiam quod præmissum est: Decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine, ex semine hominis & delectamento somni conuenientis, si non pigeat, vigilanter aduerte. quæ mens hæc audiens typho superbiæ valeat superbire? Et quis continuo non compellatur sese nosse putredinem, dum tamen obseruans ortus sui considerat fœditatem? dicens intra se: Quid superbis terra & cinis? quod etiam post exitum futurum est, primo vermis deinde puluis. Erubescat ergo cordis elata superbia, & qui se considerat inter ortum & exitum communi cum ceteris naturæ lege constringi: desinat de sublimiori gloriæ singularitate iactari.

Tu autem, venerabilis domina, quæ de cœno terrenæ superbiæ ad sublime veræ hu- AD PERSEVERANTIAM EXHORTANDO PERORAT.
D militatis fastigium conscendisti: ita constanter in eius arce persiste, sic in ea, quam per spem semel ingressa es, terræ viuentium perseuerantiæ pedem immobiliter fige, vt in sæcularis viæ lubricum non libeat vlterius declinare. Nam quæ dudum terreni fuerat vxor Imperatoris, nunc per sanctæ professionis dotem sponsa facta es Redemptoris. Sic igitur ei to in vera cordis humilitate suppone, sicilli glutino feruidæ charitatis vnire, vt cum mystica illa sponsa congruenti valeas voce cantare: [b] Inueni quem *b Cant. 3.*
diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam. & illud: [c] Dilectus meus intra vbera *c Ibid. 1.*
mea commorabitur; vt quoniam cor hominis inter vbera situm latitat, continuus sponsi tui amor a visceribus cordis tui non recedat. Et cur nunc sancta anima tua in amore copiungitur, nequaquam de cetero a dulcedinis eius amplexibus auellatur, quatenus illud in te Esaiæ vaticinium solemniter impleatur: [d] Gaudebit sponsus super *d Isai. 62.*
E sponsam, & gaudebit super te Deus tuus] hucusque ad Agnetem Augustam Petrus, tanto cathechista tanta femina digna, tantaq. filia, germine dignus pater, qui in terram bonam & optimam verbi Dei semen sparsit. siquidem de virtute in virtutem calle Christianæ vitæ perfectionis incedens, a claritate in claritatem spiritu Domini transformata in dies sanctior Deo, Sponso cælesti pulchrior reddita, Romæ quo venerat, & vbi coeperat, sancto fine non dispari tanto principio quieuit in Domino anno Redemptoris milleſimo septuageſimo septimo, vt epitaphij ad eius sepulcrum positi in basilica sancti Petri docet inscriptio, quam Vegius in monumentis Vaticanæ basilicæ, quæ collegit, libro tertio ponit, a nobis suo loco inferius recitandam.

Non prætermittendum putamus, quod Agnes, antequam Romam se conferret, apud MONASTERIVM FRVTVARENSE.
Frutuarium monasterium, ita nominatum, aliquamdiu mansit, vt Otto Frisigensis atque Vrspergensis affirmant. quod monasterium esse sub dioecesi Episcopatus Hipore-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dienſis accepimus. Petrus Damiani in epiſtola ad Adlardum Ducem, quæ incipit: A
Quidquid de caſtitatis iniuria &c.] de eiuſdem monaſterij ſancta religione pluribus diſſerit, atque laudibus immenſis celebrat. vbi ſe permanſiſſe dies ferme decem affirmat. Fuit celebre quidem Frutuarenſe monaſterium ſub nomine ſancti Benigni ſancta obſeruantia monachorum, de cuius primordijs [a] Glaber agit, affirmans nimirum illud erectum a Vuillermo Abbate, cum eccleſia ſancti Benigni martyris a ſancto Maiolo ipſi credita eſſet: monaſteriumq. erexit in paternæ hereditatis fundo, Vulpia nominato, quod Frutuarenſe placuit appellari, cui præfecit Ioannem Abbatem mirę ſanctitatis virum, ſub quo illa monaſtica floruit obſeruantia, adeo vt omnibus eſſet venerationi, ſicut etiam admirationi. nam ex eodem Frutuarenſi cœnobio, quod Agnes Auguſta (vt vidiſti) plurimum coluit, ſanctus Anno Archiepiſcopus Colonienſis vt ceteris ſanctior monachos accepiſſe legitur [b] duodecim pro inſtituendo B
monaſterio Sigebergenſi a ſe nuper erecto.

[a] Glab. 3. c. 5.

[b] Annonis vit. lib. 1. c. 23. apud Sur. to. 6. die 24. Decemb.

Hoc ipſo etiam accidiſſe tempore noſcitur ipſius Alexandri Romani Pontificis, vt cum Haraldus Noruegiæ Rex obedire negaret ſuo Archiepiſcopo Hamburgenſi ſiue Bremenſi Adalberto, idem Archiepiſcopus de his conqueſtus apud Alexandrum Romanum Pontificem, ad eum Alexander Papa litteras direxerit, quas ex parte recitat Albertus Stadenſis Abbas in ſuo Chronico, ſunt huiuſmodi:

ALEXANDRI PP. LITTERAE AD HARALDVM REGEM NORVEGIAE.

Alexander Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Haraldo Northmannorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Quia adhuc rudes in Fide exiſtitis, & in eccleſiaſtica diſciplina quodammodo claudicatis; oportet nos, quibus totius Eccleſiæ eſt commiſſum regimẽ, diuinis admonitionibus vos frequentius viſitare. Sed quia ob longarum difficultatem viarum per C
nos hoc agere minime valemus: ſciatis nos * Alberto Bremenſi Archiepiſopo Vicario noſtro hæc firmiter commiſiſſe. Prædictus itaque Archiepiſcopus legatus noſter ſuis nobis eſt conqueſtus epiſtolis, quod Epiſcopi veſtræ prouinciæ aut non ſunt conſecrati, aut data pecunia contra Romana priuilegia quæ ſuæ eccleſiæ ſibiq. data ſunt, in Anglia, vel in Gallia, peſſime ſunt ordinati. Vnde ex auctoritate Apoſtolorum Petri & Pauli vos admonemus, vt ſicuti Apoſtolicæ Sedi reuerentiam ſubiectionis debetis exhibere: ita præfatam venerabili Archiepiſcopo Vicario noſtro, & vice noſtra fungenti, vos veſtriq. Epiſcopi impendatis &c.] hucuſque ibi ex Apoſtolicis litteris.

* Adalberto

Quænam iſta præceſſerint, vt Hamburgenſis Archiepiſcopus implorare ab Alexan- D
dro Pontifice auxilium cogeretur, ab [c] Adam eius temporis ſcriptore ſic accipe: In Noruegia quoque res magnæ geſtæ ſunt illo tempore, quo Rex Haraldus crudelitate ſua omnes tyrannorum exceſſit furores. Multæ eccleſiæ per illum vnum dirutæ; multi Chriſtiani per eum necati ſunt per ſupplicia. Erat autem vir potens & clarus victorijs, qui prius in Græcia & in Scythiæ regionibus multa contra barbaros prœlia confecit] cum occiſo germano S. Olao Rege, fugit ipſe in Orientem. pergit vero:

[c] Adam lib. 3. c. 10.

RES NORVEGIANAE ECCLESIAE.

Poſtquam vero in patriam venit, numquam quietus fuit a bellis, fulmen Septem- E
trionis, fatale malum omnibus Danorum inſulis. Ille Orchadas inſulas ſuæ ditioni ſubiecit: ille cruentum imperium vſque ad Iſland extendit: propter auaritiam & crudelitatem ſuam omnibus erat inuiſus. ſeruiebat etiam maleficis artibus, non attendens miſer quod ſanctiſſimus germanus eius talia monſtra eradicauit e regno, pro amplectenda norma Chriſtianitatis certans vſque ad ſanguinem. Cuius egregia merita teſtantur hæc miracula, quæ quotidie fiunt ad ſepulchrum Regis in ciuitate Trondemis. Videbat hæc ille derelictus a Deo, nihilq. compunctus, oblationes quoque atque theſauros, qui ſumma Fidelium deuotione oblati ſunt ad tumulum fratris, ipſe Haraldus vnca manu corradens militibus diſperſit. pro quibus cauſis Archiepiſcopus zelo Dei tactus, Legatos ſuos ad eumdem Regem direxit, tyrannicas præſumptiones eius increpans litteris, ſpiritaliter vero admonens de oblationibus, quas non liceret in vſus cedere laicorum, & de Epiſcopis ſuis, quos in Gallia vel in Anglia contra fas ordinari fecit, ſe contempto, per quem auctoritate Sedis Apoſtolicæ deberent iuſte ordinari. Ad hæc mandata ad iram commotus tyrannus Legatos pontificis ſpretos abire præcepit, clamitans ſe neſcire quis eſſet Archiepiſcopus, aut potens in Noruegia, niſi ſolus Haraldus. Et alia plurima deinde fecit & dixit, quæ ſuperbiæ eius proximam

A ximam incendebant ruinam. Nam & Papa Alexander confeſtim miſſis ad eumdem Regem litteris, præcepit vt tam ipſe quam ſui Epiſcopi Vicario Sedis Apoſtolicæ dignam exhiberent ſubiectionis reuerentiam] hucuſque Adam, ad ſignificandum qua occaſione recitatæ ſuperius litteræ ſcriptæ fuerint ab Alexandro Romano Pontifice ad eumdem Haraldum Regem.

PENSIO DANICA.

Regnabat tum in Dania Sueno Rex, ad quem eiuſdem Alexandri Papæ extat epiſtola, ſeu potius fragmentum ex ea, in Vaticano codice qui inſcribitur liber Cenſuum, qua exigit cenſum, quem maiores eius perſoluere ex eodem regno conſueuerunt. ita ſe habet:

Alexander Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Suenoni Regi Danorum. *Inter cetera.*

Quapropter prudentiam tuam admonemus, vt cenſum regni tui, quem prædeB ceſſores tui ſanctæ Apoſtolicæ Eccleſiæ perſoluere ſoliti ſunt, nobis, & ſucceſſoribus noſtris tranſmittere ſtudeat: ita tamen vt non ſicut oblatio in altari ponatur, ſed vt ſupra diximus, tam nobis, quam ſucceſſoribus noſtris, vt certius approbetur, præſentialiter offeratur] hæc ibi.

Porro ad eumdem Regem extant duæ epiſtolæ Gregorij Septimi ſucceſſoris Alexandri, quibus inter alia ſignificat, quædam negotia ab eo tractari cœpta cum eodem Alexandro Pontifice, & inter alia de metropolitana ſede in Dania erigenda. Adam in- [a] Adam lib. 3. cap. 20.
ſuper de eodem agens Rege, eumdem, ait, aduerſarium Archiepiſcopo Hamburgenſi Adalberto, reconciliatum tandẽ ipſi, magno fuiſſe adiumento eius regionis eccleſijs: ſubditq. iſta: Denique ſicut mos eſt inter barbaros, ad confirmandum pactum fœderis, opulentum conuiuium habetur viciſſim per octo dies. De multis rebus eccleſiaſticis
C ibi diſponitur, de pace Chriſtianorum, de conuerſione Paganorum ibi conſulitur. Ita pontifex Adalbertus cum gaudio domum reuerſus perſuaſit Cæſari, vt euocatus Rex Danorum in Saxoniam, vterque alteri perpetuam iuraret amicitiam. Cuius fœderis beneficio multum lucri ſuſcipit noſtra eccleſia. Ea legatio Borealium nationum, cooperante Suenone Rege, proſperis ſemper aucta eſt incrementis] Poſt hæc autem de- [b] Idem l. 3. c. 21.
eccleſiæ Slauorum felici progreſſu habet iſta: [b]

SLAVORVM ECCLESIAE PROGRESSVS.

Trans Albiam autem in Slauonia res noſtræ magna adhuc gerebantur proſperitate. Godeſcalcus enim, de quo ſupra dictum eſt, vir prudentia & fortitudine prædicandus accepta in vxorem filia Regis Danorum, Slauos ita perdomuit, vt eum quaſi Regem timerent, tributa offerentes, & pacem cum ſubiectione petentes. Qua tem-
D poris occaſione noſtra Hamburg pacem habuit, & Slauonia ſacerdotibus & eccleſijs plena fuit. Godeſcalcus igitur vir religioſus ac timens Deum, Archiepiſcopo etiam familiaris Hamburg vt matrem colebat, ad quam ſoluendorum cauſa votorum ſolitus erat frequenter venire. In Slauonia vlteriori nemo vmquam ſurrexit potentior & tam feruidus Chriſtianæ religionis propagator. Etenim ſi vita ei longior concederetur, omnes Paganos ad Chriſti vnitatem cogere diſpoſuit, cum fere tertiam partem conuerteret eorum, qui prius ſub auo eius Miſtortoi relapſi ſunt ad paganitatem. Igitur omnes populi Slauorum, qui ad Hamburgenſem reſpiciunt diœceſim, ſub illo Principe Chriſtianam Fidem coluerunt deuote, hoc eſt Vaigri & Obotriti, vel Keregi & Polabingi, item Linoges, Vernabi, Chizini & Circipani vſque ad Peanum fluuium, quem noſtræ priuilegia eccleſiæ vocant Penem: prouinciæ iam plenæ erant eccleſijs, eccleſiæ autem ſacerdotibus, ſacerdotes vero libere agebant in his quæ ad Deum per-
E tinent. Quorum Mediaſtinus Princeps Godeſcalcus dicitur tanto religionis arſiſſe ſtudio, vt oblitus ordinis ſui, frequenter in eccleſia ſermonem exhortationis ad populum fecerit; ea quæ myſtice ab Epiſcopis dicebantur, vel ſacerdotibus, ipſe cupiens Slauonicis verbis reddere planiora. Infinitus erat numerus eorum qui quotidie conuertebantur, adeo vt pro ſacerdotibus in totas mitteretur prouincias. Tunc enim per ſingulas vrbes cœnobia fiebant ſanctorum virorum canonice viuentium, item monachorum & ſanctimonialium, ſicut teſtantur hi, qui in Lybichi, Aldinburg Leontio, Raziſpurg, & alijs ciuitatibus, ſingula viderunt. In Magnopoli vero, quæ eſt ciuitas Obotritorum, tres fuiſſe congregationes Deo ſeruientium referunt] hæc & alia plura de progreſſu felici Slauorũ eccleſiæ Adam, de quibus ſi libet ipſe conſulas.

Hoc eodem anno (vt ad Alexandrum Romanum Pontificem reuertamur) idem miſit pallium Petro Archiepiſcopo Dalmatiæ & Slauoniæ, his ad eum datis litteris,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ reperimus inter fragmenta Antonij Augustini Episcopi Tarraconensis:

A Alexander seruus seruorum Dei Petro venerabili Archiepiscopo Diocliensis atque Antibarensis ecclesiæ salutem perpetuam in Christo.

Si pastores ouium sole geluq. pro Gregis sui custodia die ac nocte intenti sunt; & vt, ne qua ex eis aut errando pereat, aut ferinis laniata morsibus deficiat, oculis semper vigilantibus circumspectant: quanto sudore, quantaq. cura debemus esse peruigiles nos, qui pastores animarum esse dicimur? Attendamus igitur, vt susceptum officium exhibere erga custodiam Dominicarum ouium non cessemus, ne in die diuini examinis pro desidia nostra ante summum pastorem negligentiæ nos reatus excruciet, vnde modo honoris reuerentia inter ceteros sublimiores iudicamur. Igitur dilectissime frater, petitionibus tuis iustis annuentes, Apostolica auctoritate decernimus, vt per huius pruilegij nostri paginam sic sanctissimam Diocliensem ecclesiam cum omnibus B suis pertinentijs, Antibarensem ecclesiam cum omnibus suis pertinentijs, Eiaterensem ecclesiam cum omnibus suis pertinentijs, Palechiensem ecclesiam cum omnibus suis pertinentijs, Suuatinensem ecclesiam cum omnibus suis pertinentijs, Scodriensem ecclesiam cum omnibus suis pertinentijs, Dinnastinensem ecclesiam cum omnibus suis pertinentijs, Polatinensem ecclesiam cum suis pertinentijs, Serbiensem ecclesiam cum suis pertinentijs, Bolonensem ecclesiam cum suis pertinentijs, Tibuniensem ecclesiam cum suis pertinentijs: monasteria quoque tam Latinorum, quam Græcorum siue Slauorum cures, vt scias & hæc omnia vnam ecclesiam esse, teq. omnibus prædictis locis Episcopali regimine præesse. Pallium autem fraternitati tuæ ex more ad Missarum solemnia celebranda, sicut antecessoribus tuis concessum est, concedimus, videlicet in Natali Domini, Epiphania, Cœna Domini, Pascha, Ascensione, Pentecoste, sic natali sancti Ioannis Baptistæ, natali Apostolorum Petri & Pauli, & quatuor festiuitatibus sanctæ Mariæ, scilicet Natiuitate, Annuntiatione, Purificatione, Assumptione, & duobus festis sancti Angeli, sic pro natalitijs quoque duodecim Apostolorum, natali sancti Gregorij, & sanctorum Sergij & Bacchi, & festiuitate omnium Sanctorum, atque natali tuo, & quoties ordinationem vel consecrationem ecclesiarum celebramus. Hortamur itaque charitatem tuam, vt mores vitæ tuæ tanto honori conueniant, quatenus auctore Deo, exemplis verbisq. possis esse conspicuus. Vita igitur tua filijs tuis sit regula, vt si quæ tortitudo in illis deprehenditur, in ea dirigatur. Corpore tuum neque prospera, quæ corporaliter hic blandiuntur, extollant, neque aduersa deijciant: sed quidquid illud fuerit, virtutis puritate deuincat.

Nullum apud te locum ira, odium, nullum furor indiscretus inueniat. Sacræ bene- D dictionis tuæ, iustiq. iudicij opus nulla venalitatis interuentio commaculet. Sit in te & boni pastoris dulcedo, sit & iudicis seuera districtio, vnum scilicet, quod innocenter viuentes foueat, aliud quod inquietos a prauitate compescat. Misericordem te, prout . . . patiatur, pauperibus exhibe, oppressis defensio tua subueniat, opprimentibus modesta ratio contradicat. Nullius faciem contra iustitiam accipias. Nullum quærentem iusta despicias, custodia in te æquitatis extollat, vt nec diues potentia sua aliquid apud vos extra viam suadeat rationis ardore, nec pauperum de se sua faciat humilitas desperare, quatenus Deo miserante, talis possis existere, qualem sacra
a 1. Tim. 3. lectio præcipit, dicens: a Oportet Episcopum irreprehensibilem esse. Sed his omnibus vti salubriter poteris, si charitatem magistram habueris, quam qui secutus fuerit, a recto aliquando tramite non recedit. Ecce frater charissime, inter multa alia ista sunt E sacerdotij, ista sunt pallij ornamenta, quæ si studiose obseruaueris, quod foris accepisse ostenderis, intus habebis. Crux etiam ante te, sicut ante prædecessores tuos per Dalmatiam, & Slauoniam vbique geratur. Archiepiscopatum quoque ecclesiæ tuæ iuxta formam sanctorum prædecessorum nostrorum, a quorum auctoritate non debes aberrare, concedimus & confirmamus. Sancta Trinitas gratia suæ protectionis fraternitatem tuam circumdet, atque in timoris sui vos viam dirigat, vt post huius vitæ amaritudinem ad æternam possis simul dulcedinem peruenire. Bene valete.

Subiacet his sigillum, nempe circulus quadrifidus in formam Crucis cum nomine eiusdem Pontificis Alexandri Papæ II. circumcirca eiusmodi habens inscriptionem. ✠. EXALTAVIT ME DEVS IN VIRTVTE BRACHII SVI. Post sigillum ista subijcitur subscriptio post notam temporis: Pontificatus domini Alexan-

A Alexandri II. Papæ II. Indictione xij. Datum Romæ xv. Kal. April. *manus Petri Cancellarij vicedomini Annonis Colonensis Archiepiscopi, anno sexto.*

Hoc eodem anno idem Alexander Papa pallium misit Gebehardo Archiepiscopo Salsburgensi, cum ante annum cum dimidio, nempe anno Redemptoris millesimo sexagesimo eius ecclesiæ fuisset electus Præsul: qui ob zelum quo flagrauit erga Apostolicam Sedem, cuius iurium defensor acerrimus fuit aduersus Henricum Regem & schismaticum Papam, meruit fieri Legatus eiusdem Apostolicæ Sedis in Germania.

Ita plane magnam hoc nomine eadem sedes Salsburgensis sibi laudem & præconia comparauit, tum ex hoc tanto præclaro Antistite, sub Alexandro Secundo aduersus Henricum Regem agente; tum ex sancto Eberardo, tempore Alexandri Papæ Tertij aduersus Fridericum Imperatorem decertante; cum Apostolicæ Sedis acerrime iura
B tuentes, eiusdem Sedis Pontificum inuenti sunt constantissimi defensores. testantur hæc qui eorumdem sanctorum Archiepiscoporum [a] res gestas sunt prosequuti. Porro de eodem Gebehardo testatur [b] Gregorius Septimus, venisse Romam, & Synodo interfuisse, eumq. ab eodem Alexandro Papa obtinuisse noui Episcopatus erectionem. Hæc Gregorius in litteris ad eum datis, cum eum duriuscule reprehendit, quod clericos non cohiberet haud honeste viuentes, & sui Suffraganei decimas retineret.

a extat tom. 2. antiq. lect.
b Greg. Sept. lib. 1. ep. 30. lib. 2. epist. 70.

Creauit eodem anno idem Alexander Papa sanctum Petrum Anagniæ Episcopum, hac præuia occasione. Hildebrandus Archidiaconus, cum rerũ Ecclesiæ Romanæ occasione contigisset proficisci Salernum; illic audita fama Petri monachi ibi degentis in monasterio sancti Benedicti, eumdem inde abstractum duxit Romam, quem hoc anno Alexander Papa creauit Episcopum Anagniæ ciuitatis, cui summa cum laude
C præfuit annis quadragintatribus, clarus miraculis: de quo dicendum sæpe inferius pro rerum ab eo gestarum & temporis ratione. hæc ex vita eius, quam sanctus Brunus Signinus Episcopus scripsit.

CONCILIVM ARAGONENSE

Hoc eodem anno in Hispania septimo Kal. Iulij apud S. Ioannem Rupensem Concilium est celebratum sub Ramiro Rege, multis conuocatis Episcopis. quid autem in eo statutum sit, nihil reperimus, nisi vt Aragonij Episcopi sumerentur ex monasterio S. Ioannis, quod antea per Regem Sancium fuerat institutum. De huius institutione Concilij habentur Acta in commentarijs rerum Aragonensium apud Hieronymum Blacam, quæ incipiunt: Residente glorioso Principe Ramiro &c.]

SCHISMA IN ECCLESIA FLORENTINA.

CHRISTI Redemptoris annus millesimus sexagesimustertius cum prima nuncupatur Indictione, quo magno in ecclesia Florentina conflato schismate, ad illud sedandum Petrus Damiani missus, magnopere laborauit. Sed antequam de eo agamus, assectantes tanti viri vestigia, cum ipso pariter inuisamus Cassinense cœnobium. Ab Vrbe enim Florentiam iturus: primo, Cassinum petijt, quo tantopere a Desiderio Abbate atque presbytero Cardinali expetereturr, & vsque adeo, vt vel minis idem Desiderius virum sanctum vrgeret, nimirum quod (vt eiusdem Desiderij verbis vtar, & Petri referentis ea) Nisi monasterium Cassinense inuiserem, orationem sancti loci, si
E te viuente defungerer, non haberem. Quæ videlicet minæ, cum eas ad mentem reuoco, non vt acus pungunt, sed vomi potius more vel spiculi viscera mea transfodiunt; geminæ siquidem necessitatis vndique coarctor obstaculis, & propinqui obitus me reddit ætas matura suspectum, & tot sanctorum Fratrum oratione fraudari non leue periculum. Veniens itaque medullitus pertimesco, nedum monasterium quæro, extra monasterium moriar &c.] hæc ex epistola eiusdem Petri ad Desiderium ab eremo iam antea missa, quæ incipit: Non ignorare te patior venerande pater &c.]

Porro & cum in Vrbe esset Petrus, idipsum importunius a Desiderio exactum, eumq. voti compotem factum, Leo Ostiensis affirmat, qui dum sub anno quinto eiusdem Abbatis Petrum venisse Cassinum narrat: hoc plane anno oportuit contigisse. Etenim ordinari illum Abbatem contigit anno Redemptoris millesimo quinquagesimooctauo. At quam non otiosus, sed operosus fuerit valde Petri accessus ad cœnobium Cassinense, idem Leo sic narrat: Porro domnus Petrus Damiani, cuius

c Leo Ost. lib. 3. cap. 11.
d 14. lib. 3. c. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PETRVS DAM. CASSINI QVID EGERIT.

iam supra meminimus, ad monasteriũ veniens, cum verbo pariter & exemplo quoscumque posset feruenter accenderet: tandem permissione domni Abbatis ab omni congregatione obtinuit voluntaria oblatione, in remissionem peccatorum omnium, vt sexta feria per totum annum pane & aqua contenti, disciplinam singuli facta confessione perciperent. Insuper & triduanum ieiunium in capite Quadragesimæ per annos singulos agerent] hæc Leo.

At vero quod ad triduanum ieiunium exordio Quadragesimæ pertinet, eos ad obseruantiam sui monasterij redegisse cognoscitur, de qua ipse in epistola ad Fratres in Gamungni eremo constitutos hæc habet: Hoc tamquam regulare constitueramus edictum, vt sub districti censura rigoris Quadragesimale celebraretur initium; nimirum vt per triduum non nisi modicum panis cum aqua omnes Fratres comederent, nullas nisi lectionum siue orationum verba proferrent, nudis pedibus lugubres atque mœrentes incederent, expleto communi modulatione psalterio, mutua se scoparum castigatione purgarent] hæc ipse Petrus. cuius tanta æstimatio in Ecclesia Dei erat, vt quæ ipse facienda moneret, tamquam oracula diuina pij quique perciperẽt. Ex sermonibus autem, quæ familiariter contulit cum Desiderio Abbate, occasio eidem Petro data est, vt postquam inde discessisset, scriberet ad eum illam epistolam, cuius est exordium: Qui solus de nimij fluctus procellis eripitur] vbi circa finem eiusmodi elogio exornat vna cum Cassinensi cœnobio eosdem monachos Cassinenses, dicens:

CASSINENSIVM LAVDES.

Igitur vt iam omnes communiter alloquar, nolo vos lateat, venerabiles Fratres mei, quia ex quo glorioſi cœnobij vestri limen excessi, vos iugiter præ oculis habui, vos intimæ dilectionis visceribus astrinxi, atque vt fatear, redeunti mihi a Cassino sacratissimo idem mihi contigit, quod mulieri quæ reuertebatur a tabernaculo [a] Silo, vt nimirum vultus mei non sint amplius in diuersa commutati. Vobiscum sane præsentialiter habito, vobis semper assisto. Alioquin si propterea non sum vobiscum, quia corporalibus oculis vos non intueor: ergo nec ipsi oculi sunt in capite, quia caput cernere nequeunt, vel ipsi sibimet oculi absentes sunt, quia nec quisquam se, nec vterque se inuicem mutua contemplatione possunt conspicere. beati siquidem, qui inter vos & in sanctis operibus vestris moriuntur. Pia nimirum fide credendum est, quia scala illa, quæ de Cassino mõte olim in cælum videbatur erecta, adhuc pallijs strata, lampadibus coruscat; & sicut tunc excepit ducẽ, ita nunc exercitum transmittat ad cælestia subsequentem. Nec ab eius glorioso tramite exorbitant declinantes iam defuncti, cuius in hoc exilio dum viuerẽt, vestigia sunt secuti, *S. Patris scilicet Benedicti*. Hoc est intimi feruoris incendium illud, quod mihi inextinguibiliter flagrat in corde. Hæc perpes fabula, quæ meo versatur in ore. Inter cunctos autem virtutum flores, quos in illo agro pleno, cui benedixit Dominus, reperi; hoc fateor mihi non mediocriter placuit, quod ibi scholas puerorum, qui sæpe rigorem sanctitatis eneruant, non inueni; sed omnes aut senes, cum quibus vir nobilis sedebat [b] in portis ecclesiæ, aut iuuenili decore lætãtes, qui nimirum, vt filij prophetarum idonei sunt ad Eliam per deserta quærẽdum, [c] aut certe adolescentiæ adhuc flore vernantes, iuxta Apostolum Ioannem, [d] vicere malignũ &c.] Qui igitur exoptatus diu & expectatus inuisit sanctos monachos Cassinenses, eiusmodi persoluto charitatis officio, Romam redijt ad Alexandrum Pontificem, inde post negotium Florentinum reuersurus in cupitam toto animo solitudinem.

PAPA ALEX. SCRIPTA EXIGIT A PETRO DAM.

At vero ipse Alexander Papa dimissurus Petrum Damiani ad eremum anhelantem (ibat enim iuxta illud mysticum Ezechielis, [e] & reuertebatur in similitudinem fulguris coruscantis) vt aliquid, quod esset Ecclesiæ profuturum, ex solitudine ipsius eliceret, præcepit ipsi vt litteras scriberet, quæ essent eiusmodi, vt quæ asseruari perpetuo, dignæ essent. Cum ita admonitus Petrus opportuna oborta occasione, vbi Florentium peruenit, audita morte Rudolphi Episcopi Eugubini, eius vitam scribere, atque ad eumdem Pontificem mittere, dignum existimauit. Qua enim gloria maiori Pontificia corona nitescit, quam si ex Catholicæ Ecclesiæ agro, quos tempus præsens profert, vernantibus vndique floribus exornetur? sunt sancti viri vere flores, de quibus iam erumpentibus gaudens sponsa Christi Ecclesia dicat: [f] Flores apparuerunt in terra nostra] Ex isdem namque Apostolica corona contexitur, qua gaudes [g] Paulus Apostolus dicat de suis: Gaudium meũ & corona mea, cui qui inusdent, vide ne partes habeant cum eo, qui partes Ecclesiæ odit, diabolo, draconc pessimo, qui apertis faucibus par-

b Prou. 31.
c 4. Reg. 2.
d 1. Ioan. 2.
e Ezech. 1.
f Cant. 2.
g Philip. 4.

tui

tui [a] Ecclesiæ anhelat, vt deglutiat; sed qui habitat in cælis, irridebit eos. Petrus igitur ad Alexandrum Papam in primis Rudolphi Eugubini Episcopi tunc defuncti vitam scripsit: insuper attexuit & aliam eius, qui ante annum ex hac vita in cælum migrauit, Dominici Loricati. incipit autem Petri ad Alexandrum epistola: Præcepit mihi beatitudo vestra, venerabilis pater &c.]

a Apoc. 12.

Scripta quidem ea videtur esse Florentiæ, vbi aliquot diebus ipsum oportuit commorari, ad dirimendam discordiam inter eius ciuitatis Episcopum & populum, cuius partem aliquam in suum Episcopum monachi concitabant: inter quos primum locum tenuisse S. Ioannem Gualbertum, in vita ipsius asseritur verbis istis: Vir beatus Episcopũ Florentinum Petrum nomine, patria Ticinensem, non solum simoniæ, sed etiam hæresis propter illud vitium cum suis Fratribus reum asserebat, nec ab illo sacramenta percipienda dictabat. Inde vero vehemens orta est contentio in Clero & populo Florentino, alijs Episcopum defendentibus, alijs monachos laudantibus, quod tanta libertate illud vitium detestarentur] hæc de controuersiæ causa. Cum autem illic esset Petrus Damianus, eos conciliare pace studuit; sed id efficere minime potuit, eo quod aduersus monachos steterit, ex eo præsertim redarguens eos, quod indemnatum Episcopum adhuc esse vitandum, vt simoniacum populo suaderent, asserentes cunctas illius benedictiones & sacramenta esse maledictiones & sacrilegia; ob idq. prohiberent populum accipere sacramenta ab Episcopo vel ordinatis ab eo, tamquã nullius essent illa momenti, ex quo fieret, vt baptizati minime chrismate vngerentur, & plurimi absque sacramento Eucharistiæ interirent, ne acciperent illud a quouis ab Episcopo ordinato. quæ cum arguerentur a Petro, passus & ipse calumniam est, quasi vinctus eodem crimine teneretur, qui eius criminis reum in defensionem acciperet. Discessit re infecta, immo visus est maioris contentionis fomitem ministrasse. Cuius rei gratia in sui defensionem & monachorum iustam reprehensionem scripsit epistolam apologeticam, tam ad populum vniuersum, quam ad monachos ipsos. Hanc tibi prodimus acceptam ex codice basilicæ S. Petri in Vaticano, ex qua rerum gestarum cognitio sincera depromitur historia epistolari, ceteris digniore:

MONACHI CONTRA EPISCOP. FLOREN.

APOLOGIA PETRI DAM. AD FLORENTINOS.

Dilectis in Christo ciuibus Florentinis Petrus peccator monachus fraternæ charitatis obsequium.

Nuper, vt recolitis, dilectissimi ad vos venientes, laborioſe studuimus inter Episcopũ vestrum vosq. componere pacem, & amicitiæ quæ rescissa fuerat, fœdera reformantes, in vnum vos spiritum sequestra pace conflare. sed quoniam adiuuandi prædicti apud vos sacerdotis intuitu plura protulimus, quæ sinistra saltem interpretatione peruerti, & a turbis valent vulgaribus vitiari; ne nos indigna notemur infamia, & illi (quod absit) mendacij crimen incurrant: quod ore coram vobis frequenter expressimus, etiam styli currentis articulo commendemus, vt quod audistis ore prolatum, videatis apicibus exaratum, vt verba nostra commentari, vel ab his discrepare, mendax quisque non audeat, dum in nobis & manus scribens & lingua loquens indissona sibimet vnitate concordant.

Anathematizamus itaque & irrecuperabiliter condemnamus simoniacam hæresim, primam omnium hæreseon, ex imis diaboli visceribus erumpentem, seq. aduersus nascentis Ecclesiæ regulam exitialiter extollentem, quæ nimirum ex ipso diaboli felle progreditur, & in perditionis filios pestilentissime deriuatur. cuius scilicet auctori per Petrum dicitur: [b] In felle amaritudinis & obligatione peccati video te esse. Quia vero fel columba non habet, Spiritus autem sanctus in columbæ specie super Dominum venit: is vero qui amaritudine fellis intumuit, columbini Spiritus capax esse non potuit. Quaproprer omnes nefandæ huius hæreseos peste corruptos, hæreticos esse indubitanter asserimus, eosq. damnabiles atque cum suis vrẽdos honoribus, iuxta sacrorum canonum sententiam iudicamus. Verumtamen totam gratiæ plenitudinem sanctæ Ecclesiæ esse confidimus, vt in ea procul dubio & per malos bona, & per inquinatos munda, & per execrabiles sacramenta conferri posse credamus. Hæc est enim vere corpus Christi, & iuxta [c] Apostolum, columna & firmamentum veritatis. Et hæc non nouiter ex nostra temeritate decernimus, sed ex sanctorum Catholicorum Patrum auctoritate iam decreta firmamus. Quod in libello quoque, cui Gratissimus nomen indidimus, multis noui ac veteris Testamenti testimonijs approbatur,

b Act. 8.
c 1. Tim. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sed condemnatis omnino simoniacis ac indubitanter inter hæreticos deputatis, sicut in præfato libro digessimus: licet eorum sacramenta canonum possent sanctione defendi, vt eos tamen magis ac magis synodalis censura confunderet, constitutum est a Romano, sanctæ memoriæ Nicolao præsidente, Concilio: Vt quicsque per eos fuissent eatenus in cuiuslibet ecclesiastici gradus dignitate promoti, in percepti honoris ministerio permanerent. Ex tunc vero & deinceps quicumque paterentur se a simoniaco prouehi: nihil penitus deberent ex ea promotione lucrari, & sic ministrandi iura deponerent, tamquam si hæc nullatenus percepissent. Hac itaque ratione iam non modo simoniacos reprobamus, sed & per eos exhibita sacramenta contemnimus. Hæc itaque si obliti non estis, omnia me viuis vocibus proferentem frequenter audistis: non enim alia scribimus quam quæ locuti sumus. Si ergo ego & vos de simoniacis eorumq. reprobandis in posterum consecrationibus vna sententia vtrique congruimus: cur adhuc inuicem litigamus? A B

Et plane super Episcopo vestro, quem nonnulli vestrum opinantur venaliter irrepsisse; nonnulli vero gratis & per ostium introisse constantis animi libertate confirmant: illi turbulentis iurgando conuiciis quod opinantur, allegant; isti quod se scire fatentur, crimen inuectum refellendo propulsant. Et quis ego sum, qui inter hos pugnantium globos ignium manum mittam, & tam ferale scelus homini antequam probetur, adscribam? Nam licet error semper sit & vbique vitandus: tolerabilius tamen est, si quis iustificat peccatorem, quam si præiudicet innocentem. Synodus annualiter imminet, Sedes Apostolica cunctis adeuntibus patet. Romanam ergo pulset Ecclesiam, quisquis se iustam aduersus Episcopum habere querelam sperat. Nec enim nos homunciones exigui in andronarum angulis reddere possumus irritũ, quod in ipso summo totius mundi cardine non ambigimus constitutum. Cernitis itaque me simpliciter hæc sola conscribere, quæ me præsentem audistis proferre. Erubescat ergo fabricator quisque mendacij, qui dum me videt in causa nutantis controuersiæ non leuiter iudicantem, impudenter clamat simoniacæ hæreseos existere defensorem. His ergo paucis rationem me vobis reddidisse sufficiat, ne longior stylus fatigari vos nimia prolixitate compellat. C

CONVERTIT PECVLIAREM AD MONACHOS ORATIONEM.

Hinc ad commonachos meos articulum transfero, a quibus profecto procedere totam hanc iurgandi materiam, non ignoro. Dicunt enim, quia per huiusmodi sacerdotes nec chrisma confici, nec ecclesiæ dedicari, nec clericalia iura conferri, nec Missarum vllo vmquam tempore poterunt solemnia celebrari. Et tam hæc impudenter allegant, vt etiam compulerint in tribus plebibus, sine consperſione chrismatis catechumenos baptizari. Sed cum Christus proculdubio denominetur a chrismate; nihil aliud tollunt baptismo nisi Christum, qui chrismatis subtrahunt sacramentum. Et certe si me forte non fugit, nulla vmquam hæresis in tantam prorupit audaciam, vt a baptismi lauacro chrisma, hoc est, vt a Christiano Christum diuidere præsumpsisset. Quod si contempta propria, ab alia ecclesia furtiue delatum chrisma credatur, sicut a quodam sacerdote eorum fautore confingitur: ecce quantum ad illos pertinet, in spiritualibus rebus committitur adulterium, & in sacrilegium vertitur sacramentum: nimirum dum propriæ ecclesiæ chrisma proijcitur, & ab aliena clandestinæ fraudis ingenio subrogatur. D

Beatus denique Papa Gregorius in supremo homiliæ suæ vltimæ articulo sic ait: Sed hæc omnipotens Deus, qui per me in vestris auribus loquitur, per se in vestris mentibus loquatur. Cum igitur hoc librum suum fine concludit, omnipotentem Deum cuncta quæ in eo scripta sunt, per se locutum euidenter ostendit. Hic itaque, per quem talis inhabitator eloquitur, in homilia de sacerdotibus facta, per impositionem manus simoniaci Spiritum sanctum cælitus dari, manifestissime confitetur. Nam qui, inquit supra, in templo Dei hodie qui columbas vendunt, nisi qui in Ecclesia pretium de impositione manus accipiunt, per quam videlicet impositionem Spiritus cælitus datur? Vbi adhuc eamdem sententiam replicat, & tamquam tardioribus vel adhuc dubitantibus rursus inculcat, dicens: Columba igitur venditur, quia manus impositio, per quam Spiritus sanctus accipitur, ad pretium præbetur. Sed quia de his in libro nostro multa conscripsimus, hic in talibus non diutius immoramur: solummodo qui legit intelligat. E

Præte-

Præterea maior est Ecclesia quam Ramatha, maior est Christus quam Samuel: si ergo in Saul, quem malus exagitare spiritus consueuerat, cum venisset in [a] Ramatha, vbi Samuel cum Dauid propheta bat, Spiritus sanctus insilijt, ita vt se vestimentis exueret, & nudus tota die ac nocte cum ceteris concinens prophetaret: quid mirum si Spiritus sanctus in Ecclesia super quemlibet reprobum veniat, & non per eius meritum, sed per eius ministerium charismatis sui dona transfundat? Si, inquam, diuinus Spiritus illum repente corripuit, atque ab eo per tam diuturni spacium temporis non recessit, qui vas erat omnino diaboli, quemq. nequitiæ spiritus non clam, sed aperte per corpus simul & animam possidebat: quid noui si cloacam reprobi cuiuslibet hominis splendor ille cælestis irradiat, quem tamen nullum squaloris obscuri contagium fœdat? Sed nunc cur ista prosequimur, cum consecrationem simoniacis nuper fuisse prohibitam, superius præfati simus? A B [a] 1. Reg. 19.

BAPTISMVM ESSE NON DEBET SINE CHRISMATE.

Plane, quia ijdem ipsi, qui baptismum fieri sine chrismate docuerunt, adhuc aduersus eos, qui ante Synodum gratis a simoniacis ordinati sunt, sufflant, eosq. suis ordinationibus esse cohæreticos dogmatizant; eorum quoque Missas, & omnia per eos facta ministeria blasphemant, anathematizant, conspuunt, abijciunt, & explodunt, eorumq. benedictionibus terribiliter maledicunt, cum dicat Apostolus: [b] Quia maledici regnum Dei non possidebunt. Et his suis maledictionibus, illud Malachiæ prophetæ testimonium adhibent, quo dicitur: [c] Maledicam benedictionibus vestris: non attendentes, quod Dominus in libro Numeri de sacerdotibus ait: [d] Inuocabunt nomen meum super filios Israel, & ego benedicam eis. Sacerdos quippe Dominum super homines verbis inuocat; sed ipse super eum Dominus benedictionem efficaciter format. Effectus itaque benedictionis non in merito sacerdotis constat, sed hanc inuocatio diuini nominis administrat, vt quod ex ore sonat hominis, intus impleat Creator, & per indigni sæpe hominis ministerium diuina virtus suum veraciter efficiat sacramentum. Sed fatui & imperiti quilibet homines in hoc prophetiæ verbo caligantes errant, nescientes scilicet quæ loquantur, vel de quibus affirment. C [b] 1. Cor. 6. [c] Malac. 2. [d] Num. 6.

QVO SENSV BENEDICTIO ET MALEDICTIO IN SACRIS SCRIPTVRIS ACCIPIATVR.

In sacris quippe Scripturis ita maledictio aliquando pro sterilitate, sicut & benedictio pro rerum temporalium vbertate accipitur, de qua nimirum benedictione in libro Regum dicitur: Benedicat Dominus Obededom & omnem domum eius, nuntiatumq. est Dauid Regi, quia benedixit Dominus Obededom, & omnia eius per Arcã Domini: dixitque: [e] Ibo & reducam Arcam in domũ meam. Item cum Psalmista præmitteret: Viduam eius benedicens benedicam, vt ostenderet, de qua benedictione diceret, protinus addit: pauperes eius saturabo panibus. & alibi: [g] Benedixit eis, & multiplicati sunt nimis. Vbi patenter ostenditur, quia benedixit, hoc est, multiplicauit. cui simile est, quod filij Iosue dixerunt ad Iosue: [h] Quare dedisti mihi possessionem sortis & funiculi vnius, cum sim tantæ multitudinis, & benedixerit mihi Deus? Benedictio igitur aliquando multitudinem, aliquando significat vbertatem. At contra contemnenti mandata cuilibet reprobo per Moysen dicitur: [i] Maledictum horreum tuum, & maledictæ reliquiæ tuæ, maledictus fructus ventris tui, & terræ tuæ. vnde paulo post: Mittet Dominus super te famem & esuriem. Quamobrem & in hoc [k] Malachiæ testimonio, vt non intelligamus maledictionis vel anathematis iacula intorqueri, sed famis & inopiæ supplicium insectari, præmittit dicens: Si nolueritis ponere super cor vt detis gloriam nomini meo, mittam in vos egestatem. moxq. subiungit: Maledicam benedictionibus vestris. Cum ergo egestatem præmittit, quid maledicere benedictionibus velit, luce clarius innotescit. ac si dicat: Si contempseritis præcepta mea, in cordibus vestris ponere, quod præcipue pertimescitis, sub egestate vos & inopia faciam penuriæ suspirare, vt ipsa vos terræ vestræ sterilitas seriat, dum in profundis bonorum operum frugibus vitium vos sterilitatis accusat, & inopia vos cruciet corporum, qui videlicet alimenta negligitis animarum. Et vt hoc eiusdem Prophetæ verbis clarius approbemus, longe postmodum dicit: [l] Gens tota, inferte omnem decimam in horreum meum, & sit cibus in domo mea, & probate me super hoc, dicit Dominus, si non aperuero vobis cataractas cæli, & effudero benedictionem vsque ad abundantiam. Porro si maledictionem anathematis illic Dominus voluisset intelligi, non diceret: Maledicam benedictionibus vestris, sed potius, maledicam vobis, qui scilicet benedicere non merentes auderis. D [e] 1. Reg. 6. [f] Psal. 131. [g] Psal. 106. [h] Ios. 17. [i] Deut. 28. [k] Mal. 2. [l] Ibid. 3. E

Et vt

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et vt quod dicimus, ex Euangelio manifestissime comprobemus: nihil aliud ficul- A
a Marc. 11. neæ dixisse Dominus legitur, nisi hoc solum: a Iam non amplius in æternum quisquam
fructum ex te manducet. Quæ nimirum verba Petrus maledictionem appellauit, cum
b Matth. 21. & postmodum dixit: b Rabbi, ecce ficulnea, cui maledixisti, aruit. talis & maledictio
c Gen. 3. primo homini data est, cum dictum est: c Maledicta terra in opere tuo, quæ spinas ac
tribulos germinabit tibi. Sed & ita sterilitatis maledictio benedictionem vbertatis ex-
d Ibid. 41. cludit, sicut in d Pharaonis somnio vaccæ vaccas, & spicæ deuorant spicas. Sicut ergo
hic præcepta seruantibus non aliam quam benedictionē promittit abundantiæ: ita illic
non seruantibus e continuo maledictionē promittit inopiæ. Alioquin quo pacto Deus
omnipotens sacerdotis malediceret benedictioni, quam virtus sui consecrat nominis?
Cum enim, sicut supradictum est: super quem nomen Domini inuocatur, indubitanter
ab ipso Domino benedicitur: quomodo consequens est, vt eam benedictionem Domi- B
nus maledicat, per quam ipse hominem per inuocationem sui nominis benedicit?

Hinc est quod auctoritas canonum etiam a pestilentioribus hæreticis baptizatos
prohibet iterum baptizari, ne videlicet nomen Dei, quod inuocatum est super illos,
videatur annullari, vel irritum duci. Quisquis præterea, dum sacerdotes quibuslibet
obtrectationibus lacerat, eorum nihilominus & sacramenta blasphemat: quid etiam
beatus Iudas Apostolus de blasphemantibus in Epistola sua loquatur, attendat. nam
cum præmisisset de quibusdam qui dominationē spernunt, maiestatē autem blasphe-
mant, præsto subintulit: Cum Michael, inquit, Archangelus cum diabolo disputans
altercaretur de Moysi corpore, non est ausus inferre iudicium blasphemiæ, sed dixit:
Imperet tibi Dominus. Si ergo summus Angelus in diabolum iudicium blasphemiæ
non præsumpsit inferre: quomodo non pauescat homo sacramenta, quæ virtute sancti C
e Marc. 3. Spiritus plena sunt, irridere? e Nam cum Veritas dicat: Qui peccat in Spiritum san-
ctum, non remittetur ei neque hic, neque in futurum: timendum valde est ne illum
ab eis constet offendi, sine quo peccatorum offensio nequeat relaxari.

IN MONACHOS DETRACTORES. Sed cur de sola sacerdotum, siue sacramentorum obtrectatione conquerimur, cum
ab eis *monachis scilicet* omnia pene dilacerari, omnia conspui, omnia dicuntur irrisione
publica subsannari? Non est, inquiunt, Papa, non Rex, non denique Episcopus, non
sacerdos. Vnde factum est (vt dicitur) vt mille circiter homines his nugis, nænijsq. de-
cepti, sine sacramento Dominici corporis & sanguinis decesserint. Opinantur enim
per huiusmodi temporis sacerdotes nullam in sacramentis fieri posse veritatem. Sed
& quamplures reperiuntur ecclesiæ, quas nō modo suis ingressibus indignas ducunt,
sed ne salutationis quidem obsequio idoneas arbitrantur. nam & salutare despiciunt, D
quas vtique dedicatas ab indignis nescio quibus Episcopis suspicantur.

f Act. 25. SEDEM APOSTOLICAM PROPONIT CONSVLENDAM. Enimuero, vt Lucas narrat, ait f Paulus: Cæsarem appello: Cui inquit Festus: Cæ-
sarem appellasti, ad Cæsarem ibis. Estne sceleratior Papa quam Nero? Credimus mo-
nachos istos sanctiores esse quam Paulum? Cum ergo Paulus, qui tertij cæli tribunal
ante concenderat, Neroniano aspectui non sit dedignatus assistere: quis est monā-
chus, qui suæ sanctitatis arroganti a Sedis Apostolicæ debeat iudicium reprobare? Vbi
scilicet non hominis meritum, sed ecclesiasticæ dignitatis attenditur institutum. Ipsi
quidem in angiportuum angulis iudicant, & synodalia iura detrectant. Dijudicant
monachos, clericalia cuncta corrodunt, & solis laicis, qui videlicet acrius & morda-
cius insequendi sunt, parcunt. Vident monachum incedentem: Aspice, inquiunt,
vnum scapulare: presbyterum vel Episcopum abire prospiciunt: barbitonsos se vide- E
re fatentur. A quibus etiam si benedictio quæritur, nullatenus respondetur, protinus
auertunt oculos, asserentes scilicet eos quibus respondeatur, indignos. Nos etiam
si compeccatoribus nostris communicamus, & simul nescimus, obtrectationum mox
sale conspergimur, laceramur peius, quam cum illis sententia damnationis inuoluī-
mur. Immo nos, nos inquam ipsissimi sumus, qui eorum indigni iudicamur allo-
quio, qui eorum sociale contubernium non meremur. Sed hæc non monachorum
g Luc. 7. est regula, sed superstitio Pharisæorum; Murmurabant (inquit g Euangelista) Scribæ
& Phatisæi, dicentes, quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis. & hæc est
rādix & tota materia, vnde feralis in Dominum furor Iudaici liuoris incanduit, hinc
in mortem eius viperini fellis malitia conspirauit, nimirum quia se putabant legalium
cæremoniarum esse custodes, Dominum autem arguebant amicum Publicanorum, &
sabba-

A sabbata violantem. Delectat me cum Domino meo perferre calumniam, & malo
cum illo in domo Leui carnaliter viuere, quam in tabernaculis peccatorum, hoc est
cum sanctis Deo repugnantibus habitare, qui nimirum spreta regula Christianorum,
Stoicorum dogma sequuntur, dum esse prorsus æqualia peccata omnia definiunt.
Nos autem inter Dauid sanctum, reprobumq. Saulem Ionatham medium constituā-
mus, qui licet Saulem veritatis & fidei sinceritate transcendat, Dauid tamen merita,
pietatemq. non æquet.

Admonendi sunt itaque Fratres nostri, ne nimis iusti, nimis sint sapientes, de quo- REPRIMIT MONACHORVM ARROGANTIAM.
rum primo Salomon: a Noli, inquit, esse nimium iustus; de secundo dicit Apostolus: b
Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. mala sapientia, a Eccl. 7.
quam caligo erroris obnubilat: bona simplicitas, quæ a Catholicæ Fidei tramite non b Rom. 12.
B declinat: odiosa sanctitas, quæ in hæresim labitur, & dum per triti itineris ductum
dedignatur incedere, per anfractus & ruinosa decliuia compellitur aberrare. Nimia
vitæ munditia in hæreticæ contagionis illuuiem Nouatianos, qui & Cathari dicun-
tur, immersit. Nimia sanctitas Luciferianos tamquam pernicioſos palmites ab eccle-
siastici corporis vnitate præcidit: qui dum perhibent, non licere, quod licet, ac per
hoc iactant defensores se esse iustitiæ, hostes adiudicantur Ecclesiæ.

Vnde sibimet extrinsecus velut ranæ in paludibus garriunt, quæ dum incœperint, CORRIPITVR DISCACITATEM MONACHORVM.
importune vociferantes, omnia confundunt. Eiusmodi quippe genus hominum
ranis, seu locustis merito comparatur, quia sicut Aegyptum tunc illa animalia per- c Exod. 10.
cusserunt, ita per hos nunc vastatur Ecclesia. Nam de locustis Scriptura dicit, c quia
operuerunt vniuersam faciem terræ, vastantes omnia; moxq. subiungitur: Deuorata
C est ergo herba terræ, & quidquid pomorum in arboribus fuit: Locustæ siquidem vni-
uersam terræ superficiem vastant, & herbas cum pomis arborum deuorant, cum de-
tractores quilibet, vel infirma nostra quasi herbas humilium corradunt, vel sicut fru-
ctus arborum, opera perfectorum dilacerando corrodunt, & liuido mordacis inuidiæ
dente consumunt. Contra quos dicit Apostolus: d Capite nos. Neminem læsimus, d 2. Cor. 7.
neminem corrupimus, neminem circumuenimus. Et alibi exprobrans ait: e Inuicem e Gal. 5.
mordetis, inuicem læditis, videte ne ab inuicem consumamini. Sed cum nos in sacro
videlicet ordine constituti deberemus esse venatores Dei, sicut per Ieremiam dicitur: f Ierem. 16.
Mittam venatores meos, & venabuntur vos: nos relicta præda sæcularium, nudatis
dentibus in inuicem rugimus, & quasi rabidæ caniculæ mutuis nos morsibus lacera-
mus. Reprimatur iam præsumptio tumida, exæquet se Fratribus sanctitas onerosa,
D qui vult esse sanctus, sit sibi coram Domino; nec per arrogantiam fratri præferatur
infirmo. Catulus itaque, cuius est officium extraneos pellere, nequaquam contem-
ptis illis, aggrediatur domesticos lacerare, ne qui quietus poterat dormire sub tecto,
exclusus foribus compellatur habitare sub dio] ira his symbolicis figuris excommu-
nicationem a Pontifice comminatus.

Sed maiori exarsit indignatione Petrus in eum, quem pepauit malorum omnium THEVZO MONACHVS MALORVM OMNIVM AVCTOR
auctorem Theuzonem monachum inclusum, de quo ista superius in eiusdem sancti
Ioannis Gualberti Actis scripta leguntur. Theuzo is senex dicebatur, & apud beatæ
Mariæ ecclesiam Florentiæ in quadam cellula se incluserat; permultiq. ad eum con-
fluebant, salutaria ab illo consilia expectantes. Valde autem simoniæ labem detesta-
batur, qua tunc multi in Ecclesia Dei contaminati erant. Abillo igitur Ioannes sci-
E scitabatur, num sub Abbate simoniaco intra suum monasterium Christo militare de-
beret, vel quid faciendum esset. Consulit ille, vt cum socio psalam in foro ciuitatis
coram omnibus proclamet, Episcopum & Abbatem simoniæ vitio obnoxios teneri,
ac deinde loco cederent. Quod consilium tametsi a communi legum abhorreret: sim-
pliciter ille secutus est. &c.] magis, inquam, ex his in Theuzonem ipse Petrus excan-
duit, quem cum Florentiæ adijsset, ab eo exceptus est clamoribus contentiosis. Cumq.
re ipsa dicisset ipsum arrogantia plenum hominem, fastuq. tumentem: quo ipsum
curaret, atque ad monasticam legitimam disciplinam componeret, humilitatem at-
que mansuetudinem in primis colendam insinuans, prolixam satis epistolam scripsit,
qua cum multis cum perstringat enthymematibus, magis autem exemplis plurimorū
in eremo degentium Sanctorum legitime vitam anachoreticam affectantium vrget:
est plane tanto auctore digna epistola, cuius est titulus huiusmodi:

oup Domno

Universidad de Deusto
Biblioteca

Domno Theuzoni eremitæ Petrus peccator monachus resumendæ charitatis aculeum] epistola autem sic incipit: Minus se proximum amare conuincitur, qui prolatæ læsionis iniuriam in auctorem expostulare dissimulat, vt omnino se sub silentij censura constringat &c.] inferius vero post acerrimas reprehensiones illud exprobrans, quod cum monachus sit, iudicare sibi sumpserit presbyteros, Episcopos, & ipsum etiam Romanum Pontificem, ait:

QVAE IN THEVZONEM PETRVS.

Sed quorsum ista? quia diceris omnes Fratres tuos tam austera, tam superciliosa] iudicare sententia; vt per totius anni curriculum, non nisi semel, & tunc non a tui monasterij sacerdotibus, sed aliunde quæsitis percipias sacramenta. De eo quod dicis, quis hunc ordinauit presbyterum: respondetur: Ille Episcopus: & ipsum, ais, ad Episcopatus officium qualiter, aut quis promouit? Papa scilicet: qualiter autem ipsi viderint: Moxq. subiungis: Esto tandem, quod Papa gratis Episcopum conseerauit. Numquid & Papa ipse gratis ad Apostolicæ Sedis apicem ascendit? Hac igitur interminabilium quæstionum perniciosa sub caligine, quantum in te est, sæculum omne confundis, & velut mare de temetipso tempestatem generas, nec ipse quiescis, nec alios viuere in tranquillitate permittis. His enim & eiusmodi ineptijs & hæsitationibus sæpe & schismata pestilenter emergunt, quæ incautas hominum animas a Catholica veritate præcidunt. Vt enim verbis te Apostolicis alloquar: a Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? suo enim domino stat aut cadit, stabit autem: potens est Deus statuere illum. Non enim omnes qui in Prætorio sunt, iudiciales calculos sortiuntur; neque omnes qui sunt intra Ecclesiam, claues Ecclesiæ susceperunt. Cum ad aliena iudicanda quis arroganter extenditur; ad ea profecto consideranda, quæ sua sunt, obtusior inuenitur. Tunc enim socialis vitæ est ordo dispositus, si vnusquisque proprij iuris limite sit contentus. Vbi autem alter alterius terminum supergreditur: omnis profecto recte viuendi linea necesse est confundatur. Sufficiat ergo nos considerare quæ nostra sunt; ne dum aliena immoderate prosequimur, a nostri laboris fructu & digna mercede euacuemur &c.] hæc ipse Petrus & alia multa in Theuzonem eremitam; zelum quidem habentem, sed vt proclamat Petrus, non secundum scientiam, quem arguit turgidum mente virum, imperitia cum arrogantia omnia perturbantem: quem & propriæ existimationis inflatum vento, humilem spiritu tota illa prolixa epistola reddere conatus est. Sed an sit assequutus, nescimus: causæ enim illius aduersus Episcopum animosa prosecutio per monachos illos facta, illum malorum omnium incentorem minime quieuisse, suadet existimare.

a Rom. 14.

THEVZO IVSTISSIME REPREHENSVS.

Ceterum quam tunc peruersus spiritus fuerit iste Theuzo, vtpote spiritu contradictionis arreptus & agitatus, vel ex eo poteris intelligere, dum (vt olim Sextus & Pyrrhus omnia in dubitationem reuocantes philosophi) ipse in controuersiam reuocare non erubesceret: An Sancti reuera essent, quos vniuersa Ecclesia hactenus coluisset vt Sanctos. Nam audi quæ idem Petrus inter alia in eadem epistola ad ipsum data recenset: Tandem cum in arcto positi multiplicium obiectionum vallaremur angustijs, vbi ratiocinandi copia sui propter tedium desijt: ad Sanctorum mox exempla confugimus, vt illis saltem fides adhiberetur, quorum auctoritas ad probationem cuiusque negotij incunctanter admittitur. Cumq. super quodam disceptationis articulo sanctus Romualdus in testimonium adduceretur: præsto quæsitum est: Vtrum ipse Romualdus aut tunc extiterit sanctus, vel nunc sit in paradiso receptus. Illicet contra Fidem totius Ecclesiæ nostrarum prouinciarum hæc de sancto viro quæstio moueretur; ad astruendam tamen partis nostræ sententiam, illos in testimonium Sanctos adsciuimus, quorum celeberrima vetus opinio etiam apud plebeios, quoslibet & ignaros nutare non posset, Leonem videlicet atque Gregorium clarissimos olim Romanæ Sedis Antistites, quorum quidem alter authentica canonum decreta promulgat, alter Ecclesiam perspicuis ac profundis cælestis eloquentiæ fontibus irrigat. Sed & his nominatis, tantundem est: nam & super his nihilominus quæstio geminatur: quo pacto quis certum teneat, vtrum & isti tales fuerint, quibus sine retractatione debeat fides accommodari, siue qui digni sint inter Sanctorum catalogum percenseri. Cumq. hæc & alia in sermocinationis decursu impudenti effluerent &c.] pluribus enim hominis arrogantiam insectatur, & vnde ipsi morbi huius origo manarit, sapienter aperit, vt curaret. Sic Petrus, partes agens sapientis medici, cuius optanda sunt vulnera ad salutem, de-

quo

A quo Psalmographus: a Corripiet me iustus in misericordia] cuius viri sanctissimi epistola, veluti cælitus strepente tonitru perterrefactus Theuzo, quem nimius & inconsideratus zelus iam per abrupta ferebat, in se reuersus amplius mutire non ausus, quæ sancti essent anachoretæ munera explens, vt sibi ipsi vacans, peccata lugendo Deum placaret, in primis studuit: quod adeo diligenter est prosecutus, & feliciter assecutus, vt reliquis sit factus exemplum perfectissimi anachoretæ, posterisq. fuerit semper memoria venerandus.

a Psal. 140.

THEVZO CONVERSVS.

Profecerunt pariter ex Petri ad eos missa Apologia venerandi monachi illi, qui etsi iustam causam fouere sibi viderentur, minus tamen iuste eam hactenus prosecuti fuissent. iusta enim iuste tractanda, admonet b Sapientia. Contra vero ipse Petrus iuste aduersus eos tunc agebat, quod non esset monachorū vitare Episcopum, quem Ecclesia

b Sap. 12.

B non damnasset; nec deberent assumere sibi iudicium, quod non monachorum, sed tantummodo esset Apostolicæ Sedis; neque præiudicare antequā Romanus Pontifex iudicasset. Correpti vero Petri iusta reprehensione ijdem monachi, eius admonitione Romanum Pontificem adire instituerunt, atque causam quam iustam putabant, iuste prosequi aggressi sunt, sero tamen intelligentes, nimio zelo percitos, a legitima canonum deuiasse sententia, cum per ignorantiæ abrupta nescientes præcipites se dedissent.

REVOCANTVR MONACHI AD RECTITVDINEM IVDICII.

Quid autē post hæc egerint ijdem monachi aduersantes Episcopo, apud Alexandrū Romanum Pontificem, Acta sancti Ioannis Gualberti ita significant: Postea vero monachi cum amicis suis Romam profecti Petrum Florentinum Episcopum publice & quidem constanter hæreticum, & simoniaca labe fœdatum proclamant, & eius rei confirmandæ causa, offerunt se paratos ad subeundos ignes. Verum Alexander Pon-

c Vitæ S. Ioannis Gualb. a VI. apud Sur. to. 4. die 12. Iulij.

MONACHI PAPAM ADEVNT.

C tifex, qui tum in Patriarchio residebat, nec accusatum deponere voluit, nec vt monachi ignem ingrederentur, admittere. Maxima enim Episcoporum pars, qui ad Synodum generalem conuenerant, Episcopo fauebat, & monachis aduersabatur. sed Hildebrandus Archidiaconus, qui postea fuit Gregorius eius nominis Septimus Romanus Pontifex, partibus beati Ioannis studebat, easq. tuebatur. Porro Dux quidam Godefredus vsque adeo Episcopo fauebat, vt mortis minas monachis intentaret] hæc ibi, reliqua autē petenda ex amplioribus Actis eiusdem sancti Ioannis Gualberti, quæ habentur in monasterio Vallis vmbrosæ ab Attone Pistorienſi Episcopo scripta. sed primum quæ in hoc tam celebri Romano Concilio, generali dicto, sint constituta videamus.

CONCILIVM LATERANENSE SVB ALEXANDRO.

Nobilis plane Synodus ista, cui amplius quam centum Patres interfuerunt, in qua

D inter alia de simoniacis occasione permotæ de Florentino Episcopo controuersiæ, decretum Pontificium stabilitum est, quod extat in Vaticana bibliotheca hactenus integrum asseruatum, ab eodem Pontifice in ecclesia publice promulgatum vna cum alijs canonibus in eodem Concilio constitutis, quos hic tibi reddendos curauimus hactenus incompertos. sic igitur de his se habet eiusdem Pontificis Constitutio:

ALEXANDRI P. P. D. EPIST. DE REB. STATVTIS IN SYNODO.

Alexander Episcopus seruus seruorum Dei, omnibus Episcopis Catholicis, cunctoq. Clero & populo salutem & Apostolicam benedictionem.

Vigilantia vniuersalis Ecclesiæ regiminis assiduam sollicitudinem debentes omnibus, quæ in Constantiniana Synodo nuper celebrata coram centum amplius Episcopis, licet nobis immeritis præsentibus, sunt canonice instituta, vobis notificare curamus; quia ad salutem vestram executores eorum vos esse optamus, & Apostolica

E auctoritate iubendo mandamus.

Primo namque inspectore Deo, sicut a sancto Papa Leone & a sanctæ memoriæ Papa Nicolao primum statutum est, erga d simoniacos nullam misericordiā in dignitate seruanda habendam esse decernimus; sed iuxta canonum sanctiones & decreta sanctorum Patrum, eos omnino damnamus, ac in Ecclesia non præesse, Apostolica auctoritate sancimus.

d exp. erga simoniacos Conc. Rom. VI.

De his autem qui non per pecuniā, sed gratis sunt a simoniacis ordinati; quia quæsita iam a longo tempore diutius ventilata est quæstio: omnem nodum dubietatis absoluimus, ita vt super hoc capitulo neminem deinceps ambigere permittamus. Quia igitur vsque adeo hæc venenata pernicies hactenus inoleuit, vt vix quælibet ecclesia valeat reperiri, quæ hoc morbo non sit aliqua ex parte corrupta; eos qui vsque modo gratis sunt a simoniacis ordinati, non tam obtentu iustitiæ, quā intuitu misericordiæ,

CANONES ROM. CONC. GENERALIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

in acceptis ordinibus manere permittimus, nisi forte alia culpa ex vita eorum secundum canones eis obsistat. tanta quippe talium multitudo est, vt dum rigorem canonici vigoris super eos seruare non possumus, necesse sit, vt dispensatione ad piæ condescensionis studium nostros animos ad præsens inclinemus. Ita tamen, vt auctoritate sanctorum Apostolorum Petri & Pauli omnimodis interdicamus, ne aliquis successorum nostrorum ex hac nostra permissione regulam sibi, vel alicui sumat, vel præfigat. quia non hanc aliquis antiquorum Patrum iubendo, aut concedendo promulgauit, sed temporis nimia necessitas permittendo a nobis extorsit. De cetero [a] autem statuimus, vt si quis in posterum ab eo, quem simoniacum esse non dubitat, se consecrari permiserit: & consecrator & consecratus, non disparem damnationis sententiam subeant, vt vterque depositus agat pœnitentiam, & priuatus ab ea, propria dignitate persistat.

Præter hæc [b] autem præcipiendo mandamus, vt nullus Missam audiat presbyteri, quem scit concubinam indubitanter habere, vel subintroductam mulierem. Vnde sancta Synodus hæc a capite sub excommunicatione statuit, dicens: Quicumque sacerdos vel diaconus post Constitutum beatæ memoriæ prædecessoris nostri sanctissimi Papæ Leonis, aut Nicolai de castitate clericorum concubinam duxerit palam, vel ductam non reliquerit: Ex parte omnipotentis Dei, & auctoritate Apostolorum Petri & Pauli præcipimus, & omnino [c] interdicimus, vt non cantet Missam, neque Euangelium, neque Epistolam ad Missam legat, neque in presbyterio ad diuina officia cum his qui præfatæ Constitutioni obedientes fuerint, maneat; neque partem ab ecclesia suscipiat.

Et præcipientes [d] statuimus, vt hi prædictorum ordinum, qui ijsdem prædecessoribus nostris obedientes, castitatem seruauerint, iuxta ecclesiam, quibus ordinati sunt, sicut oportet religiosos clericos, simul manducent & dormiant, & quidquid eis ab ecclesia competit, communiter habeant. Et rogantes monemus, vt ad Apostolicam communem vitam summopere peruenire studeant, quatenus perfectionem cum his consecuti, qui centesimo fructu ditantur, in cælesti patria mereantur adscribi.

Vt decimæ, [e] primitiæ, seu oblationes viuorum & mortuorum reddantur a laicis, & in dispositione Episcoporum sint, quas qui tenuerit, a sanctæ Ecclesiæ separetur communione.

Vt per laicos [f] nullo modo quilibet clericus, aut presbyter obtineat ecclesiam, nec gratis, nec pretio.

Nec aliquis [g] presbyter duas ecclesias obtineat.

Vt per simoniacam hæresim nemo ordinetur, vel promoueatur ad quodlibet officium ecclesiasticum, neque ecclesijs præficiatur.

Et vt de consanguinitate sua [h] nullus vxorem ducat, vsque ad septimam generationem, vel quousque parentela cognosci poterit] quod prius a Nicolao II. statutũ fuit.

Et vt [i] laicus vxorem simul habens & concubinam, non communicet Ecclesiæ.

[k] Vt nullus habitũ monachalem suscipiat, spem, aut promissionẽ habens, vt Abbas fiat.

Vt nullus laicus ad quemlibet gradum ecclesiasticum repente promoueatur, nisi prius mutato habitu sæculari, diuina consecratione inter clericos fuerit comprobatus. Vos ergo hæc & alia sanctorum Patrum statuta fideliter & Christiana reuerentia obseruate, si vultis sanctæ Ecclesiæ Romanæ & Apostolicæ Sedis pace & communione atque benedictione & absolutione gaudere. Valete] hæc de his quæ in Concilio sunt statuta, summatim Alexander vniuersæ Ecclesiæ.

Quod autem spectat ad quartum canonem, quo decernitur, Vt clerici simul manducent & dormiant, bonaq; in commun possideant: scias id factum suggestione Petri Damiani, scriptis suis Alexandrum Pontificẽ ad hæc sancienda rogantis. Extant adhuc ipsæ litteræ quibus iste præponitur titulus: Vt canonicis, a quibus in congregatione viuitur, proprietatis habendæ licentia denegetur. deinde: Domno Alexandro beatissimo Papæ Petrus peccator monachus seruitutem. Quantum ad nostræ intelligentiæ modulum, nullum in humano genere malũ perniciosioris est criminis, quam defensio proprietatis &c.] prolixior est disputatio in sæpius citato codice bibliothecæ sancti Petri in Vaticano. Non de monachis, sed de clericis huiusmodi est sancitus canon, at nec de omnibus clericis, sed his qui collegiatis seruirent ecclesijs, quos frequentiore vsu

[a] c. iacatur. 1. q. 1.
[b] c. propter hoc mandamus dist. 32.
[c] contradicimus.
[d] c. eodem. Supra expressus.
[e] d. c. eod. in fine.
[f] cap. per laicos 16. q. 7.
[g] c. eod. 16. q. eadem.
[h] c. eod.
[i] c. per laicos 16. q. 7.
PETRVS PRO VITA COMMVNI CANONICORVM APVD ALEX PAP. LABORAVIT.

A vsu canonicos appellare consueuimus, obid scilicet, quod hisce tenerentur canonibus obligati, ad quorum præscriptum vitam ducerent clericalem in omnibus regularem, nihil sibi proprium vendicantem. Ad finem vero prolixioris disputationis, aduersus proprietarios clericos institutæ, Petrus ita perorat, dicens: Verumtamen vt hæc apud inobedientium clericorum, immo nummicolarum rebellionem efficaciter valeant, sancti Apostolatus vestri vigor impellat] quod dicti superius canonis sanctione factum audisti. In hoc eodem Concilio canon ille de celebratione Missarum, ab eodem Alexandro sancitus esse putatur, qui recitatur a Gratiano verbis istis: [a] Sufficit sacerdoti vnam Missam in die vno celebrare, quia Christus semel passus est & totum mundum redemit. non modica res est vnam Missam fatere, & valde felix est, qui vnam digne celebrare potest. Quidam tamen vnam faciunt pro defunctis, & alteram de die si necesse fuerit. Qui vero pro pecunijs siue [*] adulationibus sæcularium vna die præsumit facere plures Missas, non æstimo euadere damnationem] hæc ibi.

[a] cap. sufficit de consec. dist. 1.
[*] al oblationibus

Quod autem ad ea, quæ sunt reliqua causæ monachorum aduersus Petrum Florentinum Episcopum, spectat: petamus cuncta ex amplioribus Actis prolixioris vitæ sancti Ioannis Gualberti, quæ ex eius monasterio antiquitus scripta accepimus: incipientes ab his, quæ narrantur de missis monachis a sancto Ioanne ad dictum Romanum Concilium. quæ sic se habent:

Interea autem beatus Ioannes cum suis monachis constantior effectus, & in expurgationem simoniacæ hæresis magis magisq. propter Deum succensus, quosdam monachos suos, tempore Synodi tunc in Vrbe celebrandæ, Romam misit cum certis denotis clericis Florentinis, ad proclamandum super dictum Petrum Episcopum Florentinum: cum quibus monachis & clericis properat ipso itinere & negotio vice beati Ioannis venerabilis vir domnus Rudolphus nomine, sapiens & religiosus Abbas monasterij Musitani. Et coram sanctissimo Papa Alexandro eumdem Petrum tunc Episcopum Florentinum, simoniacum & hæreticum publice dixerunt & ad hoc examinandum & probandum, fide formati, spe certi, & charitate feruidi in ignem se intraturos promiserunt.

ACTA IN ROM. CONCILIO IN CAVSA EPISC. FLORENT.

Sed præfatus sanctus Alexander Papa Secundus nec accusatum Petrum Episcopum eo tempore voluit deponere, nec igneam examinationem susciperе, quoniam maxima pars Episcoporum illius Petri parti fauebat, & monachis vehementer obsistebat. Et interim cum, accusatione rite facta, res agitari cœpisset: cœperunt multi sibi timentes valde sæuire contra monachos. Inter quos quidam Cardinalis Petrus Damiani nomine Episcopus Ostiensis, compulsus (vt visum fuit) & rogatus ab æmulis aduersæ partis, obstitit nostræ parti, vt relatum extitit, & surgens locutus est cum domno sanctissimo Papa Alexandro Secundo, dicens: Domine & pater sancte, isti sunt locustæ, quæ depascuntur viriditatem sanctæ Ecclesiæ. [b] Veniat Auster, & perferat eas in mare rubrum. Sanctus vero Papa Alexander præfatus contemperando se vtrisque, benigne respondit, dicens: Isti homines non omnino sunt repellendi, quia boni homines sunt, & ea, quæ dicunt, simpliciter, & bona intentione loquuntur.

[b] Exod. 10.

Inter omnes autem vir quidam Rainaldus nomine Episcopus Comanus vehementius restitit nostris, & per indirectum post multam verborum contentionem domno Rudolpho Abbati proposuit quamdam quæstionem, quam omitto, quia non facit ad propositum, de quo loqui intendo. Cum itaque pene omnes furerent contra monachos, & dignos iudicarent morte eos, qui temerarie contra Prælatos Ecclesiæ armati auderent: cœperunt monachi vt agni inter lupos vexari, minisq. turbari, & clamare cum Psalmista ad Dominum, dicentes: [c] Exurge Domine adiuua nos: [d] Exurge, quare obdormis Domine: Exurge Deus, iudica causam tuam.

[c] Psal. 7.
[d] Ibid. 43. 73.

Interea surrexit in Concilio quidam vir egregius & excellentissimus, alter quasi Gamaliel, nomine scilicet Hildebrandus monachus & Archidiaconus Ecclesiæ Romanæ & Cardinalis, qui prius fuit Prior monasterij Cluniacensis ordinis sancti Benedicti, qui post decessum prælati sanctissimi Papæ Alexandri Secundi, Apostolica est dignitate præditus. Et quia placuit sibi, vt fieret defensor causæ Christi, factus est postea Vicarius eiusdem Christi, hoc est Papa, & vocatus est Gregorius Septimus. Qui dum esset Cardinalis, hanc controuersiam prudenter audiens, & auctoritatem canonum sapienter perpendens, monachorum in vniuersis auditorijs defensor nobiliter

Universidad de Deusto
Biblioteca

liter extitit, quos non pedetentim ratiocinando, sed aperte, & fortissime defendit A
contra omnium opinionem] hucusque de rebus tunc gestis in Romano Concilio in causa Episcopi Florentini.

At quoniam contigit potiri litteris illis tunc ea de re a Florentinis datis ad Alexandrum Romanum Pontificem, quas ad verbum recitat S. Atto Pistoriensis Episcopus in vita vberius scripta eiusdem sancti Ioannis: hic eas describere operæpretium duximus, quæ sic sé habent:

Alexandro primæ Sedis reuerentissimo & vniuersali Episcopo Clerus & populus Florentinus sinceræ deuotionis obsequium.

EPISTOLA FLORENTINORVM AD ALEX. PAP.

Iamdiu tædium & laborem nostrum, necnon certamen monachorum contra simoniacam hæresim paternitas vestra bene nouit. Et nunc quoque dignum est, vt qualiter Deus excelsus pie ac misericorditer scrupulum huius rei de cordibus nostris B
abraserit, pernoscatis. Signa enim & mirabilia Dominus noster de nobis fecit, & per ea cæcitatem ignorantiæ & dubietatis caliginem ac tenebras erroris de pectore hominum pepulit, & fidem nobis augendo & dilatando, & in se solidando lucem mentibus suæ veritatis clementer infudit. Pastor quidem bonus de cælo venit, & ouibus assistentibus, atque ad se totis medullis clamantibus, sententiam sereno clariorem, soleq. lucidiorem, omniq. dicto apertiorem, omniq. visu certiorem de medio ignis populo suo dedit.

Quid vero plebi Florentinæ de Petro Papiensi, qui se nostrum Episcopum haberi volebat, tenendum sit, in suo tremendo iudicio declarauit. Sed licet miraculorum narratio videatur aliquantulum protelari: tamen vnde ad hæc ventum est, nequaquam inutiliter putamus debere succincte perscribi. C

Quadam etenim die omnes Florentinæ ciuitatis clerici vna congregati, cœpimus tam de clericis locis suis expulsis, quam etiam de nobis ipsis ante Papiensem Petrum conqueri. De abiectis enim, quia consilium & solatium eorum amiseramus; & quia etiam Prior & Archipresbyter noster metu hæresis e ciuitate secesserant: de nobis autem, quia bona pars ciuium nostrorum nos hæreticos acclamabat. Nam videns nos ire ad eum, dicebat: Ite, ite, hæretici ad hæreticum; ite quia per vos hæc ciuitas voragini dabitur, qui Petrum Apostolum expugnantes, Simonem magum pro eo in-

INTER CIVES FLOR. ET EPISCOPVM CONTROVERSIAE.

ducendo colitis. Quid plura? Rogamus eum, vt tam nos, quam se ab hac infamia liberet, dicentes: Ecce nos (si te mundum senseris, si tu nobis iusseris, Dei pro te iudicium subire non dubitamus; aut si probationem, quam monachi hic & Romæ facere voluerunt, recipere vis: ad eos imus, eosq. obnixe rogamus. Ad hæc ille inquit, D
neutrum se iubere, neutrum se velle, neutrum recipere. Quin etiam edictum a Præside per Legatos suos impetrauit: Vt quicumque laicorum, quicumque clericorum, siue Episcopo non cederet, siue suo imperio non obediret: ad Præsidem vinctus duceretur, sed & traheretur. Si autem quis nostrum his minis territus, de ciuitate fugeret, ad dominium potestatis assumeretur quidquid possedisset. Clerici vero qui sub tutela regiminis beati Petri Apostoli, agendo contra simoniacam hæresim, in Oratorio eius confugerãt, aut sibi conciliarentur, aut sine spe audiẽtiæ extra ciuitatẽ pellerentur.

Hinc q. factum, vt vesperascente sabbato initij ieiunij, cum apud prædictam ecclesiam beati Petri Apostoli ipsi clerici Lectionum, ac Responsoriorum sequentis Dominicæ recordarentur, municipalis Præses, eo quod se cum salua reuerentia Petri Apo- E
stoli, simoniaco hæretico non posse obedire responderint: illos extra immunitatem Oratorij, beatum Petrum Apostolum paruipendens, eijceret. Fit denique pro hoc scelere concursus Catholicorum virorum, & maxime feminarum, velamina capitum proijcientium, & sparsis crinibus flebiliter incedentium, pectora pugnis, miserabiles ad Deum voces mittendo, dure tundentium, vt super virorum ac filiorum morte triste lamentantium: nam in plateas luto plenas se prosternentes, aiebant: Heu, heu, o Christe, tu hinc eijceris; & quomodo nos desolatas relinquis? Tu nobiscum habitare non sineris; & nos quomodo hic habitamus? Videmus quia hic nobiscum habitare voluisti; sed vadis, quia Simon magus te non permittit. O sancte Petre, numquid a Simone mago tu vinceris, quia ad te confugientes non defendis? Nos putauimus ipsum in infernalibus pœnis vinctum & catenatum; sed ecce cernimus illum ad tuum dedecus hostiliter suscitatum.

Viro-

A Virorum quippe alij ad alios dicebant: Videris, & aperte videris: Christus hinc discessit, abijt, quia legem suam adimplens, se pellenti non resistit. Et nos, viri fratres, ciuitatem hanc, quo hæretica pars ea non gaudeat, incendamus, atque cum paruulis atque vxoribus nostris, quocumque Christus ierit, secum eamus: si Christiani sumus, Christum sequamur. His ergo eiulatibus, hisq. doloribus nos quoque clerici commoti, qui ipsi Papiensi videbamur esse fautores & assecłæ, & qui ab alijs hæretici acclamabamur, eo quod ipsum sequebamur; obseramus ecclesias; & mœrore proiectorum non tangimus campanas, populis non Psalmos, non denique canimus Missas.

Nec mora, nobis congregatis, fit Domino inspirante, Concilium, ad quod Dei monachos, qui in Septimo, in monasterio sancti Saluatoris degunt, communi voto quosdam nostrum mittimus, petentes, & orantes, dubietatem huius rei velle prodere, & veri-
B tatem cognoscere, agnitamq. firmiter promittentes tenere. Responsum autem est nobis, quia si Catholicam Fidem pro viribus vellemus tenere atque defendere, & simoniacam hæresim impugnando destruere: virtus Saluatoris tam huius negotij dubietatem, quam etiam cæcitatem de cordibus nostris eliminaret. Fatemur, promittimus de hac re hoc sequi, quod & ipsi, si suum factum compensarent dictis. Quid plura? statuitur dies omni voto quæsita, in qua & dubietatem prodidimus, atque veritatem, quam monachi dicebant, pro posse defendendo tenemus.

Quarta namque feria in prima hebdomade Quadragesimæ dies constituitur, secunda & tertia feria specialiter Deum per hoc oramus; & vt Deus, qui vnica est veritas, veritatis huius reseraret ostium, obsecramus. Illucescente vero quarta feria, a quodam nostrum itur ad virum Papiensem, qui rogans eum, inquit: Fac domine,
C pro Dei tremore, proq. remedio animæ tuæ: si est de te quod monachi dicunt, noli clericos, noli populum in eundo laboribus afficere, noli Deum experiendo tentare, sed huius negotij veritatem, ad Dominum te conuertendo, pande; aut si hoc te nescis immunem reatu, nobiscum venire dignare. Ad quem ille respondit: Nec ego illuc, neque te, si me diligis, ire volo. Ad hæc dictum est sibi: Profecto Dei iudicium, quia omnes vadunt, videre ibo; & quid ibi agatur, solerter scire curabo, & quodcumque Deus Iudex iustus in iudicio suo recto monstrauerit, secundum meum valere defensabo. nec tibi molestum meum sit iter, quia te hodie, qualis sis, sententia Dei recte ostendet. Aut enim te hodie magis quam vmquam fueris, habebimus charum, aut viliorem & contemptum.

Nos interim, quasi cælesti præmoniti oraculo, non expectabamus nuntium: cur-
D ritur a nobis clericis ac laicis & feminis ad Septimum, in quo est sancti Saluatoris monasterium. O mira Domini potentia, miraq. clementia, qui voluntates non solum expeditis mulieribus, sed etiam prægnantibus vires ad eundum donauit! Numquid enim longitudo matronas? numquid via cœnulenta multitudine aquarum delicatas terruit? numquid pueros ieiunium exasperauit? Congregatis denique omnibus clericis & laicis promiscui sexus & ætatis fere tribus millibus apud prædictum monasterium: interrogamur a seruis Dei: Cur fratres veniistis? Respondetur a nobis, vt illuminemur, & errorem relinquentes, veritatem sequamur. Quomodo, inquiunt, illuminari vultis? Nos, inquam, respondentes, vt copioso probetur igne, quod de Papiense Petro dicitis. Quem, inquiunt, fructum hoc facto habebitis? aut quem
E honorem inde Deo reddetis? Respondemus omnes: Erimus vobiscum rectam Fidem defendentes, & simoniacam hæresim abominando, Deo gratias semper agentes.

EXAMEN PER IGNEM PARATVR.

Quid longius immoramur? fiunt statim a populo duæ strues lignorum altrinsecus iuxta se in longitudine positæ, sigillatim vero longitudo vtriusque pedum decem, latitudo autem ambarum sigillatim quinque pedum, & dimidium dimidij pedis: altitudo denique vtriusque seperatim fuit quatuor pedum & dimidij: inter vtrasque vero pyras in longitudine semita vnius brachij extitit, & ipsa strata siccis lignis, & ad ardendum bene paratis. Interea fiunt pro hac re psalmodiæ, Litaniæ, supplicationes, monachus intraturus ignem eligitur iussu Abbatis, celebraturus Missam ad altare procedit. Missa vero cantatur cum magna deuotione & supplicatione omnium. Chorus monachorum & clericorum, nec non & laicorum ex corde lacrymatur. Vt autem ventum est ad, Agnus Dei: quatuor monachi, vnus imaginem Crucifixi, alter aquam sanctificatam, tertius duodecim cereos benedictos, quartus thuribulum thure ple-

Universidad de Deusto
Biblioteca

num baiulantes, procedunt ad succendendum præscriptas lignorum pyras. A

His igitur visis, clamor omnium in cælum attollitur, Kyrie eleison, flebilissimo pleno ore cantatur: IESVS Christus creberrime, vt exurgat, causamq. suam defendat, oratur: Maria eius mater, vt hoc sibi suadeat, multum a viris, plurimumq. a feminis supplicatur: Petri Apostoli nomen, quo Simonem perdendo damnet, millies ingeminatur: Gregorius Vrbis Præsul, vt ad suas verificandum properet sanctiones, suppliciter obsecratur. Interea dum pro ingenij capacitate ab omnibus oratur: presbyter perceptis salutaribus mysterijs, & expleta Missa, exutaq. casula, ceterisq. sacerdotis indumentis sibi retentis, crucemq. Christi portans, cum Abbatibus & monachis Litanias faciendo, ad strues lignorum, iam rogos fieri incipientes appropinquat; ibiq. Deus quam multipliciter ac vniformiter ab omnibus adoratur: nulla lingua id fari, nullus sensus colligendo valet meditari. Tandem silentium cunctis B
imponitur; & vt conditionem rei, pro qua hæc fiebant, intente audiamus & bene intelligamus, monemur. Eligitur denique Abbatum vnus clamosus voce, apertus lingua, qui aperte ad intelligendam orationem, in qua conditio petitionis ad Deum continebatur, populo legit. Collaudantibus autem cunctis conditionem, iterum alius Abbatum silentium petit, eleuansq. vocem, alloquitur omnes, dicens: Viri fratres, & sorores, pro salute animarum vestrarum, teste Deo, hoc facimus, vt deinceps a simoniaca lepra, quæ fere iam totum sordidat mundum, caueatis. Huius autem lepræ contagium tam magnum esse sciatis, quod istius immanitati cetera crimina comparata sunt quasi nihil.

His ergo expletis, cum vtrique rogi iam se ex maiori parte in flammiuomos conuertissent carbones, & cum media semita igniuomarum copia prunarum valde æstuaret, vt vsque ad talos pedes cuntis (sicut post ei probatione patuit) in prunas infigi possent: sacerdos & monachus iussu Abbatis hanc orationem cum magna voce, audientibus & flentibus fere tribus millibus, fudit ad Dominum: C

Domine IESV Christe vera lux hominum in te credentium, tuam misericordiam peto, tuam clementiam exoro, vt si Petrus Papiensis, qui Florentinus Episcopus dicitur, interuentu pecuniæ, id est munere a manu (quod est simoniaca hæresis) Florentinam arripuit sedem: nunc tu Fili æterni Patris, salus mea, in hoc tremendo iudicio ad adiuuandum me festina, & me illæsum sine aliqua macula mirabiliter conserua, sicut quondã illæsos seruasti tres pueros in camino ignis ardentis, qui cum eodẽ æterno Patre & Spiritu sancto omnia cooperaris, & viuis & regnas in sæcula sæculorum.

Cumq. omnes qui aderant, respondissent, Amen: pacis osculum Fratribus dedit & accepit. Atque interrogamur omnes: Quamdiu vultis ipsum in igne manere? Responsum est ab omnibus: At, at, quid dicitis? sufficit domini, satis cum solemni gravitate pedetentim ignem flammasq. transire. Iubetur quidem sacerdoti & monacho voluntati nostræ satisfacere. Tunc ipse sacerdos contra ignis ardorem salutare signũ ✝ faciens, crucemq. Christi baiulans, ipsam flammarum multitudinem non attendens, intrepidus mente, hilaris vultu, cum quadam celebritate gravitatis, illæsus in corpore, illæsus & in omnibus quæ secum portabat, in virtute IESV Christi mirabiliter ignẽ pertransijt. Nam flammæ vndique concurrentes & circumquaque exurgentes Albam quasi byssinam intrabant, & implendo inflabant; sed naturæ suæ immemores nihil ipsi vltionis inferre poterant: manipulũ denique & stolam, eorumq. fimbrias more ventorum sustollendo, huc illucq. varie ferebant, sed calore perdito, ipsas in nullo comburere valebant. Pili quoque pedum eius inter flammosos carbones immittebantur; sed o mira Dei potentia, o Christi laudanda clementia! eorum nulli ardore ignis lædebantur; inter capillos nempe flammæ circumsurgentes intrabant, eosq. flando leuabant & releuabant, sed nec summitatem alicuius eorum vires suas oblitæ adurendo retorquere valebant. Erant quippe flammæ ex omni parte ipsum concludentes ad Saluatoris miraculum, non ad ardoris incendium: ardorem Catholicæ Fidei sentiebant, ideoq. non ardebant. Deus profecto noster ignis consumens aderat; ideoq. ipso nolente, corporeus ignis nihil nocere poterat. Proculdubio verum erat, quod a seruis Dei dicebatur, quia illorum testis, veritate iuuante, ab igne miraculose liberatur. Veritas enim semper liberat, quos falsitatis macula non coinquinat. D

Postquam autem egressus est de igne, dum iterum vellet focum repedare, capitus a popu-

VOTA ASTANTIVM PRO MVNTVR.

PRECATIO PERICVLVM FACIENTIS.

IVDICIVM PER IGNEM EXHIBETVR.

A a populo, deosculantur præ desiderio pedes eius. præ gaudio quidem beatum se quisque putabat, qui vestimentorum quamcumque particulam deosculari valebat. Graui namque premebatur angustia populorum, sed magna cum difficultate liberatur viribus clericorum. Laus Deo ab omnibus vna, præ gaudio, etiam flendo, cantatur, certi iam, quia verbum Dei numquam mutatur. Simon Petrus magnis laudibus sublimatur, Simon denique magus vt stercus pedibus conculcatur. Nomen Petri Apostoli in ore omnium super mel & fauum cum laudibus magis magisq. dulcescit; nomen impij Simonis super fel & sulphur cum vituperationibus magis magisq. putrescit. Magnitudinem quippe horum Christi signorum, copiamq. gaudij nostri, & quotidianam gratiarum actionem, nec sensus cordis cogitare, nec linguæ plectrum exprimere, nec manus sicut est, vmquam sufficit scribere. EXVLTATIO ASTANTIVM DE VICTORIA

B Sed quia sapienti de multis pauca sufficiunt: demum ad paternitatem vestram supplicando conuertimur. Per Christum vero beatitudinem vestram oramus, cuius Vicarium tam in cælis, quam etiam in terris vos esse cognoscimus: dignamini plebi tam longa peste demolitæ consilium pariter & defensionis auxilium impendere: dignamini nos miseros ab importunis luporum faucibus abstrahendo eripere. Dignamini deprecamur, arma contra hostes Petri Apostoli mouere, acies instruere, vires sumere, sancta bella committere, & nos oues Christi beato Petro, tibiq. vice eius commissas, contra simoniacos præliando de captiuitate liberare. Plerisque enim nostrum beatus ipse Apostolus, vt olim a Nerone in cruce confixus, ita visu noctis apparet, & passionem suam ostendendo, vt a simoniacorum societate declinemus, pie suadet: Sicut (inquiens) me Simoni mago numquam coniunxi; sic quoque vos, si Christi esse C vultis, si oues pascuæ eius estis, si me Clauigerum regni cælestis creditis, si me vobis portas regni cælorum aperire cupitis: simoniacis nolite sociari, nolite coniungi, nolite communicare. APOSTROPHE AD PAPAM.

Nunc itaque domine pater sancte, quia fiducia recuperationis nostræ secundũ Deum in sancta Sede Romana est posita: vos, qui ipsi præsidetis, oramus, vt rapacibus lupis ex aduerso ascendatis, atque auctoritate sacerdotalis culminis pro ouibus vice Petri creditis, opponatis. Iterum atque iterum cernui sollicitudinem vestram oramus pater, vt quod pastoris est, nobis dilaniatis ouibus ne pigritemini clementer impendere] hucusque Florentinorum litteræ ad Alexandrum Pontificem. subijciuntur vero mox ista: PERORATIO.

His autem cognitis, dominus Alexander Papa præfatum Petrum simoniacum de omni Episcopali officio deponere curauit. Eo tempore Comes Bulgarus religionem D & sanctitatem atque constantiam aduersus hæreticos beati Ioannis, suorumq. monachorum agnoscens, in monasterio Ficedensi venerabilem Petrum, qui per ignem mirifice transierat, rogauit sanctum Ioannem in Abbatis officium constituere: cuius petitionibus annuens, eidem loco prædictum virum in Abbatis officium præfecit. Qui postmodum inde abstractus, & Romam, Deo volente deductus, post custodiam vaccarum & asinorum, quam in Vallumbrosa iussu beati Ioannis humiliter tenuit, post gradum Præpositi penes Passinianum, & Abbatis officium in prædicto Ficedo, decenter extitit Cardinalis & Episcopus Albanensis] hæc ibi, atque de Petro hactenus, qui vnus ex tanta multitudine monachorum ob insignem virtutem obedientiæ & humilitatis, ad tantum est delectus experimentũ. etenim nobili ortus genere ex stemmate dominorum Aldobrandinorum (vt in vita eius edita nuper asseritur) insignitus E insuper sacerdotio; tamen vaccarum & asinorum ministerio inseruire gaudebat. sic quidem seruus fidelis in nouissimo loco recumbens, meruit a patre familias illud audire: a Amice ascende superius.] Porro locus ille, in quo tam admirandum contigit exerceri certamen, eiusmodi fuit epigrammate perpetuæ memoriæ consignatus: PETRVS IGNEVS HONORIBVS AVCTVS. a Luc. 14.

Hunc lapidem si quis conspexerit esse locatum
Hoc a sacrata Religione loco:
Indicat hic paries depictus imagine tanta
Quid fuit, cur sit candidus iste lapis.
Lis erat & magno surgebant prælia bello,
Hinc atque hinc pariter maxima turba cadit,
At monachi nostri, Vmbrosaq. e valle Ioannis
Exploratores constituere focos.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tunc monachus iussu medium se mittit Abatis: A
Et potuit nulla parte nocere focus.
Ast ille electus Petrus fuit illico ab omni
Sede sua sacra, pontificisq. loco.
Causaq. nam fuit hac scelerata, quod ille malignus
Tunc erat hæreticus, Simoniacus erat.
Ergo nunc notum est, lapis hic quid fixus habetur
In terra, cunctis sic venerandus erit.]

Porro ipsum Petrum Florentinum Episcopum denique reconciliatum fuisse, & in communionem receptum ab ijsdē monachis: diploma Petri eius nominis secundi Abbatis, quod confecit de restitutione hospitalis, his verbis videtur ostendere, quibus ait: Pro anima Hugonis Marchionis, suæq. genitricis Vuillæ huius monasterij ædificatricis, B nec non pro salute Godefredi excellentissimi Ducis, quin etiam pro anima suæ dilectissimæ coniugis Beatricis, atque pro salute Petri Florentini venerabilis Episcopi, a quo quamdam decimationem, quam eidem hospitali contulimus, gratia huius hospitalitatis acquisiuimus &c.] & inferius prope finem eorumdē pariter meminit. Accepimus ex eorum monasterio dictum diploma per Constantinum Caietanum monachum congregationis Cassinensis. cui post eiusdem Petri Abbatis subscriptione, Theuzo monachus & sacerdos subscriptus legitur, quem Vallisumbrosani monachi beatum colunt, primum quidem eremitam, inde cœnobitam.

PETRVS EPIS. FLOR. RECONCILIATVS MONACHIS.

Vt autem ad Ioannem Gualbertum redeamus, tantæ fuit æstimationis ob egregiam vitæ sanctitatem, vt eum etiam Episcopi consulerent, eius cupientes monitis roborari. legimus eiusdem Sancti epistolam datam ad Volaterranum Episcopum, paræneticam illam quidem, qua etiam ipsum aduersus simoniacos fortiter agere multis hortatur. incipit: Petitionibus vestris consulere &c.] C

IOAN. GVALBERTVS MAGNI NOMINIS ABBAS.

Ipse autem Petrus, qui per ignem transijt illæsus, Episcopatus & Cardinalatus dignitate (vt diximus) auctus, pluribus legationibus functus peruenit ætate vsque ad annum Redemptoris millesimum octogesimumoctauum, quo anno Abbas Vrspergensis sic de ipso: Petrus Albanensis Episcopus obijt. Iste per iudicium ignis, immensam pertransiens illæsus pyram, vestimentis etiam per flammam volitantibus, sed in nullo læsis, Petrum Florentinum Episcopum declarauit simoniacum, vnde & ipse postea Igneus est appellatus] hæc ipse. At historia hæc maiorem adhuc sibi vendicat auctoritatem ex testificatione Desiderij Abbatis Cassinensis Cardinalis tit. S. Cæciliæ, qui & Victor Tertius eius nominis est appellatus Papa. Ipse enim in libro tertio dialogorum totam hanc texit historiam: nempe de Petro Florentino Episcopo ad Concilium conuocato, ibiq. ab officio suspenso, donec rei veritas elucēsceret: Cum, exposcente necessitate, dum populus in partes diuisus inter se hac de causa sæpe confligeret, miraculum grande editum, quo Petrus per ignem illæsus transijt. additq. illud amplius, quod cum iam ex igne egressurus esset, atque mappulam e manu lapsam, & in ignis medio remansisse intellexisset: per easdem reuersus est flammas mappulam recepturus. hæc vero ipse pluribus.

PETRVS COGNOMENTO IGNEVS DICTVS. D

Porro displicuit Alexandro Papæ, per monachos populum concitari, atque vetita tentari, eosdemq. occasionibus huiusmodi claustra egredi, miscereq. se contentionibus popularibus; quamobrem de ipsis, ne claustra facile egrederentur, ista decreuit: E

QVID IN MONACHOS PAP.

a c. iuxta 16. q. 1.

Iuxta a Ghalcedonensis tenorem optimi Concilij monachis quamuis religiosis, ad normam sancti Benedicti intra claustra morari præcipimus; vicos, castella, ciuitates peragrare prohibemus, & a populorum prædicatione omnino cessare censuimus; nisi forte quis de anima sua sollicitus, vt eorum habitum assumat, eos intra claustrum consulere voluerit]

AGNES DEITI TVTA A SVIS AFFLIGITVR.

Hoc eodem anno, Synodo absoluta, recedentibus ab Vrbe Rainaldo Comano Episcopo, necnon Petro Damiani, quem patrem spiritualem elegerat sibi Agnēs Augusta, simulq. charissima Hermisinda Comitissa cognata eius ad propria remeante: cum eiusmodi destituta solatijs ipsa aliquid humani pateretur, Petrus Damiani eam litteris est consolatus, quas acceptas ex Cassinensi bibliotheca hic tibi reddimus, atque in lucem edimus. sic se habent:

Dominæ suæ Imperatrici Agneti Petrus peccator monachus seruitutem.

Arbi-

A Arbitror venerabilis domina, quod ex quo domnus Rainaldus Comanæ sedis Episcopus, & sancta mulier Hermisinda relicta quondam germani tui, ego quoque seruus tuus ad propria quique recessimus, mens tua nunc fluctuat, & velut omnium destituta solatio, sola se remansisse deplorat. Grauat forte longioris censura silentij, & tædium est, suorum deesse præsentiam, quos sæpe refugiens dum adessent, remotioris anguli latibulū expetebas. Toleramus enim sæpe quod gratis offertur: perfruimur quod difficilius obtinemus: paruipendimus quod abundat: & quod deesse conspicimus, inhianter optamus. Verum pia mens tua, quæ diuini amoris igne succēdi votis omnibus æstuat, nequaquam humanæ societatis absentia contabescat, immo quanto sibi terrena solatia deesse considerat, tanto magis de propinquo sancti Spiritus paracliti præsentia confidat. Vnde Saluator cum iturum ad Patrem se post resurrectionis gloriam B declararet, & ex hoc discipulorum animos non mediocriter perturbandos esse conspiceret: præsto subiunxit: [a] Quia hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrū. Sed ego veritatem dico vobis: Expedit vobis vt ego vadam. Nisi enim abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero mittam eum ad vos. Si ergo illuminator mentium Spiritus Apostolicis illabi pectoribus plena diffusione non poterat, nisi Veritas ipsa, quæ eis illum missurus erat, corporalem sui præsentiam ab eorum subtraxisset obtutibus: quanto magis necesse est, vt purus homo ab hominum se frequentia subtrahat, quatenus superni numinis capax fiat? sicq. mens humana dum vacat ab aspectibus hominum, sancti Spiritus mereatur ingressum? Eorum ergo qui tecum conuersabantur absentiam, nolit deputare iacturam; immo salutis occasio, perfectionis lucrum, & perfectum nostri meriti deputetur argumentum: quia dum C strepitus humani cessat alloqui, construitur in te per silentium templum Spiritus sancti.

PETRVS DAM. CONSOLATVR MOERENTEM AVGVSTAM.

a Ioan. 16.

Hinc est quod de Israelitici templi constructione sacra testatur historia, [b] quia malleus & securis, & omne ferramentū non sunt audita in domo Domini cum ædificaretur. templum quippe Dei per silentium crescit, quia cum mens humana per exteriora se verba non fundit: in sublime fastigium spiritualis ædificij secreta consurgit; tantoq. succrescens in altiora sustollitur, quanto per silentij custodiam circumcluſa sese extrinsecus fundere prohibetur. Custos enim iustitiæ silentium. & per Ieremiam dicit tur: [c] Bonum est præstolari cum silentio salutare Domini: bonum est viro cum portauerit iugum ab adolescentia sua: sedebit solitarius & tacebit, quia leuabit se supra se. Solitarius plane dum tacet, se eleuat supra se, quia mens humana dum intra silentij D elaustra vndique circumcluditur: in superiora sublimis erigitur, ad Deum per cæleste desiderium rapitur, & in amorem eius per ardorem spiritus inflammatur. Et tamquam fons viuus dum per verborum riuulos effluere non sinitur hinc inde; vndis excrescentibus ad altiora cumulatur. Templum ergo tui pectoris nunc per silentium crescat, virtutum spiritu alia tamquam cælestium lapidum in te structura consurgat, vbi supernus ille Sponsus, quem totis visceribus diligis, velut in thalamo tuo delectabiliter requiescat. Memento itaque quod Apostolus ait: [d] Quia fundamentum nemo potest ponere aliud præter id quod positum est, Christus IESVS. Si quis posuerit super hoc fundamentum aurum, argentum, lapides pretiosos, lignum, fœnum stipulas: qualecumque fuerit, ignis probabit. Quid enim per aurum, argentum, lapides pretiosos, nisi robur & ornamenta virtutum? quid per ligna, fœnum & stipulas, nisi fragilitas innuitur? Attende ergo vt ædificium quod in te fit, non ex fragili sit E materia, quæ flammis esse possit obnoxia, quæ ventis sit impellentibus ruitura. Lignum plane, fœnum & stipulas facile potest vorax flamma consumere; aurum vero vel argentum, siue lapides pretiosi nesciunt incendio subiacere. Et vere per eumdem Apostolū dicitur: [e] Sumentes scutum Fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Ignis ergo quem clandestinus hostis immittit, inueniat in te pretiosa metalla virtutum, non stipulas fomites vitiorum, vt furentibus flammis, quas callidus insidiator exufflat, non materia putris & fragilis eneruiter cedat, sed impenetrabilis ac robustæ soliditatis vigore obsistat, vt illa virtus Altissimi, quæ virginalis vteri viscera obumbrauit, mentem quoque tuam in perpetuo vernantis pudicitiæ vigore custodiat, eamq. (quod absit) aduri spiritalis nequitiæ vaporibus non permittat.

b 3. Reg. 6.

c Thren. 3.

d 1. Cor. 11.

e Ephes. 6.

Consolare igitur, venerabilis domina, & a corde tuo omne tædium noxij mœroris

Universidad de Deusto
Biblioteca

nis expelle: Christus sit confabulator tuus, Christus tibi contubernalis sit & comma- A
immo Christus ipse tuæ sint deliciæ, ipse quotidianæ refectionis epulum, ipse tibi sit
intimæ dulcedinis alimentum. Cum illo simul lege, cum illo iugiter psalle, cum illo
denique te in pauimento oratura prosterne, cum illo te erige, cum illo te dormituram
lectulus capiat, cum eodem sopor inueniat; eius te pudicus atque virgineus ample-
a Isai.62. xus astringat, vt in te quoque veraciter impleatur quod per Isaiam dicitur: a Gaude-
bit sponsus super sponsam, & gaudebit super te Deus tuus. & tu specialis dicere va-
b Cant. 1. leas, quod generalis Sponsa dicit in Canticis: b Dilectus meus inter vbera mea com-
c Ibid. morabitur. Constat enim quod inter vbera pectoris cor hominis situm est. c Dile-
ctus ergo inter sponsæ vbera commoratur, cum a fideli qualibet anima Christus to-
to corde diligitur. Huic ergo Sponso dicit anima sancta tua: c Ecce tu pulcher es di- B
lecte mi, & decorus, & lectulus noster floridus. Ipse enim speciosus forma præ filijs
hominum.

Et quia propter eius amorem regales insulas contempsisti, Imperiale fastigium de-
spexisti: ipse corona, ipse tibi sit insuper purpura, ipse totius gloriæ præparet beata
d Isa. 61. ornamenta, vt merito debeas cum Propheta cantare: d Induit me Dominus vestimen-
to salutis, & indumento lætitiæ circumdedit me, quasi sponsus decoratus corona, &
quasi sponsa ornata monilibus suis. Hic in te societatis humanæ consoletur absen-
tiam, hic tibi, vel pro omnium visitatione & allocutione sufficiat. Hic velut alter,
e 1.Reg.1. sed longe præstantior Helcana veraciter dicat: non iam Annæ, e sed Agnæ: Cur fles,
& quare non comedis, & quamobrem affligitur cor tuum? numquid non ego melior
sum quam decem filij? Et quoniam Helcana Dei zelus dicitur: Zelus Dei, dilectio
Redemptoris animum tuum in omni mœrore & angustia in Deo consoletur, vt in- C
cum te in omni quam pateris aduersitate proijcias, sub eius vmbraculum ab huma-
næ persecutionis ardore confugias, vt in eius amplexibus secura suauiter quiescas,
quatenus ipse vel seipsum quietis intimæ præbeat portum, qui pro te dignatus est in-
mundanis fluctibus inundantium procellarum perferre naufragium] hæc Petrus.

Qui cum audisset ex eo etiam ipsius Agnetis Augustæ augeri mœrorem, quod cen-
su subtracto, reddita pauperior esset, & quod vilis habita iam nullius æstimationis pe-
nes suos se esse cognosceret: his occurrens sapientissimus cathechista Petrus, verbo
Dei eam studuit subleuare, istam subiungens epistolam:

AGNETEM AVG. PAVPERTATE LABORANTEM CONSOLATVR PETRVS DAM.

Dominæ suæ Imperatrici Agneti Petrus peccator monachus quidquid seruus. D
Quoniam a sancta præsentia vestra remotus sum, & hoc tempore vobiscum esse
non possum, satis doleo, & quotidiana lamentatione suspiro. Interim tamen ante-
quam ad vos redeam, hortor sanctam patientiam vestram, vt ei graue non sit aspera
quæque ac dura perferre, & pro amore cælestis Sponsi solitudinem, vel etiam neces-
sarij sumptus inopiam sustinere. Cum enim Christus pro te pertulerit crucem: quid
mirum si tu sustineas pro illius amore pauper esse? si ille, cui Virtutes & Domina-
tiones famulantur in cælo, sputa, flagella, opprobria, colaphos, & alapas patiebatur
in mundo: quid magnum si tu, quæ terra es, Imperialis gloriæ vanam proijcias pom-
pam, & non mundi Reginam, sed quod longe gloriosius est, te præbeas æterni Regis
f Hebr.13. ancillam? recordare quod dicit Apostolus: Exeamus igitur ad eum extra castra, im-
properium eius portantes: non enim habemus hic ciuitatem permanentem, sed fu-
turam inquirimus: felix nimirum tale commercium, vbi datur lutum, tollitur au-
rum, pro tenebris lutem, pro terrenis honoribus cælestis gloriæ comparamus dignita- E
g Isa. 40. tem. Sicut enim per Prophetam dicitur: Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius
tamquam flos fœni, aruit fœnum, & flos eius cecidit; qui autem seruat verbum Do-
mini, manet in æternum.

Porro autem qui hodie induitur purpura, cras includitur sepultura: hodie quis
hominibus dominatur, cras autem vermis factus, & putredo corrumpitur: hodie rega-
libus insulis redimitur, cras vilibus panniculis exanime cadauer obuoluitur: hodie re-
splendet coronatus in regalis excellentiæ solio, cras fœtet marcidus in sepulchro. Hæc
igitur & huiusmodi, domina mi, subtiliter pensa, & huius vitæ labores cū Iesv æquani-
miter tolera. Cum ipse qui iudicatus est, iudicaturus aduenerit; tu velut vna de sa-
pientibus virginibus, ornatis lampadibus ei decenter occurras; & pro temporali pur-
pura stolam immortalitatis accipias, ac pro corona, quæ terreno fuerat fabricata
metallo,

A metallo, illud diadema suscipias quod in cælo factum est de lapide pretioso. hucusque ad Agnetem Augustam Petrus.

Hoc anno (quod ad res pertinet Orientis) Christiani, a qui erant Hierosolymis, absoluunt a Calypha Aegypti imperatum opus ædificandi quartam partem murorum Hierusalem, pecunia collecticia Christianorum, potissimum vero Imperatoris Constantinopolitani Monomachi, atque impetrarunt a Calypha, vt eam partem ipsi possiderent Christiani, necnon etiam, vt nullum alium quam suum ipsorum Patriarcham haberent iudicem. Ex quo factum, vt illa quarta pars ciuitatis cesserit dominio Patriarchæ: cuius rei causa graues lites postea obortæ sunt inter Reges Christianos Hierosolymorum & Patriarcham, de quibus suo loco inferius agendum. porro ista omnia vberius Vuillelmus Tyri Archiepiscopus tractat.

a Vuill.Tyr. de bello sacro lib. 9.c.17. & 18.

B

IESV CHRISTI ANNVS 1064. — ALEXANDRI II. PAP. ANNVS 4. — VACAT. IMP. OCCID 8. CONST. DVCAE IMP. 5.

MILLESIMVS sexagesimusquartus annus surgit, cum Indictione secunda, quo increbrescentibus turbis in Alexandrum Pontificem per Cadaloum schismaticum excitatis, ad eas sedandas opus fuit eidem Alexandro generale Concilium, cui ipse pariter interesset, Mantuæ celebrandum indicere. Quod enim qui erant ex parte aduersa, vidissent damnatum Cadaloum in Synodo, Alexandrum vero receptum; nouas in ipsum Alexandrum struunt calumnias, nempe ipsum collata pecu- C
nia thronum Apostolicum conscendisse, quibus vulgatis, agebant illud, vt aliquos abriperent ab Alexandro, alios mutuo inter se digladiantes, dum alij defenderent, impugnarent alij, constituerent. hac arte agentes, vt magis magisq. suas partes schismatici roborarent, nondum priori conflata in Alexandrum inuidia ob electionem suam absque Regis participatione, restincta. Ad quæ tanta auertenda mala remedium illud vnum inuentum, vt collecto Mantuæ generali Concilio, illic Alexander tanta se calumnia perpurgaret. Delectus ad Synodum locus ille opportunus existimatus, non solum ijs, qui in Longobardia erant Episcopis, sed etiam trans Alpes positis conuocatis.

CONCILIVM GENERALE MANTVANVM INDICITVR.

Quod in primis ad tempus spectat, hoc ipso anno idem Mantuæ congregatum fuisse Concilium, apud Hermannum satis expressum habes, dum sub huius anni latercu- D
lo Mantuæ ponitur congregatum esse Concilium: sed & apud Lambertum id ea ratione consequi poteris, dum hoc anno legationem Annonis Colonien sis Archiepiscopi ponit, quem inde constat ad Mantuanum Concilium perrexisse: vt merito dicendum sit, tunc Mantuanum Concilium esse collectum, cum legatio Colonien sis Romam missa cognoscitur.

DE LEGATIONE ANNONIS ET CONCILII TEMPORE.

De his autem antequam agamus, quæ Synodum præcesserint, quidve ad eam decernendam legationem Regem impulerit, insinuandum. Romani siquidem cum fauerent Henrico, in ipsius gratiam electionem potius Cadaloi amplexabantur, de quibus non sine stomacho scripsit Petrus Damiani in epistola ad Hildebrandum & Stephanum S. R. E. Cardinales, quæ incipit: Querelam omnipo- b
tenti Deo & vobis &c.] in qua hæc habet in fine: Romani quippe nolunt Alexan- E
drum, sed Aerarium, hunc scilicet, quem Apostolus reprobat, non eum qui per Apostolorum, Apostolicorumq. Pontificum tramitem currat. Nolunt, inquam, Alexandrum Euangelicum, ecclesiasticæ mensæ proponentem, sed sordentis auaritiæ potius æra librantem. Petri respuunt successorem, & alumnum Simonis amplectuntur, pro venalitate spiritus pecunias offerentem] Quid insuper? Godefredum Tusciæ Marchionem Beatricis virum, de quo multa superius, quem vidimus astitisse pro Alexandro, liberasseq. eum ab illo priori incursu Cadaloi in Vrbem facto, iam communicasse cum nefando Cadaloo, constans erat assertio omnium, adeo vt eo deficiente ab Alexandro, omnes reliquos Italiæ Principes ipsum fore sequuturos, magnopere timeretur. cum Petrus Damiani ad eum has reprehensorias valde litteras dedit:

QVAE CONCILIVM PRAECESSERINT.

b 1.Tim.4.

PETRVS REDARGVIT GODEFREDVM.

Domino Godefredo excellentissimo Duci & Marchioni Petrus peccator monachus, zeli feruentis obsequium.

Noua

Universidad de Deusto
Biblioteca

Noua sane & inaudita de vobis apud nos fama percrebuit, quæ nobis non parui A
mœroris molestiam intulit, viscera tremefacta concussit, os nostrum a solita gloriæ
vestræ laude compescuit, & tabefactum cor velut acutissimo doloris intimi pugione
transfodit: Vos scilicet communicasse cum Cadaloo, quem vt liquido nostis, iam-
dudum vniuersalis Ecclesia tamquam lethale virus euomuit, & vt reuera putridum
membrum de proprijs visceribus amputauit, in gehennalis barathri profunda de-
mersit, & quasi stercus hominum intra latrinæ cuniculos obrutum, ne naribus ho-
minum de cetero fœteat spiramen, obstruxit. Huic itaque tali viro vestram commu-
nicasse prudentiam, fossores in agro, mercatores in foro, milites vociferantur in pu-
blico. Heu proh dolor! vir eminentissime, vbi tunc erant vberes illi lacrymarum
riui, quos velut torrentem de feruentissima tui pectoris charitate consueueras profun-
dere, & sancti Spiritus amore succensus non cessabas madefacta fletibus ora rigare? B
Huccine redacti sunt tot eleemosynarum fructus, quibus vtique per continuum Qua-
dragesimalis ieiunij cursum liberalis pijssimæ clementiæ tuæ charitas non modo indi-
gentium recreauit inopiam, sed etiam ad nostri Redemptoris exemplum & pedes la-
a Agg. 1. uit, & oscula defigere non erubuit? Vnde timendum vobis est, quod per Aggæum [a]
de illo viro dicitur, qui habuit pecuniam, & misit eam in sacculum pertusum. In-
pertusum quippe sacculum quidquid per oris aditum mittitur, per eruptionis exitum
necesse est elabatur. Et quid prodest si primo per constipationem pecuniæ crumena
turgescat, & per iacturam incuriæ vacua facta mox folleat?

Et quidem aduersus Antichristum hunc viriliter dimicasti; eiusq. conatibus sacri-
legis atque peruersis cum sereniissima atque clarissima vxore tua frequentius obsti-
tisti. Nunc autem nescio quis sanctæ religionis vestræ constantiam ab hac intentione C
compescuit, tantumq. sanctitatis honestæ vigorem pestifera suggerendo molliuit, &
b Prou. 18. quasi cœptum opus obruere persuasit. Vnde & Salomon ait: [b] Qui mollis & dissolutus
est in opere suo, frater est sua opera dissipantis. quia videlicet, qui cœpta bona districte
non exequitur, dissolutione negligentiæ manū destruentis imitatur. Dic mihi vir ma-
gnifice, si quis honestis ac pudicissimis thalamis tuis inferre moliretur iniuriam: quis
necessarius tuus, quis domesticus auderet illi familiaritate coniungi? quis illorum
præsumeret in amicitiæ fœdere copulari? Si ergo homo cum aduersario domini sui
concordiæ fœdus inire non audet: quo pacto sublimitas tua illi communicare non
timuit, qui sponsam Christi, sanctam scilicet Ecclesiam, quasi per obscœni lenocinij
stuprum violare præsumpsit? Dei quippe hostis esse conuincitur, qui eius inimico in
c 4. Reg. 3. amicitia sociatur. Hinc itaque [c] Ioram Rex Israel vir vtique funestus & impius cum D
Elisæū consuleret, dicens: Quare congregauit dominus tres Reges hos, vt traderet eos
in manu Moab? Respondit Elisæus: Viuit Dominus exercituum, in cuius conspectu
sto, quod si non vultum Iosaphat Regis Iudæ erubescerem, nec attendissem quidem
d 2. Paral. 19. ad te, nec respexissem. [d] Hincq. eidem Iosaphat, quia auxiliabatur Achab, Iehu filius
Hanani prophetæ, dixisse legitur: Impio præbes auxilium, & his, qui oderunt Domi-
nū amicitia iungeris. Ideo iram Domini merebaris, sed bona opera inuenta sunt in te,
eo quod abstuleris lucos de terra Iudæ, & præparaueris cor tuum, vt requireres Domi-
e 3. Reg. 20. num Deum patrum tuorum. [e] Hinc est quod Achab, quia Benadad Regem Syriæ,
quem bello contriuerat, abire permisit illæsum, ex ore Prophetæ quod dignum erat
audiuit: Quia dimisisti, inquit, virum dignum morte de manu tua, erit anima tua
f 1. Reg. 15. pro anima eius, & populus tuus pro populo eius. Hinc est, quod [f] Saul regnum per- E
didit impie pius in Agag Regem Amalec, in quē sicut dignum fuerat, non vindicauit.

Quod si suam nunc in te Deus omnipotens expostularet iniuriam, hanc tibi appo-
neret dignam redargutione querelam: Ego te, inquiens, præ cunctis regni tui Prin-
cipibus extuli: Ego per cunctos Romani finies Imperij insignem atque conspicuum
feci: Ego te in peregrinæ terræ partibus multo plures quam de paterno iure succes-
uas diuitias contuli, nullumq. te præter regalis Imperij principatum non dicam præ-
cedere, sed nec æquiparare permisi. Quod si hæc pauca sunt, adde quod acuti cor-
dis ingenium, & facundiam ad loquendum, & vires ad bellandum tradidi, ac rigi-
da multorum hostium pedibus tuis colla substraui. Ego tibi hæc omnia cum multis
aliarum virtutum dotibus contuli. Et tu aduersarium meum, a me proiectum, a
membris meis prorsus abscissum, communi sacerdotum meorum sententia condem-
natum

A natum in communionem susc ipere decreuisti? Si hæc, inquam, tibi Deus per semet-
ipsum, vir insignis, opponeret, quid excusationis obtenderet, quod tergiuersationis
aufugium prudentiæ tuæ subtilitas inueniret? Hæc & his similia tibi possent obijci,
vir insignis atque sublimis, attende reatus admissi piaculum, dignæ pœnitentiæ flети-
bus ablue, lethalis amicitiæ fœdus abrumpe. Te deliquisse palam omnibus confite-
re, & in gratiam Sedis Apostolicæ, cuius nobilis & præclarus es filius, sub celeritate
reuertere; quatenus cum quod a membris diaboli laudabatur, exploseris, & ipse per la-
menta pœnitentiæ sponte corrigeris, simul cum Rege Dauid non modo veniam a
Deo, sed & gratiam consequaris. Parcat ori meo sublimitas tua, vir magnifice, ac
non aduersum se, sed pro se locutum esse conijciat, & quod a me dictum est, non li-
uoris vel odij fomitem, sed medicinalis curæ potius existima vstionem] hactenus
B Petrus ad Godefredum, nec quidem frustra: nam toris iste nisibus procurauit vt fieret
Synodus generalis, cui & suam ciuitatem Mantuam præparauit.

Cuius quidem celebrandæ causa laborauit idem Petrus Ostiensis Episcopus, qui zelo PETRI DAM. ZELVS PRO ECCL.
exæstuabat præ ceteris ob Ecclesiam Dei: quam videns iam facibus schismaticorū ab-
sumi, mutuaq. Catholicorum lancinari discordia, nullumq. posse sufficiens ab ali-
quo remedium adhiberi, sed posse ista omnia regia potentia cohiberi: sacerdotali con-
stantia, dicendi libertate pollente, ad ipsum Regem litteras dedit, & quidem ipsas
comminatorias, vrgens eum collabenti Ecclesiæ subuenire, & vires schismaticorum
infringere. quas ipsas ex Cassinensi bibliotheca acceptas diligentia Constantini Caie-
tani monachi, cui hoc nomine plurimum debemus, hic tibi describimus, sic se habent:

Domno Henrico præcellentissimo Regi Petrus peccator monachus seruitutem.

C Subditi quique timent Regem; Rex necesse est metuat Conditorem. Sed cum Scri-
ptura dicat: [a] Cui plus committitur, plus exigetur ab eo; etiam in hoc expedit, Regem a Luc. 12.
propensius formidare, quod illi, quem cordis occulta non fallunt, cogitur rationem
reddere de pluribus. Cum igitur Rex in iudicio discutiat hominem, Deus Regem:
dignumne est, vt puluis timeat puluerem, & idem puluis in Rege diuinam despiciat
maiestatem? In diebus tuis, o Rex, obortum est tale periculum, quod omnium pene
transcendit nequitias sæculorum. Apostolica nimirum Sedes per hæresiarcham
Parmensis ecclesiæ scinditur, religio Christiana confunditur, Apostolorum labor
euertitur, & vniuersalis splendor Ecclesiæ per tenebrosi vnius hominis schismatici con-
cupiscentiam obscuratur. Quid ad hæc dices, qui ecclesiasticæ defensionis officio
fungeris? qui in paterni vel auiti sceptra iure succedis?

D An plane forte robur ætatis adhuc tibi deesse conquereris? sed ecce [b] Ioas Rex Iuda b Reg. 12.
tener adhuc de sarto tecto templi cum sacerdotibus disputat, eosq. collatam a popu- PETRI DAM. EPISTOLA AD HENRICVM REG. COMMI-NATORIA.
lo vetat retinere pecuniam, sed totam artificibus in operam iudicat exhibendam. Da-
uid [c] vixdum adolescentiæ limen egrediens, aduersus Goliath non cum gladio, sed c 1. Reg. 17.
cum lapillis quasi puerilitèr dimicat; sed & caput tamquam vir fortis ictu pugionis d 4. Reg. 22.
obtruncat. Adolescentulus adhuc [d] Iosias omnia vasa Baal de templo Domini cum
sacerdotibus proijcit, & in conualle Cedron, flamma vorante, succendit. Illi igitur
honorabant templum, quo sanguis brutorum animalium fundebatur: tu non succur-
ris Ecclesiæ, in qua pro salute mundi Christi corpus offertur? Nam vt ad Gentilium
quoque recurramus historiam: Annibal ille, qui Carthaginensium dux factus est,
cum adhuc nouem esset annorum, Amilcari patri iurauit ad aras, quia cum primi-
E tus posset, aduersus Romanos acriter dimicaret. Imbelles pueri bella iam spirant
pro terrenæ vnius ciuitatis honore: & tute non excitas ad procinctum, pro tuenda
vniuersalis Ecclesiæ libertate?

Quidam præterea Consiliarij tui videlicet, aulici ministerij dispensatores (vt fœda
per populum vulgatur infamia) de persecutione Romanæ gratulantur Ecclesiæ, vtri-
que scilicet parti fauentes, blandeq. canentes, vt modo venerabilis Papæ fautores se,
per assentationis lenocinium asserant, modo primogenito satanæ falsi successus læta
promittant. Quod tamen de quibusdam sanctis viris, qui tuis consueuere interesse
consilijs, nefas est credi.

Plane quisquis sanctam molitur diuidere Ecclesiam; timendum sibi est, ne secun-
dum Euangelicam sententiam & ipse diuidatur: Veniet, inquit, [e] dominus serui il- e Luc. 12.
lius in die qua non sperat & hora qua nescit, & diuidet eum, partemq. eius cum infi-
delibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

delibus ponet. Porro de Phaleg [a] filio Heber scriptum est, quia in diebus eius diuisa est terra: de te quoque cauendum est ne dicatur, quia in diebus tuis diuisa est Ecclesia. Scribantur Annales, texatur historia quæ dicat, quia Nerua clementissimus Imperator pacificauit Ecclesiam, Constantinus confirmauit, Theodosius exaltauit, & cum peruentum fuerit ad te, glorioſumne tibi erit, si dicatur: Henricus diuisit? Absit hoc a te, vt hanc legat historiam posteritas ventura de te. Noli ergo esse Phaleg, qui coniuncta diuidas, sed esto Christi discipulus, qui diuisa coniungas. Ii vero qui ad diuisionem Apostolicæ Sedis diabolico succenduntur instinctu, Dathan, [b] & Abiron atque Core ad memoriam reuocent, & ex eorum perditionibus colligant, qui finis etiam se qui non dissimilia sectantur, expectet. Illi sane schisma fecerunt synagogæ, isti diuisionem machinantur Ecclesiæ. Quamobrem sicut illos viuentes terra deglutijt; sic isti per schismaticæ nequitiæ meritum prudenter & scientes merguntur in tartarum. Nec glorientur, qui manifeste Romanæ Ecclesiæ schisma non faciunt, sed tamen annuendo, vel negligendo scindentibus non resistunt: quia non solum ille qui dixit: [c] In cælum ascendam, super astra cæli exaltabo solium meum; sed & omnes fautores eius repente sunt e cælo proiecti. ita non modo Core, sed & complices eius ducenti videlicet quinquaginta viri cælestis ignis sunt incendio deuorati. Vnde cauendum est, ne malitia subditorum redundet in Regem, etsi non delinquentem, non tamen pro viribus prohibentem. nam Gregoriana sententia est: Facti culpam habet, qui quod potest, negligit emendare.

Cauendum est, inquam, o Rex, ne dum tu pateris diuidi sacerdotium: tuum quoque (quod absit) diuidatur Imperium. Nam sicut sacra testatur historia, mox vt [d] Saul apprehendit summitatem pallij Samuelis, & scidit; protinus illi Samuel: Sic, inquit, scidit Dominus regnum Israel a te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te. Porro autem sicut pallium illud vestis erat Samuelis; sic & sancta Ecclesia vestis est vtique Redemptoris, cui per Prophetam dicitur: [e] Confessionem & decorem induisti. Confessionem quippe Dominus induit, cum sibi peccatores associat pœnitendo sanatos: decorem vero, cum sibimet clementer agglutinat innocentes nitore iustitiæ speciosos. pallium igitur Samuelis Saul abrupit, & regnum perdidit: Christi scinditur vestimentum, & licet non scindentis, tamen scindere permittentis stabit Imperium? Inconsutilem vestem IESV miles gentilis metuit scindere: & Christiani non verentur Ecclesiam per errorem schismaticorum separare? Cum ergo vestis Christi sancta dicatur Ecclesia, scissio vestis minatur diuisionem regiæ potestatis. Hinc est forte quod vrbes, oppida, siue prouinciæ huius regni ab externis quotidie cernimus nationibus vsurpari. Balthasar [f] nempe, quia vasa Domini fœdanda labijs Gentilium protulit, mox ex ore Danielis audiuit: Diuisum est regnum tuum, & datum est Medis & Persis. Heli sacerdotij dignitate detruditur, dum non intentat filijs verbera, sed blanditias: vtcumque tamen corripuit illos, sed lenitate patris, non austeritate pontificis, atque idcireo ceruicibus effractis occubuit, quia peccantibus vehementer indulsit. Achias [g] propheta pallium suum in duodecim partes scidit, & dixit ad Ieroboam: Tolle tibi decem scissuras: hæc enim dicit Dominus Deus Israel: Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus. Diuisio ergo vestis scissuram regalis significat ditionis. Quod quia nequaquam Dominus in die Salomonis impleuit, sed in populos eius hæc sententia viguit: de te quoque pium est credere, quod tibi, quia innocens es, regnum integrum permanebit, post te vero subiectorum tuorum meritis, nisi forte se corrigant, transferetur, & concedetur exteros.

Sicut enim per Danielem dicitur: [h] Dominatur Excelsus super regnum hominum, & cuicumque voluerit, dat illud. Nam & Assyriorum regnum, & Lacedæmonum, aliarumq. gentium per definita temporũ spacia se tenuerunt, nec diutius præfixæ diuturnitatis terminum, sicut eorum testantur Annales, excedere potuerunt. Hinc etiam Italico regno aliquando dominati sunt Græci, aliquando Galli, plerumque Latini. Tu quæso, glorioſe Rex, a prauis Consiliarijs, tamquam a venenatis serpentium sibilis aures obtura: in virile te robur per ardorem spiritus excita, collapsæ matri tuæ Romanæ Ecclesiæ manum porrige, & tamquam Archangelus [i] Raphael a Sara filia Raguel dæmonium, a quo viduatur, expelle, vt sicut Octauianus Augustus in hoc gloriatur elogio:

[a] Gen. 10.
[b] Num. 16.
[c] Isa. 14.
[d] 1. Reg. 15.
[e] Psal. 103.
[f] Dan. 5.
[g] 3. Reg. 11.
[h] Dan. 4.
[i] Tob. 11.

elogio: Vrbem, inquiens, lateritiam inueni, relinquo marmoream; sic & tu multo glorioſius, multoq. nobilius dicere valeas: Romanam Ecclesiam iacentem quidem puer inueni, sed antequam plene pubescerem, auctore Deo, in statum pristinum reuocaui, vt de te quoque sicut de illo celebri quandoque per populum deuotione diuocaui, vt de te quoque sicut de illo celebri quandoque per populum deuotione dicatur: Vtinam aut non nasceretur, aut non moreretur. Immo vt de sacris paginis adhibeatur exemplum, illud impleatur in te, quod Dauid sibi Deum Israel dixisse commemorat: Sicut lux [a] auroræ, oriente sole mane absque nubibus rutilat, & sicut pluuijs germinat herba de terra &c. vt cum eodem Dauid non immerito valeas & ipse cantare quod sequitur: Cuncta enim salus mea & omnis voluntas, nec est quidquam ex ea quod non germinet.

Vtraque præterea dignitas, & regalis scilicet & sacerdotalis, sicut principaliter in Christo sibimet inuicem singularis sacramenti veritate connectitur, sic in Christiano populo mutuo quodam sibi fœdere copulatur. vtraque videlicet alternæ inuicem vtilitatis est indiga, dum & sacerdotium regni tuitione protegitur, ac regnum sacerdotalis officij sanctitate fulcitur. Rex enim præcingitur gladio, vt hostibus Ecclesiæ munitus occurrat; sacerdos orationum vacat excubijs, vt Regi cum populo Deum placabilem reddat. Ille sub lance iustitiæ negotia debet terrena dirimere: iste fluenta cælestis eloquij debet sitientibus propinare. Ille constitutus est vt nocentes atque scelestos legalium sanctionum censura coerceat: iste ad hoc ordinatus est, vt per claues Ecclesiæ quas accepit, alios zelo canonici vigoris astringat, alios per mansuetudinem ecclesiasticæ pietatis absoluat. Sed audi Paulum [b] de Regibus disputantem, & rectam regalis officij lineam iacientẽ: nam post multa sic ait: Dei enim minister est, tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat: Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit. Si ergo tu es minister Dei, quare non defendis Ecclesiam Dei? Cur armaris, si non prœliaris? cur accingeris, si congredientibus non resistis? Qui sub æstiuo meridiatur vmbraculo, securus poterit . . . . Porro veraciter sine causa gladiũ portas, nisi resistentium Deo colla transfodias, nec vindex es in iram ei, qui malum agit, dum in adulterantes Ecclesiam non consurgis, & cum [c] Simeone & Leui violatum sororis opprobrium a dorso Israel non repellis. Vertatur ergo docta manus ad capulum, & cum Dauid [d] in Amalecitas impetu fulguris irrue, & sicut illos latrunculos subegit, sic tu hostes Ecclesiæ vibrato iustitiæ mucrone transfige.

Sentiat sentiat tæterrimus ille draco, Cadalous scilicet perturbator Ecclesiæ, euersor Apostolicæ disciplinæ, inimicus humanæ salutis; sentiat inquam radix peccati, præco diaboli, apostolus Antichristi. Et quid plura dicam? Sagitta producta de pharetra satanæ, virga Assur, filius Belial, filius perditionis, qui aduersatur & extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, vorago libidinis, naufragium castitatis, Christianitatis opprobrium, ignominia sacerdotum, genimen viperarum, fœtor orbis, spurcitia sæculi, dedecus vniuersitatis (attexantur adhuc epitheta Cadaloi, catalogus videlicet nominis tenebrosi) serpens lubricus, coluber tortuosus, stercus hominum, latrina criminum, sentina vitiorum, abominatio cæli, proiectio paradisi, pabulum tartari, stipula ignis æterni. sentiat iste motum regiæ maiestatis, & terrenum metuat Principem, qui audacter prouocat in bella cælestem. Et quia dixit insipiens in corde suo: [e] Non est Deus: experiatur inesse regio pectori Christianæ Fidei pietatem, pro diuinæ militiæ castris non enerviter confligentem.

Regnum ergo tuum arma corripiat, vt cum Melchisedech & sacerdotium, * sacerdotium ores, vt auitum Dauid exaltetur imperium. Nam ad hoc pro te vniuersalis orat Ecclesia, & vt labor tuus & quietem pariat, & orationibus illius gloria tibi triumphalis accrescat; sicut & Moyses [f] orabat, eoq. simul orante, vincebat: si vero remitteret manus Moyses, superabat protinus Amalec. Hinc & Apostolus ait: [g] Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus & omnibus qui in sublimitate sunt cõstituti. Quare hoc audi quod sequitur: Vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate.

Porro quia splendidæ memoriæ pater tuus magnificus Imperator sublimiter exaltauit Ecclesiam; tu quoque sicut eius heres Imperij, sic etiam in ecclesiasticæ cautionis iura succede. Igitur in ecclesiastici status incolumitate seruanda clarissima soboles paternis respondeat institutis, vt ab arbore sua non degeneret ramus in fructu, quam

CADALOVS OMNIVM NEQVISSIMVS DESCRIBITVR.

[a] 2. Reg. 23.
[b] Rom. 13.
[c] Gen. 49.
[d] 1. Reg. 30.
[e] Psal. 52.
* Locus corruptus
[f] Exod. 17.
[g] 1. Tim. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

per traducem virtutis & gratiæ decus exornat: sed sicut olim per illum, nunc amodo A
per te & collapsa resurgat Ecclesia, & ecclesiastica quæ confusa est, refloreat disciplina. Durius forte locutus sum Regi, præsertim cum Salomon dicat: a In cogitatione tua Regi ne detrahas, & in secreto cubilis tui ne maledixeris diuiti, quia auis cæli portabit vocem tuam, & qui habet pennas, annuntiabit sententiam. Et reuera qui peculatus crimen incurrit, in *diacoposin cogitur reficere quod tulit. Sed tunc honor Regi deferendus est, cum Rex obtemperat Conditori; alioquin cum Rex diuinis resultat imperijs, ipse quoque iure contemnitur a subiectis. Si quis enim proprijs studet, non Dei Rex esse conuincitur, qui in die pugnæ non stat pro castris Ecclesiæ; & sic proprijs vtilitatibus specialiter metuit, vt ruinæ periclitantis Ecclesiæ non succurrat.

a Eccl. 10.

*f. τετραπλοῦν id est quadruplum.

Sed & cum per Isaiam Dominus dicat: b Venite & arguite me: cur homo ab homine despiciat argui, quem constat eadem mortalitatis lege constringi? & cum lege forensi cautum sit, vt qui in peremptores parentum non vlciscitur, in ius hereditariæ B
successionis nullatenus admittatur: ego qui in homicidam matris meæ, Romanæ scilicet Ecclesiæ vlciscinequeo; vltores saltem impellere non tentabo? Deputa ergo me o Rex fideliter consulentem, non procaciter obloquentem: vel si placet, præ dolore matris peremptæ insanum, non aduersus excellentiam regiæ maiestatis insolenter elatum. sed o vtinam ego ante tribunal tuum adiudicer reus perduellionis, dum tu tamen in aduersarios Apostolicæ Sedis vindices arbiter æquitatis! in ceruicis meæ iugulum securis vibrata desæuiat; tantùmodo vt Romana Ecclesia propriæ dignitatis apicem per te reparata conscendat. Porro si Cadaloum cito, velut alter Constantinus Arrium, destruis, & Ecclesiæ pro qua Christus mortuus est, pacem reformare con- C
tendis: faciat te Deus in proximo de regno Imperiale fastigium scandere, & a cunctis hostibus tuis insignes gloriæ titulos reportare: alioquin si adhuc dissimulas, si mundi periclitantis errorem cum possis abolere, detrectas (& reliqua) cohibeo spiritum, & consequentia, relinquo Lectoribus intellectum. Amen.] hæc Petrus sacerdotalis vigore constantiæ; nec quidem frustra. Emeriti enim senis toto orbe nota sanctitas, laudata ab omnibus dicendi libertas, non ad indignationem mouit animum Regis, sed conciliauit sibi potius reuerentiam, atque elicuit obedientiam; adeo vt Regem ipsum cum Consiliarijs suis excitauerit ad consulendum quam citissime Ecclesiæ Romanæ; iam factione schismaticorum periclitanti.

b Isai. 1.

LEGATIO ANNONIS ARCHIEP. COLON. AD PAP.

Quid igitur? Decernitur legatio Romam ad Alexandrum Pontificem, deligitur ad tantum opus, qui sapientia ceteris atque auctoritate præstaret Anno Archiepiscopus Colonien- D
sis, cuius illud in primis opera ageretur, vt iura Regis in eligendo Romano Pontifice integra seruarentur: sic demum congregato ex Germaniæ atque Italiæ Episcopis generali Concilio, causa schismatis cognosci deberet, & condemnato eo qui esset tantorum malorum auctor atque defensor, optata diu pax Ecclesiæ redderetur, dum qui esset ab omnibus colendus Romanæ Ecclesiæ Pontifex, perspicue ab omnibus nosceretur. De his in hæc verba Lambertus hoc anno: Causabantur Romani principes, quod Rex eis inconsultis Romanæ Ecclesiæ Pontificem constituisset, *nempe schismaticum Cadaloum*, & ob eam iniuriam defectionem meditari videbantur. Propter quod placuit Colonien- E
sem Archiepiscopum Romam mitti. Qui veniens eo, cum aliud turbatis rebus inuenire non posset remedium; iudicauit ordinationem, *Cadaloi videlicet*, quæ inscio Senatu Romano facta fuisset, irritam fore; & sic amoto Parmensi Episcopo per electionem eorum Anselmũ Lucensem Episcopum pro eo ordinari constituit] immo iam diu ante ordinatum ab omnibus recipi] hæc summa rerum hoc anno gestarum.

In Gestis Romanorum Pontificum, quæ Nicolaus Aragonius S.R.E. Cardinalis collegit, hæc de legatione Colonien- F
sis Archiepiscopi Romam habentur: Præterea quia Colonien- sis Archiepiscopo bonum sibi agere videbatur, si pro concordia Romanæ Ecclesiæ & Imperij studium atque laborem assumeret: depositis Teutonici regni negotijs, Longobardiam intrauit, & per Tusciam transiens ad Vrbem Romanam festinanter accessit. Vbi benigne exceptus, Alexandrum Papam mansuete ac modeste ita est allocutus: Qua ratione frater Alexander absque mandato & assensu domini mei Regis recepisti Papatum? a longis namque temporibus a Regibus hoc absque dubio est obtentum. & incipiens a Patricijs Romanorum & Imperatoribus, nominauit eos; per

A per quorum mandatum & assensum plurimi Romanorum Pontifices in Sedem Apostolicam habuerunt ingressum. Archidiaconus Hildebrandus cum Episcopis Cardinalibus eidem Colonien- si sic responderunt:

Firmissime tene, & nullatenus dubites, quod in electione Romanorum Pontificum iuxta sanctorum Patrum canonicas sanctiones, Regibus penitus nihil est concessum, siue permissum: & deductis in medium pluribus sanctorum Patrum decretis, & præcipue illo Nicolai capitulo, in quo centum & tredecim Episcopi subscripserunt: post multas & varias altercationes, ita irreuocabiliter & sufficienter eidem Colonien- si satisfecerunt, quod ex tunc rationabiliter resistendi non habuit occasionem. quibus verbis expletis, dominum Papam Colonien- sis rogauit, vt pro hac parte dignaretur in partibus Lombardiæ Synodum celebrare, & electionis suæ factum ostendere, & ra- B
tionabiliter demonstrare. quod licet inconsuetum, & a Romani Pontificis dignitate videretur alienum: considerata tamen instantis temporis malitia, petitioni eius assensum præbuit, & apud Mantuam Synodum conuocauit] reliqua inferius suo loco. Indicta igitur Synodo Mantuæ, Alexander Papa voluit omnino eidem esse præsentem Petrum Damiani in eremo tunc temporis quiescentem, quem suis accersiuit litteris, vt Romam se conferret, inde postea simul profecturi ad Synodum essent.

Rursus autem alias tunc temporis Hildebrandus Archidiaconus dedit ad Petrum litteras, quibus expostularet, quod ab eodem Petro olim ad Colonien- sem Archiepiscopum scriptæ fuissent litteræ, quibus nonnihil ipse Pontifex Romanus perstringeretur: occasione enim aduentus eiusdem Archiepiscopi Romam eiusmodi de Petri ad eum litteris sparsa erant. His acceptis Petrus, suæ bene conscius innocentiæ, rem gra- C
uissime tulit, adeo vt non sine stomacho ad ipsos Pontificem scilicet atque Archidiaconum scripserit, purgans se etiam iuramento: sed hoc haud satis sibi visum, nisi missarum litterarum ad eos exemplar fidelissime sumptum mitteret. Ipsæ autem ad Alexandrum Papam & Hildebrandum Archidiaconum a Petro hoc tempore, antequam Mantuam ad Concilium irent, datæ litteræ sic se habent, sumptæ ex citato a nobis superius codice basilicæ sancti Petri:

Patri & filio, Papæ, & Archidiacono Petrus peccator monachus seruitutem.

AD ALEXANDRVM PAP. ET HILDEBRANDVM ARCHIDIAC. PETRI EPISTOLA.

Epistolam, de qua me insugillastis, ad vos mitto vt videatis, & quid in ea aduersus vos egerim, liquido comprobetis. Quod si aliam in illas partes epistolam misi, vel in hac ipsa aliquid vsque ad vnam litteram, me sciente, auctum est vel imminutum, aut alio modo transmutatum, & non ad vos simpliciter est missa, sicut tunc domino D
Colonien- si pontifici est directa: a Naaman Syri me lepra persundat, vel b Barie- su cæcitas oculos meæ frontis obducat. Iesvm testor & sanctos Angelos eius, quia in hac ego satisfactione non mentior. Si pro hac itaque epistola mori debeo: tendo ceruicem, imprimite pugionem] his pro sua defensione locutus, ad eum, quem horum omnium auctorem esse queritur Hildebrandum Archidiaconum, stylum aculeatum valde conuertens hæc ait: De cetero sanctum satanam *nempe aduersarium* meum humiliter obsecro, vt non aduersum me tantopere sæuiat: nec eius veneranda superbia tam longis me verberibus atterat: sed iamiam circa seruum suum miteſcat. Liuentes quippe scapulæ iam deficiunt, & sulcata tot plagis, totq. terga vibicibus tumescentia non subsistunt. Vnde vir sapiens c flagelli, inquit, plaga liuorem facit, plaga autem lin- c Eccl. 28.
E guæ comminuet ossa. Age igitur, tempus est enim, vt & ego iam. sed adhuc spiritum reprimo, labijs digitum superpono, & licet seram tamen adhuc misericordiam quæro] hæc de Hildebrando, quem (vt superius dictum est) ob eam causam Petrus passum se esse aduersarium queritur sæpe, quod ipsi semper obstiterit, ne vacationẽ ab Episcopatu a Pontificibus sæpe petitam vllo pacto plene potuerit obtinere. pergit vero:

Quod autem me ad vos Romam venire, & vobiscum ire Mantuam præcepistis; vtriusque mihi labor itineris valde difficilis visus est, & meæ senectuti nimium grauis. Vnde Romam venire, quod vobis minus prodesset, omisi: expeditionem vero Mantuani itineris magis vobis necessariam iudicaui. Sed in destinando mihi sanctæ vestræ legationis oraculo, satis vterque inter vos inæqualiter diuisistis: nimirum vt vnus mihi videatur paterni fauoris affabilitate blanditus, alter hostilibus virgis terribiliter comminatus. Vnus vestrum me tamquam sol coruscatione feruidi splendoris irradiat; alter vero furens Eurus violentis impetus sui flabris exufflat. Vnde illud ad mentem redit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

APOLOGVS FACETVS.

redit, quod refertur in fabulis. Dicitur enim quia dum quidam indutus chlamyde A
viator incederet, Sol & Eurus eum quasi materiam sibi proposuere certaminis, quis
videlicet e duobus ei chlamydē facilius potuisset auferre. hoc itaque inter eos fœdere
constituto, vt eum qui victor existeret, virens laurea coronaret. Cœpit Eurus violen-
ter infremere, nubium volumina commouere: e contra viator chlamydē stringere, se-
seq. ne vestem perderet, vndique constipare. Cumq. discipulus Aeoli casso labore de-
ficeret, seseq. cœptum posse perficere funditus desperaret: ilico sol aurea cœpit ora
detegere, micantibus terram feruoribus illustrare. Mox viator cum iam æstibus ni-
mij feruoris aresceret, vberq. sudor humefactis visceribus ebulliret, proiecit chlamy-
dem, vt nimij caumatis temperaret ardorem. Ille ergo condicti certaminis meruit
palmam, qui leniter egit, non qui vincere furendo & violentiam irrogando tentauit.
4 3. Reg. 12. Sed vt e Scripturis sacris honestius proferatur exemplum: si Roboam 4 senum consi- B
lijs acquiescens, mitia respondisset, totum Israel sui iuris imperio subdidisset; sed quia
coæuorum suorum superbiæ credidit: diuisis a se decem tribubus, sublimem regni po-
* Monoceros, siue Vnicornis tentiam humilem fecit. * Rhinoceros etiam, qui rabida persequentium canum ora ce-
lerrima pernicitate contemnit, capi se gremio blandæ virginis non paueſcit] ira Pe-
trus salibus apologorum sugillat Hildebrandi seueritatem, cui resistat; commendat
autem clementiam Alexandri, cui pareat, ad iter se Mantuanum accingendo.

Sed cum iam se, vt sibi videbatur, abdicasset ab Episcopatu, atque in eremum con-
tulisset: cur quæ essent Episcopi exigerentur ab eo, eleganti similitudine expostulat,
subdens: Sed qui cuncta quæ vestra sunt, reddidi: cur adhuc persecutionem patior?
Naturarum docti perhibent rimatores (nescio vtrum astipulentur etiam venatores)
quia castor dum in natiuo perpendat ingenio, se non ob aliud insectari nisi pro testi- C
culis, vt medicinali seruentur industriæ, præcidendis: ad stipitis truncum repente pro-
currit, seseq. violenter impingens, testiculos proijcit: mox igitur longius prouolans
versus ad venatorem in duobus se pedibus erigit, nec se habere iam pro quo quæratur,
ostendit. Numquid ergo durior satisfactio quæritur hominis, quam exigatur ab ani-
malibus brutis? Sed ne modum excedat epistolare compendium: ad hæc expostulan-
da vestrum in nostras partes præstolamur aduentum] hucusque Petrus, iam profe-
cturus Mantuam ad Concilium. Nunc quæ sunt reliqua ad idem spectantia, hinc inde
collecta, suo ordine prosequamur.

HISPANI EPISC. VENIVNT MANTVAM AD CONCILIVM. Venerunt quoque Mantuam ad indictum Concilium Episcopi ab Hispania tres pro
reliquis legatione fungentes. fuerunt hi, Manio Calaguritanus, Eximius Aucensis, & D
Fortunius Alanensis, deferentes libros Gothicos Ritualis ipsi Alexandro Pontifici ac
vniuerso Concilio, a quibus cogniti inuenti sunt Orthodoxi. hæc ex antiquioribus re-
rum Hispanarum historicis Ioannes Mariana.

Si ipsa tanti Concilij extarent Acta, nobis plane non adeo laborandum esset, vt
summo cum labore hincinde fragmenta venaremur. deperditis autem illis, quæ illic
gesta esse a diuersis summa breuitate enarrantur, hic describamus. In eadem in primis
Collectione Nicolai Aragonij ista leguntur: Statuto itaque termino exiens Alexan-
der Papa ab Vrbe cum Episcopis & Cardinalibus, ad præfixum locum prospere, Do-
mino auxiliante, peruenit. Ibi autem omnes Episcopi Lombardiæ cum suis eccleſia-
rum Præsulibus præter Cadaloum Parmensem, quem idem Colonensis adesse præ-
ceperat, qui remordente conscientia, se absentauerat, pariter conuenerunt. E
Cum in Synodo eadē cum Episcopis Alexander resideret, causam electionis suæ ita
* discrete rationibus manifestis comprobauit, atque se de omnibus, quæ sibi ab æmu-
lis malitiose obiecta fuerant, excusauit sufficienter, adeo quod Episcopos Lombardiæ,
qui sibi fuerant aduersati, benevolos reddiderit & subiectos. Sedato itaque per Dei gra-
tiam Imperij, & Ecclesiæ scandalo, post solutionem Synodi Alexander Papa Romam,
ac ceteri ad propria hilares redierūt] hæc ibi nimia breuitatis angustia circumscripta.
Addit autem Sigebertus, Alexandrum Pontificem a crimine simoniæ, quo imputa-
tus fuerat, se purgasse, adhibito iuramento. Ceterum Otto Frisingensis cum agit de
eiusmodi legatione Romam missa ab Henrico Rege, nihil habet de accusatione cri-
minis simoniæ, quo postulatum referunt Alexandrum, sed ipsum Regem eius deli-
cti reum constitutum affirmat, atque ea de causa eiusdem Pontificis litteris Romam
vocatum. his enim verbis perpaucis eius legationis res gestas perstringit: Missis, in-

quit,

A quit, a Rege, Annone Colonensi & Hermanno Bambergensi pro iustitia, iuribus scili- SVMMA TO-
cet regni Romam Episcopis, peracta legatione reuertentes, litteras summi Pontifi- TIVS LEGA-
cis reportantes, Regem ad satisfactionem pro simonia, alijsq. multis, quæ ei obiecta TIONIS.
fuerant, inuitantes] hæc Otto. quæ autem ista secuta fuerint, ignorantur. Porro in
dicto Concilio omnium sententia Cadaloum damnatum, omnes affirmant. at de ipso
Concilio hactenus.

Ceterum eumdem impium Cadaloum, iam duobus in Concilijs condemnatum, CADALOVS
nec sic quieuisse, Scriptores eius temporis tradunt, sed armasse militem, aggressum RVRSVS RVRSVS
Vrbem, inde a Sede Petri Alexandrum exturbare conatum, Lambertus asserit, sed cum IN ROM. EC-
contumelioſe pulsum atque victum affirmat. Hæc est posterior aggressio illa, quæ in CLESIAM.
veteribus Gestis Romanorum Pontificum a Nicolao Aragonensi collectis ita describi-
B tur: Sed collecta iterato pecunia, vix elapso spacio vnius anni, Cadalous ad Vrbem
remeare occulte nihilominus attentauit, ibiq. Capitaneorum fauore, & aliorum ma-
lignantium auxilio audaciam sumpsit, & pecuniam perfidis Romanis militibus ero-
gans, de nocte Leoninam ciuitatem intrauit, & beati Petri ecclesiam in opprobrium
& confusionem suam occupare præsumpsit. Mane autem facto cum in Vrbe Roma
rumores huiusmodi personarent, & populus Romanus ad ecclesiam beati Petri con-
flueret: milites qui cum Cadaloo venerant, tantus repente tremor & timor inuasit,
quod eo penitus derelicto vniuersi fugerent, & in cryptis & abditis locis se occulta-
rent. Tunc Cencius Præfecti filius, vir nequam & pessimus eidem Cadaloo astitit,
cum in castellum sancti Angeli recipiens, iuramentum ipsi & defensionem præstitit.
In quo loco per duos annos a fidelibus Papæ Alexandri obsessus, & calamitatibus
C multis afflictus, exinde egredi non potuit, donec ab eodem Cencio trecentis libris ar-
genti se redemit, sic itaque vno consocio, & vno cliente contentus inops & egens in-
ter oratores discedens occulte, in montem Bardonis, ac tandem ad Burgum Barreti
non sine multa confusione peruenit], hæc ibi. Agit de ijsdem Leo Ostiensis, sed iun-
gens primam inuasionem Cadaloi cum posteriori, easdem non, vt par erat, distin-
guit ab inuicem. ait enim: Sed Deo fauente, licet Romanorum plurimi illi gratia Re-
gis adhæserint, castrumq. illi sancti Angeli ad Vrbis expugnationem tradiderint, cum
semel ac secundo maguis instructus copijs aduenisset, pecuniamq. immensam profli-
gasset, magna strage suorum non minus quam ceterorum facta: postremo clam egres-
sus castrum ipsum, turpiter cum paucis aufugit, neque vltra huc redijt] hæc Leo.

Hoc illud tempus fuit, quo Alexander Papa scripsit epistolam illam, quam ex anti-
D quis membranis primus in lucē edidit Papirius Massonus in Alexandro, sicq. se habet:

Alexander Episcopus seruus seruorum Dei charissimo confratri Vuillelmo Rhe- ALEX. PAPAE
mensi Archiepiscopo salutem & Apostolicam benedictionem. EPISTOLA AD
RHEMINSEM
Visis fraternitatis tuæ litteris, euidenter intelleximus, eam matri suæ sanctæ Ro- ARCHIEPISC.
manæ Ecclesiæ sinceram compassionem exhibere, ipsamq. si facultas daretur, præ-
sentia corporis velle visitare. Et quia sollicitudinem tuam eiusdem prosperitate læ-
tari, quemadmodum de infortunio contristari non dubitamus: annuntiamus tibi,
diuina suffragante clementia, Cadaloi præsumptionem extollentem se aduersus Apo-
stolicam Sedem, tanto amplius ad maiorem sui ignominiam deuenisse; quanto ipse
sperauerat altioris superbiæ culmen ascendisse. Siquidem proprij nominis etymo-
logiam euidenter intelligens, ad reparandam pecuniam in periculum capitis sui a fau-
E toribus suis distributam, cuiusdam turris præsidio gemebundus seruatur. Vnde per
misericordiam Dei speramus nullo modo posse euadere, donec quidquid contra
sanctum Petrum nequitia sua præsumpsit, satisfecerit. digna eius damnatione est.
Quod igitur simoniacæ hæreseos pestem, quæ in partibus illis vires adhuc obtinet
eius dolo, velle insequi significasti: non parum deuotionis tuæ studio congaudemus,
in quo nimirum adeo specialem dilectionem a nobis & a filijs sanctæ Romanæ Eccle-
siæ promeruisti, vt a nonnullis te odio habentibus, odium quoque nobis euidentibus
indicijs exhiberi declaretur. Super Aurelianensem denique, qui simoniace Episco-
patum obtinuisse, & inde periurium tribus alijs sibi adhibitis, incurrisse probatur:
sententiam dare Archiepiscopum Senonensem, litteris nostris admonuimus, quem
nimirum vt cum ipso conuenias, & negotium illud pariter agas, Apostolica aucto-
ritate hortamur. Abbatem quoque sancti Medardi iam pridem excommunicationis

Universidad de Deusto
Biblioteca

vinculo innodatum, omnibus modis operam dare ſtudeas, vt de Abbatia, quam iniuſte retinet, eijciatur, & alter digne & canonice ſubſtituatur. Cetera vero, quæ in litteris tuis continentur ad præſens diſtulimus, præſertim cum in præſentia tui, quam deſideramus videre, id melius fieri exiſtimamus: non enim panis ſecuri, neque arbor cultro ſuccidi ſolet. De cauſa autem Amelrici iterum & iterum te admonemus, vt quod in apertis litteris noſtris continetur, omni ſtudio, omniq. ſollicitudine peragas] hucuſque Alexander ad Rhemenſem Archiepiſcopum.

HVGO CARDINALIS RECIPITVR AB ALEXANDRO.

Receptum his diebus ab Alexandro Hugonem cognomento Candidum Cardinalem veniam petentem, eo quod ſtetiſſet a partibus Cadaloi, eadem citata nuper Acta ſignificant: ſed de illo primum iſta: Eodem tempore Hugo Candidus, quem Leo Papa Cardinalem creauerat, vir quidem ſeditioſus & duplex, a Romanæ Eccleſiæ vnitate receſſit. De cuius reprehenſibili vita & morum peruerſitate tacendum potius duximus, quam loquendum] hæc tempore Stephani. & ſub Alexandro hæc de ipſo: Præterea iam dictus Hugo Candidus poſt multas calamitates, quas ſub Cadaloo Antipapa ſuſtinuit, a domno Alexandro Papa veniam ſuppliciter poſtulauit, & condigna ſatisfactione præſtita impetrauit] his vero ſubijcit mox iſta: Idem quoque Cadalous poſt paucos dies ex diuino iudicio peſſimam mortem incurrit] hæc de his tantum ibi.

OBITVS CADALOI.

At in codice Vaticano, qui inſcribitur liber Cenſuum, de eodem Cadaloo dum agitur, in fine de ipſo habetur, quod tandem recedens a ſchiſmate, ab Alexandro per nuntios petierit vt abſolueretur, quod promiſſa ſatisfactione impetrauit; ſed poſt dies paucos malam mortem incurrerit. quomodo autem, non dicitur. Verumtamen ſcriptor temporis huius Lambertus affirmat, quod Cadalous dum vixit, ſe gerere pro Pontifice, & quæ ſunt Pontificis, exercere non prætermiſit. nam de ipſo iſta habentur hoc anno: Alter vero, nempe Cadalous, etſi per contumeliam repulſus: tamen quoad vixit, ab iure ſuo non cedebat, huic ſemper derogans, hunc adulterum Eccleſiæ Dei, hunc pſeudoapoſtolum appellans. Miſſas quoque ſeorſum celebrans, ordinationes facere, & ſua per eccleſias decreta & epiſtolas more Sedis Apoſtolicæ deſtinare nō deſiſtebat] ſeq. ipſum Honorium II. eius nominis nuncupabat. hæc autem, quæ ſpectant ad obitum Cadaloi, ad ſequentem potius annum, vel poſtea referenda noſcuntur, a nobis autem hic recitata, quod certus, quo id contigerit, annus nobis ſit incompertus.

DE HENRICO ARCHIEP. RAVENNATE.

Fauiſſe tamen eidem Cadaloo animo obſtinato Henricum Rauennatem Archiepiſcopum, eiuſdem Alexandri Papæ ſcripta ſignificant, eumdemq. ab eodem Pontifice ea ex cauſa vna cum ipſo Cadaloo excommunicatum fuiſſe. Qui, tantum abeſt vt reſipuerit, & abſolutionem quæſierit, vt potius animo peruerſo & obſtinato excommunicationem contemnens, excommunicaret ipſe alios. in quem idem Pontifex ad Valerianum Epiſcopum ita reſcripſit: Audiuimus quod Henricus Rauennas dictus Archiepiſcopus viſus ſit te excommunicare: verum quia excommunicatus excommunicare non potuit, Apoſtolica auctoritate te, tuoſq. abſoluendo, mandamus numquam curare] hæc apud Gratianum & alios collectores.

a audiuimus, 24. q. 1.

Poſt hæc autem Epiſcopi Hiſpani Legati, qui Mantuano Concilio interfuerunt, reuerſuri in Hiſpanias, duxerunt ſecum ab Alexandro Papa decretum Legatum a latere Hugonem Cardinalem, cuius auctoritate Barcinone Concilium congregatum eſt, in quo leges Gothicas, quibus Catalauni vtebantur, penitus idem Legatus Apoſtolicus abrogauit, nouaſq. ſanxit, quibus hactenus populus vtitur. Vt autem & Gothici ritus adhiberi in ſacris ſoliti abrogarentur, ab illis obtinere non potuit, nec cogere voluit, cum ijdem in Concilio Mantuano cogniti fuiſſent eſſe Catholici. Porro vna cum legatione Hugonis is, qui miſerat eam Alexander Papa, receptus eſt in Hiſpania germanus Romanæ Eccleſiæ Pontifex, Cadalous autem communibus omnium votis anathemate condemnatus. ac ita vbique terrarum.

CELEBRIS PEREGRINATIO HIEROSOLYM.

Hoc eodem anno celebris inſtituta eſt peregrinatio Hieroſolymam ſeptem millium virorum & amplius, vt tradit Marianus Scotus, primoreſq. horum duces fuiſſe Germanicos Antiſtites Sigefridum Archiepiſcopum Moguntinum, Vuillelmum Traiectenſem, Guntherum Bambergenſem, atque Ottonem Ratiſponenſem Epiſcopos, eoſdemq. profectos autumnali tempore; ſed hoc eorum imprudentiæ vitio datum, quod circumſpecte nimis ornati barbaros ad prædam allicerent, adeo vt confligendum ſæpe cum illis in Palæſtina fuerit, quæ certamina Lambertus exacte deſcribit,

narratq.

narratq. eos in maxima adductos fuiſſe diſcrimina, & præter ſpem liberatos diuino auxilio. At vero ex numero ſeptem millium & amplius virorum vix bis mille ſuperſtites remanſiſſe, qui ad propria ſunt reuerſi, Marianus Scotus teſtatur. Vnus ex ijs Ingulfus nomine, Anglus natione, patria Londonienſis, ſcriba Vuillelmi Comitis Northmannorum, poſtea Regis Anglorū in commentario hiſtoriæ, quam ſcripſit monaſterij ſui Croylandēſis, cui poſtea præfuit, hæc habet, ſummatim de his obiter agens:

Nuntiatur per vniuerſam Northmanniam, plurimos Archiepiſcopos Imperij cum nonnullis alijs terræ Principibus velle pro merito animarum ſuarum, more peregrinorum, cum debita deuotione Hieroſolymam proficiſci. De familia ergo domini noſtri plurimi tam milites, quam clerici, quorum primus & præcipuus ego eram, cum licentia domini Comitis noſtri & benuolentia in dictum iter nos omnes accinximus, & Alemanniam petentes equites triginta numero & amplius domino Moguntino coniuncti ſumus. Parati namque omnes ad viam, & cum dominis Epiſcopis connumerati ſeptem millia pertranſeuntes proſpere multa terrarum ſpacia, tandem Conſtantinopolim peruenimus. Vbi † Alexim Imperatorem eius adorātes, hagioſophiam vidimus, & infinita ſanctuaria oſculati ſumus. Diuertentes inde per Lyciam, in manus Arabicorum latronum incidimus, euiſcerat iq. de infinitis pecunijs cum mortibus multorum, & maximo vitæ noſtræ periculo vix euadentes: tandem deſideratiſſimam ciuitatem Hieroſolymorum læto intuitu tenebamus. Ab ipſo tunc Patriarcha Sophronio nomine, viro veneranda canitie honeſtiſſimo ac ſanctiſſimo, grandi cymbalorum ſonitu, & luminarium immenſo fulgore ſuſcepti ſumus. Ibi quot preces inorauimus, quot lacrymas effeuimus, quot ſuſpiria ſuſpirauimus, ſolus eius inhabitator nouit Dominus noſter IESVS Chriſtus.

† *Ducam) pro Duca imperitus librarius Alexim poſuit, putans non conuenire simul Ducæ & Imperatorem, neſciens Ducam eſſe cognomentum huius illius. At Alexius longe poſt hæc tempora vixit.*

Ab ipſo itaque glorioſiſſimo Sepulchro Chriſti ad alia Sanctuaria ciuitatis inuiſenda circumducti, infinitam ſummam ſanctarum eccleſiarum, & Oratoriorum, quæ Achim Soldanus dudum deſtruxerat oculis lacrymoſis vidimus. & omnibus ruinis ſanctiſſimæ ciuitatis, tam extra, quam intra numeroſis lacrymis compaſſi, ad quorumdam reſtaurationem datis non paucis pecunijs, * exire in patriam, & ſacratiſſimo Iordane tingi, vniuerſaq. Chriſti veſtigia oſculari deſideratiſſima deuotione ſuſpirabamus. Sed Arabum latrunculi, qui omnem viam obſeruabant, longius a ciuitate euagari ſua rabioſa multitudine innumera non ſinebant. Vere igitur accedente, ſtolus nauium Ianuenſium in portu Ioppenſi applicuit. In quibus cum ſua mercimonia Chriſtiani mercatores per ciuitates maritimas commutaſſent, & ſancta loca ſimiliter adoraſſent, aſcendentes omnes, mari nos commiſimus, & iactati fluctibus procelliſq. innumeris, tandem Brunduſium appulimus, & proſpero itinere per Apuliam Romā petentes, ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli Limina, & copioſa ſanctorum Martyrum monumenta per omnes nationes oſculati ſumus. Inde Archiepiſcopi ceteriq. Principes per dexteram Alamanniæ repetentes, nos verſus Franciam ad ſiniſtram declinantes, cum inenarrabilibus gratijs & oſculis ab inuicem diſceſſimus. & tandem de triginta equitibus, qui de Northmannia pingues exiuimus, vix viginti pauperes peregrini & omnes pedites macie multa attenuati reuerſi ſumus] hactenus Ingulfus, quæ recitaſſe non pœnituit ad inſinuandum, quo ſtatu tunc Hieroſolymorum ciuitas eſſet cum eccleſijs circumquaque diſiectis. Præſtat modo audire, in quam magnum diſcrimen adducti fuerint omnes antequam peruenerint Hieroſolymam, & quomodo præter ſpem fuerint diuinitus liberati. Lambertus eius temporis Scriptor rem geſtam narrans antiquioribus admirandis Dei operibus haud imparem, ſic recenſet:

* *al. redire*

IN QVANTA DISCRIMINA PROLAPSE CHRISTIANE PEREGRINI.

Interea prædicti Epiſcopi Hieroſolymam pergentes, dum magnitudinem opum ſuarum gentibus, per quas iter habebant, inconſultius oſtentarent: vltimum ſibi periculum conſciuerunt, niſi rem humana temeritate prolapſam diuina miſericordia reſtituiſſet. Nam barbaros, qui ex vrbibus & agris ad ſpectandos tam illuſtres viros cateruatim profluebant: primo peregrini cultus ac magnifici apparatus ingens miraculum, deinde vt fit non minor prædæ ſpes ac deſiderium cepit. Itaque cum tranſita Lycia, in fines Sarracenorum introiiſſent, & iam in ciuitate, cui Ramulo nomen eſt, vna vel paulo plus manſione abeſſent, proxima paraſceue ante Paſcha, circa tertiam diei horam incurſionem paſſi ſunt ab Arabicis. qui comperto tam inſignium virorum aduentu, vndique ad ſpolia diripienda frequentes armatiq. confluxerant.

Plerique

Universidad de Deusto
Biblioteca

Plerique Christianorum religiosum putantes manu sibi auxilium ferre, & salutem A
suam, quam peregre proficiscentes Deo deuouerant, armis corporalibus tueri, prima
statim congressione prostrati, vulneribus multis confecti, omnibus quæ habebant a
filo subtegminis vsque ad corrigiã caligæ expoliati sunt. Inter quos Vuillelmus quo-
que Traiectẽsis Episcopus brachio pene plagis debilitato, nudus ac semiuiuus relictus
est, ceteri Christiani iactu lapidum (quod genus teli forte locus ipse affatim minis-
trabat) non tam periculum propulsabant, quam mortem, quæ præsens vrgebat, differ-
re conabantur. pedem etiam paulatim subtrahendo ad villam declinabant, quæ ab
ipso itinere spacio mediocri distabat. Capharnaum hanc fuisse, ex similitudine vo-
cabuli conijciebant.

Quam vt ingressi sunt, Episcopi omnes atrium quoddam occupant humili septum
maceria, & tam fragili, vt etiam si nulla vis adhiberetur, sola vetustate facile corrue- B
ret. In cuius medio domus erat, cœnaculum habens satis editum, & ad repugnan-
dum quasi ex industria præparatum. Huius superiora Episcopus Moguntinus cum
clericis suis & Bambergensis, inferiora ceteri Episcopi sibi vendicant. Laici omnes ad
arcendam vim hostium, & maceriam defendendam impigre discurrunt, & primam
quidem certaminis procellam lapidum iactu, vt prædictum est, sustinuere. Deinde
cum barbari magnam telorum nubem in castra coniecissent, & ipsi plerumque im-
pressione in eos facta, clypeos & gladios e manibus eorum vi extorsissent: non solum
iam maceriam tueri sufficiunt, sed portis etiam interdum erumpere, & pugnam co-
minus lacessere audent. Quorum impetum dum Arabes nullo iam loco, nulla acie
sustinere possent: consilium randẽ a tumultuaria congressione ad obsidionem vertunt,
& inedia atque lassitudine conficere aggrediuntur, quos ferro expugnare non poterãt. C
Itaque multitudine qua superabundabant, cõglobatis scilicet circiter duodecim milli-
bus, partiuntur, vt alij alijs vicissim ad oppugnationis studium succedẽtes, nullam illis
vel paululũ respirandi copiam facerent, suspicantes quod propter inopiam rerum om-
nium, quibus vita humana sustentari solet, dimicandi laborẽ non diu toleraturi forent.

Ita Christiani toto parasceue, toto sabbato sancto vsque ad tertiam fere horam
Paschalis diei sine intermissione oppugnabantur, nec eis hostilis improbitas vel
modicum temporis punctum, quo saltem somni perceptione corpora recrearent,
indulgebat. nam & cibum & potum, mortem præ oculis habentes, non desidera-
bant, nec si magnopere desideraretur, quid sumerent, omnium inopes habebant.
Cum autem die tertio labore & inedia exhausti ad extremum peruenissent, & fortia
plerumque conatos virtus ieiunio infracta frustraretur: quidam ex numero presby- D
terorum exclamauit: Non recte eos agere, qui in armis suis plusquam in Deo spei
ac roboris ponerent, & calamitatem, quam eo permittente, incidissent, proprijs vi-
ribus propulsare conarentur. Propterea placere sibi, vt se dederent, præsertim cum
triduana iam abstinentia militaribus rebus eos inutiles prorsus reddidisset. Non esse
Deo difficile, vt deditis eis, & ab hoste sub iugum missis misericordiam præstaret, qui
suos toties etiam in vltima necessitate conclusos mirabiliter liberasset. Vt hoc quo-
que inferret, barbaros nequaquam propter ipsos occidendos tanto molimine grassa-
ri, sed vt pecunias eorum auferrent, quibus si potiti fuissent, liberos eos deinceps in-
tactosq. sine vi sine molestia abire passuros.

Placuit consilium omnibus, statimq. ab armis ad prèces versi, per interpretem, vt E
in deditionem acciperentur, orabant. quo comperto Dux Arabum citato equo in pri-
mos aduolat, & ceteros quidem longius submouet, cauens ne temere admissa multi-
tudine præda confuse distraheretur. Ipse decem & septem honoratissimos gentis suæ
secum assumens, castra ingressus est patentia, relicto ad portas, præsidij causa, filio
suo, ne quis forte prædæ auidus post se non vocatus irrumperet. Cumq. admotis sca-
lis cœnaculum, vbi Moguntinus & Bambergensis Episcopi latitabant, cum paucis
ascendisset, Bambergensis Episcopus, cui, licet iunior ætate esset, tamen propter vir-
tutum prærogatiuam, & totius corporis admirandam dignitatem præcipuus a cun-
ctis honor deferebatur, rogare eum cœpit, vt omnibus quæ haberent, vsque ad nouissi-
mum quadrantẽ sublatis, nudos se abire sineret. Ille & victoria elatus, & propter inge-
nitam morum barbariem, accepta quoque tot cõgressionibus clade nimium efferatus
ait, se aduersus eos iam triduo non sine grandi damno exercitus sui ea mente bellum
gessisse,

A gessisse, vt suis conditionibus erga victos vteretur, non quas ipsi constituissent. Ne-
ergo falsa spe eluderentur, se omnibus quæ haberent sublatis, carnes eorum comestu-
rum & sanguinem bibiturum. Nec moratus, linteum, quo caput more gentis ob-
uoluerat, expediens, facto vinculo in collum Episcopi coniecit. Episcopus vt erat li-
beralis verecundiæ, & maturæ admodum grauitatis, ignominiam non ferens, tanto
nisu pugnum ei dedit in faciem, vt vno ictu consternatum ad pauimentum vsque præ-
cipitem daret, vociferans insuper, prius eum pœnas pro impietate daturum, quod
impuras manus in sacerdotem Christi profanus & idololatra mittere præsumpsisset]
Cur vero ad hæc permotus fuerit Bambergensis, Marianus Scotus ista amplius addit
de barbarorum Duce: Qui cum vidissent Episcopos glorioſos cum multis militibus &
dorsalia pendentia, extendit corrigiam circa collum Bambergensis Episcopi Gunthe-
B ri, considerans magnitudinem & pulchritudinem eius ait: Tu & omnia ista mea erunt.
Episcopus vero per interpretem ait: Quid mihi facies? & ille dixit: Istum pulchrum
sanguinem gutturis tui sugam, & suspendam te sicut canem ante castellum. Tunc
Episcopus comprehenso capite eius strauit Ducem in terram, atque omnes alij ligati
sunt] hæc ipse. pergit vero Lambertus.

Irruunt protinus alij clerici & laici, & tam huic quam ceteris, qui cœnaculum
ascenderant, adeo arctis nexibus manus a tergo constringunt, vt sanguis plerisque
rupta cute per vngues proflueret. Perlato audacis facti indicio ad eos, qui in inferiori
parte domus consistebant: ipsi quoque his, qui apud se erant Arabũ principibus idem
faciunt. Deinde laici omnes sublato in altum clamore, vocatoq. in auxilium sibi om- AVDAX TEN-
nium rerum opifice Deo, rursum arma capessunt, maceriam occupant, præsidium TATVR FACI-
C quod circa portas erat, conferta manu fundunt fugantque, & sic alacres, sic innoua- NVS.
tis inopino successu viribus vbique rem peragunt, vt nihil lassitudinis, nihil incõmo-
di ex triduana eis inedia & labore accessisse putares. Alacritatem tantam repente ex
trepidis rebus & vltima desperatione coortam nimium admirati Arabes, nec aliam
nouitatis huius causam suspicati, quam quod de principibus suis sumptum fuisset sup-
plicium: infestissimis animis in pugnam ruunt, & facto grege per arma, per viros in
castra perrumpere parant. Et acta res foret, nisi mature orto consilio Christiani vin-
ctos eo loco principes statuerent, vbi atrocissima vis hostium & creberrimus telorum
imber incumbebat, appositio super capita eorum spiculatore, qui districtum in mani-
bus gladium tenens clamitabat per interpretem: Nisi ab oppugnatione quiescerent,
non armis se aduersum eos, sed principum capitibus dimicaturos. Tum ipsi princi-
D pes, quos præter vinculorum acerbitatem imminens quoque gladius ceruicibus ve-
hementer angebat, cum magno eiulatu suos obtestabantur, vt moderatius agerent, ne
obstinate hostibus certamen inferentes, eos ad supplicium necemq. suam, cum incisa
spes esset veniæ, inflammarent. Patris periculo attonitus filius Ducis Arabum, quẽ ad
portã atrij a patre causa præsidij relictum supra memorati, citato gradu in confertissi-
mos suorum cuneos se dedit, & furentis exercitus impetum voce & manu increpitans
retinuit, & tela in hostes iacere prohibuit, quæ non hostes, vt ipsi putabant, sed prin-
cipes sui proprijs pectoribus excepturi forent. Per hanc occasionem paululum ab ar-
mis & incursionibus, vacatione data, nuntius venit in castra ad Christianos, missus
ab his qui in parasceue omnibus amissis, nudi & saucij vsque Ramulo pertenderant.
Is amaritudine & metu confectis mentibus magnum attulit refrigerium, indicans
E ducem prædictæ ciuitatis licet Paganum, diuino tamen, vt putabatur, instinctu ani-
matum cum ingentibus copijs ad ipsos liberandos aduenire.

Nec latere potuit Arabitas aduenientium hostium fama, statimq. omnes auersis ab
aliorum oppugnatione ad seipsos saluandos cogitationibus, præcipiti fuga, quo quẽ-
que spes euadendi vocabat, dilabuntur. In ea trepidatione dum alij ad alia curanda
discurrerent, vnus victorũ euasit, opera vsus Sarraceni cuiusdam quem ducem itine- LIBERANTVR
ris Christiani habebant, tanto omnium dolore, tanto gemitu, vt ab eo cuius indulgen- PAGANIS
tia dimissus fuerat, vix manus inhiberent. Non multo post dux ipse (vt nuntiatum CHRISTIANI.
fuerat) cum exercitu aduenit, pacificeq. in atrium a Christianis susceptus est: suspen-
sis tamen omnibus inter spem & metum, ne forte non sublata calamitas, sed hostis
tantum mutatus esset, & propter nouitatem rei difficile credentibus, quod satanas
satanam ejcere, hoc est Paganus Paganum ab infestatione Christianorum cohibere
vellet.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vellet. Primo omnium vinctos sibi præsentari iussit, quos cum aspexisset, & quæ facta A
fuerant ordine audisset: maximas Christianis gratias egit pro magnifice gestis rebus, & expugnatis reipublicæ acerrimis hostibus qui regnum Babylonicum, iam per multos annos assiduis populationibus infestassent, & magnas plerumque aduersum se instructas acies, commisso certamine obtriuissent. Traditos eos custodibus Regi Babyloniorum viuos seruari iussit. Ipse accepta a Christianis quanta conuenerat pecunia, secum eos Ramulo perduxit, inde adhibito eis expeditorum iuuenum præsidio, ne qua denuo latronum incursione periclitarentur, vsque Hierosolymam eos perduci iussit &c.] de reditu iam texit historiam reliquam. contigerunt ista de liberatione obsessorum Christianorum feria tertia post Pascha. Porro quingentos tantum Byzantios aureos persolutos Duci liberatori, Marianus affirmat.

TERRAEMOTVS CONSTANTINOPOLI.

Quod item ad res pertinet Orientis, hoc eodem anno Indictione secunda maximo B
omnium terræmotu, qui vmquam fuissent, vexatas Thraciam & Bithyniam, Constantinopoliq. prostrata templa, Nicæaq. templum item Sophiæ ingens corruisse, veterumq. Regum monumenta collapsa, tradit Curopalates tantam cladem pluribus prosecutus, qui hoc anno cœptum vigesimatertia mensis Augusti, perseuerasse vsque ad annos duos affirmat.

IESV CHRISTI ANNVS 1065. ALEXANDRI II. PAP. ANNVS 5. VACAT. IMP. OCCID. 9. CONST. DVCAE IMP. 6.

ADVERSVS NICOLAITAS INSTAVRATVR CERTAMEN.

SEQVITVR annus Redemptoris millesimus sexagesimusquintus Indictione ter- C
tia, quo damnato omnium consensu in Synodo Mantuana schismatico Papa, reuersis ad propria, vt vidisti, cunctis Episcopis, Petrus Damiani Episcopus Ostiensis S. R. E. Cardinalis ad eremum vnde venerat, rediens, aduersus eos qui remanserant Ecclesiæ corruptores stylum exerit; quem semper aduersus eiusmodi pestiferos homines exacuerat, Nicolaitas, scilicet turpes Ecclesiæ clericos, qui tantum abest, vt errorem corrigerent, vt potius obstinate defenderent. De his namque in epistola ad Cunipertum Taurinensem Episcopũ inter alia in Laudensis ecclesiæ clericos ista: Sed cur ego ad coacernandos canones vltra progredior, quandoquidem hos ignorare ipsi etiam nequeunt, qui tumida aduersus eos ceruice confligunt? Aliquando cum me Laudensis ecclesiæ tauri pingues armata conspiratione vallarent, ac furioso strepitu vituli multi tumultuantes infrenderent, tamquam ructum fellis in os meum euome- D
rent, dicentes: Habemus auctoritatem Triburiensis (si tamen ego nomen teneo) Concilij, quod promotis ad ecclesiasticum ordinem ineundi coniugij tribuat facultatem? Quibus ego respondi: Concilium, inquam, vestrum quodcumque vultis nomen obtineat, sed a me non recipitur, si decretis Romanorum Pontificum non concordat. Aucupantur enim quædam quasi canonum adulterina sarmenta, eisq. præbent auctoritatem, vt authenticam canonum valeant euacuare virtutem] Ceterum adsciticiũ & omnino spurium Concilij Triburiensis nomine citatum canonem esse, non dubitamus. Siquidem quod extat Triburiense Conciliũ tempore Arnulphi Imp. celebratum; tantum abest vt concedat connubium sacris ministris altaris clericis, vt [a] grauissimis pœnis afficiat sanctimoniales coniugium expetentes. nec putandum in aliqua alia Synodo Triburiensi aliquid contra priorem temere esse decretum, nisi forte ab ijsdem E
ipsis eiusdem hæresis sectatoribus aliquid, vt moris est hæreticorum, fuerit innouatũ. Sed & quis dubitat eiusmodi hæreticos in suam defensionem ea cuncta penitus adduxisse, quæ Græci ex appositis canonibus Apostolorum, & spurijs additamentis ad Sextam Synodum excogitarunt? Nam accipe, quæ in suam defensionem Nicolaitæ, vt isti modo, tunc inducebant: sic enim Petrus Damiani in epistola ad Petrum Archipresbyterum:

a Concil. Tribur. cap. 23. QVAE DEFENSORES CONVBII CLERICORVM HAERETICI.

Sed dicunt: Nonne dicit Apostolus: [b] Propter fornicationem vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque virum suum habeat? Vir vxori debitum reddat, & vxor viro. Ecce, inquiunt, hæc Apostolica verba generalia sunt, & dum vnicuique nubendi licentiam tribuunt, nos excipere non videntur. Ad quod ego: Si per hæc verba coniugalis incontinentiæ passim fræna laxantur, Episcopis etiam siue monachis in-

b 1. Cor. 7. QVOMODO ABVSI SINT VERBIS APOSTOLI.

super

A super & Abbatibus libertas eadem non negetur, & quoniam vterque sexus non diuersa lege constringitur, etiam sacræ virgines ad ineunda coniugalis copulæ fœdera prouocentur. Et quæ aures attentæ ecclesiasticis doctrinis hoc æquanimiter ferant, & non protinus expauescentes immane sacrilegium perhorrescant?] Ita Petrus ab absurdo, auditu horrendo, dictu nefando, cogitatu pauendo concussus horrore succidens potius quam soluens id satis ad confutationem esse putauit. Cum tamen Apostoli verba, sicut ab Apostolicis viris, sanctis Patribus orthodoxis germano sunt sensu interpretata, ab ipsisq. defensoribus ecclesiastici cælibatus aduersus hæreticos, vt sancto Hieronymo in Iouinianum, pertractata, alium sensum recipiant, non autem qui ab hæreticis est allatus; cum alioqui traditio ipsa, ab omnibus vbique & semper in Ecclesia Catholica consummata, ipsa sit optima Apostolicarum legum interpres. sed de his sa-
B tis suo loco superius.

PETRI DAM. LABORES IN NICOLAITAS.

Petrus igitur strenuus Ecclesiæ Catholicæ agonista, cum vidisset crimen ob defensionem ipsius iam apud nonnullos in hæresim pertransisse: festinus occurrit, multiplici scriptione eiusmodi errorem, simulq. errantes exagitans, atque primum, vt vidimus, ad Nicolaum Romanum Pontificem aduersus hos scripsit; inde vero ad dictum Cunipertum Taurinensem Episcopum eodem argumento prolixiores litteras dedit, quarum est exordium: Hæc est vera charitatis & amicitiæ regula &c.] redarguit enim ipsum, quod cum castissimus esset, tamen non corriperet clericos sibi subditos fornicarios. quam scriptam constat post Cadaloum in Synodo condemnatum, vt in fine ipsius idem ipse eius auctor affirmat. Post hæc vero scripsit ad Adelaidem duorum regnorum Reginam, vt quod minus per Episcopos impleretur, per ipsam
C sancta Ecclesia consequi posset. incipit epistola: Quidquid de castitatis iniuria, quam eadem Regina virtutum a clericis patitur, venerabili Taurinensi Episcopo scripsi &c.] paulo post vero: Ille tamen, Cunipertus scilicet, vnius ecclesiæ cathedram tenet; in dimone vero tua, quæ in duorum regnorum Italiæ videlicet & Burgundiæ porrigitur non breui confinio, plures episcopantur Antistites. Ideoq. non indignum videbatur, vt tibi potissimum de clericorum incontinentia scriberemi; cui videlicet ad corrigendum, idoneam sentio non deesse virtutem, præsertim (quod ad laudem Dei dixerim) cum virile robur in pectore regnet femineo, & ditior sis bona voluntate, quam terrena potestate. Vnde quia iuxta poetæ Gentilis eloquium: opus est huic tutore, quem defensorem paro: hortor & peto, vt tu domino iungaris Episcopo Taurinensi, quatenus mutuæ virtutis fulti munimine furentis in Christum luxuriæ valeatis aciem debellare
D &c.] ad postremum vero, hocq. existimo anno, aduersus eosdem clericos vxoratos ad Petrum Lateranensem Archipresbyterum, quem sciret aduersus eiusmodi facinorosos clericos zelo legum paternarum æstuantem acerrimum astare vindicem, & fortissimum assistere bellatorem, scripsit in hunc modum:

AD PETRVM ARCHIPRESB. LATERANEN. PETRVS DAM.

Domno Petro Lateranensis canonicæ Archipresbytero Petrus peccator monachus fraternæ glutinum charitatis.

Tantum valet iaculum quanta virtus est bellatoris. Nam quantalibet limetur & exacuatur industria, si brachium vibrantis elangueat, insignis victoriæ manubias non reportat. At vbi bellator est strenuus, per obtusum quoque gladium, cæsis hostibus, aliquando sit triumphus. Nam & Goliath insigni munitus gladio non modo perdidit, sed percussus occubuit. Et [a] Samson cum vili mandibula asini, mille de Philisthijm
E viros occidit. Hinc est, quod cum Iether [b] primogenitus Gedeonis gladium timuisset educere, Zebee & Salmana Reges Madian dixerunt Gedeoni: Tu surge & irrue in nos, quia iuxta ætatem robur est hominis. Itaque qui contra clericorum luxuriam tamquam tudites iaculum fabrico, in nullius eum melius quam in tuis manibus pono. Tanto quippe zelo vidi te semper aduersus eorum perditos mores medulliter inardescere, vt Phinees vel Eliæ iudiceris incendio non egere. adeo vt plus insigillationis tuæ vereantur alloquium, quam ipsum quoque timeant Papale decretum. Nam velut egregius canis aulæ regiæ custos nocturnos fures * vhauhatibus impetis, eosq. ne libidinis suæ facibus palatium regale comburant, mordicus apprehendis. Non enim te latet, quia presbyteris diaconis & subdiaconis tam districte, tam rigide regula castitatis indicitur, vt omni Catholicorum Patrum concurrente iudicio, a contrahendis nuptijs funditus abscindantur. Et certe satis est ratione plenissimum, vt post

a Iud. 15.
b Ibid. 8.
* Iactatibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

Episcopos in his quoque tribus gradibus pudicitiæ candor efflorcat, quo nimirum A
sacris mysterijs familiarius appropinquant. Nam quia Dominicum corpus in virginalis vteri templo coaluit: nunc etiam a ministris suis continentis pudicitiæ munditiam quærit. Plane sicut concipienti Deiparæ virgini non virile semen influxit, sed virtus sancti Spiritus obumbrauit: ita nunc in altari positum sacramentum eadem sancti Spiritus virtus est quæ viuificat, & necesse est, vt hoc pudica manus & impolluta contingat. sed quoniam super hoc themate prolixius iam alibi disputauimus, & primo quidem piæ memoriæ Nicolao Papæ, deinde Taurinensi Episcopo, postremo Comitissæ Adelaidi viritim scribentes diuersa Scripturarum exempla congessimus: ad illa te frater venerande, transmitto, illis te velut armis militaribus induo, atque vt alter Iosue vrbem Iericho subuertere nitaris, imploro, impello.

Supereſt ergo, vt eosdem clericos ipse paulisper aggrediar: quatenus quod in ca- B
mino pectoris feruet, id labij quoque rimis parentibus euaporet. Conuenio vos o
* inscripti prolectarij, vxorij, ac mulierum dominantium ditionibus *inseruiti: Vt quid canonicæ sanctionis iura confunditis, & a sanctis Patribus institutam pudicitiæ ecclesiasticæ regulam violatis? Proh pudor! libidinis vestræ legibus colla submittitis, & promulgata per ora doctorum sancti Spiritus edicta calcatis. Ecce per vos Apostolorum labor euertitur, & ædificium quod doctores Ecclesiæ fundauerunt, liquet quod vobis impugnantibus obruetur. Et ita fit, vt lex Ecclesiæ quam clericalis ordo constituisse dignoscitur, per eumdem rursum ordinem e contrario destruatur &c.] clericalem ordinem appellat ipsam successionem Ecclesiæ ministrorum ab Apostolis dimanãtium. Vbi vero eiusmodi clericos legitima disputatione perurget; eumdem Petrum Archipresbyterum ita compellat: C

Porro autem quia sancti conuentus rector constitutus es, noli dissimulare culpam, sed mox vt emerserit, adhibe disciplinam, vt cum Phinees te zelus ad æterni sacerdotij iura promoueat, non cum Heli sub torpore desidiæ ignobiliter oscitantem vl tio repentina percellat &c.] monet autem vt sic eum zelus impellat, vt tamẽ iracundia non
NICOLAITAE CONIBITI. præcipitet, atque vt ad hæc agenda ieiunio se muniat, & frequẽti sacrosancti sacrificij oblatione corroboret. Ita Petrus Damiani vt alter Ioannes Baptista vox clamantis in deserto, ab eremo calami, vt tubæ Dei, vbique clangore personans, vbique perstrepens, intonans atque resonans, pios excitauit ad pugnam, reprobos timore concutiens, pauore disijciens, vel manus dare & colla subijcere ecclesiasticæ disciplinæ coegit, vel in fugam adegit, atque in abditissima quæque loca impudicitiæ thoros fecit absconde-
re, vt iam non esset qui auderet conscia luce peccare, neque vltra, vt antea peccata D
defendere, & sicut Sodoma prædicare. Sic igitur in suas domos eiusmodi stercora suo putore Ecclesiam corrumpentia & turpitudine conspurcantia immissa sunt verbi Dei verriculo, vbi amplius non visenda maneant in perpetuum igni inextinguibili consumenda.

INCESTVOSORVM HAERESIS. Compescuit idem ipse eodem tempore hæresim Incestuosorum dictam, quæ a quibusdam Iurecõsultis est excitata atque defensa, qui auctoritate Iustiniani Imperatoris eadẽ ratione qua in successionibus numerandos esse dicebant gradus consanguinitatis. a quonam autem error originem duxerit, haud satis exploratum. Porro a Iureconsulto Florentino magnopere defensam esse, testificatione eiusdẽ Petri reperimus. Fuit autem præ ceteris in hoc certamine eidem Petro Damiani plurimum insudandum, quod E
testantur eius scripta eodem argumento elaborata. Siquidem cum adeo increbresceret eiusmodi error, vt ob acerrimos eius defensores transiret in hæresim: compulsus est ipse Petrus aduersus eos commentarium scribere, cuius iste est titulus:

Petri Damiani humilis monachi de parentelæ gradibus] incipit autem: Reuerentissimis in Christo viris Ill. Cæsenati Episcopo & D. D. Archidiacono Rauennati Petrus peccator monachus digni famulatus obsequium] sed quænam ea scribendi necessitas incubuerit, ita ipse præfando significat:

PETRI DAM. IN INCESTVOSOS. Rauennam (vt nostis) nuper adij, quam mox periculosi erroris scrupulo turbatam vacillare cognoui. Erat autem de consanguinitatis gradibus disceptatio plurima, atque eo iam res vsque processerat, vt sapientes ciuitatis in vnum conuenientes, sciscitantibus Florentinorum veredarijs, in commune rescripserint: septimam generationem canonica auctoritate præfixam ita debere intelligi, vt numeratis ex vno generis

latere

A latere quatuor gradibus, atque ex alio tribus, iure iam matrimonium posse contrahi videretur. Ad astruendam quoque præposteræ huius allegationis ineptiam, illud etiam in testimonium deducebant, quod Iustinianus suis interserit Institutis: Sed nec neptem, inquit, fratris vel sororis ducere quis potest, quamuis quarto gradu sit. Ex quibus nimirum verbis inductoria quædam argumenta colligebant, dicentes: Si neptis fratris mei quarto a me iam gradu diuiditur, consequenter etiam filius quinto, nepos item sexto, pronepos autem meus septem ab ea procul elongatus gradibus inuenitur. At quidem ego nudis verbis ista dogmatizantibus restititi; ac prout in expeditione licuerat, emergentem (vt ita fatear) hæresim canonicæ testimonijs auctoritatis attriui. Quo tamen vos minime contenti, dignum esse decreuistis, vt quod ore
B protuleram, apicibus traderem; & ita non paucis, sed omnibus hoc errore nutantibus facili compendio responderem] ita Petrus, qui duodecim capitibus lucubrationem illam absoluit.

Porro aduersus cauſidicum Florentinum disputasse Rauennæ eiusmodi controuersiam, ipse Petrus octauo capite ostendit his verbis: Post illam autem vix euitabilem QVAE IN CAVSIDICVM FLORENTINVM. Iustiniani sententiam, qua videlicet neptis fratris quarto dicitur esse gradu, quidam promptulus, cerebrosus ac dicax, scilicet acer ingenio, mordax eloquio, vehemens argumento, Florentinus puto, verbis me beati Gregorij insolenter vrgebat, quibus nimirum præcepit Anglos, quarta vel quinta generatione debere coniungi] ad postremum autem peroràns, prolixitatem excusans ob necessitatem confutandi serpentem
C errorem, hæc ait: Dixerit me quispiam, verbis liberius euagatum: sed mihi tanti est proximorum meorum salus, vt non otiosum credam multorum lignorum pyram accendere, qua basiliscum licet exiguum, incolumi populo, necesse sit interire. Nec multa aqua inaniter funditur, si scintilla ignis, qua vrbs cremanda fuerat, extinguatur. Vilis plane sagitta pectori bellantis infigitur, sed antequam exeat, multo labore sudatur. Verumtamen qui me lacinioſi operis arguit: perpendat, cum quibus mihi in hac disceptatione negotium, & mox necessitati deputet, quod verbositati hactenus adscribebat. Necessarium quippe duximus ista conscribere, ne cancer, qui in dies per augmenta serpebat: pestilentius adhuc se per Ecclesiæ viscera dilataret. Vos autem sereniſſimi in Christo & venerabiles viri, videlicet qui me hoc opus aggredi præcepistis, tantæ peruersitatis errori cum omni auctoritate resistite; & ne se per corpus Ecclesiæ lethalis lepra diffundat, viriliter obuiate. castitas nempe quædã specialis virtus est, quæ ab ipso mundi primordio in Dei cultoribus viguit, & processu temporis
D paulatim semper excreuit: nunc autem, diuino imminente Iudicio, cum suadendi essent homines huiusmodi carnis voluptates abscindere; vltro etiam procurant incestuosis matrimonijs fœdari.

Aduersus ergo huiusmodi pestes sacerdotalis se auctoritas erigat, & improbæ temeritati disciplinæ vigor obsistat. Non detur cornu peccatori, nulla relinquatur audacia vanitati. Viuat adhuc in Ecclesia ille a Mosaicus serpens, qui incantatorum a Exod. 7.
colubros sorbeat. Viuat inquam spiritualis prudentia, quæ carnalis versutiæ venena consumat: vt quos proprij arbitrij libertas effrænata laxauerat, canonicæ seueritatis censura compescat: & quos tamquam celebris famæ tumor inflauerat, redditæ rationis grauitas premat: quosq. Fidei vnitas congregat, doctrinæ scissura non spargat. Sic sic nimirum nostro studio ad sobrij intellectus concordiam redeant; vt iam humi-
E les facti, vno spiritu se cum ecclesiastica pace componant. quatenus & veternosus coluber desinat praui dogmatis virus effundere, & Ecclesia Christi de cetero integra possit in sui pudoris munditia permanere] hucusque Petrus. qui & quod eodem opere, capite decimo docuisset, in enumerandis gradibus, vnam semper debere abundare personam: cum eidem sententiæ contradicerent plures: de his rationem reddens, postmodum epistolam prolixam scripsit ad quemdam religiosum presbyterum. est eius exordium: Admonet vir sapiens &c.] Ista vero Petri Damiani vetera monimenta reperimus in codice peruetusto operum Petri Damiani ex monasterio sanctæ Mariæ de Angelis postea ordinis Cistercienſis, scripto anno Redemptoris milleſimo centeſimo tertio, iussione vero Papæ Clementis VIII. Romam ad nos misso, cum Constantinus Caietanus monachus Cassinensis apud nos laboraret in colligendis eiusdem Petri Damiani, quæ reperiri possent, scriptorum monimentis, vt eadem simul in lucem daret.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CONCILIA DVO ROM. ADVERSVS INCESTVOSOS.

At vero in immensum erumpens & excrescens flamma, etsi comprimi, haud tamen valuit Petri Damiani scriptis penitus tolli, sed Apostolica opus fuit auctoritate. Adeo enim quorundam Iureconsultorum inualuit defensione, vt magno fuerit ipsi Alexandro Pontifici labore certandum, atque duo Concilia eodem anno ad eum tollendum errorem Romæ pariter congreganda. In quorum priore idem Alexander eiusmodi decretum edidit, quod a Gratiano describitur verbis istis:

a 35. q. 4. cap. ad Sedem Apostolicam, &c. quod autē frater ead. quæst.

Ad Sedem Apostolicam perlata est quæstio nouiter exorta de gradibus consanguinitatis, quam quidam legum & canonum imperiti excitantes, eosdem propinquitatis gradus contra sacros canones & ecclesiasticum morem numerare nituntur; nouo & inaudito errore affirmantes, quod germani fratres vel sorores inter se sint in secunda generatione, filij eorum vel filiæ in quarta, nepotes vel neptes in sexta: taliq. modo progeniem computantes, & in huiusmodi sexto eam gradu terminantes, dicunt, deinceps viros ac mulieres inter se posse nuptialia iura contrahere; & ad huiusmodi profanum errorem confirmandum in argumentum assumunt sæculares leges, quas Iustinianus Imperator promulgauit de successionibus consanguineorum, quibus confisi ostendere moliuntur, fratres in secundo gradu esse numeratos, filios eorum in quarto, nepotes in sexto; sic seriem genealogiæ terminantes, numerationem sanctorum Patrum, & antiquam Ecclesiæ computationem ad nos vsque perductam peruersa quadam calliditate disturbare nitebantur. Nos vero, Deo annuente, in Synodo habita in Lateranensi consistorio, conuocatis ad hoc opus Episcopis & clericis atque iudicibus diuersarum prouinciarum: denique diu ventilatis legibus & sacris canonibus, distincte inuenimus, ob aliam atque aliam causam, alteram legum fieri, alteram canonum computationem. In legibus siquidem ob nihil aliud ipsorum graduum mentio facta est, nisi vt hereditas vel successio ab vna ad alteram personam inter consanguineos deferatur: In canonibus vero ob hoc progenies computatur, vt aperte monstretur vsque ad quotam generationem a consanguineorum sit nuptijs abstinendum &c.] & in fine sic: Taliter igitur determinatis gradibus consanguinitatis, Apostolica vos auctoritate monemus fratres & filij, vt omnibus sic seriem genealogiæ computandam esse intimetis, quemadmodum sancti Patres numerandam esse sanxerunt, & antiquus mos Ecclesiæ per longa tempora olim computasse monstratur. Nam si quis peruersa & obstinata mente a recto tramite Apostolicæ Sedis deuiare voluerit, & aliter quam nos, in nuptijs celebrandis gradus parentelæ numerare contenderit: primū pro sua temeritate cælesti pœna plectetur: postmodum vero gladio perpetui anathematis se nouerit iugulandum. Datum Romæ &c.] hæc in priori eiusdem anni Concilio, quo excommunicationis comminatio facta est, vt habetur apud Gratianum.

b Iuo part. 9. c. 6. 9. 10. 37.

Sed & apud [b] Iuonem Carnotensem Episcopum, qui in fine sæculi huius claruit, recitata reperiuntur alia eiusdem argumenti decreta ab eodem Alexandro Pontifice data ad diuersos, nempe ad Neapolitanos vnū, ad Venetorum Episcopum aliud, aliud insuper ad Episcopum Basileensem, aliud etiam ad Episcopum Aretinum, quibus intelligas fuisse eidem Pontifici in his plurimum laborandum. Cum vero eiusdem Alexandri eiusmodi cōmonitio non sufficeret, opus illi fuit eodem anno celebrare aliud Concilium, in quo eiusmodi incestuosos excommunicatione percelleret: sed (quod doluit Petrus Damiani) id etiam sine fructu. nam arte diaboli conglutinatis animis incestuosorum coniugum, nullo timore æternæ damnationis ab inuicem diuelli potuerunt. testatur id quidem ipse Petrus Damiani, dum de his agit, hæc dicens:

POSTERIVS CONC. ADVERSVS INCESTVOSOS.

e Petr. Dam. de contempt. sæculi c. 29.

CONTEMPTORES EXCOMMVNICATI.

Ecce insuper hoc anno (sicut nostis) per Romanæ Sedis Antistitem bis congregatum est synodale Concilium, vbi denuo omnes incestuosi, iuxta canonum decreta ecclesiastica sunt communicatione priuati. Sed quis ex tot millibus hominū saltem vnum vidit ab infausti fœderis abominatione diuulsum? Immo ne profundiori ipsius calamitatis absorberetur hiatu, quis eorum post hæc ecclesiæ limen terere destitit? aut quis insuper ista considerans ab eorū se familiaritate remouit? In omnes itaque lethalis lepræ contagium serpit; quia nimirum omnes eorum complices Apostolicæ excommunicationis nexus astringit. Enimuero quisquis coniugalis prosapiæ titulis insignitur: quisquis male blandientis formæ suaui venustate mulcetur, præsertim si largioris substantiæ dotibus affluit, vel subcrescentis sobolis indoles spem sibi futuræ posteritatis infundit: consultius iudicat a Deo manifeste recedere, quam adeo lucrosi matrimonij glutinum

tinum disgregare. Si vero his contraria euenerint, atque vxoriæ calamitatis incommoditate percellatur: ipse vir falsæ consanguinitatis lineam texit, & inaudita proauorum nomina per multa argumenta confingit, atque simul quosdam in huius allegationis testimonium aduocat, quos tamen per vitæ terminum sublatos e medio non ignorat. Is itaque sibimet accusator & reus crimen impingit, scelus exaggerat, atque adminiculum, quo ex tam periculoso naufragio enatare possit, inquirit] hæc Petrus. significans, aliud adhuc malum ex his oriri; cum videlicet nonnulli legitime copulati, prætextu fictæ consanguinitatis, solutionem a nexu matrimonij procurarent, quos initi coniugij pœniteret, cum in mala plurima quæ non putauerant, impegissent.

Cum vero, vt audisti, incestuosorum numerus increbresceret, ijdemq. contumaces & contemptores excommunicationem Ecclesiæ vilipenderent, nec recedere ab improbato coniugio vellent: Deus in vnum ipsorum, in exemplum ceterorum, diram vindictam exercuit, atque irrationalium bestiarum facto, quid rationali homini sit faciendum, ostendit. Rem gestam ab Episcopo * Aprarensi, Pio nomine, acceptam omni fide testatam sic ipse recitat Petrus Damiani in epistola ad Alexandrum Papam electum & ad Hildebrandum: Quidam, inquit, degener quidem moribus, sed maiorum titulis insignitus suam consanguineam nuptiali fœdere copulauit. Quid plura? Prohibitus perstitit, excommunicatus adhæsit, totumq. ecclesiasticæ censuræ vigorem nugarum puerilium fabulas deputauit. Cui hoc certe ad diuinæ indignationis iudicium contigit, vt panes de nuptialibus mensis in plateas ante canum ora proiecti minime tangerentur. Insuper (o diuinæ animaduersionis pauenda seueritas!) dum rigidus stat, dum præceptis sacerdotalibus se non humiliat, qui vigilare sibi ad salutem noluit, in cubiculo dormientem repente de cælestibus irruens fulmen extinxit. Sic diuini furoris expertus est moriendo sententiam, qui vulneri suo, dum viueret, adhibere contempserat medicinam] hæc Petrus, ac de his hactenus.

* DEI VINDICTA ADVERSVS INCESTVOSVM.

Reuersus autem Petrus ex Romano Concilio in solitudinem, accepit epistolam ab eodem Alexandro Pontifice, qua significaret, eius expetere saltem litteras, cuius non licuisset diutius frui præsentia. ad quem ipse ista rescripsit, quibus quæ essent in Ecclesia emendanda significauit:

QVAE PETRVS AD PAPAM DE DVOBVS CORRIGENDIS.

Domino suo Alexandro Papæ Petrus peccator monachus seruitutem.

Scripsistis vt scriberem: præcepistis vt sæpe vobis licet incultas, ineptiæ meæ schedulas destinarem. Verum me magis libet flere, quam scribere: immo hinc grauius fleo, quia flere non valeo. Ita nimirum a Synodo, cui vestræ sanctitatis auctoritas præfuit, contritus nuper & arefactus abscessi; vt mens mea tot oppressa negotijs, more silicis obdurata, nec per imbrem se compunctionis emolliat, nec se quantulumcumque super se gratia intimæ contemplationis attollat. Hoc itaque mihi datur ad pœnam, quod promissum est Sanctis dandum esse per gratiam: [a] Absterget, inquit, Deus omnem lacrymam ab oculis Sanctorum. Et in Psalmo dicitur: [b] Qui eripuit animam meam de morte, oculos meos a lacrymis. Quod ergo sanctis viris prærogatur ad præmium, hoc meis meritis infligitur ad tormentum. Quapropter hæc apud me definita sententia est, quia de cetero, nisi me necessitas ineuitanda compellat, donec aduixero, Romanis me Concilijs funditus absentabo.

a Apoc. 21.

b Psal. 114.

Præterea duo quædam apud Apostolicam Sedem frequens vsus obtinuit, quæ si sancta prudentia vestra iudicat, vt nobis videtur, omnino digna sunt corrigi. Vnum, quia eiunctis fere decretalibus paginis anathema subiungitur: Alterum quia cuiuslibet ecclesiæ filius, siue clericus sit, siue laicus, exponere proprij excessus Antistitis prohibetur. Quorum primum quam sit humanæ saluti inimicum periculum, & infinite patens vorago labentium ac pernicies animarum, clementiæ vestræ pietas non ignorat. Dicitur enim, quisquis hæc vel illa non fecerit, siue certe quisquis hoc, quod superius statutum est, irritum duxerit, vel in aliquo violauerit, anathema sit. Vbi notandum quam lubrica, quam præceps subito ruendi illic procuretur occasio; vt ante quis in æternæ mortis barathrum corruat, quam se vel leuiter impegisse cognoscat, & substratæ quodammodo tendiculæ iam pes eius innectitur, dum se liberis adhuc incedere gressibus arbitratur. Delinquit itaque quisquis ille est in illud Apostolicæ constitutionis edictum, & aliquando leui quadam ac perexigua offensione transgreditur:

DE ANATHEMATE NON PASSIM INFLIGENDO.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur: & continuo velut hæreticus, & tamquam cunctis criminibus teneatur obnoxius, A
anathematis sententia condemnatur. Et cum dictante iustitia, alia sit vltione plectendus, qui plus delinquit, alia qui minus excedit; hic grauiter, leuiterq. peccantibus æqua cunctis & indifferens pœna, ipsius scilicet anathematis, irrogatur. Non tribunalium more, vel forensis examinis, aut libertas læditur, aut possessio confiscatur, nec pecuniæ mulctæ reus addicitur, sed Deo potius, omnium scilicet bonorum auctore priuatur. Hanc itaque homo de homine pœnam sumit, quam de sui transgressione
a Matth. 10. mandati ipse quoque Deus omnipotens non præsumit: a Qui amat, inquit, patrem
b Exod. 21. aut matrem plusquam me, non continuo addidit, sit anathematizatus, vel maledictus; sed tantum ait: Non est me dignus. b Et in lege oculus pro oculo, dens pro dente, percussura pro percussura, adustio pro adustione dumtaxat exigitur: nec continuo qui reus est de synagoga proijcitur, vel maledictione damnatur. Non enim se- B
cundum Stoicos, omnia peccata sunt paria, atque idcirco indifferenti sunt vltione plectenda; sed iuxta modum culpæ temperanda semper est mensura vindictæ. Porro nec beatus Papa Gregorius, vel ceteri Patres, qui diuersis temporibus in Apostolicæ Sedis regimine floruerunt, hunc morem in suis reperiuntur obseruasse decretis. & vix eorum aliquando statutis anathema subnectitur, nisi cum Catholicæ Fidei clausula
* temeratur * terminatur. Quamobrem si sanctæ prudentiæ vestræ placet, hunc morem de cetero a decretalibus paginis amoueri præcipiat, & vel damni pecuniæ, vel alterius cuiuslibet vltionis calculum in earum transgressione præfigat: ne quod alijs est ad tuitionis munimenta prouisum, alijs ad perniciem proueniat animarum.

DE ACCVSATIONIBVS EPISCOP. DEFERENDIS AD SED. APOST.

Illud etiam quod dicitur, non licere cuiuslibet ecclesiæ filium ad maiorem ecclesiam proprij reatus Episcopi, & quæcumque sunt corrigenda, deferre: nimis absonum, & C
prorsus ecclesiasticæ disciplinæ probatur aduersum. Nam cui melius dicitur, quod delinquit Episcopus, quam illi qui magistri officio fungitur? Et ideo inter fratres reliquos præeminet, vt quod alijs non licet, ipse solus per propriæ sedis priuilegium errata corrigat sacerdotum. Quis est enim hic arrogantiæ tumor? quis elationis fastus? quæ denique tanta superbia, vt liceat Episcopis per fas & nefas ad propriæ voluntatis arbitrium viuere; & quod insolenter excessum est, a subiectis suis dedignetur audire? Præsertim cum illi non adierint tribunalia Præsidum, non forensium pulsauerint examina cognitorum, sed ecclesiarum potius adeant, & sacerdotibus iudicabilia sui sacerdotis exponant: vt quod sæcularibus venire poterat in derisum, grauiter & honeste per sacerdotale corrigatur officium. Vbi profecto dignum est, vt is qui impetitur, vel ex ratione se exhibeat innocentem, vel confiteatur humiliter peccatorem. Nec D
his allegationibus vtendum est, vt dicat se non debere ab his, qui sibi subiecti sunt, accusari; ne videatur excessibus suis velamen obtendere, & iudicium subterfugere, dum conatur in alium motæ quæstionis iniuriam retorquere. Quis enim nesciat, quod
c Matth. 14. princeps Apostolorum Petrus potestatem regni cælestis accepit? c Virtutem liganc Ibid. 9. di, siue soluendi, quod vellet in cælis ac terris obtinuit? d Supra mare pedibus ambud Act. 15. lauit? e Sola sui corporis vmbra ægrotantes erexit? mentientes iaculo nudi sermonis
e Ibid. 10. 11. occidit? f oratione mortuos suscitauit? Hic itaque tam sublimis meriti vir cum ex admonitione sancti Spiritus ad Cornelium, gentilem videlicet hominem, fuisset ingressus, aduersus eum quæstio facta est ab his, qui erant ex circumcisione, Fidelibus, quod ad alienigenas introisset, atque cum eis comedere præsumpsisset, insuper & in baptis- E
mate recepisset. Hic, inquam, tot donorum cælestium incomparabili virtute suffultus, tot miraculorum ostensione conspicuus, querelæ subiectorum non ex potestate restitit, sed rationem reddendo humiliter satisfecit, causamq. per ordinem veridicus relator exposuit, quomodo videlicet vas quoddam velut linteum, in quo quadrupedia terræ, reptilia atque volatilia inerant, de cælo submitti viderit, vocem audierit: Surge Petre, macta & manduca. Qualiter etiam tres viri venientes eum ad Cornelium vocauerunt: qualiter postremo Spiritus sanctus eum cum illis ire præceperit, & quemadmodum idem Spiritus sanctus, qui superuenire iam baptizatis in Iudæa consueuerat, in Gentiles & ante baptismum venit. Si igitur iste cum a discipulis suis cul paretur, auctoritatem, quam in sancta fuerat sortitus Ecclesia, voluisset obtendere, respondere potuerat, vt pastorem suum oues, quæ sibi commissæ fuerant, re-

prehen-

A prehendere non auderent: sed si in querela Fidelium potestatis suæ titulum obiecisset, doctor profecto mansuetudinis non fuisset. Non ergo eos priuilegij sui auctoritate repressit, sed humili potius satisfactione placauit: & tamquam solus ipse ad faciendam fidem non sufficeret, etiam testes adhibuit. Venerunt, inquit, mecum & sex fratres isti.

Discat ergo cum de suis actibus conuenitur Episcopus, rationem humiliter reddere, non de sui primatus eminentia superbire: nec fieri sibi credat iniuriam, cum a minore corripitur, sed consulentem potius, vel medicum sui vulneris arbitretur. Num-
a 2. Reg. 12. quid enim Nathan propheta cum Dauid a tam austeræ seueritatis inuectione corripuit, indignationem regij motus incurrit? Numquid ille regalis excellentiæ culmen
B opposuit, ac velut illatam a subiecto suo contumeliam propulsauit? Sed mox vt se cognouit ægrotum, suscepit libenter antidotum: detexit vulnus, & sectionis suæ non exhorruit ferramentum. Vide humilem languidum: Peccaui, inquit, Domino. Audi etiam velox medicinæ remedium: Transtulit Dominus peccatum tuum, non morieris. E contra Rex Achab, qui corripientem se Prophetam audire despexit,
b 3. Reg. 20. vltionis gladium, quem ille minatus est, non euasit: b Quia dimisisti, inquit, virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius. Dauid ergo culpam suam æquanimiter audiens, sententiam mortis, quam merebatur, euasit; Achab autem correptionis impatiens, impiæ pietatis, quam indigno Regi contulerat, veniam non inuenit.

Numquid & mulieres illæ, hospitæ videlicet Saluatoris, inuicem inter se litigauerunt, dum altera quereretur aduersus alteram, quia solam se c ministrare compelleret?
c Luc. 10. C Poterat enim Maria dicere, nostrorum more pontificum, accusasti me, & torporis ac negligentiæ condemnasti. non sane omnis querela protinus accusatio dicenda est. Nam aliud est querela compassionis, aliud accusatio simultatis & odij. Ista nimirum fit, vt offensio corrigatur; illa vero, vt is, qui offenderat, condemnetur. d Petrum
d Gal. 2. plane in faciem resistens Paulus obiurgat, & coram omnibus reprehensibilem iudicat. Quod ille non vt accusationis tulit iniuriam, sed benigne & patienter accepit, quod non ex liuore, sed ex charitate procedere perspicue recognouit. sed ecce dicitur: Ego sum Episcopus, ego sum pastor ecclesiæ, non debeo a commissis ouibus accusationum patere molestijs: & non vt in causa Fidei dignus sum etiam in prauis moribus æquanimiter ferre. Sed dic mihi quisquis es, numquid non legisti, quod in Euange-
e Matth. 18. lio scriptum est: e Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum:
D si te audierit lucratus es fratrem tuum: si te non audierit, adhibe tecum duos vel tres testes; vt in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum: sin autem eos non audierit, dic Ecclesiæ? ergo si referenda est causa quorumlibet fratrum, quomodo non etiam sacerdotum?

Porro si sacerdos, qui in ecclesia peccat, dedignatur in ecclesia discuti: quis iam ferat Ecclesiæ se legibus coerceri? Porro si ecclesiæ tuæ filijs, vt asseris, aduersum te mutire non liceat: numquid aliunde producendi sunt testes, qui te, & facta tua per
f Iob 31. absentiam domesticæ cohabitationis ignorant? Beatus Iob dicit: f Si contempsi subire iudicium cum seruo meo: & tu dicis absit, vt digner ad examen venire cum clerico meo. Deus omnipotens per Isaiam clamat: g Iudicate pupillo, defendite viduam:
g Isa. 1. E & venite & arguite me. Si is qui iudicat omnia, non dedignatur a seruis argui: tu seruus vtique, cum conseruo in iudicium venire fastidis? Et cum sis terra, & cinis, vermis, ac puluis, humiliare te despicis ad imaginem Conditoris? Præsertim cum Scriptura dicat: Ducem te constituerunt? noli extolli, sed esto in illis, quasi vnus ex illis.
b 1. Reg. 12. Quis plane nesciat, h quia Samueli Israelitica plebs præiudicium intulit, eumq. de principatu iniuste deiecit? Et cum eos arguere merito potuisset, vltro se arguendum nullis accusantibus obtulit: & vtrum eos in aliquo violenter oppresserit inquisiuit: Ecce præsto sum, inquit, loquimini de me coram Domino, & coram christo eius, vtrum bouem cuiusquam tulerim, aut asinum. Si quemquam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cuiuspiam munus accepi: & contemnam illud hodie, restituamq. vobis. Cum ergo tam incomparabiles tam eminentes atque sublimes viri, subditis suis, rationem reddere de proprijs actibus non despiciant: quis arrogantiæ ty-

Universidad de Deusto
Biblioteca

phus, quis est iste tantæ superbiæ fastus, quo sacerdos huius temporis intumescens, titulum sui Præsulatus opponat, & ecclesiæ suæ filijs, qui se grauatos asserunt, ex æquo in iudicio non respondeat? A

Excludatur ergo ab ecclesiastica disciplina pernicioſæ consuetudinis regula, tollatur hæc subterfugij versuta calliditas, vt is, qui tam peruersis audacis superbiæ allegationibus vtitur, immunitatem commissi piaculi non lucretur. Iustis ergo querelis liber pateat aditus, liceat apud primatem ecclesiam conqueri, quæ se a suo pontifice viderit prægrauari, ne de sublimis prærogatiuæ singularitate superbiat, qui se per arrogantiæ fastum fratribus non coæquat. Et qui censoriam super alios concutit virgam, ipse quoque super se vigoris ecclesiastici sentiat disciplinam. Quiq. non humanum sonat, sed super alios quasi fulgur terribiliter intonat: aliquando se hominem recognoscens, humana verba formare per humilitatem discat; quatenus dum Prælatus quilibet arrogans a tumore elationis deprimitur, subiectis autem per auctoritatem superioris ecclesiæ subuenitur, sopitis vndique iurgijs, & synodalis examinis concepta formidine, omnia simul ecclesiæ membra consœderentur in pace] hactenus ad Alexandrum Pontificem Petrus ad reprimendum fastum quorumdam Episcoporum. B

Sed & fuit pugnandum eidem Petro Damiani eodem tempore aduersus nouam emergentem hæresim quorumdam, asserentium licite emi posse Episcopatus a Principibus laicis absque crimine simoniæ. quam primus omnium ipse redarguens, ista mox scripsit ad Alexandrum Pontificem:

ADVERSVS NOVAM HAERESIM PETRVS INSVRGIT.

Domno Alexandro summæ Sedis Antistiti Petrus peccator monachus seruitutem. Sicut ad patremfamilias quælibet domesticæ facultatis iactura refertur, sic etiam dignum est, vt summo Pontifici patientis Ecclesiæ læsio nuntietur: vt sicut ab illo, prout vires suppetunt, ingruentibus domus suæ malis occurritur; ita nihilominus & ab isto nutantis Fidei fundamentum, vel etiam ordo religionis, qui confundi cœperat, instauretur. Noua proh dolor! nostro tempore hæresis orta est, cui nisi quantocyus auctoritatis vestræ se vigor obijciat, timendum est, ne ad religionis Christianæ perniciem, animarumq. periculum velut cancer feraliter serpat. Nonnulli plane clericorum vitam per exterioris habitus speciem mentientes, prorsus Deo frigidi, ambitionis ecclesiasticæ facibus inflammati, hoc pertinaciter dogmatizant: Non ad simoniacam hæresim pertinere, si quis Episcopatus a Rege, vel quolibet mundi Principe per interuentum coemptionis acquirat, si tantummodo consecratione gratis accipiat. Vnde cum nuper in excellentissimi Ducis Godefredi versaremur alloquio, duo quidam ex capellanis eius, vnus vt erat barbarus, barbarico nomine Tudetchinus, alter vero natione Venetus, Ioannes vocabatur. Hi nimirum tamquam [a] Hermogenes & Philetus in prædicatione Pauli, vel certe tamquam Iamnes & Mambres [b] tempore Moysis resistentes veritati, hanc non cessabant disseminare doctrinam hominibus, Catholicamq. atque canonicam fatebantur esse sententiam: Videlicet vt iure simoniacus non dicatur quisquis absque manus impositione Episcopatum comparasse conuincitur. Dicebant enim, quia cum hoc fit, non distrahitur ecclesia, sed facultas, nec emitur sacerdotium, sed possessio prædiorum. Sub hac enim præstatione pecuniæ, opes tantum, non honoris, vel ecclesiæ redimitur sacramentum. Venalia siquidem sunt, sicut aiunt, vnde sint diuites: gratis accipiunt, vnde fieri debeant sacerdotes. C D

a 2. Tim. 1.
b Ibid. 3.

O nouum schismaticorum genus, & os sacrilegum æterni silentij censura damnandum! In vna siquidem hominis persona duos esse constituunt, vt vnus sit sacerdos sub peccato venumdatus; alter autem diues sub taxatione pecuniæ comparatus. Ipse velut alter Sardanapalus inter delicias eructet conuiuantium; ille tamquam Apostolus in regimine præsideat animarum. Hoc ergo modo, quo comparat agrum, puluerem terræ tantum non segetum dicendus est comparasse prouentum. Plagiarius etiam qui distrahit hominem, non animam iudicandus est vendidisse, sed carnem. Immo cum legamus, quia corpus hominis quadragesimosexto die post maternæ conceptionis initium plene formetur distinctione membrorum, atque mox diuinitus animetur, sed caro dumtaxat ex paterno semine prodijt: ergo pater carnem tantummodo dicendus est genuisse, non prolem, quæ ex anima constat & corpore. Quod cum penitus absurdum sit, & merito pater ille dicatur, ex cuius femore sola caro sit egressa,

A egressa, non anima: sic ille proculdubio dicendus est mercator ecclesiæ, qui per terrena, quæ redemit, ad honoris culmen ascendit, & per corporalis commercium lucri, emptor efficitur nihilominus sacramenti: dic itaque quisquis es, qui te iactas terrenæ tantummodo facultatis emptorem, per quam tamen aspiras ad Episcopalis excellentiæ consecndere dignitatem: & dum te dicis a Principe terrena dumtaxat ecclesiæ commoda percepisse, asseris te quodammodo villicum, non vt sacerdotali fungaris officio, constitutum: dic inquam, cuius erat figuræ, quam sane habebat speciem inuestitura hæc, quam in manibus tuis Princeps ille deposuit? Porro si furculus, si simplex baculus, merito tibi lætus applaude, quia sicut asseris, non ad sacerdotis officium, sed ad procuratoris initiatus es villicatum; atque ideo necesse iam non est, vt Episcopo, qui tibi præferendus est, sis subiectus. At si sæcularis ille Princeps acce-
B pta vel promissa pecunia, pastoralem tibi tradidit baculum, qua fronte poteris Episcopalis ordinis excusare commercium? Enimuero nisi per hanc inuestituram ille secuturi sacerdotij tibi prius imprimeret titulum, futurus ordinator nequaquam per manus impositionem sacerdotij tibi traderet sacramentum. Per hoc enim, quod venaliter accepisti, consequenter ad sacerdotium promoueris: atque ideo licet illa manus impositio non venalis sit, sed gratuita, nequaquam tamen, quantum ad te spectat, a venalitatis est sordibus aliena. Venalitas enim si sibi nota est, contaminat consecrantem, gratuita consecratio mundare non valet emptorem. Obscenitas immundi fœda commercij sordidat mundum, gratuita manus impositio non potest emaculare pollutum. Mendacij forsitan arguor, si quod loquor, sacri eloquij testimonio non affirmo. Per Aggæum namque Prophetam dicitur: [a] Hæc dicit Dominus

a Agg. 2.

C Deus exercituum: Interroga sacerdotes legem, dicens: Si tulerit homo carnem sanctificatam in ora vestimenti sui, & tetigerit de summitate eius panem, aut pulmentum, aut vinum, aut oleum, aut omnem cibum: numquid sanctificabitur? Respondentes autem sacerdotes, dixerunt: Non. Et dixit Aggæus: Si tetigerit pollutus in anima ex omnibus his, numquid contaminabitur? Et respondentes sacerdotes dixerunt: Contaminabitur. Et respondit Aggæus, & dixit: Sic populus iste, & sic gens ista ante faciem meam dicit Dominus: & sic omne opus manuum eorum, & omnia, quæ obtulerunt ibi, contaminata erunt. In his ergo propheticis, immo diuinis verbis euidenter ostenditur, quoniam emptor iste videlicet, qui est pollutus in anima, suscepti polluit ordinis dignitatem. Dignitas vero licet per manus impositionem gratuito sit accepta, nequaquam tamen mundat emptorem.

D Adhuc autem ad inuestituram & a te, quod non ecclesiam, sed ecclesiæ prædia tecomparasse gloriaris, inquiro: Sane cum baculum ille tuis manibus tradidit, dixitne: accipe terras, atque diuitias illius ecclesiæ: an potius, quod certum est, accipe ecclesiam? Quod si bona ecclesiæ sine ecclesia suscepisti, schismaticus es, atque sacrilegus, qui bona ecclesiæ ab ecclesia diuidis: & quod alienum est, violenter in tui vsus iura conuertis. Quod si ecclesiam suscepisti, quod omnino negare non potes, proculdubio factus es simoniacus, & prius te venalitas fecit hæreticum, quam manus impositio redderet consecratum. Tunc enim consecrationem euidentissime coemisti, cum id, propter quod ad consecrationem promouendus eras, venaliter accepisti. Sic enim vnum pendet ex altero, vt qui terrena ecclesiæ bona suscipit, ad gratiam consecrationis aspiret: & qui consecratione perficitur, bona ecclesiæ in vsus egen-
E tium, & cetera pietatis opera dispensanda conseruet. Hoc itaque modo licet ecclesiasticæ facultatis mentio in ipsa manus impositione non fiat, is tamen, qui consecratur, bonorum ecclesiæ dispensator efficitur; & cum ecclesiam suscipit, quamuis nihil tunc de consecratione dicatur, ad hoc tamen, vt consecretur, eligitur.

Ab ipso plane principio nascentis Ecclesiæ salubris hæc cœpit consuetudo Fidelium, vt sua quique vendentes, [b] ad pedes Apostolorum, Apostolicorumq. virorum pecunias ponerent, quibus illi necessitatibus pauperum subsidia ministrarent. Post autem visum est sanctis Patribus, qui scilicet illis in sacri regiminis ordine successerunt, vt ij, qui conuerterentur ad Dominum, nequaquam distraherent prædia, sed ea sanctis ecclesijs traderent, non iam transitorie, sed iure perpetuo necessitatibus indigentium profutura. Et certe per Moysen in lege præcipitur: [c] Omne, inquit, quod Domino consecratur, siue homo, siue animal, siue ager, non vendetur, nec redimi poterit. quidquid

b Act. 4.

c Leuit. 27.

semel

Universidad de Deusto
Biblioteca

semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino. Ecce hic manifestissi- A
a Matth. 10. me prohibetur, ea quæ Domino consecrantur, vel vendi debere, vel redimi; sed certum est ea sancta sanctorum te pretio redemisse, & rem Dei contra legem Dei, [a] quæ gratis accipienda, gratis danda est, venaliter percepisse, tamquam non sit peccatum; quia sine consecratione fit tale commercium. sed idcirco fortasse non times, quia lex illa vetus prohibet quidem culpam, sed non irrogat pœnam. Accipe igitur, quod super hoc Romanæ Præsul Ecclesiæ Bonifacius in decretali scribat epistola: Nulli, inquit, liceat ignorare, quia omne, quod Domino consecratur, siue fuerit homo, siue animal, siue ager, vel quidquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino, & ad eius pertinet sacerdotem. Propter quod dico, quia inexcusabilis erit omnis, qui a Domino & Ecclesia, cui competunt, aufert, vastat, inuadit, vel eripit; & vsque ad emendationem, Ecclesiæq. satisfactionem, vt sacrilegus diiudicetur, & si B
emendare noluerit, excommunicetur.

Anacletus autem Papa longe ante inter alia multa subinfert: Qui enim res Ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit, & sacrilegus deputandus est.

Papa quoque Lucius in decreto suo sic ait: Rerum ecclesiasticarum & facultatum raptores a liminibus sanctæ Ecclesiæ anathematizantes, Apostolica auctoritate pellimus & damnamus, atque sacrilegos esse iudicamus. Possemus & alia quamplurima Catholicorum Patrum exempla congerere, nisi perspicue cognosceremus, nequaquã hoc epistolari compendio conuenire.

His itaque sanctorum Pontificum, alijsq. sententijs manifeste conuinceris, quoniam aut Ecclesiæ bona sine ecclesia suscepisti, & idcirco tamquam raptor atque sacrile- C
gus anathematizari, & ab Ecclesiæ liminibus debes expelli; aut certe, quod perspicuum est, & negare non potes, ecclesiam simul cum bonis Ecclesiæ pretio redemisti, ideoq. dignum est te, vt reuera simoniacum & hæreticum canonici vigoris examine condemnare. Canonica nimirum sententia est illa, qua dicitur: Si quis Episcopus, aut presbyter, aut Abbas per pecuniam hanc obtinuerit dignitatem, deijciatur ipse & ordinator eius, & a communione sancta modis omnibus abscindatur, & sit anathema, sicut Simon magus a Petro.

Vbi notandum, quod non ait: Si quis hanc obtinuerit consecrationem, siue manus impositionem: sed potius, si quis, inquit, per pecuniam hanc obtinuerit dignitatẽ canonicam: & illud asseritur, quod promulgatũ a sanctis Patribus in Concilio reperitur: Cauendum & summopere præcauendum, ac per virtutem Christi sanguinis interdi- D
cendum Episcopis & Regibus & omnibus sublimioribus potestatibus, atque cunctis fautoribus & electoribus quorumcumque, atque consensoribus seu ordinatoribus in gradu ecclesiastico, vt nemo per simoniacam hæresim regiminis locum obtineat, quacumque factione, calliditate, promissione, seu commoditate, aut donatione per se aut per emissam personam.

Hic quoque notandum, quod cum præmisisset, Episcopis, ilico subdidit, Regibus, & omnibus sublimioribus potestatibus: vt non modo cauenda sit hæresis illa solis dumtaxat Episcopis, qui consecrandis manus imponunt: sed & sæcularibus quoque Principibus, qui licet iniuste, aliquo modo tamen, ecclesias futuris rectoribus tradunt. Nam cum aliquid sub venalitate suscipitur, & illud proculdubio comparatur, quod ex necessitate subsequitur. Ad hoc enim pastoralis ecclesia cuique committitur, vt ad E
eius regimen obtinendum consecratione firmetur: & ad hoc sine dubio collatæ pecuniæ commercium spectat, ad quod is, qui est promouendus, aspirat. Hinc est plane quod non solum, qui maioribus præferuntur ecclesijs, sed & illis quoque qui vel plebes agrorum, vel canonicales præbendas per interuentum pecuniæ pestilenter accipiunt, simoniacæ hæreseos tendiculas non euadunt. Per id enim, quod venaliter assequuntur, ad sacrorum graduum ordines tendunt: & tunc iam destinantur ad ordines, cum illa suscipiunt, per quæ scilicet ad obtinenda sacrorum graduum incrementa pertingunt. Initiatur enim ad dignitatis ordinem, qui ad obtinendam ordinis constituitur dignitatem.

Hæc me breuiter aduersus eos dictasse sufficiat, qui sine manus impositione venaliter ecclesiam acquisisse, non esse simoniam, dogmatizant. Qui nimirum, si hoc simpliciter, prout sibi videretur, exprimerent, stulti vel hebetes merito dicerentur; sed

A sed quoniam nonnulli talium id procaciter astruunt, & quibusdam cauillationum, argumentorumq. versutijs peruicaciter allegare contendunt, non immerito (quod inuiti dicimus) hæreticorum nomen incurrunt. Non enim error hæreticum, sed peruicax obstinatio facit, nec omnes hæretici dicendi sunt, qui opinantur errorem, sed qui pertinaciter & audacter prædicant falsitatem.

His itaque prædicatoribus satanæ & Apostolis Antichristi tu, venerabilis Pater, cælestis eloquij gladio præcinctus occurre: & tamquam alter Iosue Amalecitas oppugnantes Israel, euaginato canonici vigoris mucrone prosterne. Tollatur e medio quantocyus tartareæ amaritudinis aconitum, ne quod absit, ferale venenum faucibus influat paruulorum. Tuis præterea manibus talis aromatici pigmenti quibusque languentibus propinetur antidotum, quod & venenati erroris tollat illuuiem & sanet, at-
B que sinceræ fidei restituat puritatem. Vnum in calce huius epistolæ sacris clementiæ vestræ auribus suggero, vt in quantum facultas suppetit, numquam vel fieri, vel esse permittat Episcopum, quem ad honoris culmen constiterit ascendisse per præmiũ, vel etiam, quod damnabilius est, per curialis obsequij famulatũ. Absit enim, vt qui prælationis ambitu sæcularem coluit Principem, spiritalẽ ecclesiastici culminis obtineat dignitatem] hucusquẽ Petri ad Alexandrum epistola, accepta ex antiquiori codice bibliothecæ sereniſſimi Ducis Vrbini, cuius munificentia tres scriptos membraceos codices Romam missos accepimus eiusdem Petri Damiani, sub cuius Ducatu celeberrimum monasterium S. Petri de Auellana situm est, vbi idem Petrus diutius vixit.

Ceterum ipse Alexander Papa abunde satis scelus prohibuit in decretali epistola ad suos Lucenses data, qua vetuit, ne quis omnino, non dico Episcopatus, siue Abba-
C tias, sed beneficium quodlibet ecclesiasticum emeret. incipit: Ex multis] quam [a] Gratianus in suum intulit Decretorum volumen. At quis crederet damnatam hæresim ante aliquot annos, rursum quorumdam prauorum susurro in aures Fidelium irrepere ausam, procaciter asserentium Cardinalatus Romanæ Ecclesiæ dignitatem licite vendi, emiq. posse, dum scilicet non ipse ordo sacer venderetur, vel emeretur annexus, sed inhærens ipsi munus & commodum temporale. Sed occlusa semel & iterum, obstruantur in perpetuum offa a [b] Daniele parata ista asserentium ora, qui fauentes Simoni mago, Simonem Petrum tanta afficere ignominia putauerunt. sed quæ sunt anni huius reliqua prosequamur.

[a] 1. q. 1. cap. ex multis.

[b] Dan. 14.

Hoc eodem anno qui & vigesimus secundus numeratur Adalberti Archiepiscopi Hamburgensis, Slauorum ecclesia sub eius parœcia constituta pessumdatur, multis in
D ea clade martyrio coronatis, in primis vero Godescalco Principe, Christianæ religionis studiosissimo propugnatore.

HAMBVRG. ECCL. MARTYRES APVD SLAVOS.

Hæc autem tanta gloria eius ecclesiæ vt quam firmiter testata relinquatur: in primis quod ad tempus spectat, Adam qui aderat, ista habet: [c] Expulsio Archiepiscopi, & mors Godescalci vno fere anno contigit, qui est pontificis *Hamburgensis Adalberti* vigesimus secundus] hoc plane anno, cum creatus ipse fuerit Hamburgensis Archiepiscopus anno Christi millesimo quadragesimotertio. Res tunc gestæ ab eodem auctore breuiter ita narrantur, seu potius perstringuntur: [d] Trans Albiam quoque vindictæ magnitudo peruenit, quoniam Princeps Godescalcus eo tempore interfectus est a Paganis, quos ad Christianitatem nitebatur ipse conuertere. & quidem vir omni æuo memorabilis magnam partem Slauoniæ conuersam habuit in diuinam religio-
E nem. Sed quia nondum impletæ sunt iniquitates Amorrhæorum, neque adhuc venit tempus miserendi eorũ: necesse erat, vt venirent scandala, vt probati fierent manifesti. Passus est autem noster Machabæus in ciuitate Leontia vij. Idus Iun. cum presbytero Ippone, qui super altare immolatus est, & alijs multis, tam laicis, quam clericis, qui diuersa pro Christo vbique pertulerunt supplicia. Ansuerus monachus, & cum eo alij apud Rinsburg lapidati sunt. Idus Iulij passio illorum occurrit. Ioannes Episcopus senex cum ceteris Christianis in Magnopoli ciuitate captus, seruabatur in triumphũ.

[c] Adam lib. 4. cap. 13.

[d] Id. lib. 4. cap. 11. 12.

Ille igitur pro confessione Christi fustibus cæsus, deinde per singulas Slauorum ciuitates ductus ad ludibrium, cum a Christi nomine flecti non posset, truncatis manibus ac pedibus, in plateam corpus eius proiectum est, caput vero dissectum Pagani conto præfigentes in titulum victoriæ deo suo Redigast immolauerunt. hæc in metropoli Slauorum Rethre gesta sunt quarto Idus Nouembris. Filia Regis Dano-

rum

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum apud Michlenburg ciuitatẽ Obotritorum inuenta cum mulieribus, nuda diu cæ- A
sa est: hanc enim habuit, vt prædiximus, Godescalcus Princeps vxorem, a qua &
filium suscepit Henricum] quam Saxo Grammaticus filiam fuisse Suenonis Regis,
sororemq. Canuti Regis affirmat. pergit vero Adam: Et illi quidem victoria potiti
totam Hamburgensem prouinciam ferro & igni demoliti sunt. Stormarij fere omnes
aut occisi, aut in captiuitatem ducti. castrum Hamburg funditus excisum, & in deri-
a Psal. 78. sionem Saluatoris nostri etiam cruces a Paganis truncatæ sunt. Impleta est nobiscum
prophetia quæ ait: [a] Deus venerunt gentes in hereditatem tuam &c. quæ prophetiæ
deplorantur in Hierosolymitanæ vrbis excidio. Huius auctor cladis Plusso fuisse dici-
tur, qui sororem Godescalci habuit; domumq. reuersus & ipse obtruncatus est. Ita-
que omnes Slaui facta conspiratione generali ad paganismum denuo relapsi sunt, his
occisis qui perstiterunt in fide] hæc Adam. B

Vt autem Hamburgensis diœcesis ista pati mereretur, peccata populi atque eorum
Archiepiscopi Adalberti fecerunt. nam quod ad peccata populi pertinet, hæc infe-
b Adam lib. 4. cap. 20. rius idem auctor: [b] Querebatur etiam vsque ad sua tempora, multos Paganorũ errori-
CAVSA MALORVM PECCATA POPVLI. bus implicitos, ita vt diem sextæ feriæ carnis esu macularet, vt Vigilias solemnita-
tesq. Sanctorum ac venerabilem Quadragesimam gula, fornicationibusq. polluerent,
vt periuria pro nihilo computarent, vt effusionem sanguinis in laudem haberẽt. Simi-
liter adulteria, incestuositates, aliæq. naturam excedentes immunditiæ vix culpantur
ab aliquo illorum. plerique duas vel tres aut innumerabiles simul vxores tenent, item
morticinis & sanguine & suffocatis, carneq. iumentorum facile vtuntur] quod pro
graui delicto habitum apud gentes illas boreales, quæ sunt diuersis in locis dicta su-
perius, docent. At Archiepiscopi erant peccata non leuia, quæ idem auctor recensет. C
sed quod peius, cum ob tanta flagella resipiscere ad pœnitentiam debuisset, post
has clades acceptas in deterius semper lapsum ad obitum vsque perseuerasse tradit.

AGNES AVG. ERIPIT S. ANNONEM COLON. ARCHIEP. A FVRORE HENRICI REG.

Hoc anno Henricus Rex iuuenili furore succensus, æmulorum stimulis agitatus,
paratus vlcisci in sanctum Annonem Archiepiscopum Colonien sem: ab Agnete Au-
gusta tunc in Germaniam opportune reuersa cohibetur. rem gestam Lambertus sic
describit hoc anno: Pascha Rex Vuormatiæ celebrauit, vbi Archiepiscopus Bremen-
sis, *Adalbertus hic erat*, inter sacra Missarum solemnia, dum debitum tantæ festiuitati ser
monem faceret, hominem ab infestatione dæmonis purgauit, fusis pro eo tam suis,
quam totius populi, qui præsens erat, precibus. Ea res grandi miraculo cunctis erat,
stupentibus scilicet, quod vir tam pessimæ æstimationis, qui vitam virtutum non ha-
beret, signa virtutum faceret: sed æmuli eius inuidiosè hoc interpretabantur, non D
meritis suis, sed præsentium populorum supplicationi adscribendum esse tantæ rei ef-
fectum. Ibi per concessionem Archiepiscopi primum se Rex ad arma bellica succin-
xit, statimq. primam susceptæ armaturæ experientiam in Archiepiscopum Colonien-
sem dedisset, & ad persequendum eum ferro & igni præceps abijsset, nisi res turbatas
Imperatrix tempestiuo valde consilio composuisset. Inter cetera id potissimum inui-
diæ ei erat aduersus scilicet Colonien sem, quod ante aliquot annos, dum Imperatri-
ci regni, rerumq. gubernacula eripere vellet: ipsum pene Regem in vltimum discri-
men præcipitasset] hæc Lambertus. At non semel id accidit, vt Henricus in sanctum
Annonem commoueretur, cum adhuc ipsa Agnes Augusta, quæ soleret occurrere,
longe absens esset. quorumnam autem auxilio ipse Archiepiscopus ab ira Regis, quæ E
c Prou. 19. comparatur in diuinis [c] Scripturis iræ leonis, eriperetur, auctor eius temporis qui ade-
rat, monachus Sigebergensis narrat his verbis:

Porro a Rege grauissimis sæpenumero dissentiens inimicitijs, nunc quidem in sum-
mam familiaritatem & pene in regni consortium ab illo assumebatur; nunc vero, quo-
niam ea quæ in regno præter æquum & bonum perperam gerebantur, vehementer
detestaretur, & acerrime impugnaret, cum contumelia de palatio eijciebatur, & ad
extinguendum nomen eius totum regni robur concitabatur: his vicissitudinibus per
plures annos cum Rege concertationem habens, semper velut ad turrim fortitudinis
recurrens Sigebergensium Fratrum preces in auxilium adsciuit. Vnde quodam tem-
pore, Rege pijssimis aduersante consilijs inflammato, pergens ad Curiam, Fratribus in
horti cultura generaliter repertis ait: Commotionis & indignationis regiæ non ne-
scius, iturus ad Palatium, Deo me, vobisq. commendo: Vos clypeus meus estis,
vos

A vos præsidium meum estis: Vos inquam filij dilectissimi omnia mea estis. Nulla mi-
hi spes in militibus meis, nil præsumptionis est in armis eorum: in fide loquor: maior
mihi est fiducia in vobis, quam in omnibus illis. Itaque sit in benignitate Saluatoris,
& in potestate vestræ dilectionis quemadmodum a Rege excipiar, vel a suis. His di-
ctis profectus est, & plerumque per imperium eius, qui terminum ponit mari, Rex
a feruore cordis sui desistens, cum paulo ante necem, vltimumq. (si copia foret) ex-
terminium Annoni, & omnibus, qui eius essent, minaretur: eo veniente quasi diuini-
tus impulsus, surgens osculum pacis ei cum magna dilectione porrexit. Quapropter
in stuporem versi quique circumstantes inter se susurrabant: Vbi nunc iræ? vbi minæ?
vbi tot insultationes paulo ante habitæ? &c.] hæc de his iam satis.

Quod ad Agnetem Augustam pertinet, permansisse in Germania adhuc anno se-
B quenti, ex his, quæ de ipsa idem auctor inferius narrat, possumus affirmare, vbi ait,
anno Redemptoris millesimo septuagesimosecundo in Germaniam redijsse, cum post
sex annos, & amplius ex Germania discessisset, tam longam moram Petrus Damiani
eius in vita monastica catechista ægerrime ferens, timens sexus lubricitati, has ad
eam litteras dedit, quas ex codice Cassinensi hic tibi describimus:

Dominæ suæ Agneti Imperatrici Petrus peccator monachus seruitutem.

AGNETI AVG. EPISTOLA PETRI DAM.

Vix referre sufficit, quanto cor meum mœrore confunditur, dum reditus vestri læ-
titiam suspensis quotidie visceribus præstolatur. Heu me cur itineri vestro vecors &
stolidus assensum præbui? Immo cur ingredienti me ipsum non violenter opposui?
Cur non equorum fræna corripui, & cursum vestrum velocibus manibus, in quan-
tum licuerat, non tardaui? In vestri plane recessus absentia mœret Roma, beati Pe-
C tri luget ecclesia, & tota per sanctos viros & mulieres lamentatur Italia. Tu siqui-
dem velut aureum sidus terrena quærentium videbaris illustrare caliginem, atque ad
Deum prouocans, micantis exempli refundebas te sequentibus claritatem. Et (vt
multa præteream) ego quoque donec tu procul abes, suspiro, Romana respicere
mœnia perhorresco. Reuertere ergo domina mi, reuertere, sed lugentibus festiuam
reduc lætitiam, qui rutilantem cæli gemmam de capite mundi Roma quodammo-
do ploramus auulsam. Ingerat tibi nauseam aula regalis Imperij, sola tuis naribus
sagena redoleat piscatoris. Illic cum Petronilla simul habere te libeat sepulturam,
vt insignis ille pater geminas iuxta se carnis videlicet ac spiritus gaudeat requiesce-
re filias] hucusque Petrus. At plane & in his tanto patri obedisse Agnetem Augu-
stam constat, vt redire Romam, & tandem sepeliri voluerit apud sanctam Petronillam,
D quod suo loco pluribus dicturi sumus.

FERDINANDI MAGNI OBITVS.

Hoc item anno ex hac vita migrauit Ferdinandus Magnus Rex Castellæ & Legio-
nis, fine plane digno Catholico Rege diem extremum claudens. rem gestam vti a
Luca Tudensi diacono memoriæ commendatam inuenimus hic describimus, sic
enim se habet: historia fideliter scripta, Annalibus plane digna nostris: Omnibus
Celtiberiæ prouinciæ ciuitatibus & castellis in deditionem acceptis, almus doctor
Isidorus ei apparuit, & diem sui exitus ipsi etiam innotuit. Et in ipsa corporis vale-
tudine Legionem delatus, apud sancti Isidori Confessoris Christi Memoriam ora-
uit. Ingressus est enim ciuitatem nono Kal. Ianuarij, die sabbati, & ex more corpo-
ra Sanctorum fixis genibus adorans, petebat, vt quia iam terribilis hora mortis si-
bi imminere videbatur, vt cum Angelicis choris cantantibus anima eius a potestate
E tenebrarum liberata, ante Christi tribunal suæ redemptionis spe illæsa præsentaretur.
Ceterum in ipsa celebri natiuitatis Dominicæ nocte, cum clerici festiuo more natalitiũ
canerent Matutinum, affuit inter eos dominus Rex, & virtute, qua potuit, lætus con-
tinuare cœpit vsque ad vltimum Psalmum Matutinorum. Aduenit nobis versus,
quem tunc temporis more Toletano canebant succentoribus respondentibus: Erudi-
mini omnes, qui iudicatis terram. Quod Ferdinando sereniss imo Regi non incongrue
veniebat, quia dum sibi viuere licuit, regnum Catholice gubernauit, & seipsum
pressum pudicitiæ fræno funditus eruditum reddidit. Porro illucescente Natiuitatis
Filij Dei clara in vniuerso orbe die . . . . . dominus Rex se artubus deficere prospi-
cit, Missam cantari petijt, ac percepta corporis & sanguinis Christi participatione,
ad lectum manibus deducitur sustentantium.

In crastinum vero luce aduenie nte, sciens quod futurum erat, vocauit ad se Episco-

Universidad de Deusto
Biblioteca

pos & Abbates quoſcumque religioſos viros, vt exitum ſuum confirmarent. Vna A
cum eis ad eccleſiam defertur ornatus cultu regio, & corona aurea impoſita capiti. Deinde fixis genibus ad altare ſancti Ioannis, & coram ſanctorum corporibus, ſcilicet Iſidori Confeſſoris, & Vincentij martyris, clara voce ad Dominum dixit: Tua eſt poteſtas, tuum eſt regnum, tu es ſuper omnes Reges: tuo imperio omnia regna cæleſtia & terreſtria ſubduntur. Regnum quod te dominante accepi, & quamdiu liberæ tuæ voluntati placuit rexi, ecce reddo tibi: tantum animam meam de voragine ipſius mundi ereptam vt ipſam ad te ſuſcipias, deprecor. Et hæc dicens, exuit regalem chlamydem, qua induebatur corpus, depoſuit & gemmatam coronam qua caput ambiebatur, atque cum lacrymis ſolo proſtratus, pro delictorum venia Dominum attentius exorabat. Tunc ab Epiſcopis accepta pœnitentia, extremæ vnctionis ſacramento perunctus induitur cilicio pro ornamento regali, & aſpergitur cinere pro aureo B
diademate, cui vitali pœnitentia permanenti coram prædicto altari, duobus diebus a Deo viuere datur. Sequenti autem die, quæ eſt feria tertia, hora diei ſexta, in qua ſancti Ioannis Euangeliſtæ feſtum celebratur, inter manus pontificum, cælo (vt credimus) tradidit ſpiritum. Sicq. in ſenectute bona plenus dierum perrexit in pace, Era milleſima centeſima tertia, *eſt annus Redemptoris milleſimus ſexageſimus quintus*; cuius corpus humatũ eſt cum magna gloria in beati Iſidori ſummi pontificis eccleſia Legione, iuxta patrem ſuum Sancium Regem. Regnauit in Legione & Caſtella ſimul annis viginti octo, menſibus ſex, diebus vigintiuno. In Caſtella vero, priuſquam obtineret regnum Legionenſe, regnauit fere annis duodecim adhuc viuente patre eius Sancio, & completi ſunt anni regni eius feliciter quadraginta, menſe vno, diebus vndecim. Regina autem Sancia vxor eius duobus annis ſuperuixit, & obijt ſexto Idus Nouemb. C
& iuxta eum in Legione quieſcit] relicti ſunt filij Sancius, Ildefonſus, Garſias, Vraca & Geloyra. Inter filios diuiſo regno, ſeptem annis armis certatum eſt, de quibus dicendum inferius. hæc Lucas. Eadem habet [a] Rudericus Toletanus, qui eius pietatem plurimum commendat, & erga diuinum cultum eccleſiarum munificentiam; ſed & vitam eius cum religioſis ducere conſuetam enarrat.

[a] *Ruder. Tol. lib. 6. c. 14.*

VZICAE GENTIS ERVPTIO.

Quod ad res pertinet Orientales, certo eſt ſignificatum exemplo, quam aduerſus hoſtes pietas armis præſtet. Curopalata enim ſcribit: Circa tertiam Indictionem, cum præeſſent oppidis ad Iſtrum flumen Magiſter Baſilius Apocape, & Nicephorus Botoniates, Vzorum nationem (hi etiam ſunt genere Scythæ) Pezzinacis nobiliores & multitudine ſuperiores cum tota gente & proprijs impedimentis tranſmiſſo Iſtro cum longis lignis & lembis, paruiſq. nauigijs & byrſis, milites tranſitum D
prohibentes, Bulgaros, inquam, & Romanos, & qui cum ipſis erant, ſtatim debellaſſe, ac duces ipſorum Baſilium & Nicephorum captiuos abduxiſſe, omnemq. ad Iſtrum planiciem compleuiſſe; excreuerat enim natio, vt hi, qui viderant, confirmabant, ad ſexcenta millia bellicoſorum virorum. Et quidem haud minimam partem ipſorum diuiſam vſque ad Theſſalonicam & ipſam Græciam irrupiſſe, & omnia, quæ ante pedes erant vexaſſe, diripuiſſeq. infinita abacta præda. At hæc de nouæ gentis in Romanum Imperium eruptione Chriſtiano orbi haud minorẽ cladem minabatur, quam Gothi, Hunni, Vuandali, & Longobardi olim intulerant. Accedebat ad malum, quod cum Imperator eſſet imbellis, quamuis pius, & in Oriente iam Turcæ fatigarent Romanum Imperium: haud ſpes aliqua ſupereſſe videri poterat, vt exundantibus E
barbaris reſiſti poſſet. tentaſſe autem eos Imperator, legatione miſſa, muneribus, idem auctor teſtatur, ſed fruſtra. Qui cum eſſet coactus ab Vrbe exire, vrgentibus ciuibus, aduerſus hoſtes: non amplius quam centum quinquaginta milites, qui eum ſequerentur, inuentos eſſe, idem aſſerit auctor, qui addit:

DIVINITVS HOSTES SVPERATI.

Fertur Imperator, deſperatis rebus, indixiſſe ieiunium, & ſibi & populo frequentes ſupplicationes adhibuiſſe, ipſe pedes cum lacrymis incedens & contrito corde. Quadie conſpecta eſt ab Vzis in tabernaculis commorantibus militum multitudo in acie dimicare, & cum ſumma feſtinatione, crebra contra ipſos tela iacere, ita vt ex ipſis nemo illæſus remanſerit, quin vulnus acceperit] ita pugnante Deo. poſt hæc autem ad eumdem Imperatorem peruenisſe nuntium refert, qui affirmaret, gentẽ illam peſte & fame conſumptam, reliquias cum ducibus tranſmiſſo Iſtro ad propria remeaſſe. His acceptis (inquit Curopalates) Imperator Deo & Dei Genitrici ſacrificio cum gratiarum

A rum actione peracto, recta ad vrbem ſe contulit, quam reperit admirationis & ſtuporis plenam, votaq. Deo pro accepta ſalute perſoluentem. Verum omnes quod factum erat, diuinum miraculum cenſentes, Imperatoris erga Deum pietati adſcribebant, quod non virtute & viribus, aut potentia Imperatoris, ſed religione Deus ipſe flexus eſſet. Poſt huiuſmodi interitum quidam ex ipſis ad Imperatorem ſe contulere, a quo acceptis agris publicis Macedoniæ Romanos ſecuti ſunt, & ſocij ipſorum, atque eis obedientes hactenus fuere, honoribus Senatorijs atque illuſtribus dignati. Agebatur tunc ſextus annus Imperatoris Conſtantini Ducæ, Indictione tertia, anno ſexmilleſimo quingenteſimo ſeptuageſimotertio ab orbe condito] hactenus Curopalata, eadem & Zonaras, atque Glicas Græci hiſtorici.

VZICA GENS ABSQ. ARMIS DEBELLATA.

B

IESV CHRISTI ANNVS 1066. ALEXANDRI II. PAP. ANNVS 6. VACAT. IMP. OCCID. 10. CONST. DVCAE IMP. 7.

MILLESIMVS ſexageſimus ſextus ſequitur Chriſti annus, Indictione quarta, idemq. comete inſigni a Chronographis conſignatus Latinis pariter atque Græcis hiſtoricis. ſed corrigendum in [a] Curopalata, dum pro quarta Indictione errore legitur, decimaquarta. Quo anno, vt Leo Oſtienſis teſtatur, Godefredus Tuſciæ Marchio a Northmannis liberauit Romanam Eccleſiam, cum iam Richardus Northmannorum Princeps Aquinum vſque victor peruenisſet, Vrbem proxime inuaſurus, C
vt a Pontifice Imperatoris inſignia conſequi poſſet. Rem geſtam Leo in Caſſinate Chronico ſic deſcribit: [b] Interea cum memoratus Princeps Richardus rebus proſpere geſtis ſubiugata Campania ex parte, ad Romanæ Vrbis ſe vicina porrigeret, ipſiusq. Patriciatum omnibus modis ambiret: Imperator ea fama percitus, ſimul vt & bona Eccleſiæ de Northmannorum manibus, & Imperij coronam de ſummi Pontificis manu ſuſciperet, magna cum expeditione peruenit Auguſtam, ibi præſtolans Godefredum Tuſciæ Marchionem, qui Regem quotiens ingredi pararet Italiam, præire cum ſuo ſolebat exercitu. Sed quoniam Godefredus inde longe præceſſerat; Rex illud indigniſſime ferens, eamdem mox expeditionem reſidere præcepit. Dux autem copioſo vallatus exercitu Romam conceſſit] & paulo poſt: Godefredus itaque a Pontifice Cardinalibusq. comitatus, mediante iam Maio, Aquinum cum omni exercitu D
venit: ibiq. decem & octo diebus cum obſiſtentibus Northmannis, pari ſemper euentu confligens, tandem ſatagente ſtrenuiſſimo internuntio Guillelmo, cui Frons audax, cognomen fuit, ad id deducta res eſt, vt ad Pontem ſancti Angeli, qui Todiſci dicitur, vna Dux & Princeps (nam interruptus erat) ſe ad colloquium iungerent, ſicq. non parua (vt fertur) a Northmannis accepta pecunia, Dux ad propria redijt. per hos dies ſtella, quam cometem vocant, ingentem poſt ſe facem gerens, pluſquam viginti diebus viſa eſt: quæ Ducis obitus (nam paulo poſt mortuus eſt) prænuntia fuit]

[a] *Curop. in Constant. Duca.*

[b] *Leo Oſt. lib. 3. cap. 23.*

ALEX. PAPA IN NORTHMANNOS GODEFREDVM IMMITTIT.

Porro Alexander Papa, qui cum eodem ab Vrbe profectus eſt in Campaniam, Caſſinenſe monaſteriũ aſcendit, vbi ex monachis delegit aliquos, eoſq. diuerſis eccleſiaſticis officijs & dignitatibus mancipauit, de quibus iſta mox idem ſubijcit Leo: Cum prædictus Pontifex Alexander huic monaſterio maxime affectus eſſet, ſuggerente atque inE
ſtigante Hildebrando Archidiacono, ſi quos hinc Fratres a domno Abbate conſequi poterat: vel ſuo lateri ad miniſterium eccleſiaſticum ſociabat, vel certe in Epiſcopos & Abbates honorifice promouebat. Todinum igitur Berardi Marſorum Comitis filium Romam ad ſe accerſitum in Lateranenſi Patriarchio Leuitam conſtituit. Aldemarium quoque felicis memoriæ Capuanæ vrbis prudentiſſimum ac nobilem clericum, & Richardi Principis olim Notarium, qui meus in conuerſione magiſter extiterat, quiq Fratribus in Sardiniam miſſis dudum Abbas ordinatus fuerat, poſtquam ad monaſterium redijt: in eccleſia ſancti Laurentij, quæ foris muros dicitur, Cardinalem pariter, Abbatemq. ſacrauit. Ambroſium itidem Mediolanenſem prudentem & eruditum hominem Tarracinenſem Epiſcopum conſecrauit. Gerardum quoque doctiſſimum per omnia clericum Archiepiſcopum Sipontinæ eccleſiæ ſacrauit. Eodem item tempore Milo Capuani monaſterij Præpoſitus Meſſanæ eccleſiæ

ALEX. PAPA PROMOVET CASSINENSES.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Episcopus factus est, & Abbas monasterij sancti Benedicti de Salerno, cuius supra meminimus, rogatu Salernitani Principis est constitutus. Tunc etiam solemne priuilegium idem Apostolicus Desiderio Cassinensi Abbati de omnimoda monasterij libertate concessit: Ne quis omnino Episcopus, excepto Romano Pontifice, non modo in nostra, vel principali ecclesia, verum in omnibus vbicumque locorum ad nos pertinentibus cellis, vllam iurisdictionem quolibet modo sibi vsurpare præsumeret, Apostolica auctoritate interdicens. Quo etiam tempore cum Hildebrandus Capuanus Archiepiscopus elatione turgidus contra submurmurare præsumeret; publice in Synodo Romana, conquerentibus nobis, priuilegijs Apostolicæ Sedis conuictus, se peccasse confessus est. Vnde tam sibi, quam successoribus suis sub districto anathemate tunc interdictum est, ne vllam inde auderet mouere quæstionem, vllamq. prorsus contra hunc locum venerabilem proponere litem] hæc Leo.

ALEX. PAPA MITTIT VEXILLVM AD GVILLELM. DVC. NORTHMAN.

Hoc ipso anno Alexander Papa misit vexillum ad Gulielmũ Comitem Northmanniæ, vt Haroldum tyrannum occupantem Angliæ regnum post obitum sancti Eduardi Regis expelleret, atque eo vt legitimus successor eius legitime potiretur. Hæc Scriptor eius temporis Ingulphus, & post eum Matthæus Vuestmonasterienſis, & alij. De his acturi, primum quæ hæc præcesserũt, in medium afferenda, in primisq. de eiusdem sancti Eduardi Regis obitus tempore dicendũ. Constans est assertio Scriptorum omnium veterum, ipsum hoc anno Redemptoris millesimo sexagesimosexto, pridie Nonas Ianuarij, ex hac vita migrasse, cum regnasset annos vigintitres, menses sex, & dies vigintiseptem: quem postea Alexander Papa Tertius in numerum Sanctorum retulit egregie miraculis illustratum. Hic autem, quod careret sobole (virginem enim virginem reliquisse vxorem Editham, affirmant omnes res ab eo præclare gestas prosequuti) præscius proxime venturi obitus sui, anno superiori successorem Anglorum regni substituit Guilelmum Comitem Northmanniæ cognatum suum, strenuum bellatorem, iustitiæ amantissimum, atque religione maxime pium. quod vt probe factum se conseruaturum iurauit Haroldus Comes filius Goduini Comitis, tunc magister regiæ domus, penes quem summa rerum erat. Cum vero (vt audisti) hoc anno dicta die eumdem mori contigit Eduardum, sequenti die idem Haroldus, contemptor iurisiurandi, spretorq. tabularum testamenti Regis regnum inuasit, nomenq. regium sibi sumpsit. Quod vbi Guillelmus legitimus heres accepit, rem per legatos agit, quos nec auditos vbi cognouit, omnia experiri potius quam armis decernere deliberauit. hæc omnia Ingulphus sincerus eius temporis scriptor, quiq. his omnibus in Anglia præsens erat. quibus omnibus enarratis mox subijcit ista:

Cumq. hæc intermedia quotidie agerentur, & solum nuntiorum cursus & recursus tota æstate sine fructu consummarentur; Guillelmus præpropera querela Papam consuluit: & ab eo animatus, etiam vexillum legitimæ victoriæ pro munere accepit. Haroldus vero iudicium Papæ paruipendens, potius circuit, militiam colligit] quod enim iudicium Papæ spretum ab Haroldo auctor affirmat: plane insinuat Pontificem ipsum iudicem interpellatum, ex tabulis testamenti adiudicasse regnum Guillelmo, atque ex iuramento exhibito repulisse regni inuasorem Haroldum. pergit Auctor dicere, quomodo pugnandum primo fuit Haroldo aduersus Regem Noruegiæ, Haroldum pariter nominatum, ingenti classe Angliam inuadentem, quem & obtinuit in prœlio perdifficili.

GVILLELMVS COMES NORTHMANNIAE HAROLDVM TYRANNVM SVPERAT.

Post hæc vero Guillelmus Comes, classe comparata, in Angliam venit, recenti victoria tumidum aggressurus Haroldum. Præcedentem vero noctẽ certaminis, insumpsisse Guillelmi milites in confessione peccatorum suorum, & ad prœlium sese muniuisse sacratissima Eucharistiæ sumptione, qui res tunc gestas prolixius prosequuti sunt, narrant; adduntq. in ambiguo satis prœlio Deum fauisse iustitiæ, Guillelmoq. tribuisse victoriam, pridie Idus Octobris, die ipsa, qua sancti Callisti Papæ & martyris anniuersaria dies agitur in Ecclesia: vt innotesceret cunctis, quod sicut Romani Pontificis sententia & auspicio tantum susceptum est bellum, ita & Romani Pontificis regnantis in cælo fauore tanta esset obtenta victoria. Quod non ignorans ipse Guillelmus, in signum grati animi cuncta ista felicia accepta ferentis Apostolicæ Sedi, a qua vexillum acceperat: vexillum auro ac gemmis ornatum Haroldi, gratitudinis ergo, Romam misit ad Alexandrum Pontificem. hæc enim testatur Vuillelmus Malmesburienſis,

A rienſis, his verbis: Vexillum illud Papæ misit Vuillelmus, quod erat in hominis pugnantis figura, auro & lapidibus sumptuose contextum.]

Sequenti autem Natalis Domini solemnitate coronatum fuisse Regem Vuillelmũ non a Stigando sedem Cantuarienſem tum illegitime occupante, sed ab Archiepiscopo Eboracensi Aldredo, omnes affirmant, non quod id Stigandus facere recusasset, vt Nebrigensis inconsulte nimis affirmat (quam enim magno pretio id vir gloriæ cupidissimus redemisset, vt ita ea occasione Regem sibi deuincire posset) sed quod idem Stigandus eius sedis inuasor in Anglia pessime audiret ab omnibus, & iam fuisset ab Alexandro Papa sacris suspẽsus. testatur id [a] Vuillelmus, Ingulphus, & alij antiquiores omnes rerum Angliæ scriptores: Ab Aldredo igitur Eboracensium Archiepiscopo (Rogerius inquit) dicta Natalis Domini die in Vuestmonasterio consecratus est honorifice: sed prius, vt idem Archipræsul ab eo exigebat, ante altare S. Petri Apostoli, coram Clero & populo iureiurando promittens, se velle sanctas Dei ecclesias ac rectores earum defendere, necnon & cunctum populum sibi subiectum iuste ac regali prouidentia regere, rectamq. legem statuere & retinere, rapinas, iniustaq. iudicia penitus interdicere] Audisti Lector, quo promotore, quibus præuijs pietatis exercitijs Northmanni Anglicanum consecuti sint regnum, & quibus denique promissionibus ipsum se administraturum primus eorum Rex iuramento pollicitus fuerit. De eo autẽ qui ipsum coronauit, non prætermittendum quod Nebrigensis ait, Vuillelmum ipsum Anglorum Regem mirifice coluisse eumdem Aldredum initiatorem suum regiæ dignitatis, hoc in exemplum adducens: Contigit aliquando eumdem pontificem in quadam petitione a Rege repulsam passum, iratum auertere scapulam, recedentem maledictionem pro benedictione comminari. Cuis motus ille non sustinens ad pedes eius procidit, veniam petijt, satisfactionem spopondit. Cumq. optimates qui aderant, suaderent vt Regem prostratum erigeret: Sinite illum, inquit, iacere ad pedes Petri] his significans, Petro post Christum sacerdotij auctori deferri omnem honorẽ, qui defertur sanctæ Ecclesiæ sacerdotibus. at hæc satis: reliqua suis locis.

[a] *Vuillelm. rerum Angl. lib. 3. in Vuillelm. Primo.*

CVNONIS ELECTI ARCHIEP. TREVIREN. CAEDES.

Eodem anno trucidatur crudeliter Cuno Colonienſis Decanus electus Treuirensis, inter Martyres computatus, de quo ista Lambertus eius temporis scriptor. Eberhardus Treuirorum Archiepiscopus, dum in sabbato sancto tantæ diei mysterium solemniter populo exhibuisset, regressus in sacrarium, caput in sinum Archidiaconi reclinauit, circumstantibusq. fratribus spiritum exhalauit. Episcopatum eius per interuentum Colonienſis Archiepiscopi susceptit Cuno præpositus Colonienſis. Grauiter & indigne nimis tulit tam Clerus, quam populus Treuirorum, quod ipsi in electionem eius admissi, consultiq. non essent; seq. vicissim hortabantur, vt insignem hanc contumeliam insigni aliquo exemplo eluerent. Erat tum temporis Maiordomus ecclesiæ Treuirorum Diedericus Comes, adolescens tam natura ferox quam ætate. Is die, quo Episcopus vrbem ingressurus sperabatur, cum ingentibus copijs ei obuiam processit, atque in ipso lucis crepusculo, priusquam hospitio progrederetur, super eum irruens, paucos resistere tentantes occidit, ceterosq. inopino terrore perculsos facile fudit fugauitque, opes quas amplissimas aduexaret, diripuit, ipsumq. Episcopum captum traditumq. in manus carnificum, de rupe altissima præcipitari, & sic interfici iussit. Corpus eius a religiosis viris collectum, atque in monasterio Doleiensi sepultum est, vbi vsque in præsens tempus magnis (vt fertur) miraculis diuinitus sæpe illustratur] hæc Lambertus. Apud Hermannum adduntur ista: Dum eum ter per quoddam præcipitium deiecissent, & nihil sibi nisi brachium collidere possent: vnus ex illis *carnificibus* pœnitentia ductus ab eo veniam impetrauit. Alius autem volens eum decollare, maxillam eius tantum abscidit. Et sic ipse Deo dignus martyr ad Dominum migrauit Kal. Iunij, sepultus ad Abbatiam quamdam nomine Doleiam. Tres autem milites mortis illius auctores digna vltio postmodum subsecuta est: nam vnus eorum acceptum cibum deglutire non valens, alij duo manus suas lacerantes] misere obierunt. De Comite vero auctore cædis hæc Sigebertus habet: Diedericus Comes Treuirorum de martyrizato Cunone apud Deum & homines reus, exiliatur ab Imperatore. Et susceptа peregrinatione Hierosolymam eundi, quid de eo, & de omnibus qui in comitatu eius pergebant, actum sit, adhuc nescitur] hæc Sigebertus post annos quadraginta. Agit de ijsdem Marianus Scotus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

de cæde vero Cunonis ante annos duos, alij anno superiori, sequenti Sigebertus; de eodem quoque Adam canonicus Bremensis, eiusdemq. & ipse temporis scriptor: qui omnes vno consensu eumdem Martyrem nominant. sed nomenclaturam istam diuersis acceptam modis ab antiquioribus, dictum est Tomo secundo Annalium. A

CHRISTVS MISERANDVS EPISCOPI AVARI.

At quod Deus iustus iudex pro cuiusque vitæ meritis stipendia digna persoluit: quam terribilis sit in consilijs super filios hominum, hoc eodem anno, diro sane valde demonstrauit exemplo, cum in vltionē Episcopi auariſſimi dæmones carnifices præparauit. rem gestam idem Lambertus sic narrat: Reginherus Misnensis Episcopus obijt. is dum suscepto Episcopatu Goslariam veniſſet, post refectionem in cubiculum, vbi thesauros suos, quorum nimis amator erat, nullo conscio, infoderat, quasi paululum requiescere volens sese inclusit. Cumq. iam die vergente in vesperam præter modum consuetudinemq. suam somno indulgere videretur: rem insolitam mirantes cubicularij, pulsare ostium cœperunt, sed nec pulsantibus, nec vociferantibus vllum dabatur responsum. Tandem effractis foribus irrumpentes, inuenerunt cum fractis ceruicibus colore tætro exanimem ipsis thesauris suis miserabilem in modum incubantem] hæc Lambertus hoc eodem anno. B

HENRICVS REX COGITVR DIMITTERE ADALBERTVM.

Quod ad politicum statum pertinet, hoc eodem anno, cum Henricus Rex totius regni regimen transsudisset in Adalbertum Archiepiscopum Bremensem, siue Hamburgensem (ambæ simul vnitæ erant ecclesiæ) spretis Colonienſi & Moguntino Archiepiscopis, & alijs Principibus regni: rebellantes subditi primum a tributorum solutione cessarunt; inde vero aucta conspiratione, eo progressi sunt, vt Regi eam conditionem proponerent, aut regno cedendum, aut Adalbertum ab administratione regni pellendum. Quem Rex tandem dimisit vix ereptum de manibus aduersariorum, sicq. tumultus concitatus quieuit. hæc Lambertus pluribus, qui & hoc eodem anno tradit eumdem Regem matrimonio iunctum cum Berta Ottonis in Italia Marchionis filia nuptias celebrasse. C

ECCLESIA HVNGARICA TVMVLTVATVR.

Hoc eodem anno Hungarica Ecclesia, gentilitio furore grassante, periclitatur, cum videlicet anno superiore, cæcto Andrea Rege & excæcato, Bela Duce succedente, & in Regem coronato, Hungaricus infimus populus apostasiam a Christiana religione molitus, seditionem excitans; ad hoc ipsum perficiendum nouum Regem sollicitauit. Cum ille post triduum, responsione dilata, & bona spe esse suadens, discordiæ auctores interim captos, & dirissime cruciatos in omnium ipsorum conspectu necari iussit. Quo facto, tumultus ille compressus est, & Christiana religio pristinam consecuta est libertatem. At hæc pluribus hoc anno Longinus, idemq. narrat, quomodo post hæc ipse Bela Rex cum Salomone Andreæ filio Hungaricum partitus est regnū. D

PERSECVTIO IN ECCLESIA MEDIOLAN.

Sed conuertamus orationem ad miserandum statum Mediolanensis ecclesiæ, sub Guidone relapso in deterius Archiepiscopo laborantis: hic enim ad vomitum redeuntis canis instar, reuersus est turpius ad peccata illa omnia, quæ sub Petro Damiani Ostiensi Episcopo Apostolicæ Sedis Legato, publicis editis scriptis fuerat detestatus, & pro illis diluendis iniunctam ab eo susceperat pœnitentiam: nam aduersus clericos illos, qui in fide constantes fortesq. perstarent, persecutionem dirissimam excitauit, adeo vt nec se a sanguine temperaret viri sanctissimi Arialdi eiusdem ecclesiæ clerici, qui (vt superius dictum est) diu multumq. pro custodia sacrarum legum aduersus Simoniacos & Nicolaitas indefesso studio laborauit. Sic loco portenti habitum, vt qui in cathedra sederet Ambrosij, nece afficeret eos, quos sciret seruare, quæ seruasset, & seruanda prædicasset Ambrosius. E

Hoc igitur anno millesimo sexagesimosexto, quinto Kal. Iulij, martyrio idem coronatus est sanctus Arialdus opera ipsius Guidonis pseudoepiscopi Mediolanensis ecclesiæ. Erat Arialdus vir nobilitate insignis, vtpote germanus cuiusdam Marchionis, vt eius vitæ Acta docent, natus in villa inter Mediolanum atque Comum posita, cui nomen Cutiacum. Cuius res præclare gestas scripsit Syrus presbyter, qui licet nomen suum tacuerit, Andreas tamen monachus Vallis vmbrosæ ad ipsum de his scribens, aperuit. scripsit autem vitam ipsam ad Rudolphum Abbatem Vallis vmbrosæ, quam antiquitus scriptam accepimus a domno Constantino Caietano monacho Cassinensi, qui in huiusmodi antiquitatibus in lucē vendicandis fructuose laborat. Arialdus igitur insignis pietate vir, commiseratus statum Mediolanensis ecclesiæ, quam dira

A dira persecutio schismaticorum Henricianorum & Simoniacorum atque Nicolaitarum vexabat (vt audisti superius in legatione Petri Damiani ad eam ecclesiam ab his malis purgandam missi) Mediolanum se contulit anno Redemptoris millesimo quinquagesimosexto sub Victore Papa Secundo, ibiq. per decennium vsque scilicet ad præsentem annum in eadem functione iugiter perseuerans, in primis aduersus Guidonem schismaticum Archiepiscopum præuaricatorem constantissime stetit. At vero qui lupus in grege non pastor erat, eumdem ipsum Arialdum, quem iugiter patiebatur monitorem & reprehensorem infestum, dira iugiter vsque ad necem persecutione vexauit; quem tandem proditione captum, & per suos ad inaccessas solitudines trans lacum maiorem positas ductum (ne populus commoueretur) necandum curauit.

Hic ipse Arialdus, quem in Actis Mediolanensibus de legatione Petri Damiani su-
B perius recitatis diaconum eiusdem ecclesiæ Catholicam professionem edentem, audistis. Hic ipse, qui Sedis Apostolicæ auctoritate cum Landulpho nobili Mediolanensi primum, inde cum eius germano Herlembaldo milite in hunc vsque diem aduersus eosdem Nicolaitas atque Simoniacos plurimum laborauit. Sed quomodo vbi proditione captus est iussu Guidonis, & trans lacum ductus ad necem, ibi crudelissime a duobus clericis missis ab Archiepiscopi nepte, altera Iezabele, ne ab illis qui captum duxerant illuc, Arialdus occultaretur, & sic a nece subtractus viuere sineretur, fuerit interfectus, sic accipe: Vbi duo illi clerici illuc nauigio peruenissent, egressi de naue dicunt ad eos qui duxerunt: Vbi est Arialdus? Qui respondere dicentes: Mortuus est. At illi: Nobis inquiunt a nepte Archiepiscopi iussum est videre illum siue viuū, siue mortuum. Et aspicientes videre illum eminus vinctū sedentem super saxum. In quē sic anxij
C irruunt, quomodo leonum catuli super prædam famelici. Euaginatis igitur gladijs, ipsius vnus vnā, alter vero auriculam arripit alteram, dicentes: Dic furcifer: si dominus noster vere est Archiepiscopus? Qui respondit: Nec est, nec fuit vmquā, quia opus Archiepiscopi in ipso nō est, nec fuit vmquā] Etenim per simoniā ingressus, simonia sacra distrahere non cessabat, sæpeq. relapsus, eluisset iam sæpe Romanam Ecclesiā. pergit:

Tunc immites vtramque amputant aurem. At ille oculis in cælum eleuatis, ait: Gratias tibi ago, Christe, quia hodie inter tuos Martyres me dignatus es connumerare. Interrogatus denique iterum, si Guido vere esset Archiepiscopus? qui solitam animi constantiam tenens, ait: Non est. Quapropter nasus ipsius protinus cum labio su- S. ARIALDI MARTYRIVM.
periore est abscissus: deinde ambo oculi sunt effossi. Postea vero dexteram detruncant manum, dicentes: Hæc est quæ faciebat epistolas Romam directas. Dehinc ra-
D dicitus membrum amputant genitale, dicentes: Prædicator castitatis hactenus fuisti: & hinc tu castus eris. Postea vero sub gutture linguam extrahunt, dicentes: Modo sileat, quæ clericorum familiam conturbauit & dispersit. Et sic illa sancta anima carne est soluta &c.] Porro Syrus presbyter auctor eius vitæ, qui prope erat, cuncta de Christi Martyre quam exactissime perquisitans, cuncta quæ scripsit, satis superq. habuit explorata. Qui post hæc narrare pergit de luminaribus cælitus missis, qui corpus eius occultatum iterum patefacerent; sed quomodo ita sæpe detectum in profundiorem lacus voraginem demissum, atque tandem post decem menses ad ripam iectum, adhuc integrum inuentum fuerit, ac denique armis vendicatum per Herlembaldum Ducem, Mediolanum deductum, deq. alijs signis eius, qua potiretur in cælo gloria, indicibus, prolixiorem narrationem texit, quam nos bre-
E uitatis causa dimittimus. Sic igitur post sacras leges toties repetitas aduersus nefandos Nicolaitas & simoniacos, sanctorum virorum præconio peruulgatas, post tot tantosq. labores ab Apostolicis viris aduersus eiusmodi hæreses exantlatos, voluit Deus etiam sanguine tanti Martyris consignari traditam antiquam Ecclesiæ disciplinam, & asserta communi consensu Ecclesiæ sacra dogmata; profligari vero errores, qui diu multumq. densa segete in agro Ecclesiæ excreuissent.

At non hoc datū Landulpho nobili Mediolanēsi, & in prædicatione collegæ, vt martyriū consummaret, licet multa passus, sæpeq. percussus, cū immissus ad eum occidendum sicarius gladio venenato orantis ante altare collum vulnere appetisset: nam illæsus permansit, & cœpto operi ad obitum vsque institit constantissime, in cuius locum suffectus successit eius germanus Herlembaldus Dux, qui suo quidem germano felicior, sanguine meruit eidem veritati testis accedere. sed de eo suo loco dicendum erit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IOAN. XYPHILINVS PATRIARCHA CONST.

Quod vero ad res spectat Orientalis Ecclesiæ: hoc eodem anno post Constantinum Patriarcham Constantinopolitanum defunctum, subrogatur Ioannes Xyphilinus. Hic ille, qui Dionem Gassium Romanarum rerum antiquum scriptorem nobilissimum in compendium decurtauit, cuius magno damno excidit ipse integer commentarius, epitome dumtaxat vsui relicta. Sedit iste annos tredecim & menses sex, vt habet Index eorumdem Patriarcharum in codice Iuris Orientalis antiquitus collocatus. Porro de eodem ipso Curopalata plura habet, haud laude digna.

IESV CHRISTI ALEXANDRI II. PAP. VACAT. IMP. OCCID. 11.
ANNVS 1067. ANNVS 7. CONST. DVCAE IMP. 8.

LEGATIO A PAPA ALEX. MISSA AD MEDIOLAN.

ANNVS Sequitur Redemptoris millesimus sexagesimusseptimus, Indictione quinta, quo Alexander Papa cum audisset Mediolanensis ecclesiæ mutuas dissensiones & perturbationes ob simoniacos atque clericos fornicarios perseuerantes, miseratus errores & damna ex ijs iugiter prouenientia: decernit ad Mediolanenses legationem. Delecti sunt autem ad hoc munus Mainardus Cardinalis Episcopus Siluæcandidæ successor Hūberti, & Ioannes presbyter Cardinalis. Qui illuc cum peruenissent, hæc quæ sequuntur decreta seruanda præscripserunt vniuersis illius ecclesiæ ministris.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Anno ab Incarnatione Domini nostri IESV Christi millesimo sexagesimoseptimo, Pontificatus vero Domini Alexandri Secundi Papæ septimo, Indictione quinta, die primo mensis Augusti, actum feliciter Mediolani.

PRAESCRIPTAE LEGES SERVANDAE MEDIOLAN. ECCLESIAE.

Cum constet fratres charissimi, omne genus hominum sub primi parentis præuaricatione ortum, ex radice carnis peccati trahere contagia culpæ, eamq. propter hoc pœnam sustinere vindictæ, vt miserijs multis repletum, sibiq. ipsi graue & ingratum, numquam in eodem valeat permanere statu: vt quia factori suo noluit obedire, ex pœna peccati cogatur mutabilitatis suæ miserias tolerare, ita vt nec animo virtutis stabilitatem, nec corpore status tenens qualitatem, in diuersa vitiorū monstra erumpat, & præceps ad æternæ mortis interitum currat: immensa Dei bonitas humanam naturam sic vitiatam, & a se per mandatorum eius transgressionē multifariam elongatam non deseruit, sed labentem quotidie erigit, fugientem reuocat, nexibus amoris multiplicium beneficiorum sibi ligat, sed nec sic in voluntate ipsius permanenti, vel mandatis eius adhærenti leges edixit, canonesq. Spiritu sancto dictauit, modos constituit, quibus debeat anima compesci, & in bonis enutriri. quorum omnium caput, summumq. apicem, Romanam, cui per beatum Petrum non solum terram, sed ipsos cælos ligandos ac soluendos dedit, constituit Ecclesiam: vt quidquid vbique ecclesiarum prauitatis reperitur, dum ibi non poterit, ab ea quasi ab origine, & magistra omnium corrigatur.

Quapropter dilectionem vestram hortor, & per Christum rogans obtestor, ne erubescat quisquam malum emendare, quod non erubuit ante Dei oculos perpetrare. Quia igitur in hac sancta Mediolanensi ecclesia, quorumdam prauorum clericorum ac laicorum statu, vel neglectu, in multis diuinæ legis desuetudo regula: vnde in hac præclara vrbe, pernicioſa inter iustitiæ, vt videbatur fautores & malitiæ defensores orta seditio, ac mortifera in omnem intus & extra populum disseminata discordia, ad animarum interitum, qualiter per boni IESV amatoris hominum, misericordiam, & per nos qualescumque Apostolicæ Sedis Legatos, nostramq. peruigilem operam seditio in quietem, discordia in pacem, peruersitas reducta sit in rectitudinem, scripturæ titulis annotamus, vt, iuuante Domino, pacem firmam, & canonicæ rectitudinis normam, in hac sancta ecclesia in perpetuum stabiliamus. Quia itaque per constatrem nostrum Dominum Petrum Ostiensem Episcopum reuerendæ sanctitatis virum, quædam sunt olim in hac vrbe correcta, non opus est ea, vel præteritas lites omnibus notas replicare: sed quæ nunc sunt canonica disciplina a nobis statuta, ad futurorum memoriam litteris exarare.

Apostolica igitur auctoritate fulti, ex parte omnipotentis Dei & Apostolorum prin-

CONTRA SIMONIACOS.

principis Petri, glorioſiq. Confessoris Christi Ambrosij statuentes præcipimus, ac per virtutem Spiritus sancti, qui est peccatorum remissio, interdicimus, non noua præcipientes, sed antiqua reformantes: vt nullus in vniuersa huius ecclesiæ parochia monachus Abbas per pretium quocumque modo conuentum accipiat, canonicus etiam nec nisi gratis, nec vllo alio modo ordinetur. Ex nulla quoque ecclesiastici ordinis benedictione, vel ex ecclesiarum consecrationibus, vel chrismatis datione quidquam muneris a quoquam per aliquam conuentionem detur, aut accipiatur.

CONTRA CLERICOS FORNICARIOS.

Presbyter etiam, diaconus, ac subdiaconus, feminam ad fornicandū palam retinens, donec in culpa manserit, nec officium faciat, nec ecclesiæ beneficium habeat. Qui vero non retinet, & cuentu ex humana conditione ceciderit: postquam manifestum veraciter fuerit, suspendatur ab officio tantum, donec per pœnitentiam satisfecerit.

Statuimus insuper neminem prædictorum graduum clericum ex suspicione damnari, ita vt nec officio careat, nec beneficio, nisi ipse forte confessus, vel per idoneos testes veraciter sit conuictus. ne autem lædendi eos aliqua occasio pro relictis feminis eorum fiat.

Statuimus, vt cum illis in vna domo non maneant nec manducent, nec bibant, nec sine tribus, vel duobus idoneis testibus simul loquantur: & hæc seruantes, nullam pro eis calumniam patiantur: ipsi vero iuxta ecclesias, si fieri potest, habitare cogantur. Qualiter vero quisque eorum pro ordinum inæqualitate, vel culpæ varietate officium ac beneficium perdat, ideo scribimus, quia cuncta ecclesiastica officia in status sui dignitate consistere volumus, & nullum clericorum pro cuiusquam peccati culpa, vel officij sui aliqua in Deum offensa, in iudicio laicorum amodo esse permittimus, sed modis omnibus in perpetuum prohibemus.

SVPPLEAT LAICVS NEGLECTVM QVOD EST AB ARCHIEP.

Si quis autem laicus cuiusque ordinis, præscriptorum graduum clericos in potestate sua habet, cum primum sciuerit in veritate, aliquem ex eis vel feminam, sicut dictum est, retinere, vel in fornicationis crimen casu cecidisse: statim per se vel per suum nuntium hoc studeat indicare Archiepiscopo, & huius ecclesiæ Ordinarijs, quibus cura ista commissa fuerit. Si ipse, aut ipsi, illi admodum scilicet in culpa obdurato vel accidentaliter lapso interdixerint, vt dignum est, officium, ipse laicus postmodum interdicat obdurato tantum officium. Si vero Archiepiscopus, vel sui Ordinarij, postquam audierint, hoc neglexerint, ipse laicus quicumque sit, ex tunc in sua potestate, nec officium facere, nec beneficium alicui ex illis permittat tenere, donec culpam deserat, & digne Domino per pœnitentiam satisfaciat. Præcipimus, vt illud beneficium, quod cuiquam clericorum aufertur, nullus laicus in suum vsum, vel lucrum accipiat, nec alicui suorum tribuat, sed ad ipsius ecclesiæ, vel ministrantium illi opus & vtilitatem seruetur, aut expendatur, donec vel ipse, si dignus fuerit reconcilietur, vel alter loco eius constituatur.] ista pro tempore laicis Papa concessit in odium nefandorum fornicantium clericorum, quibus hæc prohibet.

Hoc etiam constituimus, & firmiter contradicimus, vt nullus laicus alicui ex illis, qui forte lapsi fuerint, vllam in prædiolis, si habet, aut in aliquibus bonis suis, vel sæculari, si forsan fuerit, beneficio, violentiam inferat, nihilq. de suis nisi ecclesiasticum beneficium prædicto modo tollat.

Similiter quoque, vt nullus laicus a cuiusquam ordinis clerico in gradu aliquo ecclesiastico benedicendo quidquam muneris exigat, vel accipiat, ne cum Simone mago particeps fiat.

Illud autem quod speciali deuotione est dignum, inuiolabili constitutione iudicamus fore in perpetuum firmum, vt huius gloriosæ sedis Antistes, qui nunc est, vel quicumque deinceps fuerit, semel aut bis si posse fuerit, sibi per omnes plebes, quicumque eas teneat, ad consignandum, & Christianitatem secundum canones perquirendum vadat: nullusq. laicus, aut clericus in hoc ei resistat, sed deuote ei in his, quæ Domini sunt, obediat, & ministret. integram quoque habeat in omnem suum Clerum canonice iudicandi, ac distringendi potestatem, tam in ciuitate, quam extra per omnes plebes, & capellas, vt dum clerici fuerint, a sæcularis iudicij infestatione securi, in diuina seruitute, & canonum auctoritate consistant quieti, & Archiepiscopo suo obediant deuoti.

Illos autem omnes clericos, & laicos, qui contra Simoniacos, & incontinentes clericos,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ricos, vt per rectam fidem, ne hæc mala fierent, operam darent, iurauerunt, & per hoc incendia, deprædationes, sanguinum effusiones, multasq. iniustas violentias fecerunt: omnimodo prohibemus, ne hæc vlterius faciant: sed semetipsos custodiendo, & pro his, qui ea non seruant, Archiepiscopo suo, & Ordinarijs huius ecclesiæ, Suffraganeisq. Episcopis, quod canonicum est suggerendo, & cum bono animo supplicando in his operam tribuant: hoc est, studium habeant. Et nulla alicuius damni vel dedecoris, quod pro huius placiti causa alicui illatum est, ex aliqua parte amodo repetitio fiat, aut odium maneat: sed pax Christi, quæ superat omnem sensum, corda vestra possideat.

Ad hæc igitur omnia conseruanda, & perenniter stabilienda, quia aliquando nonnullos magis mundana, quam æterna pœna a malo retrahit, & ad bonum compellit: Si quis ex his omnibus, qui pro officio, & potestate ecclesiastica, vel mundana hæc agere debet, & potest ea studiose & fideliter perficere, sicut præmissum est, neglexerit aut noluerit: Archiepiscopus quidem de suo centum libras denariorum persoluat: & si contempserit, donec emendet, proprio officio abstineat: Clericus autem vel laicus pro ordinis, ac dignitatis suæ qualitate, hac potestate tali mulctetur damno, vt siquidem de ordine capitaneorum fuerit, viginti denariorum libras, vassorum autem decem, negotiatorum quinque, reliquorum vero pro qualitate & possibilitate componat ad vtilitatem huius sanctæ matricis ecclesiæ: & sicut pro treuga Dei fracta per decem tot ciuitates riscattum faciat.

Si quis itaque (quod non optamus, & Dominus auertat) hæc non obseruauerit, & transgressor factus, sicut statutum est, emendare contempserit, incurrat æternæ maledictionis & anathematis vinculum, & cum Dathan & Abiron præsens atque cum Iuda traditore, Pilato & Caipha æternum subeat interitum, nisi resipiscat, & digne satisfaciat.

Omnipotens Deus, dulcissimi fratres & filij, precibus beatissimi Apostolorum principis Petri, & gloriosissimi consortis sui Ambrosij, ab his omnibus malis vos custodiat, & in bonorum obseruantiæ corda vestra, & corpora ita dirigat, vt ad promissam vobis æternæ beatitudinis hereditatem peruenire concedat. Amen.

Ego Mainardus Dei gratia Siluæcandidæ dictus Episcopus Apostolicæ Sedis Legatus huic Constitutionis paginæ a me factæ subscripsi.

Ego Ioannes S. R. E. Cardinalis presbyter, atque eiusdem Legatus, huic Constitutioni subscripsi.]

Ceterum nec his remedijs adhibitis desinit Mediolanensis ecclesia fluctuare. Nam adhuc Guidone Archiepiscopo superstite, Godefredus quidam & ipse malis artibus, vitio simoniæ in eamdem se intrusit ecclesiam. testatur id [a] Gregorius Septimus in epistola ad Longobardos.

Hoc eodem anno (quantum coniectura assequi licet ex his, quæ præcesserunt, & subsecuta sunt res Alexandri Pontificis) pro celebranda Synodo in Dania idem Papa litteras dedit ad Hamburgensem Archiepiscopum Adalbertum, ab ipso constitutum Sedis Apostolicæ Legatum. Hæc autem quomodo se habeant [b] Adam suorum temporum res gestas prosecutus, quam fidelissime sic narrat in appendice ab eo post mortem eiusdem Archiepiscopi superaddita: Archiepiscopus itaque in legatione sua talis erat, qualem & tempora & mores hominum mallent habere, ita affabilis, ita munificus, ita hospitalis erga omnes homines, vt paruula Brema ex illius magnitudine instar Romæ diuulgata, ab omnibus terrarum partibus cateruatim peteretur, maxime a septemtrionalibus populis. Inter quos extremi venerunt Islandi, Gronlandi, Gothorumq. & Orcadum Legati, petentes vt prædicatores dirigeret illuc, quod & fecit. Nam & in Daniam, Suediam, & Noruegiam, & in insulas maris ordinauit Episcopos multos, de quibus & ipse gaudens dicere solebat: Messis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo dominum messis, vt mittat operarios in [x] vineam suam. Quarum speciosa multitudine tandem exhilaratus pontifex, primus omnium statuit in Dania Synodum celebrare cum Suffraganeis suis. quoniam & temporis opportunitatem habuit, & quoniam illud regnum sufficientibus abundaret Episcopis, & quoniam multa corrigere necesse fuerat in noua plantatione, sicut & hoc quod Episcopi benedictionem vendunt, & quod populi decimas dare nolunt, & quod

[a] *Greg. lib. 1. ep. 15.*

[b] *Adam lib. 4. c. 42. 43. 44.*

HAMBVRGENSIS ECCLESIAE PROPAGATIO.

[x] messem

quod in gula vel mulieribus enormiter omnes excedunt. ad quæ omnia Romani Papæ fultus auctoritate, Regisq. Danorum promptissimum sperans auxilium, magnificum prorsus (vt semper solebat) Concilium fieri voluit omnium Aquilonarium Episcoporum. Soli diutius expectabantur Transmarini: ea res hactenus Synodum remorata est. Ad cuius rei fidem præsto sunt epistolæ, quas Papa in Daniam legauit Episcopis ad Synodum rebellibus, & ipsius Archiepiscopi litteræ alijs directæ. ex quibus duarum exemplar hic ponere duxi necessarium.

LITTERAE ALEXANDRI PAP. AD DANOS PRO SYNODO.

Alexander Episcopus seruus seruorum Dei omnibus Episcopis in regno Danorum constitutis, Apostolicæ Sedi & nostro Vicario obedientibus, salutem & Apostolicam benedictionem.

Hamburgensis Episcopus, venerabilis Vicarius noster litteris & Legatis suis conquestus est, quod quidam Edbertus Fariensis Episcopus multis criminibus inuolutus ad Synodum suam per triennium vocatus, venire contempsit. quod quia consilio quorumdam vestrorum dicitur esse factum: mandamus & Apostolica auctoritate præcipimus, vt ab huiusmodi recedatis omnino consilio, eumq. ad audientiam prædicti fratris nostri ire admoneatis, quatenus post factam examinationem canonice iudicetur. & alia quibus ibi præcipitur, vt ei obediant, & satisfactionem exhibeant] hæc Adam, qui & litteras pro celebranda Synodo ab Archiepiscopo datas ad vnum Episcoporum subiungit, his verbis:

LITTERAE ARCHIEPISC. HAMBVRG. PRO SYNODO.

Adalbertus sanctæ Romanæ & Apostolicæ Sedis Legatus, necnon & vniuersarum septemtrionalium nationum Archiepiscopus, Hamburgensis quoque prouisor indignus Vuillelmo Roschildensi Episcopo salutem.

Ad Synodum, quam apud Slasuich celebrandam esse constitui; vos venisse, aut nuntium vestrum misisse grato perciperem animo; sed de hoc alias. Nunc autem fraternitatem vestram latere nolo, quid molestiæ mihi Adaluardus Episcopus intulit. quem vobis testibus, qui ordinationi eius interfuistis, Sictoniensis ecclesiæ consecrauit pontificem, quem dum barbara gens sibi præesse noluit, Scarensem ecclesiam inuadere cœpit. Peto igitur vt nuntium meum, qui illuc iturus est, ad Dalbiensem velitis Episcopum dirigere. Hæc habui de Synodo quæ dicerem, cum & alia multa sint, quæ fastidij causa omitto] hucusque recitat Adam, subijcit vero his hæc de propagatione eiusdem ecclesiæ:

VIGINTI EPISCOPI ORDINATI AD GENTES.

Ipsi vero quos Metropolitanus ad Gentes ordinauit, plures sunt, quorum sedes & nomina didicimus ipso narrante. In Daniam itaque nouem constituit, Rudolphum ad Slasuich, Oddonem ad Ripam, Christianum ad Arhus, Heribertum ad Viburg, Magnum, & Albrittum in Vendilam insulam, Edbertum in Fionem insulam, & Falstriam, Vuillelmum in Seland, Eginonem in Scaniam prouinciam. In Suediam vero consecrauit sex, Adaluardum & Accilinum, item Adaluardum, & Tadicum, necnon Sicmeonem atque Ioannem. In Noruegiã duos tantum ipse consecrauit, Tholff, & Siuardum. Ceterum aliunde ordinatos, cum satisfacerent, & secum tenuit misericorditer, & abeuntes dimisit hilariter, sicut Meinardum, Osmundum, Bernardum, & Asgotum, aliosq. multos præterea. Turolfum quemdam posuit ad Orcadas, Isleph ad Island insulam. Sunt Episcopi quos ordinauit, omnes viginti, quorum tres abortiui extra vineam otiosi remanserunt, sua quærentes non quæ IESV Christi. quos vniuersos glorioſus Archiepiscopus decenti honore habens ad prædicandum barbaris verbum Dei prece & præmio commendabat. Ita sæpissime vidimus eum quatuor, aut quinque stipatum Episcopis (prout ipsum audiuimus dicentem) absque multitudine esse non posse] & inferius de cultu quo prosequi soleret Romanos Pontifices, ista habet: [a]

[a] *Adam lib. 4. cap. 46.*

Eodemq. studio benignitatis vtebatur erga Romanæ Sedis Legatos, quorũ clientelam & contubernium in summo coluit amicitiarum loco. Pariter gloriatus se duos tantum habere dominos, hoc est, Papam & Regem, quorum dominio iure subiaceant omnes sæculi & Ecclesiæ potestates. Illos nimirum sibi esse timori & honori. Apparuit hoc in fide viri, quam ita integram seruauit vtrisque, vt auctoritati Apostolicæ nihil præponens, antiqui honoris priuilegia Sedi Apostolicæ contenderet integra seruari debere, eiusq. Legatos summo recipiendos honore censeret. Maiestatem vero Imperatoriam quanti faceret, Episcopatus eius testis est, ideo vel maxime destructus, quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

quod a fidelitate Regis sui nec minis, nec blandimentis Principum rescindi potuit] & inferius. A Papa vero meruit hoc dignitatis priuilegium, vt totum ius suum domnus Apostolicus in illum transfunderet, successoresq. eius: adeo vt ipse per totum Aquilonem, in quibus locis opportunum videbatur, sæpe, inuitis Regibus, Episcopatus constitueret, ordinaretq. Episcopos, ex Capella sua quos vellet, electos] hæc ipse de statu illarum ecclesiarum.

[a] *Adam lib. 3. c. 5. in fin.*

Porro qui ista scribebat Adam Bremensis ecclesiæ canonicus, hoc anno se Bremam veniisse testatur [a] matricularium inter eius ecclesiæ clericos, qui fuit annus eiusdem Adalberti Archiepiscopatus vigesimusquartus. Cum ipse nihil antiquius habens quã eius ecclesiæ ortum atque progressum scribere, ad hoc peragendum, conueniendum sibi putauit Suenonem Danorum Regem, quem ceteris doctiorem atque prudentiorem acceperat, de quo ipse his verbis: [b] Nouissimis Archiepiscopi temporibus cum ego Bremam veni, audita eiusdem Regis sapientia: mox ad eum venire disposui, a quo & clementissime susceptus vt omnes, magnam huius libelli materiam ex eius ore collegi. Erat enim scientia litterarum eruditus, & liberalissimus in extraneos. Et ipse direxit prædicatores clericos in omnem Suediam, Northmanniam, & in insulas, quæ sunt in illis partibus. Cuius veraci & dulcissima narratione didici, suo tempore multos ex barbaris nationibus ad Christianam Fidem conuersos. Aliquos etiam tam in Suedia, quam Noruegia martyrio coronatos, ex quibus ait, Henricus quidam peregrinus, dum apud Sueones vlteriores prædicaret, martyrij palmam capitis abscissione meruit. Alter quidam Alfuardus nomine, inter Northmannos sancta conuersatione diu ac latenter viuens abscondi non potuit. Ille igitur dum protexit inimicum, occisus est ab amicis. Ad quorum requietionis locum magna hodieq. sanitatum miracula populis declarantur. Igitur ea, quæ diximus, vel adhuc sumus dicturi de barbaris: omnia relatu viri illius cognouimus] hæc cum dicat ipse, idem in præfatione suæ historiæ, conscripta ad Liemarum Adalberti successorem, quam rationem in reliquis conscribendis adhibuerit, sic docet: Itaque de his, quæ scribo, aliqua per schedulas dispersa collegi, multa vero mutuatus de historijs & priuilegijs Romanorum, pleraque omnia seniorum, quibus res nota est, traditione didici, testem habens veritatem, nihil de meo corde prophetari, nihil temere definiri; sed omnia, quæ positurus sum certis roborata testimonijs] ita quidem præstitit egregie, quod est pollicitus, vt neminem legerim, cuius magis candor veritatis eluceat: vt magnum duxerit sacrilegium in cuiuscumque rei tractatione mentiri. Stet in Ecclesia liber iste speculum velut, in quo boreales Nouatores, qui ediderunt eum, suas deformitates horrendas agnoscant, dum ex ea historia, quæ vera sit Ecclesia Christi Catholica, aperte videant; qualesve extiterint fundatores atque propugnatores eiusdem ecclesiæ Aquilonaris intelligant; quam insuper ab ipsis dispares, dissimiles, immo & omnino contrarij, perspicua luce cognoscant. Det illis Deus lumen ad pœnitentiam, & gratiam ad salutem.

[b] *Idem lib. 4. c. 16.*

DE ADAM HISTORICO.

OBITVS CONSTANT. DVC. IMP.

Quod ad res spectat Orientis, hoc anno Constantinus Ducas Imperator, cum imperasset annos septem & menses sex (vt tradit Curopalates) ex hac vita migrauit, tribus relictis filijs, ijsdemq. Imperatoribus cum Eudocia coniuge Imperij curatrice, quæ sic imperauit cum filijs vsque ad sequentem Indictionem: inde vero iuncta viro in eum est Imperium translatum.

Sic sub muliere Imperio constituto, Turcæ (inquit ipse Curopalates) pererrarunt vsque ad Cæsaream Cappadociæ, omnia diripientes atque euertentes, igniq. succenso cremantes, impetu quoque facto in magnum & celeberrimum sancti Basilij templum, omnia incendunt, & sacra diripiunt, & irrumpentes in ipsius Sancti sepulchrum, sanctis eius reliquijs nihil detrimenti inferre potuerunt. Erat enim diligenter præmunitum, & circumstructa quædam ædificia ita corroborata, vt ad demoliendum diuturno tempore indigerent. Ostia vero quæ foraminibus oppositæ fuerant, auro & margaritis elaborata pretiosisq. lapidibus, adimunt, omnibusq. sublatis ornamentis, inde proficiscuntur, multis interfectis Cæsarienſibus, temploq. polluto] hæc Curopalates.

S. BASILII TEMPLVM EXPILATVM ET POLLVTVM A TVRCIS.

ANnvs sequitur Redemptoris millesimus sexagesimusoctauus sexta Indictione notatus, quo Alexander Papa ad Guillelmum Regem in Anglia pro exactione denarij sancti Petri litteras ex more Apostolicas dedit, quarum fragmentum tantum ex ipsis relatum habemus in libro Censuum Romanæ Ecclesiæ, qui extat in Vaticana bibliotheca, his verbis:

EXACTIO DENARII S. PETRI IN ANGLIA.

Idem Alexander Guillelmo Regi Anglorum. *Inter cetera.*

Nouit prudentia tua Anglorum regnum, ex quo nomen Christi ibi clarificatum
B est, sub Apostolorum Principis manu & tutela extitisse, donec quidam membra mali capitis effecti, zelantes superbiam patris sui satanæ pactum Dei abiecerunt, & Anglorum populum a via veritatis auerterunt. *& paulo post:* Nam vt bene nosti, donec Angli Fideles erant, piæ deuotionis respectu ad cognitionem religionis annuam pensionem Apostolicæ Sedi exhibebant, ex qua pars Romano Pontifici, pars ecclesiæ sanctæ Mariæ, quæ vocatur schola Anglorum, in vsum fratrum deferebatur] hæc tantum ibi. quæ esset summa exactionis, ibidem recensetur.

Idem Alexander Papa inuigilans super gregem suum, Dalmatiæ ecclesias ab impudicitia clericorum expurgare laborans; hæc ad Regem Dalmatiarum aduersus im-
[a] *c. si quis amodo dist. 81.*
ALEX. PAPA AD REGEM DALMAT. ADVERSVS CLER. FORNIC.
pudicos clericos rescripsit: [a] Si quis amodo Episcopus, presbyter, aut diaconus femi-
C nam acceperit, vel acceptam retinuerit: proprio gradu decidat, vsque dum ad satisfactionem veniat, nec in choro psallentium maneat, nec aliquam portionem de rebus ecclesiasticis habeat] quibus apparet, Dalmatas nequaquam vsu Græcorum, sed Latinorum more vixisse.

BELLVM IVDAEIS NON INFERENDVM.

Consultus insuper idem Pontifex ab Hispanis Episcopis, Num liceret, sicut & Sarracenis ita & bellum inferre Iudæis; ita respondisse cognoscitur: [b] Dispar est *nimi-
*nimium
[b] *c. dispar. 23. q. 8.*
rum Iudæorum & Sarracenorum causa. In illos enim qui Christianos persequuntur, & ex vrbibus & proprijs sedibus pellunt, iuste pugnatur: hi vero vbique seruire parati sunt] [c] Extant & alia eiusdem Pontificis ad diuersos tunc consulentes responsa, quæ quo sint anno data, non constat.
[c] *c. in tuis 7. q. 2. c. notificasti, 33. q. 5.*

GVILLELMVS COMES BVRGVNDIAE DEFENSIONEM ROM. ECCL. IVRAT.

Contigit præterea inter hæc, Guillelmum Burgundiæ Comitem, & complures alios Francorum nobiles diuersorum locorum dominos coram Alexandro Papa, ac plenis-
D sima Synodo iuramento se obligare, semper cum opus esset, assurgere defensores sanctæ Romanæ Ecclesiæ. testatur hoc qui interfuit Hildebrandus Archidiaconus, postea Gregorius Papa Septimus, in epistola ad eumdem Principem data, dum ab eo pro-
[d] *Greg. Sept. lib. 1. epist. 46.*
missionem exegit. ait enim: [d] Neque enim se condecet obliuisci promissionis, qua Deo se ante corpus beati principis Apostolorum Petri, præsente venerabili antecessore nostro Alexandro Papa, Episcopis, & Abbatibus plurimis, atque diuersarum gentium multitudine, quarum non est numerus, obligauit, vt quacumque hora necesse fuisset, vestra manus ad dimicandum pro defensione rerum sancti Petri non deesset, siquidem requisita fuisset. Vnde memores nobilitatis vestræ fidei, rogamus & admonemus strenuitatis vestræ prudentiam, quatenus præparetis militiæ vestræ fortitudinem ad succurrendum Romanæ Ecclesiæ libertati, scilicet si necesse fuerit, veniatis
E huc cum exercitu vestro in seruitio sancti Petri. Et hoc idem rogamus vos monere Comitem sancti Aegidij, & socerum Richardi Capuani Principis, & Amideum filium* Adelettæ, ceterosq. quos cognoscitis sancti Petri esse fideles, & qui similiter manibus ad cælum extensis promiserc] hæc Gregorius, plane insinuans pietatem Christianorum Principum, cultumq. propensiorem erga Romanam Ecclesiam, cuius defensionis causa quæque ardua subire iuramento se obligare, non recusarint.
*Adelaidæ

DVX BOEMIAE ACCEPIT MITRAM AB ALEXANDRO.

Insuper eodẽ tempore spopondit omne studiũ Apostolicæ Sedi Vratislaus Dux Boemiæ, qui & petijt & obtinuit ab eodẽ Alexandro Pontifice vsum mitræ laicis hactenus
[e] *Idem ibid. epist. 38.*
inconcessum. id testatur idem Gregorius Septimus successor Alexandri in epistola ad ipsum Ducẽ data, in qua hæc de his habentur: [e] Longa iam temporis interualla transacta sunt, ex quo & nobilitas tua beato Petro Apostolorũ principi non modicæ deuotionis animum spopondit & studiũ, & tibi in Apostolica Sede inter ceteros Principes

Universidad de Deusto
Biblioteca

larga benignitas, præ multis etiam singularis & egregia fuit astricta charitas. Cuius rei fidem & indicium ex beneuolentia domini & antecessoris nostri Alexandri Papæ satis percepisse potes, qui petitionibus tuis non vmquam sine sua & filiorum suorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ sollicitudine & labore condescendit, & ad signum intimæ dilectionis, quod laicæ personæ tribui non consueuit, mitram quam postulasti, direxit] hæc Gregorius; qui & confirmat quod ei præstiterat Alexander. A

ROMANVS DIOGENES IMPERATOR.

Quod ad res pertinet Orientis, hoc anno, ipsis Kal. Ianuarij Indictione sexta, Romanus Diogenes Imperator declaratur, cum eum Eudocia relicta prædecessoris Imperatoris, in maritum accepisset. Qui antea perduellionis crimine reus capitis effectus, in exilium misericordiam consequutus missus, reuocatus in vrbem ad barbaros propulsandos, in thorum Imperialem, filijs consentientibus, aduocatur. Quod vero Imperatrix teneretur proprio iuramento a viro Imperatore defuncto exacto alteri non nubere, sed vidua permanere, filijs Imperium conseruare: confectam ante hæc, de his syngraphum depositã illam apud Xyphilinum Patriarcham, vt recipere posset, vsa est eunuchi vaferrimi opera, qui adiens Patriarcham, mentitus est ei, Imperatrici cordi esse, vt eiusdem Patriarchæ germanum Bardam nomine in coniugem acciperet, sed prohiberi ob syngraphum iuramento firmatam in eius manibus, viro viuente, depositam. Quod vbi Patriarcha accepisset, apud Senatores egit de infirmando, quod Eudocia præstiterat iuramento, a viro, male vt dicebatur, extorto, quorum alijs verbis, muneribus alijs & pollicitationibus in sententiam suam adductis, vbi recepta syngrapha ineundi secundas nuptias Imperatrix licẽtiam obtinuit a Patriarcha atque Senatu, sic deluso eodem Patriarcha, Romanum Diogenem (vt audisti) virum accepit. Hæc omnia pluribus Curopalates, fugillans Xyphilini Patriarchæ ignauiam, quod priuato commodo posthabuisset religionem. B C

IESV CHRISTI ANNVS 1069. ALEXANDRI II. PAP. ANNVS 9. VACAT. IMP. OCCID. 13. ROMANI DIOG. IMP. 2.

LEGATIO PETRI DAM. IN GERMANIAM.

ANNVS millesimus sexagesimusnonus sequitur, exortus Indictione septima, quo ab Alexandro Papa Petrus Damiani Legatus mittitur ad Henricum Regẽ, iuuenili furore repudiare paratum Bertam coniugem, quam ante biennium duxerat in vxorem, hoc de legatione Petri, & causa eius mittendæ legationis, a Lamberto pluribus ita in Chronico describitur, hoc anno: Post Pentecosten Vuormatiæ cum Principibus regni *idem Rex* colloquium habuit. Ibi primum cum Episcopo Moguntino rem secreto agit, eiusq. opem ad perficiendum, quod mente machinetur, obnixe implorat. Si impetret, se deinceps ei subditum, & dicto obtemperantem fore. Ad hoc Thuringos armata manu, si aliter nequeat, coacturum, vt decimas sine vlla in perpetuum contradictione persoluant. Annuente Episcopo & pactione vtrimque firmata, Rex ad publicum refert, sibi cum vxore non conuenire. Diu oculos hominum fefellisse, vltra fallere nolle. nullum ei crimen, quo iuste repudium mereatur, afferre; sed se (incertum quo fato, quo Dei iudicio) nullam cum ea maritalis operis copiam habere. Proinde per Deum orare, vt se male ominata compede absoluant; patianturq. æquo animo discidium fieri, vt illa sibi, & ipse ei, si ita Deus velit, felicioris matrimonij viam patefaciat. Et ne quis violatum semel pudorem causetur obstare iterum nupturæ, se sub iureiurando confirmare, quod eam, vt acceperit, sic incontaminatam, illibatoq. virginitatis pudore conseruauerit. Fœda res & ab regia maiestate nimium abhorrens visa est omnibus qui aderant. Negotio tamen, cui Rex tam feruide animum adiecisset, detrectare singuli religiosum arbitrabantur. Episcopus quoque tam prætiosa pollicitatione redemptus, quantum poterat salua verecundia, haud ægre causam Regis tuebatur. Itaque cunctis id fieri decernentibus, Synodum conficiẽdo negotio indixit Moguntiæ proxima post festum S. Michaelis hebdomada] & post alia ab his diuersa sic pergit eiusdem causæ tractationem describere: D E

Imminente iam die, qui scindendo Regis coniugio dictus fuerat: Rex Moguntiam concitus properabat. Et ecce inter eundum comperit Legatum Sedis Apostolicæ suum Moguntiæ aduentum præstolari, qui discidium fieri prohibeat, & Episcopo Moguntino Apostolicæ animaduersionis sententiam minitetur, quod tam nefariæ separa-

A separationis se auctorem promiserit. Consternatus ilico, quod rem diu exoptatam perdidisset e manibus: pariter quo venerat in Saxoniam redire volebat. Vix & ægre tamen amicorum consilijs superatus, ne Principes regni frustraretur, quos summa frequentia sibi Moguntiæ occurrere iussisset: Francofurt, abijt: ibiq. eos qui Moguntiæ conuenerant, statuto die adesse iussit. Quo dum frequentes venissent, Petrus Damianus (is Legatus erat Sedis Apostolicæ, vir ætate & vitæ innocentia admodum reuerendus) mandata exposuit Romani Pontificis, pessimam rem & a nomine Christiano, nedum ab regio multum abhorrentem esse, quam moliatur. Si minus humanis legibus vel canonum sanctionibus terreretur: parceret saltem famæ & existimationi propriæ, ne scilicet tam fœdi exempli venenum, ab Rege sumpto initio, totum commacularet populum Christianum, & qui vltor esse debuisset criminum, ipse B auctor & signifer fieret ad flagitium. Postremo si non flecteretur consilijs; se necessario vim ecclesiasticam adhibiturum, & canonum lege scelus prohibiturum. Ad hæc suis manibus numquam Imperatorem consecrandum fore, qui tam pestilenti exemplo, quantum in se esset, Fidem Christianam prodidisset.

REX IMPEDITVR A LEGATO NE DIVORTIVM FACIAT.

Tum vero in eum coorti omnes qui aderant Principes, aiebant, æqua censere Romanum Pontificẽ, & per Deum rogabant, ne crimen inferret gloriæ suæ, & regij nominis maiestatẽ tam turpis facti colluuione macularet. præterea ne parentibus Reginæ causam defectionis, & iustam turbandæ Reipublicæ occasionem daret: qui si viri essent, cum armis & opibus plurimum possent, tantam filiæ suæ contumeliam procul dubio insigni aliquo facinore expiaturi essent. Hac ratione fractus magis quam in flexus: Si id, inquit, fixum, obstinatumq. est vobis: imperabo egomet mihi; feramq. C (vt potero) onus quod deponere non valeo. Ita efferato magis per studium concordiæ odio, annuit quidem, vt in regni consortium Regina reuocaretur: ipse tamen, vt congressum eius conspectumq. vitaret, adhibitis sibi vix quadraginta militibus, in Saxoniam concitus redijt. Regina cum cetera multitudine & regni insignibus paulatim subsecuta est. Cumq. ad eum Goslariam venisset, vix compulsus ille a familiaribus suis, vt ei obuiam procederet, satis superq. pro consuetudine eam benigne suscepit. sed protinus refrigescente amore, ad ingenium suum, atque ad pristinum rigorem animi redijt. Et quia consilia scindendi coniugij sæpe iam tentata non processerant; statuit deinceps, communicato cum ea solum regni nomine, sic eam habere, quasi non haberet] hæc Lambertus. Constat post hæc tandem Reginam conciliatam Regi, ex eodem suscepisse filium Henricum, qui ipsi successit in regno.

D Quod autem ad Petrum Apostolica legatione perfunctum pertinet, reuersus in Italiam, cum occasione ecclesiæ Eugubinæ quid duriusculum aduersus eum Alexander Romanus Pontifex rescripsisset: amaro animo accipiens, ad eumdem hanc reddidit indignatus epistolam:

Domno Alexandro summæ Sedis Antistiti Petrus peccator monachus seruitutem.

Quod Eugubina ecclesia, quæ mihi dudum a vestris decessoribus est commissa, nunc, proh dolor! est omnino confusa, & velut area, quæ pedibus conculcatur abiecta, peccatis meis id exigentibus deputo, non vitio, quod absit, vestræ * prauitatis adscribo. Multitudo quippe meorum scelerum exigit, vt is etiam proprijs manibus meo pectori vulnus infligat, pro quo non eneruiter stans aduersus totum mundum certamen assumpsi, meq. gladijs ac sagittis totius fere humani generis durus & insuE perabilis colluctator obieci. Hoccine mihi, venerabilis Pater, meritum reddidisti, quod causæ tuæ perorator in sanctorum Pontificum Concilijs toties extiti: quod in legationis tuæ curis atque negotijs frequenter in sæcularium laicorumq. conuentu quasi quidam causidicus declamaui? Hæccine, inquam, mihi munera redhibentur, quod in hostes tuos violenter inuectus, eos mordacissime loquendo & scribendo destruxi, req. per multimodæ scriptionis articulos extuli, tuamq. memoriam & egregiæ laudis quantum in me fuit, etiam apud posteros propagaui? Quid itaque fecerim, quidve pertulerim, examinis vestri censura discutiat; ne coactus digna querela compellar effluere, quod adhuc silentio supprimens, vix possum vlterius occultare. Hoc enim nẽdum Roma me referentem vel scribentem cognouit, necdum alijs per me resista, quæ sanctitatis vestræ famam laceraret, innotuit. Agat ergo qui læsit, sicut dignum est, pœnitentiam, vt is qui læsus est, non compellatur dignam exaggerare querelam.

* paternitatis

Universidad de Deusto
Biblioteca

Mitiget olei suauitas aceti mordentis acrorem, & tumefactis asperrima verberatione vibicibus mitis ac blandis beneficiorum liquor influat lenitatem. Alioquin necesse iam erit tot ictuum verbera perferenti, vt ipse quoque. sed iam frænum libertati, procacitate linguæ repressa adhibeo, labijs digitum superpono, & qui miseriam passus sum, misericordiam versa vice deposco. A

Præterea de infelicissimo Rauennate Episcopo clementiam vestræ sanctitatis imploro, atque vt eum, sicut olim decreuistis, soluere dignemini, suppliciter obsecro. Indignum quippe est, vt propter vnius homuncionis offensam tam innumerabilis multitudo hominum depereat, & tantum Christi laborem, pro quo pretiosum sanguinem fudit, ac tot innocentum animas miserandæ vnius personæ culpa subuertat.

Nolumus autem sanctos oculos vestros onerare pluribus litteris, sed omnia quæ dicenda sunt committimus experientiæ portitoris. Hunc igitur sancta clementia vestra, B quasi me loquentem diligenter attendat, sicq. duabus petitionibus nostris, quas hic transcursim celeriterq. perstrinximus, annuat: vt & vos nuntios ac vehicula misisse per tot terrarum spacia non pœniteat, & mens nostra, quæ circa vos, non dicam tepescere, sed potius frigescere cœperat, in antiquæ dilectionis vestræ desiderium recalescat] hæc Petrus, vt vidisti, perturbato admodum animo, iustene, scit Deus. ex scriptis eius aliud præter hæc expiscari posse non datur. Illud tamen exploratissimum, Alexandrum ipsi conciliatum, eiusq. vsum opera ad componendas res ecclesiæ Rauennatis, defuncto iam Archiepiscopo, pro quo apud ipsum Pontificem intercesserat, de qua vltima eiusdem Petri legatione suo tempore dicendum erit.

GVARNERIVS ARGENTINVS EPISC. AB ALEXANDRO PAP. PVNITVR.

Eodem tempore Alexander Papa Argentinensem Episcopum Guarnerium priuauit Episcopatu ob simoniæ crimen; quem postea [a] Gregorius Septimus restituit in Synodo, de cuius restitutione inferius suo loco dicturi sumus. C

[a] *Greg. lib. 1. epist. 77.*

ALEX. PAPA DE ORDINATIS PER SALTVM.

Moritur hoc anno Rumoldus Constantiensis Episcopus maturæ admodum grauitatis vir] ita Lambertus hoc anno. Hic ille est, ad quem extat datum Alexandri huius Romani Pontificis decretum (licet perperam apud Gratianum Grimaldus legatur pro Rumoldo) de eo qui per saltum ex negligentia ordinatus est. Cuius quidem decreti idem meminit Alexander in litteris datis ad Geruasium Rhemensem Archiepiscopum, quas repertas in codice Antonij Augustini Episcopi Tarraconensis, hic ne pereant, describendas curauimus, sic se habent:

Consuluit paruitatem nostram dilectio vestra super latore præsentium, qui in clericalibus officijs educatus, subdiaconij gradum susciperé, diabolo obcæcante neglexit, & ad diaconatus & presbyterij honorem cursu præpropero non ambitiose, sed D negligenter conscendit. In quo præceptum canonicum nos inuenisse non meminimus, consilium autem ex prærogatiua auctoritatis Apostolicæ damus, sicut olim super eodem negotio Rumoldo Constantiensi Episcopo consuluimus. Ab vtriusque itaque, idest sacerdotis & Leuitæ, quod inordinate susceptum, officio suspendatur, donec congruo tempore interfit ijs, qui ad diaconij benedictum honorem, & cum eis subdiaconatus accipiat benedictionem. Prius tamen discutiendum, si eius vita digna officio habeatur, & sic si vitæ canones non obuiauerint, in priore ordinatione diaconus & presbyter teneatur. Legimus enim in Actibus Apostolorum, ad beati Petri prædicationem, Cornelium pro vitæ merito ante baptismum recepisse Spiritus sancti donū. Diuinæ igitur benignitatis clementia, quæ Cornelio ante baptismum dignata est concedere, quod purificatis fonte baptismatis specialiter solet infundere, neglectæ ordinationis minime gratiam prohibebit, ita vt ceteros quos ante subijt reseruet, si vita & scientia concordet] Hæc Alexander. E

IESV CHRISTI ANNVS 1070. ALEXANDRI II. PAP. ANNVS 10. VACAT. IMP. OCCID. 14. ROMANI DIOG. IMP. 3.

GERMANI ARCHIEPISC. CAVSAM DICVNT CORAM ROM. PONT.

MILLESIMVS septuagesimus octaua Indictione incipit annus: quo rei constituti simoniacæ labis præcipui Germaniæ Archiepiscopi Moguntinus & Bambergensis, Romam vocati causam dicere aduenerunt. Colonienſis autem alia de causa (vt

A sa (vt dicturi sumus) cum eis profectus est. Assistunt Alexandro Pontifici, qui, accepto ab eis iuramento id numquam vlterius perpetrandi, ad suas redire ecclesias libere dimissi sunt. fusius ista Lambertus, qui ob liberam dimissionem factam in suspicionem adducit, corruptum Alexandrum Pontificem fuisse muneribus. verum haud facile quis persuadeat sibi, tantum Pontificem eodem crimine, quo reos tunc iudicabat, eodemq. tempore deliquisse. Verum cum his agi debere mitius, plura suaserunt, ac primum, quod præcipuarum ecclesiarum essent Antistites, moderarenturq. regnum cum Rege: insuper, quod obedientes Apostolicæ Sedi, ad iudicium subeundum sese contulissent in Vrbem: quodq. prompto animo exhibuerint se omnino paratos, omnem quam decerneret Pontifex susciperé pœnitentiam. sicq. mitiori excipiendi sententia videbantur, ne si quid durius in eos ex seueritate censuræ canonicæ decer-
B neretur, timendum fuisset, ne perderet potius quam emendaret, quos corrigendos Romam vocasset. sed iam ipsum audi Lambertum ista sub hoc anno scribentem: inde subijciemus, in quibus auctor ipse sit corrigendus.

Episcopus Moguntinus & Colonienſis & Babenbergenſis a domino Apostolico euocati Romam venerunt. Ibi Episcopus Babenbergenſis accusatus, quod per simoniacam hæresim, data pecunia Episcopatum inuasisset, multa & pretiosa munera Papæ dedit, & per hæc efferatam aduersum se mentem eius ad tantam mansuetudinem reduxit, vt qui non sine periculo honoris & gradus sui euasurus putabatur: non solum impunitatem criminis, quod obiectum fuerat, consequeretur; sed etiam pallium & alia quædam Archiepiscopatus insignia a Sede Apostolica pro benedictione perciperet. Moguntinus Archiepiscopus vltro se Episcopatu abdicare, atque in otium priuatæ
C conuersationis secedere, magnopere cupiebat; sed tam Romani Pontificis auctoritate, quam eorum qui præsentes erant, maturioribus consilijs vix & ægre abductus est a sententia. Omnes in commune acerbe obiurgati, quod sacros ordines per simoniacam hæresim venderent, & ementibus indifferenter communicarent, manusq. imponerent. tandem accepto ab eis iureiurando, quod hæc vlterius facturi non essent, in sua cum pace dimissi sunt] hæc Lambertus. Sed apud eumdem sequenti anno, idem Archiepiscopus Moguntinus testatus est Henrico Regi, se aspere admodum ab Alexandro Romano Pontifice redargutum, vixq. sine priuatione Archiepiscopatus elapsum, quæ sequenti anno ex ipsius verbis accipies.

Sed de Colonienſi Archiepiscopo sancto Annone iam agamus, qui licet cum ijsdem Episcopis se Romam contulerit: non tamen ipse vt reus, sicut illi, causam di-
D cturus aduenit: nam tanto ab horum vitijs longe aberat, quanto vitæ sanctæ & irreprehensibilis præclaris meritis hos & alios Germaniæ Episcopos præcellebat, quem Alexander Papa charissimum habuit, & redeuntem insigni donatum munere ab Vrbe dimisit, nempe brachio sancti Cæsarij martyris, ingenti plane thesauro, ceteris Sanctorum reliquijs ipsi tunc chariore ob insigne, quod tunc Romæ meritis eiusdem sancti Cæsarij miraculum contigisse percepit. describuntur ista in vita eiusdem S. Annonis ab auctore eiusdem temporis iussu Reginhardi Abbatis Sigebergenſis eiusdem sancti Annonis æqualis. quem quidem hoc anno Romam venisse testatur ob multas suæ ecclesiæ causas, & inter eas illam fuisse præcipuā, vt Sanctorum reliquias inde acciperet, & collocaret eas in monasterijs a se tunc extructis, Cuius rei desiderio, inquit, nempe accipiendi reliquias sanctorum Martyrum, tempore quodam Romam ingressus est
E Romanorum Archicancellarius *Anno Archiepiscopus Colonienſis*, suæ deuotioni pariter & ecclesiæ consulturus vtilitatibus &c.] quonam anno Redemptoris id acciderit, idem auctor in fine capitis declarat his verbis: Ab Incarnatione Domini post millesimum sexagesimumnonum, anno septuagesimo vertente] quo & ab Vrbe rediens, acceptis in itinere ab Adelaide Alpium Cottiarum Marchionissa reliquijs venerandis sanctorum martyrum Thebæorum, collocauit eas reuersus in patriam in monasterio Sigebergensi tertio Idus Maij: brachium vero sancti Cæsarij, quod Roma secum tulerat, posuit Coloniæ in ecclesia sancti Georgij, vbi in sermone, quem ad populum tunc habuit sanctus Episcopus, de eiusdem martyris sancti Cæsarij grandi miraculo, quod accidisset in Vrbe, narrationem attexuit verbis istis:

[a] *Vit. S. Annonis lib. 1. c. 33. 34. 35. Sur. to. 6. die 4. Dec.*

S. ANNO ARCHIEP. DONATVR A PAPA BRACHIO S. CAESARII.

QVID MIRANDVM ROMAE ACCIDERIT.

In vrbe Roma vir quidam Andreas nomine non opere, diuitijs & vitæ delicijs affluens laxæ conuersationis amplam tenebat viam, animam oneri, corpus habens voluptati,

Universidad de Deusto
Biblioteca

luptati, cui præter nomen Christianitatis & emortuam fidem Christianæ religionis nihil videbatur inesse, excepto quod beato Cæsario martyri deuotus ecclesiam eius cum cæreis frequentare solebat. Hic generali mortis conditione præuentus, sero sui pœnitens vltimum efflauit spiritum. Nec mora, corpus in feretro compositum flentium & plangentium amicorũ tristi ambiebatur obsequio, sepulturam eius ob quædam impedimenta in diem alterum differentium. Itaque protractis ad medium noctis excubijs, alto silentio cunctis, altoq. stupore perfusis, repente feretrum moueri cœpit; eleuansq. caput qui iacebat exanimis, cum vndique circumspiciens, ampliorem videntibus terrorem incussisset, fugæ præsidium nonnullis arripientibus, omnibus vero pariter mente consternatis, in feretro resedit. Interim prudentiores fiducia nonnihil sumpta, procul quibusdam subsistentibus, propius accesserunt, & inspecto diligenter homine, quid rei contigisset scisciti sunt, vtrum phantasijs diaboli illuderentur, an insueta mortalibus lege ab inferis rediuiuus emersisset, vel (quod magis erat in suspicione) languoris immanitate pro mortuo habitus, oculos tantum intuentium fefellisset, ceterum vitam non plane amisisset.

Ad hæc ille grauiter suspirans: Non, inquit, simulate, sed vere mortis incidi sortem. At vero perpetuæ mortis sententiã & in anima & corpore (proh dolor!) luerem, si Cæsarij martyris digna Deo non intercessisset supplicatio. Subiungensq. secundum tenorem interrogantium: Vbi fuisset, quid vidisset, & vt redijsset, ita ait: E corpore violenter eiectus, ad terribile nimisq. pauendum Christi solium ducebar. Ibi circumstantibus cum tremore millibus Angelorũ, ego miserrimus conscientiæ reus, nec oculos in quemquam illorum supplex attollere præsumebam, solummodo districti Iudicis tristem sententiam accipiens, a tæterrimis & horrore plenis dæmonibus ad æternæ damnationis loca trahebar absque misericordia; pectusq. feriens ac nimis flebiliter ingemiscens, illius, inquit, horæ miseria nullis digne exponenda verbis, mei cordis memoria numquã elabitur. Cumq. me flentem procacissimi dæmones cachinnantes, meisq. casibus insultantes ad perditionem atrociter impellerent: pretiosus martyr Cæsarius meis calamitatibus pie commotus cum fauore sanctæ Dei Genitricis, sanctorumq. Apostolorum & Martyrum procidit ante Dominum, vulnerum suorum stigmata demonstrans & dicens: O clementissime Domine, tremendi nominis tui causa hæc quondam libenter excepi, nec erat in his perferendis, licet caro gemeret, vlla reluctatio mentis, dummodo temporalium tormentorum asperitate corpus semel enecatum, nullis deinceps tristitiæ stimulis vel animam, vel carnem, te præsidente afficeret. Quid itaque te, qui pius es, inspiciente, nouis in corde doloribus denuo premor? Ecce qui meo credulus patrocinio vitam suam mihi commisit ex integro, præceps impellitur ad inferos; iamq. merito stultitiæ arguitur, qui vana spe seductus me coluerit vt vitæ suæ gubernatorem, quem in alleuandis saltem supplicijs habere non posset intercessorẽ. In his omnibus eo coram Christo iacente, pijssima Dei genitrix Virgo Maria cum reliquis Sanctis se adiungens, Filium & Dominum suum ad voluntatem Martyris sui flexit. Per cuius imperium pessimis dæmonibus ereptus, iam veniæ securus & vitæ, corpus ad hoc reinduere iussus sum, vt his cognitis vnusquisque salutis suæ sollicitior reddatur. Hæc homine perorante, cum astantes stupor inuaderet, collegit se super feretrum & obijt.

S. CÆSARII PRECIBVS ANDREAS LIBERATVR.

Tali conclusione rem doctor egregius finiens: Omnes suspirijs & compunctione, quod audierant commendantes mox allocutus est: Et vos fratres, vosq. sorores, huius considerationem facti in cordium vestrorum secreta admittentes, ad quemcumque deuotionis & seruitij cultum vosipsos Sanctis Dei offerte, vt extremæ tribulationis angustijs arctati, quemlibet Sanctorum tanto lætior quisque vestrum illic patronum experiatur, quanto deuotior hic in eius vixit obsequio] hucusque sanctus Anno Colonensis hoc anno, ea qua diximus occasione. Quod autem ad enarratam historiam spectat, sicut in hoc, ita & in alijs eiusmodi exemplis eorum, qui ab inferis esse liberati narrantur, ea nobis sententia verior comprobatur, vt nequaquam istiusmodi ex corpore reuera decesserint, quamuis omnino decessisse sibi visi sunt, sed per ecstasim & excessum mentis, scilicet Deo volente, ea per visum fuerint assecuti, per rerum imaginem quamdam ob oculos mentis diuino ministerio repræsentatam. Etenim iudicium Dei de qualibet anima in momento & in ictu oculi fieri, quis ignorat? & neque a sen-

a sententia extremo iudicio iudicantis esse aliquam redemptionem, diuinæ Scripturæ oraculis copiosissime absque vlla ambiguitate docemur. Et solui [a] Scriptura non potest, quam sanctificauit, & misit Pater in mundum] Sed ad Annonem redeamus, qui ad sua monasteria recedens ab Vrbe, reliquias Sanctorum accepit: idem etiam priuilegium immunitatis ab Alexandro Papa est consecutus pro dicto monasterio Sigebergensi, & quidem speciali forma in gratiam specialis amici, quod ab eodem vitæ eius auctore ita describitur: [b]

[a] Ioan. 10.

[b] Vit. Ann. lib. 1. cap. 26.

ALEX. PAP. DIPLOMA S. ANNONI DATVM.

Alexander Episcopus seruus seruorum Dei Annoni Archiepiscopo sanctæ Coloniensis ecclesiæ in Christo IESV fratri charissimo.

Quod a nobis Deo dilecte frater expetis: ex officio suscepto, & Apostolica auctoritate vniuersis debemus ecclesijs. At mihi tecum, in Deo dilecte frater, aliter agendum est, quippe apud virum religiosum, & reuera tam operibus, quam nomine Episcopum. Itaque ex parte Domini nostri IESV Christi & sanctæ Dei genitricis Mariæ, sanctorumq. Apostolorum Petri & Pauli, omniumq. Sanctorum & electorum Dei, confirmamus & corroboramus Abbatiam illam in perpetuum, ne qua persona magna, vel parua, non aliquis successorum tuorum, non Rex, aut Comes, nullus inquam hominum ex ea quidquam ad destructionem loci demoliri audeat: verum omnibus inibi collatis & conferendis pax sit permanens & inconuulsa, & prima ista qua modo instituuntur, apud monachos permaneat consuetudo, sitq. illis de Abbate libera electio. Si quis huius nostri priuilegij temere violator extiterit, perpetui anathematis vinculis se innodandum nouerit, nisi forte resipiscens digne satisfecerit. qui vero pia deuotione obseruator esse studuerit; peccatorum suorum omnium consequatur veniam, & æternæ beatitudinis gloriam mereatur] hactenus descriptum ibi diploma.

LEGATIO AD ALEX. PAPA IN ANGLIAM MITTITVR.

Hoc eodem anno idem Alexander Papa Legatos a latere misit in Angliam, qui congregata illic Synodo Vuintonienſi, gradu deponerent Strigandum inuasorem ecclesiæ Cantuarienſis, qui eo titulo, quod pallium accepisset a Benedicto pseudopontifice, diu retinuisset illam ecclesiam. Quomodo autem ista se habuerint, ab antiquioribus rerum Anglicarum scriptoribus est petenda narratio, de quibus cum plures scribant, Rogerus in suis Annalibus hæc accuratius prosecutus videtur, ait enim: Eodem anno, millesimo scilicet atque septuagesimo, Concilium magnum in Octauis Paschæ Vuintoniæ celebratum est, iubente & præsente Rege Vuillelmo, Alexandro Papa consentiente, & per suos Legatos Hermenfredum Sedunensem Episcopum, & presbyteros Ioannem & Petrum Cardinales Sedis Apostolicæ suam auctoritatẽ exhibente. In quo Concilio Stigandus Doroberniæ Archiepiscopus degradatur tribus de causis, scilicet quod Episcopatum Vuintonienſem cum Archiepiscopatu iniuste possidebat: & quod viuente Roberto Archiepiscopo, non solum Archiepiscopatum sumpsit, sed etiam eius pallio, quod Cantuariæ remansit, dum vi & iniuste ab Anglia pulsus est, in Missarum celebratione aliquamdiu vsus est: & a Benedicto, quem sancta Romana Ecclesia excommunicauit, eo quod pecunia Sedem Apostolicam inuasit, pallium accepit. Frater quoque eius Agelmarus Estanglorum Episcopus est degradatus. Abbates etiam nonnulli ibi degradati sunt, operam dante Rege, vt quamplures ex Anglis suis honoribus priuarentur, in quorum loco suæ gentis personas subrogaret, ob confirmationem scilicet sui, quod nouiter acquisierat, regni. Hinc & nonnullos tam Episcopos, quam Abbates, quos nulla euidenti causa, nec Concilia, nec leges sæculi damnabant, suis honoribus priuauit, & vsque ad finem vitæ custodiæ mancipatos detinuit, suspicione, vt diximus, tantum inductus noui regni.

CONCILIVM VVINTONIENSE.

In hoc itaque Concilio dum ceteri trepidi, vtpote Regis agnoscentes animum, ne suis dignitatibus priuarentur, timerent: venerandus vir Vulstanus Vuigornienſis Episcopus possessiones quamplures sui Episcopatus ab Aldredo Archiepiscopo (dum a Vuigornienſi ecclesia ad Eboracensem transferretur) sua potentia retentas, quæ tunc eo defuncto in potestatem regiam deuenerant, constanter proclamabat, expectabatq. iustitiam fieri tam ab ipsis qui Concilio præerant, quam a Rege flagitabat. At Eboracensis ecclesia non habens pastorem, qui pro ea loqueretur, muta erat. Iudicatum est igitur, vt ipsa querela sic remaneret, quousque Archiepiscopo ibi constituto, qui ecclesiam defenderet, dum esset qui eius querelæ responderet, ex obiectis & responsis posset euidentius ac iustius iudicium fieri. Sicq. tunc ea querela ad tempus remansit]

QVERELA VVLSTANI EPISC. VVIGORNIENSIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sit] hic finis Vuintonienſis Synodi. Poſtquam Cardinales Legati ab Anglia diſceſſerunt Romam reuerſuri,* relinquentes illic Hermenfredum Epiſcopum Sedunenſem: qui paulo poſt alijs vrgentibus cauſis, aliam Synodum habuit, de qua dicere ſic pergit auctor: A

* reliquerunt

Die autem Pentecoſtes Rex apud Vuindeshoram venerando Baiocenſi canonico Thomæ Eboracenſis eccleſiæ Archiepiſcopatum,& Valcelino capellano ſuo Vuintonienſis eccleſiæ præſulatum dedit. cuius iuſſu mox in craſtino prædictus Sedunenſis Epiſcopus Hermenfredus Synodum tenuit, Ioanne & Petro Cardinalibus præfatis Romam reuerſis. In qua Synodo Agelricus Suthſaxonũ pontifex non canonice degradabatur, quẽ Rex ſine culpa mox apud Mearlesberge in cuſtodiam poſuit: Abbates etiam quamplures ſunt depoſiti, quibus depoſitis, Rex ſuis capellanis Alfracto Orientalium Anglorum præſulatum,& Stigando Suthſaxonum dedit Epiſcopatũ; nonnullis etiam Northmannicis monachis Abbatias dedit] Verũ Stigandus iſte, qui dicitur capellanus Regis, longe diuerſus ab illo Stigando nuper ex Archiepiſcopatu depoſito, de cuius fine habet iſta Vuillelmus Malmesburienſis: Quamuis *Rex* ſe blande excuſans præceptum Papæ obiectaret: non tamen opinionem affectatæ depoſitionis excluſit, quod eum toto æuo in vinculis Vuintoniæ habuerit. Ibi ergo Stigandus tenui victu vitam tolerauit, quod ei parum de Fiſco ferebatur,& ipſe ingenita mentis duritia nihil de ſuo inferri pateretur. quin & hortantibus amicis,& præcipue Regina Edgitha, Eduardi Regis relicta, vt ſe delicatius veſtiret & paſceret: per omne ſanctum peierabat, non ſe habere nummum nec valens. Sed huic ſacramento ſoliditatem veri abfuiſſe probauit ingens vis opum poſt mortem eius in ſubterraneis ſpecubus inuentarum. Ad quarum indicium vt veniretur, auxilio fuit clauicula collo exanimati dependens, quæ familiaris ſcrinij eſſet cuſtos. Ea ſeræ immiſſa manifeſtauit per chartas inuentas & qualitatem metallorum & quantitatem ponderum] hic finis nequiſſimi hominis ac ſordidiſſimi, qui diu ab ipſo tempore inuaſor alienæ ſedis, nullam cum Romana Eccleſia communicationem habere meruit. At cum hæc toleraſſet pius Rex Eduardus, Deus vltorem Regem externum immiſit vindicem acerbiſſimum eius ſcelerum: qui quidem etſi legitime per Legatos Apoſtolicæ Sedis viſus eſſet omnia peregiſſe; tamen quod depoſitis Anglis Epiſcopis, externos in locum ipſorum ſubrogari curauerit quamuis viros præſtantiſſimos, minime effugit inuidiam, quin in deteriorem partem iſta accepta fuerint, quod non zelo religionis, ſed cauſa regnandi fecerit iſta. quamobrem penes Scriptores Anglos affectatæ tyrannidis ignominiam non euaſit. Sed de ſubrogatione Lanfranci in Stigandi locum in Sedem Cantuarienſem, ex Vuillelmo rem plenius pertractante dicamus: B C D

FINIS STIGANDI PSEVDOARCHIEPISCOPI.

LANFRANCVS ORDINATVR ARCHIEPISC. CANTVAR.

Anno, inquit, Dominicæ Incarnationis milleſimo ſeptuageſimo, intrauit Anglicam terram Lanfrancus Cadomenſis cœnobij Abbas, monentibus & præcipientibus Vuillelmo glorioſo Rege Anglorum & felicis memoriæ Alexandro totius ſanctæ Eccleſiæ ſummo Pontifice. Is poſt paucos ſui introitus dies Dorobernenſem eccleſiam, *eamdem Cantuarienſem*, ſuſcepit regendam. Conſecratus eſt autem quarto Kalend. Septemb. in ſede metropoli a Suffraganeis ipſius ſedis Vuillelmo Londonienſi Epiſcopo, Siuuardo Roffenſi, Vualchelmo Vuentano, Remigio Dorenſi, ſiue Lincolnienſi, Herfaſto Helmanenſi ſiue Theofordienſi, Stigando Seleſienſi, Hermanno Schireburnenſi, Giſone Vuellenſi. Ceteri qui abſentes fuerunt, cauſas ſuæ abſentiæ tam Legatis, quam litteris oſtenderunt] hæc de ordinatione Lanfranci celebris huius ſæculi in Eccleſia Catholica luminis ſupra tantum candelabrum erecti, vt qui ſcientia egregie polleret & ſanctitate vitæ. Qui hoc ipſo anno conſecrauit Thomam nuper electum Eboracenſem Archiepiſcopum, dilata contentione nuper oborta de obedientia & ſubiectione ab eo præſtanda eccleſiæ Cantuarienſi, in ſequentem Synodum. de qua ſuo loco acturi ſumus. E

At quid Lanfranco contigit, vbi licet inuitus tantæ eccleſiæ regimen eſt conſecutus? non vtique aliter, quam quod euenire ſolet ei, qui nauigationis inſuetus, vbi in nauim immiſſus motu maris nauſeam prouocante, totus corpore animoq. turbatus, ſe deponi rogat in terram: ita plane ipſe vbi motu rerum agitari cœpit, vt dimittere poſſet Archiepiſcopatum, his datis ad eum litteris rogauit Alexandrum Romanum Pontificem:

Summo

LANFRANCVS ARCHIEPISC. CANTVAR. MISSIONEM PETIT AB ARCHIEPISC.

A Summo ſanctæ Eccleſiæ paſtori Alexandro Papæ Lanfrancus indignus Antiſtes canonicam obedientiam.

Neſcio cui aptius calamitates meas explicem, quam tibi (pater) qui ipſarum mihi calamitatum cauſa exiſtis. Nam cum de Beccenſi congregatione, in qua habitum religionis aſſumpſi, a Principe Northmannorum Vuillelmo abſtractus, Cadomenſi præeſſem cœnobio, imparq. exiſterem paucorum regimini monachorum, incertum habeo, quo iudicio omnipotentis Dei, factus ſim te cogente, ſpeculator multorum numeroq. carentium populorum. Quod cum præfatus Princeps, iam Rex Anglorum factus, multis varijsq. modis laboraret efficere; caſſis tamen laboribus ſuis, a me nullo modo potuit impetrare, quoadusque Legati tui Hermenfredus videlicet Sedunenſis Epiſcopus, atque Hubertus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis in Northmanniã venerunt, qui Epiſcopos, Abbates, eiuſdemq. patriæ nobiles conuenire fecerũt, atque in eorum præſentia, vt Cantuarienſem eccleſiã regendam ſuſciperem, ex Apoſtolicæ Sedis auctoritate præceperunt. Aduerſus hoc imbecillitas mearum viriumq. morumq. indignitas prolata in medium nihil profuit: excuſatio incognitæ linguæ, gentiumq. barbararum, nullum apud eos locum inuenire præualuit. Quid plura? Aſſenſum præbui, veni, ſuſcepi. In quo tot moleſtias, tot tædia, tantumq. ab omni fere bono defectum mentis quotidie ſuſtineo; tot aliorum in diuerſis perſonis perturbationes, tribulationes, damna, obdurationes, cupiditates, ſpurcitias, tantumq. ſanctæ Eccleſiæ caſum inceſſanter audio, video, ſentio, vt tædeat me vitæ meæ, doleamq. plurimum, me vſque ad hæc tempora peruenisſe. Mala ſiquidem ſunt, quæ in præſenti cernuntur: multo vero deteriora ex iſtorum conſideratione in futuro conijciuntur. Et ne diu celſitudinem veſtram multis magnisq. negotijs occupatam, prolixæ orationis ambitu protraham; rogo quatenus propter Deum & animam veſtram, ſicut veſtra, cui contradici fas non fuit, me auctoritate alligaſtis, ſic quoque alligatum abrupto per eamdem auctoritatem huius neceſſitatis vinculo abſoluatis, vitamq. cœnobialem, quam præ omnibus rebus diligo, repetendi licentiam concedatis. Nec in huius rei ſperni petitione debeo, quam tam pie, tam neceſſarie, tam iuſtis ex cauſis concedi mihi a vobis depoſco. B C

Meminiſſe ſiquidem debetis, nec tradi obliuioni oportet, quam benigne veſtros conſanguineos, aliosq. a Roma ſcripta deferentes, in præfatis adhuc cœnobijs conſtitutus ſæpe recepi: quam ſtudioſe eos pro captu meo, ingenijq. ipſorum, tam in ſacris, quam in ſæcularibus litteris erudiui: vt taceam multa alia, in quibus vobis veſtrisq. anteceſſoribus pro rerum ac temporum qualitate nonnumquam ſeruiui. Nec hoc iactando aut improperando, teſte conſcientia, dico; nec fauorem gratiæ veſtræ, quaſi prolatis obedientiæ meæ obſequijs ſolito maiorem captare requiro. Hoc tantum ſtudeo, harumq. litterarum is ſolum meus finis eſt, vt congruam rationem, iuſtamq. cauſam poſſim oſtendere, qua id quod peto, a veſtra munificentia, Chriſto aſpirante, valeam obtinere. Quod ſi fortaſſe conſiderata aliorum vtilitate ſecus agendum, mihiq. id denegandum eſſe decernitis: valde vobis cauendum, atque timendum eſt, ne vnde vos mercedem habere apud Deum exiſtimatis, inde, quod a veſtris actibus ſemper procul ſit, peccati periculum incurratis. Nullus eſt enim a me, aut per me in hac terra animarum profectus, aut ſi vllus exiſtit, tam paruus eſt, vt detrimentis meis comparari non poſſit. de his hactenus. D

E Ceterum quando Romæ fui, veſtramq. faciem videre, veſtroq. colloquio frui, diuina gratia concedente, promerui; rogaſtis me, quatenus in ſequenti anno circa natiuitatem Chriſti ad vos venirem, vobiſcum in palatio veſtris ſtipendijs, tribus, aut eo amplius menſibus moraturus. Verum hoc ſine magna rerum, corporisq. incommoditate me facere non potuiſſe, teſtis mihi eſt Deus, teſtes Angeli eius. Cur autem non potuerim, plures variæq. cauſæ effecerunt, quæ epiſtolari breuitate pro ſui prolixitate comprehendi non poſſunt. Sed ſi ſuperna maieſtas vitam mihi atque incolumitatem cum rerum commoditate conceſſerit, ſanctosq. Apoſtolos,& vos, ſanctamq. Romanam Eccleſiam viſitare deſidero. Quod vt fiat, rogate, obſecro, diuinam clementiam, quatenus domino meo Regi Anglorum longam vitam concedat, pacemq. ei de omnibus ſibi aduerſantibus faciat, cor eius ad amorem ſuum & ſanctæ Eccleſiæ, ſpirituali ſemper deuotione compungat. Eo enim viuente, pacem qualemcumque habe-

Universidad de Deusto
Biblioteca

habemus; post mortem vero eius, nec pacem, nec aliquod bonum nos habituros speramus] hucusque Lanfranci epistola ad Alexandrum Romanum Pontificem, quam accepi vna cum alijs ab amico coniunctissimo mihi Christiana charitate Nicolao Fabro Parisiensi, cui rerum antiquarum studiosi hoc etiam nomine bene precentur. A

Cum autem de Archiepiscopatu dimittendo spes omnis frustraretur, ad subeundũ onus impositum submittens, licet inuitus, humeros, pro accipiendo pallio ab Apostolica Sede Romam Legatos misit. Verum quod antiquæ consuetudinis esset, vt Archiepiscopi Anglicani ipsi ad Apostolorum Limina se conferrent pro pallio accipiendo: cum non obtinuisset, quod per Legatos petijsset: in eius rei excusationem misit Hildebrandus Archidiaconus has ad eum litteras:

Lanfranco venerabili Cantuariorum Archiepiscopo Hildebrandus sanctæ Romanæ Ecclesiæ Archidiaconus salutem in Domino. B

Verba Legatorum vestrorum gnauiter accepimus: sed quod voluntati vestræ immittendo absenti personæ vestræ priuilegio, vt illi petebant, rite non potuimus satisfacere, valde doluimus; neque id ægre ferat vestra prudentia: quoniam si alicui Archiepiscoporum vestris temporibus absenti hoc concessum fuisse vidissemus, profecto religioni vestræ promptissima charitate honorem hunc absque vestra fatigatione impenderemus. Vnde necessarium nobis videtur, vos Apostolorum Limina visitare, quatenus de hoc & ceteris, vna vobiscum efficacius quod oportuerit, consulere valeamus atque statuere. De cetero si Legatos nostros ad vos venire contigerit, solita charitate recipite, quod vobis in aure dixerint, prout charissimum sanctæ Romanæ Ecclesiæ filium & religiosum decet sacerdotem, procurare studete. Inter hæc autem contigit Lanfrancum Papam litteris istis consulere: C

LANFRANCVS AD ALEX. PAP. DE DVOBVS EPISC.

Vniuersæ Christi Ecclesiæ summo rectori Alexandro indignus Anglorum Archiepiscopus Lanfrancus finem inferre bonum bono principio.

Necessitate vrgente, expectare non potui, quoadusque redirent (quos ad vos transmisi) priores Legati nostri. Hermannus siquidem nostræ regionis Episcopus, qui tempore venerandæ memoriæ Leonis Papæ antecessoris vestri, relicto Episcopatu monachicam vitam petijt, nunc iterum hoc idem facere omnibus modis petit. Et nisi ego censura canonica obstitissem, iam pridem aut Regi Episcopatum reddidisset, aut clam ad monasterium confugisset. Et quidem dum virili robore atque iuuenta viguit, scientia diuinarum atque mundanarum rerum præditus, ad pastorale officium satis vtilis persona extitit; sed iam senili ætate, prolixaq. ægritudine confectus, debitam officio curam impendere vlterius non valet. Nec existimet sancta colendaq. beatitudo vestra, quod aut quibuslibet iniurijs lacessitus, aut regalibus angarijs vltra vires prægrauatus hoc facere velit: Deum omnipotentem, dulcissimamq. gratiam vestram testor, quod nec in verbis eius, dum familiari colloquio consilium animæ suæ a me quæreret, suasq. mihi negligentias confitendo aperiret, deprehendere id valui, nec a quoquam hominum tale aliquid vmquam de eo audiui, sed sicut puto, & reuera est, exactis in hac vita compluribus annis, iam tandẽ proximus morti, priusquam moriatur, a vinculis ac mole tanti oneris desiderat absolui ac liberari, & in extremo saltem vitæ suæ Psalmis, Hymnis, Orationibus, Lectionibus occupari. Propterea Apostolicæ Sedis celsitudinem consulendam putaui, quatenus ab ea instructi certissime teneamus, quid in tam excellenti, tamq. necessaria re concedere, vel facere debeamus. Nec id differri oportet, quia valde timendum est, nisi solertia vestra prouideat, ne eius corporalis incommoditas multis animabus causa perditionis existat. de hac re ista sufficiant. D E

Litifeldensis vero Episcopus, qui apud Legatos vestros de incontinentia carnis, cui vxor publice habita, filijq. procreati testimonium perhibebant, alijsq. criminibus accusatus, ad Synodum tamen eorũ venire noluit: Vnde & prædicti Legati vestri eum excommunicauerunt, Ragiq. subsituendi successorem, vt dicitur, licentiam concesserunt. In Paschali solemnitate ad curiam venit, de illatis culpis causam inire noluit, Regi in conuentu Episcoporum atque laicorum Episcopatum reddidit, se amplius non habiturum, nec successori calumniam, aut damnum illaturum iureiurando sponanea voluntate firmauit. dehinc ad monasterium, in quo ab infantia nutritus monachus fuerat, repedauit. Ego tum nouus Anglus, rerumq. Anglicarum, nisi quantum ab alijs accipio, adhuc pene insçius, in locum eius non præsumpsi vel Episcopum

A pum consecrare, vel consecrandi licentiam alijs Episcopis dare; quoad vsque preceptio vestra veniat, quæ in tanto negotio, quid oporteat fieri, informare nos debeat. ne id quoque differat Paternitas vestra: quia diu est, ex quo illa miserrima ecclesia pastore est destituta. Omnipotens Dominus det nobis semper audire de vobis, quod audire cœpimus, & audire desideramus, diligende, colende, & reuerende Pater.

Eodem anno Alexander Papa (qui imitatus sanctum Leonem Nonum, licet Romanus Pontifex creatus, numquam titulum prioris [a] Lucensis ecclesiæ dimittere voluit) emenso decennio, ex quo cœperat illic egregiam basilicam ædificare, ea iam absoluta, Lucam petijt, eamq. in honorem sancti Martini Episcopi & Confessoris Deo dicauit, pridie Non. Octobris. cui consecrationi interfuerunt vigintiduo ecclesiarum Antistites ex Cardinalibus, Archiepiscopis, & Episcopis, præter hos innumeri Abbates & alij; concessitq. vt octo dierum spacio dedicationis memoria perageretur annis singulis, concessa Indulgentia pœnitentiæ. Porro in eius basilicæ anteriori porticu adhuc versus hi in marmore sculpti leguntur: B

[a] Ex cod. antiquo Archiui cathed. Luc. eccl. qui asseruatur in bibl. Vatic.

HVIVS QVAE CELSI RADIANT FASTIGIA TEMPLI
SVNT SVB ALEXANDRO PAPA CONSTRVCTA SECVNDO.
IPSE DOMOS, SEDES PRAESENTES STRVXIT ET AEDES.
IN QVIBVS HOSPITIVM FACIENS TERRENA POTESTAS
VT SIT IN AETERNO STATVENS ANATHEMATE SANXIT.
MILLEQ. SEX DENIS TEMPLVM FVNDAMINE FACTO
LVSTRO SVB BINO SACRVM STAT FINE PERACTO.

Voluisse præterea eamdem ecclesiam Lucensem sacris reliquijs illustrare, in primis vero corpore sancti Alexandri Papæ & martyris, inscriptio posita in ecclesia sancti Alexij, quam & ipsum extruendam curasse tradunt, docet inscriptio, quæ in posteriori translatione facta hoc nostro sæculo posita est his verbis: C

CORPVS BEATISSIMI ALEX. PRIMI PONT. MAXIMI SVB HADRIANO IMP. MARTYRIO CORONATI VNA CVM CATENA QVA VINCTVS CVSTODIEBATVR, AB ALEXANDRO II. IN ARA HVIVS TEMPLI SVBTERRANEA CONDITVM DEBITA CVM REVERENTIA FVIT IN HOC ALTARE TRANSLATVM. AN. DOM. M.D.XXXIII. MENS. DECEMB. CVRANTE NOBILI VIRO ARNOLFINO AED.

Eiusdem rursus ecclesiæ vetera monumenta testantur, eumdem Pontificem detulisse Romam in eamdem a se erectam ecclesiam corpora sanctorum martyrum Iasonis, Mauri & Hilariæ, eademq. in dextero latere honorificentissime condidisse, in sinistro autem corpus S. Lucinæ. Quod vero retinuerit (vt dictum est) nomen Episcopi Lucensis ecclesiæ etiam factus Pontifex, demonstrat eiusdẽ Pontificis diploma, quod hactenus in eadem ecclesia asseruatur, in cuius fine hæc legitur subscriptio ipsius: D

✠ Ego Alexander solius Dei misericordia licet indignus sanctæ Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ Præsul & Lucensis Episcopus in hoc decreto a me facto ad confirmandum subscripsi.

Erat tunc temporis in eadem Lucensi ciuitate Ioannes Præpositus monasterij sanctitate conspicuus, cuius beneficio Alexander Papa febre curatus est. Rem gestam sic describit Desiderius Abbas Cassinensis, qui postea Victor Papa fuit, his verbis: Felicis memoriæ Alexander Papa disertissimus & eruditissimus fuit, qui primum Lucensem, postmodum Romanam rexit Ecclesiam, ex cuius ore, quæ nunc refero, de eodem Ioanne audisse me contigit. Cum quodam tempore idem præfatus Pontifex febre correptus grauiter ægrotaret, & quotidie languore crescente, vehementius fatigaretur: repente ei ad memoriam redijt, quod fama vulgante de prædicto seruo Dei sæpius audierat. Quod videlicet quicumque febre detentus hausisset ex aqua, quæ de manibus illius defluebat, dum post Missarum solemnia ablueret: mox recepta sanitate liberaretur. Latenter igitur misit, qui sibi ex illa aqua aliquantulum afferre debuisset. Cumq. hi qui missi fuerant, aquam, quam postulauerat, attulissent: mox ebibit; & ita repente sanitati pristinæ restitutus est, vt nulla in eo languoris indicia remanerent] hæc Desiderius. E

Porro quod ad reliquas anni huius memorias pertinet, non præterimus, quod huius quoque anni nota inscriptæ reperiuntur ianuæ æreæ portæ, eiusdemq. primariæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVAE IN AEREIS PORTIS ECCL. S. PAVLI NOTANTVR.

mariæ basilicæ sancti Pauli extra Vrbis mœnia, egregium pietatis monimentum: A
geminæ enim in ea sunt ianuæ, eædemq. quinquaginta quatuor partitæ æqualibus spacijs, ijsdemq. sacris imaginibus, Christi, Dei Genitricis, aliquorum Prophetarum & Apostolorum vna cum eorum martyrijs, ijsdemq. Græcis characteribus indicatis. Quod autem fusorio opere fabricatæ esse noscuntur Constantinopoli, artifex Latinæ linguæ minus disertus, vbi Latina elementa exprimere voluit, in ipsam peccasse Latinam linguam agnoscitur. sic enim se habet ipse titulus index temporis, quo & eius, qui ipsas elaborandas curauit, donauitq. dictæ basilicæ, nomen expressum habetur, in hunc modum:

ANNO MILLESIMO SEPTVAGESIMO AB INCARNATIONE DOMINI
TEMPORIBVS ALEXANDRI SANCTISSIMI PAPAE II. ET DOMINI
HILDEBRANDI VENERABILIS MONACHI ET ARCHIDIACONI IN- B
STRVCTAE SVNT PORTAE ISTAE IN REGIA VRBE CONSTANTI-
NOPOLITANA ADIVVANTE DOMINO PANTALEONE CONSVLE
QVI ILLAS FIERI IVSSIT.

Habet & hos versus superius ad Apostolū Paulum, cuius seipsum precibus cōmendat:

PAVLE BEATE PRECES DOMINO NE FVNDERE CESSES
CONSVLE MALFIGENO PRO PANTALEONE ROGANDO
DVCTVS AMORE TVI QVI PORTAS HAS TIBI STRVXIT.
ERGO SIBI PER TE RESERETVR IANVA VITAE.
SVPPLEX ERGO PETIT DOMINO QVI SEMPER ADESTIS
HVIC PRECIBVS VESTRIS DEVS ANNVAT ESSE QVOD ESTIS.

Insuper siniſtrorsum totidem hos habet versus, quibus ingredientium commen- C
dat se precibus.

TV QVOQ. QVI SACRI SVCCEDIS LIMINA TEMPLI
HAS PER QVAS INTRAS STVDIOSIVS INSPICE PORTAS
ET SIC INGRESSVS DOMINO FER CVM PRECE FLETVM
VT DEVS HVIC REQVIEM CONCEDAT HABERE PERENNEM
IMPETRET HOC ILLI SIMVL INTERCESSIO PAVLI
QVEM QVIA DILEXIT DECORAVIT MVNERE TALI.

Et inferius supplex inest imago ipsius, hoc versu ad pedes posito:

PANTALEON STRATVS VENIAM MIHI POSCO REATVS.

Cetera autem diuersorum mysteriorum signa cum eorum titulis. Primo enim loco habet Christi Domini nostri Annuntiationem, inde Natiuitatem, Simeonis occur- D
sum, Baptismum, Transfigurationem, Palmarum solemnitatem, Crucifixionem, Depositionem de Cruce, Resurrectionem, Ascensionem, & Pentecosten, cum Græce scriptis eorum titulis.

Habet insuper imaginem sancti Petri, & seorsum eiusdem sub Nerone martyrium, itemq. sancti Pauli martyrium, sancti Andreæ, & seorsum eius martyrium. Eodem quoque modo ceterorum Apostolorum atque Euangelistarum.

Habet etiam eodem opere fusili sculptos prophetas, videlicet Moysen, Dauid, Ezechiam Reges, Eliam, Elisæum, Isaiam, Hieremiam, Ezechielem, Danielem, Ionam, Habacuc, & Sophoniam prophetas, cum eorum titulis & oraculis Græce scriptis, insuper Christi nomen, & cruces in diuersis locis expressas] at de his satis.

GODEFREDI OBITVS. Moritur hoc anno Godefredus Dux Tusciæ coniunx Beatricis, de quo sæpe supe- E
rius: id Hermannus, idq. Sigebertus hoc anno. succesſit ei filius eius patris nomine dictus Godefredus Gibbus, sed in Ducatu Lotharingiæ tantum: Tusciæ autem domina & Liguriæ sola Beatrix fuit eius nouerca, mater vero Mathildis.

Quod autem mortuo hoc anno (vt dictum est) Godefredo Duce Beatricis viro, nullus alius in consortium principatus accesserit matri vel filiæ, ipsa publica monimenta declarant, in quibus absque viro aliquo, nomen tantum ipsius Beatricis habetur expressum, vt inter alia quod Florentia nuper missum accepimus, post biennium datum, cuius hoc est exordium: In Dei nomine in ciuitate Florentiæ infra palatium de domo sancti Ioannis, ibidem residebat domina Beatrix Ductrix & Marchionissa Tusciæ, ad iustitiam faciendam, & quæstiones audiendas & deliberandas, assistentibus cum ea iudicibus &c.] agitur in eo de bonis quibusdam acquirendis monaste-

A monasterio sanctæ Felicitatis sub Berta Abbatissa. vbi in fine hæc nota temporis: Ego Ioannes Notarius ex iussione prædictæ Beatricis . . . . & iudicum commonitione scripsi anno ab Incarnatione Domini nostri IESV Christi septuagesimosecundo post Millesimo quinto Kal. Martij, Indictione * xj. sequitur post hæc subscriptio quatuor iudicū. * X.

DE FRIDERICO QVI ASSERITVR PATER BEATRICIS.

Ceterum quod spectat ad Beatricis stemma, quonam fuerit orta parente, haud leuis est controuersia, auctoribus eius temporis ab inuicem dissentientibus. Etenim qui cum ea eodem vixit tempore Domnizo presbyter, in vita Mathildis, quam versibus scripsit, eam genitam ex Friderico Lotharingiæ Duce videtur asserere, dum sic ait:

Cum natam rutuli Ducis experiȳt Friderici
Coniuge cum propria Mathildis denique dicta,
Iste Beatricem Fridericus donat habere
B *Huic Bonifacio &c.*] Iste est ille Fridericus filius Godefredi Barbati Primi, cuius epitaphium scripsit Gerbertus, qui postea Siluester Secundus.

Francorum placito nomen tulit hic Friderici,
Quem proaui fudere Duces a sanguine Regum,
Officio, meritisq. parem sopor vltimus hausit,
Mercurij cum celsa domus tibi Phœba pateret]

Cum vero eadem Beatrix dicta reperiatur Henrici Quarti Regis amita, eiusq. filia ex Bonifacio Mathildis, consobrina eiusdem Henrici nominata reperiatur: a Domnizone est vtique recedendum. Fuisse Beatricem Henrici amitam tradit [a] Gregorius, immo ipse idem Henricus Rex in Gregorio: Quamobrem oportuit filiam fuisse Conradi Imperatoris, sororem vero Henrici Tertij Augusti, ex quo ipse Henricus Quartus C est natus, Mathildemq. filiam Beatricis fuisse eiusdem Regis consobrinam. quod & idem Domnizo presbyter in vita [b] Mathildis expresse iterum testatur, dum ait de Henrico Rege:

[a] *Greg. lib. 3. ep. 5.*

[b] *Domnizo lib. 2. vit. Mathild.*

QVOMODO BEATRIX AMITA HENRICI REGIS.

Ad consobrinam Mathildem misit vt ipsa &c.] & infra libro secundo, ita:
Consobrina valens fac me benedicere. Vade]

Vt igitur Mathildis Beatricis filia dicatur consobrina Henrici Quarti Regis: oportuit eius matrem Beatricem filiam fuisse Conradi Imperatoris, sororem vero germanam Henrici Imperatoris patris Henrici Regis, qui fuit, vt dictum est, consobrinus Mathildis filiæ Beatricis, vt bis idem ipse Domnizo testatur, cuius sententia, non filiam Friderici matrem eius Beatricem, vt ante dixerat, sed potius filiam fuisse Conradi, dicendum, vt & ipsa Beatrix esse potuerit amita eiusdem Henrici Quarti, prout D vocat eam ipse Henricus, & testatur qui refert eius verba, Gregorius Papa Septimus. [c]

[c] *Greg. lib. 3. epist. 5.*

MATHILDIS NVPTA GODEFREDO GIBBERO.

De Mathilde vero Beatricis huius ex primo coniuge Bonifacio filia illud etiam exploratum habetur, nuptui traditam Godefredo cognomento ex deformitate corporis sumpto, Gibbero atque Strumoso, eodemq. filio eiusdem Godefredi Barbati, eius nominis Tertij, qui fuit secundus maritus, defuncto Bonifacio, Beatricis, sieq. eadem eius filia Mathildis extiterit eiusdem Godefredi priuigna, eademq. nupta eius filio Godefredo Gibbero, qui in Ducatum Lotharingiæ patri succesſit, de quo sæpe dicendum inferius.

MATHILDES PLVRES GODEFREDIS NVPTAE.

Quod autem plures inueniantur eiusdem nominis clarissimæ feminæ Mathildes & Beatrices nuptæ eiusdem nominis Ducibus Lotharingiæ Godefredis (quod plerisque Scriptoribus errandi fuit occasio in æquiuocis laborantibus) hic operæpretium duci- E
mus eas ab inuicem proprijs distinguere differentijs. Fuit prima Mathildis Saxoniæ Comitissa nupta Primo Godefredo Barbato, ad quam hæc extat epistola Gerberti, qui postea fuit Siluester Papa:

AD MATHILDEM SAXONAM EPIST.

Mathildi Comitissæ.

Deponat domina mea Mathildis omnem querimoniam. Clarissimus vester coniunx Godefredus inter pares præcipuus, ac ipsis victoribus formidabilis hoc præcipit, exhilarare mentem, quia spiritus tristis exiccat ossa, consilia turbat. Dominæ Theophanæ Imperatrici semper Augustæ ac filio eius semper Augusto cum filijs vestris fidem purissimam seruate. Pactum cum Francis hostibus nullum facite. Francorum Reges auersamini. Castra omnia sic tenete, sic defendite, vt nullam in his habeant partem aduersarij vestri; neque pro spe liberationis mariti, neque pro terrore peremtionis eius, aut filij Friderici. Hæc xj. Kal. Aprilis, ad flumen Matronam meæ fidei

Universidad de Deusto
Biblioteca

commisit, quæ vobis plena fide retuli] hæc Gerbertus ad Mathildem. ex quibus duo perſpecta redduntur, alterum quod Mathildis coniunx fuerit Godefredi, alterum quod Fridericus fuerit ex eis genitus. quibus vetera documenta diplomatum & inſcriptionum ſepulchralium conſentiunt, quæ in commentario [a] Stemmatum Lotharingiæ notata habentur, ex quibus patet ex hoc Godefredo cognomento Barbato, & dicta Mathilde hos genitos eſſe filios, Adelberonem Epiſcopum Virdunenſem, Fridericum & Hermannum Comites, Godefredum & Gozelonem, claruiſſeq. ſub Ottone Secundo. A

[a] Stemm. Lothar. in exempl. diplom. nu. 64. &c.

Rurſum vero Beatrix alia reperitur ab illa, de qua agimus longe diuerſa, ſed quæ ſicut nomine eadem, ita eiuſdem nominis nempe Godefredo viro coniuncta fuit. Extant de his vetera monimenta ex monaſterio Belli prati in Lotharingia accepta, [b] quibus ſignificatur, eumdem Godefredum Barbatum Secundum, Primi filium, Ducem Lotharingiæ poſt defunctam priorem coniugem Gertrudem Comitiſſam de Northon, accepiſſe poſteriorem coniugem Beatricem Comitiſſam Brabantinenſem: Sic igitur ad diſtinguendas ab inuicem dicenda ſit iſta Beatrix ſenior; alia vero ſecunda nupta Tertio Godefredo huius reſpectu iunior ſit appellanda; cuius viri Godefredi Tertij, quem hoc anno eſſe defunctum diximus, eſt recitandum fragmentum diplomatis ex commentario Stemmatis Lotharingiæ Ducum, quod tamquam egregium pietatis inſigne, eius ſepulchrum exornet. ſic enim ſe habet ex æde ſumptum ſanctæ Mariæ Virdunenſis. B

[b] Ibid. nu 66. BEATRIX SENIOR NVPTA GODEFREDO SECVNDO.

In nomine [c] Domini, Amen: Quia canit diuina Scriptura: Reddite quæ ſunt Dei Deo, & quæ ſunt Cæſaris Cæſari. Igitur nouerit omnis generatio ſæculorum, quod ego Godefredus dictus Barbatus, filius inuictiſſimi Ducis Gozelonis Dux Lotharingiæ ſuperioris, Moſellanicæ & Marchio Brabrantiæ, Hasbaniæ, Arduanæ, Buillon, Comes Virdunenſis, reatum meum, mala, infeſtationes, quas eccleſiæ beatæ Mariæ Virdunenſis matri meæ intuli agnoſcens: tenore præſentium in conſpectu Crucifixi ac beatæ Mariæ, totiusq. Cleri ac populi miſericordiam de peccato commiſſo contra Deum, beatam Virginem, & proximum habere ſperans; hodie pro ſatisfactione malorum commiſſorum, do eccleſiæ beatæ Mariæ ac eiuſdem presbyteris in perpetuum, quartam partem Comitatus mei Virdunenſis, & promitto me reſtauraturum ædem hanc iuxta priſtinam formam &c. Actum publice Virduni, anno Domini milleſimo vigeſimo] ſigillum habebat ornatum ſcuto decorato Cruce ac carbunculo, ſeu eſcarbocle deſuper] ita ibi. At qui tantum Chriſtiano Principe dignum veræ pœnitentiæ ſpecimen edidit, longe maiorem etiam in terrenis ſpacijs retributionem eſt conſecutus: nam ex coniugio Beatricis maioris partis Italiæ factus eſt dominus. Sicut enim ex peccato non niſi ignominiam peccator haurit; ita ex confeſſione peccatorum & pœnitentia idem vberes gloriæ fructus colligit, ſicut Dauid & alijs legimus obueniſſe Principibus. C

[c] Stemm. Lothar. Duc. in exempl. diplom. num. 42. GODEFREDI III. EXEMPLVM VERE POENITENTIS.

D

IESV CHRISTI ANNVS 1071. ALEXANDRI II. PAP. ANNVS 11. VACAT. IMP. OCCID. 15. ROMANI DIOG. IMP. 4.

CAVSA CONSTANTIENSIS EPISC. DEFERTVR AD PAP.

SEQVITVR annus Redemptoris milleſimus ſeptuageſimusprimus, Indictione nona, quo delata Romam cauſa Caroli Conſtantienſis Epiſcopi ad Alexandrum Romanum Pontificem, accuſantibus eum eiuſdem eccleſiæ clericis, ipſo autem Sedem Apoſtolicam appellante; idem Papa delegauit eum Archiepiſcopo Moguntino, penes quem cum plus valeret iuſſio Pontificia, quam auctoritas Regis, nitentis eum liberare, eumdem Carolum teſtibus conuictum in Synodo idem Archiepiſcopus condemnauit. Scribit iſta pluribus Lambertus anno ſuperiori his verbis, ſexageſimonono poſt milleſimum: Rumoldus Conſtantienſis Epiſcopus maturæ admodum graE

[d] cap. 1. diſt. 52.

uitatis vir obijt (hic eſt ille, ad quem extat [d] Decretum eiuſdem Pontificis datum, licet apud Gratianum mendoſe Grimoldus pro Rumoldo ponatur.) Huic Carolus ſucceſſit Magdeburgenſis canonicus. Is a clericis Conſtantienſibus primo benigne ſuſceptus eſt, ſed proceſſu temporis dum pro libitu ſuo magis quam ex ratione rem gereret: indignantes clerici a communione eius ſe abſtinere cœperunt propter ſimoniacã hæreſim, per quam Epiſcopatum vſurpaſſe dicebatur, id quoque ei crimini dantes, quod

A quod pleroſque eccleſiæ theſauros furtiue abſtuliſſet. Qua accuſatione Romam perlata, Romanus Pontifex mandata direxit Moguntino Archiepiſcopo, ne vllo modo ab eo conſecraretur, donec in ſui præſentia cauſa diligentius ventilaretur] & ſub hoc anno idem auctor inferius de proſecutione cauſæ:

Carolus, cui Rex Conſtantienſem Epiſcopatum dederat, aſſiduis proclamationibus pro ordinatione ſua Sedem Apoſtolicam appellabat; e contra Fratres Conſtantienſes obſtinata contentione obluctabantur, ne contra canonum inſtituta is, qui præter ſimoniacam hæreſim furti quoque inſimulatus fuerat, ſibi Epiſcopus ordinaretur. Papa, cum ei moleſti eſſent, cognitionem cauſæ a ſe ad Archiepiſcopum Moguntinum reiecit; iuſſitq. vt vtriſque vocatis ad Synodum, rem diligentiſſime ventilaret. Et ſi crimina quæ obijciebantur, refellere non poſſet: nulla eum ratione conſecraret. Hac INDICITVR SYNODVS MOGVNTINA IN CAVSA EPISC. CONSTANTIEN.

B de cauſa Synodum Archiepiſcopus Moguntiæ indixit in menſem Auguſtum. Rex concertationem hanc iniquo valde animo ferebat propter amicitiam Caroli & plurima ſeruitia, quibus etiam in re familiari plerumque ſibi commodiſſime affuerat: & idcirco munera ſua rata ei manere cupidiſſime volebat. Vnde Moguntino Archiepiſcopo grauiter ſuccenſebat, quod non ſtatim eum, contemptis obſtrepentium Fratrum ſimultatibus ordinaſſet. Sed ille immobilis perſiſtebat in ſententia, illud præferens, quam terribiliter anno ſuperiore a Papa pro ſimili cauſa obiurgatus fuiſſet, & quam vix & ægre ſine damno gradus ſui euaſiſſet, & quod poſtea recentibus litteris Sedis Apoſtolicæ, ne ſine diligentiſſima diſcuſſione manus illi imponeret, commonitus fuiſſet. Itaque inſtantibus iam Kalendis Auguſti Rex Moguntiam properabat, cupiens ipſe in diſcuſſione tanti negotij cum Archiepiſcopo cognitor aſſidere] & in-

C ferius enarrato obitu Lupoldi Regi chariſſimi, quem eo itinere mori contigit, pergit cœptam ipſam hiſtoriam verbis iſtis:

Rex magnifice ac regaliter curato funere, Moguntiam, ſicut inſtituerat, properauit: cumq. ſtatuta die in Synodo cum Epiſcopis aſſediſſet: aderat Carolus, aderant & Fratres Conſtantienſes, magnam ei molem criminum obiectantes, contra quos Rex (quantum ſalua verecundia poterat) dedita opera nitebatur, & modo obiecta purgare, modo pondus obiectorum, quæ non poterat purgare, callidis ſermonibus nitebatur attenuare, plerumque etiam inſtantium & perurgentium procacitatem verbis durioribus corripiebat, ac frontis impudentiam, oppoſita auctoritatis ſuæ maieſtate refringere tentabat. Primum & ſecundum diem in hoc negotio inſumpſit. Cumq. accuſatorum conſtantiam nec veritate reſponſionis, nec arte dictionis eludere poſſet, DE PONITVR CAROLVS EPISCOP. CONSTANTIEN.

D ad vltimum probatis, quæ obiecta fuerant criminibus, baculum Epiſcopalem ab eo recepit: verbis tamen exquiſitiſſimis mœſtitiam eius conſolabatur, promittens, quod dum primum ſibi opportunum fieret, benigna vice hanc calamitatem ei compenſaret] & inferius eodem anno in fine: Carolus, quem ab Epiſcopatu Conſtantienſi deiectum ſupra diximus, regreſſus ad Magdeburgenſem diœceſim, ſexto Kal. Ian. obijt] hunc finem accepit homo cupidiſſimus gloriæ, qui cum malis artibus eam aſſequi conatus eſſet, meſſuit loco gloriæ ignominiam, ſimulq. mortem ex mœrore cor exedente percepit.

Hoc anno Alexander Papa vna cum S. R. E. Cardinalibus inuitatus a Deſiderio Abbate Caſſinenſi presbytero Cardinali tituli S. Cæciliæ, Caſſinum proficiſcitur ad de- ALEX. PAPA DEDICAT BASILICAM CASIN.

E dicationem nouæ baſilicæ, quam idem Abbas erexit. Celeberrima quidem omnium dedicatio fuiſſe reperitur, cui ipſe Pontifex Romanus interfuit cum omnibus Cardinalibus, qui Romæ aderant, & Archiepiſcopis decem, & Epiſcopis quadragintatribus. Sed & præſentes fuerunt Principes plures atque magnates, necnon populi innumera multitudo, inuitati omnes litteris Alexandri Pontificis. Quibus omnibus ad eamdem ſolemnitatem confluentibus, quam diebus octo voluit perdurare, Indulgentia Pontificia remiſſionem peccatorum conceſſit. hæc Leo [a] Oſtienſis pluribus narrat. [b] Qui & de occaſione eius renouandæ baſilicæ, atque ſtructura ipſius & ornamentis plu- [a] Leo Oſt. lib 3. cap. 18. 29. [b] Ibid. c. 30. 37.

ribus agit. dedicationemq. ipſam ita certa temporis nota conſignatam relinquit his verbis: Dedicata eſt eadem beati Benedicti baſilica cum quinque altaribus ſuis ipſa die Kalendarum Octobrium anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptuageſimoprimo, Indictione nona, die ſabbati] Quod autem ad numerum Indictionis ſpectat, cum ſecundum priſcum vſum a Septembri menſe nona Indictio incipiat numerari,

Universidad de Deusto
Biblioteca

rari, ac ea ratione scribenda fuisset Indictio decima: dicendum vel in codicem irrepsisse errorem, vel factam recentiori more, quo vna cum anno Indictio exordiatur. Præter Leonem Ostiensem scripsit etiam Leo Marsicanus libellum de eadem consecratione: idipsum præstitit Alphanus Archiepiscopus Salernitanus carmine, sed & Petrus diaconus in sermone de Octaua, idipsum etiam; sed quam parum fideliter, vide Apologeticum in Constantinum Bellottum. A

LANFRANCVS ARCHIEP. CANTVAR. DVPLEX PALLIVM ACCIPIT.

Hoc anno Lanfrancus, quem anno superiore consecratum vidimus Archiepiscopum Cantuariensem, & Thomas Eboracensis Romam venerunt ad Alexandrum Papam, suscepturi, ex more, ab eo pallium. Vbi cum ambo benigne ab eodem habiti essent, Lanfranco præ excellentia meritorum idem Pontifex post exhibitum pallium dari consuetum, aliud superaddidit in signum amoris, illud ipsum scilicet, quo idem Pontifex vti consueuisset in celebratione Missarum. Scribit hæc Vuillelmus Malmesburiensis in rebus gestis Anglorum pontificum, qui de controuersia eiusdem Thomæ Eboracensis Archiepiscopi contra Lanfrancum ibi coram Pontifice habita, subijcit ista: In cuius præsentia, Alexandri Papæ scilicet, Thomas calumniam mouit de primatu Dorobernensis ecclesiæ, & de subiectione trium Episcoporum, Dorcensis, siue Lincolniensis, Vuigornensis, Lecefeldensis, qui nunc est Cestrensis, dicens Cantuariensem ecclesiam atque Eboracensem parem ad inuicem honorem habere, nec alteram alteri secundum beati Gregorij constitutionem, debere vllatenus subiacere, excepto quod alterutrius Archiepiscopum priorem & digniorem oporteat esse eo quem constiterit fuisse posterius ordinatum. prædictos vero tres Episcopos suæ sedi, suisq. antecessoribus ab antiquis temporibus extitisse subiectos. Lanfrancus hoc audiens, etsi moleste tulit, modesta tamen discretione verba illius veritate penitus carere respondit, asseuerans Gregorianam illam constitutionem non de Cantuariensi & Eboracensi ecclesia, sed de Londoniensi & Eboracensi esse prolatam. B C

ALEXANDER PAPA ABSQVE APOSTOLICAE SEDIS REVERENTIAE PRAEIVDICIO DEFERT AMICO.

De qua re & de tribus Episcopis multis hinc inde verbis prolatis: decreuit Alexander Papa oportere causam hanc in Anglicana terra audiri, & illic totius regni Episcoporum & Abbatum testimonio & iudicio definiri] hæc ibi auctor, qui dum synodalia super his sequenti anno Acta recenset, de his, quæ hoc anno Romæ præsentibus ijsdem Archiepiscopis coram eodem Alexandro Pontifice gesta sunt, paulo latiorem tractatum habens, hæc adijcit: Erat, inquit, tunc temporis *Lanfrancus* in doctrina & mundi sapientia famosissimus: Et quem venerabiliter suspiceret Alexander Apostolicus. Honoris maximum fuit indicium, cum Romam venienti, sequestrato illo Romani supercilij fastu, dignanter assurgeret, professus hanc venerationem non se illius Archiepiscopatui, sed magisterio litterarum deferre. Quapropter se fecisse, quod esset honoris, illum debere facere quod esset iustitiæ, vt pro more omnium Archiepiscoporum, sancti Petri Vicarij vestigijs aduolueretur. Reddidit ille debitum, tanti amoris expertus insignia, vt quæcumque petenda putasset, haud dubio impetraret] hæc ipse de officijs Alexandri Pontificis, quibus ita amicum voluit excepisse, vt tamen non recusaret ab illo, immo exegerit, quæ deberetur Apostolico culmini reuerentia in pedum osculo ex more ab omnibus etiam Archiepiscopis exhiberi solito. Quod autem aliquorum delatione apud eumdem Pontificem facta contra Thomam Archiepiscopum Eboracensem & Episcopum Lincolniensem, qui vna cum Lanfranco Romam venerat, vterque de sua ipsorum sede periclitati essent: quomodo eodem intercedente Lanfranco apud Alexandrum Papam, fuerint restituti, ita idem Vuillelmus hic subdit: D E

RESTITVVNTVR DEPOSITI EPISCOPI.

Denique ambos itineris sui comites, Thomam Archiepiscopum Eboracensem, & Remigium Episcopum Lincolniensem baculis & anulis exspoliatos, quod primus esset filius presbyteri, secundus pro auxilijs Guillelmo venienti in Angliam præbitis, factus esset Episcopus, diuinum munus bellicosis laboribus nundinatus, precibus suis restituit officio. Papa enim pondus facti a se reijciens in eum considerationem transfudit, bene, an secus fieret, redderet ipse inuestituras si vellet, sin minus, faceret, quod commodum sciret. Ita illi de manu Lanfranci baculos & anulos recipientes lætum ad patriam cum eodem moliti sunt reditum] hactenus de beneuolentia qua Alexander Papa prosecutus est Lanfrancum Cantuariensem Archiepiscopum.

Porro Decretum reperitur eiusdem Alexandri Papæ, vt electus filius presbyteri, si virtutibus polleat, non reijciatur. Rursum vero apud eumdem Pontificem Lanfrancus illud effecit, contra ea, quæ tentarant plures Anglorum Episcopi, simulq. Rex ipse, nempe, vt pulsis ab ecclesijs cathedralibus monachis, vbi erant, clerici subrogarentur: ne id fieret, & vt ipse Alexander suis Apostolicis litteris prohiberet. rem gestam inferius Vuillelmus sic narrat: A *a.c. Apostolica. dist.66.*

Prouidens præterea per totam Angliam monachis, vt nec deplorarent necessaria, nec claudicarent a Regula: iamq. enim Episcoporum fluor increuerat, volentium ab Episcopalibus sedibus monachos, clericis immissis, extrudere. auctor huius factionis fuit Vualchelmus *Episcopus* Vuentanus ad cetera bonus, sed in hoc ad prauum consilijs susurronum flexus, plusquam quadraginta canonicos cappis & superpellicijs ornauerat. Regem in sententiam traxerat, & tantum moræ in medio, vt Archiepiscopi consensum eliceret. Is quo minus haberetur nihil dubitandum. At ille auditum facinus exhorruit, & tot potentum excogitatas machinas vt casses aranearum, solo intuitu dissoluit. Quin etiam ne id auderent posteri, egit vt Alexander Papa scriptis inhiberet. Magnum id & laudandum, vt quod sedula Sanctorum benignitas tempore Regis Edgari inchoauerat, iste labefactari non permiserit, quamuis numquam comparatione factum huius cum illorum facto pensitetur. Nam illi totius Angliæ magistri, arridente etiam Rege, facile quod vellent, efficerent; iste autem solus contra tot obsistentes rem profligauerit, & vicerit] hucusque Vuillelmus. B

Recedenti autem ab Vrbe Lanfranco Alexander Papa has litteras dedit ad Regem: A

ALEX. PAPAE EPISTOLA AD REG. ANG. PER LANFRANCVM

Alexander Episcopus seruus seruorum Dei charissimo filio Vuillelmo glorioso Regi Anglorum salutem & Apostolicam benedictionem. C

Omnipotenti Deo laudes gratiasq. referimus, quod in hoc tempore licet mundus in maligno positus, plus solito prauis incumbat studijs; tamen inter mundi Principes & Rectores egregiam vestræ religionis famam intelligimus, & quantum honoris sanctæ Ecclesiæ, tum simoniacæ hæresis vires opprimendo, tum Catholicæ libertatis vsus, & officia confirmando vestra virtus impendat, non dubia relatione cognoscimus. sed quia non ijs, qui bona demonstrant, iustitia, sed in fine probatis præmium & corona promittitur; excellentiam vestram plena dilectione monemus, vt in studio Christianissimæ deuotionis vestræ persistatis: & primo quidem ecclesias Christi, quæ in regno vestro siunt, religioso cultu, & iustis dispositionibus exornetis, commissa vobis regni gubernacula ita iustitiam tenendo tracteris, vt ex operum rectitudine, quod scriptum est: Cor regis in manu Dei, vobis manifeste congruat. D

ADMONET ALEX REGEM.

Rogamus etiam dilectionem vestram, vt ecclesiasticas personas ab iniuria defendatis: viduas & orphanos, & oppressos misericorditer releuando protegatis. Quoniam licet ille Rex Regum & supernus arbiter totius regni, quod vobis tradidit, rationem a vobis exigat: pro his tamen districtius appellabit, quibus non fuerunt vires, & arma nisi vestra potentia. Ad hæc igitur perficienda, & aliarum virtutum incrementa percipienda, fratris nostri Lanfranci Cantuariensis Archiepiscopi monitis & consilijs gloriam vestram hortamur acquiescere, quem charissimum membrum, & vnum ex primis Romanæ Ecclesiæ filijs lateri nostro assidue non adiunctū esse dolemus; sed ex fructu, quem Ecclesiæ in regno vestro tribuit, consolatione eius absentiæ sumimus.

DE CAVSIS LANFRANCO COMMISSIS.

Præterea eminentiæ vestræ notum esse volumus, quod causa Alricij, qui olim Cestrensis ecclesiæ Præsul dictus, a suppositis Legatorum nostrorum depositus est, non ad plenum nobis tractata videtur: ideoq. sicut in canonibus cautum est, in pristinum locum debere restitui, iudicauimus. Deinde causam eius iuxta censuram canonicæ traditionis, diligenter retractandam & definiendam prædicto fratri nostro Archiepiscopo Lanfranco commisimus. Item sibi negotium de discernenda lite, quæ inter Archiepiscopum Eboracensem & Episcopum Dorcacestrensem de pertinentia diœcesis eorum est, firmiter iniungendo commendauimus, vt hanc causam diligentissima perquisitione pertractet, & iusto fine determinet. In causis autem pertractandis & definiendis ita sibi nostræ & Apostolicæ auctoritatis vicem dedimus, vt quidquid in eis, iustitia dictante, determinauerit, quasi in nostra præsentia definitum deinceps firmum & indissolubile teneatur. Multa vobis præter hæc significata dedissemus, nisi quod ea in huius dilectissimi fratris nostri Lanfranci, & eiusdem fidelissimi E

LANFRANCVS DECERNITVR LEGATVS APOST.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DIOGENIS IMP. MISERANDVS FINIS.

delissimi vobis ore posuimus, vt eius viua voce,& nostræ dilectionis affectum plenius cognoscatis, & reliqua nostræ legationis verba attentius audiatis. Deus autem omnipotens det vobis quæcumque sibi sunt placita, velle & posse, vt & hic auctor sit vestri gubernaculi, & retributor in gloria sempiterni gaudij.] hactenus Alexander.

Conuertamus orationem ad res Orientis. Hoc anno Romanus Diogenes Imperator, cum imperasset annos tres & menses octo (vt testatur Curopalata) miserando exitu ex hac vita decedit. habitus plane (si Christiano dicere licet) fortunæ ludus, vtpote qui statim ex imo ad summum, rursumq. ex summo ad imum maiori impetu ruit. plane secundum illud prouerbiorum: [a] Ante contritionem præcedit superbia, & ante ruinam exaltatur spiritus] homini contigit. Cum enim pugnans aduersus Turcas oblatam pacem ab Asam Sultano per Legatos magno arrogantiæ supercilio reiecisset, ipsumq. cum suis proficiscentem esset aggressus, diremptus noctis crepusculo cum rediret ad suos: postremæ acies existimantes illum fugere, in fugam seipsos irreuocabilem dederunt, adeo vt fuga milites sparsos adoriendi hostibus occasio fuerit patefacta, qua bene vsi, victoriam insperatam adepti, captiuum duxerunt etiam Imperatorem, quem ille benigne habuit, sua quoque mensa dignatum. Sed cum aliquando (inquit Curopalates) Sultanus eum interrogasset: Quid mihi fecisses, si me in tua potestate habuisses? simpliciter & sine adulatione respondit Imperator: Multis plagis bene notis tuum corpus confecissem.

a Prov. 16.

A

B

At ego, inquit Sultanus, tuam seueritatem aut crudelitatē non imitabor. Verumtamen audio vestrum vobis præcipere Christum pacem & obliuionem malorum, superbisq. resistentē humilibus gratiam dare] præstititq. ex animo Dux barbarus, quod promisit: nam inito cum ipso fœdere, facta pace perpetua, habita filiorum ratione, & successorum omnium, numquam amplius Romanum Imperium a Turcis inuadendum, labefactandumq. fore pollicitus, captiuos etiam relaxari præcepit, ipsumq. per suos Legatos deduci iussum amplexatum dimisit. Cum interea perlato de clade nuntio Constantinopolim, mox alium subrogarunt Imperatorem Michaelem Constantini Ducæ filium, coguntq. exulare Eudociam Imperatricem, in monasteriumq. detrudunt. Missusq. Andronicus in occursum Diogenis Imp. eumdē captum, nigraq. veste indutum super mulum, humanæ miseriæ spectaculum factum toto illo perlongo itinere, perduxit: quem & iussit nouus Imperator effodi oculis; sed vulneribus ex suffossione oculorum non curatis, cum eius caput intumuisset, vermibusq. scateret, graueolens, horribilis visu, vt humanum ostentum expositus omnium oculis, finem viuendi fecit, luens hic pœnas, ne æternas incurreret. Nam de ipso illud idē Curopalata memoria dignum prodit: In talibus, inquit, & tot malis nullum maledictum protulit, neque aliquid nefarij locutus est, sed Deo gratias agere perseuerabat, casus æquo animo ferens] de eodemq. ad postremum hæc addit: Hic Imperator Episcopatū Nazianzi ad iura metropolitana perduxit] Equidē puto ipsum studiosum S. Gregorij Nazianzeni, eius beneficio ita saluatū, quē & imperasse annos tres & menses octo testatur.

MICHAEL VII. DVCAS IMP.

C

D

Qui autem subrogatus est Imperator Michael Ducas, fuit iste Constantini Ducæ Augusti filius, idemq. iam ante decennium vna cum Ioanne Duca patruo & fratribus Cæsar appellatus, dictus cognomento Parapinaceus, eiusq. nominis, Michael Septimus, coronatus a Ioanne Xyphilino Patriarcha, eodemq. honore insignita eius coniunx Maria Alana Augusta. hæc ex Curopalata, Zonara, & alijs Græcis atque Latinis auctoribus.

E

Huius Imperatoris tempore claruisse Theophylactum Archiepiscopum Bulgarorum, cuius extant inter alia nobiles commentarij in quatuor Euangelia, certum est. Quod autem ipsum sub Basilio Seniore Imperatore, anno Redemptoris octingentesimo octogesimotertio claruisse posuerit Panuinus in Fastis, vel Sixtus Senensis in sua bibliotheca eū sub Michaele Porphyrogenito, qui cœpit imperare cum Theodora Augusta matre anno octingentesimo quadragesimosecundo, vixisse tradiderit, vel alij, qui eodē ipsum sæculo floruisse dixerint: a veritatis scopo longe longius ij omnes aberrasse noscuntur. Euidētissima enim ad conuincendum errorē testimonia eliciuntur ex eiusdem Theophylacti scriptorum monimentis, epistolis inquam ipsius, quæ numero quinquaginta nouem Græce scriptæ extant in Vaticana bibliotheca, industria viri disertissimi Iacobi Sirmondi Societatis IESV professoris in lucem ex abditis vendicatæ, atque

DE THEOPHYLACTI TEMP. ERRORES ALIORVM ARGVVNTVR.

atque Latinitate donatæ, sed nondum cusæ: Ex his, inquam, eius epistolis multiplici argumento monstratur, non ante annos ducentos, sed hoc ipso tempore ipsum Theophylactum claruisse, quod scilicet eius epistolæ vel datæ habeantur ad eos, qui hoc ipso tempore vixisse noscuntur, vel in eis eorumdem vitæ mentio habeatur, adeo vt de his dubitandi locus amplius non supersit.

A

QVOD TEMPORE MARIAE AVG. VIXIT.

Atque in primis, quæ primo loco posita est ipsius epistola ad Mariam Imperatricem conscripta, omnem de his dirimit controuersiam. Siquidem a tempore Michaelis Augusti, qui regnauit cum Theodora matre, non est auditum vsque ad Isacium Comnenum, vt Augustarum aliqua fuerit nominata Maria: siue igitur ad illam, siue ad hanc Mariam Alanam dictam vxorem Michaelis, de quo est sermo, datam velis epistolam: cum eædem hoc eodem tempore vixisse noscantur: manifesto sunt argumento,

B

Theophylactum, qui ad alteram earum scripsit, eodem pariter cum eis vixisse tempore. sed adde his adhuc manifestiora.

QVOD TEMPORE DVCARVM FAMILIAE IMPP. VIXIT.

Est eiusdem Theophylacti epistola numero decimatertia ad sororium Imperatoris Ioannem Ducam, cuius est exordium: Nunc demum agnoui &c.] vbi post multa, compellans primatium ipsum Principis hominem & consanguineum, hæc habet: Ceterum o fortunatum Ducarum genus, recta omnia & honesta in te ipso complectens, in hac mihi bonitate persiste &c.] Cum igitur ex his constet, tunc ipsum ea scripsisse, cum Constantinopoli Ducarum familia imperaret: quis fingere poterit, Basilij tempore vixisse Theophylactum, & non potius his temporibus, cum Ducæ imperitarent? His autem ex eadem epistola & alijs addere possumus, quod cum constet ex eis, Bulgariam his temporibus, quibus easdem ipse scripsit, non sub Regibus Bulgaris, sed

VIXIT THEOPHYL. CVM BVLGARI ESSENT SVB IMP. CONST.

C

sub magistratibus ab Imperatore Constantinopolitano missis administrari: nihil certe est, vt ad illa Basilij tempora ea referri possint, quibus constat, proprios Bulgaros suos habuisse Reges.

QVOD VIXIT TEMP. COMNENORVM IMPP.

Quod insuper hoc ipso tempore constet, non semper imperasse Constantinopoli successiue Ducas, sed interpositum Imperium Comnenorū: (nam post Isacium Comnenum Imperatorem capessiuit Imperium Constantinus Ducas, ac rursum post Constantinum, eiusq. filium Michaelem Ducam, atque ab hoc genitum Constantinum Ducam, atque eius successorem Nicephorum Boroniatem ad Comnenos Imperium redijsse, cum post eum Alexius Comnenus est moderatus & ad multum temporis spacium Imperium Orientis: cum æque sicut Ducarum Imperij, ita & Comnenorum sit mentio in eiusdem Theophylacti litteris: nam eius epistola octaua hæc habet:

D

Vides quomodo tam facile colendissimi domini Comneni sigillum subuersum est ab ipsomet Comneno? &c.) affirmare vtique necesse est, Theophylactum ipsum Bulgariæ Archiepiscopum eam functionem administrasse hoc tempore, quo siue Ducæ, siue Comneni Constantinopoli imperabant.

EX TEMP. BORISIS REG. BVLG. ARGVITVR MENDACIVM.

His etiam adde maiora, quæ de his adhuc certiorem faciant fidem. Quod enim tempore, quo isti ponunt, Theophylactus non potuerit esse Archiepiscopus Bulgarorum: ex vna epistolarum eius, notata numero decimoseptimo, sume irrefragabile argumentum: Cum enim in ea mentio fiat Borisis Bulgarorum Regis, qui vixit (vt Zonaras & alij ostendunt) post centum annos, nēpe sub Nicephoro Phoca & Ioanne Zemisce Imperatoribus, plane apparet, non tunc ipsum vixisse sub Basilio, sed longe post illa tempora ipsum Theophylactum Bulgarorum præfuisse ecclesiæ Archiepiscopum. Sed

E

& cum ibi meminit de ecclesijs ab eodem Rege antea ædificatis, & post multum spaciū temporis vnam ex illis dirutam proponit restituendam: plane demonstrat, longe postea ab eo tempore eumdem Theophylactum claruisse. Sunt hæc eius verba ad filium Sebastocratoris: Oro igitur, & his litteris tamquam corpore supplex procumbo, vt miserearis felicissimæ quondam ecclesiæ, quam Christianissimus ille Borises Bulgarorum Rex vnam & ipsam e septem Catholicis ædificauit, tu renoua &c.] hæc sunt quæ ex epistolis eius manifesta de tempore, quo ipse Theophylactus vixit, eliciuntur argumenta, quibus discrepans nimis a veritate redarguitur, falsaq. omnino monstratur illorum sententia, qui ante annos ducentos eumdem Theophylactū claruisse scripsere.

REDIT AD SVAM ECCL. THEOPHYLACTVS.

Fuit autem ipse Theophylactus patria Constantinopolitanus, præfectus Archiepiscopus primariæ Acridanæ ecclesiæ Bulgarorum, hocq. ipso tempore epistolam scripsit ad Mariam Imperatricē, iam ætate senex, cum rediret in Bulgariam ad suam eccle-

 siam,

Universidad de Deusto
Biblioteca

siam, vnde venerat Constantinopolim, in qua hæc ad finem: Descendo igitur ad Bulgaros rs Constantinopolitanus, hospitio Bulgarus, caniem, situmq. redolens, vt illi pellium pedorem. Et quod grauissimum est, existimabunt homines isti, me tibi quoque horrori & nauseæ fuisse. Nonne hic fœtor suauiter mihi oluit, & laute oppido ac vrbane? Scis ergo quid facies, ne mihi eueniant, quæ dixi, graueolentiam euaporabis.] ac demum quo animo ista conscripserit, ita significat: Hæc itaque senili ore sancto Imperio tuo iocati sumus. Deus autem, cuius tu, quiq. tuus, ipse te omni liberans malo & malitia, perfectis te gratijs suis impertiat, odoremq. suauitatis Christi factam ad supernum altare subuehat, & spiritualem suffitum efficiat, vt simul offeras quæcumque manus tua & actio affatim congesserunt, adoleasq. ex virtutibus conflatum acceptabile gratumq. suffimentum] hæc tum ad Augustam ipsam.

THEOPHYLACTVS LIBERARI SE ONERE OPTAT.

Tulit ipse quidem diu, sed ægro animo, veluti durum exilium, Bulgaricum incolatum, quo se tandem liberari vehementer optauit, atque patrio solo reddi. significauit id quidem ipse potissimum ea epistola, quam ad Ioannem Magnum Domesticum scribit, qua ex fabula Omphales suam describens miseriam, Bulgarorum ecclesia liberari se rogans, ista de illis: Non seruio diuiti Reginæ, mundæq. & pulchræ, atque adeo Veneri aureæ, sed seruis barbaris, impuris, fœtidas pelles olentibus, & vita omni egentioribus, quam qui nequitia diuites sint; immo & vitæ egestate, & nequitia omnium pariter regnum tenent. soluite me hac turpi seruitute, qui potestis &c.] In detestationem Bulgaricæ gentis, & ipsorum Acridanorũ præcipue, quibus præfectus erat Episcopus, quos homines esse asserit sine capite, vtpote qui nec Deum, nec homines reuereri norint. hæc pluribus ipse, qui eumdem & alijs litteris, ijsdemq. pulsauit precibus, sed minus exauditus perseuerauit in pastorali cura, in qua functione se vigilem operarium exhibuisse, docent eius epistolæ ibi scriptæ ad diuersos, tum in primis ad Imperatorem ipsum Michaelem, & aliæ ad eumdem Magnum Domesticum, eiusq. filium. Exempli vero causa illud induxisse sat est, quod cum a Scopiorum Duce quidam commendaretur, qui promoueri ab eo deberet in aliquem Bulgariæ Episcopatum, hæc ad eum redditis litteris scripsisse reperitur: *

a *Theoph. epist. 13.*

DE PRINCIPIBVS QVI PERVNT EPISC.

Quoniam ergo de accepta domini mei scheda, quæ de Episcopatu agebat, respondi: en de ipso etiam Episcopatu scripturus sum. Nec tibi, domine mi, in ista fas est te ipsum ingerere, quæ magna sunt, & formidanda; neque nobis ita temere diuinam gratiæ condonare. Qui enim per nos hactenus ad Episcopatum prouecti sunt, alij cum in hac ecclesia ministrarent, & pietatis, grauitatisq. testimonium haberent, Episcopatum indepti sunt, vt Morobi, & Prisdianorum; alij Constantinopoli dicendo & docendo clari, vt Castoriæ & Belegardorum; aut in cœnobio monastica vita illustres cum essent, vt Triaditzæ, pontificiam dignitatem obtinuerunt. Quod si talis est, quem dominus meus commendat: non tu gratiam nobis habiturus es, sed nos tibi. Sin autem nec ecclesiæ nostræ notus, nec Constantinopoli a vita & sermone satis probatus: noli vtique Deum frustra offendere, nec nobis hæc imperare, qui Deo magis quam hominibus obedire iussi sumus. Ad hæc hoc etiam dicimus, ne vacare quidem nobis vllum nunc Episcopatum, nisi Bydinem quis proferat, qua dignum vel maxime optantes reperire non possumus. viro siquidem illi opus est & in spiritualibus, & in sæcularibus spectatissimo] hæc Theophylactus, atque hactenus de ipso hoc anno; inferius autem suo loco opportunius.

Cum autem innotuisset in Occidentalibus oris, creatum, Michaelem VII. Imperatorem Orientis: placuit Alexandro Papæ ex more mittere ad eum Apocrisarium: quo quidem officio significari videtur, eumdem Imperatorem cum Romana Ecclesia fuisse communione coniunctum. Delectus est autem ad hoc opus ex omnibus sanctus Petrus Episcopus Anagniæ ciuitatis, vir quidem tum scientia, tum sanctitate celebris, quin etiam virtute miraculorum insignis, qui honestissime eo perfunctus est munere, qui & ipsum Imperatorem morbo grauissimo laborantem reddidit sanitati: cuius beneficij accepti memor idem Augustus, eumdem ad construendam ecclesiam quam inchoarat, multa donatum pecunia dimisit. mansit ibi annum vnum, vsque dum vixit Alexander Papa, qui eum miserat, & Gregorius eius successor Pontifex crearetur. hæc pluribus in vita ipsius, quam scripsit sanctus Brunus Signiæ Episcopus.

S. PETRVS EPISCOP. ANAGNIAE LEGATVS AD IMP.

IESV

SVRGIT annus millesimus septuagesimus secundus decima Indictione, quo Saxones aduersus Henricum Regem ad Alexandrum Romanum Pontificem accusationes deferunt, in eum commoti, quod Ottonem Baioariæ Ducem sub specie læsæ maiestatis Ducatu priuasset Baioariæ. De his agens Vrspergensis Abbas hæc ait: Ipso denique mediante non cessat gens Saxonum, vt est animis acerrima, coniurationem aduersus Regem vnanimi conspiratione confirmare; accusationes blasphemas & inauditas ad Sedem Apostolicam in illum referre; sociosq. sibi ex omni regno Teutonico litteris & nuntijs adscisere. Nam primo Sigefridum Moguntinæ sedis Metropolitanum, Adelbertum Vuormatiensem, Adalberonem Vuirceburgensem, Gebehardum Saltzburgensem, aliosq. quamplures Præsules; indeq. per ipsos etiam Papam Alexandrum fautores efficiunt. quidam quoque summæ sanctitatis virum Annonem Archiepiscopum Colonien sem coniurationis eiusdem conscium asserunt] hæc ipse, improprie valde nominans coniurationem, vnanimem illorum consensionem in prosequendo legitime causam aduersus Regem apud Romanum Pontificem in prosequendo legitime causam aduersus Regem apud Romanum Pontificem cem. Qui (quod ius exigebat) ipsorum accusationi detulit: atque anno sequenti dicturum causam vocauit ad Apostolicam Sedem, vt suo loco dicturi sumus.

APVD ALEX. PAPAM SAXONES HENRICVM REG. ACCVSANT.

Quo pariter anno idem Alexander Papa Robertum Augiensem Abbatem simoniacum Abbatia priuauit, executore Apostolicarũ litterarum sancto Hugone Cluniacensi Abbate, de quibus ista Lambertus hoc anno: Ibi etiam Hugo Cluniacensis Abbas, qui cum Imperatrice eo aduenerat, Roberto Augiensi Abbati Romani Pontificis mandata & litteras detulit, quod scilicet Apostolicæ Sedis anathemate de corpore Ecclesiæ præcisus esset; quod omne ei diuinum officium præter psalmodiam interdictum esset; quod omnis ei in perpetuum ad Abbatiam Augiensem, vel ad aliquam dignitatem ecclesiasticam accessus occlusus esset, propterea quod de simoniaca hæresi insimulatus, & vt obiectum crimen purgaret, ad Synodum secundo ac tertio vocatus venire distulisset. Ita ille compulsus a Rege baculum pastoralem, quem non vt pastor, sed vt mercenarius vsurpauerat, multa cum amaritudine reddidit] hæc de his Lambertus, qui de causa eius condemnationis hæc anno superiori: In locum eius, *Megenuardi videlicet Augiensis Abbatis, qui se abdicauerat*, non per electionis ostium, sed per simoniacæ hæreseos cuniculum protinus irrupit Robertus Abbas Babenbergensis cognomento Nummularius, annumeratis in ærarium Regis mille pondo argenti purissimi. Hic sordidissimis quæstibus & vsuris, quas etiam priuatus adhuc in monasterio exercuerat, infinitam sibi pecuniam conflauerat, & propterea mortes Episcoporum & Abbatum anxia expectatione iamdudum suspirauerat. Cumq. eos diutius viuendo, vota sua, & effrænatæ ambitionis impetum, quo præceps rapiebatur, morari grauiter & impatientissime ferret, eo vesaniæ euasit, vt præter occultamunera, quibus auricularium fauor redimendus erat, Regi centum pondo auri promitteret, vt electo eximiæ sanctitatis viro Abbate Vuiderado, sibi Abbatia Fuldensis traderetur. Et profecto quod nefarie concupiuerat, flagitiosissime obtinuisset, nisi pauci, quibus leges ecclesiasticæ pecunia chariores erant, in faciem Regi ne id faceret, obstitissent. Is pseudomonachus (dicam expressius vi doloris impulsus) is angelus satanæ transfiguratus in Angelum lucis, ita sanctam & angelicam monachorum professionem infamauit, corrupit, vitiauit, vt monachi nostris temporibus, atque in his regionibus non innocentia æstimentur, atque integritate vitæ, sed quantitate pecuniæ: nec quæratur in Abbatibus eligendis, quis dignius præesse, sed quis carius Abbatiam possit emere. Ita proprio huius inuento, nouo atque infausto huius aucupio hæc in Ecclesiam introducta est consuetudo, vt Abbatiæ publice venales prostituantur in palatio: nec quisquam tanti venales proponere queat, quin protinus emptorem inueniat, monachis inter se non de obseruantia regulæ zelo bono, sed de quæstibus & vsuris zelo auaro contendentibus. Sed hæc vt digne deflori possint pro magnitudine sua, & proprio volumine, & prolixiore opus habent tragœdia. ad cœptum potius reuertamur.

ALEX. PAPA DEPONIT ABBATEM AVGIENSEM.

AVGIENSIS ABBATIAE MERCATOR ROBERTVS.

Aduoca-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ROBERTVS SIMONIACVS REPELLITVR.

Aduocatus Augiensis monasterij postquam pecuniarium hunc Abbatem aduenire A
comperit, & quanta largitione aditum sibi ad ouile Christi lupus rapax patefecisset,
audiuit: missa obuiam legatione, denuntiauit ei sub interminatione salutis propriæ,
ne intra possessiones Augiensis monasterij præsumeret accedere, alioquin occursu-
rum se & armata manu vindicaturum in libertatem, quos ipse tam caro mercimonio
emisset in seruitutem. His ille auditis, nimium animo consternatus est, tum propter
grauem iacturam pecuniarum suarum, tum propter ereptum sibi tamquam de fauci-
bus, cui diu anxie inhiasset, honorem. Et primo quidem animum induxerat, rem ar-
mis experiri; & vt dici solet, ignem gladio scrutari, hoc est, simoniacam hæresim
homicidijs cumulare. sed asserentibus his qui cum eo erant, supra vires suas esse ne-
gotium: confuso (vt dignum erat) & confecto animo abijt in possessiones fratris sui,
præstolaturus ibi quos exitus tam tristibus initijs sors esset allatura. Nam Abbatiam B
Babenbergensem interea susceperat Ecebertus Gorziensis disciplinæ monachus. Ad
cuius ingressum omnes protinus Fratres, quos prior ille Abbas suis (hoc est merca-
toriæ atque vsurariæ artis) disciplinis instituerat, & quasi filios pater, in vitam mo-
resq. suos pedibus (vt dicitur) ire docuerat, tamquam folia, quæ vento raptantur, dif-
fugerunt] hucusque Lambertus suorum temporum rerum scriptor. Ista sunt nefanda
Roberti Abbatis scelera, quæ perlata ad Apostolicam Sedem, nequaquam dissimu-
landa fuerunt ab Ecclesiæ Romanæ Antistite Alexandro, quem (vt vidisti) vocatum
sæpe hominem ad dicendum causam, sed iudicium subterfugientem, legatione
Hugonis viri sanctissimi Cluniacensis Abbatis oportuit condemnasse.

Porro nec parcendum idem Pontifex Regi existimauit, quem his de causis voca-
uit Romam anno sequenti ad iudicium subeundum. sed de his suo loco dicturi sumus. C

HENRICVS REX SIMONIACVS.

En vide infelicem adolescentem annum ætatis nunc agentem vigesimumprimum,
vtpote natum anno Domini millesimo quinquagesimoprimo, in quæ cœpit præcipi-
tia ferri, cum ad corradendas pecunias, quibus indigeret ad immensas animi cupidi-
tates explendas, factus est infami studio Abbatiarum atque Episcopatuum pessimus
nundinator. Ex quibus & illud accidit, quod cum de his perpetratis sceleribus re-
prehensores haberet Romanos Pontifices, immo & pateretur iudices, atque vindices:
ab eis resilire suo maximo damno cœpit, vt quæ dicenda erunt, perspicue demonstra-
bunt. Meminit autem iudicij huius Apostolicæ Sedis per Alexandrum Papam admi-
[a] nistrati [a] Gregorius Papa Septimus, cum excommunicat omnes detinentes bona Au-
giensis monasterij ab eodem Roberto Abbate alienata.

[a] Greg. Sept. ep. 82. lib. 1.

AGNES AVG. LIBERAT SVEVIAE DVCEM.

Hoc eodem anno tradit Lambertus Agnetem Imperatricem post sex annos & D
amplius, ex quo inde discesserat, officio Christianæ charitatis impulsam Vuormatiam
venisse ad Henricum filium, quem eidem venienti occurrisse tradit. Venit enim vt
liberaret Rudolphum Ducem Sueuiæ innocentem, accusationibus impetitum apud
eumdem Regem: Venit itaque, inquit, Vuormatiam amplissimo stipata numero
Abbatum & monachorum, & prædictum Ducem, cum interposita fide Colonien-
sis & Moguntini Archiepiscoporum coram venisset, omni criminis suspicione absoluit:
statimq. compositis propter quæ venerat, a filio abscessit, vt non tam carnali affectio-
ne, quam communis commodi ratione ad hanc sæcularis negotij administrationem
se adductam, liquido cunctis patefaceret] hæc ipse, qui eamdem Agnetem vitæ au-
steritate, in ieiunijs & vigilijs humanarum virium naturam excessisse tradit.

CONCILIVM ANGLICANVM GENERALE.

Hoc item anno in Anglia iussione Alexandri Papæ celebratur generale Concilium E
totius insulæ Episcoporum sexto Idus Aprilis, in quo ventilata est quæstio de primatu
ecclesiæ Cantuarien sis super Eboracensem. Cuius Concilij Acta magna ex parte reci-
tata habes a Vuillelmo Malmesburiensi de Gestis pontificum Anglorum, ex quibus
aliqua hic reddenda esse putamus: vt illud quo potissimũ terminata est controuersia.
Cum enim negaret Eboracensis priuilegium a S. Gregorio concessum ecclesiæ Cantua-
rien si extendendum esse ad successores eius sedis primi Archiepiscopi Augustini, eo
quod de successoribus eius nulla ab eodem S. Gregorio mentio facta esse reperiatur:
Lanfrancus inanem tergiuersationem aduersarij exemplo simili mutuato sic elusit &
confutauit: Porro quod dicis, potuisse beatum Gregorium, si voluisset, successoribus
Augustini confirmare dicto quod concesserat Augustino: verum omnino est, nec po-
test ambigi, sed quod quæso præiudiciũ hoc Cantuarien si sedi affert? A simili causam

propo-

A proponam. Nam quando Dominus & Saluator noster IESVS Christus dixit beato Petro:
Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & tibi dabo claues re-
gni cælorum: potuisset adijcere si voluisset: eamdẽ potestatem successoribus tuis con-
cedo. Verum dicti prætermissio nihil reuerẽtiæ imminuit successoribus Petri. Ibisne his
verbis obuiam? referesne aduersa? Enimuero omnium Christianorum conscientijs est
inditum, vt nihilo minus quam B. Petro, successoribus eius & minantibus attremant, &
serenam dignitatem indulgentibus gaudenter applaudant. Estq. tunc demum om-
nium ecclesiasticarum rerum rata dispensatio, si successorum beati Petri fuerit com-
probata iudicio. Quid illud agit, nisi vis diuinæ liberalitatis per Dominum IESVM
a beato Petro in Vicarios eius diffusa?] & inferius de generalitate Romanæ Eccle-
locutus pluribus, subijcit ista: Ipsa est maior omnium ecclesiarum, & quod in ea va-
B let, debet & valere in minoribus, vt potestas primi cuiuscumque ecclesiæ principis in
succedentes dimanet, NISI SI QVID personaliter & nominatim excipiatur. Quare
sicut Christus dixit omnibus Præsulibus Romanis, quod dixit beato Petro: ita dixit
Gregorius omnibus successoribus Augustini, quod dixit in Augustino. hinc conficitur,
vt sicut Cantia subijcitur Romæ quod ex ea fidem accepit, ita Eboracum subijciatur
Cantiæ, quæ eo prædicatores misit &c.] ita Lanfrancus a simili argumentum
adducit, sed cum non in omnibus simile simili respondeat, vt idem sit: bene excepit
dicens: NISI QVID PERSONALITER & nominatim excipiatur] aliqua
sunt a Christo Petro ac Petri successoribus peculiariter elargita, quæ nequaquam in
alios deriuantur Episcopos, de quibus primo Tomo dictum est. Extat synodale de-
cretum de causæ totius per sententiam facta definitione, quod recitatur a Vuillelmo

QVOD PETRO DATVM ET SVCCESSORIBVS PETRI INTELLIGITVR.

* obediant

C verbis istis:

DECRETVM SYNODALE.

Anno ab Incarnatione Domini nostri IESV Christi millesimo septuagesimosecun-
do, regni vero Vuillelmi glorioſi Regis Anglorum & Ducis Northmannorum sexto,
Pontificatus autem domini Alexandri Papæ vndecimo in præsentia Regis Episcopo- * xij.
rum & Abbatum ventilata est causa de primatu, quem Lanfrancus Dorobernensis
Archiepiscopus super Eboracensem ecclesiam iure suæ ecclesiæ proclamabat, & de
ordinationibus quorumdam Episcoporum, de quibus ad quem specialiter pertinerent,
certum minime constabat. Et tandem aliquando diuersis diuersarum causarum auc-
toritatibus probatum atque ostensum est, quod Eboracensis ecclesia Cantuarien si ec-
clesiæ debeat subiacere, eiusq. Archiepiscopi, vt primatis totius Britanniæ dispo-
tionibus, in ijs quæ ad Christianam religionem pertinent, in omnibus obedire. Sub-
D iectionem vero Dunelmensis hoc est Lindisfarnensis Episcopi, & omnium regionum
a terminis Licefeldensis Episcopi, & Humbræ magni fluuij vsque ad extremos fines
Scotiæ, & quidquid ex hac parte prædicti fluminis ad parochiam Eboracensis eccle-
siæ iure competit, Cantuarien sis Metropolitanus Eboracensi Archiepiscopo, eiusq.
successoribus in perpetuum obtinere concessit. Ita vt si Cantuarien sis Concilium co-
gere voluerit, vbicumque ei visum fuerit, Eboracensis Archiepiscopus sui præsentiam
cum omnibus sibi subiectis Episcopis ad nutum eius exhibeat, vt eius canonicis di-
spositionibus obediens existat. Quod autem Eboracensis Archiepiscopus professio-
nem Archiepiscopo Cantuarien si facere etiam cum sacramento debeat, Lanfrancus
Dorobernensis Archiepiscopus ex antiqua antecessorum consuetudine ostendit, sed
ob amorem Regis, Thomæ Archiepiscopo Eboracensi sacramentum relaxauit, scri-
E ptamq. tantum professionem recepit, non præiudicans successoribus suis, qui sacra-
mentum cum professione a successoribus Thomæ exigere voluerint. Si Archiepisco-
pus Cantuarien sis vitam finierit, Eboracensis Archiepiscopus Doroberniam veniet,
& eum qui electus fuerit, cum ceteris præfatæ ecclesiæ Episcopis, vt primatem pro-
prium iure consecrabit. Quod si Archiepiscopus Eboracensis obierit, is qui ei suc-
cessurus eligitur, accepto a Rege Archiepiscopatus dono, Cantuariam, vel vbi Can-
tuarien si Archiepiscopo visum fuerit, accedet, & ab ipso ordinationem canonico
more suscipiet] hæc apud [a] Vuillelmum de rebus in eodem Concilio gestis sub Ale-
xandro Romano Pontifice, cuius aliæ apud eumdem auctorem litteræ extant ad Vuil-
lelmum Anglorum Regem, de alijs causis Anglorum Episcoporum Lanfranco com-
missis. Porro idem decretum habetur descriptum inter eiusdem Lanfranci epistolas,
vbi in fine ipsius hæc addita leguntur: Huic constitutioni consenserunt præfatus Rex

[a] Vuillel. Malmesbur. de gest. Pontif. Angl. lib. 1.

& Ar-

Universidad de Deusto
Biblioteca

& Archiepiscopus Lanfrancus Cantuariensis, Thomas Eboracensis, Hubertus S.R.E. A
subdiaconus & ceteri, qui interfuerunt Episcopi & Abbates. Causa definita, Thomas Eboracensis Archiepiscopus professionem hanc, quæ sequitur, emisit:

Decet Christianum quemque Christianis legibus subiacere, nec his, quæ a Patribus salubriter instituta sunt, quibuslibet rationibus contraire. hinc namque iræ, dissensiones, inuidiæ, contentiones, ceteraq. procedunt, quæ amatores suos in pœnas æternas demergunt; & quanto quis altioris est ordinis, tanto impensius diuinis debet obtemperare præceptis. Propterea ego Thomas ordinatus iam Eboracensis ecclesiæ metropolitanus Antistes, auditis, cognitisq. rationibus, absolutam tibi, Lanfrance Dorobernensis Archiepiscope, tuisq. successoribus de canonica obedientia professionem facio, & quidquid a te, vel ab eis iuste ac canonice iniunctum mihi fuerit, seruaturum me esse promitto. B

De hac autem re dum adhuc ordinandus essem, dubius fui, ideoq. tibi sine conditione, successoribusq; tuis conditionaliter obtemperandum me esse promisi] hucusque professio Thomæ Eboracensis.

Quid præterea in hoc Concilio contigerit de sancto Vulstano Vuigornensi Episcopo sanctitate vitæ celebri, sed qui morum simplicitate, & litterarum imperitia visus sit suo Metropolitano ad regimen Episcopatus haud satis idoneus, causam dicere iusso, idem auctor sic narrat: Hic sancta simplicitas beati Vulstani Vuigornensis Episcopi, immo magnanima in Deo confidentia laudanda, & plausu excipienda est. Cum enim & de hac re, & de parua scientia litterarum pulsatus, foras exisset, vt strictiori consilio responsum comeret suum, a tumultubus remoto animo: crede mihi, inquit, nondum cantauimus Horam sextam. Cantemus ergo. Tunc quoque socijs C
referentibus, vt prius propter quod venerant, expedirent, quod satis superq. sufficeret cantibus tempus; Regem & proceres, si hæc audirent, risui se haberi opinaturos: Prius (crede mihi) inquit, faciamus Dei seruitium, & post agitabimus hominum litigium. Hora igitur cantata, nulla excogitata falsi tergiuersatione nullo cōmentato veri splendore, confestim aulam Concilij ingredi pergebat; suis eum retinere tentantibus persuaderi non potuit. Quin potius timentibus causæ, pro certo noueritis, ait, me hic visibiliter videre beatos Archiepiscopos Dunstanum Cantuariensem, & Oswaldum Eboracensem, qui hodie suis precibus me tuentes, falsiloquorum acumen hebe-
S. VVLSTANVS PRAETER SPEM CAVSAE VICTOR. tabunt. Ita data benedictione monacho minimæ facundiæ viro, sed Northmannicæ linguæ sciolo, rem perorans obtinuit, vt qui suæ diœcesis ante indignus putabatur regimine, ab Archiepiscopo Eboracensi suppliciter rogaretur, vt suas dignaretur lustrare D
partes, quo ipse pro timore hostiū, vel sermonis ignorantia cauebat accedere] hæc ibi.

Peracta Synodo, Lanfrancus Archiepiscopus Cantuariensis, de his in Synodo gestis in causa Thomæ Eboracensis Archiepiscopi, certiorem fecit Alexandrum Romanum Pontificem, his datis ad eum litteris:

Domino totius Christianæ religionis summo speculatori Alexandro Papæ Lanfrancus, sanctæ Dorobernensis ecclesiæ Antistes, debitam cum omni seruitute obedientiā.

LANFRANCVS ARC. CANTVA. AD ALEX. PAP. DE CONTROVERSIA DEFINITA. Meminisse debet humiliter excellens excellenterq. humilis beatitudo vestra, quia quo tempore apud vos fuimus, Eboracensis ecclesiæ Antistes aduersum me palam murmurauit, clam detraxit, in præsentia celsitudinis vestræ calumniam suscitauit, dicens, me iniuste velle agere, eo quod super se, suamq. ecclesiam iure vestræ Ecclesiæ primatum niterer obtinere. De quorumdam quoque subiectione Episcoporum, quos ecclesiæ suæ conatus est aggregare, antiquam sua querela non est veritus consuetudinem temerare. Quibus de rebus vos, sicut sanctum prudentemq. pastorem decuit & oportuit, per scriptum sententiam promulgastis, quatenus conuentus Anglicæ terræ Episcoporum, Abbatum, ceterarumq. religiosi ordinis personarum, vtriusque partis rationes audiret, discuteret, definiret. Factumq. est ita. Conuenerunt enim ad regalem curiam apud Vuentanā ciuitatem in Paschali solemnitate, Episcopi, Abbates, ceteriq. ex sacro, ac laicali ordine: quos fide actione, morumq. probitate par fuerat conuenisse, in primis adunati sunt a nobis ex vestra auctoritate per sanctam obedientiam.

Deinde regia potestas per semetipsam contestata est eos per fidem, & sacramentum, quibus sibi collitigati erant, quatenus hanc causam intentissime audirent, audi-

tam

A tam ad certum, rectumq. finem sine partium fauore perducerent. vtrumque omnes concorditer susceperunt; secuq. ita facturos sub præfata obligatione spoponderunt. Allata est igitur ecclesiastica gentis Anglorum historia, quam Eboracensis ecclesiæ presbyter & Anglorum Doctor Beda composuit. Lectæ sententiæ, quibus pace omnium demonstratum est, a tempore beati Augustini, primi Dorobernensis Episcopi, vsque ad ipsius Bedæ vltimam senectutem, quod fere centum & quadraginta annorum spacio terminatur, antecessores meos super Eboracensem ecclesiam, totamq. insulam, quam Britanniam vocant, necnon & Hiberniam primatum gessisse, curam pastoralem omnibus impendisse, in ipsa Eboracensi vrbe persæpe, locisq. finitimis, vbi eis visum fuit, Episcopales ordinationes, atque Concilia celebrasse, Eboracenses Antistites ad ipsa Concilia vocasse, & cum res popoſcisset, de suis eos actibus ratio-
B nem reddere compulisse. Episcopos quoque, quorum subiectionem in quæstionem adduxerat, infra illud centum & quadraginta annorum spacium, per Dorobernenses Archiepiscopos fuisse sacratos, ad Concilia vocatos. Quosdam quoque, exigentibus culpis, ab eis cum Romanæ Sedis auctoritate depositos: multaq. in hunc modum, quæ epistolaris modestia per singula explicare non potest. diuersa ad legendum porrecta Concilia, quæ diuersis temporibus diuersis de causis a meis sunt antecessoribus celebrata. Quæ tametsi non eamdem suæ institutionis habuere materiam, eamdem tamen de primatu, & subiectionibus Episcoporum tenuere sententiam. Recitatæ eorumdem, de quibus quæstio versabatur, Episcoporum ante prædecessores meos factæ electiones, & per eos ordinationes, quæ Dorobernensi ecclesiæ de sua obedientia scriptas reliquerunt professiones. Vrbs namque, quæ nunc Cantuerbia nominatur,
C antiquis temporibus ab ipsius terræ incolis Dorobernia vocabatur.

Accesserunt omnium testimonia, qui omnia, quæ scripta sonuerunt, se suis quisque temporibus vidisse & audisse constantissime affirmauerunt. Nec defuerunt Gesta, quibus reseratum est, cum Anglia per plures regulas esset diuisa, Nordanhumbrorum Regem, vbi sua est ciuitas Eboraca, accepto pretio cuidam simoniaco Episcopatum vendidisse, pro qua culpa a Dorobernensi Archiepiscopo ad Concilium vocatum fuisse, nolentemq. venire pro sua inobedientia excommunicationis sententiam pertulisse. Cuius communionis, atque consortij omnis illarum partium ecclesia tamdiu abstinuit, quoad vsque Concilio se ipsum exhibuit, culpam dixit, quod male gestum est, correxit, de reliquo emendaturum se fore spopondit. Quæ res non mediocre tulit indicium, antecessores meos super ipsam terram, illamq. ecclesiam ha-
D buisse primatum.

Vltimum quasi robur, totiusq. causæ firmamentum, prolata sunt antecessorum vestrorum Gregorij, Bonifacij, Honorij, Vitaliani, Sergij, item Gregorij, item vltimi Leonis priuilegia atque scripta, quæ Dorobernensis ecclesiæ Præsulibus, Anglorumq. Regibus, alijs atque alijs temporibus, varijs de causis sunt data, aut transmissa. Reliqua enim reliquorum, tam authentica, quam eorum exemplaria in ea combustione, atque abolitione, quam ecclesia nostra ante quadriennium perpessa est, penitus sunt absumpta. His atque alijs, quæ particulatim breuiterq. explicari non possunt, ex parte nostræ ecclesiæ *: in causa primatis, contra tantam tantarum auctoritatum eui- * recitatis
dentiam pauciſſimas contradictiones opposuit; epistolam illam præcipue ferens in
E medium, qua beatus Gregorius Londonensem, atque Eboracensem ecclesiam pares esse, nec alteram alteri subiacere instituit. Quam scripturam cum in rem nihil facere concordi sententia cuncti protinus definissent, pro eo quod nec ego Londonensis Episcopus essem, nec de Londonensi ecclesia esset quæstio instituta: vertit se ad alia egena & infirma argumenta, quæ post paucam moram, Christo reuelante, paucis sunt obiectionibus abolita. Quem cum Rex dulci paternaq. reprehensione arguerer, quod contra tantam argumentorum copiam tam inops rationum venire præsumpsisset: Respondit se ideirea ignorasse Dorobernensem ecclesiam tot, tantisq. auctoritatibus, tamq. perspicuis rationibus esse munitam. versus itaque ad preces est. Rogauit enim Regem, vt me rogaret, quatenus omnem mentis rancorem aduersus eum pro hac causa conceptum omitterem, pacem diligerem, concordiam facerem; aliqua quæ mei essent iuris, studio ei charitatis concederem. Cui petitioni ego libenter & cum gratiarum actione assensum præbui, quia miserante Deo;

Universidad de Deusto
Biblioteca

non ego sed ille priscæ consuetudinis violator causa erat istius scandali. A

Facta est igitur communi omnium astipulatione de hac re quædam scriptura, cuius exemplaria per principales Anglorum ecclesias distributa, futuris semper temporibus testimonium ferant, ad quem finem causa ista fuerit perducta. Cuius exemplar vobis quoque, quibus sanctam totius mundi Ecclesiam constat esse commissam, transmittendũ curaui; vt ex hoc atque alijs, quæ transmissa sunt, perspicue cognoscatis, ex more antecessorum quid mihi, Christiq. ecclesiæ, quam regendam suscepi, concedere debeatis. Quod peto honeste, & sine dilatione per indultum Sedis Apostolicæ priuilegium fieri, quatenus ex hoc quoque quantum me diligatis, euidenter possit ostendi.

De me autem reuera æstimate, quod de fideli ac seruo beati Petri ac vestro sanctæq. Ecclesiæ Romanæ. Numquam enim res quælibet de arca mei pectoris eijcere quauis occasione poterit inauditam illam humanitatem, quam mihi extremo hominum tantis indigno honoribus Romæ exhibuistis: Quodq. duo pallia, vnum de altari ex more, alterum quo Sanctitas vestra Missas celebrare consueuerat, ad ostendendam circa me beneuolentiam vestram mihi impendistis. Illud quoque, quod omnibus, quorum mediator extiti, quidquid iuste ac salubriter petierunt, me interueniente protinus concessistis. Vt tacem alia plura, quæ in hac parte ab his minime discrepant, quæq. mihi memoriam vestri nominis, si quid boni facio, dulciter repræsentant. Epistolam, quam * Beringerio schismatico, dum adhuc Cadomensi cœnobio præessem, transmisi, paternitati vestræ, sicut præcepistis, transmittere curaui. Omnipotens Dominus vitam vestram ad honorem sanctæ Ecclesiæ vestris dispositionibus diuinitus commissæ in tempore prolixam faciat: quatenus post tempus, quæ sine tempore sunt, prolixa æternitatis spacia vobis concedat] His adiecit litteras breuiores ad Hildebrandum Archidiaconum Cardinalem eodem argumento conscriptas, & quidem officij plenas, quæ sic se habent: B C

* idem quod Berengario

LANFRANCI EPIST. AD HILDEBRANDVM ARCHID. CARD.

Domino sanctæ Romanæ Ecclesiæ Archidiacono Hildebrando Lanfrancus suus sanctis principijs sanctum coniungere finem.

Explicare litteris mens mea non potest, quanta dilectione vestræ sinceritati connectitur, quantaq. dulcedine gratiarum vestrarum, quas mihi tam præsenti, quam absenti benignitas vestra semper exhibuit, indesinenter reminiscitur. Propterea si, donante Deo, in quibuslibet rerum generibus aliquid boni facio, salutem vestram tam temporalem quam tempore carentem tradere obliuioni non valeo. Et hoc oro omnipotentem Deum, quatenus vitam vestram ad honorem & firmamentum sanctæ Ecclesiæ suæ prolixam in hoc sæculo faciat; incontaminatum ab omni peccati contagione custodiat, & in futuro centuplicatis operibus vestris vitam vobis permanentem copiosus remunerator retribuat. Porro caluminia, quam Eboracensis ecclesiæ Antistes aduersum me mouit de primatu & subiectione quorumdam Episcoporum, secundum præceptum Apostolicæ Sedis audita & determinata est. Cuius negotij gestionem breuiter ex ordine scriptam domino nostro Papæ transmisi, quam volo & rogo a vobis competenti diligentia legi, quatenus charitas vestra certissimum teneat, quid mihi, ecclesiæq. meæ Sedes Apostolica confirmando concedere, & concedendo confirmare per priuilegium debeat] hactenus Lanfrancus ad Hildebrandum. D

Hoc eodem anno idem Alexander Papa misit pallium ad Liemarum Bremensem, siue Hamburgensem Archiepiscopũ, subrogatum in locum Adalberti, qui hoc eodem anno ex hac vita migrauit xvij. Kal. Aprilis, vt Adam testatur eiusdem ecclesiæ canonicus, qui ad hoc vsque tempus suam perduxit historiam, quam eidem Liemaro dicauit. At de eodem Liemaro dicendum sæpe inferius, quippe quod eum penitus inhærentem Henrico Regi aduersus Romanum Pontificem passa sit Romana Ecclesia perduellem, & experta pugnacissimum aduersarium, longe ab antecessoribus suis degenerem. E

Hic ad finem vitæ ipsius Alexandri Papæ subijcienda est eiusdem Pontificis epistola decretalis, quam, quoniam quoto anno sui Pontificatus data sit, non appareat, hic in fine eius vitæ ex more describimus:

Alexander Secundus Landulpho in Corsica.

Notificasti te morte tenus infirmatum esse, & peccatorum tuorum recordatione, & terrore valde pauefactum, anxie quæsisse monachum fieri, & a tua vxore minis & terro-

A terroribus eam occidendi, ad hæc licentiam extorsisse, & sic te monachicam vestem sine Abbate sumpsisse, & monasterium petisse. Postea vero cum sanus factus esses, tuæ vxoris reclamationibus & eiulationibus & planctibus, tuæq. familiæ dispersionibus, vtpote penitus deuictus, domum remeasse, & post multos dies quorumdam sapientum consilio, ad iam dictæ mulieris cubile redijsse diceris. Nunc autem, si tua vxore vti liceat, nostrum requiris consilium: si ita denique est, vt tuus nuntius narrat, non videtur nobis rationabiliter, neque sana mente id factum. Quoniam cum omni homini ad monachicam vitam tendenti legaliter & iuste sit peragendum; tu contra leges minaciter & violenter a tua vxore partim terrore mortis, partim tuæ infirmitatis doloribus examinatus, deuia secutus, nulla vt dicitur, licentia accepta recessisti, & monasteria petisti. Non enim violentia, sed ex pari voluntate, sicut sancti Patres
B dicunt, hæc fieri debet. Neque vir in monasterio recipiendus est, nisi vxor illius femineum monasterium elegerit, aut professa continentiam, habitum cum festinatione mutauerit. Sanctus enim Basilius Episcopus de hac re taliter dicit: Si quis coniugatus vult conuerti ad monasterium, non est recipiendus, nisi prius a coniuge castimoniam profitente fuerit absolutus. Nam si illa illo viuente alteri per incontinentiam nupserit, proculdubio adultera erit, nec recipitur apud Dominum eiusmodi viri conuersio, quam sequitur coniugalis fœderis prostitutio. tales igitur tunc sine culpa relicto sæculo sequuntur Christum, si habeant ex pari voluntate castitatis consensum. Itaque fili charissime, perpende & vide si sic canonice a tua es solutus vxore, & tua vxor ita pollicita est, & tu & illa adimplete bonum incœptum, & votum vestrum, aliter enim non debemus vobis necessitatem separationis imponere] hactenus
C Alexander.

Hoc eodem anno defuncto Henrico Archiepiscopo Rauennate, idem Alexander Papa legationem decernit Petro Damiani ad eiusdem ecclesiæ Rauennatis componenda dissidia, quo perfuncto egregie munere, idem Petrus reuersurus ad suos Fauentiæ diem clausit extremum.

DE TEMPORE OBITVS PETRI DAM.

Hoc namque anno Redemptoris millesimo septuagesimo secundo esse defunctum ex Actis eius vitæ colligitur, & alij etiam attestantur. At hæc de tempore obitus eius pro monstro videri possunt ijs, qui eum defunctum ponunt anno millesimo octogesimo. sed veritatis huius grauissimos habeo assertores, omnesq. temporis eiusdem Petri Scriptores, atque in primis, qui totidé id testatur verbis Bertoldus Constantiensis. Hic enim in Auctario ad Hermannum Contractum hæc habet: Anno millesimo
D septuagesimo secundo Petrus Damiani piæ memoriæ Cardinalis Episcopus, iam dudum mundo crucifixus, migrauit ad Dominum, octauo Kalendas Martij, cui dominus * Geroldus reuera monachus scientia Scripturarum insignis, & moribus suo prædecessori non impar, in Episcopatu successit] hæc ipse, sui temporis (vt diximus) res gestas conscribens. Ista confirmat Gregorius Papa Septimus suis litteris, datis anno sequenti ad successorem ipsum Petri Damiani Giroldum, siue Giraldum Ostiensem Episcopum, pridie Kalendas Maij post dies octo ab ipsius Gregorij creatione: vt iam appareat, ipsum Petrum esse defunctum atque post obitum eumdé successorem habuisse, quem viuens licet diu multũq. petijsset, consequi numquam potuit. Accedit ad ista, quod Ioannes monachus eiusdem Petri discipulus in fine eiusdem Petri Damiani vitæ, quam scripsit, manifeste testatur, ipsum tunc obijsse, cum defuncto Archiepiscopo Rauennate schismatico (hic erat Henricus) a Romano Pontifice missus est idem
E Petrus Damiani Rauennam ad conciliandam illam ecclesiam Apostolicæ Sedi, & absoluendos omnes, qui cum eodem Patriarcha schismatico communicassent, quo facto, cum reuersurus ad suos Fauentiam peruenisset; illicq. octo diebus morbo laborasset, die Cathedræ sancti Petri reddidit Deo spiritum. * Giraldus

Porro ante sequentem annum obijsse eumdem Archiepiscopum, ex eo liquido constat, quod Gregorius Septimus, qui sequenti anno sedere cœpit, reperitur scripsisse litteras ad eius successorem Guibertum, sexto Kalendas Maij, die quarto post suam ipsius Gregorij creationem; adeo vt affirmare necesse sit, ante tempus illud iam prædecessorem Guiberti Rauennatem Archiepiscopum Henricũ ex hac vita sublatum fuisse. Quod & confirmant ipsa Acta Alexandri Papæ, quibus significatur, ante ipsius Alexandri obitum, ipsum successorem Henrici ad eam ecclesiam fuisse promotum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sunt enim ista in illis conscripta: Defuncto Rauennate Archiepiscopo, Guibertus Cancellarius per interuentum Imperatoris electus est in ipsa ecclesia, & postmodum ab Alexandro Papa, licet immerito, instantibus precibus, consecrationem obtinuit. Cui priusquam consecrationis manus imponeret, prophetico spiritu repletus idem Pontifex sic quidem fertur dixisse: Ego quidem delibor, & tempus resolutionis meæ instat; tu vero huius sacrosanctæ Ecclesiæ acerbam senties vltionem] hæc ibi. Vbi etiam asseritur, paulo post eumdem Alexandrum Pontificem esse defunctum. sicq. ante Alexandrum Papam prædecessorem Guiberti Henricum appareat obijsse diem; & viuente adhuc Alexandro eidem fuisse subrogatum Guibertum: ex quibus fateri necesse sit, Petrum Damiani eodem tempore, ante electionem Guiberti, sicq. hoc ipso anno ex hac luce ad paradisi gloriam transijsse. Qui vero asseruerunt eumdem Petrum Damiani ad annum Redemptoris millesimum octogesimum peruenisse; ex eo B decepti sunt, quod Ioannes idem scriptor vitæ ipsius Petri, post finem ipsius, subijcit eiusmodi appendicem: Anno millesimo octogesimo Incarnationis Domini, mense Augusto, Indictione quarta, post decessum supradicti domni Petri Damiani, erat quidam monachus, qui Abbas olim extitit venerabilis monasterij sancti Gregorij in Ariminensi territorio &c.] narrat quod contigit tunc temporis miraculum in sepulchro eiusdem Petri Damiani, vt plane significetur tempus superius annotatum non pertinere ad obitus Petri tempus, quod iam certum ex obitu Archiepiscopi Rauennatis reliquerat consignatum, sed ad eius miraculi certum annum insinuandum, quo graui errore lapsi existimarunt aliqui positum eum annorum numerum ad demonstrandum tempus obitus Petri.

Præterea si omnia ista deessent, alia etiam forti ratione confutari possent, qui ad C illum vsque annum Petrum Damiani peruenisse scripserunt. Nam quo pacto fieri potuit, si tempore acerbissimæ Ecclesiæ persecutionis, quæ sub Pontificatu Gregorij VII. viguit, idem Petrus vixit; toto illo prolixo satis tempore vt siluerit vox illa clamantis in deserto, vt nullum penitus scriptorum monimentum eiusdem inueniatur elucubratum, nullæ datæ litteræ, vel ad ipsum scriptæ, sicut ad alios plurimos sub ipso Gregorio Papa, nec vsquam de illo mentio, cum præsertim tanti viri ea tempestate vel nomen ipsum magni potuisset aduersus hostes Ecclesiæ esse adiumenti? cum tamen nulla penitus reliqua sit memoria, quod aliquid gesserit, vel scripserit toto illo tempore Gregorij Papæ Septimi. Quamobrem ex his quæ dicta sunt, satis appareat, ipsum iam Alexandro Papa superstite, esse defunctum.

Quod vero in bibliotheca Margarini, in editis epistolis quibusdam eiusdem Petri D Damiani ita legatur epistola data ad Gregorium Septimum sub nomine Hildebrandi hac inscriptione: Dilectissimo Sedis Apostolicæ electo, & virgæ Assur Hildebrando] quibus satis apparere possit, eumdem Petrum Damiani non obijsse diem sub Alexandro, sed peruenisse ad Gregorium Septimum eius successorem: scito ibi esse mendum insigne, restituendumq. esse veterem & germanam lectionem ex codice bibliothecæ basilicæ sancti Petri in Vaticano, & codicibus alijs in hunc modum:

Dilectissimis Sedis Apostolicæ electo A. & virgæ Assur Hildebrando] vt epistola non ad vnum, sed ad duos data sit, nempe ad electum Pontificem Alexandrum, & ad eius Archidiaconum Hildebrandum, sicut aliæ eodem titulo eiusdem Petri inscriptæ habentur datæ ad ambos simul epistolæ, vt superius suo loco dictum est, cum de his pluribus egimus: quæ consulas, ne eadem repetere hic cogamur. sic igitur, tum ex E Bertoldo huius temporis scriptore, tum ex Ioanne eiusdem Petri discipulo, tum etiam ex alijs assertis rationibus, omni ex parte hic demonstratum relinquimus, hoc anno eumdem Petrum Damiani esse defunctum. hæc de tempore obitus.

Iam vero de his quæ illum præcesserunt, vt de nouissima legatione, qua hoc anno bene perfunctus est, agamus. de qua habet ista Ioannes eius discipulus in vita ipsius:

VLTIMA PETRI DAMIANI LEGATIO. Dum pius igitur Christi sacerdos huiusceemodi lucrandarum animarum studijs instanter inhæreret, vitæq. præsentis labor extremæ iam pene lineæ oram teneret: iussu Alexandri Secundi Romani Pontificis Rauennam patriam suam proficisci præcipitur, rem valde necessariam saluti totius vrbis, Cleri & populi peracturus. Erat quippe tunc temporis defunctus eiusdem vrbis Archiepiscopus, qui pro sua proteruia, sententia

A tentia Romanæ Synodi olim fuerat communione priuatus. Qui tamen nimia temeritate, neque ob illatam sibi sententiam tremefactus, ab Archiepiscopali se temperauit officio, consentaneum sibi populum sua contagione misere fœdauit, totamq. ecclesiam illicitis ausibus profanauit. Tandem vero de medio profanatore sublato, præfatus Apostolicus tam numerosi populi exitiale contagium paternis visceribus miseratus, tantum patrem, qui auctoritate Apostolica eumdem reconciliando absolueret, illo delegare decreuit: neminem scilicet ad hoc opus gerendum digniorem vel aptiorem existimans, eo quod is non modica existeret auctoritate subnixus, ac per regenerationis gratiam eiusdem esset ecclesiæ filius; ipsiusq. etiam hortatu idem sæpenumero ad hanc clementiam prouocatus. Quam vtique legationem ille licet iam ætate confectus, vt strenuus filius, maternis beneficijs non ingratus, optato suscepit.

B Nam gratulabatur, se tandem reperisse aliquid ad sui debitum obsequij, quod piæ posset persoluere matri.

PETRVS DAM. ABSOLVIT RAVENNATES. Quo cum, Domino suffragante, prospero peruenisset itinere, manu ciuium susceptus ingenti cum lætitia, sui causam patefecit accessus: super quo ciues illi non modice iucundati, immensas Deo, qui eos respexerat, Christiq. Vicario, qui hunc talem tantumq. virum ad se direxerat, gratias referentes, præuaricationis suæ pœnitentiam humiliter egerunt; vnde & reatus veniam quam suppliciter postulabant, atque absolutionem ex Apostolicæ auctoritatis munere gratulabundi percipere meruere. Absoluti itaque ab excommunicationis illius vinculo, cunctæq. ecclesiæ dono gratiæ, maternæ ecclesiæ concesso, tota vrbe immanis effecta est exultatio.

PETRI DAM. AD DEVM TRANSITVS. C Istis vero, alijsq. nonnullis negotijs, quæ tantum virum gerere decebat, pertractatis, iter suæ legationis, egressus vrbem, pergere cœpit. Cumq. prima mansione Fauentiam tenuisset: apud venerabile monasterium quoddam beatæ Mariæ Dei genitricis, quod Foris portam nuncupatur, decenter susceptus, mox febre correptus decubuit. Quanimirum in dies inualescente, circa medium octauæ noctis silentium, quæ Cathedræ sancti Apostoli anniuersarij diei celebritatem ducebat, exitus sui horam appropinquare cognoscens: extemplo, nobis lectulo circumstantibus, nocturnum seu matutinale officium totum peragere iussit. volens vtique prius solemnitati Apostolicæ vota persoluere, ac sic demum abire. Tota ergo peracta synaxi, sanctum post modicum Domino spiritum corporis reddidit, nexibus absolutum. Vt ea videlicet die, qua præsens meruit in pastorali Petrus Sede locari, eadem Petri discipulum cælestis curia in beatam susciperet sedem, &c.] agit post hæc de sepultura ipsius, & miraculis post

D obitum editis.

Hic insuper describendum putamus epitaphium, in eius sepulchro excidendum, inter eiusdem Petri versus in codice basilicæ sancti Petri, ab ipsomet elaboratum, & quidem huiusmodi, vt Lectorem prouocet ad huius mundi contemptū, sic enim se habet:

EPITAPHIVM PETRI DAM.

Quod nunc es, fuimus: es quod fumus ipse futurus,
His sit nulla fides, quæ peritura vides.
Friuola finceris præcurrunt somnia veris,
Succedunt breuibus sæcula temporibus.
Viue memor mortis, quo semper viuere possis.
Quidquid adest, transit. Quod manet, ecce venit.
Quam bene prouidit, qui te, male Munde, reliquit.

E

Mente prius carni, quam tibi carne mori.
Cælica terrenis, præfer mansura caducis,
Mens repetat proprium libera principium:
Spiritus alta petat, quo prodit fonte, recurrat.
Sub se despiciat quidquid in ima grauat.
Sis memor, oro, mei, cineres pius aspice Petri:
Cum prece, cum gemitu dic; Sibi parce, Deus.]

Hæc de Petro, qui mortuus est anno suæ ætatis sexagesimosexto, vtpote quod ipse se natum testetur in epistola ad Senatum post annos quinque ab Ottonis Tertij Imperatoris obitu, nempe anno Domini millesimosexto. nam eumdē Imp. exordio anni secundi post millesimum obijsse, superius suo loco est demonstratum. Sic Deus in hoc deploratissimo sæculo, cum excreuisset ad Ecclesiam obruendā diluuium carnis, dedit

Universidad de Deusto
Biblioteca

mundo tantum virum, qui austerissimæ vitæ exemplo, verbiq. prædicatione, & scriptis exiccaret tantam putredinem; pariterq. pugnaret aduersus simoniacam hæresim, quæ vbique locorum grassabatur impune. Quod autē ad eius pertinet scripta, hic ea cuncta recensere non immoramur, cum modo apud nos mandato Beatissimi D.N. Clementis Papæ Octaui laboret Constantinus Caietanus Siculus, monachus Cassinensis Congregationis, vt viri sanctissimi scriptorum monimenta vndique collecta prælo subijciat. quod propediem spero fore. In his enim peruestigandis, & exemplaribus pluribus hinc inde perlatis, magno studio corrigendis, studio indefesso laborat, a quo & eiusdem Petri vitam accipies vberius scriptam.

IESV CHRISTI ANNVS 1073. GREGORII VII. PAP. ANNVS I. VACAT. IMP. OCCID. 17. MICH. VII. DVC. IMP. 2.

ALEX. PAPA VOCAT HENRICVM REG. AD DICENDAM CAVSAM.

SEQVITVR annus Redemptoris millesimus septuagesimustertius, Indictione vndecima, quo Alexander Papa litteras misit ad Henricum Regem Germaniæ vt causam dicturus Romam se transferret, responsurus accusationibus aduersus eum a Saxonibus ad Apostolicam Sedem perlatis. Qui has detulerunt litteras, fuere Anno Colonienſis Archiepiscopus & Hermannus Bambergensis Antistes. De his enim Vrspergensis ista hoc anno habet: Anno Colonienſis Episcopus & Hermannus Bambergensis Romam missi sunt, pecuniam, quæ Regi debebatur, congregandi gratia. qui legatione peracta reuersi litteras Alexandri Apostolici detulerunt, Regem vocantes Romam ad satisfaciendum pro simoniaca hæresi, aliisq. nonnullis emendatione dignis, quæ de ipso Romæ fuerant audita] eadem, totidemq. ferme verbis habet Otto Frisingēsis. Verum quæ intercessit hoc anno mors ipsius Alexandri Pontificis, fuisse videtur impedimento, vt aliquamdiu causa iam cœpta quieuerit, quem quidem hoc anno Dominico die vndecimo Kal. Maij decessisse Marianus Scotus affirmat.

*Otto lib. 6. cap. 34.

COLONIEN. ARCHIEP. ABDICAT SE A CVRA REGNI.

Cum autem frequens esset in palatio Regis nundinatio ista Abbatiarum & Episcopatuum, nec monitionibus Rex proficeret: deploratis iam rebus sanctus Anno Colonienſis Archiepiscopus, qui hactenus (vt potuit) magno labore moderatus est habenas regni, animi desperatione perculsus, abiecit eas, liberasq. illas Regi relinquens, discessit e curia. De cuius profectione audi Lambertum, quid hoc referat anno: Colonienſis Archiepiscopus offensus his, quæ plurima præter æquum & bonum fiebant in palatio: petijt a Rege vacationem deinceps dari sibi a rerum publicarum administratione, causatus in senium iam vergentem ætatem, & laboriosis regni negotijs minus minusq. in dies sufficientem. Quod Rex haud difficulter annuit, quia prauis libidinibus suis, & iuuenilibus ineptijs iamdudum animaduerterat eum grauiter offendi, & plerumque quantum salua regia dignitate poterat, pro virili portione obniti. Is ergo vbi se in sua recepit, Rex tamquam seueriſſimo pædagogo liberatus, statim in omnia genera flagitiorum, ruptis omnibus modestiæ & temperantiæ frænis, præcipitem se dedit. Montes omnes, colliculosq. Saxoniæ & Thuringiæ castellis munitissimis extruxit; præsidiumq. imposuit. Quibus cum victui necessaria minus sufficerent, permisit, vt ex proximis villis & agris hostili more prædas agerent, & ad ipsa castella munienda circumquaque manentes cogerent, & impensas affatim conuectare, & per se ipsos seruili manu desudare. Verum ne manifestæ tyrannidis notaretur, si contra innocentes, atque in regnum proprium tam barbara crudelitate grassaretur, vt impietatem suam quadam religionis specie palliaret: Archiepiscopum Moguntinum modis omnibus instigauit, vt decimationes Thuringiæ, sicut ante plures annos instituerat, exigeret: pollicens se ei in exigendo summa ope affuturum, & dicto obtemperare, nolentes regia *maiestate coacturum, ea tamen pactione, vt ipsarum decimationum partem sibi, quæ & regia magnificentia, & tanto labore suo digna foret, tribueret. Ita Episcopus vanissima spe animatus Synodum indixit in Erphisfurd, sexto Idus Martij.

* potestate

PARATVR CONCILIABVLVM A REGE VIOLENTVM.

Statuto die aderat Rex, aderat Archiepiscopus, stipatus vterque magno grege philosophorum, immo sophistarum, quos ex diuersis locis summo studio conscisuerant, vt canones sibi non pro rei veritate, sed pro Episcopi voluntate interpretarentur, &

causam

causam eius *quomodo veris non poterāt, sophisticis allegationibus roborarent. Assidebant ergo cū Rege & Archiepiscopo Moguntino Herimannus Babenbergēsis Episcopus, Hecel Hildenesheimensis Episcopus, Eppo Citicensis Episcopus, Benno Osenbruggensis Episcopus, qui non ad discutiendam iuxta leges ecclesiasticas causam fuerant euocati; sed vt id quod Rex volebat, arte dictionis & sententiarum ponderē, postremo quaqua possent ratione & consilio obtinerent, quamquam plerique eorum id quod Rex moliebatur, vehementissime improbarent, sed ne libere, quod sentiebant eloquerentur, & Regis terrore, & priuata Archiepiscopi amicitia inhibebantur. Habebat præterea Rex circa se armatorū copias non modicas, quibus eos, si qui forte negotium interturbare conarentur, militari manu coerceret] talis apparatus fuit palliati latrocinij pulchro nomine Synodi, in qua non in loquendo libertas aliqua consultoribus, iudicibusve relicta, sed strepitus armatorum, minæ Regis, ad cuius nutum contra eius voluntati resistentes exerantur gladij, carceres pateant, intententurq. cruentæ cædes. sed quæ hæc secuta sint videamus, pergit Lambertus:

* f. quando

PRO DECIMIS CONCERTATIO.

Thuringorum spes & fiducia potissimum in Abbate Fuldensi & Abbate Herueldensi nitebatur, quod hi ecclesias decimales plurimas, & prædia infinita haberent in Thuringia, & hi si causa cecidissent, sibi vna cadendum esset. Qui publica discussione interpellati pro decimarum redditione: primo per Deum rogabant Archiepiscopum, vt antiquitus tradita monasterijs suis, legitima, rata, inconuulsaq. manere sineret, quæ & Sedes Apostolica & veteribus & recentibus scriptis crebro sibi firmasset, & præcessores eius Moguntini pontifices summi ac sanctissimi viri vsque ad Luipoldum Episcopum numquam infringere tentassent. Id atroci responso Archiepiscopus repulit, scilicet præcessores suos, sua ætate, pro suo arbitratu Ecclesiæ Dei moderatos fuisse, eosq. rudibus in Fide auditoribus, & pene adhuc neophytis lac potum dedisse, non escam, & sapienti dispensatione multa indulsisse; quæ processu temporis dum in Fide conualuissent, successorum suorum industria resecari vellent. Se autē iam adulta & potius senescente Ecclesia spiritualia comparare spiritualibus, nec iam paruulis lac, sed perfectis solidum cibum ministrare, atque a filijs Ecclesiæ recedendum, aut legibus ecclesiasticas exigere. Proinde esse eis aut ab vnitate Ecclesiæ recedendum, aut legibus Ecclesiæ æquanimiter acquiescendum. Tum illi rursum per Deum orare, vt si in Romani Pontificis auctoritate; si in Caroli, aliorumq. Imperatorum priuilegijs; si in præcessorum eius Moguntinorum pontificum indulgentia nihil sibi præsidij, aut spei reliquum esset: ipsarum saltem decimarum eam ipse partitionem fieri sineret, quam & canonum scita æquam iudicassent, & ceteræ per orbem terrarum ecclesiæ vsitatam haberent, scilicet vt quarta parte ipse pro suo, suorumq. Missorum seruitio contentus, tres reliquas portiones ecclesijs, quibus antiquitus attitulatæ fuissent, permitteret. E contra Episcopus, non ea mente se ait tantum laborem triuisse, & iam per decem ferme annos laboriosum hoc saxum voluere, vt tandem aliquando voti compos effectus, vltro iure suo cederet, & tanto molimine extortas eis decimas, ipsis pro libitu suo partiendas addiceret.

IMPEDITVR TYRANNICE APPELLATIO AD EANDEM APOSTOL.

Primus ac secundus dies in hac concertatione iam fluxerat, ancipiti adhuc fortuna, vtra pars vtri cessura foret. Iamq. in eo res vertebatur, vt Thuringi, improbata Synodo, Sedem Apostolicam appellarent. Sed Rex sub attestatione nominis diuini affirmabat, se in eum, si quis id præsumpsisset, capitali sententia animaduersurum, & omnia, quæ eius essent, vsque ad internecionem dissipaturum, clademq. eius diei multis postea sæculis non abolendam] En quales Reges, qui Apostolicæ Sedis iuribus derogant? quorsum vero ipsum ista perduxerint omnibus manifestum, in exemplum factus Rex Apostata schismaticis, & hæreticis Regibus, qui appellationem ad Sedem Apostolicam Henricianæ hæresis labe conspersi vetuerunt. Sed prosequamur reliqua, militaris potius quam sacerdotalis conuentus. pergit ipse Lambertus:

Ita Abbas Herueldensis suorum periculo conterritus, quoniam aliud in arctum concluſis rebus non patebat effugium: rem consilio Regis permisit. quatenus prout ipse bonum & æquum iudicaret, causam inter se & Archiepiscopum terminaret. Diu igitur habita deliberatione, in hanc tandem pactionem, mediante Rege, Abbas & Archiepiscopus consenserunt, Vt Abbas in decem suis decimalibus ecclesijs duas partes decimarum, tertiam Archiepiscopus acciperet: in reliquis vero eius ecclesijs dimidia

Universidad de Deusto
Biblioteca

TIMORE REGIS MALE TRANSACTVM

midia Abbati, dimidia Archiepiscopo contingeret. Vbi vero ecclesia decimalis propria A
Archiepiscopi esset, tota illic ei decima cederet. præterea vt omnes dominicales Archie
piscopi curtes, in quacumque essent parochia, ab omni penitus decimarum exactione
immunes manerent. Sub iugum misso Abbate Herueldensi, statim Thuringi, omni spe
adempta, eo quod in illius prudentia & eloquentia plurimum fiduciæ sibi posuis-
sent: non vltra restiterunt, sed decimas in reliquum absque retractatione dare profes-
sunt. Fuldensis Abbas aliquantis postea diebus obstinatus in proposito perstitit. Sed
cum nec Regis gratiam recipere, nec ad sua redeundi licentiam impetrare posset, nisi
in communem sententiam concederet: tandem rerum difficultate superatus ad hanc
conditionem non tam consilio, quam imperio & metu Regis coactus est, vt in cun-
ctis decimalibus ecclesijs suis partem dimidiam decimarum ipse, dimidiam Archiepi-
scopus acciperet. Dominicales autem curtes suas, sicut Archiepiscopus, omnes ab B
omni decimarum redditione liberas haberet] ita absoluta est tyrannice causa. Sed
quam dignam tyranno ipse Rex his appendicem tunc apposuerit, ita idem Lamber-
tus auctor significat, dicens: Tum Rex sciens haud bene placitura Romano Pontifici,
quæ gesta fuerant: sub interminatione gratiæ suæ vtrique Abbati præcepit, vt neque
per se ipsos, neque per nuntium, neque alio quouis modo pro infimulanda Synodo
Apostolicam Sedem interpellarent] hucusque Acta latrocinij Henriciani ex Lamber-
to narrata, quæ gesta esse ante Paschale tempus, affirmat.

ALEX. PAPA DEPONIT AC RESTITVIT EPISCOP. PRAGENSEM.

Quo pariter anno Alexander Papa Ioramirum Pragensem Episcopum gradu depo-
nit, sed rogatu Mathildis iterum restituit. Ista autem quomodo se habuerint, Longi-
nus, qui & Dlugoschus dictus, in Annalibus suis Polonicis ita scribit: Ioramirus alias
Gebehardus Pragensis Episcopus molestè ferens Episcopatum suum in Olmucensem C
dismembratum esse, pro reintegrando illo plures conatus impendit. Quos cum ob-
stante Duce Bohemiæ Vuratislao, qui eiusdem, mutilationis, & præfati Olmucen-
sis Episcopatus fundationis primarius fuerat institutor & auctor, irritum ire videret:
Ioannem Olmucensem Episcopum clandestine accedens, plurimis contumelijs &
verberibus per se ipsum & familiares vulneravit. De qua nouitate Dux Vuratislaus
plurimum consternatus, querelam ad auditorium summi Pontificis contra Iorami-
rum Episcopum Pragensem, dum primi nuntij ad Vrbem missi Ioramiri mandato
mutilati & cæsi in itinere fuissent, deduxit. Sceleris magnitudine Papa Alexander Se-
cundus motus, Rudolphum Cardinalem ad coercendam enormitatem sceleris &
transgressionis transmisit. Cui cum Ioramirus obedire, coram eo citatus, contuma-
citer recusaret: priuavit pontificio, ac etiam diœcesim Pragensem ecclesiastico subie- D
cit interdicto. Placidius tamen postea, ne maiora scandala exorirentur, agenti, & Io-
ramiro officium pontificale restituit, & interdictum a diœcesi Pragensi tollit: termi-
num tamen ad comparendum coram Alexandro Papa vtrique Episcopo assignat.

Quo cum ambo peruenissent: Papa depositionem Ioramiri ratam esse decernit:
precibus tamen multifarijs Comitissæ Mathildis virginis filiæ Bonifacij Ducis Lucen-
sis in Tuscia, quæ vniuersum patrimonium suum beato Petro contulit perpetuo, &
Ecclesiam Romanam ab hostibus strenue defendit, expugnatus, omne facinus in se
& in Ioannem Episcopum Olmucensem admissum condonauit, & Ioramirum pristi-
næ dignitati restituit, ita tamen, quod Olmucensis ecclesiæ fundatio de cetero firma
& perpetua perseueraret] hactenus de his Longinus hoc anno: at hæc iterum sub suc- E
cessore Alexandri Papæ Gregorio Septimo sunt ventilata. quæ autem sub eo Ponti-
fice acta sint, suo loco dicetur inferius.

ELECTVS ANSELMVS LVCENSIS EPISCOPVS.

Rursus autem idem Alexander Papa hoc anno, antequam ex hac vita migraret,
suæ Lucensi ecclesiæ consulens, ei pastorem idoneum præficiendum curauit. ad quod
munus obeundum delegit eiusdem nominis virum cuius ante ipse fuerat, Anselmum,
vita, moribus, atque doctrina præstantem: de quo in vita ipsius, quam antiquitus
scriptam ab ipsius contubernali presbytero pœnitentiario accepimus, ista leguntur:
Dum autem videretur Anselmus iam idoneus, nempe meritis, moribus, & scien-
tia dignus vt in honorem sublimaretur Episcopatus: mittitur a reuerendissimo Pa-
pa Alexandro ad Regem, ad quem pertinere videbatur eius collatio Episcopatus,
dato sibi comite Episcopo sanctæ Rufinæ nomine Meginardo. Sed quia perfecte iam
cœperat odisse, vt sacri ordines ecclesiastici, ipsi nempe Episcopatus a sæcularibus
darentur

A darentur potestatibus: quacumque occasione vel ratione absque dignitatis inuestitu-
ra discessit, quamquam ea intentione dominus Papa illum direxerit. Qui enim ope-
ratus est postea multa per eum Dominus, Catholicæ illum electioni seruauit. Rex au-
tem despectum se & confusum doluit, & regalis Imperij tamquam magnum detri-
mentum deplorauit] hæc ibi. interceſſit inter hæc obitus ipsius Alexandri Pontificis,
per cuius successorem Gregorium idem rursum ad Lucensem promouetur ecclesiam.
de quo suo loco dicendum.

De eodem Alexandro Papa antequam ex hac vita migraret, quæ ab eo miracula
sunt edita, describenda se offerunt. Voluit Deus Vicarium suum ante obitum illustra-
re miraculis, quibus sigillo velut diuinitus impresso, sicut ab Ecclesia in terra rece-
ptum, ita in cælo probatum legitimum successorem Petri significaret. Hæc autem
B ab auctore huius sæculi [a] Leone Ostiensi in Cassinate Chronico ita scribuntur: Sequen- [a] Leo Ost. lib. 3. cap. 35.
ti tempore memoratus Papa Alexander Vrbe egrediens, venit ad monasterium. Qui ALEXANDRI PAPAE MIRACVLA.
a Desiderio honorifice susceptus, dum Abbatis habitationem, quæ iuxta sancti Nico-
lai ecclesiam constructa est, ingressus fuisset: dæmoniacus quidam, qui illo tunc ve-
nerat, ei factus est obuius. Quem sanctus Pontifex vt vidit, orationem fundens ad
Dominum, dixit ad dæmonem: Præcipio tibi immunde spiritus, vt exeas ab hoc ho-
mine, & vadas in illum locum, vbi nec auis volat, nec vox hominum resonat, nisq.
ibi vsque ad diem Iudicij. Mirabilis Deus in sanctis suis, qui & innocentes, & de sua
misericordia præsumentes, velociter exaudire dignatur. dæmon ad Pontificis impe-
rium exijt, cunctiq. qui aderant, cœperunt benedicere Deum. Neque hoc tacendum
videtur, quod omnipotens Deus per eumdem famulum suum operari dignatus est.
C Nam cum pertransisset Aquinum, claudam quamdam in itinere iacentem inuenit, cu- ORITVR PAP. ALEXANDRI.
ius infirmitati compatiens Pontifex, aquam eamdem, qua post Missarum solemnia
manus suas abluerat, ei ad bibendum dedit. quam illa vbi sorbuit, sanitati reddita,
Deo gratias maximas reddere cœpit. fecit præterea idem sanctissimus Pontifex patri
Desiderio priuilegium de monasterio S. Mariæ in Palladio cum pertinentijs suis, acci-
piens ab eo ecclesiam S. Hierusalem, quam Leo reuerendissimus Papa (sicut supra di-
ximus) Richerio Abbati nostro tradiderat] hucusque de Alexãdro Leo, qui mox subij-
cit de morte eius, & subrogatione successoris. Mortuus est igitur Alexander Papa Ro-
mæ decimo Kal. Maij, cum sedisset annos vndecim, menses sex, & dies vigintiduos.

Quid autem in his quæ spectant ad ritum ecclesiasticum, statuerit Alexander, Mi-
crologi [b] auctor eiusdem temporis hæc habet: [b] Microl. c. 47

D Alexander Papa Secundus constituit, vt responsoria de eadem historia in eadem
Dominica Septuagesimæ incipiantur, quæ & in sequenti Dominica repetantur: Al-
leluia etiam in sabbato ad vesperam iussit dimitti ante Septuagesimam] hæc ibi.

Antequam autem ad electionem successoris Alexandri veniamus, ad ipsius Gre- DE SCRIPTIS IN GREGORIVM SEPTEDITIS.
gorij Septimi in Pontificatum ingressum, aliqua præfanda sunt nobis, necessitate
cogente. Accidit siquidem temporibus nostris, vigente hæresi Politicorum, Prin-
cipibus omnia tribuentium, & sacra quæque eisdem nefarie subijcientium, aliisq.
Nouatoribus & peruersoribus implicabili odio in Romanos Pontifices exurgenti-
bus, eosdemq. obstinato animo perurgentibus: vt (quod nefas dictu) in odium
eiusdem Gregorij legitime electi atque confirmati Pontificis, etiam consensu adhi-
bito Imperatoris, schismatico pseudopapæ fauentes, quæ ab eius sectatoribus schis-
E maticis peruersoribus tunc facta, dicta, vel scripta potuerint reperiri, eadem euden-
do in sui ipsorum opprobrium & turpitudinem ex abditis, vbi sepulta, in lucem
ediderint. quo enim quæque deformiora esse noscuntur, eo magis acute intuen-
tium fugiunt obtutus, amantq. tenebras, abditosq. recessus. Duo namque cusa
nuper Francofurti horum scriptorum genera reperiuntur, quorum altero auctor
(quisquis ipse fuerit nomen non prodidit, quod qui male agit, odit lucem) prose-
cutus est res gestas Henrici Quarti Regis, Tertij vero Imperatoris, hostis infensissimi
ipsius Gregorij; altero autem Benno Cardinalis schismaticus perfricta fronte iam ne-
sciens erubescere, sicut Sodoma suum peccatum prædicans, proscidit calumnijs &
contumelijs vitam ipsius Gregorij Papæ Septimi potius quam scripsit. si inimico cre-
dendum, sic scripserit Caiphas vitam Christi.

Quod autem ad dictam Henrici vitam spectat: dicendus est auctor non Henrici vi-
tam

Universidad de Deusto
Biblioteca

tam candore historico prosecutus, sed pro Henrico Apologiam texuisse, atque encomium concinnasse. Posterior vero (vt cuique intuenti videre est) non historiam scripsit, sed satyram pro animi sui libertate composuit, affectuq. priuato ac deprauato libellum famosum finxit ipse schismaticorum antesignanus, quem cum superius sæpe mendacij apertissimi arguerimus, in reliquis quis adeo vecors fidem ei adhibendam esse putarit? At perditissimus homo æque funestissimum nactus est hominem (ita parem pari vsus cum natura coniungit) a quo e cloaca sordium, iam obliuione sepultus, post tot sæcula efferatur in lucem, immo exponatur ostentui.

Nos vero (quod nostrarum partium est, veritatem elucidare, e tenebris vendicare, sartam tectam, munitamq. reddere, firmatamq. relinquere) nihil penitus de Gregorio dicturi sumus, quod non horum temporum Scriptoribus potissimum comprobetur, atque ijsdem, quorum haud dubia sit fides, nutetve sinceritas, quorum auctoritate omnes confutentur errores, mendacia conuincantur, cum nihil a nobis indiscussum relinquatur, quod legendum Lectori proponitur; quem appello pium, cupio candidum, affectu quolibet priuato exopto vacuum (atque vt paucis dicam) veritatis tantum amantem: quem cupio Spiritus veritatis talem efficiat, etiam si talis ad lectionem non accedat, vt veluti Saul a Deo in Prophetam mutetur, qui veritatis cultor sit, professor atque defensor. sed rem prosequamur.

Habet Vaticana bibliotheca res gestas Gregorij Papæ Septimi seorsum scriptas ab auctore eius temporis, quas Nicolaus Aragonius in commentario, quem de Romanis Pontificibus scripsit, incipiens a Leone Nono, vt se habent, intexuit. Alia adhuc extant æque prolixa, quæ sine titulo auctoris Petri Bibliothecarij siue Guillelmi esse putantur. Alia rursus ex ijsdem concinnata ab alijs qui scripserunt vitas Romanorum Pontificum: sed præter hæc nobis ipsa ex diuersis, ijsdemq probatis huius temporis Scriptoribus fide dignissimis sunt hinc inde petenda.

GREGORII NATALES ET PVERITIA.

De ipso dicturi, incipiamus ab eius natalibus atque genere, quem alij Soanensem, Senensem alij fuisse tradunt. constantior est sententia, fuisse patria Soanensem e Tusciæ ciuitate, natum humili loco, parente fabro, quod ignominiæ causa aduersarij ipsi obiecisse reperimus, cum hac ex parte magis laudandus esset, quod euidentiora in eo ex his elucescerent signa veri Apostolatus. siquidem Apostolus dicat: [a] Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes, & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia, & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret, vt non glorietur omnis caro in conspectu eius] hæc Apostolus, cum alioquin superbe nimis respuat humanus fastus natalis titulum illum, quo Deus Filium suum hominem factum voluit insigniri, vt fabri filius diceretur. Addunt vero ista de fabri filio, quod cum puer luderet ad pedes patris ligna dolantis; ex reiectaneis segmentis, cum nesciret litteras, casu elementa illa formarit, ex quibus simul coniunctis, illud Dauidicum [b] exprimeretur oraculum: DOMINABITVR A MARI VSQVE AD MARE, quo significaretur, manum pueri ductante numine, eius fore amplissimam in mundo auctoritatem. hæc cunabula eius, & quod in puero præostensum est diuinitus signum.

[a] 1.Cor.1.

[b] Psal. 72.

EDVCATIO GREG. PAP. VII.

Educatum vero fuisse ab infantia sub protectione sancti Petri, idem ipse scribit ad Saxoniæ Principes, vbi agens de Apostolorum principe Petro, cui omnia debeat, addit hæc de seipso: Quem ab infantia mea sub alis suis singulari quadam pietate nutriuit, & in gremio suæ clementiæ fouit] Alumnum quidem sancti Petri fuisse, idem ipse testatur, vbi rursum de sua creatione agens, hæc scribit ad [c] Guillelmum Regem Anglorum: Necessitate compulsus, amore quoque ac timore conuictus, dissimulare non potui. Amore quidem, quia sanctus Petrus in domo sua dulciter enutrierat &c.]

[c] Greg.lib.7.ep. 23.

Quod autē in fine primi anni sui Pontificatus, qui fuit Redemptoris millesimus septuagesimusquartus inchoatus annos viginti numerat suæ cōmorationis in Vrbe, scribens ad [d] Hugonem Abbatem Cluniacensem: manifestum est eum numerare ab eo tempore quo Romā cum Leone Papa Nono redijt, anno Domini millesimo quinquagesimotertio; cui numero si addas viginti annos absolutos, fient mille septuagintaquatuor, quo Christi anno ea fuit data epistola ad Hugonem, in qua ait: Nullo modo Romæ,

[d] 14.lib.2.epist. 49.

mæ, in qua coactus, Deo teste, iam viginti annis inhabitaui, remanerem] Coactum se illic dixit inhabitasse, quod scilicet a monasterio Cluniacensi abductus nolens, Romæ in Apostolicæ Sedis officijs habitaret inuitus, vbi tamen, antequam abijsset cum Gregorio Papa Sexto in Gallias, apud sanctum Petrum fuerat educatus, & quidē decursu temporis decem Romanorum Pontificum, quod testatur, qui tunc viuebat auctor Micrologi de ecclesiasticis obseruationibus, vbi decimoquarto capite de eodem Gregorio ista leguntur: Illi, Sedi Apostolicæ Romanæ scilicet, nostro tempore talem Deus gubernatorem, reuerendæ, inquam, memoriæ Gregorium Papam imposuit, qui sub decem suis antecessoribus a puero Romæ nutritus & eruditus, omnes Apostolicas traditiones diligentissime inuestigauit &c.] hæc de eiusdem Gregorij pueritia.

GREGORII ADOLESCENTIA.

Quod autem adolescentiam eius carpit schismaticus Benno, qui eum quamuis monasticam vitam agere cœpisse non neget; magicam tamen artē affirmat didicisse adolescentē a Laurentio Archiepiscopo Amalphitano, quem dicit principē maleficiorum fuisse, vt qui publice magiam profiteretur, & augurum diuinationem calleret: summæ quidem cedit laudi ipsi Gregorio, quod magistrum adolescens nactus sit ipsum Laurentium Archiepiscopum Amalphitanum, quem non principē maleficiorum, sed Sanctorum eius temporis fuisse, Petri Damiani, testis irrefragabilis, vndique integerrimi, in vita sancti Odilonis, assertione superius suo loco luce clarius demonstrauimus. adeo vt ex tam enormi mendacio, non amplius in reliquis audiendus, sed exufflandus, proculq. abijciendus sit insanus Benno, qui stulte nimis quæ scripta sunt a Philostrato de Tyaneo, eadem totidem ferme verbis adscribat ipsi Laurentio. Ex quibus omnibus ea cuncta, quæ de magicis excantationibus stylo mendaci fingendo conscripsit, penitus euanescunt, vt non sit opus singulis respondere, cum sanctum fuisse quem magum appellat, tanti viri testimonio probauerimus. Sed præter Laurentium habuisse quoque magistrum Ioannem Gratianum Archipresbyterum, postea Papam, Gregorium Sextum nuncupatum, eumq. esse secutum in Germaniam abeuntem, eaq. occasione apud Cluniacenses permansisse, nos superius diximus suo loco, cum de his actum est. Quæ autem ab eo sint gesta, cum reuocatus est Romam ordinatus subdiaconus, & postea Archidiaconus, itidem superius suis locis abunde declarata, eademq. integra, sincera, dignaq. in omnibus Apostolico viro sunt cognita, vt ex diuersorum scriptis, in primis vero ex epistolis Petri Damiani infelix Benno in omnibus mendacissimus arguatur. His percognitis, & auctoritate tum viuentium, & coram aspicientium testium confirmatis, iam quæ ad eius spectant electionem in Romanum Pontificem, pernoscamus.

GREGORII SEPTIMI ELECTIO.

Citata nuper Acta Vaticana de rebus gestis Gregorij Septimi, hæc de eius habent electione: Defuncto Alexandro Papa, & in Lateranensi ecclesia honorifice tumulato, dum Hildebrandus Archidiaconus esset in eius * obsequijs occupatus, repente factus est in ipsa ecclesia maximus Cleri & populi Romani concursus, clamantium & dicentium: Hildebrandum Archidiaconum beatus Petrus elegit. Quo audito idem Archidiaconus nimis expauit, & quasi extra se raptus cucurrit ad pulpitum, cupiens populum ipsum frequentem sedare, & a sua intentione recedere, & retrahere; sed prædictus Hugo Candidus Cardinalis, vbi omnium vota in Archidiaconum conuenisse indubitanter cognouit, citius præcucurrit, & populum ipsum in hunc modum allocutus est, dicens: Ecce charissimi fratres, scitis, & indubitanter cognoscitis, quod a diebus beati Leonis Papæ hic Archidiaconus tamquam vir prudens atque probatus, hanc sacrosanctam Romanam Ecclesiam plurimum exaltauit, & ciuitatem ipsam ab imminentibus periculis liberauit. Vnde quia idoneorem ad Ecclesiæ regimen inuenire nequimus: Nos Episcopi Cardinales vnanimiter ipsum nobis & vobis in pastorem & Episcopum animarum nostrarū eligimus. Et continuo vniuersitate populi & Cleri acclamante: Dominum Gregorium Papam sanctus Petrus elegit: indutus rubea chlamyde (sicut est mos) & Papali mitra insignitus, inuitus & mœrens in beati Petri Cathedram fuit inthronizatus] hæc ibi de ipsius electione. sed audiamus quæ idem ipse Gregorius de sua electione scribat, tum ad Desiderium Abbatem Cassinensem, tum etiam ad Gilulphum Principem Salernitanum, tum denique ad Guibertum Archiepiscopum Rauennatem, totidem ferme verbis in hunc modum.

* exequijs

[a] Greg.lib.1.ep. 3.

[a] Non dubitamus famam litteras nostras anteuolasse, & tam vobis quam multis alijs

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVAE DE SVA ELECTIONE GREGORIVS.

alijs domini nostri Alexandri Papæ obitum nuntiasse. Quod autem mihi valde gemendum est, mors eius super me cecidit, & omnia viscera mea concutiens penitus conturbauit. Nam in morte eius, primo quidem Romanus populus contra morem ita quieuit, & in manu nostra consilij frena dimisit, vt euidenter appareret, ex Dei misericordia hoc prouenisse. Vnde accepto consilio hoc statuimus, vt post triduanum ieiunium, post Litanias, & multorum orationem eleemosynis conditam, diuino fulti auxilio statueremus, quod de electione Romani Pontificis videretur melius. sed subito, cum prædictus dominus noster Papa in ecclesia Saluatoris sepulturæ traderetur, ortus est magnus tumultus populi & fremitus, & in me quasi vesani insurrexerunt, nil dicendi, nil consulendi facultatis, aut spacij relinquentes, violentis manibus me in locum Apostolici regiminis, cui longe impar sum, rapuerunt. Ita recte ego cum Propheta possum dicere: Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Laboraui clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ. [b] Denique timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ. sed quia multis & magnis curis fatigatus satis dictare nequeo, miserias meas enumerare supersedeo]

a Psal. 86.
b Id. 54.

AD OBIECTIONES BENNONIS SCHISMATICI.

Sed inter hæc audiendus est Momus, quid ad hæc obijciat Benno ex more mentitus. ait enim: Alexandro Papa iuxta vespertinam horam defuncto: eadem die contra canones a laicis electus est. sed Cardinales non subscripserunt in electione eius: sub anathemate enim canones præcipiunt, neminem eligi in sedem Romani Pontificis ante diem tertium post sepulturam ipsius prædecessoris] hæc Benno, multipliciter mentiens, atque errans. Mentiens, inquam, dum Cardinales non subscripsisse eius electioni tradit, cum ex ipso electionis decreto per eosdem Cardinales tunc conscripto, paulo inferius recitando, euidenter appareat, Cardinales omnes eiusdem electioni Gregorij consensisse. Quorum expressum consensum, etiam si decretum eorum deesset; inde euidenter probari potest, quod nullus repertus, qui tunc ab eo discesserit, vel schisma fecerit. siquidem longe post hæc, & ex alia causa, vt dicetur, schisma conflatum est. Si ergo in electione eius nullum factum est schisma, ergo Cardinales oportuit consensisse: & si consenserunt, etiam oportuit subscripsisse. nam simulac subscribere denegassent, non consensisse omnino dicendi fuissent. Quod autem (vt ait) ante triduum ex antiquorum canonum præscripto Pontifex minime eligendus fuisset, & par erat ieiunijs, precibus, & eleemosynis (quod ipse Gregorius faciendum indixerat) Dei clementiam præuenire & exorare, vt quem dignum sciret, pastorem Christiano gregi præficeret: tamen quod nuper promulgatum decretum a [c] Nicolao Papa, Alexandri prædecessore, de Romani Pontificis electione superius recitatum, quo eligendi Pontificis certa norma præscribitur, nihil penitus de triduo expectando cauisset: nihil est, quod non expectato triduo obijci potuisset. Sed & cum in eadem sententia & post triduum, & post annum, & annos perseueraße noscantur qui fuerunt legitimi electores, nec vlla ab eo facta discessio, nisi paucorum post annos septem, cum ab Henrico Rege contra Gregorium electus est Guibertus Archiepiscopus Rauennas: quid de triduo non expectato obijci iure potuit? sed præstat audire ipsum electionis decretum, tunc ab electoribus scriptis mandatum ipsa die qua est electus in Romanum Pontificem Hildebrandus Archidiaconus miro consensu omnium, Cleri scilicet atque populi, nominatusq. Gregorius. Extant ipsa Acta publica, & in eis ipsum decretum electionis, quod in eiusdem Gregorij Regesto epistolarum exordio positum, sic se habet:

c c. in nomine dist. 23.

DECRETVM DE ELECTIONE GREGORII PAPAE SEPTIMI.

Regnante Domino nostro IESV Christo, anno clementissimæ Incarnationis eius millesimo septuagesimotertio, Indictione & Luna vndecima, decimo Kal. Maij, feria secunda, die sepulturæ domini Alexandri bonæ memoriæ Secundi Papæ: ne Sedes Apostolica diu lugeat proprio destituta pastore, congregati in basilica beati Petri ad Vincula nos sanctæ Romanæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ Cardinales, clerici, acolyti, subdiaconi, diaconi, presbyteri, præsentibus venerabilibus Episcopis & Abbatibus, clericis & monachis, consentientibus plurimis turbis vtriusque sexus, diuersiq. ordinis acclamantibus: Eligimus nobis in pastorem & summum Pontificem virum religiosum, geminæ scientiæ prudentia pollentem, æquitatis & iustitiæ præstantissimum amatorem, in aduersis fortem, in prosperis temperatum, & iuxta [d] Apostoli dictum, bonis moribus ornatum, pudicum, modestum, sobrium, castum, hospitalem, domum suam bene regentem, in gremio huius matris Ecclesiæ a pueritia satis nobili-

d 1. Tim. 3.

A nobiliter educatum & doctum, atque pro vitæ merito in Archidiaconatus honorē vsque hodie sublimatum, Hildebrandum videlicet Archidiaconum, quem amodo vsque in sempiternum & esse & dici Gregorium Papam & Apostolicum, volumus & approbamus. Placet vobis? Placet. Vultis eum? Volumus. Laudatis eum? Laudamus. Acta Romæ decimo Kal. Maij, Indictione vndecima] Ob amorem enim & cultum erga Gregorium Sextum educatorem suum, gratitudinis ergo certum est, voluisse Hildebrandum creatum Pontificem nominari Gregorium; & in confirmationem illius legitimæ sedis dici Septimum numero, ad redarguendam nonnullorum sententiam de spurio Pontificatus eius, quod a nobis superius dictum est in ipsius Gregorij Sexti electione. His sic se habentibus, errare penitus conuincuntur, qui post triduum ab obitu Alexandri Gregorium electum asserunt, cum certum sit, electum fuisse dicta die vi-
B gesimasecunda mensis Aprilis, natalitio die sanctorum Pontificum Soteris & Gaij.

DE LEGITIMA ELECTIONE GREG. GERMANORVM SCRIPTORVM CONCORDIA.

Sed & præstat audire, quid rerum Germanarum Scriptores huius temporis fidelissimi de eiusdem electione Gregorij suis scriptis prodiderint. Audi, obsecro, quid Lambertus Scafnaburgensis sub hoc eodem anno in commentario de rebus gestis Germanorum scribat. ait enim: Alexander Papa, qui & Anselmus, decessit: cui Romani protinus, inconsulto Rege, successorem elegerunt Hildebrandum, virum sacris litteris eruditissimum, & in tota Ecclesia, tempore quoque priorum Pontificum omnium virtutum genere celeberrimum, &c.] quæ autem sequuntur erunt inferius recitanda. Marianus Scotus pariter in Germania scribens his diebus, eumdē Gregorium venerabilem prædicat, atque ab eo statuta decreta recitat, atque laudat. Sigebertus, etsi certum sit Henricianas partes contra Romanos Pontifices fouisse, Gregorijq. ni-
C miam seueritatem incusset, numquam tamen ausus dicere, illegitimum fuisse creatum Pontificem. Otto Frisingensis Episcopus eruditissimus scriptor hæc de Gregorio Septimo: Forma gregis factus, quod verbo docuit, exemplo demonstrauit, ac fortis per omnia athleta se pro muro domui Israel ponere non timuit] Vnus Vrspergensis Abbas, idemq. schismaticorum patronus, Bennoni, quem Brunonem appellat (nisi vitium sit male describentis librarij) inhærens, eius recitat scriptorum capita quædam, non tamen vt ille, spuriam omnino fuisse electionem Gregorij, ausus est affirmare, sed ista tantum: Cum absque Regis consensu, solis tantum Romanis fauentibus hunc apicem conscendisset: sunt qui illum non canonice constitutum, sed tyrannice Papatum sibimet asseuerent vsurpasse, pro qua re & a nonnullis Episcopis abdicatus est] hæc ipse. Sed quam etiam ista de non adhibito consensu Henrici Regis sint falsa, vidēn-
D dum.

ELECTIONI GREGORII ACCESSIT REGIS ASSENSVS

Quod enim tam Henrico Imperatori eius patri, quam huic Henrico eius filio ex priuilegio Romanæ Ecclesiæ datum sit a Romano Pontifice (vt testatur Nicolaus in sua recitata superius constitutione de electione Romani Pontificis) ac ceteris successoribus, qui acceperint idem priuilegium ab Apostolica Sede, vt adhibito eorum consensu electio facta fulciri debeat: nequaquam electio Gregorij hac ex parte nutauit, nec Gregorius in requirendo Regis assensu contumax atque refractarius fuit. Immo requisiuit ipse non consensum, sed dissensum, nempe suis litteris rogans eum, ne suæ electioni consensum aliquatenus adhiberet, vt sic effugeret super humeros iniectum importabile pondus. In Actis eius vitæ superius citatis ista narrantur: Altera
E die (nempe sequenti ab eius electione) apud se ipsum sollicita mente pertractans ad quam graue periculum sit adductus: æstuare cœpit ex nimio dolore. Sed cum excusationem de relinquendo Papatu non inuenisset: Nuntios ad Regem Henricum celeriter destinauit, per quos & electionem * desuper factam ei aperuit, & ne assensum præberet, attentius exorauit. Quod si non faceret, certum sibi esset, quod grauiores & manifestos ipsius excessus nullatenus impunitos toleraret. Rex vero vt electionis veritatem cognouit, electioni eiusdem assensum præbuit, & Gregorium Vercellensem Episcopum Italiæ regni Cancellarium ad Vrbem transmisit, quatenus auctoritate regia electionem ipsam confirmaret, & consecrationi eius interesse studeret, quod sine dilatione factum est. Nam infra Octauam Pentecostes in presbyterum Hildebrandus ordinatus est, & in natali Apostolorum in Romanum Pontificem consecratus] hæc de regio assensu Acta ipsius, quem & omnino intercessisse Lambertus affirmat. sed quomodo sit adhibitus, paulo diuerse tamen; rem gestam sic narrat sub

* super se

Universidad de Deusto
Biblioteca

hac ipsa huius anni periodo post narratam eius electionem: Is, inquit, quomodo zelo Dei feruentissimus erat, Episcopi Galliarum protinus grandi scrupulo permoueri cœperunt, ne vir vehementis ingenij & acris erga Deum fidei, districtius eos pro negligentijs suis quandoque discuteret: atque ideo communibus omnes consilijs Regem adorti orabant, vt electionem, quæ eius iniussu facta fuerat, irritam esse decerneret, asserentes, quod nisi impetum hominis præuenire maturaret, malum hoc non in alium grauius, quam in ipsum Regem redundaturum esset. Statim Rex a latere suo Eberhardum Comitem misit, qui Romanos proceres conueniens, causam ab eis scisciteretur, quare præter consuetudinem maiorum, Rege inconsulto, Romanæ Ecclesiæ Pontificem ordinassent, ipsumq. si non idonee satisfaceret, illicite accepta dignitate abdicare se præciperet. Is veniens Romam benigne a prædicto viro susceptus est. Cumq. illi mandata Regis exposuisset, respondit, se, Deo teste, honoris huius apicem numquam per ambitionem affectasse. Sed electum se a Romanis,& violenter sibi impositam fuisse ecclesiastici regiminis necessitatem; cogi tamen nullo modo potuisse, vt ordinari se permitteret, donec in electionem suam tam Regem, quam Principes Teutonici regni consensisse certa legatione cognosceret. hac ratione distulisse adhuc ordinationem suam, & sine dubio dilaturum, donec sibi voluntatem Regis certus inde veniens Nuntius intimaret. Hoc vbi Regi est renuntiatum, libenter suscepit satisfactionem,& lætissimo suffragio,vt ordinaretur,mandauit.Quod & factum est anno sequenti in Purificatione sanctæ Mariæ] hucusque Lambertus, de præstito consensu Regis haud dubius testis.Cognitum autem & firmatum ab omnibus Gregorium Papam Alphanus Archiepiscopus Salernitanus in oratione metrica his versibus Deo bonorum omnium auctori commendauit, dicens:

Archiapostolici qui culmine fulget honoris
Protege Gregorium, scis quem amare Petrum.
Septimus in numero vigilantum munera septem
Possideat semper flaminis ille tui.]

Iam vero, quæ fuerint reliqua anni huius rerum gestarum eiusdem Gregorij, percurramus.

Præter recensitam legationem ad Regem missam vna cum litteris de sua electione conscriptis, hoc pariter anno, die sequenti a sua electione, nempe nono Kal. Maij, Indictione vndecima,ad Desiderium Abbatem Cassinensem litteras dedit,in quibus post enarratam electionē,& suas, in quibus esset constitutus,angustias, de Agnete Augusta salutanda tunc Cassini commorante hæc habet:Dominam Agnetem Imperatricem,& Rainaldum venerabilem Comanum Episcopum ex nostra parte saluta, & quantum erga nos dilectionis habuerint, nunc vt ostendant, nostra vice fideliter obsecra] tempus hoc illud esse cognoscitur, quo eadem Agnes Imperatrix per sex menses (vt Leo Ostiensis testatur) Cassini est commorata. de ipsa enim ista habet his verbis: Nec Imperatricis Agnetis religiosam deuotionem silere conuenit, quæ velut altera Regina Saba, Salomonis alterius, & alterius templi magno visendi desiderio ducta, ex vltimis huc Germaniæ finibus aduenit, & sex ferme hic menses remorata, multo maiora se quam fama perceperat, vidisse gaudebat; asserens merito & locum & patrem ac Fratres omnibus, qui per totum orbem essent,religiosis viris præferendos. Obtulit autem beato Benedicto dona magnifica & regia, idest, planetam *diasphoram, vndique auro contextam, Albam quoque a scapulis & capite & manibus phrygio decenter ornatam, amictumq. similis operis, purpurea Pluuialia duo pretiosis aureis listis ornata, pannum cliadorinum cum phrygio & auro ante faciē maioris altaris, pallium etiam magnum cum elepharis, quod dorsale cognominant, Euangelium cum tabula fusili argentea opere anaglypho & pulcherrime deaurato. Duo item candelabra argentea librarum duodecim] hæc Leo.

AGNES AVG. CASSINI DEGIT.

*diasprinam

Sed ad Gregorium redeamus,cuius res gestas non aliunde certiores ac veriores, quā ex eius epistolis ad diuersos datis ijsdemq. temporis nota consignatis quis reperiet: epistolari enim historia nulla fidelior atque tutior. Extat in Vaticana bibliotheca Regestum eiusdem Gregorij epistolarum antiquitus scriptum, descriptum a nobis, cum iuniores essemus, postea vero cusum tertio tomo epistolarum Romanorum Pontificum, cuius & alia nacti sumus exemplaria. Nos ex illis ea in Annales inferemus, quæ potissimum ad publica negotia spectant,vel si quid aliud his affine.

In

In primis vero, quod spectat ad legationes hoc anno ab ipso Gregorio ad diuersos missas, eas ordine temporum recensere curabimus. post primam autem de qua dictum est legationem, de sua ordinatione ad Henricum Regem Germaniæ missam, hoc etiam anno, mense eodem, quo creatus est, post dies octo Hugonem Candidum S. R. E. Cardinalem Legatum decernit in Hispanias, cui iter facienti per Gallias litteras[a] dedit ad Geraldum Ostiensem Episcopum, & Raimbaldum subdiaconum Legatos in Gallijs, pridie Kal. Maij Indictione vndecima. In quibus in primis, quod ad ipsum delectū Legatum pertinet, quod ante sub Alexandro male audisset, sic excusat: Quia vero hunc confratrē nostrum,videlicet Hugonem Candidum in partes illas dirigi, tempus & rerum competentia postulasse videbatur: prudentiam vestram omnino exoratam esse volumus,quatenus Hugonem Cluniacensem Abbatem, & totam Congregationem Fratrum, ita ad pacem & integram huius dilectionem flectere & coniungere studeatis, vt auxiliante Deo, nihil in eorum mentibus, quod inuisum, aut dissensionis nube sit obtectum, relinquatis. Nam & hic abiecto omni arbitrio suo, ad cor nostrum, nostraq. consilia rediens, in eodem sensu, eademq. voluntate ac studio nobis est connexus; & ea quæ antehac sibi imposita sunt, viuente adhuc domino nostro Papa, ex aliorum magis quam ex eius culpa prodijsse cognouimus] cur autem ista de Hugone Legato ad Cluniacenses excusatio? quod scilicet idem Pontifex peteret ab eodem Hugone Abbate Cluniacense, vt ipsi comites ex suis monachis iungeret proficiscenti in Hispanias, qui essent adiumento ad corrigenda ea,quæ correctione digna viderentur. nam in eadem epistola hæc inferius:

[a] *Greg. lib. 1. epist. 6.*

HVGONIS CANDIDI LEGATIO IN HISPAN.

Vos autem ex nostra parte rogate Abbatem, vt tales sibi adiungat, qui eum comitentur, quorum consilio & adiutorio iter & laborem illum fiducialiter aggredi possit,legatione tamen in eo principaliter posita. Extra Hispaniam vero nullius vmquā publici rerum ecclesiasticarum negotij sine vestro consensu, quamdiu vos in Gallia fueritis, licentiam sibi dedimus faciundi] hæc quo ad ipsum Legatum Hugonem.

Quænam autem huius in Hispanias decernendæ legationis necessitas vrgens incumberet, modo dicendum. Cum enim Maurorum, qui Hispanias occupauerant, essent res in decliuo positæ, iamq. magna ex parte vendicatæ essent ciuitates atque prouinciæ per Christianos Principes: Gregorius Papa, vt quod in eis ius prætenderet Sedes Apostolica siue census ratione, siue tributi antiquitus, antequam ijdem Arabes eadem prouincias occupassent,persolui eidem consuetum,æque reciperet,Hugonem misit. His accedebat, quod vnus ex Comitibus Euulus de Roceio nomine, prone sciens iura Sedis Apostolicæ super Hispanias, Romam accesserat iam tempore prædecessoris Alexandri, vt peteret licere sibi armorum potentia ab iniquis possessoribus vendicare, quas Arabes occuparant, & adhuc possiderent prouincias in Hispania, pactis conuentis super his, quæ Sedi Apostolicæ reddenda forent, deq. his tam Alexander, quam & ipse Gregorius tunc Archidiaconus litteras conscripsissent: modo idem negotium Gregorius promoturus, mittendi Hugonem Legatum, consilium inijt. Cui etiam in mandatis dedit,vt quæ in Hispaniarum ecclesijs,essent corrigenda, corrigeret & emendaret.Scripsit autē de his idē Gregorius ad dictos Sedis Apostolicæ Legatos Giraldum Ostiensem Episcopum & Raimbaldum, his verbis: Præterea hæc meminisse debetis,quod in litteris domini nostri beatæ memoriæ Alexandri, & nostra quoque legatione orati & cōmoniti fuistis, quatenus causæ Euuli Comitis de Roceio, per vos & per antedictum Abbatem fauorem addere insisteretis,& cognita pactione, quam nobiscum de terra Hispaniæ pepigit in scripto,quod sibi dedimus, vna cum cōsilio Abbatis, tales illuc personas dirigi procuraretis, qui & errorē Christianorum, qui ibi reperiuntur, in spiritualibus corrigere saperent, & in exquirendis causis sancti Petri iuxta tenorem pactionis, si res bene procederet, sat idonei forent. Quod si ita factum est, nobis multum placet: sin vero adhuc aliqua occasione prætermissum est, aut etiam si eadem conuentio ab alijs quibusdam Principibus, quos in eamdem partem seorsum ab Euulo suis copijs ituros intelleximus; nondum exquisita est, volumus vt cum vestro consilio & Abbatis,Hugo Cardinalis illuc tendat,& æquam ab omnibus ex parte sancti Petri pactionem & debitum exigat] hæc ad Legatos in Gallia existentes Gregorius.

QVÆ AGENDA ESSENT PER HVGONEM IN HISPAN.

Idemq. omnibus Principibus, cupientibus vendicare ab Infidelibus loca per Sar-

Universidad de Deusto
Biblioteca

racenos hucusque detenta, has litteras dedit per eumdem Hugonem Candidum perferendas. est harum titulus. [a] A

[a Greg. lib. 1. ep. 7. GREGORII EPIST. AD HISPANIÆ PRINCIPES.]

Gregorius in Romanum Pontificem electus, omnibus Principibus in terram Hispaniæ proficiſci volentibus, perpetuam ſalutem in Domino IESV Chriſto.

Non latere vos credimus, regnum Hiſpaniæ ab antiquo proprij iuris S. Petri fuiſſe, & adhuc (licet diu a Paganis ſit occupatum) lege tamen iuſtitiæ non euacuata, nulli mortalium, ſed ſoli Apoſtolicæ Sedi ex æquo pertinere. Quod enim auctore Deo ſemel in proprietates eccleſiarum iuſte peruenerit, manente eo, ab vſu quidem, ſed ab earū iure occaſione tranſeuntis temporis ſine legitima conceſſione diuelli non poterit. Itaque Comes Euulus de Roceio, cuius famam apud vos haud obſcuram eſſe putamus, terram illam ad honorem ſancti Petri ingredi, & a Paganorum manibus eripere cupiens, hanc conceſſionem ab Apoſtolica Sede obtinuit, vt partem illam, vnde Paganos ſuo ſtudio, & adiuncto ſibi aliorum auxilio expellere poſſet, ſub conditione inter nos factæ pactionis, ex parte ſancti Petri poſſideret. Qua in re & labore quicumque veſtrum ſibi adhærere voluerit, omni charitatis affectu commonitus erga honorem ſancti Petri talem animum gerat, vt ab eo & munitionis auxilia in periculis, & merita fidelitatis præmia ſecurus accipiat. B

Si autem aliqui ex vobis ſeorſum ab illo proprijs copijs eamdem terram aliqua in parte intrare parauerint: decet vt militiæ cauſam ex animi deuotione quam iuſtiſſimam ſibi proponant, iam nunc omni voto concipientes, & ex corde ſtatuentes, ne capta terra, eaſdem, quas illi, qui nunc Deum ignorantes eam occupant, iniurias ſancto Petro faciant. Hoc enim neminem veſtrum ignorare volumus; quoniam niſi æqua pactione perſoluendi iuris ſancti Petri in regnum illud animaduertere ſtatueritis: potius vobis Apoſtolica auctoritate, ne illuc tendatis, interdicendo, contra feremur, quam ſancta & vniuerſalis mater Eccleſia idem a filijs ſuis, quod ab hoſtibus patiendo, non iam proprietatis ſuæ, ſed filiorum detrimento ſaucietur. Quamobrem hunc dilectum filium Hugonem & Cardinalem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ presbyterum in partes illas miſimus, in cuius ore noſtra ad vos conſilia & decreta plenius apertiusq. differenda ac vice noſtra diſponenda poſuimus. Dat. Romæ ſecundo Kal. Maij Indictione vndecima] hæc Gregorius ad Principes de Hugonis legatione, quæ ſecunda numeratur: nam prima eiuſdem Hugonis legatio in Hiſpanias contigit ſub Alexandro Papa, poſt celebratum Concilium Placentinum, de quo nos ſuo loco ſuperius egimus. eſt mentio de ea apud recentiores Scriptores rerum Hiſpaniarum. de iſta autem nec verbum quidem, eo quod eiuſdem Gregorij Papæ epiſtolas nequaquam exploratas habuerint. Quando autem, antequam Mauri potirentur Hiſpanijs, his ſit potita iuribus Apoſtolica Sedes, & ſub Vuitiza impio Rege iacturam paſſa fuerit, dictum eſt ſuo loco ſuperius anno Redemptoris ſeptingenteſimoprimo, quo nos huius legationis Hugonis & alterius eadem ex cauſa ab eodem Gregorio miſſæ oportuit meminiſſe. C D

Quod autem ad Euulum Comitem ſpectat, alio loco Ebolum Comitem nominatum in eiuſdem [b] Gregorij epiſtolarum Regeſto inuenimus, quem & vnum ex Gallorum Principibus fuiſſe demonſtrat. Porro Gallos ſiue ſponte, ſiuæ vocatos ab Hiſpaniarum Regibus expeditionem paraſſe contra Sarracenos, Francorū antiqua monimenta declarant, & quod ad hæc tempora ſpectat, fragmentum nuper editum ex codice Floriacenſi vna cum Glabro, habet plura de iteratis Francorum expeditionibus in Hiſpanias contra Sarracenos, cum etiam ab Hiſpaniarum Regibus vocarentur aduerſus eos: quæ quidem prætermiſſa eſſe noſcuntur ab his qui res Hiſpaniarum ſunt proſecuti, quæ ad hæc quæ Gregorius ſcribit, intelligenda magnopere conferunt.

[b Id. lib. 8. ep. 21] E

Paruiſſe autem Hiſpaniæ Principes Gregorio Papæ, vt quæ recuperaſſent a Sarracenis, eadem vt obligata Romanæ Eccleſiæ ab eadem acciperent, atque pro illis canonem ſoluerent: docemur exemplo Berengarij Comitis Barchinonenſis, qui hoc eodem ſæculo, anno nimirum milleſimo nonageſimoprimo, Vrbani Papæ anno quarto, cum recuperaſſet Tarraconenſem ciuitatem occupatam a Mauris, eamdem obtulit Romanæ Eccleſiæ, a qua eamdem accepit, conſtituta pro ea annua penſitatione quinque libras argenti, vt ſuo loco inferius dicturi ſumus ex diplomate tunc confecto, quod adhuc extat integrum. ſed iam reliqua proſequamur.

Cum

Cum autem iſta Romæ de Hugonis legatione decernuntur, ijdem, ad quos ſcribit Legatos in Gallia, Giraldus Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis, & Raimbaldus ſubdiaconus, qui iam tranſierant in Hiſpaniam, Synodum habuerunt, in qua aliquos depoſuere Epiſcopos, excommunicauere alios, nonnullos etiam ſuſpendere præter ius fasque, vt iniuſtæ damnatorum querelæ perlatæ ad Gregorium docuere. Cum nonnihil commotus in eumdem Epiſcopum Oſtienſem, hoc eodem anno, Indictione vndecima Kal. Iulij ad eum epiſtolam dedit increpatoriam, cuius eſt exordium: [a] Miramur, & multum anxij ſumus &c.] eumdem vero multa paſſum Romam renocat litteris ad eum [b] datis Kalendas Septembris. quæ autem acta ſint per Hugonem Legatum, nuſquam mentio. A

SYNODVS IN HISPANIA PER LEGATOS APOST. SEDIS HABITA.

[a Greg. lib. 8. ep. 10.]

[b 14. lib. 5. ep. 10.]

Eadem die qua Hugoni eam Gregorius legationem decernit, confirmat legationem nuper miſſam ab Alexandro prædeceſſore per Hubertū & Albertum, ad quos litteras dicta die dedit, quarum eſt initium: Obirum domini Alexandri Papæ &c.] quonam iſti miſſi fuerint, non conſtat: ſed ad loca ſancta Legatos fuiſſe, quæ in fine epiſtolæ habet, his verbis ſignificant: De cetero vos monemus, vt in locis venerabilibus, ad quos veneritis, orationes prō me fieri obſecretis, quatenus omnipotens Deus, qui deſiderium meum numquam ad honorem iſtum anhelaſſe cognoſcit, ad ferendum tam graue onus, quod impoſitum eius timore recuſare non audebam, omnes facultates infirmitati meæ pius impendat] B

CONFIRMATVR LEGATIO HVBERTI ET ALBERTI.

Inter alia multa inchoata ſub Alexandro, illud quidem haud leue negotium Gregorio ſucceſſori proſequendum, reliquum fuit ſane perarduum, periculi plenum, exitu dubium, vndique timendum. Etenim vidimus in Alexandro Pontifice prædeceſſore, eo ſtatu res Henrici poſitas eſſe, vt diſſimulati, aut tolerari diutius minime poſſent, ea in primis quæ publica proſtabat nundinatio Abbatiarum & Epiſcopatuum, quæ auctione venirent, his accedebat eiuſdem Regis in Apoſtolicam Sedem contumacia atque deſpectus, cum iurium humanorum ac diuinorum in dies magis magisq. conculcatio increbreſceret: quæ omnia optaſſet magnopere Gregorius abſque tumultu a Rege corrigi, atque abſque ſciſſura aliqua emendari; alioqui ea ſibi non ferenda, omnino induxit in animum. Voluntatem quidem iſtam ſuam pluribus antea datis ad complures litteris ſignificauit; vt cum hoc eodem anno ipſo initio ſui Pontificatus, pridie Nonas Maij iſta ad Godefredum Ducem inter alia ad finem epiſtolæ ſcribit: [e] C

[e Id. lib. 1. ep. 9.]

De Rege vero mentem noſtram & deſiderium plene cognoſcere potes, quod quantum in Domino ſapimus, neminem, de eius præſenti ac futura gloria aut ſollicitudine, noſtrum affectum erga eum ſuperare credimus. eſt enim hæc voluntas noſtra, vt primum oblata nobis opportunitate per Nuntios noſtros ſuper his quæ ad profectum Eccleſiæ & honorem regiæ dignitatis ſuæ pertinere arbitramur; paterna cum dilectione & admonitione conueniamus. Quod ſi nos audierit, non aliter de eius quam de noſtra ſalute gaudebimus; quam tunc certiſſime ſibi lucrati poterit, ſi in tenendā iuſtitia noſtris monitis & conſilijs acquieuerit: ſin vero (quod non optamus) nobis odium pro dilectione, omnipotenti autem Deo pro tanto honore ſibi collato, diſſimulando iuſtitiam eius, contemptum non ex æquo reddiderit, interminatio, quæ dicitur: [d] Maledictus homo qui prohibet gladium ſuum a ſanguine, ſuper nos, Deo prouidente, non veniet: neque enim liberum nobis eſt, alicuius perſonali gratia, legem Dei poſtponere, aut a tramite rectitudinis pro humano fauore recedere, dicente Apoſtolo: [e] Si hominibus placerem, ſeruus Dei non eſſem] hæc ad Godefredum Ducem Gregorius, & ad Beatricem Duciſſam & filiam eius Mathildē eadem de animi ſui ſententia inculcat vehementius, iſtis verbis: [f] De Rege autem (vt antea in litteris noſtris accepiſtis) hæc eſt voluntas noſtra, vt ad eum religioſos viros mittamus, quorum admonitionibus, inſpirante Deo, ad amorem ſanctæ Romanæ & ſuæ matris Eccleſiæ eum reuocare, & ad condignam formam ſuſcipiendi Imperij inſtruere & expolire valeamus. Quod ſi nos (quod non optamus) audire contempſerit, nos tamen a matre noſtra Romana Eccleſia, quæ nos nutriuit, & ſæpe filiorum ſuorum ſanguine alios genauit filios, cuſtodiente Deo, exorbitare nec poſſumus, nec debemus. Et certe tutius nobis eſt, defendendo veritatem pro ſui ipſius ſalute vſque ad ſanguinem noſtrum ſibi reſiſtere, quam ad explendam eius voluntatem, iniquitati conſentiendo, ſecum (quod abſit) ad interitum ruere] hæc de animi ſui firma conſtantia ſæpe teſtata: nam D

[d Ierem. 48.]

[e Gal. 1.]

[f Greg. lib. 1. ep. 11.]

GREG. PAPA QVAM BENE AFFECTVS ERGA HENRICVM REGEM.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& ad Rainaldum Comensem siue Comanum Episcopum, ad eum Legatum decernendum de ijsdem agit: [a] necnon in epistola ad Rudolphum Ducem Sueuiæ data Kal. Septembris. At legatio ista nonnisi anni sequentis initio mitti contigit, vt suo loco dicemus. Porro autem ipse Henricus Rex beneuolo erga ipsum Gregorium Papam esse animo, pluribus significauit, potissimum vero quod (vt dictum est) eius electionem ratam habuit & confirmauit. Sed & de suo erga Pontificem studio [b] datis his ad eum hoc anno litteris, pariter declarauit:

[a] Greg. lib. 1. ep. 20.

[b] Id. ibid. post ep. 29.

HENRICI REGIS EPIST. AD GREG. PAP.

Vigilantissimo & desiderantissimo domno Papæ Gregorio Apostolica dignitate cælitus insignito, Henricus Romanorum Dei gratia Rex debiti famulatus fidelissimam exhibitionem] quo plane titulo probatam intelligis ipsius Gregorij cælitus (vt ait) factam electionem. sequitur epistola.

Cum enim regnum & sacerdotium, vt in Christo rite administrata subsistant, vicaria sui ope semper indigeant: oportet nimirum domine mi & pater amantissime, quatenus ab inuicem minime dissentiant, verum potius Christi glutino coniunctissima indissolubiliter sibi cohæreant. Namque sic & non aliter conseruatur in vinculo perfectæ charitatis, & pacis, & Christianæ concordia vnitatis, & ecclesiasticæ simul status religionis. Sed nos, qui Deo annuente, regni aliquamdiu iam sortimur ministerium: sacerdotio (vt oportuit) per omnia ius & honorem non exhibuimus legitimum. Quippe nobis a Deo datæ potestatis vindicē non sine causa gladium portauimus; nec tamen in reos, vt iustum fuit, iudiciaria illum semper censura euaginauimus. Nunc autem diuina miseratione aliquantulum compuncti, & in nos reuersi, peccata nostra priores vestræ indulgentissimæ paternitati nos accusando, confitemur, sperantes de vobis in Domino, vt Apostolica vestra auctoritate absoluti, iustificari mereamur.

HENRICI REGIS DELICTORVM SVORVM ACCVSATIO.

Heu criminosi nos & infelices! partim puritiæ blandientis instinctione, partim potestatiuæ nostræ & imperiosæ potentiæ libertate, partim etiam eorum quorum seductiles nimium sequuti sumus consilia, seductoria deceptione peccauimus in cælum & coram vobis; & iam digni non sumus vocatione vestræ filiationis. Non solum enim nos res ecclesiasticas inuasimus, verum quoque indignis quibuslibet, & simoniaco felle amaricatis, & non per ostium, sed aliunde ingredientibus ecclesias ipsas vendidimus; & non eas (vt oportuit) defendimus. At nunc quia soli absque vestra auctoritate ecclesias corrigere non possumus: super his (vt etiam de nostris omnibus) vestrum vna & consilium & auxilium obnixe quærimus: vestrum studiosissime præceptum seruatur in omnibus. Et nunc in primis pro ecclesia Mediolanensi, quæ nostra culpa est in errore, rogamus vt vestra Apostolica districtione canonice corrigatur; & exinde ad ceteras corrigendas auctoritatis vestræ sententia progrediatur. Nos ergo vobis in omnibus, Deo volente, non defuerimus, rogantes idipsum suppliciter paternitatem vestram, vt nobis alacris adsit clementer in omnibus. litteras nostras non post longum tēpus cum fidelissimis nostris habebitis, ex quibus nostra, quæ adhuc dicenda restant, Deo dante, plenius audietis] hucusque Henrici Regis litteræ ad Gregorium Papam, quæ etsi nota temporis quo datæ sint, careant: tamen cum, quod inter Gregorij epistolas hoc anno datas positæ inueniuntur, tum etiam (quod maioris est argumenti) in eis de corrigendo errore, cuius fuerat accusatus, agitur, & de cura Mediolanensis ecclesiæ, de qua hoc anno litteras dedit idem Gregorius: hoc pariter anno scriptas esse, opus est affirmare. his adde quod meminit harum litterarum Henrici idem Papa in litteris suis hoc anno quinto Kal. Octobris datis ad [c] Herlembaldum militem, in quibus ista leguntur: Henricum Regem, præterea scias, dulcedinis & obedientiæ plena ad nos verba misisse, & talia qualia neque ipsum, neque antecessores suos recordamur Romanis Pontificibus misisse] at de litteris Henrici hactenus.

[c] Id. lib. 3. ep. 25.

Sed iam quæ spectant ad turbines Mediolanensis ecclesiæ, ad quos sedandos Henricus Rex (vt audisti) suis litteris auctoritatem Sedis Apostolicæ implorauit, enarremus. Ipse Gregorius Papa in [d] epistola quam dedit ad Longobardos sancti Petri fideles, quæ incipit: Scire vos volo fratres charissimi, quod & multi ex vestris sciunt, quia in eo loco positi sumus, vt velimus, nolimus, omnibus gentibus, maxime Christianis, veritatem & iustitiam annuntiare compellamur &c.] inferius, totius rei gestæ seriem perpaucis ita perstringit: Sicut scitis, Godefredus, viuente Guidone dicto Archiepiscopo Mediolanensi, eamdem ecclesiam, quæ quondam meritis gloriosissimæ Virginis

[d] Id. ibid. ep. 15

MEDIOLAN. ECCL. A GREG. SVBLEVATA.

ginis & genitricis Dei Mariæ, necnon auctoritate clarissimi doctoris beati Ambrosij inter ceteras Longobardorum ecclesias, religione, libertate, ac speciali gloria enituit: nunc quasi vilem ancillam præsumpsit emere, sponsam videlicet Christi diabolo prostituere, & a Catholica Fide tentans eam separare nisus est simoniacæ hæresis scelere maculare. Quod audiēs sancta Romana Ecclesia mater vestra, & totius Christianitatis, sicut scitis, magistra, congregato e diuersis partibus Concilio multorum sacerdotum, & diuersorum ordinum consensu, fulta beati Petri Apostolorum principis auctoritate, Godefredum fidei Catholicæ & legis Christianæ inimicum excommunicauit, & anathematis iaculo vna cum omnibus sibi consentientibus transfixit. Quam excommunicationem (quod etiam inimici sanctæ Ecclesiæ negare non possunt) sancti Patres antiquitus censuere, & per omnes sanctas ecclesias totius orbis Catholici viri confirmant, & confirmauerunt &c.] monet eos omnes vt eidem resistant. hæc Gregorius Kalendis Iulij. Fuisse autem aduersum eum diu multumq. laborandum, testantur eius epistolæ [a] ad diuersos eodem argumento conscriptæ, præsertim vero, quam dedit ad Beatricem atque Mathildem eius filiam. perdurarunt ista vsque ad triennium, quo sceleratus eam oppressit potius quam rexit ecclesiam. Sed eo sublato, necdum quieuit, sed ab eodem Henrico Rege progressus est electus quidam Thedaldus nomine, qui eamdem sibi vendicare sategit ecclesiam, quamuis iam alius ante eum fuisset electus. Gregorius vero eumdem Thedaldum ad Concilium Romam [b] vocauit ad dicendam causam. sed hæc inferius.

[a] Greg. lib. 1. ep. 11. 13. 25. 26. 27. 28.

[b] Id. lib. 3. ep. 8. & 9.

Idem vero Gregorius, vbi creatus est Pontifex, ad amicum Lanfrancum videlicet Cantuariensem Archiepiscopum litteras in Angliam misit, quibus, quas inuenerit difficultates in regimine Apostolatus, aperuit. quæ extant inter ipsius Lanfranci epistolas scriptas, Parisijs ad nos missas a Nicolao fabro nostro amicissimo.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei charissimo fratri in Christo Lanfranco, venerabili Cantuariorum Archiepiscopo, salutem & Apostolicam benedictionem.

Qualiter nobis Apostolici regiminis honor; & onus impositum sit, & quantis vndique stringamur angustijs, præsentium tibi portitor indicabit, cui respectu tuæ dilectionis etiam nonnulla nostris adhuc familiaribus occulta aperuimus. De cetero inprimis fraternitatem tuam rogamus, vt Deum pro nobis iugiter exorare non pigeat, & subditos sibi vel coniunctos fraternis nos suis orationibus apud Deum iuuare commoneat. Quanto enim in maiore periculo positi sumus, tanto amplius tuis & bonorum omnium suffragijs indigemus. Nos etenim si diuinæ vindictæ iudicium effugere volumus, contra multos insurgere, & eos in animam nostram prouocare compellimur. Nam dum omnes fere, sicut ait [c] Apostolus, quæ sua sunt, non quæ IESV Christi, quærunt, regnorum Principes, & huius mundi potentes, vt cupiditates suas expleant, legem Dei, & iustitiam non iam negligenter deserunt, sed summis conatibus impugnant: vt illud [d] Prophetæ nunc sub oculis videamus impletum: Astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum & aduersus Christum eius. Episcopi vero, & qui pastores animarum esse deberent, mundi gloriam & delicias carnis insatiabili desiderio prosequentes, non solum in semetipsis, quæ sancta, quæq. sunt religiosa, confundunt,* & subditos suos ad omne nefas operum suorum exemplo pertrahunt. Quibus non contraire, quam nobis periculosum sit resistere autem, & eorum nequitiam refrænare, quam difficile sit, tua prudentia nouit. Sed quoniam quos dolores inter has patiamur angustias, vt supra diximus, huic communi filio nostro tibi referendum *exeruimus, plura de his dicere superfedemus. Tuam vero fraternitatem, etsi monitore non egeat, impellente tamen nos sollicitudine admonemus, quatenus grauiora vsquequaque resecare vitia studeat: & inter omnia, & præ omnibus nefas, quod de Scotis audiuimus, quod plerique videlicet proprias vxores non solum deserunt; sed etiam vendunt, omnibus modis prohibere contendat. Ad hæc enim Apostolica te auctoritate fultum esse volumus, vt non solum in Scotis hoc scelus, sed etiam in alijs, si quos in Anglorum insula tales esse cognoueris, dura animaduersione punias, & radicem tanti mali prudenti sarculo correctionis penitus extirpare non differas] hucusque ad Lanfrancum epistola.

[c] Philip. 2.

[d] Psal. 2.

* sed

* exeruimus

Eodem anno Michael Constantinopolitanus Imp. cum accepisset, defuncto Alexandro Papa, Gregorium in eius locum esse suffectum, mox ad eum gratulatorias lit-

Universidad de Deusto
Biblioteca

MICHAEL IMP. AD GREG. PAPAM LITTERAS MISIT.

teras dedit. qua occasione captata ipse Gregorius componendi schismatis, quod tunc vigeret inter Latinos & Græcos, Dominicum Patriarcham Venetum ad eum Legatum misit, cui & ad eumdem Imperatorem has litteras dedit: [a]

a Greg. lib. 1. epist. 18.

GREG. PAPAE EPISTOLA AD MICHAEL IMP.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei Michaeli Constantinopolitano Imperatori salutem & Apostolicam benedictionem.

Quidam a vestris partibus monachi venientes, quorum vnus Thomas, alter Nicolaus vocabatur, excellentiæ vestræ ad nos litteras detulere plenas vestræ dilectionis dulcedine, & ea quam sanctæ Romanæ Ecclesiæ exhibetis, non parua deuotione. Quæ nimirum inter cetera nobilitatis vestræ verba eisdem monachis de his, quæ ipsi viua voce in aure nobis ex parte vestra relaturi essent, posse nos credere asserebant. Verum quia personæ non videbantur tales, quibus secure fidem possemus accommodare, vel per eos de tantis rebus magnitudini vestræ respondere; confratrem nostrum Dominicũ B Patriarcham Venetiæ, Romanæ Ecclesiæ & Imperio vestro fidelissimum ad vos studuimus mittere, quatenus ipse diligenter a vobis intelligat, si in ea, quam litteris vestris, & viua eorumdem monachorum secretius voce significastis, adhuc voluntate perseueratis, & legationis vestræ verba ad effectum perducere velitis. Nos autem non solum inter Romanam, cui licet indigni deseruimus, Ecclesiam, & filiam eius Constantinopolitanam, antiquam, Deo ordinante, concordiam cupimus innouare; sed si fieri potest (quod ex nobis est) cum omnibus hominibus pacem habere. Scitis enim, quia quantum antecessorum nostrorum & vestrorum sanctæ & Apostolicæ Sedi & Imperio patrocinium concordia profuit, tantum deinceps nocuit, quod vtrimque eorumdem charitas friguit. Cetera igitur, quæ præsentium latori secretius referenda commisimus, indubitanter potestis credere, & per eum quidquid maiestati vestræ C placuerit, secure nobis significare. Datum Albani, septimo Idus Iulij, Indictione vndecima] Quid vero hac legatione actum sit, nobis incompertum. Illud autem exploratum, eumdem Gregorium Papam anno sequenti pro Constantinopolitano Imperio laborasse, monuisseq. suis litteris [b] omnes Christifideles opem illi ferre aduersus Sarracenos, illud mirum in modum afflictantes. sed de his suo loco dicturi sumus.

b Id. lib. 3. ep. 14. & lib. 4. ep. 26.

Quod autem ad Venetiæ Patriarcham pertinet, eumdem modo Venetiæ, modo Gradensem Patriarcham ab eodem Pontifice inuenies appellatum in epistolis ad eum datis. de quo & audi ipsum ad Ducem ita scribentem, dum redarguit, quod sineret eorum Patriarcham nimia inopia laborare, atque ea de causa tantam apud eos sordescere dignitatem:

Gregorius [c] Episcopus seruus seruorum Dei, Dominico Duci & populo Venetiæ sa- D lutem & Apostolicam benedictionem.

c Id. lib. 2. ep. 30.

QVID AD DVCEM VENETIA RVM GREGORIVS.

Notum esse credimus, non solum his, qui nobiscum morati sunt, sed etiam plerisque vestrum, quod iam ab ineunte ætate terram vestram & libertatem huius gentis valde dileximus, atque ob id nonnullorum Principum & nobilium personarum inimicitias sustinuimus. Postquam vero Apostolici regiminis onus & officium licet indigni suscepimus, tanto feruentius in dilectione vestra noster exarsit affectus, quanto per generalis curæ debitum in administrationem vestræ salutis sollicitius astricti sumus. Quapropter litteras ad vos direximus, vt nobilitatem vestram ad respiciendum decus & & sublimitatem antiquæ dignitatis suæ excitare possimus, ne ex longa (quod absit) negligentia dilapsum honorem gemat, quem adhuc stantem, dum potest, colere & seruare non laborat. Scitis enim quoniam præ multis terrarum partibus diuina di- E spensatio terram vestram Patriarchatus honore sublimauit, cuius dignitatis eminentia ex sui ipsius nominis & officij prærogatiua adeo angusta & rara est, vt non amplius quam quatuor in toto mundo reperiantur. Quod cum ita sit, apud vos tamen hoc tantum decus, & tam excelsi gloria sacerdotij ex inopia rerum temporalium, & diminutione potestatis suæ adeo vilescit, & a competeti statu honoris sui penitus corruit, vt tanta tenuitas rerum nec simplicem Episcopatus sedem condecere, aut eius necessitatibus sufficere posse videatur.

GREG. PAPA REDARGVIT VENETOS OB INOPIAM PATRIARCHAE.

Vnde vos tanti beneficij diuinæ munificentiæ ingratos & immemores esse deprehendimus, timentes ne quasi degeneres filij diuitias & hereditatem nobilissimæ matris vestræ, videlicet Gradensis ecclesiæ, dissipantes, inde obscuriores efficiamini, vnde post Apostolicam Sedem omnibus, quæ sunt in Occidente gentibus clariores extitistis.

A tistis. Nos equidem meminimus Dominicum Patriarcham beatæ memoriæ antecessorem huius propter nimiam egestatem locum deserere voluisse; & hic quidem pari necessitate dicit se circumuentum esse. Quapropter sicut charissimos filios vos admonemus, vt memores pristinæ nobilitatis & gloriæ, collatum vobis honorem & Apostolicæ Sedis erga vos beneuolentiam vlterius non negligatis; sed conuenientes in vnum, qualiter antesignati Patriarchatus dignitatem debita cum veneratione & rerum temporalium amplificatione sustentetis, & cum Dei adiutorio ad culmen suæ celsitudinis releuetis, communi consilio pertractetis. Indicauit quidem nobis hic confrater noster Patriarcha, te Ducem & plerosque vestrum, quam optimam super hac re habere voluntatem. propter quod & fiducialius ad explendum opus boni propositi vestram exhortari incipimus dilectionẽ. Quidquid igitur inde inter vos consultum &
B constitutum fuerit, nobis per litteras, aut certo nuntio quantocyus renuntiate: quoniam si pro gloria & nobilitate tam vestri, quam præfati loci & sacerdotij aliquid statueritis (vt æquum est) pro meritis vestris gratulabimur: sin vero aliqua minus honesta vos occasio retraxerit; procul dubio tanti ministerij nomen inter vos vilescere & debito honore priuari non patiemur. Datum Romæ pridie Kal. Ianuarij Indict. xiij.] nempe in fine sequentis anni.

LEGATIO A GREG. PAPA AD VRATISLAVM DVCEM BOEMIAE.

Rursum vero, quod pertinet ad legationes hoc anno in diuersas prouincias ab eodem Gregorio Papa missas, inter alias illa fuit ad Vratislaum Ducem Boemiæ. fuerunt ad hoc opus delecti Bernardus atque Gregorius, cuius autem ordinis, vel dignitatis fuerint, ignoratur. Hi autem ab ipso Duce digne accepti & honorifice habiti sunt, sed ab Episcopo Pragensi Ioramiro, de quo superius sub Alexandro dictum, prorsus in-
C digne atque illiberaliter tractati, adeo vt opus fuerit Legatis in eum suspensionis sententiam ferre. De ipso enim ita Gregorius Papa ad ipsum Boemiæ Ducem: [a] Frater vester* Larmir Pragensis Episcopus, olim noster amicus, his nostris Legatis Bernardo scilicet & Gregorio (vt auditu percepimus) in tantum rebellis extitit, vt si ita est sicut dicitur, Simonis magi vestigia contra Apostolorum Principem imitatus fuisse videatur, Simonis magi vestigia contra Apostolorum Principem imitatus fuisse videatur, vt & nostros Legatos & fratrem nostrum prædictum Episcopum conueniatis, & per vos, & ex parte nostra fratrem vestrum attentius hortemini, quatenus Legatorum nostrorum monitis debitæ obedientiæ aurem inclinet, & quidquid iustitiæ sibi suggesserint, vel ex eis præiudicio pergrauari, nulla sibi ab hac Ecclesia audientia denegabitur. Si vero neutrum horum facere acquieuerit, & sententiam Legatorum nostrorum de suspensione sui
D officij in eum promulgatam firmabimus, & durius contra eum, scilicet vsque ad interniciem gladium Apostolicæ indignationis euaginabimus; sicq. fiet vt ipse, & per eum plures alij experiantur, quantum huius Sedis auctoritas valeat &c.] At homo in omnibus refractarius Apostolicæ Sedis compulsus est auctoritate licet inuitus, nolensq. ad dicendam causam Romam venire, iudicio postulatus, instante & vrgente Ioanne Episcopo Morauiæ. Fuit tamen in his eidem Gregorio plurimum laborandum, vt plures ab eo scriptæ eo argumento litteræ [b] docent, quibus etiam regutus est Sigefridus Archiepiscopus Moguntinus, qui eam causam ad suum iudicium studuit aduocare. [c]

a Greg. lib. 1. epist. 17.
* Ioramir

DE CAVSA PRAGENSIS EPISCOPI.

b Idem lib. 2. ep. 44. 45.
c Id. lib. 1. ep. 60.

Quomodo autem tandem Romam veniens fuerit absolutus, & ad Episcopatus munus reintegratus, [d] litteræ eiusdem Pontificis ad Vratislaum Boemiæ Ducem,
E ita significant: Frater tuus * Larmirus Pragensis Episcopus ad Apostolorum Limina veniens, conspectui nostro ea, qua oportuit se humilitate præsentauit, & de obiectis sibi quædam confitens congruam inde satisfactionem obtulit; quædam vero denegauit, & in hunc modum se purgando remouit, videlicet, quod ipse Ioannem Morauensem Episcopum non percusserit, neque seruientes eiusdem Episcopi decapillari aut barbas eorum abradi præceperit, aut occasione subterfugiendi Synodum inducias per Legatum suum petierit. Nostræ igitur dilectioni plene reconciliatum, & restituto sibi omni Episcopali officio, ad propriam sedem cum litteris nostris & Apostolico eum sigillo remisimus, commendantes eum tuæ nobilitati, vt omni inter vos odio, & inimica æmulatione sublata, fraterno corde eum diligas, & Episcopalem in eo dignitatem (sicut dignum est) veneranter inspicias, &c.] At vero quod scriptum est: Peruersi difficile corriguntur] rursum aduersum eum integrandum fuit iudicium,

d Id. lib. 1. ep. 78.
* Ioramirus
e Eccl. 1.

cum

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum reuersus in patriam, denuo cœpit lacessere eumdem Ioannem Episcopum Morauiæ, vt ipsius Gregorij ad eum litteræ [a] docent, quibus eum rursus Romam vocauit, & aliæ ad Ioannem ipsum scriptæ, quibus eum est consolatus. A

[a] Greg. lib. 2. ep. 67.

[b] Id. ibid. ep. 8. CENSVS SOLVITVR A DVCE BOEMIAE S. PETRO.

Cum eodē quoque Boemiæ Duce Vratislao idem [b] Gregorius Papa hoc anno egit, vt censum Apostolicæ Sedi persolueret pro Ducatu Boemiæ, vt se facturum voto nuncupato, Deo pollicitus fuerat, in memoriam reuocans [c] beneficium, quod ab Alexandro Papa prædecessore receperat, nempe vsum mitræ: hæcq in fine anni huius. sequenti vero anno eumdem censum ab eodem Duce esse persolutum eiusdem Gregorij ad eum redditæ litteræ [d] docent, quibus ait: Peruenit ad nos Nuntius vester, qui magnæ deuotionis & fidelitatis vestræ exhibitionē nobis retulit, & quæ beato Petro sub nomine census misistis, videlicet centum marchas argenti ad mensuram vestri ponderis, fideliter præsentauit. Quod quidem gratanter accepimus, sed charitatem vestram multo ardentius, amabiliusq. quasi quibusdam animi brachijs ad vos vsque porrectis amplectimur, qui mentem vestram & desiderium magis ac magis erga reuerentiam Apostolicæ Sedis accendi perpendimus. Beatus autem Petrus, quem vos diligitis, & cui celsitudinem potentiæ vestræ humiliatis, copiosa vobis proculdubio retributionis munera præparabit, & suo vos munimine tam in præsenti, quam futuro sæculo lætificabit &c.] B

[c] Greg. lib. 2. ep. 61.

[d] Id. ibid. ep. 7.

ITINERA ARIVM GREGORII PAP.

Quod autem idem Pontifex haud Romæ constitit, sed egressus ab Vrbe, diuersa loca lustrauit: libet eiusdem Gregorij ab Vrbe hoc anno proficiscentis affectando vestigia, quæ ab eo sunt gesta, pro ratione locorum & temporum recensere, quod ex certis diebus datarum ab eo litterarum id consequi poterimus. Ex [e] quibus in primis eum vsque ad Kal. Iulij Romæ mansisse, reddimur certiores; inde vero profectum esse Laurentum, [f] vbi datæ reperiuntur primæ eius litteræ ad Ducem Boemiæ post hæc vero Albanum abijsse, vbi datæ reperiuntur recitatæ nuper [g] litteræ ad Michaelem Imp. Postea autem Cassinum venit, vbi Desiderium Abbatem & Cardinalem nactus, eum inde recedens (vt testatur Leo Ostiensis) secum duxit Beneuentum. Illic vero dum esset, Augusti mense constitutionem pacti cum Landulpho Principe [h] Beneuentano scribendum curauit, quæ in [i] Regesto epistolarum eius hoc inscripto titulo legitur: C

[e] Id. lib. 1. epist. 26.

[f] Id. ibid. epist. 27.

[g] Id. ibid. epist. 28.

[h] Leo Ostien. lib. 3. c. 35. in fine.

[i] Greg. poll. ep. 18.

Constitutio, quæ facta est inter dominum Gregorium Papam Septimum & Landulphum Beneuentanum Principem.

Hæc est constitutio, quam domnus Papa Gregorius constituit cum Landulpho Beneuentano Principe, & quam Princeps Beneuentanus ipse sibi firmiter promisit in sacro Beneuentano palatio, anno primo Pontificatus eius, duodecima die, intrante mense Augusto, Indictione vndecima. Si ab hora ipsa in antea Princeps ipse fuisset infidelis sanctæ Romanæ Ecclesiæ & Papæ ipsi, suisq. successoribus, vel si in aliquo quæfisset minuere publicam rem Beneuentanam, aut aliquam inde absque nutu Papæ, vel absque ordinatis eius alicui fecisset inuestitionem; vel si aliquo inuenerit studio cum aliquo homine intus aut foris ciuitatem Beneuētanam faciendi, aut recipiendi sacramentum, aut inueniendi diuisiones; vel si per se, aut per suppositam personam intus aut foris ciuitatē Beneuentanam studuerit qualicumque modo aut ingenio reddendi malum meritum, aut faciendi damnitatem cuilibet de fidelibus sanctæ Romanæ Ecclesiæ, de ea quæ ad fidelitatem eiusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ * egere vsque modo, si se iuxta domni Apostolici iudicium non potuerit inde defendere cum fuerit appellatus: a præsenti amittat suum honorem] cui constitutioni subscripti leguntur quinque qui aderant sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales his verbis: D

*

Ego Ioannes Portuensis Episcopus recognoscens subscripsi.

Ego Ioannes Tusculanensis Episcopus interfui & subscripsi.

Ego Hubertus Prænestinus Episcopus subscripsi.

Ego Desiderius presbyter R. E. interfui & subscripsi.

Ego Petrus Cardinalis presbyter & Bibliothecarius S. R. E. interfui & subscripsi] hic Petrus Guillermus dictus post Anastasium vsque ad Paschalem Secundum scripsit vitas Romanorum Pontificum. E

[k] Id. ibid. epist. 39.

Post hæc vero idem Pontifex profectus est Capuam, vbi Kal. Septembris [k] litteras dedit ad Rudolphum Sueuiæ Ducem, quibus egit de conseruanda concordia inter Romanam Ecclesiam & Henricum Regem Germaniæ, quam se magnopere optare signi-

A significat: eodemq. argumento scripsit eadem die epistolam ad [a] Rainaldum Comanum Episcopum.

[a] Greg. lib. 1. ep. 20.

Eadem quoque die scripsit ad [b] Anselmum Lucensem Episcopum electum, ne a Rege Henrico acciperet inuestituram antequam ipse Rex satisfaciat Romanæ Ecclesiæ de communione cum excommunicatis, quo nomine accusaretur. De hoc idem Gregorius antea, hoc eodem anno, mense Maij, scripserat ad Beatricem Marchionissam & Mathildem eius filiam, his verbis: [c] De electo vero Lucensi non aliud vobis respondendum esse peruidimus, nisi quod in eo tantam diuinarum litterarum scientiam & rationem discretionis esse percepimus, vt quæ siniſtra, & quæ sit dextera, ipse non ignoret. Quod si ad dexteram inclinauerit, valde gaudemus: sin vero (quod absit) ad siniſtram, vtique dolemus, sed nullius personæ gratia vel fauore impietati assensum B dabimus] At vero Anselmus vir doctissimus pariterq. sanctissimus, licet ad breue temporis spacium declinauerit ad siniſtram, tamen pœnitendo, quam citissime est conuersus ad dexteram, & vt filius dexteræ aduersus schismaticos omnes inhæsit, dum vixit, sanctæ Romanæ Ecclesiæ: fuitq. in omnibus certaminibus ipsi Gregorio manus dextera, eademq. potens aduersus hostes Ecclesiæ semper inuenta. Ita quidem postea, verum nutare in principio visus est, dum quod antea facere renuisset sub Alexandro, fecit cum iam a Gregorio Papa esset ordinatus Lucensis Episcopus, accipiens a Rege per anulum & baculum pastoralem inuestituram. quod vt graue peccatum in se puniens, relicto Episcopatu ad Cluniacense se contulit monasterium. Sed inde ab ipso Gregorio Papa diuulsus, ad certamina subeunda, quæ aduersus Romanam Ecclesiam excitata sunt a schismaticis, reuocatur. At quomodo ista se habeant, præstat audire ab eius familiari presbytero pœnitentiario, qui rebus præsens C ab eo gestis, easdem fideliter scripsit, vt superius dictum est. qui de his quæ hoc anno sunt gesta, hæc habet:

[b] Id. ibid. ep. 21. ANSELMI LVCEN. EPISC. POSTERIORA MELIORA PRIORIBVS.

[c] Id. ibid. ep. 22.

Defuncto prædicto Papa Alexandro, dum sanctissimus Gregorius in Romanum Pontificem, Spiritus sancti instigatione ac voto communi clericorum & laicorum diu renitens esset electus, vt sequeretur eum ipse in omnibus, in Lucanam ecclesiam est & ipse electus Episcopus, atque ab illo postmodum consecratus. Igitur dum aliquanto tempore non semel aut bis, sed sæpius cum eodem religiosissimo ordinatore suo moraretur, vitam eius considerauit ineffabiliter mirabilem, & mirabiliter ineffabilem; quia cum de omnibus & singulis finibus sæculi fieret ad eum concursus, omnibus satisfaceret; veritas vera ac iustitia numquam ori eius defuit. primo (quod magis est mirandum) in ipsis sæcularibus negotijs sæpius excessit mente, exhilarato spiritu D suo cælesti contemplatione: ar si priuatus interdum extiterit, reuelationibus etiam diuinis iucundatus & confortatus. Huius, inquam, vestigia dum exequi feruenter dediſiderat, incipit obliuisci mundum, & totis viribus mentis & corporis die ac nocte sufpirare in Deum, committens se non solum assiduæ lectioni, verum etiam continuæ afflictioni. Nam sæculi blandimenta & corporis delicias, quibus gaudebant homines, ipse sibi iam tunc conuertit in tormentum, abominando quæque tamquam venena mortis amarissima. Cibos quoque delicatissimos quoniam habebat exosos, dum a circumsedentibus sumere cogeretur, infirmitatem, aut votum, aut aliam quamlibet occasionem honeste finxit, vt desideratam obseruaret castimoniam, & conuiuantibus non inferret tristitiam. Et perscrutatis diuersarum auctoritatum libris, incipit vitam E suam perditissimæ damnationis æstimare, atque accepti ministerij dignitatem, graue oneris periculum, non honoris gaudium cogitare. Illud vero ante omnia metuens, quod post Catholicam electionem de manu Regis anulum susceperit & pastoralem baculum. Nam irritum prorsus existimauit, quidquid operatus est postea, quasi auctoritate illius abominabilis inuestituræ. sed & dominus Papa id solum aliquando vituperauit in illo. Disponit ergo, orationis causa Sanctorum aliqua visitare limina, botum esse, & nescientibus, qui cum ipso erant, parentibus & fidelibus, fit subito monachus Regulæ sancti Benedicti, & Cluniacensium consuetudini subiectus. Hinc non post multa a beatissimo Papa Gregorio inuitus reuocatus, in cuius etiam manus, quidquid a Rege acceperat, reddit & refutat, omnisq. datio regalis in illo euacuatur. ipse vero in plenitudinem dignitatis mutato tantum habitu restauratur] hucusque de ordinatione Anselmi & reuocatione ad Episcopatum, de quo inferius sæpe dicendum.

GREGORIVS PAPA VII. CONTEMPLATIONE EXIMIVS.

ANSELMVS FIT MONACHVS CLVNIACENSIS, SED REVOCATVR A PAPA.

Porro

Universidad de Deusto
Biblioteca

Porro ordinationem eius hoc anno fieri contigisse,idem auctor ex eo etiã docet. Cum A
enim ipso Anselmi vitæ exordio dicat, peruenisse vita sua vsque ad annum Domini
millesimum octogesimumsextum, annumq. sui pontificatus decimumtertium: pla-
ne hoc anno eum oportuit ordinatum, quo & monitus est a Gregorio Papa litteris,ne
rebus sic stantibus, a Rege acciperet inuestituram. has enim perbreues tunc ad ipsum
litteras dedit: [a]

a Greg. lib. 1. ep. 21.

SCRIBIT AD ANSELMVM GREGORIVS.

Quoniam fraternitatem tuam sinceræ charitatis affectu & dileximus & diligimus:
quæ tibi seu verbis,seu litteris super vtilitate vitæ tuæ scribere curamus,vt indubitanter
accipias, oportet. Vt enim viam qua ambules,postulasti,tibi notificaremus: nullam
nouam nullã expeditiorem scimus ea quam nuper dilectioni tuæ significauimus,vide-
licet,te ab inuestitura Episcopatus de manu Regis abstinere,donec de communione cũ
excommunicatis Deo satisfaciens, rebus bene compositis,nobiscũ pacem possit habe- B
re. Personæ namque tales hoc opus conantur perficere,charissima vtique filia nostra
Agnes Imperatrix, necnon & gloriosa Beatrix cum filia Mathilde, Rudolphus quo-
que Dux Sueuiæ, quorum religiosa consilia spernere nec possumus nec debemus.
Quod si præfati operis perfectio dilationem quacumque occasione contigerit habere,
interea nostræ familiaritati poteris adhærere Romæ, & nobiscum seu aduersitatem,
seu prosperitatem communicare. Datum Capuæ Kal. Septembris, Indictione inci-
piente duodecima] at Anselmus haud acquiescens Gregorio, sic ad tempus lapsus
est pedibus, vt tamen animosior sit redditus ad cursum, & verticem Christianæ per-
fectionis violentus attigerit, & palmam arripuerit sanctitatis.

Dum adhuc Capuæ Gregorius Pontifex moraretur, exegit a Principe Capuano iu-
ramentum fidelitatis, quod præstitum relatum inter publica monimenta sic se habet C
hoc inscriptum titulo:

b Id. ibid. post ep. 21.

IVRAMENTVM FIDELITATIS A PRINC. CAPVANO EXHIBITVM PAP.

Iusiurandũ fidelitatis quod fecit Richardus Princeps domino suo Gregorio Papæ. [b]
Ego Richardus Dei gratia & sancti Petri Capuæ Princeps,ab hac hora & deinceps
ero fidelis sanctæ Romanæ Ecclesiæ & Apostolicæ Sedi, & tibi domino meo Gregorio
vniuersali Papæ. In consilio,vel in facto,vnde vitam aut membrum perdas, vel captus
sis mala captione,non ero. Consilium quod mihi credideris, & contradixeris,ne illud
manifestem: non manifestabo ad tuum damnum,me sciente. Sanctæ Romanæ Eccle-
siæ, tibiq. adiutor ero ad tenendum & acquirendum & defendendum regalia sancti
Petri, eiusq. possessiones recta fide contra omnes homines, & adiuuabo te, vt secure
& honorifice teneas Papatum Romanum, terram sancti Petri, & Principatus nec in-
uadere, nec acquirere quæram,nec etiam deprædari præsumam,absque tua tuorumq. D
successorum, qui ad honorem sancti Petri intrauerint, certa licentia, præter illam,
quam tu mihi concedes, vel tui concessuri sunt successores. Pensionem de terra sancti
Petri, quam ego teneo & tenebo, sicut statutum est, recta fide studebo, vt illam san-
cta Romana annualiter habeat Ecclesia. Omnes quoque ecclesias, quæ in mea persi-
stunt dominatione,cum earum possessionibus dimittam in tuam potestatem,& defen-
sor illarum ero ad fidelitatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Regi vero Henrico,cum a te
admonitus fuero, vel a tuis successoribus, iurabo fidelitatem, salua tamen fidelitate
sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Et si tu vel tui successores ante me ex hac vita migrauerint,
secundum quod monitus fuero a melioribus Cardinalibus,& clericis Romanis & lai-
cis, adiuuabo vt Papa eligatur & ordinetur ad honorem sancti Petri. Hæc omnia su- E
prascripta obseruabo sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & tibi recta fide. & hanc fidelitatem
obseruabo tuis successoribus ad honorem sancti Petri ordinatis, si mihi firmare volue-
rint inuestituram a te mihi concessam. Actum Capuæ octauo Kal. Octobris Indictio-
ne duodecima.]

CYRIACVS CARTHAG. EPISC. GRAVIA PASSVS.

Vbi dum adhuc maneret idem Pontifex Gregorius, litteras accepit a Cyriaco Epi-
scopo Carthaginensi, quibus significauit, quæ passus fuerit a suis conciuibus Chri-
stianis & eiusdem ecclesiæ clericis, qui eum apud Regem Arabum accusarunt, a quo
publice verberibus fuisset affectus. Quibus acceptis Gregorius, litteras binas Cartha-
ginem misit, quarum alteris redarguit ciues & clericos, alteris vero ipsum est conso-
c Id. ibid. ep. 22. latus Cyriacum. Extant [c] vtræque datæ ante duodecimum Kal. Octobris. Ad plebem
autem & Clerum post multa, quibus eos est hortatus ad pacem,hæc habet de his,quæ
contra suum Episcopum perpetrassent, luctu quidem digna: Peruenit quippe ad au-
res

A res nostras,quosdam vestrum irreligiose in legem Christi contra Christum, Cyriacum
venerabilem fratrem nostrum, vestrum vero Archiepiscopum & magistrum; immo
vero vestrum Christum apud Sarracenos sic accusasse, iurgijs detractionis sic laceras-
se, vt inter latrones numeraretur, verberibus nudus cæderetur. O exemplum ini-
quum,vestri & vniuersæ sanctæ Ecclesiæ dedecoris exemplum! Christus iterum capi-
tur,falsis accusatoribus & testibus condemnatur, inter latrones numeratus verberibus
cæditur. A quibus? qui eius dicuntur credere incarnationem, eius etiam venerari
passionem, ceteraq. eius sancta mysteria fide amplecti. Estne super his tacendum?
an clamandum, & fletu corrigendum? &c.] hortatur eos ad pœnitentiam, quod
nisi fecerint, maledictionem dirissimam comminatur.

GREG. PAPA REDARGVIT CARTHAGINENSES.

Ad Episcopum vero Carthaginensem hæc inter alia: Deo gratias, quia in medio
B nationis prauæ & peruersæ fidei tuæ constantia velut luminare quoddam omnibus
adeo innotuit, vt præsentatus regiæ audientiæ potius definires diuersis cruciatibus
affici, quam præcipiente Rege contra sanctos canones ordinationes celebrari. Sed
quanto pretiosior esset religionis tuæ confessio, si post verbera, quæ tunc sustinuisti,
errorem eorum ostendendo, & Christianam religionem prædicando, vsque ad effu-
sionem ipsius animæ peruenisses? Quod licet huiusmodi studijs fraternitatem tuam
non ambigimus incumbere, & pro testimonio veritatis (quantum ad te) vsque ad
detruncationem membrorum deuenisse: tamen deuotionem tuam semper ad meliora
prouocantes exhortamur,vt paratum te semper exhibeas,sicut de Domini consolatio-
ne lætificari, ita & de tribulatione non frangi. Multæ enim sunt tribulationes iustorũ,
sed de his omnibus liberabit eos Dominus. His artibus quibus creuit,sancta reparatur
C Ecclesia. Hanc nobis hereditatem sancti Patres reliquere,scilicet vt per multas tribula-
tiones intremus in regnum Dei] & paulo inferius de suo erga ipsos pietatis studio,
cui insistere debeant, hæc habet: Nos igitur licet corpore absentes, spiritu tamen præ-
sentes, mutuis litterarum consolationibus, quotiens permittit opportunitas, insista-
mus, & omnipotentem Deum assidue deprecemur, vt ipse Ecclesiam Africanam ex
longo iam tempore laborantem, & diuersarum perturbationum fluctibus conquassa-
tam tandem dignetur respicere] sed vere non respexit; quin secundum illud terri-
bile Ioannis Apocalypsis oraculum, quo Deus commonens ecclesiam Ephesi, com-
minatus est dicens: [a] Venio tibi, & mouebo candelabrum tuum, nisi pœnitentiam *a Apoc. 2.*
egeris] pœnitentia non sequuta,post tot schismata,post tot hæreses per plura sæcula
propagatas,mouit candelabrum eius, proiecit in terram sanctuarium eius, vt infelix
D Ecclesia Africana in ostentum sit posita vniuersis, eam Ieremiæ lacrymis lamentan- *b Thren. 2.*
tibus, atque dicentibus: [b] Quomodo obtexit caligine in furore suo Dominus filiam *c Mich. 1.*
Sion: proiecit de cælo in terram inclytam Israel] adeo vt secundum illud [c] Micheæ
desperata sit plaga eius, frustra sæpe nitentibus Principibus Christianis eamdem pro-
uinciam a barbarorum tyrannide vindicare. Sed miserationes Domini super omnia *d Isai. 59.*
opera eius, nec abbreuiata est manus eius, [d] vt non possit cum voluerit,liberare, nec
aggrauata est auris eius vt non audiat. Pulsare precibus non desinamus, vt aperiat &
soluat vinctos suos ad ipsum clamantes.

QVAE GREG. PAPA AD CYRIACVM EPISCOPVM CARTHAGINEN.

Cum autem adhuc Gregorius Capuæ moraretur, ordinauit Constantinum Tur-
rensem Archiepiscopum, & ante eum Iacobum Archiepiscopum Calaritanum, qui-
bus & pallium [e] dedit; ipsi vero Constantino litteras [f] credidit ad iudices, qui tunc *e Greg. lib. 1. ep. 39.*
E Sardiniæ insulæ dominabantur, monens eos sanctam Romanam Ecclesiam matrem *f Id. ibid. & ep. 41.*
recognoscerent, ad quos postea Legatum misit Episcopum Populoniensem, cui litte- *g Id. lib. 8. ep. 10.*
ras dedit ad [g] Orzochum iudicum principem, quibus significat, coegisse ipsum Iaco-
bum Archiepiscopum Calaritanum radere barbam ex vsu antiquo totius Occidentalis
Ecclesiæ,ait enim: Nolumus autem prudentiam tuam moleste accipere,quod Archie-
piscopum vestrum Iacobum consuetudini sanctæ Romanæ Ecclesiæ matris omnium
ecclesiarum,vestræq. specialiter obedire coegimus, scilicet vt quemadmodum totius
Occidentalis Ecclesiæ Clerus ab ipsis Christianæ Fidei primordijs barbã radendi mo-
rem tenuit,ita & ipse frater noster,vester Archiepiscopus raderet. Vnde eminẽtiæ quo-
que tuæ præcipimus, vt ipsum ceu pastorem & spiritualem patrem suscipiens & au-
sultans, cum consilio eius omnem tuæ potestatis Clerum barbas radere facias, atque
compellas: res quoque omnino renuentium, nisi demum consenserint, publices,idest

DE RADENDIS BARBIS ANTIQVVS OCCIDENTALIS ECCLESIAE VSVS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

iuri Calaritanæ ecclesiæ tradas, & ne vlterius se intromittant constringas: necnon ipsum ad honorem ecclesiarum defendendum promptissime adiuues] hæc de radendis barbis Gregorius ex antiquissimo vsu totius Occidentalis Ecclesiæ. A

SARDINIAM INSVLAM AD SEDEM APOS. PERTINERE.

Eadem quoque epistola ipsum monet, vt persisteret esse fidelis subditus S. Petri, eo quod Sardiniæ insulæ dominium esset Romanæ Ecclesiæ, quam plures appeterent, ista subijciens: Præterea nolumus scientiam tuam latere, nobis terram vestram a multis gentibus esse petitam; maxima seruitia si eam permitteremus inuadi, fuisse promissa, ita vt medietatem totius terræ nostro vsui vellent relinquere, partemq. alteram ad fidelitatem nostram sibi habere. Cumq. hoc non solum a Northmannis, & a Tuscis, ac Longobardis, sed etiam a quibusdam vltramontanis crebro ex nobis esset postulatum: nemini in ea re vmquam assensum dare decreuimus, donec ad vos Legatum nostrum mittentes, animum vestrum deprehenderemus. Igitur quia deuotionem B beato Petro te habere in Legato suo monstrasti: si eam sicut oportet, seruare volueris, non solum per nos nulli terram vestram vi ingrediendi licentia dabitur, sed etiam si quis attentauerit; & sæculariter & spiritualiter prohibebitur a nobis, ac repulsabitur. Auxilium denique beati Petri, si in ipsius fidelitate perseueraueritis: procul dubio, quod non deerit vobis & hic, & in futurum, promittimus] hæc Gregorius Capuæ dum esset adhuc. Alia innumera vetera extant monimenta, quibus significetur, eamdem Sardiniam insulam sub dominio esse eiusdem Ecclesiæ, quæ inferius pro temporum ratione, suo loco ponentur.

[a] *Greg. lib. 1. epist. 23.*

Porro huius commorationis Capuæ causam ipse in epistola ad Herlembaldum data ita demonstrat: [a] Sciat prudentia tua, nos Deo miserante, sanos & lætos non sine magna sanctæ Ecclesiæ vtilitate apud Capuam demorari. Nam Northmanni, qui C ad confusionem & periculum Reipublicæ, & sanctæ Ecclesiæ vnum fieri meditabantur, in perturbatione, in qua eos inuenimus, nimis obstinate perseuerant, nullo modo, nisi nobis volentibus, pacem habituri. Si enim discretio nostra sanctæ Ecclesiæ vtile approbaret, ipsi se iam nobis humiliter subdidissent, & quam solent, reuerentiam exhibuissent.]

[b] *Idem epi. 30,* [c] *Id. epist. 31.*

GREG. PAPA CASSINVM REDIT.

Permansisse autem Capuæ vsque ad decimumseptimum Kal. Decembris, litteræ ab eo [b] ibi datæ significant. Inde autem recessisse, atque reuersum esse Cassinum, [c] litteræ ab eodem datæ apud sanctum Germanum, Abbatis Cassinensis oppidum ad radices montis situm, pariter docent. Illic enim scriptæ reperiuntur litteræ ad Lanfrancum Archiepiscopum Cantuariensem aduersus Arfastum Episcopum, Abbatiam sancti Eadmundi sub protectione speciali Sedis Apostolicæ positam sibi vendicare satagentem; quem iure compescat admonens, ait: Prudentiam quippe vestram ad plenum cognoscere nos non latet, sanctam Romanam Ecclesiam, iure a Deo dato sibi, defendere ecclesiarum, sacerdotum, Episcoporum consecrationes, & a nullo sumpta licentia, debere & posse celebrare, & suis præbuisse, & Deo annuente præbituram firmissimam in hoc etiam defensione, qui Romam venerint, & Sedis Apostolicæ consilium & auxilium petierint. Quibus Arfastus dictus Episcopus, qua noua audacia resistat, nisi forte ista: Ponam sedem meam ad Aquilonem, & ero similis Altissimo, ignoramus, &c.] monet vt eum compescat, & quiescere nolentē Romam venire præcipiat. D

QVID TARRACINAE ACTVM A GREG. PAPA

[d] *Id. ep. 32. 33.*

Cassino recedens reuersurus Romam Gregorius, Villam Argenteam adijt, sitam inter Cassinum & Tarracinam, vbi dum esset, [d] rescripsit pro Isimbardo Abbate, qui Hierosolymis rediens suam occupatam Abbatiam inuenit ab intruso. Alias itidem ibi dedit ad monachos monasterij S. Mariæ sub diœcesi Derdonensi, de priuilegio nomine Alexandri Papæ, quod arguit falsitatis, cum ex corrupta Latinitate, tum ex diuersitate canonicæ auctoritatis. Repudiatq. electum ab eis Abbatem, quamuis honestis moribus, tamen ob ingrauescentem ætatem, & corporis infirmitatem, ad explendum munus impositum, debilem. Inde vero recedens Gregorius Tarracinam se contulit. vbi quarto Nonas Decembris ad Lincolnienſem in Anglia Episcopum scripsit, qui miserat homicidam presbyterum ad Apostolicam Sedem pro dispensatione dicendi Missam; quam omnino idem Pontifex denegauit: [e] indulsit tamen si vere pœnitens fuerit, vt stipendium suscipiat ab ecclesia. Cum autem idem Episcopus suis litteris ab eodem summo Pontifice petijsset suorum peccatorum absolutionem, quam vsitatiori voce indulgentiam appellamus: eam his verbis impendit: Absolu- E

[e] *Id. ep. 34.*

INDVLGENTIA QVOMODO CONCEDI SOLITA.

tionem

A tionem præterea peccatorum tuorum (sicut rogasti) auctoritate principum Apostolorum Petri & Pauli fulti, quorum vice, quamuis indigni fungimur, tibi mittere dignum duximus; si tamen bonis operibus inhærendo, commissos excessus plangendo, quantum valueris, corporis tui habitaculum Deo mundum templum exhibueris] Vt appareat Sedis Apostolicæ indulgentias illis communicari, qui quantum suppetunt vires, bene operari non prætermittunt; non autem ignauis, otiosis, ac negligentia torpescentibus.

Tarracina recedens Gregorius Pipernum (Priuernum antiquitus dictum) peruenit, vbi dum esset, post alias querelas increbrescentes in Philippum Francorum Regem de simonia in venumdatione ecclesiarum audiri solitas, recentes Matisconensium clericorum querelæ eiusdem Pontificis aures pulsant, quod electus ab eis Episcopus ob eam B causam a Rege non admitteretur. Cum Gregorius hæc diutius minime ferenda esse deliberans, delegit Rodericum Cabillonensem Episcopum Regis familiarem, qui de his Regem commoneat, ea comminatione adiuncta, nisi resipiscat, & pareat Apostolicæ Sedi, vt Francorum priuandus sit regno. Quod enim grauis epistola est, & magni momenti contineat argumentum, hic eam integre reddendam, dignum existimauimus, sic enim se habet: [a]

[a] *Greg. lib. 1. ep. 35.*

GREG. PAPA IN PHILIPPVM REG. FRANCORVM QVARE COMMOTVS.

Gregorius seruus seruorum Dei Roderico Cabillonensi Episcopo salutem & Apostolicam benedictionem.

Inter ceteros nostri huius temporis Principes, qui Ecclesiam Dei peruersa cupiditate venumdando dissipauerunt, & matrem suam, cui ex Dominico præcepto honorem & reuerentiam debuerunt, ancillari subiectione penitus conculcarunt: Philippum Regem Francorum Gallicanas ecclesias in tantum oppressisse, certa relatione C didicimus, vt ad summum tam detestandi huius facinoris cumulum peruenisse videatur. Quam rem de regno illo tanto profecto tulimus molestius, quanto & prudentia & religione & viribus noscitur fuisse potentius, & erga Romanam Ecclesiam multo deuotius. Et nos quidem tam generalis nostræ cura sollicitudinis, quam ipsarum destructio ecclesiarum vehementer accenderat, vt in tam audaces sanctæ religionis excessus seuerius animaduertere deberemus. Sed quoniam anteactis diebus per familiarem suum, Cubicularium videlicet Albericum, ad nostri censuram iudicij, & vitam corrigere, & ecclesias ordinare, firmiter nobis respondit: rigorem canonicum interim exercere distulimus. Huius ergo promissionis fidem in Matisconensi ecclesia pastoris regimine diu desolata, & ad nihilum pene redacta in primis volumus experiri, D vt scilicet Augustodunensem Archidiaconum vnanimi Cleri, populiq. consensu, ipsius etiam (vt audiuimus) Regis assensu electum, Episcopatus dono gratis, vt decet, concesso, ecclesiæ præfici patiatur. Quod si facere noluerit, indubitanter nouerit, nos hanc ecclesiæ ruinam nequaquam diutius toleraturos, & ex auctoritate beatorum Apostolorum Petri & Pauli duram inobedientiæ contumaciam coercituros. Nam aut Rex ipse repudiato turpi simoniacæ hæresis mercimonio, idoneas ad sacrum regimen personas promoueri permittet; aut Franci pro certo (nisi Fidem Christianam abijcere maluerint) generalis anathematis mucrone percussi illi vlterius obtemperare recusabunt.

Hæc ideo, frater charissime, vigilantiæ tuæ intimare curauimus, quatenus ea prædicto Regi insinuare, & exhortando & rogando, modisq. omnibus inculcare studeat, E vt & præfatam Matisconensem, & alias ecclesias canonice concedat ordinari. Tibi ergo maxime hæc idcirco iniungimus, quia prudentiam tuam magnam esse, & regia familiaritate vti cognouimus. Si qua autem, quæ dicenda erant, a nobis prætermissa sunt: hæc ingenij tui acumen iniungat. Itaque in hac persecutione labora, vt & Dei gratiam, & nostram beneuolentiam promerearis. Datum Piperni ij. Nonas Decembris, Indictione xij.]

PHILIPPVS REX FRANC. PARET GREG. PAPAE.

[b] *Id. lib. 1. ep. 75.*

Constat quidem Philippum Regem his acceptis, paruisse Gregorij Papæ monitis, misisseq. ob eam potissimum causam legationem ad ipsum Pontificem, qua significaret se in omnibus ipsi semper pariturum fore: id enim litteræ eiusdem Gregorij ad eumdem Philippum postea datæ significant, ipsoque earum exordio istis verbis: [b] Significasti nobis per litteras & Legatos tuos, te beato Petro Apostolorum principi deuote ac decenter velle obedire; & nostra in his, quæ ad ecclesiasticam religionem perti-

nent

Universidad de Deusto
Biblioteca

nent monita, desideranter audire atque perficere &c.] scripsit de his etiam eodem
[a] Greg. lib. 1. epist. 36. die idem [a] Gregorius ad Humbertum Lugdunensem Archiepiscopum, vt absque mora consecret electum Matisconensem. Post hæc autem idem Piperno recedens, Setiam venit Gregorius Papa, vbi septimo Idus Octobris scripsit litteras ad
[b] * al. Adelaidē b Id. ibid. ep. 37 * Adilasiam Comitissam, commendans ei Fructuarienſe cœnobium, de quo plura superius, dixisse ex Petro Damiano meminimus

Post hæc autem idem Gregorius Papa Romam redijt, vt eius Romæ datæ hoc anno mense Decembri litteræ docent. [c] Vbi cum esset, & de bello conflato a Saxonibus aduersus Henricum Regem didicisset, sequester pacis accedens, litteras [d] ad Saxoniæ Episcopos & Principes dedit, quibus hortatur eos, vt ab armis quiescant, donec Legatos ad Regem mittat, qui res componant. Quinam autem, qualesve fuerint motus isti Saxonici aduersus Regem, describit Lambertus hoc anno, res eius temporis prosecutus quam exactissime, quem consulat, qui ista cupit: nobis satis ad institutum, res bellicas summatim perstringere. nimirum, adeo Principes fideles Regis permoti sunt nefandis in medium allatis criminationibus aduersus Regem, in publicis comitijs habitis decimotertio Kal. Nouembris in Gerstengo, vt in vnam eamdemq. sententiam hanc omnes abierint, vt reprobato Henrico, Regem alium crearent. Quo statu rebus positis, ipse Gregorius tantum abest, vt (quod in eum sunt calumniati schismatici) priuandi Regis regno cupidus fuerit machinator, vt ne priuaretur, litteris intercederet, monens eius aduersarios, vt cessarent ab armis, donec (vt dictum est) Legatos mitteret, qui motus inter Saxones ipsos Regemq. sedarent.

SAXONES IN REGEM CONCITATI A GREGORIO COHIBENTVR.

c Id. ep. 38. 39.
d Id. epi. 39.

Sed ipsum præstat audire Gregoriū, qui ea epistola ad Saxoniæ Præsules & Principes data, vbi nonnulla de pastorali cura antea prælocutus, hæc de cessatione ab armis magno studio ingerit: Inter ceteras curarum anxietates ea nos maxime sollicitudo coarctat, quod inter vos & Henricum Regem, vestrum videlicet dominum, tantam discordiam, & tam inimica studia exorta esse cognouimus, vt exinde multa homicidia, incendia, deprædationes ecclesiarum & pauperum, ac miserabilem patriæ vastitatem fieri audiamus. Qua de re Regi misimus, exhortantes, & ex parte Apostolorum Petri & Pauli eum admonentes, vt interim sese ab armis, & omni bellorum infestatione contineat, donec tales ad eum ab Apostolica Sede Nuntios dirigamus, qui tantæ dissensionis causas & diligenter inquirere, & annuente Deo, ad pacem & concordiam æqua valeant determinatione perducere. Atque itidem vos exoratos & Apostolica auctoritate commonitos esse volumus, vt ex vestra parte omni motione sopita, eadem pacis inducias obseruetis, nec aliqua occasione nobis cum Dei adiutorio astruendæ pacis impedimentum apponatis. Cum enim (vt scitis) nobis mentiri, sacrilegium; deserere iustitiam, animæ sit naufragium: neminem vestrum dubitare volumus, quin super hac re veritate discussa, quidquid æquum videbitur, prouidente Deo, decernere, & stabili pactione studeamus efficere. Et quamcumque partem iniurias & conculcatæ iustitiæ violentiam pati cognouerimus; illi procul dubio omni timore & respectu personalis gratiæ posthabito, fauorem & Apostolicæ auctoritatis præsidia cōferemus. Dat. Romæ xiij. Kal. Ianuarij Indictione xij.] hæc ad Saxones epistola, nouissimaq. omnium, quæ hoc anno scriptæ reperiuntur, cum tamen non omnes ab eo datas epistolas liber ille contineat, cum in ipsis, quæ extant epistolis, de alijs plerisque mentio habeatur, quæ desiderantur. Sed & in his, quæ extant, nonnulla obseruanda se offerunt relata a Collectoribus in Decretorum libros: vt quod decernit Pontifex scribens ad Episcopum [e] Florentinum, vt nubens consanguineo mulier amittat in pœnam instrumenta dotalia. Et quod alia epistola scripta ad Veronensem Episcopum, [f] denegat pallium concedendum esse nisi præsenti. Sunt & alia plura notatu dignissima in ijsdem Gregorij epistolis, sed non patitur ratio instituti in singulis immorari.

GREG. SEQVESTER PACIS INTER REGEM ET SAXONES.

e Idem ep. 5.
f Idem ep. 24.

Hoc eodem anno, quarto Idus Iulias ex hac vita ad Deum migrat sanctus Ioannes Gualbertus magni nominis Abbas Vallumbrosianus, qui viuens & post mortem miraculis claruit. Cuius præclaræ res gestæ a pluribus scriptæ cum fuerint, quæ ab Attone Pistorienſi Episcopo elucubratæ fuerunt, vsu frequentiori retinētur, in quibus vbi narrantur miracula, quæ post eius obitum contigerunt, hæc inter alia: Dominus quoque Gregorius Septimus Papa, qui ad sacrosancta Missarum solemnia venieus, in multa

multa compunctione solebat accedere: dum continuis tribus diebus compunctio sibi consueta deesset: in memoriam ei venit nomen & sanctitas sancti Ioannis, cum quo dum viueret, amicitiam & notitiam multam habuerat. Quem dum in suum auxilium humiliter inuitasset: mox gratiam eiusdē compunctionis sanctæ multo largius quam solebat habere, resumpsit. Quod dominus Petrus Albanensis Episcopus *cognomento Igneus* ex ipsius ore domini Papæ se testabatur audisse: ipse quoque verum fuisse coram multis crebro dicebat] Qui idem Pontifex audita morte ipsius, discipulos eiusdem Ioannis hortans ad imitationem magistri, litteras dedit ad illos, quæ habentur in vita ipsius Ioannis locupletius scriptæ, his præmissis: Gregorius Papa vbi amici charissimi accepit obitum, ad ipsius monachos has de morte ipsius consolatorias litteras dedit:

EPIST. GREG. PAP. AD MONACHOS VALLISVMBROSAE.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei clericis, monachis, ac religiosis laicis, disciplinā sanctæ recordationis Ioannis Gualberti Abbatis imitantibus salutem & Apostolicam benedictionem.

Licet venerandæ memoriæ eumdem Ioannem patrem vestrum corporeis oculis non viderimus, quia tamen fidei eius puritas in Tusciæ partibus mirabiliter resplenduit, multum eum amore dileximus, cuius sanctæ conuersationis studium quamuis vos imitatores esse non ambigimus, vt vigor rectitudinis vestræ ad extirpandam de agro Dominico zizaniam sollicitius inuigilet, attentiusq. ferueat, paternæ vobis exhortationis verba impendimus. Vos itaque, dilectissimi, in quantum humana possibilitas permittit, vitam illius sequentes, & vere filios eius & heredes simili vos conuersatione probantes, viriliter agite & confortamini in Domino, & in patientia virtutis eius, documenta sanctarum Scripturarum, quibus hæreticorum argumēta destruuntur, & Fides sanctæ Ecclesiæ defenditur contra membra diaboli, quæ diuersis machinationibus Christianam religionem conantur euertere, mens vestra quotidie meditetur, & ea qua solet, libertate in malorum confusione erigatur, eos vero qui in vobis confidunt, & consilium religionis vestræ sequi disponunt, more prædicti patris vestri suscipite, & de his, quæ ad salutem eorum pertinere videntur, sanctis exhortationibus instruite: vt non solum vestra, sed & vos sequentium circumpositi populi considerantes sancta opera, glorificent Patrem vestrum qui in cælis est. Nos autem ipsum amorem, quem patri vestro & vobis olim impendimus, donec nostros spiritus rexerit artus, exhibere desideramus, & tanto quidem deinceps maiori vos charitate fouebimus, quanto vos in diuinis negotijs feruentiores esse probabimus, quibus non solum spirituale, sed & sæculare, si necesse fuerit, auxilium, Deo adiuuante, ministrabimus. Vos igitur omnipotentem Dominum exorate, vt ipse vires & facultates nobis tribuat, quatenus susceptī regiminis importabile pondus possimus tolerare, & sanctam Ecclesiam in statum antiquæ religionis reducere. Valete.] iam reliqua prosequamur.

Eodem anno idem Gregorius Papa Romæ instaurauit & consecrauit Diaconiam sanctæ Mariæ in Porticu dictam, in antiquo Foro Romano positam, non longe a cliuo Capitolino, vt eiusdem ecclesiæ docent vetera monimenta, in quibus etiam eiusmodi distichon sculptum legitur:

Septimus hoc Præsul Romano culmine fretus
Gregorius templum Christo sacrauit in æuum

] At hic finis esto rerum Gregorij anni huius, reliqua annis singulis, quibus gesta esse noscuntur, temporum ordine disponentur.

BVLGARICA ECCLESIA LABORAT.

Quod vero ad res spectat Orientales, hac eadem vndecima Indictione, gens (inquit Curopalata) Seruorum, quos etiam Coruatas vocant, exijt vt Bulgariam redigeret in seruitutem] cuius belli causa Bulgarica ecclesia grauibus est affecta molestijs, quas eius Archiepiscopus Theophylactus suis deplorat datis ad diuersos epistolis, & inter alias in epistola, quam dedit ad filium [a] Sebastocratoris de vna ex ecclesijs destituta ministris, hæc habet: Ab omnibus viam prætergredientibus spoliatur, nec Episcopum residentem habet, vt qui dorsum verberibus, malas alapis præbere non ferat: Episcopo autem propter vexatorum atrocitatem fugiente, alium vllum manere mirum esset. caput enim suum cetera corporis membra comitantur. Quin & sigillati illi, quos ei potens sanctusq. Imperator noster concesserat, cum ecclesiam circumsedissent, prius eamdem ob causam a patribus recesserunt, & siluæ latebris salutem suam credentes

[a] Theoph. ep. 27.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ibi delitescunt. Propterea nec diaconus, nec presbyter (o miserias meas!) in pulcherrima quondam Bulgaricarum ecclesia remansit. Abij ergo eam inspecturus,& visa planxi,& post lacrymas causam interrogaui, & interrogans didici,& edoctus nunc doceo humili hac epistola ad optimum patronum meum &c.]

Cum autem furore bellico grassante,vnam ex ecclesijs comburi contigerit, Episcopum eius loci his consolatus est litteris.[a]

a Theoph. epist. 49.

Camatero domino Gregorio.

DE INCENSA ECCL. LVCTVS.

Tempus est, vt propheticum illud dicam, frater reuerendissime: Hei mihi, quia ignis deuorauit speciosa terræ. Quid enim speciosius domo Dei? quid delectabilius? quid vero dilectis Dei tabernaculis & loco gloriæ eius decentius? heu peccata mea, quæ igni forsitan exusserunt sanctuarium Dei. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plangam filiæ populi mei contritionem, oppiduli huius, inquam, miserandi, Ionæ cucurbitæ, quæ simul enata est, simul exaruit, & matris item populi mei, quod miserabilius duco, Dei ecclesiæ. Quænam mens ita adamantina? quis adeo duro corde, vt non ardeat & ipse, non dicam ad aspectum, sed ad tenuem auditum? Quid hoc est, Domine? iudicio enim tecum agam. Quomodo repulisti nos & destruxisti nos, ostendisti non solum populo, sed etiam sacerdotibus dura? potasti nos vino compunctionis. Reliquisti Domine domum tuam desertam,& cessare fecisti sonitum cantionum in ea, & erit,qui transibit,exsibilabit eam. & diadema decoris deturpasti, & coronam gloriæ & laudis discerpsisti. Quomodo ista Domine? Quomodo castigasti nos non in iudicio, sed in furore? & aspere ira tua & supra modum domesticos afflixit; vindicans vindicasti & confecisti. & olim quidē Ilij aram cælesti igne & puluerē ipsum lambente consumpsisti, vt glorificares iustitiā. Nunc vero sanctum altare tuum igni tradidisti, non ad gloriam nostram, sed ad contumeliam. peccauimus,sed tu patiens es; iniuste egimus,sed tu præstabilis super malitia hominum, sed transgrediens iniquitates, sed transiliens peccata. Quomodo igitur totam nobis fæcem puri fellis euacuasti?

Sed o quid ago vi doloris abreptus, excessi ipse a meipso, & inflictam pœnam calamitatem duco inconsolabilem? Ceterum hæc ita prorsus non habent; sed & castigans pater, & castigati, filij sunt. Exurge igitur frater sanctissime, ostende aliquando mentis tuæ constantiam, & quæ tui propria est animi, celsitudinem. Si dolemus nos ad hunc modum,& his casibus eneruamur: quomodo dolores aliorum leniemus? quomodo ad fortitudinem erudiemus? cum ipsi sine spe iaceamus, quomodo alios a lapsu erigemus? Ne mihi talis esto, potentis Dei sacerdos, qui posse omnia debes in eo, qui te confortat Christus, & potens esse, vt infirmos confortes iuxta Paulum magistrum tuum.

Bonum quidem foret non euenisse, quod factum est. quis negabit? Quando autem ita Deo placuit,voluntati eius quis resistat? cum fortassis etiam quod factum est, melius. Non igitur illud spectandum est, quomodo victum dolori præbeamus, per se enim dolor pinguescit, nec comeatu eget aduenticio; sed qua ratione præsentem subtrahentes, maciem illi procuremus. Sic in corporis morbis, mulierum est pectora tundere & plangere & dilaniare; medicorum vero hæc inhibere, & curationem morbi inuenire. At difficilis est mali curatio ac præsertim adeo alienis ab omni honesto temporibus, diebusq. omnium rerum egentibus. Et vbi est potestas eius, qui verbo omnia condidit? Ipse dicet & fient, mandabit & creabuntur.

Reuocabo in mentem tibi veterem ac diuinam historiam. Templum illud celebre inclyti nominis,proximum ab orbe miraculum, quod Salomon Deo in Hierosolymis dicauit, a Nabuzarda incēsum fuerat & euersum. postea vero soluta populi captiuitate,excitabat quidem Deus omnes ad domus Dei reædificationem. at humana infirmitas suas vires reputans,opus aggredi non audebat,vt difficile ad perficiendum. Tum Aggæus propheta a Deo excitatus increpat pusillanimes,& diffidentiæ perfringit imbecillitatem, & maiora pollicetur ac pulchriora: Erit, inquit, nouissima gloria domus huius maior quam prioris, ait Dominus omnipotens. Hæc eadem & tu nunc cogita tibi ab eodem spiritu denuntiari: hic tibi ros a Deo exuberantis tristitiæ medicamentum. Quoties optabas pulchrius templum videre & venustius; deinde hic & ille casus incidens retardauit tuam ad opus alacritatem. Quid ergo scis, an sapiens rerum

rum nostrarum dispensator sic tua disposuit, vt necessitas fieret institutum, & opus non additio, sed effectio? Qui itaque hoc ita designauit, ipse difficilia facilia reddet, & possibilia, quæ impossibilia videntur. An sapiens quidem est & non potens? aut potens quidem & non bonus? aut omnia hæc quidem,sed de gloria sua minus est sollicitus? Non ita res habet, non ita. Quin & velut sapiens, quod melius erat, prouidit, & sicut bonus quod vtile est, faciet, & vt glorificari volens, celerius. præter hæc autem experimentum tibi affectionem istam proposuit, quo & promptum animum ostendas ad eius obsequium, & alia perferas, quoad potes. scit nos bona plerumque non aggredi sponte nostra, ideo & inuitos ad bonum operandum impellit, atque hoc est, quod in Euangelijs animaduerti, compelli quosdam ad cœnam intrare. O dulcem tyrannidem! o vim libertatis donatricem! o pater mordendo amans! o viscera vrendo flagrantia & ideo rorē e vestigio copiosum influentia! Ne igitur ad iracundiam illum amplius quam par est, prouocemus, aduersus flagellum quiritantes, nec velut murmurantes ad leuissimum, secundum,idq. grauius forsitan accersamus; sed ostendamus tamquam filijs inflictum fuisse,accedendo velut ad patrem. Accedemus autē hoc modo, si tristitiam profligemus, vt patris alterius tenebrarum & confusionis fœtum, & spei nostræ manus ad Deum tendamus, eiusq. auxilij & tutelæ manum inuocemus. Hæc tibi a nobis, o verbi sacerdos & frater noster. Plura autem tute tibi suggeres, quibus dolorem mulceas, & tibi & alijs amicum te præbeas, Paracleti aduersus tristitiam gratia confirmatus] hactenus hoc tempore Bulgaricæ infestationis Theophylacti nobilissimi ingenij monimentum, quod nunc primum Latinitas vidit. extat & alia ad Episcopum Bydinæ eiusdem argumenti epistola de his,quæ pa- a Theoph. epist. 55.
terentur ab hostibus,omnia rapina, cæde, igneq. miscentibus.

Quænam autem tunc pateretur ecclesia a suis, accipe ex alia eiusdem Theophylacti epistola ad Patriarcham Constantinopolitanum tunc data, cuius est exordium: Et qui ausus es, dicat quispiam &c.] vbi hæc inferius: Heu quomodo dicam Episcoporum nunc cruces ac spinas, quibus in calamitatem redacti sumus? Quoniam cælo iam caput figit peccatorum iactantia, viduam atque orphanum enecantium, omnemq. indigenam & proselytum perimentium. & non est qui adiuuet, non est qui eripiat,sed aguntur,& pessum eunt omnia,cum nemo sit qui liberet,neque qui saluum faciat. Et illusores quidem dominantur nostri; exactores autem reliquias falcis demetunt exactius. omnes qui nobis præsunt, ætate simul & prudentia iuniores sunt, sed & iniquitate semper iuniores, non senes & adultæ ætatis; auaritiæ species semper excogitantes, & obliquum spiritum in visceribus innouantes. Nec monitis, nec hominum metu reuocantur, sed validius quiddam spectantes, in malitia inualescunt,in innum metu reuocantur, sed validius quiddam spectantes, in malitia inualescunt,in iustitia aluntur & corroborantur. Quod si quis Imperatoris mentionem faciat, & iustitia aluntur & corroborantur. Quod si quis Imperatoris mentionem faciat, & gladij, quem ad malefactorum terrorem a Deo gestat, inanem rident sermonem,& digladij, quem ad malefactorum terrorem a Deo gestat, inanem rident sermonem,& digentis simplicitatem condemnant] hæc & alia id genus plurima. De magistratibus centis simplicitatem condemnant] hæc & alia id genus plurima. De magistratibus autem & exactoribus quæ in Episcopos agerent, ita inferius subijcit: Terrent semper eos qui semel dederunt, quasi dare semper possint, ac nisi accipiant, efferantur. Pueos qui semel dederunt, quasi dare semper possint, ac nisi accipiant, efferantur. Puetant nullo modo pauperem fieri Episcopum, sed nasci quidem illi ex terra sine semente,& sine cultura omnia; fluuios autem aurum illi affatim incoctum trahere, & canes te,& sine cultura omnia; fluuios autem aurum illi affatim incoctum trahere, & canes ipsas equos & mulos parere, omnia demum Dei ministro noua esse; ac nisi essent, ne ministrum quidem Dei fore, sed impium & profanum. Sic Deum ex satietate contumelioſum faciunt, & suorum amoribus capi, & gratis largiri, & quonam vel dæmonum ipsorum non deteriorem? Non enim perhorrescunt quæ ipsi contra Christianos agunt, auaritiæ rabie incitati, sed Episcoporum accusationibus, tamquam sui ipsorum defensionibus innituntur. quasi præmium quoddam ipsis propositum sit,si post euersa ecclesiarum bona, ipsos etiam inquinent Antistites] hæc & alia miserrima lugens, quæ ne prolixitate Lectorem obruam, prætermitto.

QVID A MINISTRIS IMP. PATERENTVR EPISCOPI.

Porro autem Patriarcha his a Theophylacto acceptis litteris,ad eum rescribens,nisus est, quibus valuit argumentis consolari, adiunxit & epistolæ eulogia. His Theophylactus acceptis aliquantulum recreatus animo, immensas rependens gratias, epistolam ad eumdem reddidit, quæ sic incipit:[b] Et quis nunc beatior nobis est,qui domini b Id. epist. 50.
litterarum benedictionem accepimus, quibus & animo sanctificati sumus, & oculis, lingua, atque auribus purgati, intelligendo, legendo, audiendo, quæ scripta sunt. &c.]

Universidad de Deusto
Biblioteca

&c.] in fine vero accepta recenſens eulogia, myſticas inde, quæ illis contineantur, A
figuras elucidat.

Ad poſtremum eiuſdem Theophylacti hic epiſtola de victoria aduerſus Perſas & Francos ſimul obtenta ab Imperatore, reddenda eſt, eo quod nulla de hac memoria reperiatur apud Græcos, ſiue Latinos hiſtoricos, quorum de rebus Orientalibus breuis tantum & inops narratio ſcripta legatur. Si quid aliunde afferri poſſe contingat, magnum ad ipſarum notitiam in tanta obſcuritate res ipſæ accipient incrementum. ſic ſe habet: [a]

[a] *Theoph. ep. 61*

DE VICTORIA EPIST. VELVT EPINICIVM.

Sebaſto Paguriano domino Nicolao.

Et vnde, aut quales tibi perſoluam gratias, magnificentiſſime mi in Domino fili, ac domine, quod me omnium hominum veraciſſimum ſemper oſtendas; & laudes, quibus ornare te videor, magis ornes ipſe, illas demonſtrans, non Rhetoris ſophiſticas B
adulationes eſſe, ſed ſpiritus vere bonis collætantis exultationes, & oris virtutem celebrare ſcientis cantica. En igitur, quod mihi paulo ante nuntiatum eſt, quanti facient aures bonorum amantes & inuidia carentes? Vno enim trophæo duarum gentium ſupercilia detraxiſti, & vna cum Perſicæ amentiæ turri, Francicæ etiam amentiæ culmen deieciſti. Et nouus Phinees apparuiſti, qui potenti haſta tua duas gentes apud Dominum immundas perfodiſti. Nam qui tributa exigere conſueuerat & ab alijs circa Pontum Græcanicis vrbibus intra Tanaidem fluuium & Mæotidem paludem, atque adeo a Colchorum regione ante ſita, & Phaſide ipſo terminata; quin etiam a Minoris Armeniæ in alto poſita colonia, & Armenia ipſa vniuerſa (Mariandenos enim prætereo & Galatas & finitimos his Cappadocas) pinguis iam, grauiſq. tributorum exactionibus factus, gladij tui acie deſectus eſt, exactrices manus, & tributa potius pendere didicit. Excurſionibusq. deiectus, quas prædonum more audebat, & inſidijs diffidens, tamquam Taronitæ manifeſtis, magis quam ciuitas in monte ſita, ad bellorum vero conflictus magis aridas manus ſuas intelligens, quam paleas. Vrbeſq. iam C
populoſas, quas ipſe vix ceperat, dicto citius exuens.

Ita illi fortunæ fuit alea. ad calamitoſiſſimum ſtatum decidit; vel potius Dei lances virtutum tuarum lancem in eum inclinarunt, non aliter quam leuiores eorum, quos ante Imperium tuum deuicit. Hinc credidit, fabulam non eſſe, quæ de priſcis Romanis trophæis celebrantur, quinimmo inferiora vero eſſe, quæ dicuntur. In te autem verum cernit, dicam potius, tanto illis præſtare te cenſet, quanto inferiore apparatu incitatus, æquiparas teipſum illis, ita potentem exhibes vim tuam rerum defectu. & vellet quidem te numquam natum eſſe, miratur autem, vt egregium D
natum, & maledicit quidem natiuitati, beatos autem prædicat, qui genuerunt. Ac tibi quidem liberorum orbitatem imprecatur, vt in te genus tuum circumſcribatur; ſibi autem tales filios naſci optat. & nunc primum ſentit, ſe infeliciter ad tantum culmen priſtinis ante te felicitatibus euectum, vt pluribus ſpoliatus, plus doleat. Vnicum ſolum habet ſolatium, quo ſe ſuſtentet, quod a generoſiſſimis Romanis tanta patiatur, quando quidem gloriari victi ſolent victorum præſtantia. Quod ſi adeſſet Homerus, de vobis vtique diceret:

Ante fugit fortis, ſequitur ſed fortior illo,

Bona ſpe eſto & tu ciuitatum pulcherrima Neocæſarea; breui habitura es liberatorem Gregorium. Non inſuetum eſt tibi a Gregorijs beneficijs affici, & præſentis E
ærumnæ ſenium exuens, Neocæſarea vere videberis, arrham habes, vicinos. Expecta porro egregium ſponſum, qui in victoria tua coniungetur, coronabiturq. corona e lapide pretioſo. Chriſtus enim Taronitæ trophæa erigit. Verum impijſſimus Turcus per te deorſum vergit, & quæ ad pedes, ſolum ſpectat, qui heri ſuperbas oculorum pupillas in omnem partem voluebat, & terram ſimul omnem ac mare delere cogitabat. Nunc ergo ad fœderum ſermones, tamquam adiutores ſolos & ſalutares ſe conuertit, manuſq. non iam ad gladium diſtringendum, ſed ad pacta tendit, & arcum aſſumit caducei, & amicum habere firmum cupit, quem hoſtem habens, expertus eſt inexpugnabilem. At Francus ceruice ferreus, cera fluxa mollior viſus, ex abundanti te adorat, & per te potentiſſimum Imperatorem noſtrum. Quid vero.....] reliqua deſunt.

Porro hunc, ad quem ſcribit, pium valde fuiſſe Ducem ex præcedentibus ad eum litteris

A litteris datis, ſane ſignificat, cum ſic exorditur: [a] Et Dominus tranſtulit peccatum tuum, quod præſertim nec tantum erat, quantum in oculis eius ſemper. Ego vero & hoc in te admiror, colendiſſime fili, quod etiam culices peccatorum, quaſi camelos videas (contra quam Phariſæi a Domino arguebantur) & feſtucam, quæ in oculo eſt, vt grauem trabem reputaris, quod magnum virtutis fundamentum ſermo noſter ſtatuit. initium ſiquidem ſalutis, ſui ipſius in re aliqua condemnationem credimus. Et perge ita &c.] at de rebus Orientalibus hactenus.

[a] *Theoph. ep. 61.* IVSTVS ACCVSATOR SVI IPSIVS.

Quod autem ad eiuſdem auctoris ſcripta pertinet, iſta numerantur a noſtris: In Oſeam liber vnus, in Ionam liber vnus, in Nahum liber vnus, in Habacuc liber vnus: in quatuor Euangelia. In Paulum libri quatuordecim. Habet hos bibliotheca Vaticana in Epiſtolas Pauli commentarios Theophylacti ſub nomine tamen Athanaſij, B
mendaci titulo, & has a nobis citatas eiuſdem auctoris epiſtolas. Ceterum vbiuis eum legeris, ſenties ſancti Ioannis Chryſoſtomi ſemper eructare ſententias. at de eo ſatis.

SCRIPTA THEOPHYLACTI.

IESV CHRISTI ANNVS 1074. GREGORII VII. PAP. ANNVS 2. VACAT. IMP. OCCID. 18. MICH. VII. DVC. IMP. 3.

LEGATIO A GREG. PAPA AD HENRICVM REG.

ANNVS ſequitur Redemptoris ſeptuageſimusquartus ſupra milleſimum Indictione duodecima, quo Gregorius Papa legationem in Germaniam mittit ad C
Regem Henricum. Quinam autem ad hoc munus obeundæ legationis delecti ſint, quid inſuper per Legatos ſit actum, videamus. Lambertus accuratiſſimus huius temporis ſcriptor de eadem agit legatione, quam Paſchali tempore in Germaniam ad Regem perueniſſe teſtatur, aitque: Rex celebrata in Babenberga Paſchali ſolemnitate Nurenberg perrexit obuiam Legatis Apoſtolicæ Sedis. Erant autem hi, mater eius Imperatrix, Epiſcopus Oſtienſis, Epiſcopus Præneſtinus, Epiſcopus Curienſis, Epiſcopus Comenſis, miſſi a Romano Pontifice, componere ſi poſſent, multo iam tempore vacillantem ſtatum Galliarum. Nec tamen cum Rege ſermonem communicare ſæpius rogati conſenſerunt, donec ſecundum eccleſiaſticas leges pœnitentiam profeſſus per iudicium eorum anathemate abſolueretur, pro eo quod propter venditas eccleſiaſticas dignitates ſimoniacæ hæreſeos inſimulatus fuiſſet apud Sedem Apoſto-
D licam] quod ad hanc partem pertinet, eum pœnitentem abſolutum fuiſſe, eiuſdem Gregorij litteræ poſtea ad eum datæ, & aliæ ad matrem eius ſcriptæ ſignificant, inferius recitandæ. Quæ præterea per eoſdem Legatos tunc ſint geſta, ab eodem auctore ſic accipe:

QVID GESTVM PER LEGATOS.

Itaque, inquit, petierunt verbis Romani Pontificis *ipſi Legati*, vt Synodum tenere intra Gallias pace Epiſcoporum ſinerentur. Vehementer hoc abnuerunt omnes Epiſcopi tamquam inuſitatum, longeq. a ſuis rationibus alienum, nec ſe huius auctoritatis priuilegium vlli alij præterquam ipſi Romano Pontifici vmquam delaturos affirmabant. Siquidem intenderat Romanus Pontifex, vt omnes Epiſcopos & Abbates, qui ſacros gradus pretio redemiſſent, diſcuſſione habita deponeret; iamq. hac de cauſa Babenbergenſem Epiſcopũ & alios nonnullos ab omni diuino officio ſu-
E ſpenderat, donec coram venientes inuſtum ſibi crimen hæreſeos digna ſatisfactione purgarent. Et Rex quidem cupide hoc volebat odio Vuormatienſis Epiſcopi, & quorumdam aliorum, qui eum bello Saxonico offenderant, quos hac calumnia inuoluendos, & dignitatis ſuæ detrimenta paſſuros ſpe certiſſima præſumpſerat. Sed quia per Legatos res tanta poſſe confici deſperabatur: conſulto in audientiam ipſius Romani Pontificis delata eſt] hucuſque de hac legatione Lambertus. Qui autem res geſtas Papæ Gregorij proſecutus eſt Perrus bibliothecarius, de eadem hac agens legatione, hæc addit: Receptis igitur affectuoſe Legatis Epiſcopis, & digno cum honore tractatis; cum dies plurimos Rex de ſua emendatione ſanctæ commonitionis verba manſuete & pacifice audiuit. quinque nobiles viros ſuos familiares ab Alexandro Papa excommunicatos, vix a conſortio & ſocietate ſua remouit. Synodum vero in regione ipſa celebrare Legatis nequaquam permiſit, allegans Liemarus Bremenſis Archiepiſco-

Universidad de Deusto
Biblioteca

epiſcopus, vices Romani Pontificis ſibi, ſicut & Maguntino Archiepiſcopo in Germa- A
nia, antiquis priuilegijs eſſe conceſſas.

Cui Legati Sedis Apoſtolicæ de legationis officio reſponderunt: Venerabilis frater, certum tibi eſſe debet, quod neque auctoritas canonica, neque mos eccleſiaſticus eſt, vt vltra obitum eius qui dederat, Romani Pontificis auctoritas protẽdatur] hæc idcirco, quod tam Bremenſis quam Moguntinus ſe etiam eſſe Legatos iactarent Sedis Apoſtolicæ, accepto priuilegio ab eiuſdem Gregorij Papæ prædeceſſoribus. pergit vero:

Præterea ſicut in Primi Leonis Papæ quodam capitulo legitur: Pontifex Romanus vices ſuas ita committit, vt qui accipiunt, in partem ſollicitudinis ſint vocati, non in plenitudinem poteſtatis. ſed vt ad finem huius contentionis breuiter veniamus; Synodus hac ſagacitate eſt deturbata, Bremenſis vero pro inobedientia & rebellione ab officio ſacerdotali eſt ſuſpenſus, & Legati a Rege amplis muneribus honorati, cum B
eius gratia & benigno reſponſo incolumes ad Vrbem Romanam redierunt] hæc in vita Gregorij ex multis pauca. Non enim mihi dubium, ad eam turpem nimis tergiuerſationẽ, qua dicerent non moris eſſe per Legatos Romanæ Eccleſiæ in prouincijs externis congregari Concilia, ſed nouum & inauditum haberi: ab eis eſſe reſponſum, contrariumq. penitus plurimis fuiſſe demonſtratum exemplis, nẽpe per Legatos a latere miſſos innumeras eſſe Synodos congregatas. At vero apparuit ſimoniacorum Epiſcoporum fuiſſe eiuſmodi excogitatum falſum vanumq. prætextum, ne ſcilicet in Synodo illa per Legatos agenda, ſuarum dignitatum diſpendium paterentur.

Reuerſi Legati cum hæc omnia Gregorio ſignificaſſent, & quas accepiſſent a Liemaro Bremenſi Archiepiſcopo iniurias potiſſimum inculcaſſent; idem Pontifex datis C
ad eum litteris, vocauit eum Romam ad dicendam cauſam, diemq. certam ſtatuit, nempe natali die Apoſtoli S. Andreæ, qua ſiſtere ſe deberet iudicio Apoſtolicæ Sedis[a]. Sed cum nec paruiſſet, rurſus eum ſuis litteris vocauit, quæ ſic ſe habent: [a]

a Greg. lib. 2. ep. 28.

GREG. PAPA VOCAT ROMAM BREMENSEM ARCHIEPISC.

Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Liemaro Bremenſi Archiepiſcopo.

Quia ſuſcepti beneficij, quo te ſancta Romana Eccleſia voluit honeſtare, te immemorem, potius ingratum cognouimus; oblitum etiam promiſſionem, canonicamq. obligationem, qua ſanctæ Romanæ Eccleſiæ te fidelem, te diligere, eiq. ex corde obedire canonice obligaſti: non immerito ſuper te dolendo mouemur, non ſine cauſa tibi, quem fidelem filium credebamus, iraſcimur. Heu inuerſi mores, & tempora immutata! quem murum inexpugnabilem pro ſancta Romana Eccleſia, cui licet indigni præſidemus, putabamus; quem ſcutum fidei, quem gladium Chriſti ſumere debere, D
ſi oporteret, tum officio tuo, tum prædicto debito pro ſancta Romana Eccleſia, pro nobis etiam noſtrisq. ſucceſſoribus credebamus: iam cum noſtrum inimicum noſtrumq. oppugnatorem inuenimus, tuasq. iniurias * a te turpiſſimam & inauditam repulſam licet iniuſte patimur. Legatis quippe noſtris * Alberto Præneſtinenſi & Giraldo Oſtienſi Epiſcopis, quos ad partes illas ad id deſtinauimus, vt in vnum Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus religioſisq. clericis conuocatis, vice & auctoritate noſtra fulti, quæ corrigenda eſſent, corrigerent, quæ religioni addenda eſſent, adderent: pro viribus impediſti. ad hæc vt & Concilium fieret prohibuiſti. Ab ijſdem etiam Romam vocatus ad inſtitutum terminum, feſtiuitatem ſcilicet ſancti Andreæ, non veniſti. Ad hæc igitur, & quamplura etiam alia corrigenda, ad proximam Synodum, quæ proximæ Quadrageſimæ prima hebdomada celebrabitur, Deo annuente, Apoſtolica auctoritate, tibi venire præcipimus & inuitamus. Prædictis enim delictis nobis perſuadentibus, ab omni Epiſcopali officio prædicta auctoritate, donec ad E
nos venias, te ſuſpendimus. Dat. Romæ pridie Idus Decembris, Indictione xiij.]

* atque
* Huberto

LIEMARVS ECCL. BREMEN. EPISC. SCHISMATICVS.

Hic omnium malorum origo. Etenim cum Archiepiſcopus iſte Bremenſis hoc modo præter omne ius fasq. cœpit ab obedientia deficere Apoſtolicæ Sedis, reſiſtens eius Legatorum iuſſioni, inobediens Gregorio Papæ, aduerſus eum Regẽ commouit, ſicq. quidquid boni mente concepiſſet infelix Princeps, huius inſtigatione & perſuaſione mox aruit, atque ſchiſmatis iacta per eum ſemina fouit, & orta aluit vſque in finem. vt plane de nobiliſſima eccleſia Bremenſi illud lugubre [b] canticum fuerit occinendum: Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum? Filij Sion inclyti & amicti auro primo. quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea, opus manus figuli?] Quotquot enim præceſſerunt vſque

b Thren. 4.

A que ad præſentem Archiepiſcopum Liemarum Bremenſes Antiſtites, omnes ſanctæ Apoſtolicæ Sedis ſtudioſiſſimi a tempore Vuillehadi fundatoris per annos fermè trecentos. ſanctæ Romanæ Eccleſiæ obſeruatores ſemper extiterunt, ijdemq. viri ſanctiſſimi, coluerunt. toto cordis affectu Eccleſiæ Romanæ Pontifices, vtpote bonorum omnium ipſius auctores, a quibus Euangelium accepiſſent, & quidquid decoris in ea eſſet eccleſia & maieſtatis, ab ijſdem fuiſſent conſecuti. Quæ cuncta nec ignoraſſe potuit perditiſſimus Liemarus, cum Adam eiuſdem eccleſiæ canonicus de his omnibus luculenter ſumma fide hiſtoriam ſcripſerit, atque eidem legendam obtulerit ac dedicauerit, cum ante biennium, nempe Redemptoris milleſimo ſeptuageſimoſecundo, Adalberto defuncto, in Bremenſem Archiepiſcopatum ſucceſſiſſet infauſto prorſus exordio: nam perditus Liemarus mox (vt audiſti) cœpit aduerſus
B Sedem Apoſtolicam mira audacia & arrogantia erigere cornua, & reluctari.

Quæ autem hæc ſecuta ſint, ſuo loco dicturi ſumus. Gregorius autem, vbi ab ijſdem a ſe miſſis Legatis accepiſſet Regis Henrici animum erga Apoſtolicam Sedem propenſum, paratumq. in omnibus parere iuſſis Pontificijs, has ad eum litteras dedit: [a]

a Greg. lib. 2. ep. 30.
AD HENRICVM REGEM GREG. PAPA.

Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Henrico Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Quamquam, fili chariſſime, cauſam Mediolanenſis eccleſiæ non ita compoſueris, quemadmodum litterarum ad nos miſſarum ſeries, pollicitatioq. continebat; tamen quia Legatis noſtris te beneuolum tractabilemq. præbuiſti, eorumq. interuentu quaſdam res eccleſiaſticas laudabiliter correxiſti, nobis quoque per eos congruæ ſalutaC
tionis & deuotæ ſeruitutis exhibitionem tranſmiſiſti, grataner accepimus. Sed & illud, quod piæ memoriæ Agnes mater tua Imperatrix Auguſta apud nos conſtanter teſtificata eſt, ijdemq. Legati Epiſcopi atteſtati ſunt, ſimoniacam ſcilicet hæreſim funditus de regno tuo extirpare, & inueteratum morbum fornicationis clericorum toto anniſu corrigere velle: vehementer nos hilarauit. Filiæ quoque noſtræ fideliſſimæ veſtræ Beatrix Comitiſſa & filia eius Mathildis non modice nos lætificauere, ſcribentes nobis de amicitia & ſincera dilectione veſtra. quod libentiſſime accepimus: quarum conſilio, ſed & perſuaſu dilectiſſimæ matris veſtræ Auguſtæ ad hoc inducti ſumus, vt has vobis litteras ſcriberemus. Quamobrem, licet peccator, memoriam tui inter Miſſarum ſolemnia ſuper corpora Apoſtolorum & habui & habebo, ſuppliciter obſecrans, vt Deus omnipotens, & hæc tibi bona ſtabiliat, & ad profectum Eccleſiæ ſuæ
D ampliora concedat. Moneo autem te, fili excellentiſſime, & ſincera charitate exhortor, vt in his rebus tales tibi conſiliarios adhibeas, qui non tua, ſed te diligant, & ſaluti tuæ, non lucro ſuo conſulant. quibus ſi obtemperaueris, Dominum Deum, cuius cauſam tibi ſuggerunt, protectorem propitiumq. habebis &c.] ſubijcit de cauſa Mediolanenſi, deq. vocatis Romã quibuſdam Epiſcopis Germaniæ ad futuram Synodũ.

Sed & idem Gregorius officio non defuit, ſcribendi videlicet ad Agnetem Auguſtã: quæ vbi ſuſcepta legatione pro Apoſtolica Sede ad filium Regem perfuncta redijt, has ad eam dedit litteras grati animi indices: [b]

b Id. lib. 1. ep. 85.
GREG. PAPAE EPIST. AD AGNETEM AVGVSTAM.

Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Agneti Chriſtianiſſimæ Imperatrici ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Gaudemus & exultamus in Domino, quod lumen veſtræ operationis ad nos vſque
E reſplenduit, & fructus veſtræ fatigationis, etſi non ad vota veſtra plene cumulatus, Deo tamen ad laudem & gloriam, nobis ad lætitiam, vobis ad coronam perfectæ remunerationis excreuit. Neque enim noſtra ſpes ideo coarctari aut ſubmitti debet, ſi deſiderium veſtræ ſanctitatis facultatem intentionis explendæ non habuit: quoniam apud Deum perfecit omnia, qui voluntatem gerens integram, quantum potuit, operari non deſijt. Scimus equidem quod pro pace & concordia vniuerſalis Eccleſiæ multum laboratis, & omnia quæ Pontificatum & Imperium glutino charitatis aſtringere valeant, amplius quam dici poſſit, concupiſcitis, & indefeſſa ſollicitudine quæritis. Quorum quidem quod maximum eſt, & vnitati delectionis coniunctiſſimum iam peregiſtis, videlicet filium veſtrum Henricum Regem communioni Eccleſiæ reſtitui, ſimulq. regnum eius a communi periculo liberari. Quoniam illo extra communionem poſito, nos quidem timor diuinæ vltionis ſecum conuenire prohibuit, ſubditos

vero

Universidad de Deusto
Biblioteca

vero sibi quotidie eius præsentia quasi necessitas quædam in culpa ligauit. Ad cetera A
vero quæ leuiora sunt, licet paupertatem vestram promptam esse non dubitemus: per fiduciam tamen quam in Christo habemus, gloriam vestram, vt iugiter tam sanctis studijs instet, propter reuelationē gaudij vestri, quodammodo exhortari impellimur, scribentes vobis, & sub omni certitudine notificātes, præfato filio vestro vestra consilia, vestraq. multum merita profuisse: & quam misericorditer eum diuina respiciat clementia, vestram adhuc beatitudinem cum gratulatione visuram esse. Hoc autem vnde & qualiter nobis compertum sit, cum vestram, miserante Deo, præsentiam viderimus, patenter indicabimus.

De cetero sciat eminentia vestra, nos his temporibus pro causa beati Petri Apostolorum principis in labore non paruo positos, & vestram in omnibus Beatricem, nec- B
non & communem filiam nostram Mathildem diu noctuq. in nostro multum adiutorio desudare, vtpote vos sequentes, vos sicut dominam & magistram discipulæ, fideliter imitantes. Per vos itaque nouum exemplum antiquæ lætitiæ, per vos, inquam, illæ mulieres olim quærentes Dominum in monumento, sæpe nobis ad memoriam redeunt. Nam sicut istæ præ cunctis Discipulis ad sepulchrum Domini miro charitatis ardore venerunt: ita vos Ecclesiam Christi quasi in sepulchro afflictionis positam, præ multis, immo pene præ omnibus terrarum Principibus, pio amore visitatis, & vt ad statū libertatis suæ resurgat, totis viribus annitentes, quasi Angelicis instructæ responsis, ceteros ad suffragium laborantis Ecclesiæ prouocatis. Vnde & reuelationem supernæ gloriæ & æternæ vitæ, quæ est in Christo IESV, non dubie expectabitis, & consortes mulierum illarum præsentiam Saluatoris nostri inter Angelorum agmina pace perpetua fruentes, ipso præstante inuenietis. Quod autem de filia vestra Mathilde C
nos rogastis, gratanter accepimus, collaudantes sanctitatem vestram, quod tanta vobis de salute illius cura est; quæ quidem in vos omni desiderio & fidelitatis affectu cor & animam suam effundit, gloriam vestram, quasi gaudia propriæ salutis exposcit. Ac nos quidem pro ea libenter oramus, & licet orationes nostras nostra Deo parum commendent merita: suffragante tamen pietate Petri, cuius serui sumus, eas in conspectu Domini non omnino vacuas esse confidimus. Vestram igitur commendationem digna veneratione suscipientes, itidem vos, vt illius & nostri memoriam in vestris rogamus orationibus faciatis, & mutuis nos apud Deum iuuemus intercessionibus: quatenus hic in Christo connexa charitas vnam & communem nobis in regno patris nostri, ipso præstante, sedem pariat & lætitiam. Datum in expeditione ad sanctum Flauianum xvij. Kal. Iulij, Indictione xij.] D

PER FEMINAS DEVS DEFENDIT ROM. ECCL.

Vidisti miracula de tribus clarissimis feminis a Deo præordinatis, cum maxima esset persecutio excitanda, vt Romanam Ecclesiam tuerentur, cum, inquam, aduersus eam sæculi Principes & potentiores Episcopi conspirarent, & qui essent de gremio ipsius in ipsam, vt Iudas, mouerent calcaneum suum. Vt plane illud mirandum a Deo fuerit innouatum, quod [a] infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia] fecerit insuper matrem ignorare filium, affines affinem spernere Regem, & pro Romana Ecclesia tantum esse sollicitas Agnetem, Beatricem atque Mathildem, ætate hanc iuniorem, sed animo ardentiorem pro defensione Apostolicæ Sedis. Nam ad Gregorium Papam scribens, ad constantiam fidei suæ erga ipsum significandam illud [b] Apostoli vsurpauit. Quod non tribulatio, inquit, non angustia, non fames, non nuditas, non periculum, non persecutio, non gladius, neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque creatura alia poterit eam separare a charitate Petri in Christo IESV Domino nostro. ad quam tunc ista breuiter anni huius initio rescripsit Pontifex ipse: [c]

a Ioan. 13.

b Rom. 8. MATHILDIS ERGA S. PETRVM IMMENSVS AMOR.

c Greg. lib. 1. ep. 40.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei Mathildi egregiæ indolis puellæ salutem & Apostolicam benedictionem] titulum puellæ loco virginis esse positum, inferius dicendum erit. at epistola ipsa sic se habet:

Quia serenitatis vestræ litteræ Apostolicæ Sedi directæ, eamdem testatæ sunt dilectionem principi Apostolorum beatissimo Petro, bonitatem tuam promptā esse exhibere, quam IESV Christo Domino nostro vas electionis sanctus Paulus Coapostolus eius vsque ad mortem feruentissimo amore studuit conseruare: gaudij repleti immensitate, omnipotenti Deo quas possumus reddimus gratias. Sed nouerit prudentia vestra,

A stra honestis inceptis, religiosisq. inchoationibus opus esse honestiori perseuerantia, atque Deo opitulante, religiosissima consummatione &c.] hortatur venire cum matre ad Limina Apostolorum. hæc Gregorius ad eam tertio Nonas Ianuarij, Indict. xij. anni huius exordio. Præstitisse autem fideliter ac cumulate quidem vsque ad obitum, quæ est pollicita, declarant euenta, quæ nos suis locis inferius descripturi sumus.

Extant & aliæ prolixiores hoc anno ab eodem Gregorio ad ipsam Mathildem datæ [a] litteræ mense Februarij, nempe decimoquarto Kal. Martij, quibus eam ad sanctissimæ vitæ cultum quē susceperat, studiosissime prosequendum hortatur. Meminit ijsdem se alias commonuisse, vt ad perfectam Christianæ religionis vitam excolendam, in his duobus potissimum insistat, nēpe vt sacratissimam Eucharistiam frequenter accipiat, & erga Dei Genitricem propensiori amore sit affecta. sunt hæc aurea plane Gregorij B verba: Inter cetera, quæ tibi contra principem mundi arma Deo fauente contuli (quod potissimum est) vt corpus Dominicum frequēter acciperes, indicaui, & vt certæ fiduciæ Matris Domini te omnino committeres, præcepi] deq. his pluribus agens ad finē, ista de studio frequenter sumendi Eucharistiam, & cultu erga Dei Genitricem exhibendo hæc addit: Debemus, o filia, hoc ad singulare confugere Sacramentum, singulare appetere medicamentum. Hæc ideo, charissima B. Petri filia, scribere procurau, vt fides ac fiducia in accipiendo corpus Domini maior tibi accrescat. Talem quidem thesaurum, taliaq. dona, non aurum, non lapides pretiosos amore patris tui, cælorum videlicet principis, a me tua requirit anima, licet ab alijs sacerdotibus longe meliora pro meritis accipere possis. De Matre vero Domini, cui te principaliter commisi, & committo, & numquam committere quousque illam videamus (vt cupimus) omit- C
tam, quid tibi dicam? Quam cælum & terra laudare, licet vt meretur nequeant, non cessant? hoc tamē proculdubio teneas, quia quanto altior & melior ac sanctior est omni matre, tanto clementior & dulcior circa conuersos peccatores & peccatrices &c.] His plane Mathildis suffulta subsidijs, mirum dictu, quantum in Christiana vita profecerit, quantum se super ceteras feminas exaltauerit, quantum etiam super omnes Reges & Principes eminentior apparuerit, & fortior sit inuenta etiam robore militari.

a Greg. lib. 1 ep. 47. 50.

GREG. PAPAE PIAE MONITIONES AD MATHILDEM.

S. ANSELMO MATHILDIS INSTRVENDA TRADITVR.

Sed & muliebri infirmitati aliud apposuit fulcimentum ipse Gregorius Papa, dans ei morum magistrum, patrem spiritualem, sedulumq. pastorem animæ eius Anselmum Lucensem Episcopum, quē (vt diximus) e Cluniacensi cœnobio reuocauit ad Episcopatum. De ipso enim hæc in vita eius statim post migrationem ipsius ad Dominum scripta: Cum enim penitus, vt Maria, desideraret Anselmus sedere securus: ecce facta D
est in omni Romano Imperio inaudita persecutio, Episcopi & Principes pene omnes non solum dico inobedientes, verum etiam rebelles facti sunt sanctæ Sedi Romanæ, & inuenta est sola atque vnica Dux & Marchionissa Mathildis in fide permanens, zelum Dei habens, & domino Papæ Gregorio obediens. Hæc vt sanctissimam tanti magistri, videlicet eiusdem domini Papæ vitam, & religionis cognouit ardorem; totam se suæ tradidit dispensationi, sperans ab oneribus mundi huius tali obedientia explicari. Cui e contrario in remissionem datur, vt quasi altera Debbora populorum videlicet militiam peragat, hæreticis & schismaticis resistat. Atque ne tamquam sola deficiat, custodienda commendatur præscripto Lucensi Episcopo domino Anselmo, commendatur, inquam, omni diligentia & affectu charitatis: commendatur a beatis- F
simo magistro fidelissimo discipulo, sicut in cruce Christus [b] Mariam Virginem virgini Discipulo commendauit. Ita ergo dum vterque Anselmus atque Mathildis mundi voragines euadere, & contemplationi vacare conantur: maioribus mundi negotijs implicantur. Sanctissimus itaque dominus noster & pater Anselmus custodiæ illius & studet & satagit in omni studio sanctitatis magis ac magis de die in diem exardescere. possumus certissime affirmare, quod repleuit eum Dominus spiritu sapientiæ & intellectus, vt esset ei magni consilij Angelus. Nam cum multa haberet sæcularia iudicia suprascripta domina Mathildis vnica beati Petri filia: ipse suis eam consilijs ita peragere fecit omnia, vt & Euangelica præcepta, & canonum instituta, & legum iura seruaret &c.] inferius de ijsdem: Per singulas ecclesias in omni supradictæ dominæ terra regularem clericorum & monachorum composuit vicem, qui & malle se inquit, vt nullus in ecclesia esset clericus vel monachus, quam irregularis (vt ita dicam) & irreligiosus inueniretur At parum fuit eum docuisse verbis, nisi firmasset

b Ioan. 19.

Universidad de Deusto
Biblioteca

exemplis, cum nihil penitus ex delicijs palatinis illi inhærere potuerit, apud Principes vitam monasticam perarduam excolens, vt vel aqua sitim explere, piaculum grande putaret, & somno leuiter indulgere ex naturæ necessitate, socordiam existimaret] at de ipso plura inferius. Tanti vero magistri & institutoris haud degener discipula Mathildis extitit, quæ nihil vmquam antiquius habuit, quam ad eius doctrinam, atque vitæ exempla componere mores, atque omnes actus accommodare.

At hæc omnia carmine cecinit etiam, qui eodem tempore vitam Mathildis ipsius conscripsit fideliter quidem, licet musa parum compta, Domnizo rerum inspector, qui hanc ob causam prudentum omnium iudicio maiorem sibi fidem vendicat recentioribus omnibus. Vt plane leuioris mentis iudicium sit deferri magis recentioribus dicendi peritis, qui ista monimenta vetera minime comperta habentes, in obscuro positi, quidquid vel coniectura suggessit, vel ab aliquo alio proprio ingenio excogitatū inuenerint, scripserunt, his magis credentes quam auctori qui præsens aderat, oculis videbat, & (vt ita dicam) manibus contrectabat, quantumlibet sermone imperitus extiterit. Cuius volumen autographum de vita Mathildis custodit Romæ bibliotheca Columnensis, quæ fuit collegæ nostri doctissimi Cardinalis Sirleti. Exemplar vero inde scriptum, quo vtimur, bibliotheca Vaticana conseruat.

DOMNIZO SCRIPTOR VITAE MATHILDIS.

Ipse igitur inter alia de Anselmo Lucensi Episcopo, Mathildi a Gregorio Papa tamquam patre atque magistro concesso hæc habet:

Inter quos fulsit reuerendus Episcopus vrbis
Lucensis, lucens Anselmus, maxime prudens,
Lege Dei doctus, monachus bene religiosus.
Gregorius Præsul Romanus, vt egit IESVS,
In Cruce qui moriens dat Discipulo Genitricem,
Commisit dominam sic Anselmo Comitissam.
Quam docuit dictis, regit exemplisq. benignis;
Peruersa sectæ monuit resistere semper,
Consily magni cui hic Angelus his fuit annis,
Consilium cuius sequitur Comitissa venustum.
Nam quos ipsa valet prauos conuertere mater
Quantiscumque modis quit, agit in omnibus horis
Multos cum feudo, multos munus tribuendo,
Pugnando plures &c.] Sed & de legatione eadem missa a Gregorio Papa per Agnetem Augustam ad filium Regem, Domnizo etiam agens, eaq. cuncta quæ dicta sunt sic carmine concinens, ait:

QVID DE LEGATIONE MISSA.

Regis erat mater tunc Romæ subdita Papæ,
Quam vir amans pacem, pro nati mittere pace
Ordinat, & secum Prænestinæ quoque verum
Pontificem Christi, cui iungit & Ostia tristis
Pontificem magnum, quem nomine clamo Giraldum.
Hos vltra montes direxit Papa duosq.
Quos Rex dignanter cum matre recolligit Agne.
In manibus quorum promisit iura piorum
Se pro posse sequi, Papæ, sancti quoque Petri,
Ecclesias summi Domini nec vendere nummis.
Lætificat valde nati responsio matrem,
Romam [a] *regressa Papæ retulit noua gesta.*
Papa Deo laudem tulit immensam super hanc rem.
Ad scelera rursum rediit Rex post modicum, tunc
Ad quem mendacem direxit denuo matrem.
De prope post ipsam sibi transmisit sua scripta,
Qui doluit tandem, matriq. spopondit vt ante.
Credidit hoc statim genitrix quod Rex simulauit,
Quæ rediit Romam, Papam reuerenter honorans &c.] Vbi Deo precibus vacās ipsa Agnes Augusta superuixit vsque ad annū Redemptoris millesimum septuagesimumseptimum, vt suo loco dicetur. Nec illud quod idem [a] Gregorius ad Henricum Regem scri-

[a] *Greg. lib. 1. ep. 30.*

scribens hoc anno, septimo Idus Decembris Indict. xiij. ait: Piæ memoriæ Agnes mater tua &c.] eam consueto dicendi more defunctam voluit significasse: nam idem ipse Gregorius in epistola [a] ad Christi Fideles postea data Indictione xv. adhuc eam fuisse superstitem docet. [a] *Greg. lib. 4. ep. 3. prope finem.*

Sed antequam vlterius progrediamur, quæ vidimus de virginitate Mathildis in Gregorij Papæ epistolæ titulo, quo nominat eam puellam egregiæ indolis, affectemur impressa vestigia. Siste quæso Lector gradum, & patere aliquantisper hic immorari, vt hactenus per mendaciorum deuia ductus, quæ de Mathilde sint vera, certaque, pernoscas. Quantum autem in his plures a scopo veritatis errauerint toto (vt dicitur) cælo: tu ipse iudex esto, atque sententiam ferto. Nam asserere non dubitamus, nullam aliam pene historiam ita Scriptorum varietate sicut & multiplicitate reperiri tractatam, sed non elucidatam, immo potius obscuratam, quæ magis Lectoris mentem obuoluat densa caligine, & offundat tenebris confusionis. hocq. nulla alia de causa, nisi quod eius temporis Scriptores haud satis a posterioribus fuere consulti; sed illis omissis, quod eis visum est verisimile, non quod verum, sunt secuti, recentiori recentior hærens, & his posteriores se coniungentes, omnes simul per mendaciorum abrupta nescientes præcipites se dedere. quam autem fuerit horum ingens numerus, recensere piget, volenteq. præterimus, ne ex aliorum ignorantia gloriam nobis quærere videamur.

ERRORES VVLGATI DE MATHILDE CONFVTATI.

De his acturi, in primis recitata verba Gregorij sunt expendenda. Dum enim in eius epistolæ titulo ipsam puellam egregiæ indolis nominat: modo quærendum, cuius tunc Mathildis ætatis esset, vt vox illa, puella, quo accipienda sit sensu, intelligatur, & de ea, quæ sunt reliqua, pernoscantur. Qui tunc viuebat Domnizo presbyter, cecinitq. carmine res gestas maiorum eius, atque ipsius quoque Mathildis, cui & viuenti astitit & morienti parentauit, totius eius vitæ ætatem fuisse tradit annorum sexagintanouem, obijsse vero diem anno Redemptoris millesimo centesimo decimoquinto, die vigesimaquarta Iulij. sic enim ait:

Sex deciesq. nouem viuens annos in honore
Iulius ante dies octo quam det prope finem,
Scilicet ante diem celebrem Iacobi Zebedai. &c.] cui quis non sentiat esse assentiendum, qui cuncta quæ sunt Mathildis propinquus testis inspexit & scripsit? qua quidem ratione eam dicendum natam esse anno salutis millesimo quadragesimosexto. Cum vero epistola illa Gregorij, qua nominat eam puellam egregiæ indolis, scripta habeatur mense Ianuario, Indictione duodecima, anno videlicet Christi, millesimo septuagesimoquarto: affirmare necesse est eam tum fuisse annos natam vigintiocto, vt plane intelligatur puellæ nomen in Mathilde non potuisse ætatis esse, sed potius integritatis. Puellæ quidem nomen siue ætati, siue virginitati tribui consueuisse, omne Scriptorum genus comprobauit, & cuiusque sæculi vsus loquendi semper reddidit manifestum. His accedit, quod cum Domnizo eius vitæ scriptor, ipsius merita recolens tribuat ei centesimum fructum post trigesimum & sexagesimum, secundum triplicem vitæ statum, coniugatorum scilicet, viduorum, ac virginum (quo sensu Patres parabolam Saluatoris a [b] Matthæo descriptam sunt communiter interpretati, & Ecclesia Dei in sacris ritibus est secuta) plane Mathildem adhuc virginem permansisse, significasse haud obscure voluit versibus istis in eius operis præfatione.

AETAS MATHILDIS.

[b] *Matth. 13.*

Idcirco fructus centeni colliget vsus,
Alter terdenam, sexagenamq. coronam
Dum tenet alter, habet centenam grandior alter.
Ista legit totas probitatis iure coronas.] ita tres vitæ status exprimens in Mathilde, quod fuerit nupta, vidua, atque virgo quoque permanserit. Dicendum de singulis, & eum dumtaxat adhibebimus testem, qui eodem tempore vixit, eidemq. familiaritatis vsu intimus extitit, nempe Gregorium Papam Septimum, cui qui refragatur, errore omnino lapsus manifeste intelligatur. Atque in primis, quod Mathildis nupta fuerit, ipse epistola ad Guillelmum [c] Burgundiæ Comitem his verbis significat: Idem vester nuntius veniat per Comitissam Beatricem, quæ cum filia & genero in hoc negotio laborare procurat &c.] per generum, maritum filiæ

ASSERITVR VIRGINITAS MATHILDIS.

[c] *Id. lib. 1. ep. 46.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

vnicæ Mathildis expressisse dubitari non potest. data illa habetur epistola quarto A
Nonas Februarij Indictione duodecima, præsenti anno scilicet Redemptoris millesimo septuagesimoquarto. sed quam cito factum esse diuortium idem Gregorius Papa significat [a] epistola, quam dedit ad Herimannum Metensem Episcopum mense Augusti, Indict. xiiij. anno videlicet Redemptoris millesimo septuagesimosexto, in qua ista leguntur: De Mathilda vero communi nostra filia & beati Petri fideli ancilla, quod vis, volo. Sed in quo statu sit mansura, Deo gubernante, adhuc certum non teneo. Godefredi autem quondam illius viri indubitanter scias, quod frequenter apud Dominum, licet peccator, habeam memoriam; quia non me illius inimicitia, vel aliqua impedit vanitas, sed motus fraterna dilectione tua, & Mathildæ deprecatione, illius exopto salutem] hæc ibi Gregorius Papa.

[a] Greg. lib. 4. ep. 2. in fin.

QVOD MATHILDIS ALIQVANDO NVPTA GODEFREDO.

In quibus obseruanda sunt multa, atque in primis quod dum Gregorius scribens ad B
Episcopum Metensem (est ciuitas Lotharingiæ) nomine Herimannum, eumq. communem patrem Mathildis appellat, conijcere possumus, eumdem ex materna linea fuisse ipsius Mathildis affinem, & puto patruum, qui scribens (vt apparet) ad Gregorium Papam, ipsum de ipsius Mathildis statu consulit, quod facto diuortio cum Godefredo viro suo, innupta remansisset. Ad quem rescribens ipse Gregorius: De Mathilda, inquit, communi nostra filia, & beati Petri fideli ancilla, quod vis, volo] Quod autem mox subijcit: Sed in quo statu sit mansura, Deo gubernante, adhuc certum non teneo] perspicue intelligitur, eamdem innuptam hactenus perseueraſſe post diuortium Godefredi, quem & cum quondam Mathildis virum appellet, eum aliquando fuisse ipsius maritum, sed iam non esse amplius, manifeste significans, diuortium inter eos interceſſisse demonstrat. Sed & cum eumdem Godefredum se inimicum C
pati idem Gregorius post ista subdat, se vero pro ipso Deum orare non prætermittere, id potissimum rogante Mathilde; illud vt opinemur inducit, Godefredum aduersus Gregorium, quod eius auctoritate diuortium factum esset, iniquo fuisse animo.

CAVSA DIVORTII MATHILDIS CVM GODEFREDO NESCITVR.

Quænam autem causæ diuortij interceſſerint, Scriptorum eius temporis reperi neminem qui significet. Nullum gradum scio consanguinitatis vel affinitatis interceſſisse, quo putaretur impediri illud matrimonium potuisse; siquidem ipse Godefredus Gibber dictus, cui nupsit, ex priore coniuge Godefredi patris antequam Beatricem viduam duceret, natus erat, & illa defuncta, istum priuignum, posterioris vxoris Beatricis videlicet esse oportuit, Mathildi vero genitæ ex Bonifacio nulla penitus propinquitate coniunctum, qua eam in vxorem ducere vetaretur. Sed neque, si verum D
est, quod tradunt, qui res Lotharingiæ sunt prosecuti, hunc eumdem Godefredum Gibberum ex alia postea vxore suscepisse filios, impotentia coeundi perpetua (quam causam ponunt diuortij faciendi) causa esse potuit. Sed neque ex fornicatione potuit accidisse, cum neutri post factum diuortium nubere licuisset. Et tamen de illo, quod aliam coniugem acceperit, verum asseritur, & de ista, an esset acceptura, in sua potestate fuisse repositum, ex dicta Gregorij epistola affirmatur. Sed a diuinationibus abstineamus, satis nobis scisse, factum esse diuortium, & non nisi causa legitima intercedente, cum id tanti Pontificis sanctissimi atque doctissimi auctoritas concesserit faciendum. At non consummatum matrimonium illud fuisse, sed tantum sponsalibus contractum, existimandum, quod potuerit ita dirimi, & solutis ita nubendi alij facultatem integram remansisse. Sicq. vt dictum est, facto diuortio, virginem permansisse, cui centeni fructus præmium deberetur post sexagenum, firma au- E
ctoritate eius temporis Scriptoris constanter vidimus affirmatum. Vt vero ista firmius percipias, Lector, hic sunt recitanda illa, quæ ad secundum Mathildis coniugium comprobandum, vt firmissima propugnacula statuuntur ab eius sententiæ assertoribus; sed miraberis, cum nullo negotio ea videris dissipata: ridebis autem, cum super nihilum, nempe super mendacium, innixam aeream molem videris penitus euanescere; obstupesces vero tunc magis, cum tot sapientes historicos eo potuisse traduci figmento, & decipi vanitate, perspexeris.

MENDAX ASSERTIO MATRIMONII MATHILDIS CVM AZONE.

Dixerunt isti, post Godefredum esse Mathildem Azoni Marchioni nuptam, sed Gregorio Papa aduersante, iussum esse ob affinitatem inter eos intercedentem, diuortium fieri. Ad quod probandum, duas adducunt eiusdem Pontificis epistolas, quarum prior scripta legitur ad Beatricem & filiam Mathildem, data mense Octobris, inchoa-

A inchoata nuper Indictione decimatertia, hoc ipso anno millesimo septuagesimoquarto, ad cuius finem ista habentur: [a] Præterea notum vobis est, Marchionem Azonem in Synodo nobis promisisse, & fidem in manum nostram dedisse, se in nostram præsentiam, quandocumque eum commoneremus, pro reddenda ratione sui coniugij venturum. & nos quidem hac de causa ipsum vocauimus. Guillelmum Papiensem Episcopum, & Heribertum Mutinensem, qui propinquitatem mulieris sciunt, ad nos venire per epistolas nostras inuitauimus, quatenus rei veritate percognita, quod iustū fuerit, Deo adiuuante, statuamus. Quapropter dignum nobis videtur, vt præfato Marchioni per certum vestrum nuntium mandetis, quatenus per terram vestram, in eundo & redeundo securus transire possit; ne occasione vestri timoris, in hac parte iustitia Christianæ legis detrimentum sentiat] hæc Gregorius, quæ quidem Azonem
B inimicum potius, quam generum Beatricis, maritumve Mathildis ostendunt, cui ab eis securitas quæreretur. his iungunt sequentem epistolam ab eodem Gregorio ad Mathildem scriptam mense Decembris, eadem Indictione, & eodem anno Redemptoris septuagesimoquarto supra millesimum istis verbis: [b]

[a] Greg. lib. 2. epist. 9.

[b] Id. ibid. ep. 36

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei Mathildi salutem & Apostolicam benedictionem.

Qualiter testibus & sacramentis in præsentia nostra probatum sit, te habuisse virum consanguineum Azonis, te etiam & Azonem Marchionem in quarta propinquitatis linea consanguineos esse, ipsi qui eidem causæ interfuerunt, poterunt tibi referre. Vnde quia Azonem Marchionem sacramento constrinximus, nullam deinceps sine licentia nostra maritalem tecum conuersationem habere: tibi etiam ex parte beati
C Petri præcipimus, vt a consortio & cohabitatione sua omnino te auferas, & de perpetrata iniquitate ita digne pœniteas, quatenus gratiam Dei valeas recuperare, & tanti tamq. turpissimi incestus infamiam declinare.

DE SECVNDO MARITO MATHILDIS CONFVTATVS ERROR.

Quod si forte præiudicium te pati existimas, & testimonia atque sacramenta de consanguinitate vestra improbare posse confidis; damus tibi audientiam in proxima Romana Synodo, vbi Deo auxiliante, neque ad dexteram, neque ad sinistram in executione iustitiæ declinabimus, sed quod iustum est, statuemus. Dat. Romæ xvij. Kal. Ianuarij Indict. xiij.] hæc afferunt tamquam irrefragabile tanti Pontificis testimonium de matrimonio Mathildis cum Azone Marchione contracto, sed per eumdem Pontificem dissoluto. At cum ostenderimus Mathildem hanc longe aliam, diuersamq. fuisse a Mathilde, de qua est sermo, filia Beatricis: tota ista argumentatio ex scriptis
D Gregorij dissoluetur, coq. magis, cum eiusdem epistolis id totum firmissime comprobabitur, meridianaq. luce clarius demonstrabitur.

MATHILDAS QVATVOR EODEM TEMP.

Atque in primis illud accipe, in monstruosos oportere errores Lectorem ferri præcipitem, si omnes Gregorij litteras ad Mathildem, vel de Mathilde conscriptas, de Mathilde filia Beatricis putet intelligendas. De quatuor siquidē ijsdemq. diuersis eius nominis feminis est mentio in eius epistolis, nempe de hac, de qua agitur Mathilde filia Beatricis: longe frequentior ac glorioſior de Mathilde Anglorum Regina; [c] de Mathilde Azoni [d] nupta, [e] aliaq. vidua relicta Arnulphi aduocati, quas ab inuicem complura distinguunt, vt non sinatur Lector, ea attente considerans, æquiuoca voce falli. Nam Mathildis ista Azoni Marchioni nupta, procul omnino abest, vt dici pos-
E sit esse Mathildis filia Beatricis: siquidem quæ Azoni matrimonio iuncta est, primo fuerat copulata Guidoni Azonis consanguineo, vt ostendunt eiusdem Gregorij Papæ litteræ, [f] quod quidem nullatenus Mathildi filiæ Beatricis potest aptari, cuius maritum non Guidonem, sed Godefredum fuisse, eiusdem Gregorij Papæ litteris patet superius recitatis. Rursus illa Azoni nupta ab eodem Gregorio asseritur fuisse soror Guillelmi Episcopi Papiensis, quod procul abhorret, vt fingi possit de Mathilde filia Beatricis. Ista quidem ita se habuisse testatur & affirmat idem Gregorius Papa in epistola eodem argumento, nempe de Azonis atque eius coniugis Mathildis tunc diuortio faciendo conscripta ad ipsum [g] Guillelmum Episcopum, cum eum citat ad futuram Synodum, quam totidem hic reddimus verbis, sic enim se habet:

[c] Id. lib. 1. ep. 51 & lib. 7. ep. 16.
[d] Ibid. ep. 57. lib. 2. ep. 9. 30 & 36.
[e] Id. lib. 5. ep. 9.
[f] Id. lib. 2. ep. 31
[g] Ibidem.

MATHILDIS RELICTA GVIDONIS.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei Guillelmo Papiensi Episcopo salutem & Apostolicam benedictionem.

Licet contra nos id egisse videaris, vt nec etiam Apostolicam benedictionē tibi mit-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tere deberemus, scilicet quia ad constitutum tibi terminum nec venisti, nec legalem excusationem misisti; malumus tamen de pietatis modestia reprehendi, quam canonum rigorem sequendo, inobedientiam tuam acriter vlcisci. Quapropter Apostolica tibi auctoritate præcipimus, vt ad Synodum, quam, annuente Deo, celebraturi sumus prima hebdomada Quadragesimæ, venias, & de causa sororis tuæ respondeas. Licet enim clarissimum sit, eam Guidonem Marchionem consanguineum Azonis Marchionis maritum habuisse: illud etiam sacramentis & testibus in præsentia nostra probatum sit, eamdem sororem tuam atque Azonem quartam propinquitatis lineam nondum excedere: dabimus tamen vobis audientiam in præfata Synodo, quatenus si legalem defensionem vos habere confiditis, & testimonia & sacramenta ante nos facta improbare poteritis, coniugium illorum permaneat. Alioquin si hoc tunc facere non poteritis, vel a prædicta Synodo vos subtraxeritis, nullam deinceps inde fieri quæstionem, Apostolica auctoritate inhibemus. Vnde in sacramento, quo prædictum Azonem constrinximus, ita cauti fuimus, vt cum licentia nostra, si rationes vestræ idoneæ fuerint, ipse possit eam reducere atque in vxorem habere. Dat. Romæ xvij. Kal. Ianuarij Indict. xiij.] Ecce tibi commentum de Mathildis filiæ Beatricis cum Azone coniugio penitus dissipatum atque in aera dissolutum, cum longe esse ista ab illa diuersa monstratur eiusdem Pontificis auctoritate. His autem adde, quod diximus, tantum abesse, vt fuerit maritus nostræ Mathildis Azo, vt tamquam ipsius inimico fuerit impetranda ab ea securitas [a] in via, dum Romam venturus, per loca illi subiecta transiturus esset. Quisnam autem fuerit Guido iste, cui nupsisset Mathildis illa, nos præterit: inuenimus tantum his diebus vixisse Guidonem Comitem Imolensem, ad quem extat eiusdem Gregorij Papæ epistola: [b] sed an hic ille fuerit, haud adeo exploratum habemus, vt affirmare possimus.

[a] *Greg. lib. 2. ep. 9.*

[b] *Id. lib. 1. ep. 10*

MATHILDIS QVANDO SECVNDO NVPTA

Verum illud absque dubio de Mathilde dicendum, ipsam iam prope senescentem (quod mirandum videri possit, nisi causa sciatur) matrimonio coniunctam viro bellicosissimo & Catholica Fide præstantissimo Vuelphoni iuniori, filio Vuelphonis maioris Bauariæ Ducis, de quo sæpe superius, nepoti vero Azonis, de quo modo dictum est, Marchionis. Vt autem iam ætate grandæua eiusmodi iniret nuptias, non effecit leuitas muliebris, vel suasit & impulit effrænata libido, sed coegit iussio Vrbani Papæ, vt Catholici diu fatigati Henrici tyrannide, in Italia sub ducatu femineo fatiscente, tanti militis robore respirare & sperare maiora deberent. At hæc quomodo se habuerint, dicemus suo loco inferius, auctore Bertoldo Constantiense, ea tunc scribente, quæ haberet ob oculos posita: cuius quoque testificatione patebit, Mathildem ita se ea occasione nuptiarum fœdere iungi passam, vt tamen viri complexu adhuc libera atque soluta omnino permanserit. sed de his suo loco dicendum.

ERROR LAMBERTI DE MATHILDE.

Ad postremum autem ex eiusdem Gregorij recitatis litteris conuincitur Lambertus nescisse diuortium, quod intercessit inter Mathildem & Godefredum, quem Gozelonem appellat, dum non nisi morte ipsius liberam relictam fuisse Mathildem affirmat. [c] Quod autem ad Gozelonis nomen pertinet, nemini dubium esse debet, per Gozelonem significare voluisse Godefredū cognomento Gibberum, vel Strumosum ex mala habitudine corporis, id ipsomet testante superius, [d] cum eumdem, quem hic Gozelonem, ibi Godefredum appellat: vtroque enim nomine ipsum dictum, priuilegia, vel alia publica monimenta eius nomine tunc scripta significant.

[c] *Lamb. Scafn. an. 1077.*

[d] *Id. an. 1070*

Iam habes, Lector, de Mathilde germanam historiam, a mendaciorum inuolucris vendicatam, vt quæ hactenus suffocata delituit, micet candore suo. Cessent nunc fabulæ, & ex male præsumpta auctoritate Gregorij Papæ Septimi fileant confutata mendacia, & euanescant denudata figmenta.

[e] *Id. an. 1077.*

GREG. PAPA CALVMNIIS IMPETITVS.

Sed iam de Gregorio Papa, occasione familiaritatis cum Mathilde, ab aduersarijs calumniam passo, [e] Lambertus quid scribat, attende, ait enim: Hæc viuente adhuc viro suo, quamdam viduitatis speciem, longissimis ab eo spacijs exclusa prætendebat; cum nec ipsa maritum in Lotharingiam extra natale solum sequi vellet, & ille Ducatus, quem in Lotharingia administrabat, negotijs implicitus, vix post tertium vel quartum annum semel Marcham Italicam inuiseret. post cuius mortem Romani Pontificis lateri pene comes indiuidua adhærebat, eumq. miro colebat affectu. Cumq. magna pars Italiæ eius pareret imperio, & omnibus, quæ prima mortales ducunt, supra

supra ceteros terræ illius Principes abundaret; vbicumque opera eius Papa indiguisset, ocyus aderat, & tamquam patri, vel domino sedulum exhibebat officium. Vnde nec euadere potuit incesti amoris suspicionem, passim iactantibus Regis fautoribus, & præcipue clericis, quibus illicita & contra scita canonum contracta coniugia prohibebat, quod die ac nocte impudenter Papa eius volutaretur amplexibus; & illa furtiuis Papæ amoribus præoccupata, post amissum coniugem vltra secundas contrahere nuptias detrectaret] ista aduersus honestissimam feminam, atque sanctissimum patrem euomebāt qui coniugij turpitudine, rete diaboli tenebantur astricti clerici coniugati, cum vxores dimittere cogerentur, ita ex proprio affectu aliena pensantes. Quod adeo portentosum & extra omnem penitus veritatis imaginem visum est etiam perditissimo illi Bennoni schismatico Cardinali, hosti infensissimo Papæ Gregorij, vt cum multa falsissima in Gregorium ipsum scripserit, istud in eum obijcere non sit ausus: quæ nullatenus apud prudentes fidem inuenerint. de quibus idem Lambertus pergens hæc subdit:

GREGORII IRREPREHENSIBILIS CONTINENTIA.

Sed apud omnes sanum aliquid sapientes, luce clarius constabat, falsa esse, quæ dicebantur. Nam & Papa tam eximie, tamq. Apostolice vitam instituebat, vt nec minimam sinistri rumoris maculam conuersationis eius sublimitas admitteret, & illa in Vrbe celeberrima, atque in tanta obsequentium frequentia obscenum aliquid perpetrans latere nequaquam potuisset. Signa etiam & prodigia, quæ per orationes Papæ frequentius fiebant, & zelus eius feruentissimus pro Deo, & pro ecclesiasticis legibus satis eum contra venenatas detractorum linguas communiebant] hæc Lambertus, huius temporis rerum gestarum inspector & scriptor. At iam de Mathilde satis, reliqua vero opportunius de ipsa suis locis inferius dicenda erunt, modo autem quæ sunt reliqua rerum gestarum Gregorij Papæ anni huius, ordine temporum prosequamur.

INDICITVR SYNODVS GENERALIS.

Indicitur ab eo Synodus Romæ celebranda prima hebdomada Quadragesimæ. extant adhuc eius Indictionis litteræ eiusdem Gregorij [a] ad Episcopos Longobardiæ, in quibus inter alia, ista de vsu pristino & consuetudine, legumq. præscripto de Synodo annis singulis celebranda: Non incognitum vobis esse credimus, in Romana Ecclesia iamdudum constitutum esse, vt per singulos annos ad decorem & vtilitatem sanctæ Ecclesiæ generale Concilium apud Sedem Apostolicam sit tenendum] Generale appellat, quod ex omnibus Italiæ Episcopis colligeretur, cum alioqui contingeret ex Suffraganeis tantum circa Vrbem positis Episcopis frequentius Romæ Concilia celebrari. Scripta sunt hæc ab ipso ad Episcopos sub anni huius exordio, nempe octauo Kal. Februarij.

[a] *Greg. lib. 1. ep. 42. 43.*

Conuenerunt in Vrbem statuta die qui conuocati fuerunt Episcopi: habentur sacra comitia frequenti Episcoporum cœtu (numerum tamen certum non inuenimus expressum) In quibus Gregorius Papa inhærens prædecessorum vestigijs ad ea crimina resecanda, quæ magis tunc Dei Ecclesiam labefactare videbantur, Apostolicam falcem conuertit, quæ etsi recisa fuerant (vt vidimus) ab omnibus prædecessoribus, Leone Nono videlicet, & alijs singulis, qui successerunt, Romanis Pontificibus, tamen remanente adhuc altis radicibus fixis prauæ consuetudinis virente cespite, rursus ampliori germine infeliciter pullularunt. Ex dissidijs enim, quibus diu vexata laborauit Romana Ecclesia, infaustum illud accidit, vt peccata censura Apostolica non coercita in malam consuetudinem propagata adeo increbuerint, vt cum ad ea corrigenda Gregorius post alios insurrexerit, delinquentes omnes senserit aduersarios, atque passus sit inimicos, clericos, inquam, concubinarios, siue dixerimus coniugatos, tamquam si quid nouum & impossibile ab eo seruandum propositum esset, cum tamen nihil præterea, quam quod ab exordio nascentis Ecclesiæ vsu, traditione, legibusq. sacris receptum esset, iusserit obseruari. Quæ autem ob eam causam turbæ fuerint concitæ, Lambertus hoc anno sic narrat: Hildebrandus Papa cum Episcopis Italiæ conueniens iam frequentibus Synodis decreuerat, vt secundum instituta antiquorum canonum, presbyteri vxores non habeant, habentes aut dimittant, aut deponantur. Nec quisquam omnino ad sacerdotium admittatur, qui non in perpetuum continentiam, vitamq. cælibem profiteatur. Hoc decreto per totam Italiam promulgato, crebras litteras ad Episcopos Galliarum transmittebat, præcipiens vt ipsi quoque

ADVERSVS DECRETVM DE CONTINENTIA CLERICORVM TVMVLTVATVM.

Universidad de Deusto
Biblioteca

in suis ecclesijs similiter facerent, atque a contubernio sacerdotum omnes omnino feminas perpetuo anathemate resecarent. Aduersus hoc decretum protinus vehementer infremuit tota factio clericorum, hominem plane hæreticum & vesani dogmatis esse clamitans, qui oblitus sermonis Domini, quo ait: [a] Non omnes capiunt hoc verbum, qui potest capere, capiat. & Apostolus: [b] Qui se non continet, nubat melius est enim nubere, quam vri: violenta exactione homines viuere cogeret ritu Angelorum, & dum consuetum cursum naturæ negaret, fornicationi & immundicici fræna laxaret. Quod si pergeret sententiam confirmare, malle se sacerdotium, quam coniugium deserere, & tunc visurum eum, cui homines sorderent, vnde gubernandis per Ecclesiam Dei plebibus, Angelos comparaturus esset] Vide, & deplora mecum miserandum statum Germaniæ ecclesiarum, si vera sunt, quæ auctor narrat, omnes clericos his vocibus reclamasse, & non magis, quod aliquot ex eis incontinentes fecerint, omnes feciſſe dicat per ignominiosam hyperbolen: non enim puto illorum ecclesiam in profundum ita demersam, vt Iouiniana hæresis ante tot sæcula condemnata, pro sacro dogmate sit recepta, atque eo modo improba defensione munita, ac roborata mendacio. Nullatenus autem coegit Gregorius, vel ecclesiastica lex aliquem vmquam inuitum continentiam profiteri, sed tantum cum quis eam sponte professus est, clericatus susceptione, ad quem inuitus nemo compellitur, obseruare præceperit; quo nihil iustius, sanctius nihil dici potest & æstimari debet. pergit auctor de diligenti cura Gregorij in sacris legibus promulgandis, & in vsum pristinum reuocandis, dicens:

CONCVBINARII CLERICI RESILIVNT ADVERSVS DECRETA GREG.

Nihilominus ille instabat, & assiduis legationibus Episcopos omnes socordiæ, ac desidiæ arguebat, & nisi ocyus iniunctum sibi negotium exequerentur: Apostolica se censura in eos animaduersurum comminabatur. Archiepiscopus Moguntinus sciens non paruo constare operam hanc, vt tanto tempore inolitam consuetudinem reuelleret, atque ad rudimenta nascentis Ecclesiæ senescentem iam mundum reformaret: moderatius agebat cum eis. Et primo eis in dimidium annum inducias & deliberandi copiam dedit, hortans eos, vt quod necessario faciendum sit, sponte faciant, & tam sibi, quam Romano Pontifici necessitatem adimant aliquid in eos, quod secus sit, decernendi. Ad vltimum congregata Synodo in Erfordia, mense Octobri pressius iam imminebat, vt relegata omni tergiuersatione, in præsentiarum, aut coniugium abiurarent, aut sacri altaris ministerio se abdicarent. Multas e contra illi rationes afferebant, quibus instantis perurgentisq. improbitatem eludere, sententiamq. cassare niterentur. Cumq. aduersus Apostolicæ Sedis auctoritatem, qua se ille ad hanc exactionem præter voluntatem propriam compulsum obtendebat, nihil argumenta, nihil supplicationes precesq. proficerent: egressi tamquam ad consultandum, consilium ineunt, vt in Synodum non redeant, sed iniussi omnes in domos suas discedant. Nonnulli etiam confusis vocibus clamitabant, melius sibi videri, vt in Synodum regressi ipsum Episcopum priusquam execrabilem aduersus eos sententiam promulgaret, cathedra Episcopali deturbarent, & merita morte mulctato, insigne monumentum ad posteros transmitterent, ne quis deinceps successorum eius talem sacerdotali nomini calumniam struere tentaret. Cum ad Episcopum relatum esset, hoc eos machinari, commonitus a suis, vt tumultum, qui oriebatur, matura moderatione præuerteret; misit ad eos foras, rogauitq. vt sedato pectore in Synodum regrederentur, se cum primum opportunitas arrisisset, Romam missurum, & dominum Apostolicum, si qua posset ratione, ab hac sententiæ austeritate deducturum. Postero die admissis in auditorium communiter laicis & clericis, veterem illam de reddendis decimis querelam replicat &c.] De eadem Synodo & Gregorij Papæ litteris his de rebus in Germaniam missis, quæ desiderantur, meminit Marianus Scotus ea tunc scribens. Agit de ijsdem & Sigebertus hoc anno, & inuehitur refractarius ipse in eiusdem Gregorij renouatum decretum prædecessorum, quo iuberetur, ne coniugatorum sacerdotum quis Missas audire præsumeret, quasi negaret ipse Gregorius, vel alij, qui hoc statuissent, per improbos sacerdotes non confici sacramenta. Numquam istud dixit aliquis Romanorum Pontificum, sed tantum quod ea ratione statuissent, vt si fornicarius sacerdos sic se contemni videret, abstineret ab infami consortio feminarum. Sed nec sic parentibus istis, laicis in opprobrium redditis, vt sal infatuatum non solum ab hominibus ipsi

SIGEBERTVS CALVMNIATOR CONVINCITVR.

concul-

[a] Matth. 19.
[b] 1. Cor. 7.

conculcati sunt, sed eo progressum asserit (quod dici nefas) vt etiam confecta per eos sacramenta eorumdem pedibus tererentur.

In hac eadem Synodo ab eodem Gregorio Romano Pontifice constat excommunicatum fuisse Robertum Guiscardum Northmannorum Principem, de quo ista in fine epistolarum libri primi eiusdem Gregorij de rebus ab eo gestis hoc anno: Celebrauit Romæ Synodum, in qua inter cetera, quæ ibi gesta sunt, excommunicauit atque anathematizauit Robertum Guiscardum Ducem Apuliæ & Calabriæ atque Siciliæ, cum omnibus fautoribus suis, quousque resipisceret] ita Gregorius aduersus Northmannorum Principem, quem patiebatur infestum, Ecclesiæ iura perturbantem, de quo scribit in [a] epistola ad Herlembaldum & [b] Guillelmum Comitem. Campaniam enim post captum Salernum Robertus inuaserat, & inde a Gregorio electus, recedens Beneuentum obsedit. De his enim hæc [c] Leo Ostiensis: Robertus Campaniam expugnaturus ingreditur. ista vbi Gregorio Papæ nuntiata sunt, Ducem Robertum ac Gisulphum Principem Salernitanum a liminibus Ecclesiæ separans, collecto exercitu, aduersus eos ire disposuit. Quod postquam Duei nuntiatum est: concite vna cum Principe Capuam remeat, & Dux quidem Beneuentum, Princeps vero Neapolim obsidere cœpit.

ROBERTVS GVISCARDVS EXCOMMVNICATVS A GREGORIO PAPA.

[a] Greg. lib. 1. ep. 25. [b] Id. ibid. ep. 46 [c] Leo Ost. lib. 3. cap. 44.

Neapolitani autem Principis timore perculsi omnipotenti se Deo intentius commendabant, vt eos a potestate Principis clementissima miseratione dignaretur eripere: cumq. ciuitas eadem acerrime oppugnaretur, sanctus martyr Christi Ianuarius & alij Abbates a Principe sæpe conspiciebantur armati per castra discurrere. putans autem Episcopum esse, interrogabat cur contra ordinem suum ad pugnam cum lancea scutatus exiret. Cui Archiepiscopus respondens: Ego, inquit, vt tu vir illustrissime conspicis, multis iam diebus æger in lectulo decubo; ille autem armatus quisnam sit, ipse videris. Scias tamen sanctum Ianuarium hanc protegere ciuitatem. Princeps vero dictis eius derogans fidem, vrbem oppugnare persistebat. In ea vero obsidione, cum prius ab excommunicatione absolutus esset, defunctus est. succesſitq. ei Iordanis filius &c.] Quando autem ipse Robertus Dux fuerit absolutus, suo loco dicturi sumus; non enim ante annum Gregorij Papæ septimum, Domini vero octogesimum post millesimum ipse Robertus Dux obediens Ecclesiæ absolui meruit, vt ex eius iuramento [d] fidelitatis tunc præstito satis apparet.

NEAPOLITANI OPE S. IANVARII LIBERATI.

[d] Greg. lib. 2. in princ. & lib. 9. ep. 4.

Porro de eodem Roberto inuasore rerum Ecclesiæ Romanæ, hoc anno mense Octobris, hæc scribit idem Gregorius ad Beatricem atque Mathildem: [e] Præterea scitote Robertum Guiscardum sæpe supplices Legatos ad nos mittere, & tantæ fidelitatis securitatem se in manus nostras dari cupere, vt nemo vmquam firmiori obligatione securitatem se cuilibet domino debeat, vel possit astringere. Sed nos non incertas rationes, cur illud sit adhuc differendum, considerantes: supernæ dispensationis & Apostolicæ procurationis consilia præstolamur] hæc Gregorius.

[e] Id. lib. 2. ep. 9.

Vt autem ad Synodum reuertamur, diuersorum Episcoporum atque Abbatum causæ ibi tractatæ sunt, atque synodali sententia, decretoq. Apostolico definitæ, vt apparet ex pluribus [f] epistolis eiusdem Pontificis ex Synodo datis. Inter quas non prætermittendum dicere de causa Pictauiensium canonicorum, vt Episcopus vel eius loco Decanus, vel alius in dignitate constitutus ius retineant certis diebus cantandi Missam in aliena ecclesia, exempta scilicet, hocq. seruari consueuisse Romæ in stationibus, atque in alijs orbis partibus. In eadem Synodo pariter ab eodem Gregorio Papa sancitum esse decretum, vt Hispaniarum ecclesiæ Romanum ordinem atque officium reciperent, ipsius Gregorij Papæ litteræ [g] testantur, quod & Episcopi Hispaniarum qui Synodo interfuerunt, facere promiserunt, vt idem affirmat. Insuper lectæ fuerunt in Synodo litteræ Geisæ Hungariæ Regis ad Gregorium Papam scriptæ, quibus idem Rex significabat suum erga Apostolicam Sedem incomparabile studium & obseruantiam, petens ne aduersantes sibi hostes aliquid contra ipsum ad eamdem ferentes audiantur, eisq. fides adhibeatur. Ad quem ex eadem Synodo Gregorius [h] respondet, laudans eius officium erga Romanam Ecclesiam, spondens ab eadem quidquid amoris & beneficij erga filium mater consueuerit adhibere. In eadem item Synodo Guillelmus Episcopus Bellouacensis dignum exhibuit specimen Christianæ charitatis & Episcopalis modestiæ, vt qui grauissima passus a suis tam clericis quam laicis, quorum

[f] Id. lib. 1. ep. 51. 52. 53. 54. 56. 57.

[g] Id. lib. 3. epist. 11. & sup. lib. 1. ep. 64.

[h] Id. lib. 1. epist. 58.

MODESTIA PICTAVIENSIS EPISC.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum causa ijdem excommunicati fuissent: tantum abest vt aduersus eos conquestus A
sit, vt etiam pro eis Pontificem rogaret, & absolutionem ab eodem Pontifice ab excommunicatione impetraret.

LVCENSES VOCATI ROMAM.

Ad hoc idem quod celebratum est Romæ a Gregorio Papa Concilium, inter alios vocati Lucenses canonici ad dicendam causam, quod aduersus sanctum Anselmum suum ipsorum Episcopum conspirassent. Ista autem quomodo se habuerint, petenda sunt ab ipso presbytero, qui res ab eo gestas conscripsit, & agens de ipso, cum ex monasterio inuitus est ad suam ecclesiam reuocatus, dicere pergit, quomodo mox suos canonicos ad regularem obseruantiam reducere laborauit: siquidem sub decreto anathematis statuerat Leo Papa Nonus, vt eiusdem ecclesiæ canonici vitam agerent communem & viuerent regulariter. de quo scriptor vitæ ipsius idem presbyter pœnitentiarius B. nomine (hoc tantummodo elemento in vita ipsius prolixiori quam accepimus a Constantino Caietano monacho Cassinensi, nomen auctoris exprimitur) B
hæc habet: Cuius sancti Leonis decreti quoties vidit, aut recordatus est præceptum, expauit, nec tacere ausus fuit] Porro quam huius rei causa diram ab ijsdem subiectis sibi canonicis passus sit persecutionem, cum nec Mathildis ipsa id eisdem licet multum conata fuisset, persuadere potuisset, nec denique Gregorius Papa, idem auctor mox subijcit ista:

QVID GREG. PAPA CVM LVCENSIBVS.

Accidit autem, vt ad eamdem ciuitatem sanctissimus Papa Gregorius Septimus veniret, perlatumq. est ad ipsum illud negotium. Qui mox incipit paterno illos primum affectu admonere ac dicere; quoniam Romani Pontificis decreta præterire non licet: rogat eos & suadet benigne, quatenus saluberrimis obediant decretis, & reuerentissimi patris exequantur voluntatem. nec semel, aut bis, sed sæpe ac multum, ali- C
quando cum eodem S. Episcopo, interdum sine ipso alloquitur illos tum dure, tum blande, proferens eis Scripturas sanctas & auctoritates authenticas.

POENA LVCENSIVM.

Illi vero etsi humiliter se beata quandoque monita finxerunt audire, omnia tamen absentes deprauarunt. vocantur denique ad Sedem Apostolicam; ibiq. conspiratores in proprium Episcopum & insidiatores detecti sunt. Prolatis ergo canonibus, & lecto capitulo sancti martyris & Episcopi Fabiani, qui conspiratores & insidiatores suorum Episcoporum curiæ tradendos instituit: iudicio totius sanctæ Synodi etiam ipsi curiæ traduntur. Tunc fidelis illa & prudens Marchionissa Mathilda seruos illos appellans, in seruitutem curiæ vocauit eos. Quamobrem triste præterquam credi potest, etiam aduersus ipsam quotquot potuerunt, conspirare fecerunt] hæc ibi de rebus gestis in Romano Concilio in causa Lucensi. de quibus admonendum puta- D
mus Lectorem: desiderari omnia ista de persecutione Lucensium canonicorũ in suum Episcopum sanctum Anselmum, in vita eiusdem, quam Luca missam accepimus, decurtata olim haud dubium, ab aliquo ipsorum, ne eiusmodi ignominia fugillati reperirentur maiores eorum. sed haud omnia in diuersis locis sparsa exemplaria, quisquis ille fuerit, potuit mutilasse. sed quænam ista secuta sint, idem presbyter pœnitentiarius sic subdit:

CONC. AD S. GENESIVM CONTRA LVCENSES.

Conuenerunt ergo quamplures iterum Episcopi apud sanctum Genesium, quod castrum a ciuitate Lucana non multum distat, inter quos reuerentissimus Albanensis Episcopus nomine Petrus (*Igneus cognomento dictus*) vicem domini Papæ agebat, qui cum eodem Lucensi Episcopo sancto Anselmo & cum reliquis omnibus conspiratores illos excommunicauit. Vnde insolabiliter illi dolentes & indignantes, totam ciuita- E
tem malitiose commouerunt, atque freti auxilio perditissimi hominis quondam dicti Henrici Regis, religiosissimum Episcopum a ciuitate repulerunt, sed & prædictæ dominæ Mathildæ rebelles penitus facti sunt. Huius itaque conspirationis nefariæ caput & princeps fuit quidam nomine Petrus, falsa professione canonicus, ordine diaconus, mente superbus, incontinens moribus, verbis procax, corpore incompositus, vir sanguinum, & fomes omnium spurcitiarum, qui propter immensitatem malitiæ suæ, factus est subito contumax præco Henricianæ tyrannidis] cuius principis factione & gratia, viuente adhuc ipso sancto Anselmo eiusdem Lucanæ ciuitatis, idem Petrus est intrusus pseudoepiscopus, factus postmodum Guiberti pseudopapæ audacissimus defensor, obstinatissimusq. sectator, occupans omnia quæ erant Episcopatus, ita vt vnum tantum castrum remansisse sancto Anselmo, idem auctor affirmet.

A firmet. porro virum sanctissimum a sua ecclesia sic extorrem apud Mathildem vitam agere Gregorius Papa præcepit, vt superius hoc eodem anno dictum est.

GREGORIVS PARAT BELLVM ADVERSVS NORTHMANNOS ET SARRACENOS.

Inter hæc autem Gregorius, cui vniuersalis gregis cura commissa, erga omnes studio immenso & cura propensiori vigilans, & pro omnibus paterna exæstuans charitate, vt omnibus in angustia positis sit adiumento, animo indefesso laborat, vt secundum illud [a] Apostoli acciderit ipsi: Præter illa quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium ecclesiarum: quis infirmatur & ego non infirmor? quis scandalizatur & ego non vror?] dum videlicet eodem tempore, quo in gestis synodalibus totus esset, & mole negotiorum obrueretur, de habendo delectu militum cogitat aduersus Northmannos Campaniam inuadentes, & contra Sarracenos Constantinopolim perurgentes. De his enim hoc ipso anno, dum instaret Synodus, nempe quarto Nonas Februarij, ad Guillelmum Burgundiæ Comitem & Ecclesiæ Roma- B
næ fidelem [b] scribens, ab eo secundum promissionem suam factam Alexandro Papæ prædecessori suo milites exigit: sed quo sit animo in expeditione paranda, ad finem epistolæ ita declarat: Hanc autem militum multitudinem non ideo coaceruare curamus, vt ad effusionem sanguinis Christianorum intendamus; sed vt ipsi videntes expeditionem, dum confligere timuerint, facilius subdantur iustitiæ. Speramus etiam quod forsitan alia inde vtilitas oriatur, scilicet, vt pacatis Northmannis, transeamus Constantinopolim in adiutorium Christianorũ, qui nimium afflicti creberrimis morsibus Sarracenorũ, inhianter flagitant, vt sibi manum nostri auxilij porrigamus. Nam contra eos Northmannos, qui nobis rebelles sunt, satis sufficiunt milites isti, qui nobiscum sunt] at quo stipendio conduxerit auxiliares copias Pontifex audi: Certus esto, C
quoniã te & omnes qui tecum in expeditione fuerint fatigatis duplici, immo multiplici remuneratione (vt credimus) Petrus & Paulus principes Apostolorum donabunt]

[a] 2. Cor. 11.

[b] Greg. lib. 1. ep. 46.

QVO ANIMO PONTIFICES PARENT BELLVM.

Cedere tandẽ militari potentiæ, qui spirituali nõ cesserunt (vt vidisti) coactis Northmannis, idem Gregorius, vti instituerat, in Orientalium Christianorum auxilium expeditionem parat. At quanam tuba milites colligit? litteris vtique Apostolicis, ijsdemq. duplicibus, quarum istæ primæ datæ habentur hoc [c] anno Kalendas Martij his verbis:

[c] Id. ibid. epist. 49.

AD CHRISTIANOS OMNES PRO EXPEDITIONE ORIENTALI.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei omnibus Christianam Fidem defendere volentibus salutem & Apostolicam benedictionem.

Notum vobis esse volumus, hunc virum præsentium portitorem, dum de vltramarinis nuper reuerteretur partibus, Apostolorum Limina, & nostram præsentiam visitasse. A quo, sicut a plerisque alijs, cognouimus, gentem Paganorum contra Christia- D
num fortiter inualuisse Imperium, & miseranda crudelitate, iam fere vsque ad muros Constantinopolitanæ ciuitatis omnia deuastasse, & tyrannica violentia occupasse, & multa millia Christianorum quasi pecudes occidisse. Qua de re, si Deum diligimus, & Christianos nos esse cognoscimus, pro miseranda fortuna tanti Imperij, & tanta Christianorum clade nobis valde dolendum est. Et non solum dolere super hac re, debitæ sollicitudini nostræ sufficit, sed animas pro liberatione fratrum ponere, exemplum Redemptoris nostri, & debitum fraternæ charitatis a nobis exigit. Quia [d] sicut ipse E
pro nobis animam suam posuit, & nos debemus pro fratribus nostris animas ponere. Scitote igitur nos in misericordia Dei, & in potentia virtutis eius confisos, omnibus modis id agere, atque parare, vt adiutorium Christiano Imperio, quam citius, Deo iuuante, faciamus. Vnde vos per fidem, in qua per Christum in adoptionem filiorum Dei vniti estis, obsecramus, & auctoritate beati Petri Apostolorum principis admonemus, vt & vos vulnera & sanguis fratrum, & periculum præfati Imperij digna compassione moueat, & vestra virtus pro Christiano nomine non inuitam fatigationem ad ferenda fratribus auxilia subeat. Quidquid autem super hac re diuina pietas vestris animis indiderit, sine mora certis legationibus nobis renuntiare studete. Dat. Romæ Kal. Martij Indictione xij.] Rursum ad eos, & nominatim ad Vltramontanos sic: [e]

[d] Ioan. 10.

[e] Greg. lib. 2. ep. 37.

AD GERMANOS PRO EXPEDITIONE ORIENTALI PAPAE LITTERAE.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei, omnibus fidelibus sancti Petri, maxime Vltramontanis, salutem & Apostolicam benedictionem.

Ad vos iam peruenisse credimus, quæ sit nostra voluntas, & quid ex parte sancti Petri dixerimus de adiutorio faciendo fratribus nostris, qui vltra mare in Constantinopolitano Imperio habitant, quos diabolus per seipsum a Fide Catholica conatur auer-

Universidad de Deusto
Biblioteca

auertere,& per membra sua non cessat quotidie quasi pecudes enecare crudeliter. Sed A
quia nostris inuidet bonis desiderijs, tentat, si potest nos impedire, ne illi, gratia diuina largiente, liberentur; & nos dando animas nostras pro fratribus nostris, coronemur. Proinde ex parte beati Petri rogamus, monemus, & inuitamus, vt eo modo, quo portitor horum dixerit, ad nos quidam vestrum veniant, qui Christianam Fidem vultis defendere, & cælesti Regi militare, & cum eis viam, fauente Deo, præparemus omnibus, qui cælestem nobilitatem defendendo per nos vltra mare volunt transire, & quod Dei sunt filij, non timent ostendere. Itaque fratres charissimi, estote ad pugnandum fortissimi pro laude illa & gloria, quæ omne desiderium superant, qui hactenus fortes fuistis pugnare pro rebus quas non potestis detinere, nec sine dolore possidere. Nam per momentaneum laborem æternam potestis acquirere mercedem. Omnipotens Deus, qui omnem legem suam in præcepto abbreuiauit charitatis, det vobis se toto corde, tota anima, tota virtute diligere; vt proximos vestros sicut vosipsos diligentes, mereamini, si oportuerit, pro eis animas vestras ponere. Dat. Romæ decimoseptimo Kal. Ianuarij, Indictione decimatertia] in fine videlicet anni præsentis. tamdiu enim variæ obortæ occasiones cœptum opus præter Gregorij Papæ voluntatem & studium sunt remoratæ. B

COLLECTA MILITVM PRO DEFENSIONE ORIENTALIS IMPERII.

Iam plusquam quinquaginta millia militum religiosæ militiæ nomen dederant, & ipse Gregorius erat in procinctu profectionis in Orientem, vt magno Christianæ religionis bono, non solum Sarracenos exercitu expugnaret, sed Orientalem ecclesiam schismate ab Occidentali diuisam vniret, Armenos a Fide Catholica penitus aberrantes ad rectæ Fidei tramitem restitueret; insuper si Deus annuisset, Hierosolymam peruenire: cum timens (quod accidit) ne Henrici Regis inconstantia, fides dubia, animus duplex, & in Sedem Apostolicam parum æquus ab instituto diuinitus cœpti operis eum auerteret, anteuertens ipse, litteras ad eum dedit, quibus quam esset erga eum benigno animo declarauit, & quanti ponderis pro Christiana religione moliretur opus, significauit; & vt cum participatione ipsius cuncta perficiat, ab eo consilium petijt; sed & qua esset erga ipsum fiducia patenter aperiens, ipsum sui loco relinquere Romanæ Ecclesiæ defensorem, ijsdem litteris reddere voluit certiorē. Sed præstat hæc omnia eius verbis audire. In epistola enim tunc ad ipsum Regem data [a] ista leguntur post nonnulla de paterna erga ipsum beneuolentia verba præmissa: C

[a] Greg. lib. 2. ep. 31.

GREG. PAPA PARAT PROFECTIONEM IN ORIENTEM.

Præterea indico tuæ magnitudini, quia Christiani ex partibus vltramarinis, quorum maxima pars a Paganis inaudita clade destruitur, & more pecudum quotidie occiditur, gensq. Christiana ad nihilum redigitur, ad me humiliter miserunt, nimia compulsi miseria implorantes, vt modis quibus possem eisdem fratribus nostris succurrerem, ne Christiana religio nostris temporibus (quod absit) omnino depereret. Ego autem nimio dolore tactus, & vsque ad mortis desiderium ductus (magis enim vellem pro his animam meam ponere, quam eos negligens, vniuerso orbi ad libitum carnis imperare) procuraui Christianos quosque ad hoc prouocare, ad hoc impellere; vt appetant defendendo legem Christi animam suam pro fratribus ponere; & nobilitatem filiorum Dei luce clarius ostentare. Quam admonitionem Italici & Vltramontani Deo inspirante (vt reor, immo etiam omnino affirmo) libenter acceperunt, & iam vltra quinquaginta millia ad hoc se præparant; vt si me possunt in expeditione pro duce ac Pontifice habere, armata manu contra inimicos Dei volunt insurgere, & vsque ad sepulchrum Domini, ipso ducente, peruenire. Illud etiam me ad hoc opus permaxime instigat, quod Constantinopolitana Ecclesia de sancto Spiritu a nobis dissidens, concordiam Apostolicæ Sedis expectat. Armeni etiam fere omnes a Catholica Fide aberrant; & pene vniuersi Orientales præstolantur quid fides Apostoli Petri inter diuersas opinines eorum decernat. Instat enim nostro tempore, vt impleatur quod pius Redemptor speciali gratia dignatus est Apostolorum Principi indicare ac præcipere, dicens: [b] Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Et quia patres nostri, quorum vestigia, licet indigne, sequi optamus, partes illas pro Fide Catholica confirmanda sæpe adierunt; nos etiam adiuti precibus omnium Christianorum (si Christo duce via patuerit, quia non est via hominis in manu eius, & a Domino gressus hominis diriguntur) illuc transire pro eadem fide & Christianorum defensione compellimur. sed quia magna res magno D

[b] Luc. 22.

A gno indiget consilio, & magnorum auxilio, si hoc Deus me permiserit incipere: a te quæro consilium, & vt tibi placet, auxilium. Quia si illuc, fauente Deo, iuero: post Deum tibi Romanam Ecclesiam relinquo, vt eam & sicut sanctam matrē custodias, & eius honorem defendas. Quid tibi super his placeat, & quid prudentia tua diuinitus aspirata decernat, mihi quantocyus potes, remittas. Nam si de te plusquam plurimi putent, non sperarem, verba hæc frustra proferrem; sed quia forsan non est homo, cui de sinceritate dilectionis meæ adhuc indubitanter credas; Spiritui sancto, qui omnia potest, committo, vt menti tuæ suo more indicet, quid tibi cupiam, quantumve diligam: & eodem modo circa me tuam mentem componat, vt impiorum desiderium depereat, & bonorum accrescat. Hæc enim duo desideria circa nos duos, licet diuerso modo, incessanter inuigilant, & secundum voluntatem eorum, a quo prodeunt, de-

B certant &c.] hæc Gregorius ad Regem Henricum, qui tantum bonum interuertit, dum Saxonicæ expeditioni totus intentus, quæque magna illi postponenda putauit. Cum interea Orientalium rerum euentus felicior renuntiatus, feruorem expeditionis illius minuit, vt ex litteris [a] eiusdem Gregorij ad Comitē Pictauiensem datis apparet.

[a] Greg. lib. 2. ep. 3. in fin.

SANCII REG. OBEDIENTIA ERGA SEDEM APOST.

Inter hæc autem contigit, ipsum Gregorium Papam accipere litteras a Sancio Aragoniæ Rege (est eius nominis Quartus, religione præstans, & bellica fortitudine haud impar) quibus idem Rex maxime pius significarat, se iuxta eiusdem Pontificis iussionem per Legatum illuc missum expressam, recepisse in sacris ritibus officium Romani ordinis obseruandum: ad quem idem Gregorius mense Martij ista rescripsit: [b]

[b] Id. lib. 1. ep. 63

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei Sancio Regi Aragonensi salutem & Apostolicam benedictionem.

C Litteras nobilitatis tuæ suauitate plenas læti suscepimus, in quibus, quanta fidelitate erga principes Apostolorum Petrum & Paulum ac Romanam Ecclesiam ferueas, satis perspeximus: quam, tametsi litteras tuas nullas videremus, per Legatos Apostolicæ Sedis euidenter compertam habebamus In hoc autem, quod sub ditione tua Romani ordinis officium fieri studio & iussionibus tuis asseris: Romanæ Ecclesiæ te filiū, ac eam concordiam & eamdē amicitiam te nobiscum habere, quam olim Reges Hispaniæ cum Romanis Pontificibus habebant, cognoscēris. Esto itaque constans, & fiduciam firmam habeas, & quod cœpisti perficias: quia in Domino IESV Christo confidimus, quia beatus Petrus Apostolus, quem Dominus IESVS Christus Rex gloriæ principem super regna mundi constituit, cui te fidelem exhibes, te ad honorē desiderij tui adducet, ipse te victorem de aduersarijs tuis efficiet. Cum enim Dominus filium

ORDO ET OFFICIVM ROMANVM RECEPTVM PRIMO AB ARAGONENSIBVS.

D amat, [c] flagellat, & castigat. Melius & vtilius ex aduersis peruenitur ad prospera. Qui enim dicit ridentibus: Væ vobis, quia flebitis; [d] ipse lugentes beatos asserit, quoniam ipsi consolabuntur. De Salomone autem ad præsens nihil respondimus, quoniam accusationem per litteras, eo absente, qui accusat, sacri canones non recipiunt. Est quoque aliud, quod Legatus noster, qui ad partes illas his temporibus fuit, aberat, & sine eo iudicium inde dare noluimus. Eo vero reuertente, habebimus, Deo fauente, consilium, & ad vos Nuntium nostrum mittemus, qui hanc & alias necessarias causas diligenti examine perquirens, singulis quibusque iustæ determinationis finem imponet. Datum Romæ decimotertio Kal. Aprilis, Indictione duodecima] Aliæ adhuc extant eiusdem Pontificis ad eumdem Regem litteræ, [e] de quibus suo loco dicemus.

[c] Hebr. 12.
[d] Matth. 5.
[e] Id. lib. 2. ep. 50

SANCIVS REX ARAG. A GREG. PAPA IMPETRAT PRIVILEGIVM.

E Qui res Aragonensium nouissime magna cum laude prosecutus est Hieronymus Blanca, & inscribendo antiquos historicos ecclesiasticos imitatus, quæcumque potuit, vetera monimenta summa industria perquisita, quo fidem suam legentibus optime testatam relinqueret, verbatim reddere consueuit, cui eo nomine ecclesiastica antiquitas plurimum debeat reddita luce: recitat eiusdem Regis Sancij priuilegium, concessum monasterio sancti Ioannis, in quo ista, quæ ad eiusdem Pontificis Gregorij Papæ tempora spectant, ita leguntur: Ad confirmanda priora bene acta Abbatem Sancium eiusdem monasterij iterum * Romæ ad beatissimum Papam Gregorium Septimum misi, rogans eum, vt ipse benigne prædictum locum Apostolica auctoritate, & sua munire (sicut antecessor eius fecerat) facere non dedignaretur, quod, secundum quod popposceram, ipsi libentissime fecerunt] hæc ibi:

* Romam

Porro eidem Sancio Regi Aragonensi summæ cedit laudi, quod quantum ex eius-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dem Pontificis litteris apparet, ipse primus absque mora in recipiendo Romano ordine in sacris ritibus, eidem Gregorio hæc per Legatum iubenti obtemperauit, reliquis adhuc nutantibus Regibus, & alijs rursus eiusdem Gregorij Papæ admonitionibus indigentibus. Nam qua die & Indictione datæ leguntur Gregorij Papæ litteræ ad Sancium Aragoniæ Regem, ijsdem scriptæ habentur ab eodem Pontifice litteræ ad Alphonsum & Sancium Castellæ in Hispania Reges, & Episcopos eodem argumento, quæ sic se habent: [a]

[a] *Greg. lib. 1. ep. 64.*

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei, Alphonso & Sancio Regibus Hispaniæ a paribus, & Episcopis in ditione sua constitutis, salutem & Apostolicam benedictionem.

Cum beatus Apostolus Paulus [b] Hispaniam se * adijsse significet, ac postea septem Episcopos ab Vrbe Roma ad instruendos Hispaniæ populos a Petro & Paulo Apostolis directos fuisse, qui destructa idololatria, Christianitatem fundauerunt, religionem plantauerunt, ordinem & officium in diuinis cultibus agendis ostenderunt, & sanguine suo ecclesias dedicauere, vestra diligentia non ignoret; quantam concordiam cum Romana Vrbe Hispania in religione & ordine diuini officij habuisset, satis patet. sed postquam vesania Priscillianistarum diu pollutum, & perfidia Arrianorum deprauatum, & a Romano ritu separatum, irruentibus prius Gothis, ac demum inuadentibus Sarracenis regnum Hispaniæ fuit, non solum religio est diminuta, verum etiam mundanæ sunt opes labefactæ. Quapropter vt filios charissimos vos adhortor & moneo, vt vos sicut bonæ soboles, etsi post diuturnas scissuras, demum tamen vt matrem reuera vestram, Romanam Ecclesiam recognoscatis, in qua & nos fratres reperiatis, Romanæ Ecclesiæ ordinem & officium recipiatis, non Toletanæ, vel cuiuslibet aliæ, sed istius, quæ a Petro & Paulo supra firmam petram per Christum fundata est, & sanguine consecrata, cui portæ inferni, id est, linguæ hæreticorum, numquam prævalere potuerunt, sicut cetera regna Occidentis & Septemtrionis, teneatis. Vnde enim non dubitatis vos suscepisse religionis exordium: restat etiam vt inde recipiatis in ecclesiastico ordine diuinum officium, quod Innocentij Papæ ad Eugubinum directa Episcopum vos docet epistola, quod Hormisdæ ad Hispalensem missa decreta insinuant: quod Toletanum & Bracarense demonstrant Concilia: quod etiam Episcopi vestri ad nos nuper venientes iuxta constitutionem Concilij per scripta sua facere promiserunt, & in manu nostra firmauerunt] fuisse autem in his Gregorio plurimum laborandum, litteræ eiusdem ad Simeonem datæ [c] significant, sed de his inferius suo loco. Meminit in eisdem litteris de Paulo Episcopo cognomento Munione, qui apud Legatos simoniæ fuerat accusatus, quem venisse Romam, causamq. dixisse, & innocentem repertum fuisse absolutum, aliæ eiusdem Pontificis ad Adefonsum Regem litteræ [d] datæ declarant.

[b] Id. lib. 3. ep. 18

[d] Id. lib. 1 ep. 83

* adire decreuisse

b Rom. 15.

GREG. PAPAE EPIST. AD ALPHONSVM ET SANCIVM REG.

Non prætereat, quod in titulo epistolæ datæ ad Reges Adefonsum & Sancium eos simul a paribus ponat, quo plane significat, adhuc ambos Hispaniarũ Reges regnare, necdum bello ciuili inter eos oborto separatos, & alterum eorum extinctum. Vnde erroris arguas, qui ponunt Sancium anno superiori iam occisum esse, Alphonsumq. hoc anno solum regnare cœpisse. Epistolaris auctoritas in his præsertim, quæ ad consignanda certa tempora spectant, sententia omnium, omnibus est præferenda. Sed quæ ab alijs prætermissa, ab Hugone [e] autem in rebus gestis sancti Hugonis Abbatis Cluniacensis fideliter scripta leguntur de his, quæ passus est a Sancio fratre Alphonsus, siue Adefonsus, hic recitanda putamus. Auctor enim viuebat hoc tempore, & quæ scripsit satis perspecta habuit, qui ait: Sed etiam Adefonsum Hispaniæ Regem liberauit. Eum namque frater eius Sancius regno priuauerat, captum & catenatum carceri mancipauerat. Illi vero pius Hugo Abbas Cluniacensis compatiens, pro eo apud Dominum precibus instabat; & Apostoli Petri confidens meritis, a Domino eum absolui poscebat. Nec mora beatus Petrus Apostolus cuidam Fratri in Cluniaco apparuit, preces Hugonis pro Adefonsi ereptione Deum admisisse reuelauit. Fecit etiam Adefonso illud in carcere nuntiari. Porro Sancio in somnis sub graui commination præcepit, vt cito Adefonsum restitueret, nec differre ausus esset. Sancius terrore correptus, Adefonsum statim restituit. Restitutus ille, Deo, & liberatori suo gratias egit, censumque, quem pater suus Ferdinandus quotannis Cluniacensi mona-

[e] *apud Sur. to. 2 die 29. April.*

S. HVGO ABBAS CLVNIAC. LIBERAT ADEFONSVM REG. A VINCVLIS.

sterio soluendum instituit, ipse duplicauit, ducentas & quadraginta auri vncias annuatim reddens] hæc Hugo in Hugone, quem hoc anno Gregorius Papa datis ad eum litteris, remorantem nimis summa instantia Romam vocauit. Vtebatur enim eo Consiliario, quem Dei amicum pollentem sancti Spiritus charismatibus cognoscebat.

Dedit ergo ad eum Gregorius hoc anno [a] litteras, eadem die, qua ad Reges Hispaniæ scripsisse diximus, nempe decimoquarto Kal. Aprilis xij. Indictione, in quibus hæc inter alia habet post querelas, quod sæpe rogatus ab eo Romam venire destitisset, & ob tantam moram ipse Gregorius nonnihil perturbatus esset: Quapropter, inquit, etsi commoti, dilectionem vestram intimo admonemus affectu, vt nos in multis & magnis angustijs positos quantocyus visitare curetis. Portamus enim quamquam infirmi, quamquam extra vires ingenij & corporis, soli tamen portamus in hoc grauissimo tempore non solum spiritualium, sed & sæcularium ingens pondus negotiorum, & casum nostrum quotidie ex imminenti sarcina formidamus, qui sustentationis auxilia in hoc sæculo nequam reperire nequimus. Vnde per omnipotentem Dominum rogamus, vt Fratres vestros (sicut ab initio ordinationis nostræ postulauimus) pro nobis iugiter orare Deum commoneatis, quoniam nisi illorum & aliorum Fidelium interuentibus, diuina suffragia mereamur; nostrum, & (quod magis timemus) Ecclesiæ periculum euitare non poterimus. &c.] hæc Gregorius vallatus angustijs, quæ hic voluimus describisse, vt quales homines, quos nosceret sanctitate præcipuos, adhibere consueuerit in consilijs, intelligatur; & quibus niteretur auxilijs, nempe Sanctorum precibus in cunctis Ecclesiæ perturbationibus, pariter innotescat: quo sciatur, eum in administratione vniuersalis Ecclesiæ omnes expleße numeros optimi Præsulis.

[a] *Greg. lib. 1. ep. 62.*

GREG. VTITVR CONSILIARIO HVGONE ABBATE CLVN.

Sed quid mirandum eidem sanctissimo viro Hugoni Romam venienti acciderit in itinere, ab eodem Hugone Cluniacensi monacho eius vitæ scriptore audiamus: Romam proficiscens aliquando pater Hugo, arctissimam a prominentis rupis latere viam ingressus est. erat inferius terribilis profunditas, ita vt metu præcipitij vix vmquam viatores audeant intueri. præcedentibus itaque alijs post alios præ timore socijs, sequebatur pater mente & oculis, dextraq. pariter ad cælum leuatis, sinistra mulæ habenas tenebat, & oratione suspensus, Domino totus inhiabat. Propter transeuntes quædam paupercula mulier ibi in breuissimum arduæ rupis foramen sese receperat. Mula vero cui Sanctus insidebat, vbi latitantem illam subito aspexit, * misere pauefacta, ilico resilit, & resiliens tota in immane profundum cum sancto viro cadit. Vbi Sanctus, vt antea, sic etiam cadendo mentem & oculos, dextramq. ad cælum erectam tenebat. Cadebat quidem corpore, sed immotus cum Domino stabat mente: prævaluitq. stabilitas mentis, suaq. sedens mula inuisibiliter reportatus ab infimis, viæq. est redditus totus incolumis. Videte charissimi videte patrem de morte redeuntem, admiramini de funere resurgentem. Sed qui Ionam in mare præcipitatum de profundo abyssi, de ventre cæti clamantem ad se liberare voluit; etiam hunc orantem omnipotenti misericordia sanum a ruina leuauit. Vidit Vincentius, qui in laico habitu fideli sedulus obsequio Sanctum sequebatur, qui adhuc supereſt, & se vidisse testatur] hæc de S. Hugone, quem superius diximus frequentare consueuisse Limina Apostolorum, de quo & inferius suis locis sæpe dicendum.

* mitifice

S. HVGONI ROMAM VENIENTI QVID IN VIA ACCIDERIT.

Inter hæc autem perferuntur Romam litteræ a Guillelmo Anglorum Rege, & ab eius coniuge Mathilde Regina ad Gregorium Papam, quibus de ipsius in Pontificem electione gratulatur, qui de obitu prædecessoris Alexandri Papæ cui plurimum debebat, tristatus erat. Accepit litteras, & acceptauit officium ipse Gregorius; ad Regemq. ipsum scripsit eruditionis plenas Apostolicas litteras, [b] & alias ad Reginam, [c] quam vt maxime piam feminam hortatur, vt viro sit adiumento in ijs, quæ spectant ad animæ ipsius salutem, dicens: Insta viro tuo, animæ vtilia suggerere ne desinas: certum est enim, si vir infidelis per mulierem fidelem (vt ait [d] Apostolus) saluatur; vir etiam fidelis per mulierem fidelem in melius augmentatur] Datæ sunt litteræ Gregorij ad eos hoc anno pridie Nonas Aprilis, quibus etiã meminit de Legatis Apostolicæ Sedis Petro & Ioanne in Angliam missis, deq. redditibus S. Petri Regis opera exigendis. Quod ad Guillelmum Regem ipsum pertinet, hic præ ceteris Christianis Regibus borealibus a Gregorio Pontifice commendatur: nam cum Henricum Germaniæ Re-

GVILLELMI REG. ANGLIAE ET REGINAE OFFICIVM ERGA GREG.

[b] *Id. ibid. ep. 70*
[c] *Id. ep. 71.*
[d] *1. Cor. 7.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

GVILLELMVS REX ANGLIAE LAVDATVR.

gem sit passus persecutorem, Philippum Francorum Regem ecclesiarum expilatorem (vt prætermittamus dicere de Roberto Guiscardo inuasore, Godefredo Lotharingio præuaricatore, & alijs, de quibus suis sæpe litteris queritur) hic optimus habetur comparatione malorum, de quo hæc ipse: [a] Rex Anglorum licet in quibusdam non ita religiose (sicut optamus) se habeat: tamen in hoc, quod ecclesias Dei non destruit, neque vendit; & pacem iustitiamq. in subditis suis moderari procurat; & quia contra Apostolicam Sedem, rogatus a quibusdam inimicis Crucis Christi, pactum inire, consentire noluit; presbyteros vxores, laicos decimas quas detinebant, etiam iuramento dimittere compulit: ceteris Regibus se satis probabiliorem, ac magis honorandum ostendit. Vnde non indignum debet existimari, potestatem illius mitius esse tractandam, atque respectu probitatis ipsius, subditorum & eorum quos diligit, negligentias ex parte fore portandas. &c.] magnam quidem tunc temporis comparauit sibi laudem ex eo Guillelmus Rex Angliæ, quod, cum promulgata essent sancita hoc anno synodalia decreta de cælibatu clericorum aduersus concubinarios, & aduersus simoniace ordinatos, atque contra laicos ecclesiarum decimas occupantes, tumultuantes regia auctoritate compresserit.

[a] Greg. lib. 9. ep. 5.

Quo pariter anno celebrata in Anglia Synodus reperitur, in qua sanctus Vulstanus deponitur, sed magno Dei miraculo restituitur. habes de ea in rebus gestis eiusdem [b] sancti Vulstani.

[b] apud Sur. to. 1. die 19. Ian.

LEGATIO PHILIPPI REG. FRANC. AD GREG. PAPAM.

Eodem tempore a Philippo Francorum Rege Legatos Gregorius Papa suscepit simul & litteras, quibus idem Rex iam antea redargutus ob illata in ecclesias damna, pariturum se eius iussis significaret. Ad quem Gregorius rescribens, [c] vbi eius mentis propositum litteris, ac per Legatos declaratum magnopere commendauit, admonuit, vt per eum illata detrimenta ecclesiæ Bellouacensi emendare non prætermitteret. Quænam autem ista fuerint, haud satis apparet, sed enormia satis fuisse, idem Gregorius litteris [d] eadem die, nempe Idibus Aprilis, datis ad Clerum & populum Bellouacensem aperit, quibus asserit, eos omnes ob inaudita, detestanda, & abominanda scelera perpetrata fuisse anathemate condemnatos, intercessione vero ipsorum Episcopi Guillelmi absolutos in Synodo Romæ proxime celebrata. Inter alia autem ista notatu digna, litteris ad Regem redditis, eidem consideranda proponit, dicens: [e] Attendere enim te nobiscum & diligenter considerare volumus, in quanta dilectione Sedis Apostolicæ, quantaq. gloria & laudibus fere per orbem terrarum antecessores tui Reges clarissimi & famosissimi habiti sunt, dum illorum regia maiestas in amplificandis & defendendis ecclesijs pia ac deuota constitit, in tenendo iustitiam libera ac

[c] Id. lib. 2. ep. 74.

[d] Ibid. ep. 74.

[e] Id. ep. 75.

REGNVM FRANCORVM PRO CVLTV RELIGIONIS, VEL STETIT, VEL DECIDIT.

distracta permansit. Postquam vero diuina & humana iura subuertendo tanta virtus in posterioribus cœpit hebescere: totius regni gloria, decus, honor, & potentia, cum peruersis moribus immutata sunt, & nobilissima fama & status regni a culmine suæ claritatis inclinata sunt. Hæc quidem & alia talia frequenter, & si oportet, aspero etiam sermone tibi inculcare, suscepti nos officij cura compellit. Quoniam licet verbum prædicationis abscondere & vspiam tacere, non sit nobis tutum, aut liberum; tamen quanto dignitas est amplior & persona sublimior, tanto propensiorem curam & clamorem pro eius rectitudine nos habere conuenit. &c.] At vero nihil profecisse ex ijsdem Gregorij Papæ admonitionibus Regem, quæ ab eo hoc eodem anno sunt scelera perpetrata demonstrant. de quibus coactus est ipse Gregorius ad ipsos Episcopos Francorum & Principes proclamare, datis inter alios ad Guillelmum Comitem Pictauiensem litteris [f] istis hoc anno mense Nouembris:

[f] Id. lib. 2. ep. 18.

QVID DE REGE EODEM AD COM. PICTAV.

Licet Philippi Regis Francorum iniquitates ad notitiam tuam peruenisse dubitandum non sit: vtile tamen duximus, quantum de eisdem iniquitatibus doleamus, tibi innotescere. Nam inter cetera scelera, quibus non solum Christianos, sed & Paganos videtur superasse Principes, post ecclesiarum, quas sibi licuit confundere, varias destructiones, adeo regiæ dignitatis posthabuit verecundiam, vt auaritia potius inflammante, quam ratione aliqua poscente, Italiæ negotiatores, qui ad partes vestras venerant, deprædatus fuerit. Qua de re, quia Episcopos Franciæ litteris nostris eum conuenire monuimus: te quoque sanctum Petrum & nos pure diligentem, & vt credimus, de eius nobiscum periculis contristatum, præcipue monemus, quatenus ex illis atque nobilioribus Franciæ melioribus quibusdam adhibitis, iniquitates suas sibi notificetis.

ficatis. Et vt ipse stultorum suggestionibus renuntiando, atque bonorum, atque sapientium consilijs adhærendo, incipiat iam a confusione ecclesiarum manum retrahere, & ad exemplar bonorum Franciæ Regum, prauos mores suos commutare, depræ-
dationes quas supra commemorauimus, vnde Oratores sancti Petri impediuntur, capiuntur, atque multis *modis afficiuntur, sine dilatione emendare. Qui si consilijs ve-
stris acquieuerit; nos eum qua debemus charitate, tractabimus. Alioquin si in peruersitate studiorum suorum perduruerit, & secundum duritiam & impœnitens cor suum iram Dei & sancti Petri sibi thesaurizauerit: nos Deo auxiliante, & nequitia sua promerente, in Romana Synodo, a corpore & communione sanctæ Ecclesiæ ipsum, & quicumque sibi regalem honorem vel obedientiam exhibuerit, sine dubio sequestrabimus, & eius quotidie super altare sancti Petri excommunicatio confirmabitur. Diu est enim, quod iniquitates suas portauimus: diu est, quod sanctæ Ecclesiæ iniuriam, parcendo adolescentiæ suæ, dissimulauimus. Nunc autē adeo peruersitas morum suorum se notabilem reddidit, vt si tantæ valetudinis tantæq. fortitudinis esset, *quantæ* Pagani Imperatores *fuere, qui tot mala* sanctis Martyribus intulerunt; nos timore aliquo tot & tantas iniquitates suas nullo modo impunitas dimitteremus. Datum Romæ Idibus Nouembris, Indictione xiij.] Extant aliæ eiusdem argumenti litteræ [a] datæ ad Manassem Rhemensem Archiepiscopum, & alios primarios Francorum Episcopos in eiusdem Philippi regno constitutos, quos monet, vt de tot flagitijs, quæ enumerat, Regem ipsum corripiant. datæ habentur hoc anno Idibus Septembris, & aliæ seorsum ad eumdem Rhemensem Archiepiscopum mense Decembris. Porro anno sequenti de ipso Rege in Synodo actum est, in qua ista leguntur de ipsius Philippi Regis excommunicatione in hæc verba concepta: [b] Philippus Rex Francorum, si Nuntijs Papæ ad Gallias ituris de satisfactione sua & emendatione securitatem non fecerit: habeatur excommunicatus] Ista Gregorius, qui his temporibus perditissimis ad correptionem Regum & purgationem Ecclesiæ post innumeras sordes ex incuria prædecessorum contractas positus est a Domino instar Ieremiæ, cui dixit: [c] Constitui te hodie super gentes & super regna, vt euellas & destruas, & disperdas & dissipes, & ædifices & plantes.]

*incommodis DE EXCOMMVNICANDO PHILIPPO FRANCORVM REGE.

[a] Greg. lib. 2. ep. 5. & 32.

[b] Id. lib. 2. ante ep. 53.

[c] Ierem. 1.

GREG. PAP. NIMIA INDVLGENTIA IN CRIMEN ADDVCTA.

Inter hæc autem eidem Gregorio Papæ scribendum fuit Beatrici atque Mathildi clarissimis feminis, quæ scandalum passæ sunt, quod restitutum audissent a Gregorio Guarnerium Episcopum Argentinensem, ab Alexandro prædecessore damnatum, & suspensos Longobardiæ Episcopos vinculo censuræ ecclesiasticæ relaxatos, vnde Gregorium ipsum nimis esse indulgentem obmurmurassent, insuper & ipsum Guarnerium haud digne tractassent. Vigebat in sanctis feminis zelus exæstuans ecclesiasticæ integritatis, quam vel in minimo labefactari abundantiori venia erga delinquentes exhibita, ægro animo ferrent. laude quidem hac ex parte dignissimæ, si tamen illatis alicui misero plagis non vinum tantum, sed oleum esse adhibendum considerassent ex [d] Euangelico instituto. Gregorius igitur has scandalum passas minime contemnendas esse putauit, probe sciens qua pœna sit dignus qui scandalum inferret etiam alicui pusillorum Fidelium: quamobrem apologeticam ad eas scribendam putauit epistolam, tanto Pontifice dignam, quæ sic se habet: [e]

[d] Luc. 10.

[e] Greg. lib. 1. ep. 77.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei Duci Beatrici & eius filiæ Mathildi salutem & Apostolicam benedictionem.

Cum [f] Propheta testetur, quod omnipotens Deus, quem imitari iubemur, cor contritum & humiliatum non spernat: nos quidem qui peccatores sumus, etsi contritionem cordium in alijs non satis plene respicimus, cognita tamen dissimulare & quasi pro nihilo computare non debemus. Guarnerius Argentinensis Episcopus, postquam peccatis facientibus, decorem sui ordinis indigne tractauit, vocatus ad correctionem a domino nostro venerandæ memoriæ Alexandro Papa, solus inter omnes Teutonicæ terræ Episcopos, quorum multi non solum carnali scelere, sed etiam simoniaca labe fœdati, itidem vocati sunt, Apostolorum Limina petijt, locum iudicij in humilitatis forma præuenit, & veritus Apostolicam virgam, annuntiando & cogitando pro peccatis suis in faciem procidit. Apostolica igitur tum censura correptus, iam nunc Apostolicam venit experiri clementiam, & cum tanta fatigatione, sicut audiuimus, ieiunando pariter, & plerumque pedes eundo compunctionem suam & obe-

[f] Psal. 50.

GREG. PAPA SE PVRGAT APVD BEATRICEM ATQVE MATHILDEM.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dientiam demonstrauit, vt confratres nostri pro competentia horum temporum, miserendum sibi fore dignum æstimarent & decernerent. Cui quamquam Episcopalis officij redintegrationem ad vota sua non concessimus: exercere tamen in illo rigorem canonicum hoc in tempore quid referret, cum fortasse hoc amoto, locum eius non alius possideret, nisi qui plurimum pecuniæ dare posset? Ceterum quod vos feciſtis in eum, quam inhonestum vobis, quam mihi verecundum, quamq. beato Petro & Apostolicæ Sedi contumeliosum sit, quæso cum animis vestris reputate, vt in quibus peregrinorum his in partibus tutissima debet esse defensio, inopinata pericula lateant, & nostra, qui hoc alijs Principibus prohibemus, in hac re quasi consentanea pro familiaritate vestræ dilectionis voluntas arguatur, præsertim cum eumdem fratrem per litteras nostras non sine magna fiducia vobis commendauerimus.

Quamobrem nobilitatem vestram multum rogamus & admonemus, vt iniurias eius quantum potestis, demulcentes, cum omni beneuolentia & manifesta charitatis exhibitione eum abire dimittatis, & sicut in supramemoratis rogauimus litteris, tutum sibi vsque ad dominum Erlembaldum Mediolanensem ducatum præbeatis: scientes eum per epistolam nostram esse commonitum, vt nullatenus super hac re contra vos, aut vestros aliquid moliatur aduersi. Dionysio vero Placentino & alijs Episcopis Longobardiæ qui ad nos venerant, nihil de Episcopali officio, nisi confirmandi pueros pro necessitate concessimus, sed totius negotij fræna ita retinemus in manu, vt aut correctis de venia, aut pertinacibus non sit desperandum de pœna. Quia vero ex charitate, & pro reuerentia sanctæ Romanæ Ecclesiæ vos de talibus aduersum nos murmurasse credimus, memores domini & patris nostri beati Petri [a] Apostolorum principis, qui murmurantibus aduersum se discipulis satisfacere non dedignatus est: vobis quoque ratione de factis nostris non inuiti reddidimus, in eodemq. quanta vis dilectionis, qua vobis astringimur, non alia vobis adhuc certiora signa dedimus. Neque vero nos fugit, quam diuersa de nobis hominum opinio sit & iudicium, dum in eisdem causis & actibus, alij nos crudeles, alij nimium mites esse dicunt. Quibus profecto nil verius, nil rectius respondendum videmus, quam quod ait Apostolus: [b] Mihi autem pro minimo est, vt a vobis iudicer, aut ab humano die. Deus autem omnipotens, qui verus inspector est cordium, doceat nos & vos facere voluntatem suam, & ponat legem suam in medio cordis nostri. Datum Romæ xvij. Kal. Maij Indictione xij.] sic monitæ Beatrix atque Mathildis res gestas ab ipso Gregorio, vt ab homine diuinitus inspirato, omni sunt reuerentia & officio prosecutæ, & sedulo semper studio promouere curarunt.

Interea vero ipse Gregorius perpendens, vt prudens nauis Ecclesiæ nauta, irrupturas maximas tempestates ab Aquilone, Colonienſem Archiepiscopum sanctum Annonem, datis ad eum [c] litteris, in pristino officio defendendæ Ecclesiæ libertatis, studuit continere, ne eum sibi Rex contra Ecclesiam dimicaturus alliceret, quem semper aduersantem improbis suis conatibus senserat. Perstitit vir sanctissimus in ea, qua semper fuerat, Ecclesiæ Apostolicæ fide, nec vt alij plures, rapi potuit fauore Principis, vel minis attrahi. Quem hoc anno diabolico instinctu contigit a suis Colonienſibus ipsi rebellantibus, & eius sanguinem sitientibus ad necem quæri, & nisi auxilio occultæ fugæ sibi consuluisset, plane a populo in ecclesiam irrumpente fuisset occisus. rem gestam pluribus describit hoc anno Lambertus, atque eius vitæ auctor Abbas [d] Sigebergensis, quos si cupis ea scire, tu consulas.

Ipse vero Gregorius consulturus rebus ecclesiasticis, in sequentem annum Synodum indicit celebrandam ipso exordio Quadragesimæ, ad quam vocat in primis longius [e] positos Britannos Episcopos & Abbates; sed & Tullensis specialiter Episcopus est vocatus ad dicendam causam de simonia & cohabitatione cum muliere, quam haberet vt coniugem, de quibus ad Vdonem Archiepiscopum Treuirensem [f] litteras dedit. Ad eamdem Synodum iussit accurrere [g] Isimbertum Pictauiensem Episcopum, qui citatus adesse Romæ die natali sancti Andreæ, minime comparuisset. Grauissima iste accusatione conuentus, iudicium Sedis Apostolicæ euitabat. scelus erat huiusmodi. [h] Iusserat Gregorius per Legatos Apostolicæ Sedis Amatum Episcopum Ellorensem, & Gozelinum Archiepiscopum Burdigalensem, & alios simul collectos examinari causam Comitis Pictauiensis, qui assereretur duxisse in vxorem consanguineã

suam:

a Act. 11.

b 1. Cor. 4.

c Greg. lib. 1. ep. 79.

ANNO COLONIENSIS ARCHIEPISC. ECCL. ROM. STVDIOSVS.

d Apud Sur. to. 6. die 4. Decemb. lib. 2. c. 21.

INDICITVR SYNODVS IN ANNVM SEQVENTEM.

e Greg. lib. 2. ep. 1.

f Id. ibid. ep. 10.

g Id. ibid. epist. 23. 24.

h Id. ibid. ep. 2.

suam: qui cum ad causam examinandam congregati fuissent in vnum, passi sunt irruentes milites ab eodem Pictauiensi Episcopo immissos, qui alios verberibus, contumelijs alios affecerunt. cuius rei causa iussus est Romam venire reus sceleris perpetrati. Quod cum facere distulisset, suspensus ab officio, futuræ Synodo præsto esse iubetur. Laudauit vero [a] Gregorius ipsum Guillelmum Pictauiensem, qui paruisset ecclesiæ iubenti diuortium, donec causa plenius nosceretur. Cui roganti vt liceret retinere illam sub sororis ipsius custodia, quousque per Synodum causa finem acciperet, idem Pontifex denegauit, quam & longius ablegandam mandauit. Assistere pariter eidem Synodo iubentur [b] litigantes inter se Benno Episcopus Osnaburgensis atque Abbas Corbeiensis, nisi prius ea causa per Colonienſem terminaretur Episcopum.

Conuocatur quoque ad eamdē Synodum [c] Liemarus Bremensis Archiepiscopus ob causam anno superiori narratam. Insuper Archiepiscopum Moguntinum Sigefridum vna cum suis Suffraganeis Episcopis Ottone Constantiensi, Guarnerio Strazburgensi, Henrico Spirensi, Herimanno Babenbergensi, Imbrico Augustensi, Adalberone Vuirceburgensi, iussit Gregorius datis ad eum [d] litteris, conuenire. Deq. his etiam scripsit ad Henricum [e] Regem, quem petit vt Legatos ad Synodum mittat, & alijs litteris rogat, ne illos audiat, qui discordias inter ipsos seminant. Aduenire quoque iussit Cunibertum Taurinensem Episcopum, qui [f] accusaretur inuasor monasterij sancti Angeli. Itidemq. adesse voluit Guillelmum [g] Papiensem Episcopum ob causam diuortij inter Azonem atque Mathildem, de quibus superius dictum est, vocataq. est & ipsa [h] Mathildis. Hugonem [i] quoque militem, ob occupata bona ecclesiæ Turonensis, ad Synodum rationem redditurum vocauit. Adhuc insuper, sed anni sequentis exordio, vocatus est ad eamdem Synodum Guibertus Rauennas Archiepiscopus, [k] litteris ad eum datis. Vocatus & Hugo [l] Diensis Episcopus vna cum clericis suis. hactenus de indictione Synodi in annum sequentem.

Inter hæc autem contigit ipsum Gregorium mense Octobris grauiter ægrotare, atque vbi desperata valetudo esset, Deo volente, præter spem omnium conualuisse; cum ipse redditus sospitati de his litteras dedit ad Beatricem atque Mathildem, quibus redditum se ingemuit sanitati. Nam vbi primum earum erga Romanam Ecclesiam commendauit affectum, & in ipsum Petrum amorem, cuius causa Petri locum tenentem diligerent, ista mox addit: [m] De cetero scitote nos præter spem omnium, qui nobiscum erant, infirmitatem corporis euasisse, & iam bonam valetudinem recepisse: vnde nobis dolendum potius quam gaudendum esse putamus. Tendebat enim anima nostra, & toto desiderio ad illam patriam anhelabat, in qua ille, qui laborem & dolorem considerat, lassis quietem & refrigerium præstat. Verum reseruati adhuc ad consuetos labores & infinitas sollicitudines, in singulas horas quasi parturientis dolores & angustias patimur, dum pene in oculis nostris naufragantem ecclesiam nullo valemus eripere gubernaculo. Lex enim & religio Christiana ita fere vbique deperijt, vt Sarraceni & quilibet Pagani suos ritus firmius teneant, quam illi qui Christianum nomen acceperunt, & quibus in regno Patris per Christum hereditas & æternæ vitæ gloria parata est, diuinæ legis mandata custodiant. Quo minus mirandum est, si huius lucis ærumnas spe supernæ consolationis fugere cupimus, qui in his positi in sola cognitione inundantium periculorum singulorum pœnas luimus] hæc de statu suo & Ecclesiæ, instar nauis multiplicibus iactatæ procellis.

Quo autem statu tunc essent res Northmannorum, subijcit ista: Præterea scitote Robertum Guiscardum sæpe supplices Legatos ad nos mittere, & tantæ fidelitatis securitatem se in manus nostras dari cupere, vt nemo vmquam firmiori obligatione se cuilibet domino debeat vel possit astringere. Sed nos non incertas rationes, cur illud adhuc sit differendum, considerantes, supernæ dispensationis & Apostolicæ procurationis consilia præstolamur] hæc de rebus Northmannicis in Italia, ita disponente Domino, qui inflexibiles Northmannorum ceruices in obsequium Sedis Apostolicæ inclinauit, vt cū deficerent ab ea alij Principes Christiani & persequerentur Ecclesiam; exhiberent isti tutum hospitium fugienti Pontifici persecutores. At alijs ex causis nec in anni sequentis Synodo receptum fuisse Robertum Guiscardum, solutumq. anathemate, sed aggrauatum potius, ipsa synodalia Acta declarant.

Contigit hoc anno (vt Lambertus narrat) vt Salomon Rex Hungarorum a Ioiade

Beli

i Id. ibid. ep. 22.

k Id. ibid. ep. 44.

l Id. ibid. ep. 43.

GREG. PAPA EX INFIRMITATE SANATVS.

m Id. ibid. ep. 9.

ROBERTVS DVX NORTHMANNORVM PACEM ROGAT.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SALOMON REX HVNG. REGNO PVLSVS.

Beli filio, aliter Geisa nominato, eius consanguineo, prœlio victus, amisso exercitu, vix A
fuga sibi consulens euasisset, adijssetq. per Legatos Henricum Regem, cuius sororem
coniugem accepisset, petens aduersus inuasorem tyrannum arma parare, spondens
quæque maxima, si id faceret, nempe (vt idem auctor narrat) eum in regni Hungarici consortium accepturum, futurumq. eidem tributarium, atque munitissimas Hungariæ ciuitates, tamquam firmæ semper futuræ pacis pignora tributurum. Quod factum cum Gregorius accepisset, nempe quod ipse Salomon ab eodem Henrico Rege quasi domino ipsum regnum Hungaricum in feudum accepisset, cum ex his videret magnopere lædi iura Apostolicæ Sedis, cui iam idem regnum esset oblatum, ista rescripsit ad ipsum [a] Salomonem Hungariæ Regem:

[a] *Greg. lib. 2. epist. 13.* GREGORII AD SALOMONEM REGEM HVNG. EPIST.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei Salomoni Regi Hungarorum salutem B
& Apostolicam benedictionem.

Litteræ tuæ ad nos tarde propter moram Nuntij tui allatæ sunt: quas quidem multo benignius manus nostra suscepisset, si tua incauta conditio non adeo beatum Petrum offendisset. Nam sicut a maioribus patriæ tuæ cognoscere potes, regnum Hungariæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ proprium est, a Rege Stephano olim beato Petro cum omni iure & potestate sua oblatum, & deuote traditum. Præterea Henricus piæ memoriæ Imperator ad honorem sancti Petri regnũ illud expugnans: victo Rege, & facta victoria, ad corpus beati Petri lanceam coronamq. transmisit, & pro gloria triumphi sui illuc regni direxit insignia, quo principatum dignitatis eius attinere cognouit. Quæ cum ita sint, tu tamen in ceteris quoque a regia virtute & moribus longe discedens, ius & honorem sancti Petri (quantum ad te) imminuisti & alienasti, dum eius regnum a Rege Teutonicorum in beneficium (sicut audiuimus) suscepisti. Quod si C
verum est, qualiter gratiam beati Petri, aut nostram beneuolentiam sperare debeas, tu ipse, si iustitiam vis attendere, non ignoras: videlicet te non aliter eam habiturum, nec sine Apostolica animaduersione diu regnaturum, nisi sceptrum regni quod tenes, correcto errore tuo, Apostolicæ non regiæ maiestatis beneficium recognoscas. Neque enim nos timore vel amore, aut aliqua personali acceptione (quantum Deo adiuuante poterimus) debitum honorem eius, cuius serui sumus, irrequisitum relinquemus. Verum si hæc emendare, & vitam tuam (vt Regem decet) instituere, & Deo miserante adornare volueris; procul dubio dilectionem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, sicut matris dilectus filius, & nostram in Christo amicitiam plene habere poteris. Dat. Romæ quinto Kal. Nouembris, Indictione xiij.]

[b] *Id. ibid. ep. 63* At diuino plane iudicio [b] accidit, vt qui ab alio quam a Sede Apostolica regnum D
Hungaricum accipere voluit, illud penitus perderet, sicq. cognosceret vanam salutẽ hominum, nisi ipse Deus adiumento mortalibus esset. cum tamen Gregorius ipse vt pater non destiterit, sequestrem inter eos pacis accedere, prout litteræ ad eos postea-
[c] *Id. ibid. ep. 7.* [d] *Id. ibid. ep. 44* datæ [c] significant. Scripsit etiam [d] ad eiusdem coniugẽ Iudith Reginam filiam Agnetis Imperatricis, quam æqua sors cum marito e regno fecit extorrem. quam Gregorius, eius litteris prouocatus, est litteris pariter consolatus, quas his attexere dignum duximus:

GREGORII AD REGINAM HVNG. EPIST.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei Iudith Hungarorum Reginæ salutem
& Apostolicam benedictionem. E

Multæ ac diuersæ causæ sunt, propter quas intimo & sincero cordis affectu te diligimus. Primo quoniam ex vniuersalitate susceptæ regiminis, omnibus qui in Christo sunt, debitores sumus. Deinde quoniam clarissimus Imperator Henricus pater tuus, & Agnes mater tua (iam nunc non humanitus, sed Dei misericordia cælitus Imperatrix Augusta) ex quo me cognouerunt, pro sua magnitudine honorifice, & præceteris sanctæ Romanæ Ecclesiæ filijs charitatiue habuerunt, & maxime quia nunc eadem mater & domina tua postpositis sæcularibus causis & honoribus, Apostolorum Limina tota deuotione & veneratione complectitur; ex cuius quidem præsentia inter huius sæculi nequã perturbationes sæpe nobis accepta solatia conferuntur. Præterea multum te commendat nobis tua præclara & inclyta fama, quod in tam tenera ætate inter asperam & incognitam gentẽ generis tui gloriam decorasti, quippe quæ in excelso nata Imperio, nihil in actibus & habitudine tua, nisi decus Imperiale hactenus demonstrasti. His, inquam, de causis nos, quibus fallere quemquam nefas est, in-

loco

A loco germanæ sororis te diligimus; & si quid orationes nostræ apud Deum valent, non infructuosam erga te nostram fore amicitiam, in Dei pietate confidimus. Scias etiam quod de tribulationibus & angustijs, quas te sustinere cognouimus, valde dolemus, & diuinam clementiam prò quiete & lætitia tua frequenter & suppliciter imploramus. Et si quando locus aut tempus opportunitatem dederit, temporalibus quoque subsidijs te honorare quam maxime cupimus.

Ceterum ea quæ nunc tibi instat aduersitas, non te terreat, nec mentem tuæ generositatis deprimat; sed si quid mæstum aut graue ingruerit, vultu regalis constantiæ gestuq. dissimula, & molestas (quas Deus auertat) causas naturali morum tuorum
B virtute patienter tolera, fiduciam & spem firmam habens in Deo Saluatore nostro, quoniam ipsi cura est de te, qui numquam derelinquit sperantes in se: & quanto nunc animum tuum sollicitudinibus verberari sinit acerbius; tanto eum ex vicina & potenti virtute consolationis suæ lætificabit vberius. Ipse enim nihil sine causa præcipit, nihil sine ratione permittit, qui Regum & Imperatorum omniumq. causarum æquus arbiter & moderator existit. Verum inter omnia te id agere & studere monemus, vt præclarum nomen vitæ & nobilitatis tuæ ab ineunte ætate nactum in dies amplificetur & crescat. Quoniam integritas famæ licet præ cunctis terrarum opibus corona sit nobilium & ignobilium: tanto tamen vnicuique plus ornamenti & gloriæ tribuit, quanto eum eminentia generis altius extollit. Age ergo vt omnibus, quæ regnum fert, & Imperium, tanto te excellentiorẽ ostendas, quanto ea omnia mutari cognoscis. Tuam vero naturam & Imperiale germen, quod in te est, nullis successibus, nullisve aduersitatibus mutari posse proponas. De cetero quod nos matrem tuam de causa tua com-
C pellare rogasti: pro certo scias, nos omnia quæ ad honorem & salutem tuam pertinent, & consulendo libenter ei intimare, & persuadendo vt fiant, Apostolica benigne adiutoria exhibere. Deus autem omnipotens, qui est mæstorum consolatio, infirmantium fortitudo, præsentem vobis lætitiam cito conferat, & veram æternamq. gloriam supernæ felicitatis tribuat. Dat. Romæ quarto Idus Ianuarij Indictione decimatertia] nempe anni sequentis exordio, ad quem veniamus.

IESV CHRISTI ANNVS 1075. GREGORII VII. PAP. ANNVS 3. VACAT. IMP. OCCID. 19. MICH. VII. DVC. IMP. 4.

D

SEQVITVR annus Redemptoris septuagesimus quintus supra millesimum, decimatertia Indictione, quo ex Occidentalis orbis circumquaque prouincijs ad Synodum Episcopis confluentibus, magnus Romæ conuentus habetur. Illic iudiciale forum, in quo grauissimæ causæ, potissimum vero Episcoporum audirentur, discuterentur, atque summo iustitiæ libramento iudicarentur, ad nutum ipsius Romani Pontificis Gregorij aperitur: in quo Apostolico throno idem præsideret Antistes, legitimus Petri successor, Christi Vicarius, qui eadem potestate polleret. Cum ipse sic diuina roboratus auctoritate, & Petri excitatus voce clamantis: [a] Tempus est vt iudi- *a 1. Pet. 4.*
E cium incipiat a domo Dei] ad dispergendum de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem; in vindictam illorum accingitur, qui cum debuissent ex munere aliorum peccata corrigere, ceteris deformius deliquissent, cæci ipsi duces cæcorum, moribus Pharisæi, opere Saducæi, turpitudine Nicolaitæ, & auaritia Simoniaci, in quos rursus audiat ipse vocem clamantis: [b] Surge, occide & manduca, dum de illis eadem, quæ *b Act. 10.* olim per visum Petro contigit, magni lintei dimissi cælitus, in eius mente versaretur imago, in quo essent animalia quæque immunda, horrendaq. visu, in quorum similitudinem ex ferinis moribus homines transformati, spectaculum exhiberent intuentibus longe deformius ac terribilius, quippe quod diuinis oraculis, quibus vocum proprietates ex cuiuscumque prauis affectibus efficacius exprimuntur, ijdem nominati sint vulpes, lupi, leones, scorpiones, genimina viperarum atque dracones. Inter quos, tamquam in cauea frementium bestiarum idem Pontifex constitutus; sic eos gladio spirituali conficiat, vt pura redderet ab omni immunditia vendicata. Præstitit hoc egregie diuina potentia qua pollebat idem Gregorius Papa in-

MAGNA SYNODVS ROMAE COGITVR.

hac

Universidad de Deusto
Biblioteca

hac ipsa Synodo, quam collegit. De qua antequam agamus: opus est, vt quæ eam præcesserunt, gesta nimirum ab eo ante Synodum, ab anni huius nascentis exordio præmittamus. A

Anni huius initio, nempe quarto Nonas Ianuarij, Gregorius Papa misit visitatores ecclesiarum Abbatem sancti Bonifacij Gepizonem, & Maurum sancti Sabæ Abbatem cum Apostolicis litteris [a] ad quoscumque Christi fideles. est earum exordium: Notum vobis est, quod succrescente nequitia &c.] voluit autem ab ijsdem peculiariter curari ecclesias in Vmbria [b] Eugubinam & Feretranam, pro quibus vidimus Petrum Damiani diutius laborasse: [c] Pisaurensis quoque ecclesiæ bona per Episcopum dissipata recuperare, præter alia ipsis commissa, specialibus litteris ad eos datis.

[a] Greg. lib. 2. ep. 40.
[b] Id. ep. 41.
[c] Id. ep. 45. 48.

Angebat autē Gregorij animū vehementer, quod vbique terrarum Christiani orbis morum peruersitas tanta inoleuisset, in ijs præsertim, qui alijs exemplo esse deberent, nempe Episcopis, ex vitio simoniæ, atque abominandæ luxuriæ, vt cum clerici, tum reliqui Christifideles inficerentur; eoq. amplius cruciabatur, quod cum in his prædecessores Pontifices a Leone Nono omnes successores strenue laborassent, nihil propemodum effecissent. Quamobrem ad sæculares Principes, quos Deum timentes sciret, desperatione adductus se conuertendum putauit, rogans eos, vt eiusmodi Episcopos non recipiant, sed agant vt vndique propulsentur. Extant de his datæ litteræ [d] ab eodem Gregorio hoc anno mense Ianuarij ad Rudolphum Sueuiæ Ducem, & Bertholdum Ducem Carentanū, in quibus hæc inter alia: Sciunt namque Archiepiscopi & Episcopi terræ vestræ (quod & omnibus Fidelibus notum esse debet) quoniam in sacris canonibus prohibitum est, vt hi, qui per simoniacam hæresim, hoc est, interuentu pretij ad aliquem sacrorum ordinum gradum, vel officium promoti sunt; nullum in sancta Ecclesia vlterius ministrandi locum habeant; nec illi, qui in crimine fornicationis iacent, Missas celebrare, aut secundum inferiores ordines ministrare altari debeant. Quæ cum eos sancta & Apostolica mater Ecclesia, iam a tempore Leonis Papæ sæpe in Concilijs, tum per Legatos, tum per epistolas in se, & commissis sibi plebibus, vt pote ab antiquioribus neglecta renouare, & obseruare commonuerit, rogauerit, & accepta per Petrum auctoritate iusserit: adhuc tamen inobedientes, exceptis perpaucis, tam execrandam consuetudinem nulla studuerunt prohibitione decidere, nulla districtione punire; non attendentes, quod scriptū est: [e] Quia ariolandi peccatum est repugnare, & quasi crimen idololatriæ nolle acquiescere. Cum igitur illis Apostolica, immo sancti Spiritus mandata spernentibus, & scelera subditorum criminosa fouentibus patientia, diuina mysteria indigne tractari, populum seduci intelligimus: alio quolibet modo contra hæc vigilare nos conuenit, quibus cura Dominici gregis præ cunctis incumbit. Multo enim melius nobis videtur, iustitiam Dei vel nouis reædificare consilijs, quam animas hominum vna cum legibus deperire neglectis. Quapropter ad te & ad omnes, de quorum fide & deuotione confidimus, nunc conuertimur, rogantes vos, & Apostolica auctoritate admonentes, vt quidquid Episcopi dehinc loquantur, aut taceant, vos officium eorum, quos aut simoniace promotos & ordinatos, aut in crimine fornicationis iacentes cognoueritis, nullatenus recipiatis. Et hæc eadem astricti per obedientiam, tam in Curia Regis, quam per alia loca & conuentus regni notificantes ac persuadentes (quantum potestis) tales sacrosanctis deseruire mysterijs etiam vi si oportuerit, prohibeatis. &c.] B C D E

[d] Id. ep. 45.
[e] 1. Reg. 15.

GREG. LABORAT PRO REFORMATIONE ECCLESIAE.

Quales autem essent Gregorij Papæ animi æstus ob diuinum numen in perseuerantia malorum & enormium delictorum perpetratione contemptum, communicauit litteris ad fidelem amicum, virum sanctissimum Hugonem Cluniacensem Abbatem, de quo sæpe superius dictum fuit, hoc eodem tempore, nempe Ianuarij mense datis, quibus cum interiora animi ipsius pandantur abdita, hic vt fiant omnibus notiora, describendas esse putauimus, sic se habent: [f]

[f] Id. ep. 49.

QVAE GREG. PAPA PATIATVR OB DAMNA ECCL. CATH.

Si posset fieri, optarem te pleniter scire, quanta tribulatio me angustat, quantusq. labor quotidie innouatus fatigat, & accrescens valde perturbat: vt secundum tribulationes cordis mei fraterna compassio mihi te flecteret, & in profusione lacrymarum coram Domino cor tuum effunderet, vt pauper IESVS, per quem omnia facta sunt, & qui omnia regit, manum porrigeret, & solita pietate miserum liberaret. Ego enim sæpe illum rogaui prout ipse dedit, vt aut me de præsenti vita tolleret, aut matri communi,

A muni, *nempe Ecclesiæ*, per me prodesset; & tamen de magna tribulatione adhuc non eripuit, neque vita mea prædictæ matri, cuius me catenis alligauit (vt sperabam) profuit. Circumuallat enim me dolor immanis, & tristitia vniuersalis, quia Orientalis Ecclesia instinctu diaboli a Catholica Fide deficit, & per sua membra ipse antiquus hostis Christianos passim occidit, vt quos caput *ipse diabolus* spiritualiter interficit, eius membra carnaliter puniant, ne quando diuina gratia resipiscant.

Iterum cum mentis intuitu partes Occidentis, siue Meridiei, aut Septemtrionis video: vix legales Episcopos introitu & vita, qui Christianum populum Christi amore, & non sæculari ambitione regant, inuenio; & inter omnes sæculares Principes, qui præponant Dei honorem suo, & iustitiam lucro, non cognosco. Eos autem, inter quos habito, Romanos videlicet, Longobardos, & Northmannos (sicut sæpe illis B dico) Iudæis & Paganis quodammodo peiores esse redarguo. Ad me ipsum cum redeo, ita me grauatum propriæ actionis pōdere inuenio, vt nulla remaneat spes salutis, nisi de sola misericordia Christi. Nam si non sperarem ad meliorem vitam, & vtilitatem sanctæ Ecclesiæ venire, nullo modo Romæ, in qua coactus, Deo teste, iam a viginti annis inhabitaui, remanerem. Vnde fit, vt inter dolorem, qui quotidie in me renouatur, & spem, quæ nimis, heu, protenditur, mille quassatus tempestatibus, quoquomodo moriens viuo: & eum qui me suis alligauit vinculis, & Romam inuitum reduxit, illicq. mille angustijs præcinxit, expecto. Cui frequenter dico: Festina, ne tardaueris; accelera, ne moreris; meq. libera amore beatæ Mariæ ac sancti Petri. Sed quia non est pretiosa laus, neque sancta oratio cito impetrans in ore peccatoris: cuius est vita laudabilis & actio sæcularis, precor, exoro, rogo, vt eos, qui merentur C audiri pro vitæ meritis, vigilanti cura rogites, vt pro me Deum exorent ea charitate, eaq. dilectione, qua debent vniuersalem diligere matrem. Et quia vtraque manu debemus vti pro dextera ad comprimendam impiorum sæuitiam, oportet nos, quandoquidem non est Princeps, qui talia curet, religiosorum tueri vitam: fraterna te monemus charitate, vt in quantum potes, vigilanti studio manum præbeas, eos monendo, rogando, exhortando, qui beatum Petrum diligunt, & si vere illius volunt esse filij, & milites: non habeant illo chariores sæculares Principes, qui illi misera & transitoria vix tribuunt; iste vero beata & æterna, a cunctis peccatis soluendo promittit, & in cælestem patriam potestate sibi tradita perducit. Volo quidem luce clarius intelligere, qui reuera sint illi fideles, & qui eumdem cælestem principem non minus pro cælesti gloria diligunt, quam eos, quibus pro spe terrena & misera subijciuntur. Datum Romæ xj. Kal. Februarij Indictione xiij.] ista Gregorius vallatus angustijs, cum immineret iam pondus celebrandæ Synodi, in qua iudicia essent magni momenti tractanda. D

Antequam autem indictæ Synodi tempus adesset, eodem Ianuarij mense ad Sancium Aragoniæ Regem scripsit, [a] ea scilicet occasione, quod Sancius Aragonensis Episcopus Romam venisset, petere missionem ab Episcopatu ob graues corporis infirmitates, proponens alios vita & moribus laudatos homines deligendos, & ordinandos: quos ita repertos, sed ex concubina natos respuit Gregorius, qui Coadiutorem dari Episcopo consentit magis, quam penitus dimittere Episcopatum.

AD REGEM ARAG. LITT.
[a] Greg. lib. 2. ep. 50.

AD REGEM DANIAE LITT.

Eadem quoque die ad Suenonem Daniæ Regem pariter litteras [b] dedit, ea videlicet præuia occasione, quod cum Legati ab Apostolica Sede ad eum missi ob tumultus bellicos in Saxonia concitatos, haud valuerint Daniam penetrare, sed necessitate compulsi Romam reuersi essent: his litteris eius explorat fidem, si opportuno tempore aduersus Ecclesiæ hostes paratus esset auxilium ferre, eidemq. prouinciam quamdam ab hæreticis in Italia possessam offert occupandam. Porro commendatur Regis huius obedientia erga sanctam Ecclesiam, piumq. religionis cultum in litteris [c] post mortem eius datis ad eius filium successorem. Agit ijsdem litteris, & alijs hoc anno datis [d] de constituenda sede metropolitana in Dania, quod postea sub eius successore Erico impletum est, vt suo loco dicetur. E

[b] Id. ep. 51.
[c] Id. lib. 3. epist. 10.
[d] Id. ep. 55.

His ab eodem Gregorio ad Reges longe positos scriptis, atque alijs pertractatis, aduenit indictæ Synodi tempus indictum, primæ hebdomadæ Quadragesimæ. Cuius quidem Acta sigillatim conscripta periere, eorumq. summa breuis tantum nobis relicta est in eodem epistolarum eius volumine verbis istis expressa: [e]

SYNODVS ROMANA HOC ANNO HABITA.
[e] Id. lib. 2. post ep. 52.

Anno

Universidad de Deusto
Biblioteca

Anno ab Incarnatione Domini milleſimo ſeptuageſimoquarto] *ita non a Natali Domini, ſed a die Annuntiationis Virginis, & Incarnationis Verbi, numerans annos, vt dictum eſt ſuperius*, Pontificatus vero Domini Gregorij Papæ, ſecundi, *Tertius autem incipit hoc anno die xxij. Aprilis* Indictione decimatertia celebrauit ipſe dominus Gregorius Papa Romæ Synodum a ſexto Kal. Martij vſque ad pridie Kal. [a] præteriti menſis. Vbi interfuit Archiepiſcoporum, Epiſcoporum & Abbatum multitudo, atque diuerſi ordinis clericorum & laicorum copia. In qua inter cetera decreta, quæ ibi geſta ſunt, quinque de familia Regis Teutonicorum, quorum conſilio eccleſiæ [b] venduntur, a liminibus ſanctæ Eccleſiæ ſeparauit, ita vt ſi ab inde vſque ad Kal. Iunij Romam non venirent, & ſatisfacerent, excommunicati haberentur. Philippus Rex Francorum, ſi Nuntijs Papæ ad Gallias ituris de ſatisfactione ſua & emendatione ſecuritatem non fecerit, habeatur excommunicatus. Liemarum Bremenſem Archiepiſcopum pro inobedientia ſuperbiæ ſuæ ab Epiſcopali officio ſuſpendit, & a corpore & ſanguine Domini interdixit. Guarnerium Strazburgenſem ab Epiſcopali & ſacerdotali officio ſuſpendit. Henricum Spirenſem ſuſpendit, Herimannum Bambergenſem, ſi ante Paſcha non venerit ſatisfacturus, ſimiliter ſuſpendit. Item in Longobardia Guillelmum Papienſem, & Cunibertum Taurinenſem ſuſpendit. Dionyſium Placentinum depoſuit, Robertum Ducem Apuliæ iam anathematizatum, & Robertum de Loritello inuaſores bonorum ſancti Petri excommunicauit] hucuſque ibi de ſynodalibus Actis.

Extant vero de iiſdem Actis aliquot eiuſdem Gregorij epiſtolæ, nimirum de Dionyſij Placentini Epiſcopi depoſitione, [a] epiſtola ad Placentinam eccleſiam data. De ſuſpenſione Herimanni Epiſcopi Bambergenſis [b] epiſtola ad eccleſiam Bambergenſem, ad Sigefridum Archiepiſcopum Moguntinum, [c] nec non ad ipſum Henricum Regem, in qua iſta de ipſo: Simoniacus enim ille Herimannus dictus Epiſcopus, hoc anno ad Synodum Romam vocatus venire contempſit. Sed cum propius Romam acceſſiſſet, in itinere ſubſtitit, & præmittens nuntios ſuos cum copioſis muneribus, noto ſibi artificio innocentiam noſtram & confratrum noſtrorum integritatem pactione pecuniæ attentare, atque ſi fieri poſſet, corrumpere molitus eſt. Quod vbi præter ſpem euenit, iam de damnatione ſua ſecurior, feſtinanter retroceſſit, & blandis, fallacibuſq. promiſſis clericorũ, qui ſecum erant, animas lactans, aiebat ſe ſi patriam repedare poſſet, ab Epiſcopatu ceſſaturum, & monaſticæ vitæ profeſſionẽ ſubiturum. Quam ſponſionem qualiter impleuerit, celſitudinem tuam, fili chariſſime, non latet. Quin etiam temeraria vlterius progreſſus audacia, clericos eccleſiæ ſuæ ſalutem & honorem quærentes bonis ſuis deſpoliauit, & niſi eum tua (vt audiuimus) regalis potentia refregiſſet, penitus confudiſſet. His exceſſibus diligenter conſideratis, ab Epiſcopali eum atque ſacerdotali officio deiecimus. &c.] Extant & aliæ eodem argumento ab eodem Gregorio ſcriptæ litteræ ad Clerum [d] populumq. Bambergenſem, & ad Henricum [e] Regem rurſum, vt alium in locum ipſius ſubrogandum curaret.

Porro totam hanc hiſtoriam de Herimanni Bambergenſis Epiſcopi excommunicatione, & ab Epiſcopatus & ſacerdotij depoſitione fuſius eſt proſequutus Lambertus hoc anno; de quo & ad poſtremum poſt enarratas ab eo ſæpius iteratas aduerſus iuſſa Apoſtolicæ Sedis inobedientias & contumacias hæc habet ſub eodem anno: Herimannus Babenbergenſis Epiſcopus, comperto, quod alius in locum eius ſubrogatus eſſet Epiſcopus, cum omnis iam ei ſpes adempta eſſet recuperandæ deinceps dignitatis ſuæ, nec ad eludendam Romani Pontificis ſententiam vllum vltra pateret diuerticulum; in monaſterium, cui nomen eſt Suarza, ſeceſſit, ibiq. ſub Eggeberto Abbate ſanctæ conuerſationis habitum ſuſcepit; ſtatimq. aſſumpto ſecum eodem Abbate ſuo Romam profectus eſt. Cum de inobedientia ſua humiliter apud Sedem Apoſtolicam pœnitentiam egiſſet, & anathemate liberatus, & ſacerdotalis miniſterij, præter pontificalem dignitatem, denuo licentiam eſt conſecutus] hæc Lambertus.

Idemq. de Spirenſi Epiſcopo, quem vidiſti hoc anno Romæ in Synodo fuiſſe ſuſpenſum, agens, hoc eodem anno finem viuendi feciſſe, terribili Dei iudicio morte præuentum, narrat his verbis:

Henricus Spirenſis Epiſcopus, cum iam theſauros eccleſiæ Spirenſis pene omnes puerili leuitate dilapidaſſet, & prædia militibus ſuis in beneficium erogaſſet, tempore Henrici Tertij Imperatoris, & tantum, vt vix in dimidium annum ſumptus ei ex red-

[a] ſequentis

[b] vendebantur

HERIMANNVS EPISC. BAMB. DEPONITVR.

HERIMANNVS POENITENS ROMAM VENIT.

HENRIC. EPIS. SPIRENSIS DAMNATVS DIVINA VLTIONE PERCVSSVS.

[a] *Greg. lib. 2. ep. 54.*
[b] *Id. ep. 76.*
[c] *Id. lib. 3. ep. 3.*
[d] *Id. ep. 1.*
[e] *Id. lib. 4. ep. 7.*

ex redditibus eccleſiæ miniſtrari poſſent, inopinata morte ſubtractus eſt. de cuius obitu dignam memoria viſionem vidit clericus quidam, qui ei defuncto protinus in Epiſcopatum ſucceſsit, nomine Huzmannus. Putabat ſe in choro Spirenſi cum Epiſcopo & ceteris clericis ſtare. Et ecce ingrediebantur chorum tres viri, vnus exactæ ætate, canicie veneranda, duo iuuenes, tamquam in obſequium ſenioris deſtinati. Cumq. in medio chori aliquamdiu taciti conſtitiſſent, ait ſenior his, qui circa ſe erant iuuenibus: Quid tardatis, quod vobis iuſſum eſt explere? At illi: Tuum, inquiunt, pater eſt, primo aduerſus eum dictare ſententiam, & nos ſine dilatione quidquid iudicaueris, exequemur. Et ille: Propter multa, inquit, mala quæ in locum hunc, & in ſanctam Dei Genitricem operatus eſt, egreſſa eſt a Deo ſententia, vt interficiatur. Ad hanc vocem corripientes Epiſcopum decollauerunt, & truncum in ligno Crucis, quod in eadem eccleſia in ſublime elatum ſtabat, ſuſpenderunt. Cumq. mane facto, clericus nimio horrore concuſſus Epiſcopo ſomnum retuliſſet, viſus eſt ei quaſi deliramenta loqui, & propter ſoſpitatem corporis ſui, optimeq. conſtantem omnibus membris vigorem ſuum, nullum tam e vicino imminentis exitij ſenſum admiſit. Et ecce ſeptimo dehinc die, cum ad veſpertinalem ſynaxim cum Fratribus in choro ſtaret; ſenſit repente paruulam ſibi inſtar puncti puſtulam in collo excreſcere, qua paulatim in immenſum intumeſcente, ante mediam noctem defunctus eſt] hæc de exitu Spirenſis Epiſcopi, qui dum Sedis Apoſtolicæ iudicium ſubterfugit, putans ſic eum ſua abſentia eludere poſſe, in terribile Dei iudicium incurrit.

Vt autem ad Synodum redeamus, compoſitas illic fuiſſe diſcordias inter Pragenſem Epiſcopum & Morauienſem, declarant litteræ [a] eiuſdem Gregorij Papæ, immo decretum eiuſdem ſententiæ, ibidem auctoritate Apoſtolica promulgatæ. incipit: Quoniam ad memoriam &c.] ſcribens [b] idem Gregorius Papa ad Patriarcham Aquileienſem, quæ præcipue in eadem Synodo fuerint conſtituta, immo repetita, quæ in alijs ſæpe ſuperius Concilijs erant promulgata, his verbis ſignificat: Fraterniratis tuæ prudentiam latere non debet, neque tui ordinis dignitatem ignorare oportet, quæ ſtatuta, quæq. decreta in peracto Cõcilio præteritæ Quadrageſimæ conſilio confratrũ noſtrorum, ac totius conuentus aſſenſu, ſequentes ſanctorum Patrum auctoritatem, ſtatuimus. Decreuimus enim, quod ſi quis eorum ordinum, qui ſacris altaribus miniſtrant, presbyter ſcilicet, diaconus, & ſubdiaconus vxorem, vel concubinam habet, niſi illis omnino dimiſſis, dignam pœnitentiam agant: ſacris altaribus penitus miniſtrare deſiſtant, nec aliquo eccleſiæ beneficio vlterius potiantur, ſiue potitis fruantur. Qui vero ſimoniace, videlicet per interuentum pecuniæ ſunt promoti, vt abſque vlla ſpe recuperationis deponantur, Apoſtolica cenſura ſtatuimus]

DECRETVM ADVERSVM FORNICARIOS CLERICOS.

Quæ ſancita in Synodo curauit idem Gregorius per vniuerſum Occidentalẽ orbem promulganda, de his ſcribens (vt dictum eſt) ad eumdẽ [c] Aquileienſem Patriarcham, ad [d] Colonienſem Archiepiſcopum S. Annonem, ad Burchardum Halberſtadenſem Epiſcopum: inſuper ad Vuezelinum [e] Epiſcopum Magdeburgenſem. Ipſos vero primarios Germaniæ Archiepiſcopos, nempe Colonienſem, [f] ac Moguntinum, [g] ad eoſdem ſcribens, mandat ob eamdem cauſam vna cum ſubiectis ſibi Epiſcopis Synodos congregare, & quæ Romæ ſtatuta ſunt, de continentia clericorum, potiſſimum agere; ac de corrigenda ſimoniaca prauitate. Quod autem pertinet ad Colonienſem, longa ægrotatione laboraſſe, atque demum hoc eodẽ anno defunctum eſſe, ex Lamberto, atque vita ipſius fideliter ſcripta apparet. De Moguntino autẽ idem auctor, ipſum hoc anno pro cauſa Bambergenſis Epiſcopi primum Romam veniſſe, eumdẽq. vix ad communionẽ a Gregorio Papa acceptum eſſe, eo quod eumdem Epiſcopum ſimoniacum ordinaſſet. Demum vero accepto præcepto eiuſdẽ Pontificis de Synodo congreganda, eidẽ paruiſſe, ſed nihil penitus profeciſſe: de qua Synodo hæc ipſe Lambertus:

DECRETVM DE SIMONIACIS.

CONCILIVM MOGVNT. IN QVO CONCVRRENTES PRAEVALENT.

Synodum autem hoc eodem anno menſe Octobri Moguntiæ congregauit, vbi inter alios Epiſcopos, qui conuenerant, aderat Curienſis Epiſcopus, Apoſtolicæ Sedis litteras & mandata deferens, quibus ei ſub interminatione gradus, & ordinis ſui præcipiebat, ſicut antea quoque multis legationibus præceperat, vt presbyteros omnes, qui intra ſuam diœceſim eſſent, cogeret aut in præſentiarum coniugibus renuntiare, aut ſe in perpetuum ſacri altaris miniſterio abdicare. Quod dum facere vellet, exurgentes, qui vndique aſſidebant clerici, ita cum verbis confutabant, ita manibus & to-

[a] *Greg. lib. 2. epiſt. 53.*
[b] *Id. epiſt. 62.*
[c] *Id. ep. 67.*
[d] *Id. ep. 65.*
[e] *Id. ep. 68.*
[f] *Id. ep. 67.*
[g] *Id. lib. 3. ep. 4.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

tius corporis gestu in eum debacchabantur, vt se vita comite e Synodo discessurum desperaret. Sic tandem rei difficultate superatus, statuit sibi deinceps tali quæstione omnino supersedendum, & Romano Pontifici relinquendum, vt causam, quam ipse toties inutiliter proposuisset; ille per semetipsum quando & quomodo vellet, perora-
ret] hæc Lambertus, qui & versipellem hominem fuisse eumdem Sigefridum Archiepiscopum Moguntinum ostendit, dum docet, eumdem vsum vel abusum potius auctoritate Apostolicæ Sedis ad commodum Regis, non autem ad vtilitatem periclitantis Ecclesiæ, vt cum armauit milites detrectantes aduersus miseros Thuringios, & concitauit illos aduersus eos auctoritate male præsumpta Apostolicæ Sedis. sic namque rem accidisse idem auctor narrat hoc anno:

DETESTABILE FACINVS SIGEFRIDI ARCHIEPISC. MOGVNTINI.

Rex ipse quamplurimum verebatur, ne miles in irritum fusus, sanguinis pœnitens, religionis obtentu deinceps militiam detrectaret, quam sine peccato & graui offensa Dei administrare non posset: pessimæ rei pessimum exemplum Moguntinus Archiepiscopus remedium adhibuit. Collato cum paucis familiaribus Regis consilio, repente processit in publicum, & Principes Thuringiæ nec canonice ad Synodum vocatos, nec synodali audientia secundum ecclesiasticas leges discussos præcipiti sententia excommunicauit, ea scilicet causa, quod eum anno priore Erfordiæ, cum ad exigendas decimas assedisset, districtis gladijs intra ecclesiam impetissent. Et ne quis ei forte hoc crimini daret, quod contra canonum scita miseros homines tam inexplicabilibus negotijs ad præsens implicitos tam iniquo tempore adortus fuisset, quando tantis vndique procellis bellorum iactati, non causis dicendis vacare, sed vitam suam fuga vel armis seruare necesse haberent: ait a Romano Pontifice sibi hoc permissum esse, vt absque legitimis inducijs, absque legitima discussione, die quo sibi occurreret, eos iusto anathemate ab Ecclesia recideret. Nullum tamen sapientem latere potuit, quo potissimum spectaret hoc factum, eo scilicet, vt exercitus Regis promptior deinceps fidentiorq. aduersus eos bellum gereret, de quorum occisione, si post excommunicationem occisi fuissent, putaret se nec peccatis obnoxium fore nec pœnis, quas leges ecclesiasticæ statuunt homicidis] hæc Lambertus.

Ceterum longe abest, vt Gregorius æqui obseruantissimus & amantissimus hoc ipsi dederit in mandatis, cum ex litteris eius appareat etiam, quod aduersus quoscumque contumaces & perditissimos homines voluerit omnia iuris remedia & auxilia integra conseruari, atque etiam legibus non concessa præsidia indulgeri, reos etiam quam iustissime condemnatos ad veniam inuitari, prout intelliget, qui eius epistolarum volumen perlegerit. sed quam non recto pede tunc incesserit Moguntinus, quæ suis locis inferius dicturi sumus, aperient.

CVM EXCOMMVNICATI TANTVM MINISTRI REGII.

Sed redeamus rursum ad eamdem, de qua susceptus est sermo, Romanam Synodum hoc anno a Gregorio habitam. Liquet in ea quidem, omnes in Regem a Saxonibus illatas accusationes iam a temporibus Alexandri Papæ prædecessoris ipsius, & iterum repetitas, esse relictas obuolutas silentio, optans Gregorius, ista omnia absque tumultu componi, Regemq. in meliorem frugem sperans posse reduci, cuius rei causa & manifesta eius crimina de venditione Episcopatuum & Abbatiarum, de quibus frequenter adeo fuerat infamatus, & depositione ordinatorum simoniace Episcoporum conuictus, æque passus est in ministros eius, illos quinque consiliatores ejusmodi nundinationum tantum conuerti, eximi vero Regem: sicq. eorum condemnatione, intelligi in eos translatam culpam esse, Regemq. videri purgatum. quem & suis litteris idem Gregorius lenius attrectabat, laudans potius, quam arguens, ita sperans posse eius animum demereri, ad amorem allicere, & ad bona cuncta pertrahere. Nam accipe de his exemplum, ex eius litteris ad Regem ipsum hoc anno scriptis acceptum, ipso earum exordio sic dicens:

a Greg. lib. 3. ep. 3.

GREG. ERGA REGEM BENIGNVS.

Inter cetera bonarum virtutum opera, fili charissime, ad quæ te meliorationis studio assurgere, fama referente, audiuimus: duobus te modis sanctæ matri tuæ, Romanæ Ecclesiæ scilicet, eminentius commendasti: in altero quidem, quia simoniacis viriliter resistis; in altero, quia clericorum castitatem, vtpote seruitorum Domini & liberter approbas, & efficaciter desideras adimplere. Quibus de causis signum nobis proposuisti, opitulante Deo, altiora de te & præstantiora quæque sperandi &c.] agit enim de causa Episcopi Bambergensis, de quo nos nuper egimus. Sunt & aliæ litteræ

b Id. ibid. ep. 10

hoc

hoc anno datæ ab eodem Gregorio Papa ad eumdem Regem, indices eius erga ipsum amoris & obseruantiæ: vt ex his intelligas illas epistolas, quæ sub hoc anno in Regesto absque nota anni vel mensis positæ reperiuntur, eas non hoc anno datas, sed postea.

Hoc namque anno vsque ad consummatum bellum Saxonicum, Henricus erga Gregorium Papam benevolum & obsequentem se verbis saltem exhibuit. Imminens enim dubium valde Saxonicum bellum, periculosum satis, vtpote quod in eo totius regni eius incerta alea volueretur, illum erga ipsum Gregorium Papam reddidit mansuetum, cum eius opera in casibus aduersis indigere sciret. quod quidem eum vsque ad mensem Nouemb. tenuit occupatum, nec sine metu: quamuis enim potitus victoria esset, reparatis tamen iterum viribus se formidabiles Saxones exhibebant. cuius causa Nuntios ad eum misit, quibus & has a litteras dedit, quæ habentur recitatæ in ipsius Gregorij epistola data ad Beatricem atque Mathildem, tertio Idus Septembris, quæ sunt huiusmodi:

a Greg. lib. 3. ep. 5.

HENRICI REGIS AD GREG. PAPAM EPIST.

Nouerit vestra sanctitas Pater, quoniam dum ego pene omnes Principes mei regni de nostra magis discordia, quam de mutua pace gaudere percipio: ad vos istos Nuntios latenter dirigo, quos satis nobiles ac religiosos esse cognosco; & pacis bonum inter nos optare coniungi, nequaquam dubito. Hoc autem quod mando, neminem scire volo præter vos, dominam matremq. meam, atque amitam Beatricem & filiam eius Mathildam. Me vero (adiuuante Domino) de expeditione Saxonica redeunte, alios Legatos dirigam, quam familiariores ac fideliores habebo, per quos omnem vobis meam voluntatem & reuerentiam, quam beato Petro & vobis debeo, significabo] hucusque ad Gregorium Papam Henricus Germaniæ Rex. Sed & alijs quoque litteris hoc anno datis idem Rex (vt ipse Gregorius b testatur) se filium sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & ipsi Gregorio subiectum, dilectione vnicum, atque deuotione præcipuum est professus, commendans se ipsi omni affectu amoris & reuerentiæ. His vero dignis pietatis affectibus Gregorius Papa digne respondens, paternæ charitatis illi sinum aperuit, ad quem paribus litteris inuitauit. non extant omnes, sed vnæ dumtaxat hoc anno post victoriam obtentam aduersus Saxones redditæ, quæ sic se habent: c

b Id. ibid. ep. 10

c Id. ibid. ep. 7.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei Henrico Regi salutem & Apostolicam benedictionem.

Quando litteras tuæ magnitudinis accepi, longe ab Vrbe, maxime causa infirmitatis aberamus . . . . . cum quibus necessarium erat tractare, quid vestræ legationi ad plenum, sicut oportet, responderem. Vester etiam Nuntius, horum videlicet portitor, ob prædictam causam ægritudinis timebat nobiscum manere. Sed quia desideramus non solum vobiscum, quem Deus in summo rerum posuit culmine, sed etiam cum omnibus hominibus pacem, quæ in Christo est, habere, iusq. suum vnicuique obseruare, cupimus summopere corde & animo adhærere. Noui enim (quod te credo non ignorare) quia qui Deum reuera diligunt, & Romanam Ecclesiam, Romanumq. Imperium ad vindictam suorum criminum non pertimescunt inter nos pacem & concordiam inserere agendo vel orando concupiscunt. Quapropter bonam concepi fiduciam, quia hanc nostram, immo totius Ecclesiæ causam religiosis hominibus cœpisti committere, qui nos, non nostra iniuste diligunt, & vt Christiana instauretur religio, suam intentionem requirunt. Ego autem (vt paucis loquar) horum consilio paratus sum (Christo fauente) gremium tibi sanctæ Romanæ Ecclesiæ aperire, teq. vt dominum fratrem & filium suscipere, auxiliumq. prout oportuerit, præbere: nihil aliud a te quærens, nisi vt ad monita tuæ salutis non contemnas aurem inclinare, & Creatori tuo (sicut te decet) non contradicas offerre gloriam & honorem. Valde quippe indignum est, vt honorem, quem a conseruis & fratribus nostris exigimus, Creatori & Redemptori nostro reddere contemnamus. Moueat itaque nos diuina promissio, qua dicitur: d Ego glorificantes me glorificabo, & qui me contemnunt, erunt ignobiles. & offeramus ei quod placet nobis hac in * via sæculari, vt perfruamur in cælestibus dono spirituali] his vero mox ista subijcit de victoria obtenta aduersus Saxones: De superbia vero Saxonum vobis iniuste resistentium, quæ diuino iudicio a facie vestra contrita est, & gaudendum est pro pace Ecclesiæ, & dolendum, quia multus Christianorum sanguis effusus est.

d 1. Reg. 2.

* vita

Vos autem in talibus plus honorem Dei, & iustitiam eius procurate defendere, quam honori proprio prouidere. Securius enim quilibet Princeps mille impios po-

Universidad de Deusto
Biblioteca

teſt cauſa iuſtitiæ punire, quam propriæ cauſa gloriæ quemlibet Chriſtianum gladio ſternere. omnia enim creauit & regit qui dixit: [a] Ego gloriam meam non quæro. Saluti quippe noſtræ tunc vere prouidemus, cum in cunctis noſtris actibus gloriam Dei proponimus. De Herimanno &c.] monet etenim,& iubet, vt in locum Herimanni Bambergenſis Epiſcopi alius ſubrogetur Antiſtes. ſed de his dictum eſt ſuperius.

[a] Ioan. 8.

Qui igitur ante victoriam adhuc ſub metu erat, manſuetum & obſequentem ſe Gregorio Papæ exhibuit; potitus autem victoria reſilijt, reuerſus ad vomitū,& quæ ipſi promiſerat irrita reddidit. hæc quidem litteræ [b] ipſius Gregorij ad Suffraganeos Mediolanenſis eccleſiæ datæ menſe Octobri ſignificant, quibus queritur Regem contra promiſſa ſua in eccleſiam Mediolanenſem intruſiſſe Thedaldum, ad quem & de his etiam ſcripſit, vocans eos omnes ad Synodum anno ſequenti celebrandam exordio Quadrageſimæ. Iſtam quoque Henrici Regis mutationem Domnizo presbyter in vita Mathildis ita verſibus deplorauit, atque primum cum ante bellum Henricum ſupplicem ita deſcribit:

[b] Greg. lib. 3. ep. 7. 8. 9.

HENRICVS REX EX VICTORIA TVMENS SPERNIT PONTIFICEM.

Quod Rex abſque mora Papæ mandauit, adorans
Atque petens ipſum pro ſe roget vt Crucifixum.
Paſtor confeſtim Saxonum mittere genti
Curauit, plane pacem cupiens reuocare.
Inde ſuus Miſſus donec redeat, iubet ipſum
Regem nullomodo ſuper ipſos pergere: quod non
Rex expectauit. galeatus quin equitauit
Contra Saxones, qui fortes ſunt & atroces.
Peccator quamuis, prudens tamen hic erat armis.
Commiſſo bello, victor Rex extitit ergo.
Vnde ſuperbus adeſt, Papam deſpexit vt amens,
Omnia quæ Papæ matriq. ſpoponderat ante,
Fregit & inuertit, ſimoniacos reuocauit &c.] hæc de his qui præſens aderat Domnizo presbyter. quæ hæc ſequuta ſint, anno ſequenti dicemus.

GREG. TOTVS IN REFORMATIONE ECCL.

Gregorius igitur totus in promulgandis decretis ſynodalibus de extirpanda ſimonia, & clericorum fornicationibus ab Eccleſia, ſicut ſegnes [c] excitat, refugas vrget,& contumaces obiurgat, ita obedientes commēdat & laudat in his diuino zelo incenſos ſtrenue ſe habentes, vt Laudenſem ſumma laude dignum Epiſcopum, nomine Opizonem, ad cuius clericos de his extat eiuſdem Gregorij data [d] epiſtola. Sed perpauci ſunt inuenti, qui fuerint laude digni, plurimi vero qui redarguendi, & comminationibus perurgendi.

[c] Id. lib. 2. ep. 61. 64. 65. 66. & 70.
[d] Id. ibid. ep. 55

GEISAE REG. HVNG. LEGATIO AD SEDEM APOST.

Dum autem Gregorius Pontifex in his eſſet, Geiſa, qui regnum Hungariæ inuaſerat, & expulerat Salomonem, Legatos ad Sedem Apoſtolicam miſit cum litteris ad eumdem Gregorium datis; quem ipſe litteris iteratis admonuit, vt nihil præter iuſtitiam putet ſibi licere, iura vero Eccleſiæ Romanæ ſuper Hungariæ regno velit ſaluā eſſe, atque integra remanere, quorum contemptu ipſe Salomon meruiſſet diuina vindicta regno priuari. Sed alijs rurſum datis ad eum [e] litteris, pro pace inter eos concilianda pluribus agit.

[e] Id. ibid. ep. 70

LEGATIO PAPAE AD POLONOS.

At qui recepit Legatos aliunde miſſos idem Gregorius,& ipſe ad remotiores prouincias legationes decernit. Nam in Poloniam ad [f] Ducem eorum Boleſlaum, qui oblationes ad ſanctum Petrum miſerat, direxit Legatos ad componendas prouinciæ ipſius eccleſias, conſtituendam Metropolim, & augendum numerum ſedium Epiſcopalium, quæ ſufficerent ad immenſam populorum multitudinem gubernandam, quem & rogat vt reſtituat quæ abſtuliſſet a Ruſſis, quorum pacem ſeruare rogat.

[f] Id. ibid. ep. 73.

Inſuper & Legatos miſit ad Demetrium Ruſſorum Regem, cum idem Rex ad Sedem Apoſtolicam ſuum filium præmiſiſſet. Quænam cauſa eum mittendi filium Romam permouerit, ex redditis ad eum Gregorij Papæ litteris ſcies, quæ ſic ſe habent. [g]

[g] Id. ibid. ep. 74

RVSSIA DONATA A ROM. ECCLESIA.

Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Demetrio Regi Ruſſorum & Reginæ vxori eius ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Filius veſter Limina Apoſtolorum viſitans ad nos venit,& quod regnū illud dono ſancti Petri per manus noſtras vellet obtinere, eidem beato Petro Apoſtolorum principi debita fidelitate exhibita, deuotis precibus poſtulauit, indubitanter aſſeuerans, illam ſuam petitionem veſtro conſenſu ra-

ſu ratam fore ac ſtabilem, ſi Apoſtolicæ auctoritatis gratia ac munimine donaretur. Cuius votis & petitionibus, quia iuſta videbantur, tū ex conſenſu veſtro, tum ex deuotione poſcentis, tandem aſſenſum præbuimus,& regni veſtri gubernacula ſibi ex parte B. Petri tradidimus, ea videlicet intentione atque deſiderio charitatis, vt beatus Petrus vos & regnum veſtrum, omniaq. veſtra bona, ſua apud Deum interceſſione cuſtodiat, & cum omni pace honore quoque & gloria idem regnum vſque in finem vitæ veſtræ tenere vos faciat,& huius militiæ finito curſu, impetret vobis apud ſupernum Regem gloriam ſempiternam. Quin etiam nos paratiſſimos eſſe, nouerit veſtræ nobilitatis ſerenitas, vt ad quæcumque iuſta negotia huius Sedis auctoritatem pro ſua neceſſitate petierit, proculdubio continuo petitionum ſuarum conſequetur effectum. Præterea vt hæc & alia multa, quæ litteris non continētur, cordibus veſtris arctius infigantur: miſimus hos Nuntios noſtros, quorum vnus veſter notus eſt & fidus amicus. qui & ea quæ in litteris ſunt, diligenter vobis exponēt,& quæ minus ſunt, viua voce explebunt. Quibus pro reuerentia B. Petri, cuius Legati ſunt, vos mites & affabiles præbeatis; & quidquid vobis dixerint ex parte noſtra, patienter audiatis, atque indubitanter credatis; & quæ ibi ex auctoritate Apoſtolicæ Sedis negotia tractare voluerint,& ſtatuere, nullorum malo ingenio turbari permittatis, ſed potius eos ſincera charitate fauēdo iuuetis. Omnipotens Deus mentes veſtras illuminet, atque per temporalia bona faciat vos tranſire ad gloriam ſempiternam. Dat. Romæ decimoquinto Kal. Maij Indict. xiij.] hactenus epiſtola Gregorij ad Regem Ruſſiæ, a nobis reddita, vt eo exemplo intelligatur, quomodo contigerit plura regna oblata reperiri Apoſtolicæ Sedi. Chriſtiana Regum pietas efficiebat, vt perſuadentes ſibi illi, magis protectione S. Petri principis Apoſtolorum quam armis regna defendi; offerrent illa eidem ſancto Petro, a quo & per ſucceſſorem ipſius Romanum Pontificem acciperent illa in feudum, præſtito iuramento fidelitatis eidem. Iactatum bellorum fluctibus Demetrium ipſum Regem Ruſſorum Lambertus in Chronico hoc eodem anno demonſtrat, dum eum ad Henricum Regem pro auxilio contra fratrem veniſſe tradit.

Iterum hoc anno legationem idem Pontifex miſit, rurſumq. litteras [a] dedit ad Suenonem Daniæ Regē. quarum eſt eiuſmodi exordium de Romanæ Eccleſiæ conſuetudine: Apud anteceſſores noſtros iuris & conſuetudinis erat, charitatiuis legationibus docere viam Domini vniuerſas nationes, corripere in his quæ arguenda erant, omnes Reges & Principes,& ad æternam beatitudinem cunctos inuitare legalibus diſciplinis. plus enim terrarum lex Romanorum Pontificum quam Imperatorum obtinuit &c.] Cumq. queratur de inobedientia & contumacia ſchiſmaticorum Principum, eiuſdem tamen Regis erga Romanam Eccleſiam commendat ſtudium & reuerentiam, quam vt conſeruet, hortatur, ſuum omne pollicens officium, ſi quid pro Danica eccleſia valeat exhibere, & quæ ab Alexandro Pontifice expetijſſet, in promptu habere præſtare, deq. eo omni ſtudio bene mereri. Legatos ab eo mittendos ſe expectare ſignificat, per quos iſta tractari poſſint. At de legationibus hoc anno ab eodem Gregorio Pontifice miſſis hæc ſatis.

[a] Greg. lib. 2. ep. 71.

ROM. ECCL. ESSE OMNES REGES ET PRINCIPES COMMONERE.

Hoc eodem anno S. Anno Archiepiſcopus Colonienſis (vt dictum eſt) ex hac vita migrauit, de quo iſta Lambertus: Annum hunc multis cladibus inſignem, potiſſimum lugubrem fecit obitus Annonis Colonienſis Archiepiſcopi, qui poſt longam ægrotationē, qua Dominus vas electionis ſuæ in camino tribulationis tranſitoriæ purius auro, purgatius mundo obrizo decoxerat, pridie Nonas Decembris beato fine perfunctus, ad Angelos ex hominibus, ad immortalia ex mortalibus tranſmigrauit. Teſtantur hoc ſigna & prodigia, quæ quotidie circa ſepulchrum eius Dominus oſtendere dignatur ad confutandam impudentiam eorum, qui paulo ante vitam eius ſanctiſſimam, atque ab omni huius mundi labe, quantum ad hominem, integerrimam, liuido dente carpebant, & pretioſam margaritam, iam olim cæleſtis Regis diademati deſtinatam, falſis rumoribus obfuſcare conabantur &c.] pergit auctor ab exordio eius inſtitutionem vitæ valde laudabilis ac plane Apoſtolicæ recenſere. Ceterum res ab eo præclare geſtas monachus Sigebergenſis cœnobij & ipſe eiuſdem ſæculi ſincerus ſcriptor tribus libris eſt proſecutus, qui Dei beneficio extant [b] integri. Sediſſe autem conſtat annis viginti atque menſibus decem, vt apparet ex eiuſdem Sancti in ſepulchro ſcripto epitaphio his verſibus:

S. ANNONIS ARCHIEPISC. COLONIENSIS OBITVS.

[b] Apud Sur. to. 6. die 4. Decēb.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Patribus egregijs ornata Colonia multis
Ecclesiæ speculum misit ad hunc tumulum.
Emicuit mundo noua lux Annone secundo,
Qui per cuncta suo par erat officio.
Mensibus hoc denis, annis actoq. vicenis
Quarta Decembris eum lux tulit e medio.]

Ita quidem sedis eius annorum ac mensium numerus optime congruit cum creatione, quem liquet creatum esse Episcopum anno Incarnationis Domini millesimo quinquagesimoquinto, quinto Nonas Martij, id auctore vitæ testante, [a] necnon Mariano Scoto, & Sigeberto. Vnde intelligas errorem in ipsum Marianum irrepsisse, dum in eius Chronico sub anno septuagesimoseptimo eius obitus collocatur, ceteris Scriptoribus, atque ipsomet reclamantibus, dum quo creatus fuerit, annum certum consignat quinquagesimumquintũ supra millesimum. Porro inter insignes tanti pontificis laudum titulos ille præ ceteris eminet, quod inter discordias obortas inter Henricum Regem atque Romanum Pontificem Gregorium, semper aduersus Regem pro Romano Pontifice stetit, vt Marianus affirmat, & quæ dicta sunt superius, docent.

[a] Lib. 2. n. 5.

QVAE IN GREGORIVM PAP. CINCIVS SIT MOLITVS.

Anni huius parte postrema, nempe Natali die Redemptoris, a quo aliqui Chronographorum nouum auspicantur annum, contigit Gregorium Romanum Pontificẽ aggressione sacrilegi hominis Cincij Romani præfecti inuadi, dum sacra ageret, captiuumq. duci, in carcereq. teneri, quousque per populum tumultuantem, & tam immane scelus vlcisci paratum eriperetur, atque pristinæ redderetur libertati. Hæc autem quomodo se habuerint, a Lamberto sic accipe: [b] Ipso tempore contigit Papam per immissionem satanæ grauissima pulsari aduersitate. Quidam Vrbis præfectus Romanæ * Quintius nomine, & generis claritate & opum gloria eminens valde in tota Italia, multa in possessionibus Romanæ Ecclesiæ præter leges faciebat. Perlata ad Papam querimonia, cum eum sæpius modeste corriperet, nec quidquam proficeret secreta correptio, tandem excommunicauit eum, arbitrans hoc saltem modo improbitatem eius coercendam fore. Hinc ille maiori dementia efferatus, ipsa nocte Natalis Domini cum armatis inopinato irruit in ecclesiam, in qua Papa vestimentis pontificalibus indutus sacro altari astabat, Missarum solemnia celebrans, iniectaq. (quod dictu quoque nefas est) in capillos eius manu, multis contumelijs affectum de ecclesia protraxit, & priusquam vulgato per ciuitatem rumore, populus frequens auxilio concurreret, in domum quamdam munitissimam abripuit. Fama tam atrocis facti totam ilico repleuit Vrbem, vndique ad arma conclamatur. Diuites & pauperes nobiles & ignobiles omnes vno animo accurrere, atque in ipso statim orientis diei crepusculo domum Quintij oppugnare summa vi aggrediuntur, & nisi ille mali, quod imminebat haud improuidus, Papam dimittere maturasset, domum ipsam, peremptis omnibus, qui in ea erant, a fundamento euertissent. Papa interueniente, concitatæ multitudinis furor vix & ægre compressus est.

[b] Lamb. Scafn. anno 1076.

* Cincius

Romani quod factum fuerat grauiter nimis & indigne ferentes, omnia, quæ Quintij erant, tam intra muros, quam extra ferro & igne demoliti sunt. Nec minus ille multa militaris audaciæ facinora contra faciebat, succendens & euertens omnia, quæ poterat de possessionibus Romanæ Ecclesiæ. Ita per multos dies non sine magno & harum & illarum partium dispendio simultas hæc trahebatur] hucusque Lambertus. Eadem Guillelmus bibliothecarius in vita Gregorij, vbi ait, omnia ista Guiberti antiqui schismatici, postea vero Episcopi Rauennatis esse artibus concinnata, quippe qui Romæ cum ceteris Episcopis in Concilio sederit, nec Synodo absoluta ab Vrbe discesserit, sed Papatus cupidus inde remouere Gregorium nisus fuerit, atque ad rem perficiendam eumdem Cincium, siue Quintium, vel Cinthium Stephani præfecti filium sollicitauerit. Sed cum, Romano populo vindice, tantum scelus irritum redditũ esset, eumdem Guibertum accepta a Papa licentia, Rauennam isse, ibiq. conspirationem rebellium pontificum Longobardorum, Thedaldi Mediolanensis Archiepiscopi a Gregorio Papa suspensi, & aliorum eadem sententia mulctatorum machinatum esse, quos semper idem Gregorius est passus infestos, & Sedi Apostolicæ contumaces. Insuper opera eiusdem Guiberti Hugonem Candidum Cardinalem, eumdemq. collegam

GVIBERTI RAVENNATIS ARCHIEPISC. MACHINATIONES IN GREG. PAPAM.

gam olim in schismate Cadaloico, receptum vero ab Ecclesia misericorditer, rursum ab eodem Gregorio diuulsisse, atque Regi Henrico aduersus Pontificem coniungere studuisse. ista omnia hoc anno Guibertum Rauennatem Antistitem machinatum esse, eadem Acta Pontificia Guillelmi significant.

Porro a sui exordio Pontificatus Gregorius Papa hunc suspectum habens, atque aduersum sibi fore timẽs, officiosis litteris [a] studuit demereri, sed frustra, cum ille semel ambitionis æstu percitus, eius beneficijs infestior redderetur, & ad nocendum promptior, nihil non meditatus assidue, quonam pacto e throno Gregorium dimouere posset: quod euenta postea declararunt, quæ suis locis pandenda erunt inferius. Hæc de Cincio narrata, apud Vrspergensem posita anno sequenti reperies: sed in fine anni huius accidisse, satis est demonstratum. Ad postremum autem de Anglicana Synodo, hoc itidem anno habita, nobis agendum, quam inter Lanfranci epistolas intextam repertam hic reddendam curauimus:

[a] Greg. lib. 1. ep. 3. lib. 2. ep. 42

SYNODVS ANGLICANA.

Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septuagesimoquinto, regnante glorioso Anglorum Rege Vuillelmo, anno regni eius nono, congregatum est Londoniæ, in ecclesia beati Pauli Apostoli Concilium totius Anglicæ regionis, Episcoporum videlicet, Abbatum, necnon, & multarum religiosi ordinis personarum, iubente, atque eidem Concilio præsidente Lanfranco sanctæ Dorobernensis ecclesiæ Archipræsule, totiusq. Britanniæ insulæ primate, considentibus secum viris venerabilibus, Thoma Eboracensi Archiepiscopo, Vuillermo Londoniensi Episcopo, Goiffrido Constantiensi, qui cum transmarinus esset Episcopus, in Anglia multas possessiones habens cum ceteris in Concilio residebat, Vualchelino Vuintoniensi, Herimanno Syraburnensi, Vuilstano Vuiricestrensi, Gualtero Herefordensi, Gisone Vuellensi, Remigio Dorcacensi, seu Lincolniensi, Herfasto Helmeanensi, seu Nornuicensi, Stigando Slengensi, Osberno Exoniensi, Petro Licifeldensi. Roffensis ecclesia per idem tempus pastore carebat. Lindisfarnensis, qui & Dunelmensis Episcopus, canonicam excusationem habens, Concilio interesse non poterat. Et quia multis retro annis in Anglico regno vsus Conciliorũ obsoleuerat, renouata sunt nonnulla, quæ antiquis etiam noscuntur canonibus definita. Ex Concilio igitur Toletano Quarto, Mileuitano, atque Bracarensi statutum est, vt singuli secundum ordinationis suæ tempora sedeant, præter eos, qui ex antiqua consuetudine, siue suarum ecclesiarum priuilegijs, digniores sedes habent. De qua re interrogati sunt senes, & ætate prouecti, quid vel ipsi vidissent, vel a maioribus atque antiquioribus veraciter, ac probabiliter accepissent. super quo responso petitæ sunt induciæ, ac concessæ vsque in crastinum. Crastina autem die concorditer perhibuere, quod Eboracensis Archiepiscopus ad dexteram Dorobernensis sedere debeat, Londoniensis Episcopus ad sinistram; Vuentanus iuxta Eboracensem, si vero Eboracensis desit, Londoniensis ad dexteram, Vuentanus ad sinistram.

Ex regula beati Benedicti, Dialogo Gregorij, & antiqua regularium locorum consuetudine, vt monachi ordinem debitum teneant; infantes præcipue, & iuuenes in omnibus locis, deputatis sibi idoneis magistris, custodiam habeant; nocte luminaria ferant, generaliter omnes nisi a Prælatis concessa prioritate careant. Si quis vero aliquid proprij sine præfata licentia habere in morte fuerit deprehensus, nec ante mortem id reddiderit, cum pœnitentia & dolore peccatum suum confessus, nec signa pro eo pulsentur, nec salutaris pro eius absolutione hostia immoletur, nec in cœmeterio sepeliatur. Ex decretis summorum Pontificum, Damasi videlicet, & Leonis, necnon ex Concilijs Sardicensi, atque Laodicensi, in quibus prohibetur Episcopales sedes in villis existere, concessum est regia munificentia, & synodali auctoritate præfatis tribus Episcopis, de villis ad ciuitates transire, Herimanno de Syraburna ad Serisberiam, Stigando de Seleugeo ad Ciceſtrum, Petro de Licifeldo ad Ceſtrum. De quibusdam, qui in villis, seu vicis adhuc degebant, dilatum est vsque ad Regis audientiam, qui in transmarinis partibus tunc temporis bella gerebat.

Ex multis Romanorum Præsulum decretis, diuersisq. sacrorum canonum auctoritatibus, ne quis alienum clericum, vel monachum sine commendaticijs litteris retineat, vel ordinet. Ad comprimendam quorumdam indiscretorum insolentiam, ex communi decreto sancitum est, ne quis in Concilio loquatur præter licentiam a Metropolitano acceptam, exceptis Episcopis & Abbatibus. Ex decretis Gregorij Maioris, nec-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ris, necnon & Iunioris, vt nullus de propria cognatione, vel vxoris defunctæ, seu A
quam cognatus habuit, vxorem accipiat, quoadusque parentela ex alterutra parte
ad septimum gradum perueniat. Vt nullus sacros ordines, seu officium ecclesiasti-
cum, quod ad curam animarum pertineat, emat vel vendat. Hoc enim scelus a Petro
Apostolo in Simone mago primitus damnatum est, postea a sanctis Patribus vetitum
& excommunicatum. Ne ossa mortuorum animalium, quasi pro vitanda anima-
lium peste, alicubi suspendantur: Nec sortes, vel aruspicia, seu diuinationes, vel ali-
qua huiusmodi opera diaboli ab aliquo exerceantur. Hæc enim omnia sacri canones
prohibuerunt, & eos, qui talia exercent, data sententia excommunicauerunt. Ex
Concilijs Eliberitano & Toletano Vndecimo, vt nullus Episcopus, vel Abbas, seu qui-
libet ex Clero hominem occidendum, vel membris truncandum iudicet, vel iudicanti-
bus suæ auctoritatis fauorem commodet. B

Ego Lanfrancus Dorobernienſis Archiepiſcopus ſubſcripſi.
Ego Thomas Eboracenſis eccleſiæ Archiepiſcopus ſubſcripſi.

Subscripserunt & alij Episcopi, vel Abbates; qui interfuerunt] hucusque ibi, quæ ne, vt multa alia, pereant, hic describenda putauimus.

IESV CHRISTI GREGORII VII. PAP. VACAT. IMP. OCCID. 20.
ANNVS ANNVS MICH. VII. DVC. IMP. 5.
1076. 4.

ANNVS Redemptoris millesimus septuagesimussextus Indictione decimaquar- C
ta inchoatus turbulentissimus extitit ob ecclesiasticas perturbationes Henrici
Regis opera in Gregorium Romanum Pontificem excitatas. De quibus acturi, recto
tramite temporis ordine rerum gestarum serie accurate digesta, quomodo ista cœpta,
deducta, atque fuerint consummata, dicemus. Atque primum meminisse opus est,
quod anno superiori dictum est testificatione auctorum eius temporis, Henricum
Regem post obtentam victoriam aduersus Saxones, timore solutum contempsisse im-
plere ea, quæ Apostolicæ Sedis Legatis ante promiserat, atque excommunicatos a Ro-
HENRICI REG. CONTEMPTVS IN SEDEM APOST. mano Pontifice recepisse atque fouisse. quem quidem contemptum haud diutius to-
lerandum, visum est Gregorio Papæ, qui (quod fecerat prædecessor eius Alexander,
cum aduersus eumdem Regem Saxones accusationes plurimas ad Sedem Apostoli-
cam intulissent) eumdem Regem ad dicendam causam Romam vocauit ad Synodum
proxima Quadragesima conuocandam. Missi fuerunt ad hoc agendum Legati, de D
quibus ita Lambertus anni huius initio: Aderant (inquit) præterea Hildebrandi Pa-
pæ Legati denuntiantes Regi, vt secunda feria secundæ hebdomadæ in Quadrage-
sima ad Synodum Romæ occurreret, de criminibus, quæ obijcerentur, causam di-
cturus: alioquin sciret, se absque omni procrastinatione eodem die de corpore sanctæ
Ecclesiæ Apostolico anathemate abscindendum esse] hæc Lambertus eius tempo-
ris auctor.

[a] Greg. lib. 3. ep. 10. Sed audiendæ sunt litteræ,[a] quæ anni huius exordio idem Gregorius Papa ad ipsum
Regem Henricum conscripsit, quibus queritur aduersus eum de nonnullis ab eodem
Rege contra promissa aduersus Sedem Apostolicam perpetratis, quæ sic se habent:

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei, Henrico Regi salutem & Apostolicam E
benedictionem, SI TAMEN APOSTOLICAE SEDI, VT CHRISTIA-
NVM DECET REGEM, OBEDIERIT.

Considerantes, ac sollicite pensantes, quam districto Iudici de dispensatione credi-
ti nobis per beatum Petrum Apostolorum principem ministerij rationem reddituri su-
mus: cum dubitatione Apostolicam tibi benedictionem mandauimus, quoniam iu-
GREG. PAP. ADMONITIO AD HENRICVM REG. dicio Sedis Apostolicæ, ac synodali censura excommunicatis communionem tuam
scienter exhibere diceris. Quod si verum est, tu ipse cognoscis, quod nec diuinæ, nec
Apostolicæ benedictionis gratiam percipere possis, nisi his, qui excommunicati sunt,
a te separatis, & compulsis ad pœnitentiam, de transgressione tua condigna pœni-
tudine & satisfactione prius absolutionem consequaris & indulgentiam. Vnde ex-
cellentiæ tuæ consulimus, vt si in hac re te culpabilem sentis; celeri confessione ad
consilium religiosi alicuius Episcopi venias, qui cum nostra licentia congruam tibi

pro

A pro hac culpa iniungens pœnitentiam, te absoluat, vt nobis tuo consensu modum
pœnitentiæ tuæ per epistolam suam veraciter intimare audeat] hæc est prima quere-
la Gregorij aduersus Henricum Regem, post quam secundam sic ingerit:

De cetero mirum nobis valde videtur, quod totiens nobis tam deuotas epistolas,
& tantam humilitatem tuæ celsitudinis per Legatorum tuorum verba transmittis, fi-
lium te sanctæ matris Ecclesiæ, & nostrum vocas, in fide subiectum, in dilectione vni-
cum, in deuotione præcipuum; postremo cum omni affectu dulcedinis & reuerentiæ
te commendas, re tamen & factis asperrimum; canonicis atque Apostolicis decretis in
his quæ ecclesiastica religio maxime poscit, te contrarium ostendis. Nam vt de reli- QVERELAE GREGORII DE HENRICO REGE.
quis taceamus, quod de causa Mediolanensi per matrem tuam, per confratres nostros
Episcopos, quos ad te misimus, nobis promiseras, qualiter attenderis, aut quo animo
B promiseris, ipsa res indicat. Et nunc quidē vt vulnus vulneri infligeres, contra statuta
Apostolicæ Sedis tradidisti Firmanam & Spoletanam ecclesiam (si tamen ab homine
tradi ecclesia aut donari potest) quibusdam personis nobis etiam ignotis, quibus non
licet nisi probatis & antea bene cognitis regulariter manum imponere] hactenus se-
cunda querela de collatione, quam Rex sibi vsurpauerat etiam in terris sub Romanæ
Ecclesiæ dominio positis. Tertia vero & illa subnectitur querela de contemptis a Re-
ge decretis synodalibus, quibus (vt vidimus) ipse Gregorius quidquid turpe in Eccle-
sia Dei, vel ex simoniaca labe, vel luxuriæ clericorum turpitudine esset aspersum, est
conatus abstergere. ait enim:

Decuerat regiam dignitatem tuam, cum te filium Ecclesiæ confiteris, honorabilius
magistrum Ecclesiæ, hoc est, B. Petrum Apostolorum principem intueri, cui, si de Do-
C minicis ouibus es, Dominica voce & potestate ad pascendum traditus es, dicente sibi
Christo: [a] Petre pasce oues meas. & iterum: [b] Tibi traditæ sunt claues regni cælorum, [a] Ioan. 17.
& quodcumque ligaueris super terrā, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solue- [b] Matth. 16.
ris super terram, erit solutum & in cælis. In cuius Sede & Apostolica administratio- DE CVLTV APOST. SEDIS SPRETO.
ne, dum nos qualescumque peccatores & indigni, diuina dispositione vicem suæ po-
testatis gerimus, profecto quidquid ad nos vel per scripta, aut nudis verbis miseris, ip-
se recipit: & dum nos aut elementa percurrimus, aut loquentium voces auscultamus,
ipse ex quo corde mandata prodierint, subtili inspectione discernit. Quapropter pro-
uidendum esset tuæ celsitudini, ne erga Sedem Apostolicam in verbis & legationibus
tuis aliqua inueniretur discrepantia voluntatis; & in his per quæ Christiana Fides &
status Ecclesiæ ad æternam salutem maxime proficit, non nobis, sed Deo omnipotenti
D debitam non denegares reuerentiam, quamquā Apostolis eorumq. successoribus Do-
minus dicere dignatus sit: [c] Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit. [c] Luc. 10.
Scimus enim quoniam qui fidelem Deo obedientiam exhibere non renuit, in his quæ
sanctorum Patrum statuta sequentes dixerimus, veluti si ab ore ipsius Apostoli acce-
pisset, nostra monita seruare non spernit. Nam si propter reuerentiam cathedræ Moy-
si Dominus præcepit Apostolis, vt quæcumque Scribæ & Pharisæi super eam seden-
tes dicerent, obseruarent: non dubium est, quin Apostolica & Euangelica doctrina,
cuius sedes & fundamentum Christus est, cum omni veneratione a Fidelibus per eos,
qui in ministerium prædicationis electi sunt, suscipienda & tenenda sit.

Congregata namque in hoc anno apud Sedem Apostolicā Synodo, cui nos superna DE SYNODO CONGREGATA ET DECRETIS SYNODALIBVS RENOVATIS.
dispensatio præsidere voluit, cui etiam nonnulli tuorum intefuere fidelium, videntes
E ordinem Christianæ religionis multis iam labefactatum temporibus, & principales ac
proprias lucrandarum animarum causas diu prolapsas, & suadente diabolo concul-
catas: concussi periculo & manifesta perditione Dominici gregis, ad sanctorum Pa-
trum decreta doctrinamq. recurrimus, nihil noui, nihil adinuentione nostra statuen-
tes; sed primam & vnicam ecclesiasticæ disciplinæ regulam, & tritam Sanctorum
viam, relicto errore repetendam, & sectandam esse censuimus. Neque enim alium
nostræ salutis & æternæ vitæ introitum Christi ouibus, eorumq. pastoribus patere
cognoscimus, nisi quem ab ipso monstratum, qui dixit: [d] Ego sum ostium, per me [d] Ioan. 10.
si quis introierit, saluabitur, & pascua inueniet; & ab Apostolis prædicatum, & a san-
ctis Patribus obseruatum, in Euangelica, & in omni diuinarum Scripturarum pagina
didicimus. Huius autem decreti, quod quidam dicunt, humanos diuinis honoribus
præponentes, importabile pondus, & immensam grauitudinem: nos autem magis

pro-

Universidad de Deusto
Biblioteca

proprio vocabulo recuperandæ salutis necessariam veritatem vocamus, & lucem, non A
solum a te, vel ab his qui in regno tuo sunt, sed ab omnibus terrarum Principibus &
populis qui Christum confitentur & colunt, deuote suscipiendam & obseruandam
adiudicamus. Quamquam hoc multum desideremus, & te permaxime deceret, vt
sicut ceteris gloria & honore, virtuteq. potentior, ita esses & in Christi deuotione
sublimior. Attamen ne hæc supra modum tibi grauia aut iniqua viderentur: per tuos
fideles tibi mandauimus, ne prauæ consuetudinis mutatio te commoueret; mitteres
ad nos quos sapientes & religiosos in regno tuo inuenire posses, qui si aliqua ratione
demonstrare vel astruere possent, in quo saluo æterni Regis honore, & sine periculo
animarum nostrarum promulgatam sanctorum Patrum possemus temperare senten-
tiam, eorum consilijs condescenderemus. Quod quidem, etsi a nobis tam amicabi- B
liter monitus non fuisses; æquum tamen fuerat vt prius in quo te grauaremus, aut tuis
honoribus obstaremus, rationabiliter a nobis exigeres, quam Apostolica decreta vio-
lares. Verum quanti aut nostra monita, aut obseruantiam iustitiæ feceris, in his quæ
postmodum a te gesta & disposita sunt, declaratur.

Sed quia dum adhuc longa Dei patientia ad emendationem te inuitat, crescente
intelligentia tua, ad obedientiam mandatorum Dei cor & animum tuum flecti pos-
se speramus: paterna te charitate monemus, vt Christi super te imperium recogno-
scens, honorem tuum eius honori præponere, quam sit periculosum, cogites, & liber-
tatem Ecclesiæ, quam sponsam sibi cælesti consortio iungere dignatus est, non iam
tua occupatione impedias, sed quo maxime crescat, Deo omnipotenti & beato Petro,
a quibus & tua mereatur amplificari gloria, auxilium tuæ virtutis fideli deuotione
exhibere incipias. Quod nimirum pro collata tibi ex hostibus tuis victoria, nunc te C
permaxime illis debitum fore, cognoscere debes, vt dum te memorabili prosperitate
lætificant; ex concessis beneficijs deuotiorem videant. Atque hoc vt timor Dei, in MODESTE VTENDA VICTORIA.
cuius manu & potestate omne regnum est & Imperium, præcordijs tuis altius quam
nostra admonitio infigat: in mente habeas quid Sauli post adeptam victoriam, qua
Propheta iubente vsus est, de suo triumpho glorianti, & eiusdem Prophetæ monita
non exequenti acciderit, & qualiter a Domino reprobatus sit. Quanta vero gratia
Dauid Regem ex merito humilitatis inter virtutum insignia subsecuta fuit. Denique
super his, quæ in epistolis tuis visa ac cognita reticemus, non antea tibi certa respon-
dabimus, donec Legati tui Rabbodi, Adelprech, & Vodescal * Rei, quos his adiunxi- *
mus, ad nos reuersi, super his, quæ illis tecum agenda commisimus, tuam nobis
plenius aperiant voluntatem. Datum Romæ sexto Idus Ianuarij Indictione xiiij.] D
Audisti Lector, vere patrem filio salutis monita ex debito impartientem, nihil adhuc
minarum litteris immiscentem, nulla de excommunicando Rege verba facientem.
Porro hanc missam legationem, & litteras datas dicta Ianuarij die postremas fuisse,
vtpote perlatas paulo ante conciliabulum Vuormatiense celebratum Dominica Se-
ptuagesimæ, dicere opus est.

At quid post hæc Rex contemptor numinis, atque perfidiæ cultor egerit, videamus.
Collegit mox aduersus eum Vuormatiæ conuenticulum, de quo dicturi, antea opus
est, vt quæ occurrunt ipso ingressu mendaciorum spineta, veritatis falce succidamus.

CONFVTANDVS IMPOSTVRAE NOVATIVM. a Reiectens damnatos auctor iure perstringitur, qui historiam de vita Henrici Quarti, & de vita Gregorij Septimi ex Bauarico edita colonia Francofurti anno Domini 1581.

Qui nuper edidit viram Henrici huius a auctor, idemq. promulgator Bennonis in
Gregorium Papam calumnijs conferti voluminis, egregij mendaciorum contextoris E
opus, quod sæpe superius contigit rationibus apertissimis confutari, hic, inquam, con-
fartor impostiurarum, commenticias quasdam litteras Henrici Regis nomine ad An-
nonem Coloniensem Archiepiscopum de indictione Concilij Vuormatiensis post Hen
rici eiusdem viram apposuit. de quo alterum de duobus dicendum est, vel quod eas
ipse commentus sit stylo mendaci; vel si non ipse fecit, sed vt eas inuenit antiquitus
scriptas, edidit bona fide (si in malo animo potuit esse bona fides) tunc summæ osci-
tantiæ, obtusi ingenij redarguendus idem est homo, qui adeo manifestam falsitatem,
sui plane magnitudine portentosam non cognouit. Hæc vt perspicue intelligas, Le-
ctor, attende. Constat testificatione Lamberti, rem gestam præ oculis habentis, non
ante indictum esse conciliabulum Vuormatiense, quam legatione accepta a Romano
Pontifice Henricus hoc anno id facere est aggressus: quomodo ergo potuit de eo scri-
psisse ad Archiepiscopum Coloniensem, vt se conferret Vuormatiam ad Concilium,

quem

A quem constat longo laborantem morbo, anno superiori esse defunctum? id eodem
auctore testante, qui res ab eo præclare gestas pluribus prosecutus est, idipsum affir-
mante auctore ipso, qui tunc temporis vitam eiusdem Annonis conscripsit, id Sigeber-
to & Alberto Stadensi, quem ipsemet edidit, & scholijs infecit, idipsum alijs pluri-
bus asserentibus. Nec est quod dici possit, alias ante ab eodem Rege indictum anno
superiori idem Vuormatiense Concilium aduersus Romanum Pontificem, tempore
Pentecostes celebrandum: nam nihil otij vel de eo cogitandi Henrico erat, qui totus
in expeditione Saxonica esset, cuius erat & longe ab his remotus animus, quem vidi-
mus suis litteris obsequentem se exhibuisse ipsi Romano Pontifici, & Gregorij Papæ
erga ipsum haud aliena ab amantissimo patre frequentata esse officia, longeq. abtuis-
se, vt quæ de Legatis Regis Romæ male habitis narrantur in ijsdem litteris, accidere
B potuerint, & sub Annone illa euenerint, quæ in ijsdem Henrici litteris ad Annonem
Colonien sem Archiepiscopũ narrantur his verbis, vbi questus est pluribus, quod Gre-
gorius non sacerdotium tantum sibi sumeret, sed vsurparet & regnum:

Me quoque, inquit, quem Deus in regnum, non autem illum vocauit ad sacerdo-
tium, quia me de Deo & non de illo regnare velle vidit, quia ipse Regem me consti-
tuit, regno priuare studuit, minitans regnum, animamq. mihi tollere, quorum neu-
trum concessit. hæc & his similia cum sæpius in nostram (vt ipse nosti) contumeliam
struxerit, non tamen adhuc sufficere credit, qui de die in diem noua exquisita confu-
sionis genera nobis ingerit, vt in nostris Nuntijs nouiter argumentum dedit. Nam
charta exponere non sufficit, qualiter eosdem nostros Nuntios tractauerit, quam in-
C dignis modis affecerit, quam crudeliter eos incarcerauerit, & carceratos nuditate, fri-
gore, fame, siti, ac plagis contriuerit; sicq. demum ad exemplum per medium ciui-
tatis circumductos omnibus spectaculum præbere iusserit, ita vt eumdem cum De-
cio tyranno insanire, & Sanctos assare credas & dicas. Vnde ne pigeat charissime,
communi nostrum, scilicet meæ & Coepiscoporum tuorum petitioni satisfacere, vt
in Pentecoste Vuormatiam venias, & ibi plura, quorum pauca docet chartula, cum
ceteris audias Principibus, & quid agendum sit doceas, rogatus per dilectionem Co-
episcoporum, monitus per Ecclesiæ vtilitatem, obligatus per vitæ nostræ & regni to-
tius honorem] hactenus ad Colonien sem Antistitem Annonem Rex scripsisse fingi- MVLTA AB IMPOSTORE COAGMENTATA MENDACIA.
tur. Nec quidem ob aliam causam id a schismaticis factum, nisi vt Gregorius sanctis-
D simus Papa huiusce modi calumnijs infamatus vilesceret, maleq. penes omnes audiens
ab omnibus proscinderetur blasphemijs & maledictis; sacrilegus vero Rex excusatus
atque laudatus existeret. Sed qui Legatorum finxit carcerem, verbera, & per Vrbem
ignominiosam illam circumductionem, oblitus est iam Annonem fuisse defunctum, ad
quem est commentus scripsisse Regem; ita Deo vindice veritatis agente, vt semper
mendax aliquid in commentandis mendacijs omittat, vel addat, quibus teneri possit
& argui. Cum alioqui etiam, si ad alium quempiam tunc vere existentem Episco-
pum Regem scripsisse finxisset impostor: adhuc tamen ex facti euidentia mendacij
redargui potuisset, quod non ad Pentecosten, sed ad Septuagesimæ Dominicam indi-
ctum fuisset a Rege Vuormatiense conuenticulum illud. Sed & si hoc quoque cauisset
astutus artifex, tamen quod tam enorme facinus sui immanitate longe lateq. vul-
gandum, a nemine vmquam fuerit scriptum, quod nec extitisset aliquando, ex litte-
ris Gregorij nouissime recitatis, satis quisque poterit intelligere. Facessant igitur ista
E cum alijs in Gregorium a schismaticis excogitata figmenta. Iam vero ex Lamberto
tunc viuente, auctore fide præstanti prosequamur historiam, qui pergit de indicta
pseudosynodo Vuormatiensi ista narrare:

Legatio, Papæ scilicet vehementer Regem permouit: statimq. abiectis cum grau VVORMATIENSE CONVENTICVLVM.
contumelia Legatis, omnes qui in regno suo essent, Episcopos & Abbates Vuorma-
tiæ Dominica Septuagesimæ conuenire præcepit, tractare cum eis volens ad deponen-
dum Romanum Pontificem, si qua sibi via, si qua ratio pateret, in hoc cardine totam
verti ratus salutem suam, & regni stabilitatem, si is non esset Episcopus] At quis præ-
parato fomiti addiderit ignem, malorum omnium incentor existens, sic idem auctor
Paulo inferius narrat: Rex statuta die venit Vuormatiam, venerunt etiam Episco-
pi & Abbates amplissimo numero. Commode quoque conficiendis tantis rebus in-
teruenit quidam ex Cardinalibus Romanis Hugo cognomento Blancus, quem ante

pau-

Universidad de Deusto
Biblioteca

paucos dies propter ineptiam eius & mores inconditos Papa de statione sua amouerat, deferens secum de vita & institutione Papæ scenicis figmentis consimilem tragœdiam, scilicet, vnde oriundus, qualiter ab ineunte ætate conuersatus, quam peruerso ordine Sedem Apostolicam occupauerit, quæ ante Episcopatum, quæ post acceptum Episcopatum memoratu quoque incredibilia flagitia commiserit] quænam autem ista fuerint, auctor qui ea esse commenticia probe nouit, scribere prætermisit. Sed Benno pseudocardinalis vna collegit, atque in Ecclesia postea promulgauit, quæ nos sicut superius mendacij conuicimus, ita & inferius nullo ferme negotio redarguemus manifesti erroris & falsitatis. cœptam semel modo prosequamur historiam. pergit ergo Lambertus:

QVAE IN GREGORIVM PAP. DECERNVNTVR A SCHISMATICIS.

Huius auctoritatem tamquam diuinitus sibi destinatam gratissime amplexati, & promptissime secuti, sententiam promulgarunt, quod Papa esse non possit; nec vllam iuxta priuilegium Romanæ Sedis, ligandi aut soluendi potestatem habeat, vel aliquando habuerit, qui tantis vitâ probris ac criminibus commaculauerit. Cumq. ceteri omnes damnationi eius, nihil hæsitantes subscriberẽt: Adalbero Vuirtzeburgensis Episcopus, & Herimannus Metensis Episcopus aliquamdiu restiterunt, dicentes, incongruum valde & contra canonum scita esse, vt Episcopus aliquis absens, absque generali Concilio sine legitimis & idoneis accusatoribus & testibus, necdum probatis criminibus quæ obijcerentur, condemnaretur, nedum Romanus Pontifex, aduersus quem nec Episcopi, nec Archiepiscopi cuiusquam recipienda sit accusatio. Sed Vuillelmus Traiectensis Episcopus, qui causam Regis pertinacius tuebatur, vehementer imminebat, vt aut cum ceteris in damnationem Papæ subscriberent, aut Regi, cui sub iureiurando fidem spopondissent, protinus renuntiarent. Is eo tempore Regi admodum charus acceptusq. erat, eiq. Rex omnium quæ priuatim, vel publice agenda erant, post se ordinationem delegauerat, vir sæcularibus litteris apprime eruditus, sed fastu nimio inflatus, vix se ipse ferebat. Igitur ex nomine omnium qui conuenerant Episcoporum & Abbatum, plenæ contumeliarum litteræ Romam destinãtur, quibus denuntietur Romano Pontifici, vt Pontificatu, quem contra ecclesiasticas leges vsurpasset, se abdicet; sciatq. post eam diem quidquid agat, iubeat, decernat, irritum haberi] hæc sunt, quæ in conciliabulo Vuormatiensi esse acta, Lambertus enarrat.

His consentiunt quæ carmine scripsit eiusdem tẽporis auctor Domnizo presbyter in vita Mathildis libro priori, post enarratũ lapsum Regis, post victoriam insolescentis, in priora atque deteriora crimina relabẽtis, quæ emendanda tũ Legatis Apostolicæ Sedis, tum matri Agneti Augustæ iureiurando promiserat, quorũ causa in eum cõmotus Gregorius fuit, his scilicet versibus, qui etsi pedibus claudicẽt, veritatis firmitate consistũt:

Acrius ad Regem scripsit Papa sacer, & se
Vlterius clamat non posse pati mala tanta.
Rex mox hac illac discurrere cœpit, ad ista
Plures peruersos coadunans tempore certo.
Cum quibus aduersum patrem loquitur reuerendum,
Moguntinus ibi fuit Archiepiscopus, ipsi
Iudicium totum tribuit Rex flagitiosus.
Huc Hugo tunc falsus venit qui dicitur Albus,
Officit hic multis Romanæ presbyter Vrbis.
Ter damnatus erat, pretio qui restituebat
Emptores Christi templorum, iunctus & ipsis
Aduersus Papam fingens mala, latificabat
Corda malignorum, Regis simul & sociorum.
Audax Antistes Moguntinus nimis ille
Non Christum timuit, Papam quando maledixit,
Cuncti subscribunt. Magis ipsi se maledicunt,
O blasphemia non vmquam hic, neque post abolenda.
Hoc anathema quidem mandauit mox procul idem
Ad Allobrogas simoniacos nimis altos,
Qui læti facti, in Papam denique raptim
Omnes concurrunt, Regis faciunt quoque iussum.

Iurant,

Iurant, subscribunt contra Dominumq. Magistrum.
Mittendos apices Romam Rex edidit ipse,
Qui de sede sacra dicebant surgere Papam
Iniuste stantem, Papatum depopulantem.
Quos Synodo coram statuerunt mittere Romam.
Quidam Rolandus Parmensis clericus aptus
Eligitur, quarum gerulus tunc litterarum.] hæc auctor, rude, sed vere; Albertus autem tradit, Saxonicos Episcopos nequaquam assensum præbuisse eiusmodi inaudito facinori. In quo tamen perpetrando, haud eo progredi ausa est factio impiorum, vt ipsum Gregorium (prout audisti ex Lamberto) a Sede Pontificali deponeret, sed vt seipsum deponeret, ad eum ex Synodo conscripsisse. sed quæ hæc secuta sint, videamus. Lambertus enim, cuius fides integra comprobatur, sic pergit:

Legati, vt iussum fuerat, summo conatu iter accelerantes, pridie quam *a Papa Romæ* Synodus indicta celebraretur *(erat ex more prima hebdomada Quadragesimæ)* Romam ingressi litteras tradunt. Tunc ceteram legationem, sicut in mandatis habebant, verbo non minus contumelioso, quam scripto exequuntur. Papa nihil permotus atrocitate nuntij, postera die, cum Clerus & populus ad Synodum frequens confluxisset, in auribus omnium litteras recitari fecit; & sic cunctis, qui conuenerant Episcopis id fieri decernentibus, Regem excommunicat, & cum eo Archiepiscopum Moguntinum Sigefridum, Episcopum Traiectensem Vuillelmum, Episcopum Babenbergensem Robertum. Ceteris qui conspirationis huius participes extiterant, diem statuit, qua nisi Romam præsentati causam dicerent nouæ huius & inusitatæ contra Sedem Apostolicam rebellionis, simile ceteris excommunicationis sententiam sortirentur. Porro Ottonem Ratisponensem Episcopum, & Ottonem Constantiensem Episcopum, & Burchardum Losannensem Episcopum, Eberhardum Comitem, Vdalricum, & alios nonnullos, quibus Rex potissimum Consiliarijs vtebatur; iam pridem excommunicauerat] Erant hi, qui pecunia distrahebant Episcopatus & Abbatias, quos in Synodo anno superiori Gregorius (vt vidimus) excommunicatione damnarat, quos tamen Rex contra iussa Gregorij secum in palatio retinebat.

SYNODVS ROMANA IN QVA REX HENRIC. EXCOMMVNICATVR.

Non prætermittendum, quod de hac eadem Synodo Romæ habita Domnizo presbyter scribat in vita Mathildis, nimirum ipsum Gregorium Papam ob oculos repræsentasse totius Synodi de his, quæ agerentur, sculptam imaginem, quæ veluti sacris litteris exprimeret totius tragœdiæ argumentum, his scilicet symbolis. Anguis erat, idemq. percussus seipsum spiris colligens, rabido morsu appetens coram positum ouum, lapideum ipsum quidem, quod nihil posset lædere, sed læsus ipse refugeret. Quibus significaretur petra (quæ est Ecclesia) furore persequentis Regis lædi non posse, lædi vero ipsum, qui eam lacerandam persecutione tentasset. sed audi ipsum:

QVID DE SYNODO HABITA ROMAE ROLANDVS.

Incipiens Synodum pastor Gregorius, ouum
Gallinæ sculptum gestans in cortice scutum
Et colubrum nigrum, qui tendebat caput, ictu
Quippe repercussus quodam, pertingere sursum
Non poterat, caudamq. plicans dabat sinuatam.
Non erat hæc plana, sed erat sculptura leuata
Ad Synodum fertur, numquam par ante repertum.
Quod dum miratur: prædictus ecce Rolandus
In medium venit, Papæ mox dicere cœpit:
Rex iussit terræ, iusserant pontificesq.
Vt linquas Sedem, quam non es dignus habere.
Romanis clericis mox idem portitor inquit
Cœstes in Pente Romam, testor, veniet Rex
Missurus Papam, lupus hic, non est quia Papa.] Hæc eadem de Rolando habent Acta ipsius Gregorij, quibus eiusdem Pontificis vita texitur, & reliqua consentientia ijs, quæ subijciuntur. nam pergit Domnizo.

Has gestare decet virtutes nos modo vere,
Atque Crucem Christi studeamus ferre metipsi,
Non nos a Christo tribulatio separet isto

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tempore, sed colla subdamus, membraq. nostra A
Martyrio. Verbo fidei feriatur hic ergo
Ostensus serpens, qui scutum gestat & ensem
Aduersus matrem Romanam Catholicamq.
Ecclesiam Christi de sanguine rubra benigni.
Plura loquens Papa, dixit Synodus sibi sancta:
Tu Pater es patrum, blasphemum contere prauum.
Est nostrum quippe iussis parere, tuisq.
Pro Christo mortem patienter gliscimus omnes:
Iudicium confer, gladium trahe, percute fortem.
Omnibus excelso dignum clamantibus esse,
Priuari regno Regem, maledicere necnon. B
Papa dolens, vinclo anathematis illico strinxit
Regem prædictum. Cui regnum deuetat ipsum.
In Quadragesima Synodus celebrata sit ista,
Qui Petrum sanctum, qui Papam diligit almum,
Hoc anathema probat.] Subdit de clarissimis feminis Beatrice atque eius filiæ Mathilde Comitissis, quæ licet propinquæ sanguine Regi essent, nequaquam à Gregorio Pontifice recesserunt, sed magis magisq. inhæsere; ita tamen vt mediatrices agerent apud Regem, vt eum Ecclesiæ conciliarent; quod & perfecere tandem, vt suo loco dicetur. Sed nec mater ipsa Regis Agnes Augusta amore filij recessit a Gregorio Papa, sed illi inhærens permansit immobilis vsque ad extremum vitæ spiritum, quem anno sequenti obtulit Deo apud sanctum Petrum, vt suo loco dicetur inferius. De C
ista namque hæc Sigebertus hoc anno de Gregorio: Quoscumque potest, ab Henrico verbis & scriptis auertit, animum etiam Agnetis matris eius ab eo alienat]

Agitur de his etiam in rebus gestis sancti Anselmi Lucensis Episcopi, scriptis mandatis ab eius presbytero pœnitentiario, in quibus hæc inter alia: Inaudita deinde audacia & admirabili superbia sui facinoris compotes, nec dicendos colligit Episcopos in ciuitatem Vuormatiam, habitoq. conciliabulo, proscripserunt primæ Sedis Episcopum: quod à sæculis non est auditum. Fecit deinceps legationem in Italiam, eamdem affirmans præsumptionem per schismaticos sibi complices Episcopos. Huius legationis lator fuit quidam * Eberardus nomine, Teutonicus natione, filius sæculi, hamus diaboli, inuentor omnis fere mendacij. Hic circuiuit & perambulauit terram, vt schismatica omnes inficeret contagione. Multos certe qui propter interdictum domini Papæ diuino ab officio cessauerant, ipse interdictus & vinculo perditionis ligatus inaudita temeritate ac superbia reconciliauit; & ex parte domini sui Regis, vt officium more priori celebrarent, indixit. D

* Rolandus

Cum igitur dissimulare amplius tanti facinoris malitiam non posset Apostolicus, excommunicauit tam ipsum, quam omnes ipsius fautores, atque omnem sibi regiam dignitatem interdixit, & obligatos sibi sacramentis ab omni debito fidelitatis absoluit. Quia (quod verecundum etiam est dicere) præter hæreticam, quam præ-
libauimus, culpam, aderant in sancto Concilio Nuntij illius sic audentes latrare: Præcipit dominus noster Rex, vt Sedem Apostolicam, Papatum, vtpote suum, dimittas, nec locum hunc sanctum vltra impedias. Proh nefas! & o execrabilem infelicis- E
simi hominis temeritatem! En suum esse dixit, quod solum Apostolorum principi Petro Christus Dominus commisit; nec subito quidem commisit, verum tertio antequam committeret, interrogauit: Simon (inquiens) amas me? pasce oues meas. Non Regem, non Imperatorem, aut aliquam Christianæ professionis conditionem excepit præter eam, qui suam se ouem esse negauerit. Igitur quem sui solius iudicio Dominus reseruauit: hic non solum iudicare, verum etiam suum dicere, & quantum in se est, audet damnare. Quam ob causam omnis illa sancta Synodus iure indignata, anathema illi conclamat atque confirmat] hactenus de his ibi.

RETVNDITVR PROCACIA NVNTII REGIS

In vita autem eiusdem Pontificis additur, quod sequenti die post Rolandi illius in Synodo habitam inuectiuam orationem, allatæ sunt litteræ pœnitentium Episcoporum. sunt autē hæc ibi scripta: Die vero altera ab Episcopis Vltramontanis litteræ ad Pontificē sunt allatæ, in quibus confitebantur se errasse, & nimium deliquisse, qui po-

stulabant

A stulabant quoque veniam; & omnem de cetero sibi obedientiam obseruaturi firmiter spoponderunt. Vixq. sedato tumultu, synodalis tractatus in tranquillitate processit. Sed cum tempus iam instaret absoluendi synodum, Pontifex habito cum centum & decem Episcopis vtiliori consilio, in eumdem Regem, qui ecclesiasticam vnitatem scindere attentauit, excommunicationis sententiam protulit, & vsque ad condignam satisfactionem, sententiam ipsam firmiter obseruari præcepit] quod quidem pie, sancte, iuste, riteq. factum prædecessorum exemplis pluribus auctor docet. Gregorius igitur vbi anathematis sententia in Synodo perculit Henricum Regem, & omnes, qui perpetrati sceleris fuissent auctores: ad omnes Christifideles has litteras dedit, quibus & sententiam excommunicationis in eosdem latam adiunxit: [a]

[a] *Greg. l. 3. ep. 6.*

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei omnibus, qui cupiunt se annumerari in-
B ter oues, quas Christus beato Petro commisit, salutē & Apostolicam benedictionem.

EPIST. SYNODALIS AD OMNES CHRISTI FIDELES.

Audistis fratres nouam & inauditam præsumptionem: audistis sceleratam schismaticorum, & nomen Domini in beato Petro blasphemantium garrulitatem & audaciam: audistis superbiam ad iniuriam & contumeliam sanctæ & Apostolicæ Sedis elatam, qualem vestri patres nec viderunt, nec audierunt, vmquam; nec scripturarum series aliquando a Paganis vel hæreticis docet emersam. Cuius mali etsi aliquod vmquam post fundatam & propagatam fidem Christi præcessisset exemplum: omnibus tamen fidelibus pro tanto contemptu & conculcatione Apostolicæ, immo diuinæ auctoritatis dolendum foret & gemendum. Quapropter si beato Petro claues regni cælorum a Domino nostro IESV Christo traditas esse creditis, & vobis per manus ipsius ad æternæ vitæ gaudia introitum patere cupitis: cogitandum vobis est, quan-
C tum nunc de irrogata sibi iniuria dolere debeatis.

Nisi enim hic, vbi per discrimina tentationum vestra fides & corda probantur, socij passionum efficiamini, procul dubio non estis digni, vt participes futuræ consolationis, & filij regni cælestem coronam & gloriam sortiamini. Rogamus igitur charitatem vestram, vt instanter diuinam misericordiam implorare studeatis, quatenus aut corda impiorum ad pœnitentiam vertat, aut reprimendo eorum nefanda consilia, quam insipientes & stulti sint, qui petram a Christo fundatam euertere, & diuina priuilegia violare conantur, ostendat. Qualiter autem, aut pro quibus causis beatus Petrus anathematis vinculo Regem alligauerit, in chartula, quæ huic inclusa est, plene potestis cognoscere] hactenus synodalis epistola ad Orthodoxos Christifideles. Chartula autem, quam dicit ista continere, sic se habet, præmisso eiusmodi titulo:

D Depositio Regis Henrici filij Imperatoris Henrici, & absolutio omnium, qui sibi præstiterant iuramentum.

DECRETVM EXCOMMVNICATIONIS IN HENRIC. REG.

Beate Petre Apostolorum princeps, inclina, quæsumus, pias aures tuas nobis, & audi me seruum tuum, quē ab infantia nutristi, & vsque ad hunc diem de manu iniquorum liberasti, qui me pro tua fidelitate oderunt & odiunt. Tu mihi testis es, & Domina mea Mater Dei, & beatus Paulus frater tuus inter omnes Sanctos, quod tua sancta Romana Ecclesia me inuitum ad sua gubernacula traxit; & ego non rapinam arbitratus sum ad Sedem tuam ascendere, potiusq. volui vitam meam in peregrinatione finire, quam locum tuum pro gloria mundi sæculari ingenio arripere. Et ideo ex tua gratia, non ex meis operibus credo, quod tibi placuit & placet, vt populus Christianus tibi specialiter commissus mihi obediat, specialiter pro vita tua mihi com-
E missa, & mihi tua gratia est potestas a Deo data ligandi atque soluendi in cælo & in terra. Hac itaque fiducia fretus, pro Ecclesiæ tuæ honore & defensione ex parte omnipotentis Dei Patris & Filij & Spiritus sancti, per tuam potestatem & auctoritatem Henrico Regi filio Henrici Imperatoris, qui contra tuam Ecclesiam inaudita superbia insurrexit, totius regni Teutonicorum & Italiæ gubernacula contradico, & omnes Christianos a vinculo iuramenti, quod sibi fecere, & facient, absoluo; & vt nullus ei sicut Regi seruiat, interdico. Dignum est enim, vt qui studet honorem Ecclesiæ tuæ imminuere, ipse honorem amittat, quem videtur habere. Et quia sicut Christianus contempsit obedire, nec ad Dominum redijt, quem dimisit participando excommunicatis, & multas iniquitates faciendo, meaq. monita, quæ pro sua salute sibi misi, te teste, spernendo, seq. ab Ecclesia tua, tentans eam scindere, separando, vinculo eum anathematis vice tua alligo, & sic eum ex fiducia tua alligo, vt sciant gentes & comprobent, quia tu es Petrus, & super tuam petram Filius Dei viui ædificauit Eccle-

siam

Universidad de Deusto
Biblioteca

siam suam, & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam] hactenus ibi. A

Ex his Benno ille pseudocardinalis schismaticorum patronus, quo minus rationibus vti posset, eo magis ad calumnias se conuertens, ipso suæ epistolæ exordio incipit declamare, contra ius fasq. damnatum Regem, quem mentitur Papæ obedientem fuisse, nec debuisse absentem vllatenus condemnari. At licet absens fuerit, confessus tamen, immo professus per litteras fuit errata sua, quas Romam ad Pontificem misit recitandas in Synodo: cum alioqui in Henricum ipsum ista potuerint retorqueri, qui absentem Pontificem, nec vocatum ausus fuerit condemnare. Quanta vero miscuerit ille mendacia, Scriptorum omnium eius temporis, & actionum testificatione conuincitur. sed de his inferius.

Insuper idem Gregorius Papa alios rebelles in ea Synodo damnauit Episcopos, præcipue vero Archiepiscopum Moguntinum, cuius excommunicationis decretum ita se habet, præmissis istis. B

Anno ab Incarnatione Domini millesimo septuagesimoquinto, *ita numerare incipiens, vt dictum est, annos Domini a mense Martio die Incarnationis Verbi*, Indictione decimaquarta celebrauit ipse dominus Gregorius Papa Romæ Synodum in ecclesia Domini Saluatoris, quæ Constantiniana dicitur, vbi interfuit Episcoporum & Abbatum, atque diuersi ordinis clericorum & laicorum copia. In qua inter cetera decreta, quæ ibi gesta sunt, excommunicauit Sigefridum Moguntinum Archiepiscopum in hunc modum:

Sigefridum Moguntinum Archiepiscopum, qui conatus est Episcopos atque Abbates regni Teutonicorum a sancta Romana Ecclesia, videlicet spirituali matre sua, scindere; iudicio sancti Spiritus, & auctoritate beatorum Apostolorum Petri & Pauli ab omni Episcopali officio suspendimus, & a communione corporis & sanguinis Domini separamus, nisi forte mortis periculum superueniat; ita tamen vt pœnitentia ductus resipiscat. Ceteros vero, qui sua sponte eius schismati consentiendo subscripserunt, & in ea iniquitate perdurare volunt, similiter ab omni Episcopali officio suspendimus. Illos vero qui non sponte consenserunt, vsque ad festiuitatem sancti Petri sufferimus, eo quidem respectu, vt si infra istum terminum idoneam, aut per se, aut per nuntios suos satisfactionem præsentiæ nostræ non obtulerint, Episcopali deinceps officio priuentur] sequitur in codice excommunicatio Episcoporum Longobardiæ istis ipsis verbis: C

DE EXCOMMVNICATIS IN SYNODO.

Episcopos Longobardiæ, qui spreta canonica & Apostolica auctoritate, contra beatum Petrum Apostolorum principem sacramento conspirauerunt: auctoritate eiusdem beati Petri ab omni Episcopali officio suspendimus, & a communione sanctæ Ecclesiæ separamus] At licet Longobardi Episcopi inhæserint Regi, secus autē contigit de Episcopis Venetiarum prouinciæ, Aquileiensis ecclesiæ, & alijs ipsi subditis, qui Gregorio adhæserunt, vt epistolæ [a] eiusdem Gregorij indicant, quibus & constat, Mediolanenses [b] milites & eorum ducē Vuifridum pariter contra Regē fauisse Gregorio. D

a Greg. lib. 3. ep. 14
b Id. ep. 15 & lib. 4. ep. 7.

Sed quid in eadem Synodo aduersus Gallorum Episcopos & Abbates, & alios idem Papa decreuerit, accipe:

Agathensem Episcopum Berengarium, quia Narbonensi Episcopo excommunicato communicauit, & vices Episcopales pro illo fecit, excommunicamus. Viennensem Episcopum Herimannum iuste depositum pro simonia, periurijs, sacrilegijs, & apostasia, quia Viennensem ecclesiam infestare non desistit, excommunicamus, & ecclesijs Romanensi, & sancti Irenæi Lugdunensi, quousque eas occupauerit, diuinum interdicimus officium. Desiderium & Romanensis ecclesiæ clericos, qui regulares nostros ab ea expulerunt, & excommunicatis communicauerunt, inde donec satisfaciant, excommunicamus. Abbatem sancti Aegidij similiter, & Comitem sancti Aegidij propter consanguineam, & Comitem Forensem, & Humbertum de Bellogioco propter infestationes Lugdunensis ecclesiæ. Podiensem simoniacum, homicidam Stephanum, scilicet a Legatis nostris excommunicatum, & Pontium Gratianopolitanum, quousque resipiscat, excommunicamus. Et ea, quæ Diensis Episcopus in Episcopatu Diensi de decimis & primitijs & ecclesijs fecit, & cetera, quæ in legatione nostra statuit, nos quoque confirmamus] E

c Id. lib. 2. epist. 55.

Ad hanc quoque Synodum spectare noscuntur, quæ superiori libro positæ leguntur eiusdem Gregorij Papæ sententiæ breuiores, quæ hoc titulo inscriptæ habentur: [c]

DICTATVS PAPAE] ita ob emergentes & vrgentes casus præsentis schismatis de-

A tis declaratæ & promulgatæ, quæ hactenus in Ecclesia Catholica vsu receptæ fuissent, vt ita vel ex his reprimeretur audacia schismaticorum Episcoporum & Principum, hoc tempore in Romanam Ecclesiam insurgentium.

PRIVILEGIA APOST. SEDIS ET ROMANI PONTIFICIS.

Quod Romana Ecclesia a solo Domino sit fundata.

Quod solus Romanus Pontifex iure dicatur vniuersalis.

Quod ille solus possit deponere Episcopos vel reconciliare.

Quod Legatus eius omnibus Episcopis præsit in Concilio, etiam inferioris gradus, & aduersus eos sententiam depositionis possit dare.

Quod absentes Papa possit deponere] quod enim in absentem Regem & Episcopos sententiam ipsam esse aduersarij quererentur, cum tamen ipsi in absentem Papam adeo portentosa decreuissent; ita voluit Pontifex declarasse. rursum vero.

B Quod cum excommunicatis ab illo, inter cetera nec in eadem domo debemus permanere.

Quod illi soli licet pro temporis necessitate nouas leges condere, nouas plebes congregare, de canonica Abbatiam facere, & e contra, diuitem Episcopatum diuidere, & inopes vnire.

Quod solus possit vti Imperialibus insignijs.

Quod solius Papæ pedes omnes Principes deosculentur.

Quod illius solius nomen in ecclesijs recitetur.

Quod vnicum est nomen in mundo, *Papæ videlicet*.

Quod illi liceat Imperatores deponere.

Quod illi liceat de sede ad sedem necessitate cogente Episcopos transmutare.

C Quod de omni ecclesia quocumque voluerit, clericum valeat ordinare.

Quod ab illo ordinatus alij ecclesiæ præesse potest, sed non militare, & quod ab aliquo Episcopo non debet superiorem gradum accipere.

Quod nulla Synodus absque præcepto eius debet Generalis vocari.

Quod nullū Capitulū, nulluſq. liber canonicus habeatur absque illius auctoritate.

Quod sententia illius a nullo debeat retractari; & ipse omnium solus retractare possit.

Quod a nemine ipse iudicari debeat.

Quod nullus audeat condemnare Apostolicam Sedem appellantem.

Quod maiores causæ cuiuscumque ecclesiæ ad eum referri debeant.

Quod Romana Ecclesia numquam errauit, nec in perpetuum, Scriptura testante, errabit.

D Quod Romanus Pontifex si canonice fuerit ordinatus, meritis beati Petri indubitanter efficitur sanctus, testante sancto Ennodio Papiensi Episcopo, ei multis sanctis Patribus fauentibus, sicut in decretis beati Symmachi Papæ continetur.

Quod illius præcepto & licentia subiectis liceat accusare.

Quod absque synodali conuentu possit Episcopos deponere & reconciliare.

Quod Catholicus non habeatur, qui non concordat Romanæ Ecclesiæ.

Quod a fidelitate iniquorum subiectos potest absoluere] hactenus Gregorius de priuilegijs Romani Pontificis atque Apostolicæ Sedis.

QVOD EXCOMMVNICARE PAPA NON POSSIT.

Habet Guillelmus bibliothecarius in vita Gregorij Papæ, post anathema in Regem & ei inhærentes in Synodo Romana hoc anno prolatum: conuenisse Papiæ schismaticos Episcopos, & idem anathema in Romanum Pontificem retorsisse; Principes autem quid facturi essent, ancipites consuluisse peritos, num esset habendus pro excommunicato Pontifex: responsum vero ab illis scite atque prudenter; Romanum Pontificem a nemine iudicandum, ob idq. neque excommunicari ab aliquo posse: Excommunicatos esse, qui talia præsumpsissent. Quos reuera Gregorius ipse vt excommunicatos indignos iudicauit, ad ipsos postea scribens, Apostolica benedictione, vt suo loco dicetur. E

Iam vero quæ post excommunicationem Dei vindicta secuta sit impios, videamus, & quidem ex Lamberto Germano homine, eius temporis scriptore candido, quem neque priuatus affectus suæ gentis, suiq. Principis valuit a veritate dimouere. Ipse vero de Vuillelmo Traiectensi Episcopo agens, quem præ ceteris aduersus Romanum Pontificem steterisse in Vuormatiensi pseudosynodo dixit, de eiusdem post Synodum conatu

Universidad de Deusto
Biblioteca

VVILLELMVS EPISC. TRAIECTENSIS AVCTOR SCHISMATIS, DAT PORNAS.

conatu ista describit: Vuillelmus Traiectensis Episcopus causam Regis (vt supra dictum est) contra bonum & æquum obstinate tuebatur, & studio partium Regis, multa in iniuriam Romani Pontificis, omnibus pene diebus solemnibus, inter Missarum solemnia rabido ore declamabat, periurum eum, adulterum & pseudoapostolum appellans, & tam a se, quam a ceteris Episcopis sæpenumero excommunicatum pronuntians. Is breui, posteaquam Rex exactis Paschalibus ferijs Traiecto discesserat, repente grauissima ægritudine correptus est. Cumq. per acerrimos cruciatus animæ ac corporis vrgeretur; miserabili ciulatu coram omnibus, qui aderant, vociferabatur: Iusto Dei iudicio se, & præsentem vitam amisisse, & æternam, quod Regi ad omnia, quæ perperam intendisset, operam suam summo annisu tribuisset; atque in spem gratiæ eius Romano Pontifici sanctissimo & Apostolicarum virtutum viro graues contumelias sciens & prudens innocenti irrogasset. In hanc vocem (vt asserunt) sine communione, sine vlla satisfactione expirauit] hæc de vindicta diuinitus illata in sceleris antesignanum.

At hæc de vltione diuina in Vuillelmum Traiectensem Episcopum sunt latius explicanda ex Annalibus Magdeburgensibus, quos in Chronico Citicensi Langius sic recitat isto titulo: Ex Annalibus ecclesiæ Magdeburgensis: Vuillelmus Episcopus Traiectensis fautor Henrici ecclesiarum tyranni. Hic cum præfatus Rex esset Traiecti, & excommunicatio Regis a Romano Pontifice facta præsentata fuisset, Rex ipse excommunicationem Papæ consilio Episcopi vilipendebat. Episcopus quoque idem præfatus, timens ne si populus hoc audisset, a Rege sicut ab excommunicato discederet, inter Missas sermonem faciens ad populum, derisorie, quod Rex excommunicatus esset, indicauit. Sed hanc excommunicationem nihil valere; quibus poterat verbis, vtpote facundus homo, confirmabat. Sed quantum valeret, in semetipso coactus est cognoscere, si liceret ei pœnitendo, a superbia resilire: Nam in ipso loco, in quo Romano Pontifici derogabat, ipse mala valetudine corripitur, in qua vsque ad miserandum vitæ terminum detinetur. Itaque morbo magis ac magis ingraescente, dum quidam homo Regis cum rogaret, vt se cum suo mandato remitteret ad Regem; Hoc, inquit, mitto ei mandatum, QVOD IPSE ET EGO, ET OMNES INIQVITATI EIVS FAVENTES, SVMVS DAMNATI IN PERPETVVM, Cumq. a suis qui aderant clericis, ne talia loqueretur, esset admonitus: Quid aliud, inquit, loquor, nisi quod verum esse, visibiliter intueor? Ecce enim dæmones lectum meum circumstant, quatenus me mox, vt expirauero, capiant. Itaque cum fuero e corpore eductus, rogo vos & omnes fideles, ne se fatigent pro me faciendo supplicationes. Hic igitur in desperatione defunctus, diu iacebat insepultus, donec Romam mitteretur, & inde quæsito consilio, ne populus fœtore corrumperetur, Apostolico iussu sine commendationibus sepelitur. hæc ex Chronicis Magdeburgensis ecclesiæ] pergit autem idem auctor hæc narrare, quæ sequuntur:

VVILLELMI TERRIBILIS CONFESSIO.

Et ita alij complures Henrici fautores male interiere. Vdo Treuirensis Archipræsul repentina morte obijt. Burchardus Misnensis præfectus ex equo cadens expirauit. Sic & Godefredus Dux hostis Saxoniæ percussus, sine confessione perijt. ita & Eppo Episcopus noster magnus Henrici fautor & assectator mala morte concluſit, de qua in prædictis Chronicis Magdeburgensibus ita ad verbū scribitur: Eppo Citzensis Episcopus, dum in Episcopatu S. Chiliani quemdam riuum forte sedens in equo transiret, quē quilibet pedes sine periculo transire posset, vbi nec timor vllus fuit, equo cadente, moriens sic interijt, sancto Chiliano sic disponente, vt qui eius rebus violentus incubuerat, vinumq. illius sæpe iniuste biberat, aquam quoque suam iuste bibendo, *dum suffocatus*: scilicet *obijt*, vltra merum non quærat. Et quia nobis irreconciliabilis permansit, Deo irreconciliatus ab hac vita migrauit] hæc ad verbum in prænarratis Magdeburgensis ecclesiæ Annalibus leguntur, & vt apparet ex illis ab auctore eius temporis conscriptis. Moguntinus autem & alij, qui Henrico fauerant, pœnitentes, atque ab eo discedentes diuinæ vindictæ sententiam euasere. Successit autem Vuillelmo Traiectensi Episcopo Henricus Catholicus Sedi Apostolicæ inhærens, qui scripsit ad Gregorium Papam: num orandum esset pro ijs, qui in schismate mortui essent. ad quem rescripta exrat epistola a Gregorij id faciendum negantis.

a *Greg. lib. 4. ep. 16.*

Quod autem pertinet ad obitum Vdonis Archiepiscopi Treuirensis, contigit ille postea,

A postea, Godefredi autem hoc anno, de quo ita Lambertus, qui eum (vt dictum est superius) Gozelonem appellat: Gozelo Dux Lotharingorum, cum esset in confinio Lotharingiæ & Flandriæ, in ciuitate quæ dicitur Antuerpia, occisus est per insidias, vt putabatur, Roberti Flandrensis Comitis. Cum enim quadam nocte quiescentibus omnibus ad necessitatem naturæ secessisset, appositus extra domum speculator confodit eum per secreta natium, relictoq. in vulnere ferro, concitus aufugit. Vix deinceps septem diebus accepto vulneri superstes, quarto Kal. Martij vita decessit &c.] quod autem careret filijs, Ducatum Lotharingiæ a Rege datum filio suo Conrado, idem auctor inferius tradit. Marchiam vero Antuerpiensem tradidisse eius consobrino, Godefredo pariter dicto, filio Eustachij Comitis. hæc cum scribat auctor eius temporis, vides quantum errent, qui dicto Gozeloni, siue Godefredo Lotharingiæ Duci plures tribuunt filios, & in Ducatu Lotharingiæ successores. Gregorius Papa cum ista omnia
B accepisset per litteras Herimanni Metensis Episcopi, ista rescripsit ad eum: Godefredi autem quondam viri illius, Mathildis scilicet, indubitanter scias quod frequenter apud Dominum, licet peccator, habeam memoriam, quia non me illius inimicitia, vel aliqua impedit vanitas, sed motus fraterna dilectione tua, & Mathildis deprecatione illius exopto salutem] hæc Gregorius hoc anno, mense Augusti.

OCCIDITVR GODEFREDVS DVX LOTHARINGIAE.

Sed quænam Regem ipsum sint secutæ vindictæ, vbi excommunicationis est damnatus sententia, idem Lambertus auctor, istis præsens, pluribus narrat. nos vero breuitate perstringimus; nempe mox aduersus eum Saxones rebellasse, & formidando apparato prœlio insurrexisse; maiores Principes ab eodem pariter defecisse, his vero
C aduersus Regem etiam Moguntinum Archiepiscopum vna cum alijs pluribus adhæsisse. Fuit horum suasor Vdo Archiepiscopus Treuirensis, qui Romam veniens, Gregorium vt vere summum Ecclesiæ hierarcham veneratus, rediens in Germaniam, concionator extitit veritatis, atque plurimis auctor, vt a Rege deficerent, atque Gregorio Pontifici inhærerent. ad quos omnes ipse litteras [a] dedit istas mense Iulij:

a *Greg. lib. 4. ep. 1.*

GREGORII EPISTOLA AD FIDELES ECCLESIAE.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei omnibus in Christo fratribus, Episcopis videlicet, Abbatibus, atque sacerdotibus, Ducibus etiam Principibus atque militibus, omnibusq. Christianam Fidem & beati Petri honorem reuera diligentibus, in Romano Imperio habitantibus, salutem & Apostolicam benedictionem.

Gratias agimus omnipotenti Deo, qui [b] propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quia vltra meritum, vltra spē etiam bonorum * hominum Ecclesiam suam protegit, guber-
D nat, defendit. Scitis enim fratres charissimi, quia hoc periculoso tempore, quando Antichristus in suis membris iam operatur, vbique vix aliquis solet inueniri, qui reuera & Deum & honorem eius diligat, & eius præcepta sæculari commodo & gratiæ terrenorum Principum præponat. Sed ille qui non repellit plebem suam, & quotidie peccatores a sinistra in dexteram commutat, vos propitio ac sereno vultu respexit, & contra suos inimicos ad salutem multarum gentium erexit, vt magis vobis libeat in periculo transitoriæ vitæ consistere, quam æterni Regis gloriam & honorem humanæ gratiæ postponere. Hæc itaque facientes, non aure surda Apostolorum Principem dicentē [c] * transitis: Genus electum, regale sacerdotium: Obedire magis oportet Deo, quam hominibus. Nam vestra fraternitas minime ignorat, quanto tempore sancta
E Ecclesia inauditas prauitates & diuersas iniquitates Regis, & vtinam Christiani & vestri sustinuit, & quantæ ruinæ quantæq. calamitati, ipso antiquo hoste auctore præcedente, patuit. Cui nos fraterna dilectione, & amore patris & matris eius ducti, adhuc in diaconatu positi, admonitionis verba transmisimus. Et postquam ad officium sacerdotij, licet indigni, venimus, vt resipisceret, summopere, & frequenter per viros religiosos procurauimus. Ipse vero quid contra egerit, & quomodo malum pro bono reddiderit, vel qualiter calcaneum suum contra beatum Petrum erigendo, sanctam Ecclesiam, quam sibi omnipotens Deus commisit, scindere procurauerit, vestra nouit charitas, & per omnia iam personuit mundi climata.

b *Rom. 8.*

* omnium

c *1. Pet. 2.*

* f. audius

MONITIO PRO SALVTE REGIS DAVID.

Sed quia nostri est officij, homines, non vitia diligere, & prauis, vt resipiscant, resistere, & impietates non homines abhorrere: auctoritate B. Petri Apostolorum principis monemus vos, & vt charissimos fratres rogamus, amodo studete illum de manu diaboli eruere, & ad veram pœnitentiam prouocare, vt eum possimus, Deo fauente, ad

Universidad de Deusto
Biblioteca

sinum communis matris nostræ, quã conatus est scindere, fraterna ducti charitate re- A
uocare: ita tamen, vt nulla possit fraude recidiua clade Christianam religionẽ confundere, & sanctam Ecclesiam pedibus suis conculcare. Quod si vos non audierit, & diabolum potius quam Christum sequi elegerit, & eorum, qui pro simoniaca hæresi iam
per longa tempora excomunicati sunt, consilium vobis prætulerit: diuina inspirante
potentia simul conueniamus, simulq. statuamus, vt Dominum homini præponentes,
vniuersali Ecclesiæ iam pene labenti succurramus viriliter. Quicumque ex his resipuerit, qui prædictum Regem non erubuerunt omnipotenti Deo præponere, & Christianam legem, si non verbis, operibus tamen negare, sicut dicit Apostolus: [a] Ore quidem
fatentur Deum, factis autem negant: vos fratres mei & consacerdotes, illos auctoritate beati Petri suscipite, & ad gremium matris nostræ sanctæ Ecclesiæ reducite, vt mereamini gaudium in cælo Angelis Dei innouare. In omnibus tamen, sicut decet cha- B
rissimos filios, honorem pij patris vestri Apostolorum Principis præ oculis habete.

ADVERSVS IMPOENITENTES.

Quicumque autem Episcoporum vel laicorum timore vel gratia humana seducti a communione Regis se non subtraxerunt, sed ei fauentes, animam suam & illius diabolo tradere non timuerunt: si non resipuerint, & condignam pœnitentiam egerint, nullam cum eis communionem vel amicitiam habeatis. Isti enim sunt, qui animam suã & Regis odio habent & occidunt, & regnum, patriam, Christianamq. religionẽ confundere non erubescunt. Sicut enim vobis imminet, quod per Prophetam dicitur: [b] Si non annuntiaueris iniquo iniquitatem suam, animam eius de manu tua requiram. & [c] Maledictus qui prohibet gladium suum a sanguine, id est, verbum correctionis a praue viuentium increpatione: ita illis imminet, si non obedierint, ira diuini Iudicij C
& vltio, testante Samuele, idololatriæ scelus. Testis nobis est Deus, quia nulla nos commoda sæcularis respectus contra prauos Principes & impios sacerdotes impellit, sed consideratio nostri officij, & potestas, qua quotidie angustamur, Apostolicæ Sedis. Melius est enim nos debitam mortem carnis per tyrannos, si oportuerit, subire, quam nostro silentio, timore, vel commodo, Christianæ legis destructioni consentire. Sanctos quidem Patres nostros dixisse scimus: Qui prauis hominibus sui considera-
tione officij non contradicit, consentit; & qui resecanda non aufert committit. Omnipotens Deus, a quo cuncta bona procedunt, meritis Dominæ nostræ cælestis Reginæ, ac beatorum Apostolorum Petri & Pauli intercessione corda vestra confirmet & custodiat, & Spiritus sui gratiam superinfundat, vt quæ sunt ei placita facientes mereamini sponsam eius, matrem videlicet nostram de faucibus luporum eripere, atque D
ad supernam illius gloriam ab omnibus peccatis absoluti peruenire. Datum Laurenti octauo Kal. Augusti, Indictione decimaquarta.]

[a] Tit. 1.

CONSVLTATIO HERIMANNI.

Post hæc autem cum Herimannus Metensis Episcopus studiosus conseruator iuriũ Apostolicæ Sedis, atque defensor aduersus Regem æstimationis Gregorij Papæ, de his quæ gererentur in Germania, certiorem reddidisset eumdem Pontificem, deq. nonnullis ipsum consuluisset, præsertim vero, quid illis respondendum esset qui dicerent, non debere Regem excommunicari, neque deponi: ipse Gregorius ad eum rescripsit epistolam [d] Tiburi cum esset, octauo Kal. Septembris, qua docet, id iure fieri, vsuq. receptum, vt prædecessores Pontifices Reges & Imperatores excommunicauerint & Imperio siue regno priuauerint. extat ipsa epistola, prolixa satis, quam breuitatis causa hic describere prætermittimus, poterit Lector inspicere, est eius exordium: Mul- E
ta interrogando a me valde occupato requiris &c.]

[d] Greg. lib. 4. ep. 2.

GREGORIVS PRO REGE LABORAT.

Inter hæc autem Gregorius compassione motus, licet Regem regno priuasset & anathemate perculisset: tamen vt pœnitens vtroque nexu liberaretur, de his litteras Encyclicas dedit ad omnes Germaniæ Episcopos atque Principes, quibus omnes commonuit, vt Regem hortarentur ad pœnitentiam, quod cuperet eum, si vere facti pœniteret, ab omni nexu pœnitentem absoluere. Quod si perseueraret impœnitens, eligeretur legitimus Rex, qui pareret Sedi Apostolicæ. quod autem eiusmodi litteræ
[e] Id. ibid. ep. 3. sint grauissimæ, vt hic reddantur, exigit tanti negotij magnitudo. sic se habent:[e]

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei omnibus dilectis in Christo fratribus & Coepiscopis, Ducibus, Comitibus, vniuersis quoque Fidem Christianam defendentibus, in regno videlicet Teutonico habitantibus salutem & omnium peccatorum absolutionem per Apostolicam benedictionem.

Si lit-

A Si litteras, quibus Henricus dictus Rex, in sancta Synodo iudicio sancti Spiritus excommunicatus est, diligenter perpenditis: quid de eo debeat fieri, indubitanter cognoscetis. Ex illis enim intelligitur, cur sit anathematis vinculo alligatus, & a regia dignitate depositus, & quod omnis populus quondam sibi subiectus a vinculo iuramenti eidem promissi sit absolutus. Sed quia nos contra eum non mouit, Deo teste, sæcularis superbia, nec vana mundi cupiditas; sed sanctæ Sedis & vniuersalis matris Ecclesiæ sollicitudo & disciplina: monemus vos in Domino IESV, & rogamus sicut charissimos fratres, vt eum benigne (si ex toto corde ad Deum conuersus fuerit) susciptatis, & circa eum non tantum iustitiam, quæ illum regnare prohibet, sed misericordiam, quæ multa delet scelera, ostendatis. Estote quæso humanæ memores conditionis, & communis fragilitatis; nec vos prætereat pia & nobilis memoria patris eius & matris,
B quibus non possunt nostra ætate ad Imperij gubernacula inueniri æquales. Sic tamen adhibete vulneribus eius oleum pietatis, ne vino disciplinæ neglecto, cicatrices eius in peius (quod absit) putrescant, & honor sanctæ Ecclesiæ, Romaniq. Imperij nostra negligentia magnæ ruinæ pateſcat. Procul ab eo praui remoueantur Consiliarij, qui pro simoniaca hæresi excommunicati non erubuerunt dominum suum propria lepra contaminare, & per diuersa crimina eum seducendo, ad scindendum sanctam Ecclesiam prouocare, & in iram Dei & sancti Petri impellere. Adhibeantur illi Consiliarij, qui non sua tantum, sed eum diligant, & sæculari lucro per omnia Deum præponant. Non vltra putet sanctam Ecclesiam sibi subiectam vt ancillam, sed prælatam vt dominam. Non inflatus spiritu elationis consuetudines superbiæ contra libertatem sanctæ Ecclesiæ inuentas defendat, sed obseruet sanctorum Patrum doctrinam, quam
C pro salute nostra eos docuit potestas diuina. Quod si de his & alijs iure ab eo exigendis nos securos, modis quibus oportet, reddiderit: statim volumus per vestros idoneos Legatos de omnibus informari, vt quid debeat fieri, communi consilio, Deo aspirante, valeat inueniri.

NE REX ABSQVE ROMANO PONT. ABSOLVATVR.

Illud autem inter omnia ex parte beati Petri interdicimus, vt nullus vestrum eum præsumat ab excommunicatione absoluere, quousque eis quæ prædiximus, nobis indicatis, Apostolicæ Sedis consensum, & iteratum responsum recipiatis. De diuersorum quidem diuersis consilijs dubitamus, & humanam gratiam, vel timorem suspicioni habemus. Quod si exigentibus multorum peccatis (quod non optamus) ex corde non fuerit ad Deum conuersus: talis ad regni gubernacula, Deo fauente, inueniatur, qui ea quæ prædiximus, & cetera quæ videntur Christianæ religioni, & to-
D tius Imperij saluti necessaria, se certa & indubitata promissione obseruaturum promittat. Vt autem vestram electionem, si valde oportet, vt fiat, Apostolica auctoritate firmemus, & nouam ordinationem nostris temporibus corroboremus, sicut a sanctis nostris Patribus factum esse cognoscimus: negotium, personam & mores eius quantocyus potestis, nobis indicate, vt sancta & vtili intentione incedentes mereamini, sicut nobis notæ causæ, Apostolicæ Sedis fauorem per diuinam gratiam, & beati Petri Apostolorum principis per omnia benedictionem.

De iuramento autem quod factum est charissimæ filiæ nostræ Agneti Imperatrici Augustæ, si filius eius ex hac vita ante ipsam migraret, non est opus adhuc dubitare, quia si nimia pietate circa filium ducta, iustitiæ restiterit; vel iustitiæ fauens vt abijciatur a regno consenserit: quid restet, vos ipsi comprehendite. Hoc tamen videtur
E laudabile, postquam certum fuerit apud vos (vt omnino firmatum) quod eius filius a regno remoueatur: consilium ab ea & a nobis requiratur de inuenta persona ad regni gubernacula. Tunc aut nostro communi consilio assensum præbebit, aut Apostolicæ Sedis auctoritas omnia vincula, quæ videntur iustitiæ contradicere, remouebit. De excommunicatis autem iam me vobis dedisse licentiam, qui Fidem Christianam (vt decet Episcopos) defenditis, vt absoluatis recordor, & adhuc hoc idem confirmo, si reuera resipuerint, & humiliter pœnitentiam egerint. Dat. Laurenti tertio Nonas Septembris Indictione incipiente decimaquinta]

Quomodo autem recipiendus esset Episcopus, qui cum Rege excommunicato communicasset: de his scripsit epistolam ad Episcopos [a] Tusciæ de Rudolphi Senensis Episcopi pœnitentia, eo quod cum eodem Rege Henrico post eius excommunicationem communicasset.

[a] Greg. lib. 4. ep. 8.

Cum

Universidad de Deusto
Biblioteca

LEGATIO A PAPA DECERNITVR IN GERMAN.

Cum autem Pontificiæ litteræ postremæ istæ innotuissent Episcopis atque Principibus Germaniæ, Catholicæ Fidei, & Apostolicæ Sedis, sanctæq. Romanæ Ecclesiæ defensoribus: de his quæ agenda essent, vt consultatio in re tam graui quam prudentissima adhiberetur, statuunt vna simul ad Comitia conuenire, quibus etiam præsto esse deberent Apostolicæ Sedis Legati. Placuit deliberatio ista Gregorio Papæ, moxq. ea de causa legationem decernit in Germaniam, quæ eidem conuentui interesset. Locus eligitur Triburia. Quinam Episcoporum ac Principum auctores fuerunt eiusmodi congregandi conuentus, quæve in eo tractata fuerint, atque communi consensu deliberata, Lambertus testis fidelis narrat his verbis:

Interea Rudolphus Dux Sueuorum, Vuelf Dux Baioariorum, Bertholdus Dux Carentinorum, Adalbero Episcopus Vuirtzeburgensis, Adalbertus Episcopus Vuormatiensis, & alij, quos Reip. calamitas mouebat, in loco qui dicitur Vlma conuentu habito, statuerunt, vt omnes quicumque Reipublicæ consultum vellent, decimoseptimo Kal. Nouembris Triburiam conuenirent, & varijs cladibus, quibus per multos iam annos pax ecclesiastica turbabatur, tandem aliquando malorum pertæsi finem facerent. hoc Sueuiæ, hoc Baioariæ, hoc Saxoniæ, hoc Lotharingiæ, hoc Franciæ Teutonicæ Principibus denuntiarunt, vniuersosq. in commune per Deum obtestabantur, vt omni excusatione relegata, cuncta priuatæ rei sollicitudine posthabita, hanc singuli communibus commodis, vel extremam operam penderent. Qua expectatione suspensis atque attonitis omnibus, Episcopus Moguntinus & alij quamplures, qui eatenus partes Regis vehementius tuebantur, ab eo defecerunt, & adiuncti supradictis Principibus, ad meliorandum regni statum ardentissimo zelo exarserunt] & inferius post enarratam restitutionem exulum Dei beneficio tunc factam, hæc de conuentu indicto sic habet:

CONVENTVS TRIBVRIENSIS IN CAVSA REGIS.

Statuta die iuxta conditum Principes Sueuiæ & Saxoniæ Triburiam conuenerunt amplissimo numero, obstinatis mentibus ad submouendum a negotijs regni Regem Henricum, & alium, in quem communis electio consensisset, creandum. Aderant vna Legati Apostolicæ Sedis Sigehardus Patriarcha Aquileiensis, & Altmannus Patauiensis Episcopus, vir Apostolicæ conuersationis & magnarum in Christo virtutum, cui Papa vices suas in dispositione ecclesiasticarum causarum delegauerat, & laici nonnulli, qui magnis opibus relictis, vltro se ad priuatam tenuemq. vitam propter Deum contulerant, missi a Romano Pontifice, vt palam omnibus per Gallias contestarentur, iustis de causis excommunicatum esse Regem Henricum, & ad eligendum alium Regem, Apostolici consensus & auctoritatis suffragium pollicerentur. Hi nec Principi, nec priuato cuiquam, qui Regi Henrico dicto vel facto aliquatenus post excommunicationem communicasset, communicare volebant, donec publice professus pœnitentiam per Altmannum vicarium Romani Pontificis anathemate absolueretur. Pari cautela eorum quoque communionem vitabant, qui presbyteris coniugatis, vel eis, qui ecclesiasticas ordinationes pretio comparauerant, in oratione communicassent.

Per septem itaque continuos dies consilia conferentes, quid facto opus esset, qua ratione periclitanti, & iam iam naufragium minitanti Reip. consulendum foret, perquirebant. Replicabant, ab tenero (vt aiunt) vngue, omnem vitæ Regis institutionem, quibus probris, quibus flagitijs existimationem suam, decusq. Imperij vix tum adulta ætate maculasset, quas iniurias singulis, quas in commune omnibus, vbi primum pubertatis annos attigit, irrogasset. Quod remotis a familiaritate sua Principibus, infimos homines, & nullis maioribus ortos summis honoribus extulisset, & cum eis noctes perinde ac dies in deliberationibus insumens, vltimum si posset nobilitati exterminium machinaretur. Quod barbaris gentibus vacatione data, in subditos sibi populos dedita opera ferrum distrinxisset, & in eorum nece hostili crudelitate grassaretur. Regnum quod a parentibus suis pacatissimum & bonis omnibus florentissimum accepit, quam fœdum, quam despicabile, quam intestinis cladibus infestum cruentumq. reddidisset. Ecclesias & monasteria destructa, victualia seruorum Dei versa esse in stipendia militum, studium religionis & rerum ecclesiasticarum transisse ad arma militaria & ad munitiones extruendas, non quibus vis & impetus barbarorum arceatur; sed quibus patriæ tranquillitas eripiatur, & liberæ gentis ceruicibus durissimæ seruitutis iugum imponatur. Nullum vsquam esse viduis & orphanis solatium,

QVERELAE IN REGEM PROPOSITAE.

tium, nullum oppressis & calumniam sustinentibus refugium: non legibus reuerentiam, non moribus disciplinam, non Ecclesiæ auctoritatem suam, non Reipub. manere dignitatem suam, ita vnius hominis temeritate sacra & profana, diuina & humana, fasq. nefasq. confusa esse & implicita. Proinde tantarum calamitatum vnicum ac singulare superesse remedium, vt quantocyus, priuato eo, alius Rex crearetur, qui tamdiu terminos suos euaganti licentiæ fræna injcerer, & mundi vacillantis ruinam subiectis humeris sustentaret.

HENRICVS PER LEGATOS PACEM ROGAT.

Rex Henricus contractis in vnum suæ partis assertoribus, in villa, quæ dicitur Oppenheim, se continebat, Rheno fluuio vtraque castra dirimente, frequentesq. ad eos in dies Legatos mittebat, pollicens omnium, quæ eos offenderant, in reliquum emendationem, se veterum iniuriarum memoriam sequentibus beneficijs, si vita comes foret, aboliturum; nihilq. deinceps circa rerum publicarum administrationem absque communi consulto acturum. Postremo vltro se iure suo cedere, eisq. gubernandi, disponendiq. pro suo arbitratu totius regni ius potestatemq. facere, dummodo æquo animo paterentur, sola regij nominis, regijq. cultus rata sibi manere insignia, quæ semel legitime accepta, sine summa omnium eorum ignominia amittere non posset; nec sinerent regni Teutonici splendorem omnibus retro sæculis intactum, incontaminatumq. sua ætate tam turpis exempli macula sordescere. Quod si verba sua difficilius admitterent, magnificis promissionibus toties elusi, paratum se quibus sacramentis, quibus vellent obsidibus fidem facere, quod nulla vmquam dies, nulla rerum vel casuum mutabilitas hanc suam in eos beneuolentiam corruptura foret.

REIICIVNTVR LEGATI REG.

Ad hæc illi: Nulla inquiunt, iam supersunt argumenta, quibus toties recognita atque spectata fides eius probari vltra, vel obligari valeat, cum toties morum suorum emendatione coram oculis omnia cernentis Dei, quam sancte pollicitus, omnia quibus se obstrinxerat, vincula, vbi primum calamitas, quæ ad præsens vrgebat, præterijt, tamquam aranearum telas ruperit, & semper se ipso deterior, cursum mali operis, sicut equus impetu vadens ad prœlium, effrænata libertate repetiuerit. Neque nos præcipiti temeritate ad hæc extrema experienda prorupimus; omnes vias, omnia prius consilia pertentauimus, si qua ratione rigidum, obstinatumq. in malis desperati hominis ingenium emolliri posset. Sed inueteratus morbus, atque imis penitus iam insidens visceribus, nihil spei, nihil admittit remedij, omnem artem, omnem euincens industriam medicantium; quinimmo dum leuitati eius impensius morem gerere studemus, & cunctis, quæ perperam molitur, religionis obtentu muliebrem præbemus patientiam: status Reipublicæ euersus est, tranquillitas ecclesiarum turbata, maiestas Imperij ablata, auctoritas Principum euacuata, mores inuersi, leges abolitæ, & secundum Prophetæ elogium: [a] Maledictum & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit; postremo omnis iustitiæ & pietatis, religionis & honestatis disciplina situ & inculta obsoleuit. a Osee. 4.

Hæc quidem dum sola vitæ tẽporalis detrimenta, dum sola famæ & existimationis labem minitarentur, tametsi viris ferenda non essent; tulimus tamen, ne contra iusiurandum, quo tenebamur, præcipitanter imprudenterq. venire videremur, & dum gloriæ nostræ consulere conaremur, animæ naufragium pateremur: nunc vero cum ab Ecclesiæ corpore propter flagitia sua Apostolici anathematis mucrone præcisus sit, cum ei communicare sine communionis ecclesiasticæ damno, & fidei iactura non possimus, cum fidem nostram multis apud eum sacramentis implicitam Romanus Pontifex Apostolica auctoritate explicuerit: extremæ profecto dementiæ esset, diuinitus oblatam salutis occasionem, non obuijs (vt dici solet) manibus excipere, & quod iamdiu præmeditatum sit vt agatur, tam opportuno tempore non agere, cum leges humanæ & ecclesiasticæ sinant, cum locus & tempus arrideant, cum denique omnia, quæ paci vel bello vsui esse solent, conficiendæ tamquam rei fauorem suum pollicentur. Quapropter contemptis inanium argumentorum cuniculis, quibus denuo in ceruices, iugulosq. nostros viam gladio suo affectat: immobiliter animo fixum tenemus, vt absque vlla dilatione virum nobis prouideamus, qui præcedat nos, & prœlietur bellum Domini ad expugnandam & destruendam omnem cuiuscumque hominis altitudinem, eleuantem & extollentem se aduersus iustitiam, & veritatem Dei, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ auctoritatem.

In hæc

Universidad de Deusto
Biblioteca

In hæc verba Legatos Regis dimiserunt. Iterum alios atque alios misit, nullum A
supplicationis genus, quod impediendæ tantæ rei proficuum putaretur, prætermittens: sed illi in eadem sententia fixi obstinatiq. manebant. Iamq. vtraque ex parte ad magnum discrimen res spectare videbatur. Denique & hi Regem alium sibi protinus constituere, & transmisso Rheno fluuio (nauigium enim omne Episcopus Moguntinus in eam ripam coegerat) proxima luce Regi Henrico arma inferre parabant. Et ille incisa spe dilationis impetrandæ, suos, qui per proximas villas dispersi erant, in vnum coire, atque arma expedire iubebat, vt in vlteriorem ripam progressos confestim prœlio adoriretur. In hac tantarum expectatione rerum intentis sollitisq. omnibus: ecce primo diluculo sequentis diei, quæ vltimam cladem Reipub. allatura timebatur: Sueui & Saxones Legatos ad Regem miserunt, qui ei dicerent:

QVAE REGI CONDITIONES IMPOSITAE. Tametsi nec in bello, nec in pace vlla vmquam ei iustitiæ, vel legum cura fuerit: B
se tamen legibus cum eo agere velle; & cum crimina, quæ ei obijciantur, omnibus constent luce clariora: se tamen rem integram Romani Pontificis cognitioni reseruare, acturos se cum eo, vt in Purificatione sanctæ Mariæ Augustam occurrat; ibiq. celeberrimo conuentu habito Principum totius regni, discussis vtrarumque partium allegationibus, ipse suo iudicio vel abdicet, vel absoluat accusatum. Quod si ante diem anniuersarium excommunicationis suæ, suo præsertim vitio excommunicatione non absoluatur; absque retractatione in perpetuum causa ceciderit, nec legibus deinceps regnum repetere possit, quod legibus vltra administrare, annuam passus excommunicationem non possit. Si oblatam conditionem gratanter amplexetur, & Romano Pontifici per omnia subditum se, dictoq. obtemperantem fore polliceatur: hinc se experimentum capturos, omnes quos ille excommunicauit, extemplo a conuictu, contubernioq. suo amoueat. Ipse in vrbem Spirensium dimisso exercitu secedat, ibiq. solo Verdunensi Episcopo, pauciq. ministris, quos tamen sententia Principum ab hac excommunicatione integros, incorruptosq. probauerit, contentus, priuatam interim vitam agat, ecclesiam non ingrediens, nihil circa publica negotia suo iure disponens, nullam regij apparatus pompam, nulla regiæ dignitatis insignia sibi iuxta solitum adhibens, vsque ad synodicam causæ suæ examinationem. Præterea ciuitatem Vuormatiensem, quam expulso Episcopo, dissipato cælestis militiæ sanctuario, arcem belli, speluncamq. latronum fecerat: abducto præsidio, Episcopo Vuormatiensi restituat. Datis insuper sacramentis & obsidibus, ne quid deinceps rebellionis vel insidiarum ab ciuibus timere debeat. Porro si quid horum præuaricaretur: tum se omni culpa, omni iusiurandi religione, omni perfidiæ infamia liberatos, non expectato D
vlterius Romani Pontificis iudicio, quid Reipublicæ expediat, communi consilio visuros.

REX DIMITTIT EXCOMMVNICATOS. Rex, cuius omnis spes, omnesq. copiæ in arctum coactæ fuerant, gratulatus admodum, quod aliqua quantumuis fœda conditione vrgentem ad præsens calamitatem declinasset, promptissime per omnia obedientiam pollicetur. Statimq. Colonien sem Episcopum, Babenbergensem Episcopum, Strazburgensem Episcopum, Basilien sem Episcopum, Spirensem Episcopũ, Losannensem Episcopum, Citicensem Episcopum, Osenbruggensem Episcopum, Vdalricum de Cosheim, Eberhardum Hartmannum, ceterosq. excommunicatos, quorum antehac opera, consilijsq. gratissime vtebatur, omnes castris egredi iubet. Missis quoque Vuormatiam nuntijs, milites, quos illic præsidij causa constituerat, abscedere, vrbemq. Episcopo patere præcipit. Dehinc ceteris, qui ad auxilia sibi ferenda frequenter conuenerant, singulis in sua dimissis, ipse iuxta condictum, cum paucis Spiram contendit, ibiq. intra terminos & leges, quas Principes præscripserant, aliquanto tempore mediocriter vitam, moresq. cohibebat.

Sueui & Saxones, postquam deditis Vuormatiensibus, statum ciuitatis Episcopo pacatissimum reddiderunt, læti, ouanteq. patriam repetebant, confestimq. Legatos Romam destinarunt, qui Papam rei gestæ ordinem edocerent, enixeq. flagitarent, vt sedandis per Gallias tantis bellorum ciuilium tempestatibus, ipse statuta die suam non dedignaretur præstare præsentiam. Rex etiam certo sciens, omnem suam in eo verti salutem, si ante anniuersarium diem excommunicatione absolueretur; nec satis tutum suis rationibus existimans, vt expectato intra Gallias Romani Pontificis aduentu sic infesto iudici, sic obstinatis accusatoribus causam suam addiceret ventilandam;

A dam: optimum factu sibi iudicauit, pro eo tum statu rerum suarum, vt in Gallias proficiscenti Romano Pontifici intra Italiam occurreret, & anathematis absolutionem quoquo posset modo impetrare conaretur; hac impetrata, ceterarum rebus difficultatem facile adimendam, cum colloqui Principibus, & conferre consilia & fidem amicorum in aduersis implorare nulla deinceps vetaret religio.

PROFECTIO REGIS IN ITALIAM. Paucis igitur ante Natalem Domini diebus Spirensi vrbe discedens, cum vxore & filio paruulo iter aggressus est, nec quisquam ex omnibus Teutonicis vir ingenuus comitatus est regno excedentem, præter vnum & ipsum nec genere, nec opibus conspicuum. Cumq. impensis tam longi itineris egeret, multisq. supplicaret, quibus incolumi Repub. sæpenumero profuerat; pauci admodum erant, qui vel veterum beneficiorum memoria, vel præsenti humanarum rerum spectaculo permoti, necessitatem
B eius aliquatenus releuarent. Eo miseriarum & calamitatis ex summa gloria summisq. opibus repente peruenerat. Similiter quoque ceteri excommunicati obtinendæ citius absolutionis studio ardentissime iter accelerabant in Italiam, nec tamen in societatem itineris Regem admittere, Principum, vel potius Romani Pontificis metu absterriti patiebantur] Quam autem inclemens esset tunc hiems, qua contigit tam arduum iter arripere per Alpium iuga Regem, idem auctor mox pergens, docet his verbis: Vis atque inclementia hiemis, hoc anno adeo iugis, solitoq. asperior inhorruerat, vt a festiuitate sancti Martini, Rhenus fluuius glaciali frigore constrictus, pene vsque ad Kalendas Aprilis pedestri itineri transmeabilis maneret, & plerisque in locis vineta exiccatis frigore radicibus, omnino arescerent] Quam autem confecerit itineris partem hoc anno ante Kalendas Ianuarij, quibus nouum auspicari consueui-
C mus annum: idem auctor in primis ita describit:

OBICES REGI OPPOSITI NE IN ITALIAM VENIRET. Rex Henricus in Italiam proficiscens, intra Burgundiam in loco, qui dicitur Bisanzun, Natalem Domini celebrauit, satis magnifice pro sua tum calamitate susceptus, & habitus ab auunculo matris suæ Vuillelmo Comite, cuius in illis locis amplissimæ & florentissimæ opes erant. Ea porro causa erat, vt relicto recto itinere in Burgundiam diuerteret, quod certo compererat, Duces Rudolphum, Vuelph, & Bertholdum omnes vias, omnesq. aditus, qui ad Italiam mittunt, quos vulgato nomine Clusas vocant, appositis custodibus anticipasse, vt nulla illic ei copia transeundi fieret. Exacta solemnitate Natalis Domini profectus inde, cum in locum, qui Ciuis, dicitur, venisset, obuium habuit socrum suam, filiumq. eius Amedeum nomine, quorum in illis regionibus & auctoritas clarissima, & possessiones amplissimæ, & nomen celeberrimum
D erat. Hi venientem honorifice susceperunt. Transitum tamẽ per terminos suos alias ei concedere nolebant, nisi quinque Italiæ Episcopatus possessionibus suis contiguos eis redimendi itineris pretium traderet. Durum hoc nimis atque intolerabile omnibus Regis Consiliarijs visum est. Sed cum ei ineuitabilis incumberet necessitas, quoquo posset pacto redimendi itineris, & illi nec iure propinquitatis, nec tantæ calamitatis miseratione quidquam mouerentur; multo labore & tempore in hac deliberatione insumpto, vix & ægre tandem impetratum est, vt prouinciam quamdam Burgundiæ bonis omnibus locupletissimam, concedendi transitus mercedẽ dignarentur accipere. Ita indignatio Domini non solum sacramentis, & frequentibus beneficijs sibi obnoxios, sed etiam amicos, & genere propinquos ab eo auerterat] at quæ hæc secuta sint de itinere, & reconciliatione Regis, dicemus suo loco anno sequenti.

REGIS HOSTES QVO ANIMO REM AGERENT, INNOTESCVNT. E Ceterum qui hactenus visi sunt religionis ardore excitati, zeloq. offensi numinis in Romano Pontifice iniuriam passo permoti iuste, pieq. ab omnibus crediti sunt, quorum & omnia, quæ sunt operati in conuentu Triburiensi, cõmendatione summa digna esse sunt prædicata: iam in dubium reuocari sunt cœpti, cum ijdem contra pacta conuenta in Comitijs Triburiensibus aditum Regis Henrici ad Romanum Pontificem pro absolutione petenda præcludere nisi sunt, præoccupatis Clusis, vt audisti, operam Ducum Rudolphi, Vuelphonis atque Bertholdi hostium Regis. his additum, quod excommunicati Episcopi in Italiam post Regem festinantes, vt absolutionem peterent, præuia pœnitentia, a Romano Pontifice, ab eisdem siue eorum partium viris in itinere capi sunt iussi, ne vlterius progrederentur, quod accidisse Diederico Episcopo Virdunensi, & Roberto Episcopo Bambergensi, idem qui supra Lambertus affirmat, docens pariter (quod & dicetur anno sequenti) ceteros omnes excommunica-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tos Episcopos, qui elusis Clusarum custodibus, transire potuerunt, mox ad vestigia Gregorij Pontificis accurrisse, absolutionem petijsse, eamq. præuia pœnitentia impetrasse. Quos autē sciſſet minus deliquisse, idem Gregorius per [a] litteras absoluit absentes. Ista, inquam, haud mediocrem eorum æstimationi inurebant notam, quibus indicaretur, eos non zelo diuini honoris & læsæ Pontificiæ sanctitatis, animarumq. salutis (quæ præseferebant omnia) ad rebellionem aduersus Regem permotos, sed insana regnandi cupidine, religionis velamento quam honestissime obuoluta percitos esse. Sed Deus inspector cordium ista iudex omnium iudicarit, nobis tantum ex signis & euentis coniectura opinandi relinquitur. sed iam prosequamur quæ sunt reliqua anni huius rerum gestarum Gregorij Papæ.

[a] *Greg. lib. 3. ep. 12.*

A

Cui a Deo datū est vt euellat & dissiper, [b] pariter concessum est, vt plantet & ædificet. Quamobrem idem Gregorius Papa, qui vt vidisti, Henricum Regem regno priuauit, eius impietate id ab inuito scilicet extorquente: pietate exigente, Ducem Croatiæ atque Dalmatiæ in Regem euexit. Admiratione plane digna res accidit, vt quo anno Henricus Rex se schismate ab Ecclesia separauit, Rex barbarus eidem se coniunxerit, subditumq. constituerit, fidelitatem iurauerit, tributumq. sponte spoponderit, magnam ex eo accessionem ad suam gloriam comparari existimans, si ex libero Principe efficiatur subditus sancto Petro eiusq. diceretur esse fidelis. cuius tantæ rei conficiendæ gratia, Salonæ in Dalmatia Synodus habita est, cui & Sedis Apostolicæ Legatus interfuit, eidemq. vti Vicario Papæ ista est facta promissio; atque ab eo eiusdem Pontificis iussu collata regia dignitas. est de his omnibus monimentum in Vaticana bibliotheca, in codice qui Cencius Camerarius inscribitur, de censibus Apostolicæ Sedis, in quo ista, vt hic leguntur, descripta habentur de synodalibus Actis asseruatis olim in Archiuo Lateranensi in hæc verba; ac primum sic titulus:

[b] *Ierem. 1.* GREGORIVS REGES CREAT.

B

C

Ex Synodo habita in Dalmatia a Legatis Vij Papæ Gregorij, scilicet a Gebizone, tunc monasterij sanctorum Bonifacij & Alexij Abbate, nunc vero Cæsenate Episcopo, necnon a Folcuino Forisempronij Episcopo, quæ Synodus habetur in Archiuo sacri Palatij Lateranensis, in qua de regno & de Rege Dalmatiæ ita inter cetera legitur:

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, anno Dominicæ Incarnationis millesimo septuagesimosexto, Indictione decimaquarta mense Octobris. Ego Demetrius, qui & Suinmur nuncupor, Dei gratia Croatiæ Dalmatiæq. Dux, a te domine Gebizo, ex Apostolicæ Sedis legatione domini nostri Papæ Gregorij potestatem obtinente in Salonitana basilica sancti Petri synodali & concordi totius Cleri & populi electione de Croatarum Dalmatinorumq. regni regimine per vexillum, ensem, sceptrum & coronam inuestitus atque constitutus Rex, tibi deuoueo, spondeo & polliceor, me incommutabiliter completurum omnia, quæ mihi tua reuerenda iniungit sanctitas, videlicet, vt in omnibus, & per omnia Apostolicæ Sedi fidem obseruem, & quidquid hic in regno tam Apostolica Sedes, quam sui Legati sanxerunt, aut sanxerint, irreuocabiliter custodiam, iustitiam excolam, ecclesias defendam, primitiæ, decimæ, omniumq. ad ecclesiam pertinentium procurator existam, vitæ Episcoporum, presbyterorum, diaconorū, subdiaconorumque, vt caste & regulariter viuant, prouideam; pauperes, viduas atque pupillos protegam, parentelæ illicitam copulam destruens legitimam dotem anulo, sacerdotisq. benedictione constituam, & constitutam corrumpi non permittam, hominum venditionem contradicam, atque in omnibus quæ ad rectitudinis statum congruunt, Deo auctore, me æquum exhibeam. Ducentorum quoque Byzantiorum tributum meorum omnium consultu Primatum, sancto Petro per singulos annos in Resurrectione Domini de mihi concesso regno persoluendos statuo. Et vt post me regnaturi hoc idem perpetuo seruent, censeo, corroboro, atque sancio. Dono insuper, concedo atque confirmo Apostolicæ Sedi sancti Gregorij monasterium, cui Vrana est vocabulum, cum omni suo thesauro, scilicet cum capsa argentea, reliquias sacri corporis eiusdem beati Gregorij continente, cum duabus crucibus, cum calice & patena, cum duabus coronis aureis gemmis ornatis, cum Euangeliorum textu de argento, cumq. omnibus suis mobilibus & immobilibus bonis, vt sancti Petri Legatis semper sit ad hospitium, & omnino in potestate eorum. Hoc tamen interposito tenore, vt nulli alij potestati detur, sed omni tempore sancti Petri sit proprium, & a me meisq. successoribus defensum, atque ab omni homine liberum

D

E

A berum & securum. Cuiuscumque autem audacia temerario ausu præfatum monasterium ex assignato thesauro priuauerit, terribilem illam Iudicis vocem, quam diabolus cum suis angelis auditurus est, audiat. Præterea cum Deo seruire regnare sit, vice beati Petri & domini nostri Papæ Gregorij, atque post se sessurorum in Apostolica Sede, me tuis manibus committo, & commendo, hanc fidelitatem sacramento stabilio. Ego, inquam Demetrius, qui & Suinmur, Dei gratia & Apostolicæ Sedis dono Rex ab hac hora in antea sancto Petro & domino meo Papæ Gregorio, suisq. successoribus canonice intrantibus ero fidelis: & vt ipse, siue post eum futuri Pontifices, siue Legati eorum vitam, aut membra perdant, aut capiantur, neque in consilio, neque in facto ero, & consilium quod mihi crediderint ad illorum damnum scienter nulli intimabo. Regnum autem quod mihi per manum tuam, domine Gebizo, traditur,
B fideliter retinebo, & illud suumq. ius Apostolicæ Sedi aliquo ingenio aliquando non subtraham. Dominum meum Papam Gregorium & suos successores atque Legatos, si in meam potestatem venerint, honorifice suscipiam, & honeste tractabo, & remittam, & vndecumque me inuitauerint, prout potero, eis simpliciter seruiam] hæc ibi.

Sed maioris plane est admirationis, quod dum resilit filius Christianus, atque probris & contumelijs patrem exagitat: eodem anno, cum ita status Romanæ Ecclesiæ Aquilonaribus ventis vrgentibus, fluctuaret, Rex Arabs, Sarracenus, qui regnabat in Mauritania Sitifensi, confitens, cognoscensq. Primatum Petri, & Romani Pontificis super omnes ecclesias principatum, mittit Romam presbyterum, Seruandum nomine, ab eodem Papa Gregorio Episcopum ordinandum, honoratq. eum suis litteris atque muneribus. Insuper & quos habebat captiuos Christianos, solutos vinculis
C Romam misit eo tempore, quo Rex Christianus diuellebat ab eo filios liberos, & ducebat captiuos in schisma. sed audiamus quas ad eum Gregorius [a] litteras reddiderit, quibus & benedictionem Apostolicam impertiuit, qua indignum iudicauit schismaticum Regem:

REX ARABVM HONORAT GREGORIVM.

[a] *Greg. lib. 3. ep. 21.*

GREG. AD REGEM ARABVM EPISTOLA.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei Anzir Regi Mauritaniæ Sitifensis prouinciæ in Africa, salutem & Apostolicam benedictionem.

Nobilitas tua hoc in anno litteras suas nobis misit, quatenus Seruandum presbyterum Episcopum secundum Christianam constitutionem ordinaremus. Quod quia petitio tua iusta & optima videbatur, facere studuimus. Missis etiam ad nos muneribus, Christianos, qui apud vos captiui tenebantur, reuerentia beati Petri principis Apostolorum, & amore nostro dimisisti: alios quoque captiuos te dimissurum promisisti. Hanc denique bonitatem creator omnium Deus, sine quo nihil boni facere,
D immo nec cogitare possumus, cordi tuo inspirauit, ipse qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, in hac intentione mentem tuam illuminauit. Nam omnipotens Deus, qui omnes homines vult saluos facere, & neminem perire: nihil est quod in nobis magis approbet, quam vt homo post dilectionem suam hominem diligat, & quod sibi non vult fieri, alij non faciat. Hanc itaque charitatem nos & vos specialius nobis quam ceteris gentibus debemus, qui vnum Deum licet diuerso modo credimus & confitemur, qui eum Creatorem sæculorum & gubernatorem huius mundi quotidie laudamus & veneramur. Nam sicut Apostolus dicit: [b] Ipse
E est pax nostra, qui fecit vtraque vnum. Sed hanc tibi gratiam a Deo concessam plures nobilium Romanorum per nos cognoscentes, bonitatem & virtutes tuas omnino admirantur & prædicant. Inter quos duo familiares nostri Albericus & Cincius, & ab ipsa pene adolescentia in Romano Palatio nobiscum enutriti multum desiderantes in amicitiam & amorem tuum deuenire; & de his quæ in partibus nostris placuerit tibi libenter seruire, mittunt ad te homines suos, vt per eos intelligas, quantum te prudentē & nobilem habeant, & quantum tibi seruire velint & valeant. Quos magnificentiæ tuæ commendatos rogamus, vt eam charitatem quam tibi tuisq. omnibus semper impendere desideramus; eis pro amore nostro & recompensatione fidelitatis prædictorum virorum impendere studeas. Scit enim Deus, quia pure ad honorem Dei te diligimus, & salutem & honorem tuum in præsenti & in futura vita desideramus. Atque vt ipse Deus in sinum beatitudinis sanctissimi Patriarchæ Abrahæ, post longa huius vitæ spacia te perducat, corde & ore rogamus] hæc Gregorius, haud dubium pro illo rogans, vt fieret Christianus, & ita compos promissionum efficeretur, quæ factæ sunt

[b] *Eph. 2.*

ad Abraham & semini eius, vt cum filij regni eijciuntur foras,[a] veniret ab Occidente, & recumberet cum Deo Abraham, Isaac, & Iacob in regno cælorum. Adhuc autem supererant reliquiæ ecclesiæ Hipponensis, cui præficiendus Seruandus Romam missus fuerat consecrandus, cui redeunti ad Hipponenses tunc idem Gregorius has litteras dedit: [b]

[a] Matth. 8.

[b] Greg. lib. 3. ep. 20.

GREG. AD HIPPONEN.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei Clero & populo Hipponensi in Mauritania Sitifense, idest, in Africa constitutis salutem & Apostolicam benedictionem.

Seruandum Archiepiscopum, quem a vobis electum ad nos consecrandum misistis, iuxta petitionem vestram secundum legem nostram, diuina fauente clementia consecrauimus, atque consecratum, nostrisq. legalibus moribus quantum possibilitas spaciumq. temporis indulsit, diligenter instructum ad vos remittimus. Quem cum omni deuotione mutuæ charitatis, omniq. reuerentia Christianæ religionis rogamus ac paterna charitate vos monemus suscipere, & omnem obedientiam diuinæ legis vos hortamur sibi humiliter exhibere, quatenus populi Sarracenorum, qui circa vos sunt, videntes sinceritatem fidei vestræ, puritatem quoque mutuæ inter vos diuinæ charitatis, ac fraternæ dilectionis, potius ad æmulationem, quam ad contemptum Christianæ Fidei ex vestris operibus prouocentur: oportet enim vos considerantes, glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est, &c.] præcedit hanc epistola ad Cyriacum [c] Episcopum Carthaginensem de eligendo quem vidimus in Episcopum consecrandum.

[c] Id. ep. 19.

ROGERIVS SICILIAE COMES QVID PETAT A PAPA.

Sed nec prætermittendum, quod hoc eodem anno, ijsdem ferme diebus, quibus Gregorius istis premeretur angustijs, cum discessio ab Apostolica Sede facta est ab Henrico Germaniæ Rege, Rogerius Siciliæ Comes festinus accurrit, vt ab ipso Pontifice absolutionem mereretur accipere delictorum, atque eius benedictione fulciri: insuper & filius eiusdem Romanæ Ecclesiæ nominari. Ad quem Gregorius rescribens, nihil remittens legum ecclesiasticarum obseruantiæ, sic se recipere eum admonuit, si tamen non communicet cum Roberto fratre ipsius excommunicato, ita significans his litteris datis ad Episcopum Acheruntinum: [d]

[d] Id. ep. 11.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei Arnaldo fratri & Coepiscopo Acheruntino salutem & Apostolicam benedictionem.

Nouerit fraternitas tua, quoniam Rogerius Comes frater Roberti Ducis Apostolicæ Sedis benedictionem & absolutionem requirit, eiusq. filius vocari & esse desiderat. Quapropter pastorali cura hoc laboris onus tibi imponimus, immo ex parte beati Petri imperamus, vt postposita omni torporis desidia, illum adeas, eumq. huius nostri præcepti auctoritate fultus, si nobis parere, sicut pollicitus est, voluerit, & pœnitentiam, vt oportet Christianum, egerit, ab omni peccatorum suorum vinculo tam illum, quam etiam suos milites, qui cum eo contra Paganos (ita tamen, vt agant pœnitentiam) pugnaturi sunt, peccatis maxime absoluas. Addimus præterea, vt eum pia admonitione admoneas, quatenus se a capitalibus criminibus custodiat, & Christiani nominis culturam inter Paganos amplificare studeat, vt de ijsdem hostibus victoriam consequi mereatur. Amplius si de Roberto Duce fratre suo aliquid tibi retulerit, respondeas ei, quoniã Romanæ Ecclesiæ ianua misericordiæ omnibus patet, quicumque pœnitentiæ amore ducti offensionis scandala deserunt, & ad rectitudinis viam inoffenso pede regredi concupiscunt. Si igitur Dux Robertus sanctæ Romanæ Ecclesiæ sicut filius parere exoptat; paratus sum paterno amore eum suscipere, & suo consilio ei iustitiam conseruare, & ab excommunicationis vinculo penitus absoluere, & inter diuinas oues eum annumerare. Quod si renuerit idem Robertus Dux: vt cum eo vltra communicet, ex parte Apostolicæ Sedis licentiam non poterit impetrare] hæc de Rogerio atque eius germano Roberto. data est epistola hoc anno pridie Idus Martij Indict. decimaquarta. Porro reconciliatum fuisse Rogerium Ecclesiæ, ex eo certum deducimus argumentum, quod cum in posterioribus Synodis excommunicandi fuissent Principes Ecclesiæ Romanæ rebelles, & inter alios Robertus frater ipsius: de Rogerio nulla est facta mentio, vtpote, qui se in obedientia Sedis Apostolicæ contineret.

Postremo autem inter tot angustias positus, nihil remittens vigoris ecclesiasticæ disciplinæ Gregorius, cum audisset in Flandria fornicarios clericos sacræ mensæ ministrare,

strare, & simoniacos existere impunitos, [a] grauissimas litteras aduersus eos scripsit ad Robertum Flandriæ Comitem, præcipiens, vt eos omnino amoueat & persequatur, vt Ecclesiæ aduersarios. Scripsit de his etiam ad eius coniugem Adelam, [b] siue Adelaidem. Extant & aliæ pleræque eius epistolæ de priuatis negotijs diuersarum ecclesiarum, quas ad nimiam prolixitatem vitandam consulto prætermittimus.

[a] Greg. lib. 4. ep. 11.

[b] Id. ep. 10.

Eodem anno Herlembaldus dux fidelium, qui in ecclesia Mediolanensi Catholici habebantur, resistens hæreticis atque schismaticis, necatus ab ipsis gloriosum est martyrium consecutus. Quod ad tempus spectat, hunc plane annum consignat eius martyrij scriptor, Syrus presbyter, de quo dictum suo loco superius. Porro idem Syrus, qui nouit eum, & familiariter vsus est (vt ipse in eodem commentario, quo res gestas Arialdi est prosecutus, affirmat) volumen quoque se scripsisse testatus est de rebus ab Herlembaldo præclare gestis, deq. martyrio consummato, quod cum hactenus in nostras manus non venerit, quæ tibi Lector, de his præter hæc scribamus, non habemus. Certe quidem perinsignem fuisse Christi Confessorem dum vixit, & egregium martyrem, cum occisus, ex paucis, quæ de eo idē Syrus habet in commentario rerum gestarum Arialdi martyris, possumus intelligere: sed & ex Gregorij Papæ epistolis ad eum datis, quanti eum idem Pontifex fecerit, æque possumus assequi. [c] Porro in his turbis, cum Henricus (prout accepisti anni huius exordio) vexaret Mediolanensem ecclesiam, & Longobardi magna ex parte pro Rege agerent contra Pontificem, talia passum Herlembaldum, existimandum.

[c] Id. lib. 1. ep. 25. 26. 27. 28.

Eodem quoque anno clarissima & virtutibus ornatissima femina Beatrix Mathildis Comitissæ mater moritur Pisis in Tuscia, die decimooctauo mensis Aprilis, prout carmine cecinit Domnizo presbyter in vita Mathildis, dicens: [d]

[d] Domnizo lib. 1. cap. 20.

Plena bonis factis, dictisq. referta Beatrix,
Cunctis chara nimis magnis, paruis quoque, Pisis
Aegra manens, vita de præsenti bene migrat.
Octo decemq. dies Aprilis dum finit ire,
Christi post ortum vera de Virgine corpus
Anno milleno bis terno septuageno.
Conditur Pisis. &c.]

BEATRICIS COMITISSAE OBITVS.

Mathildis vero pro anima matris suæ Pisanam ecclesiam redditibus locupletauit, prout Gregorius Papa testatur in priuilegijs, quæ eidem ecclesiæ Pisanæ concessit, vt apparet ex litteris ad Landulphum [e] Pisanum Episcopum datis; sed de his etiam diplomata extare dicuntur.

[e] Greg. lib. 6. ep. 12.

IESV CHRISTI ANNVS 1077. GREGORII VII. PAP. ANNVS 5. VACAT. IMP. OCCID. 21. MICH. VII. DVC. IMP. 6.

HENRICVS REX PROPERAT IN ITALIAM.

Millesimvs septuagesimus septimus Redemptoris surgit annus, Indictione decimaquinta, quo Henricus Rex excommunicatus olim a Romano Pontifice, vere pœnitentis hominis speciem præseferens, a Gregorio Papa Canusij in Longobardia oppidi ritu solemni absoluitur. Quomodo autem ista se habuerint, ex auctore huius temporis Lamberto primum inspiciamus, qui post illa, quæ anno superiori de eodem narrata sunt Rege, ista hoc anno accidisse subiungit: Difficulter (inquit) assecuto transeundi licentiam, protinus alia succesit difficultas. Hiems erat asperrima, & montes per quos transiturus erat, in immensum porrecti, & pene nubibus cacumen ingerentes, ita mole niuium, & glaciali frigore obriguerant, vt per lubricum præcipitemq. descensum, nec equitis, nec peditis gressum sine periculo admitterent. Sed dies anniuersarius, quo Rex in excommunicationem deuenerat, e vicino imminens, nullas accelerandi itineris moras patiebatur: quia nisi ante eam diem anathemate absolueretur, decretum nouerat communi Principum sententia, vt & causa in perpetuum cecidisset, & regnum sine vllo deinceps restitutionis remedio amisisset. Igitur quosdam ex indigenis locorum peritos, & præruptis Alpium iugis assuetos mercede conduxit, qui comitatum eius per abruptum montem & moles niuium præcederent, & subsequentibus quaqua possent arte, itineris asperitatē leuigarent. His ductoribus cum in verticem montis magna cum difficultate euasissent, nulla vlterius pro-

Universidad de Deusto
Biblioteca

progrediendi copia erat, eo quod præceps montis latus, & (vt dictum est) glaciali frigore lubricum, omnem penitus *decessum negare videretur. Ibi viri periculum omne viribus euincere conantes: nunc manibus & pedibus reptando, nunc ductorum suorum humeris innitendo, interdum quoque titubante per lubricum gressu cadendo, & longius volutando, vix tandem aliquando cum graui salutis suæ periculo ad campestria peruenerunt. Reginam & alias, quæ in obsequio eius erant, mulieres boum corijs impositas duces itineris conductu præeuntes deorsum trahebant. Equorum alios per machinas quasdam submittebant, alios colligatis pedibus trahebant: ex quibus multi dum traherentur, mortui, plures debilitati, pauci admodum integri incolumesq. periculum euadere potuerunt. A

*al. descensum

LONGOBARDI FAVENT REGI IN ODIVM PAPAE.

Postquam per Italiam fama percrebuit, venisse Regem, & superatis asperrimis rupibus iam intra Italiæ fines consistere: certatim ad eum omnes Italiæ Episcopi & Comites confluebant, eumq. vt regia magnificentia dignum erat, summo cum honore suscipiebant, atque intra paucos dies infinitæ multitudinis ad eum congregatus est exercitus. Erant enim iam ab exordio regni eius semper desiderantes aduentum eius in Italiam, eo quod regnum illud bellis, seditionibus, & latrocinijs, ac varijs priuatorum infestationibus assidue infestaretur, & omnia, quæ præter leges & iura maiorum ab improbis hominibus præsumebantur, regiæ auctoritatis censura corrigi sperarent. Præterea quia fama vulgauerat, ad deponendum Papam ferocibus eum animis properare, admodum gratulabantur, oblatam sibi occasionē esse, qua in eum, qui se iam pridem ab ecclesiastica communione suspenderat, iniuriam suam idonee vindicarent] Ex his intelligere potes Lector, quinā fuerint homines, qui ad Regem conuenerint, nempe qui cum eodem a Gregorio Papa fuerant excommunicati; in primis vero Longobardiæ Episcopi, quos anno superiori paucis exceptis Papiensi conuenticulo Papam reiecisse in vita Gregorij habet Vuillelmus Bibliothecarius. pergit vero Lambertus: B C

Interea Papa rogatus per litteras a Principibus Teutonicis, qui in Oppenheim conuenerant, vt in Purificatione sanctæ Mariæ ad discutiendam causam Regis Augustæ occurreret; inuitis Romanis Principibus, & propter incertum rei euentum iter illud dissuadentibus, Roma egressus est, & quantum poterat, profectionem accelerans, statuto die præsto esse satagebat, ducatum ei præbente Mathilda, derelicta Ducis Lotharingorū Gozelonis, filia Bonifacij Marchionis & Beatricis Comitissæ] quæ de ea subijcit, superius dicta sunt, pergit vero inferius: Igitur Papa dum in Gallias properaret; ex insperato audiens Regem iam esse intra Italiam, hortante Mathilda, in castellum quoddam munitissimum, quod Canusium dicitur, diuertit, expectare volens, donec consilium aduentus eius diligentius exploraret, vtrum scilicet veniam admissi postulare, an iniuriam excommunicationis suæ militari manu persequi plenus animorum aduenirent] Sed ne ambigeret, Germanorum Episcoporum & Principum pœnitentia, eorum scilicet, qui Regem secuti essent, quo animo idem Rex venisset, Gregorius iam certior factus est, de quibus ista idem qui supra Lambertus: D

PAPA CANVSIVM VENIT.

Ceteri Episcopi & laici quos Papa excommunicauerat, quosq. Rex huius rei gratia a latere suo extrema necessitate compulsus amouerat, elusis custodibus, qui Clusas obsidebant, in Italiam illæsi peruenerunt, repertoq. Papa in Canusio, veniam præsumptæ rebellionis, atque vt excommunicatione absoluerentur, nudis pedibus, & lancis ad carnem induti suppliciter postulabant. Ille his, qui veraciter peccatum suum agnoscerent & deflerent, non esse aiebat misericordiam denegandam; sed longam inobedientiam, & diu incretam peccato rubiginem diuturnioris pœnitentiæ igne exuri & excoqui oportere. Quapropter si eos reuera facti pœniteret, æquo animo paterentur, quodcumque sanandis vulneribus eorum adhiberet ecclesiasticæ correptionis cauterium, ne ex facilitate indulgentiæ culpa, quæ aduersus Sedem Apostolicam atrox & vehemens præsumpta fuisset, vel parua vel nulla videretur. Illis paratos se profitentibus ad omnia quæ imposuisset, sufferenda; Episcopos omnes a se inuicem separatos præcepit singulis cellis solitarios includi, nec vllū cum aliquo habere colloquium, ad vesperum autem cibi & potus mediocri mensura refici. Laicis quoque pro ætatis, vel virium consideratione congruentem singulis pœnitentiam indixit. E

Ita per aliquot dies examinatos tandem ad se vocauit, & leuiter pro admissis obiurgatos, & ne deinceps simile quid admitterent, commonitos excommunicatione absol-

absoluit. Abeuntibusq. id ante omnia repetens iterum atque iterum præcepit, ne Regi Henrico, donec Sedi Apostolicæ post factam iniuriam satisfeciisset, aliquatenus communicarent, aut ei ad euertendum statum Reipublicæ, turbandamq. pacem ecclesiasticam, in aliquo operam suam accommodarent. Ad hoc tamen omnibus indifferenter eius permisso colloquio, vt ad pœnitentiam prouocaretur, & a cursu mali operis, quo præceps rapi videbatur, retraheretur. A

Interea Rex Henricus Mathildam Comitissam ad colloquium euocauit, eamq. precibus ac promissionibus oneratam ad Papam transmisit, & cum ea socrum suam, filiumq. eius, Azonem etiam Marchionem, & Abbatem Cluniacensem, & alios nonnullos ex primis Italiæ Principibus, quorum auctoritatem magni apud eum momenti esse non ambigebat, obsecrans, vt excommunicatione solueretur, nec Principibus Teutonicis, qui ad accusandum eum stimulo inuidiæ magis quam zelo iustitiæ exarsissent, temere fides haberetur. Quorum Papa legatione audita, ait incongruum valde esse, & ab ecclesiasticis legibus omnino alienum, vt absentibus accusatoribus causa accusati ventilaretur, quinimmo si innocentiæ suæ confideret, omni timoris scrupulo liberatus statuto die in Augustam, quo ceteri Principes conuenire statuissent, fiducialiter occurreret, se illic discussis vtrarumque partium allegationibus, nec odio, nec gratia ab iure ad iniuriam deuoluendum, sed iuxta leges ecclesiasticas, quam rectissimam possit, de singulis sententiam laturum esse. B

PRO ABSOLVTIONE REGIS LEGATI LABORANT.

Ad hæc illi responderunt, Regem illius nusquam terrarum subterfugere iudicium, quem sciat æquitatis & innocentiæ incorruptissimum vindicem & aduocatum fore, sed e vicino iam vrgere diem anniuersarium quo excommunicatus fuisset, & Principes regni hac expectatione suspensos attentosq. anxie rei euentum præstolari, vt si ante hanc diem excommunicatione non absoluatur, deinceps iuxta Palatinas leges, indignus regio honore habeatur, nec vltra pro asserenda innocentia sua audientiam mereatur. Proinde obnixius petere, & hoc omni quo Papa iubeat, satisfactionis genere paratum emereri, vt solo interim anathemate absoluatur, & communionis ecclesiasticæ gratiam recipiat, responsurus ex integro quacumque die, quocumque loco Papa præcipiat, tamquam nihil hac conuentione actum sit, omnibus quæ accusatores eius obiecissent criminibus, & iuxta sententiam eius regnum vel retenturus si obiecta purgasset, vel æquo animo, si causa cecidisset, amissurus. C

PAPA CVNCTATVR ABSOLVERE REGEM.

Diu Papa restitit, veritus in Rege iuuenilis animi inconstantiam, & procliue quocumque assentatores impulissent, ingenium; sed superatus tandem importunitate perurgentium & grauitate sententiarum: Si veraciter, inquit, eum facti pœnitet, coronam & cetera regni insignia in argumentū veræ & ex animo actæ pœnitudinis, nostræ potestati dedat; & se post tam contumax admissum, regio nomine & honore deinceps indignum profiteatur. durum nimis hoc visum est Legatis. Cumq. vehementer insisterent, vt sententiam temperaret, nec calamum conquassatum iudicij austeritate penitus contereret: vix & ægre tandem exoratus annuit, vt cominus veniret, & si veram pro admissis pœnitudinem gereret, culpam, quam Sedi Apostolicæ contumeliam irrogando contraxerat, Sedis Apostolicæ decretis nunc obediendo expiaret. D

HENRICVS REX VENIT CANVSIVM AD PAPAM.

Venit ille, vt iussum fuerat, & cum castellum illud triplici muro septum esset, intra secundum murorum ambitum receptus, foris derelicto omni comitatu suo, deposito cultu regio, nihil præferens regium, nihil ostentans pompaticum, nudis pedibus, ieiunus mane vsque ad vesperam perstabat, Romani Pontificis sententiā præstolando. hoc secundo, hoc tertio die fecit. Quarto demū die in conspectum eius admissus, post multas hinc inde dictas sententias, his postremo conditionibus excommunicatione absolutus est: Vt die & loco, quemcumque Papa designasset, euocatis ad generale Concilium Teutonicis Principibus, præsto esset, & accusationibus, quæ intenderētur, responderet, ipso Papa (si ita expedire videretur) cognitore causarum assidente; & ad eius sententiam vel retineret regnum, si obiecta purgasset, vel æquo animo amitteret, si probatis criminibus, regio deinceps honore indignus iuxta ecclesiasticas leges decerneretur; nullam, siue retento, siue amisso regno huius iniuriæ vindictam a quopiam hominum in perpetuum exacturus. Vsque ad eam autem diem, qua causa eius legitime discussa terminaretur, nulla regij cultus ornamenta, nulla regiæ dignitatis insignia sibi adhiberet, nihil circa rerum publicarum administrationem iuxta consuetudinem E

suo iure ageret, nihil quod ratum fore oporteat, decerneret; postremo præter regalium seruitiorum exactionem, quibus necessario ipse & sui sustentandi essent, nihil regium, nihil publicum vsurparet; omnes etiam qui ei sub iureiurando fidem dixissent, ab huius sacramenti vinculo, & conseruandæ erga eum fidei debito apud Deum, & apud homines interim liberi expeditiq. manerent. *Rutbertum Babenbergensem Episcopum, & Vdalricum de Cosheim, & ceteros, quorum consilijs se remq. publicam prodidisset, a sua in perpetuum familiaritate amoueret. Quod si purgatis quæ obijcerentur, potens, confortatusq. in regno perstitisset, subditus Romano Pontifici semper, dictoq. obtemperans foret; & ad corrigenda quæcumque in regno eius contra ecclesiasticas leges praua consuetudine inoleuissent, consentiens ei, & pro virili portione cooperator existeret. A

* Robertum

Ad vltimum, si quid horum præuaricaretur, irritam fore hanc, quæ nunc tantopere expetita sit, anathematis absolutionem; quinimmo iam pro conuicto, confessoq. habendum esse, nec vltra pro asserenda innocentia sua audientiam impetraturum: Principesq. regni omni deinceps quæstione, cuncta iurisiurandi religione liberatos, Regem alium, in quem communis electio consensisset, creaturos esse. B

S. HVGO ABBAS CLVNIACEN. AGIT PRO REGE.

Gratanter Rex accepit conditiones, & seruaturum se omnia, quam sanctissimis poterat assertionibus promittebat. Nec tamen promittenti temere fides habita est, sed Abbas Cluniacensis, quoniam iurare monasticæ religionis obtentu detrectabat, fidem suam coram oculis omnia cernentis Dei interposuit. Episcopus quoque Citicensis & Episcopus Vercellensis, & Azo Marchio, & alij conuentionis eius Principes, allatis Sanctorum reliquijs sub iureiurando confirmauerunt, facturum eum esse quæ pollicebatur, nec aliqua rerum asperitate vel casuum varie succedentium mutabilitate a sententia deducendum. C

PAPAE DE SVA INNOCENTIA CONTESTATIO.

Ita absoluto eo excommunicatione, Papa Missarum solemnia celebrauit, confectaq. sacra oblatione Regem cum cetera, quæ frequens aderat, multitudine ad altare euocauit, præferensq. manu corpus Dominicum: Ego, inquit, iam pridē a te tuisq. fautoribus litteras accepi, quibus me insimulabas, Sedem Apostolicam per simoniacam hæresim occupasse, & alijs quibusdam tam ante Episcopatum, quā post acceptum Episcopatum criminibus vitam maculasse; quæ mihi secundum scita canonum omnem ad sacros ordines accessum obstruxerint. Et licet multorum idoneorum certa testium astipulatione crimen refellere queam, eorum scilicet qui omnē vitæ meæ ab ineunte ætate institutionem integerrime nouerunt, & eorum qui meæ ad Episcopatum promotionis auctores fuerunt: ego tamen ne humano potius quam diuino niti videar testimonio, vt satisfactionis compendio omnem omnibus scandali scrupulum de medio auferam: ecce corpus Dominicum, quod sumpturus ero, in experimentum mihi hodie fiat innocentiæ meæ, vt omnipotens Deus suo me hodie iudicio, vel absoluat obiecti criminis suspicione, si innocens sum, vel subitanea interimat morte, si reus. D

Hæc & alia (vt solemne est) præfatus verba terribilia, quibus Deum causæ suæ æquissimum iudicem & innocentiæ assertorē adesse precabatur: partem Dominici corporis accepit & comedit: qua liberrime absumpta, cum populus in laudes Dei innocentiæ eius congratulatus, aliquamdiu acclamasset, tandē impetrato silentio, conuersus ad

DEFERTVR REGI A PAPA CANONICA PVRGATIO.

Regē: Fac ergo, inquit, fili, si placet, quod me facere vidisti. Principes Teutonici regni suis in dies accusationibus aures nostras obtundunt, magnam tibi molem capitalium criminum impingētes, pro quibus non modo ab omni rerum publicarum administratione, sed ab ecclesiastica etiam communione, & ab omnimoda vitæ sæcularis conuersatione vsque ad extremum spiritū te suspendi oportere existimant. petunt etiam magnopere die & locum statui, audientiamq. præstari canonice discutiendis, quas aduersum te afferunt, accusationibus: & nosti optime, humana plerumque vacillare iudicia, & in publicis disceptationibus nonnumquam falsa pro veris persuaderi, dum pro disertorum hominum ingenijs, & dicendi copia & suauitate falsitas verborū phaleris adornata libenter auditur, & veritas nullis eloquentiæ nixa adminiculis contemnitur. Cum ergo tibi bene consultū cupiam, pro eo quod in calamitatibus tuis supplex Apostolicæ Sedis patrocinium expetisti: fac quod moneo. Si te innocentem nosti, & existimationem tuam ab æmulis tuis per calumniam falsis criminationibus impeti, libera compendiose & Ecclesiam Dei scandalo, & te ipsum longæ concertationis ambiguo; & E

sume

A sume hanc residuam partem Dominici corporis; vt comprobata, Deo reste, innocentia tua, obstruatur omne os aduersum te iniqua garrientium, & me deinceps causæ tuæ aduocato, & innocentiæ tuæ vehementissimo assertore, Principes tibi reconcilientur, regnum restituatur, omnes, quibus diu Respublica vexatur, bellorum ciuilium tempestates in perpetuum sopiantur.

HENRICVS REFVGIT OBLATAM PVRGATIONEM.

Ad hæc ille inopinata re attonitus, æstuare, tergiuersari, consilia cum suis familiaribus segregatus a multitudine conferre, & quid facto opus esset, qualiter tam horrendi examinis necessitatem euaderet, trepidus consulere. Resumpto demum spiritu, causari apud Papam cœpit de absentia Principum, qui sibi in aduersis fidem adhuc integram seruassent, quibus inconsultis, & potissimum absentibus accusatoribus irritam fore, nec quidquam virium apud incredulos habituram esse quamcumque pro B experienda innocentia sua satisfactionē, paucis qui aderant proposuisset. Proinde sedulo Papam orare, vt rem integram generali Concilio, communiq. audientiæ differret, vt ibi congregatis accusatoribus, & secundum leges ecclesiasticas discussis tam accusationibus quam accusatorum personis, conditionibus, quascumque Principes regni æquas iudicassent, obiecta refelleret. Haud grauate Papa petenti acquieuit] hæc ipse.

Verum eumdem absque aliqua de sua innocentia per eum facta contestatione, sacra Eucharistia communicatum Regem, Domnizo in Mathilde testatur dum ait de Gregorio Papa:

Nam benedixit eum, pacem tribuit sibi, demum
Missam cantauit, Corpus dedit & Deitatis.

] pergit vero Lambertus: Expletoq. sacro ministerio, Regem ad prandium vocauit, benignissimeq. refectum, & de C omnibus quæ eum obseruare oporteret, diligenter instructum; cum pace ad suos qui longius extra castellum remanserant, dimisit. Epponem quoque Citicensem Episcopum præmisit ante eum, vt eos qui ei excommunicato, priusquam anathemate absolueretur, indifferenter communicauerant, vice sua excommunicatione absolueret, benigne præcauens, ne quam denuo receptæ communionis maculant contraheret] Quæ autem ista secuta sint, ordine rerum gestarum pro temporis ratione seruato, paulo post dicturi sumus, nunc autem quas mox post Regis absolutionem ad Episcopos & Principes Germaniæ idem Gregorius [a] litteras dedit, hic describamus, sic enim se habent:

[a] *Greg. lib. 4. ep. 12.*

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei omnibus Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus, Comitibus, ceterisq. Principibus regni Teutonicorum, Christianam Fidem D defendentibus salutem & Apostolicam benedictionem.

EPIST. GREG. PAP. DE PONITENTIA ET ABSOLVTIONE REGIS.

Quoniam pro amore iustitiæ communem nobiscum in agone Christianæ militiæ causam & periculum susscepistis; qualiter Rex humiliatus ad pœnitentiam, absolutionis veniam impetrauerit, & quomodo tota causa post introitum eius in Italiam hucusque deducta sit, vestræ dilectioni sincera charitate indicare curauimus. Sicut constitutum fuit cum Legatis, qui ad nos de vestris partibus missi sunt, in Longobardiam venimus circiter viginti dies ante terminum, in quo aliquis Ducum ad Clusas nobis occurrere debuit, expectantes aduentum illorum, quatenus ad partes illas transire possemus. Verum cum iam decurso termino, hoc nobis nuntiaretur, his temporibus præ multis (quod nos quidem credimus) difficultatibus, ducatum nobis obviam mitti non posse, nec aliunde copiam ad vos transeundi haberemus, non parua E sollicitudine, quid potissimum nobis agendum foret, circumuenti sumus.

Interim vero Regem aduentare certe cognouimus, qui etiam priusquam intrasset Italiam, supplices ad nos Legatos præmittens, per omnia se satisfacturum Deo & sancto Petro ac nobis obtulit, & ad emendationem vitæ suæ, omnem se seruaturum obedientiam, repromisit; dummodo apud nos absolutionis & Apostolicæ benedictionis gratiam impetrare mereretur. Quod cum diu multis consultationibus differentes; acriter eum de suis excessibus per omnes qui intercurrebant nuntios redargueremus: tandem per semetipsum, nihil hostile, aut temerarium ostentans, ad oppidum Canusij, in quo morati sumus, cum paucis aduenit; ibiq. per triduum ante portam castri, deposito omni regali cultu miserabiliter, vtpote discalceatus & laneis indutus persistens, non prius cum multo fletu Apostolicæ miserationis auxilium & consolationē implorare destitit, quam omnes qui ibi aderant, & ad quos rumor ille peruenit, ad tantam pieta-

tem

Universidad de Deusto
Biblioteca

tem & compassionis misericordiâ mouit, vt pro eo multis precibus & lacrymis intercedentes, omnes quidem insolitam mentis nostræ duritiam mirarentur; nonnulli vero in nobis non Apostolicæ seueritatis grauitatem, sed quasi tyrannicæ feritatis crudelitatem esse clamarent. A

HENRICVS REX ABSOLVITVR A GREGORIO PAPA.

Denique instantia compunctionis eius, & tanta omnium qui ibi aderant, supplicatione deuicti, tandem eum, relaxato anathematis vinculo, in communionis gratiam & sinum sanctæ matris Ecclesiæ recepimus, acceptis ab eo securitatibus, quæ inferius scriptæ sunt, quarum etiam confirmationem per manus Abbatis Cluniacensis, & filiarum nostrarum Mathildis & Comitissæ Adelaiæ & aliorum Principum, Episcoporum, & laicorum, qui nobis ad hoc vtiles visi sunt, recepimus. His itaque sic peractis, vt ad pacem Ecclesiæ & concordiam regni, sicut diu desiderauimus, omnia plenius, Deo adiuuante, coaptare possimus, ad partes vestras, data primum opportunitate, transire cupimus. Hoc enim dilectionem vestram indubitanter scire volumus, quoniam sicut in descriptis securitatibus cognoscere potestis, ita adhuc totius negotij causa suspensa est, vt & aduentus noster, & consiliorum nostrorum vnanimitas permaxime necessaria esse videantur. Quapropter in ea fide, quam cœpistis, & amore iustitiæ omnes permanere studete, scientes, nos non aliter Regi oblatos esse, nisi quod puro sermone (sicut mihi mos est) in his eum de nobis sperare dixerimus, in quibus eum ad salutem & honorem suum, aut cum iustitia, aut cum misericordia sine nostræ & illius animæ periculo adiuuare possimus] hucusque Gregorij epistola, cui subijcitur Henrici Regis, quam dixerat, securitas, his verbis concepta, præmisso in primis eiusmodi titulo: B

Iusiurandum Henrici Regis Teutonicorum. C

HENRICI REGIS IVRAMENTVM.

Ego Henricus Rex de murmuratione & dissensione, quam nunc habent contra me Archiepiscopi, & Episcopi, Duces, Comites, ceteriq. Principes regni Teutonicorum, & alij qui eos in eadem dissensionis causa sequuntur, infra terminum, quem dominus Papa Gregorius constituerit, aut iustitiam secundum iudicium eius, aut concordiam secundum consilium eius faciam, nisi certum impedimentum mihi vel sibi obstiterit. quo transacto ad peragendum idem paratus ero.

Item si idem dominus Papa Gregorius vltra montes, seu ad alias partes terrarum ire voluerit, securus erit ex mei parte, & eorum quos constringere potero, ab omni læsione vitæ & membrorum eius, seu captione tam ipse, quam qui in eius conductu & comitatu fuerint, seu qui ab illo mittuntur, vel ad eum de quibuscumque terrarum partibus venerint, in eundo, & ibi morando, seu inde redeundo, neque D aliud aliquid impedimentum habebit ex meo consensu quod contra honorem suum sit, & si quis ei fecerit, cum bona fide secundum posse meum illum adiuuabo. Actum Canusij, quinto Kal. Februarij Indictione decimaquinta] Porro notam temporis puto ex epistola per errorem illapsam in iusiurandum: siquidem Domnizo presbyter in Mathilde, absolutionem Regis factam scribit vigesimaquinta Ianuarij versibus istis:

QVA DIE REX ABSOLVTVS A PAPA.

Ante dies septem, quam finem Ianus haberet,
Ante suam faciem concessit Papa venire
Regem cum plantis nudis a frigore captis
In cruce se tactans Papæ, sæpissime clamans:
Parce beate Pater &c.] Erat dies ille ex antiquo Ecclesiæ ritu Conuersioni S. Pauli Apostoli consecratus. At non est Saul conuersus in Paulum, sed Saul visus inter E Prophetas, qui ad suos pseudoprophetas rediens, vna cũ illis non destitit malo spiritu agitari, vt suo loco dicetur. Domnizo vero eiusmodi historiam his omnibus consentaneam carmine concinens, Mathildis Comitissæ operam in his egregie nauatam prædicat istis versibus, de Rege loquens ad Mathildem confugiente.

MATHILDIS OPERA REX A PAPA VENIAM IMPETRAT.

Ad consobrinam Mathildem misit, vt ipsa
Consilium caperet, quo Papa veniret ab Vrbe
Longobardiam, peteret veniam sibi dignam,
Ipse suum iussum faceret dubio procul vltro.
Papa precesq. videns dominæ Mathildis, eidem
Quod quærit, donat. Dimisit denique Romam
Opilio dignus, Canossum vexit, & intus,

Quem

A *Quem sancti Petri vice digniter illa recepit*] & inferius.

Cumq. dies per tres starent pro pace loquentes,
Et pax non esset; Rex atque recedere vellet;
Cappellam sancti petit idem Rex Nicolai,
In qua pastorem lacrymans orauit Hugonem
Vt pro pace sua fideiussor sibi fiat.
Non licet hoc, Abbas Regi respondit. & astans
Illic Mathildis rogitauit eum. sed & ipsi
Hoc factet nemo, respondit, tu nisi. Credo,
Poplitibus flexis dicit Rex atque Mathildi,
Tu nisi me multum iuueris modo.]

B Hic tu miraberis Lector, quomodo non erubuit Benno ille pseudocardinalis Guibertinæ factionis, asserere pœnitentiâ huiusmodi Henrici Regis non sponte factam, sed coactione Pontificis extortam. nam audi tu ipse impudentem concinnatorem mendaciorum: Extortam, inquit ipse, confessionem inuitus ac coactus apud Canusium in præsentia Hildebrandi Rex protulit. Dicite quæso qui iustitiam diligitis, qui ad dextram vel sinistram fauore alicuius personæ declinare non nostis, dicite quæso, si confessio tanto tempore extorta cuilibet pauperi nedum Cæsari præiudicare debuit? si ex confessione extorta potius non extitit reus canonum hic qui extorsit, quam qui peruerse iudicatus peruersoris iudicis iniuriam & violentiam patienter & publice, & cum lacrymabili afflictione nudis pedibus in laneis vestibus, hieme præter solitum aspera apud Canusium, spectaculum Angelorum factus & hominum, & Hildebrandi ludibrium, triduo pertulit?] hæc perfricta fronte schismaticus, qui dum a Gregorio absolutionem Regis declarat extortam, & ipsum Pontificem ad eam præstandam extortum, extorquentem affirmat: Scriptoribus omnibus reclamantibus portentosi mendacij redarguitur. sed reliqua prosequamur. C

Post pœnitentiam & absolutionẽ Henrici Regis Canusij factam carminibus decantatam, hæc subiungit Domnizo de commoratione eiusdẽ Pontificis ibidem, deq. donatione ab eadẽ Mathilde facta Romanæ Ecclesiæ his scilicet versibus agens, studiosissimam sancti Petri feminã prædicat, quæ Ecclesiæ causa consobrinum Regẽ posthabuit:

Postposuit Regem, per tres tenuit pia menses
Gregorium Papam, cui seruit, vt altera Martha,
Auribus intentis capiebat sedula mentis
D *Cuncta Patris dicta, ceu Christi verba Maria,*
Propria Clauigero sua subdidit omnia Petro,
Ianitor est cæli suus heres, ipsaq. Petri,
Accipiens scriptum de cunctis Papa benignus.] hæc de donatione Mathildis auctor, qui tunc viuens & iam præsens adesse potuit. Sed eiusdem temporis scriptor sinceræ fidei Leo [a] Ostiensis Episcopus de eadem donatione hæc habet:

DONATIO MATHILDIS FACTA ROM. ECCLESIAE.

[a] *Leo Ost. lib. 3. cap. 46.*

Anno Dominicæ Incarnationis [b] M L X X I X. Mathilda Comitissa Henrici Imperatoris exercitum timens, Liguriam & Tusciam prouincias Gregorio Papæ & sanctæ Romanæ Ecclesiæ deuotissime obtulit. Vnde in primis causa seminandi inter Pontificem & Imperatorem odij initium fuit &c.] subdit de pœnitentia Henrici Regis Canusij facta, vt plane appareat in numerum errorem irrepsisse, cum liqueat, non nisi E hoc anno eamdem Henrici pœnitentiam contigisse, quo & donationem factam affirmat, quam & certo anno ita Domnizo consignat dicens:

[b] M. LXXVII.

Tempora mille Dei tunc septem septuaginta.]

Porro eiusdem donationis autographum cum perierit, alio eam scripto legimus renouatam.

At quid post absolutum Regem contigit? obstrepit turba schismaticorum Episcoporum & Principum Longobardiæ, quos Gregorius iam pridem ob eorum concubinatus & emptos Episcopatus, in Synodo condemnarat. Hi oblatam ab Apostolicæ Sedis Legato absolutionem contempserunt, studentes auertere Regem a cultu Pontificis. Lambertus enim de misso Legato Episcopo dum agit, sic ait: Qui dum venisset, & causam pro qua missus fuerat, Italis exposuisset, *Longobardis scilicet*, vehemens in eum ira & indignatio coorta est. Fremere omnes & sæuire verbis & manibus cœperunt;

SCHISMATICI LABORANT VT REGEM A PAPA DIVELLANT.

Apo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Apostolicæ legationi irrisorijs exclamationibus obstrepere, conuicia & maledicta quæcumque turpissima furor suggessisset, irrogare. Se excommunicationem illius nihili æstimare, quem ipsum omnes Italiæ Episcopi iustis ex causis iam pridem excommunicassent, qui Sedem Apostolicam per simoniacam hæresim occupasset, homicidijs cruentasset, adulterijs alijsq. capitalibus criminibus polluisset; Regem secus ac deceat, egisse, crimenq. gloriæ suæ intulisse numquam abolendum, quod homini hæretico & probris omnibus infamato maiestatem regiam submiserit, & quem iustitiæ patronum, legumq. ecclesiasticarum vindicem sibi parassent, is fœdissima subiectione sua Fidem plane Catholicam, auctoritatem Ecclesiæ, dignitatem Reipublicæ prodiderit, se in vltionem eius omnes, quas potuerint, Papæ iniurias irrogasse. Et nunc (quod dictu quoque turpe sit) se in medijs perturbationum fluctibus relictis, ipsum sibi consuluisse, & cum hoste publico priuata necessitudine in gratiam rediisse.] Erant isti, qui ex schismate Cadaloico ad breue temporis spacium ad Ecclesiam reuersi, rursum ob simoniam vel fœdam cum vxoribus sibi adscitis commixtionem a Gregorio Papa excommunicati, aduersus eum (vt audisti) schisma conflauerant, nec commoniti sæpe ab errore recesserant, inter quos principem locum tenebat Guibertus Parmensis Archiepiscopus Rauennas, patronus olim schismatis Cadaloici. hic Principes in Gregorium concitabat, de quibus idem Lambertus: Hæc potissimum Principes Italiæ iactando, & passim per populum serendo, ingens Regi odium breui conflauerant. Adulta postremo seditione, vna omnium voluntas, vna sententia erat, vt abdicato patre, qui vltro regni fascibus indignũ se effecisset, filium eius licet impuberem adhuc, & regni negotijs immaturum Regem sibi facerent, & cum eo Romam profecti Papam alium eligerent, per quem & ipse protinus Imperator consecraretur, & omnia Papæ huius apostatici Gesta cassarentur.

HENRIC. REX OB SCHISMATICOS LONGOBARDOS FLVCTVAT.

Perlato ad Regem tam molestæ conspirationis nuntio, misit propere quidquid apud se Principum erat, vt quaqua ratione, quaqua posset industria efferatæ multitudinis animos mitigarent, ne moleste acciperent, aut in contumeliam suam factum reputarent, quod extrema necessitate compulsus, communis commodi ratione fecisset; nec Teutonicis Principibus, qui sibi per calumniam regnum eripere, dedita opera machinarentur, nec Romano Pontifici, qui ad euertendum statum sanctæ Ecclesiæ spirituali gladio circumquaque fulguraret, aliter satisfacere potuisse, quam vt ante statutam diem excommunicatione absolueretur. Nunc se omnibus angustijs, quibus vias eius conclusissent inimici, liberatum, omnem deinceps curam industriamq. ad vindicandas suas & illorum iniurias translaturum. Vix tandem compresso potius quã extincto concitati tumultus incendio, plerique ex Principibus castris se per iram subtrahentes, iniussi in sua rediere. Ceteri dissimulata interim iracundia, redeuntem Regem pacifice exceperunt, sed neque consuetam ei reuerentiam deferebant, neque tam sumptuosa vt prius, vtq. regiam magnificentiam decuerat, seruitia ei exhibebant, sed auersis oculis, infestis mentibus passim per omnes angulos deleuitate & ineptia eius mussitabant, socordiamq. accusabant, quod tamdiu expectatus, tam anxie desideratus, periclitantis Italiæ calamitatibus nihil postremo spei, nihil præsidij attulisset.

HENRICVS INHAERENS SCHISMATICIS RESILIT A PONT.

Cumq. Italiam peragraret, vt his qui oppressi fuerant, calumniasve patiebantur, regio more iusta faceret: nec in ciuitates eum recipiebant, nec cum faculis, & faustis acclamationibus (vt prioribus Regibus consueuerant) obuiam ei procedebant, sed foris in suburbanis locis castris positis commorari iubebatur, & illic ei alimenta, quibus exercitus sustentaretur, & ipsa modica, & vix necessitatem potius quam regalium epularum solitum splendorem copiamve explentia, ne manifestæ defectionis immature argui possent, ministrabant, appositio singulis in locis præsidio, vt prædas forte de agris vel villis agere volentes, armata manu coercerentur. Territus Rex insolita rerum facie, seroq. pœnitens, quod incognitæ gentis inexpertæ prius fidei temere se credidisset, & Teutonicis finibus excedendo hostem mutasset, non euasisset, graui sollicitudine & metu perurgebatur, nec vllum vsquam effugium inueniebat, nisi in reconciliandis forte, si qua ratione posset, quos offenderat, Italorum animis]

Inter hæc autem cum Gregorius Papa legationem honorificentissimam decreuisset ad Mediolanenses, vt eos Romanæ vniret Ecclesiæ: alter Legatorum, nempe Geraldus

raldus Ostiensis Episcopus captus est, dimissus vero Anselmus Lucensis eius in legatione collega.

LEGATI AD MEDIOLANEN. A GREG. PAPA MISSI.

De Geraldo autem Episcopo Ostiensi a schismaticis capto hæc habentur in rebus gestis Anselmi Lucensis ab eius presbytero pœnitẽtiario B. conscriptis: Infra quindecim (vt opinor) dies, post absolutum scilicet Regem, cum beatus Episcopus Anselmus legationem domini Papæ vna cum religiosissimo Ostiense Episcopo Geraldo Mediolanum deferret: impediti sunt a militibus illius, & captus est Ostiensis Episcopus; sanctum autem Anselmum nequaquam ausi sunt tangere, quoniam indigena fuit, & nobilis prosapiæ. Ipse autem vltro se capiendum ingerebat, dicens, quod a socio legationis non discederet. Aut illum (inquiẽs) dimittite, aut me captum cum illo tenete. At illis hoc non præsumentibus, tristis abscessit, volens si posset, pro fratre suam animam ponere, &c.] hæc ibi. Porro dimissus est tandem Ostiensis Episcopus. sed ad Henricum redeamus, de quo pergit ita Lambertus:

HENRICVS REX RELABITVR IN PRISTINA.

Ratus itaque huius rei vnicum hoc esse præsidiũ, vt initum cum Romano Pontifice fœdus abrumperet, & inde reparandæ concordiæ initium faceret, vnde fuerat orta discordia: Vdalricum de Cosheim, & ceteros, quos ille seueriſſimo anathemate a contubernio eius amouerat, in pristinum gratiæ & familiaritatis suæ gradum reuocauit, & cum eis denuo de priuatis, de publicis negotijs, eadẽ qua consueuerat singularitate, ac priuilegio consilia conferebat. Tum assidue in conuentu Principum criminabatur, & detrahebat Romano Pontifici, quod ipse omnem hunc, qui Rempublicam concussisset, ventum turbinis, & commotionis sæuissimæ procellam suis machinationibus concitasset, ipse omnium, quæ in Ecclesia omni recenti memoria secus accidissent, auctor incentorq. extitisset, hortabaturq. omnes in commune, vt suo ductu, suisq. auspicijs tantarum ab eo iniuriarum vindictam expererent. Dein conditiones omnes, & vniuersa ecclesiasticarum legum vincula, quibus ille cum Apostolica auctoritate in salutem obstrinxerat, contemptim tamquam aranearum telam dirupit, abiectisq. omnibus timoris Dei habenis, in omne, quod animus suggessisset, effrænata libertate ferebatur.

QVI CONSPIRANT CVM REGE ADVERSVS ROM. PONT.

His paulatim rebus Italorum indignatio mitigari, furor deflagrare, studia denuo in eum incalescere cœperunt, ita vt frequentior in dies ad eum multitudo confluaret, sumptus exercitui copiosiores ministrarent, & ad omne, quod iussisset, promptissime iam manus, operamq. suam pollicerentur. Erant tunc temporis apud eum ex Teutonicis Principibus Liemarus Bremensis Archiepiscopus, Eppo Citicensis Episcopus, Benno Osenbruggensis Episcopus, Burchardus Losannensis Episcopus, Burchardus Basilienſis Episcopus; laici Vdalricus, Eberhardus, Bertholdus, & alij pene omnes, quos in Oppenheim Legati Apostolicæ Sedis a contubernio eius propter excommunicationem segregauerant, qui nunc post receptam communionem eum cum quoque Ecclesiæ reconciliatum comperissent, vnanimiter ad eum confluxerunt, & ei deinceps peregrinationis eius individui comites adhærebant.

PRINCIPES GERMANIAE COMITIA DECERNVNT ADVERSVS REG. * Bertholdus

Interea Moguntinus, Vuirzeburgensis, & Metensis Episcopi, Rodulphus, Vuelph, * Bertolphus Duces, & alij plerique ex Principibus Teutonicis conuenientes, tractare de vtilitatibus Reipublicæ statuerunt, vt Principes Saxoniæ, & omnes, quibuscumque Respublica curæ foret, tertio Idus Martij in Forcheim occurrerent, & communi consilio, quid facto opus esset, decernerent, præsertim cum per absentiam Regis tranquillis rebus tempus opportunum deliberationibus, ac consultationibus nacti fuissent. Romano quoque Pontifici scripserunt, vt quoniam in Purificatione sanctæ Mariæ Augustam iuxta conditum, dolo Regis præuentus, occurrere non potuerat; saltem in Forcheim, statuto die præsto esse satageret, & sedandis bellorum ciuilium tempestatibus, quibus iamdiu periclitaretur Respublica, Apostolici moderaminis gubernaculum adhiberet. Adhuc ille in Canusio, & alijs circa firmissimis munitionibus se continebat, dispositum habens, non prius Romam regredi, quam confecto itinere, quod instituerat (si Deo propitio conatum sequeretur effectus) pacem Ecclesiæ Dei reddidisset.

Igitur acceptis litteris, tametsi iampridem frequens ad eum fama detulisset, Regem mutata mente hostiles aduersum se spiritus gerere, & contemptis conditionibus, quibus excommunicatione absolutus fuerat, animo fixum tenere, vt leges ecclesiasti-

FONT. AD COMITIA PROXIMA REGEM VOCAT.

cas manu militari debellaret: misit tamen vnum ex Cardinalibus Episcopis Romanæ Ecclesiæ, Gregorium nomine, & alios, quos ei negotio idoneos arbitrabatur, qui ei dicerent, tempus esse vt promissa compleret, conuenturos in Forcheim tertio Idus Martij Principes Teutonici regni, ad componendum (si Deus votis annuat) statum Reipublicæ: veniret ergo vt pollicitus sit, & crimina quibus innocens, vt ipse asserat, a calumniatoribus suis impetitus sit, se cognitore & iudice præsidente, responderet, multum rebus suis, salutiq. & apud Deum, & apud homines collaturus, si Ecclesiam scandalis, Rempublicam bellis ciuilibus, seipsum fœdissimæ existimationis macula liberaret: præsertim cum ea die, discussis synodice, quæ aduersus eum afferantur, causis, vel recepturus esset regnum, vel sine omni deinceps retractatione amissurus. A

EXCVSATIO REGIS QVOD NON PARBAT PAPAE.

Legatis mandata perferentibus, ille dissimulatis mediocriter his, quæ animo agitabat, respondit se post acceptum regnum hac primum vice Italiam intrasse, & ideo multis nunc & magnis Reipublicæ negotijs implicitum non posse tam cito, infectis rebus, prouincia excedere: quia si id faciat, Italos, quos longo tempore anxia aduentus sui expectatione suspendisset, grauissime offendat. Præterea diem conuentui habendo statutum e vicino imminere, seq. tam breuibus inducijs tanta terrarum spacia nulla equorum celeritate posse transcurrere, etiam si nullis extrinsecus retardetur impedimentis. in hæc verba Legatos dimisit. B

GREG. PAPA LEGATOS IN GERMANIAM MITTIT AD COMITIA.

Papa certior iam factus de immutatione animi eius, & ceteris rebus, quas ad eum iam pridem fama detulerat: misit protinus Bernardum Abbatem de Massilia, virtutum eximiæ conuersationis, & multarum in Christo virtutum; item alium Bernardum Cardinalem diaconum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, vt Principibus Teutonici regni, qui (vt supra dictum est) tertio Idus Martij Forcheim conuenturi erant, occurrerent, eosq. per ordinem, quæ gesta erant, docerent, se iuxta placitum dedita opera enisum fuisse, vt die & loco statuto, communibus sanctæ Ecclesiæ vtilitatibus tractandis præsto esset, sed domini Henrici diligentia ita circumuentum, ita omnes, per quas transitus esse potuisset, itinerum angustias præoccupatas, vt nec tuto in Germaniam progredi, nec tuto Romam regredi valeat. Proinde monere eos, vt suis interim rebus, & regno Francorum, quod diu iam vnius hominis puerili leuitate vexetur, quaqua possint ratione, moderentur, donec (si Deus velit) adempta itineris difficultate ipse venire, & collatis in medium consilijs, quid vtilitati, quid honestati omnium, quid paci ecclesiasticæ expediat, secundum ecclesiasticas leges decernere possit] hucusque Lambertus, hicq. suæ imponit finem scriptioni, quo fidissimo duce nos carentes, cum qui adeo exacte res gestas digesserit, auctorem habeamus nullum eius temporis præter Bertholdum, qui postea nobis occurret, qui præsens ea comperta habuerit, atque historice scripserit; in posterum emendicare cogemur hincinde fragmenta ex ijsdem, qui tunc viuebant, auctoribus: a posterioribus autem veritatem petere, periculosum esse multoties experti sumus, qui frequenter, quod falsus rumor, vel vana opinatio, interdum vero diuinatio, priuata etiam sæpe affectio, aliquando autem assentatio suggesserit animo, scripsisse inueniuntur ingenti præiudicio veritatis, nulla vel modica eius indagandæ adhibita diligentia. C D

Domnizo presbyter, qui aderat, in rebus gestis Comitissæ Mathildis, quas licet carmine, tamen historice non autem poetice est prosecutus, narrat post hæc, dum adhuc Gregorius detineretur in Gallia Cisalpina, Regem Henricum, auctore Guiberto Archiepiscopo Rauennate molitum insidias, vt ipsum Pontificem dolo caperet, atque Mathildem, quam studere magnopere ipsi Papæ cognosceret, patefactis autem dolis, ambos euasisse periculum. sed ipsum audi: [a] E

[a] Domniz. lib. 2. vita Mathil. HENRICVS ET GVIBERTVS CONIVRABANT ADVERSVS GREG. ET MATHILDEM.

Maior erat cunctis Guibertus Episcopus vrbis
Rauennæ, doctus, sapiens, & nobilis ortus.
Extiterat Parmæ ciuis seu clericus. Ante
Dum fuit electus Gregorius, iste Guibertus
Ipsi iurauit: contra quem nunc mala sancit:
Regis enim mentem contra Papam docet esse.
Rexq. die sexto remeauit Bibianellum
Corde dolo pleno cum plena mente veneno

A *Pastor felle carens ad eum descendit ab arce*
Crebro scripta supra, mox est Comitissa secuta.
Callidus at multa Rex Papæ dixit: & vltra
Eridanum fluuium commune cupit fieri tunc
Colloquium. laudat quod Papa, Mathildis & optat.
Cur Rex hoc malit, ignorant hi duo clari,
Mantua reuera placito subdiq. timebat.
Rex quidem frustra transiuit primitus vndam
Eridani, tractans cum paucis tradere Papam,
Nec non si quiret, Comitissam traderet idem.
Hoc scelus infandum complere putat placitando.
B *Cuncta videns Christus fieri vetuit scelus istud.*
Eridanum Præsul, Mathildis & optima secum
Transiuit, sperans pacem componere veram.
Ad dominam claram multis oculis oculatam
Nuntius aduenit, qui secretum patefecit
Regis Henrici, qui Papam tradere dicit.
Hoc vbi cognouit prudens hera, mox cito mouit
Seq. suos, fortes petijt cum Præsule montes.
Insidiæ fractæ Regis sunt, & patefactæ.
Papam & Mathildim Rex vlterius neque vidit.
Pontifices falsi sunt ex hoc lætificati,
C *Maxime præscriptus Guibertus, qui dedit istud*
Consilium Regi, quia vult inuadere Petri
Sedem &c.] istud plane magnum illud videtur fuisse periculum, cum quo se versatum inter Longobardos scribit ipse Gregorius in litteris, [a] ad Legatos postea datis, & ad Episcopos, & Principes Germaniæ scriptis. [a] Greg. lib. 3. ep. 23. 24.

Dum adhuc moraretur Gregorius Papa in Gallia Cisalpina, perlata est querela aduersus Hildolphum Colonienſem Archiepiscopum de villa, cui, Cloteno, nomen, ablata ab eius prædecessore sancto Annone ab ecclesia sancti Nicolai, collata vero ecclesiæ sanctæ Mariæ. quod perperam factum emendaturus, morte præuentus cum non fecisset: monachi, quorum ecclesia erat sancti Nicolai, successorem eius Hildolphum, vt id faceret, interpellarunt. quod cum minime præstaret, visum est consilio Vuolphelmi Abbatis adire summum Pontificem. Quid autem apud eum actum fuerit, Conradus ita describit: [b] Tunc eius incidit animo, nihil præstantius, nihil consultius fore, quam Pontificem Sedis Apostolicæ super hac re interpellare. Qua inspiratione animæquior factus, destinat velociter Legatos ad Apostolicum, tunc forte consistentem in confinibus Alpium. Qui vbi coram Senatus primoribus & Romanæ Ecclesiæ iudicibus ad liquidū Papæ verbis exposuere singula, quæ ab Archiepiscopo Annone de Cloteno sæpius memorato gesta fuere: omnium mentes & corda stupor apprehendit cū admiratione non modica. Tunc domnus Papa Hildebrandus, qui & Gregorius, ex auctoritate B. Petri Apostoli per epistolas suas denuntiat domno Hildolpho eius successori, ne sub specie pietatis defensor existens impietatis, Cloteno Bruuilerēsi ecclesiæ *sancti Nicolai* violenter ablatum, diutius patiatur irreuocatum: [c] Non eget inquiens, o fili, Deus offerri quidquam ex iniustitia sibi. Quia, vt legimus, sic ei fiunt victimæ ex rapina, quomodo si mactet quis filium in patris præsentia. Patratorem quidem multorum bonorum agnouimus fratrem nostrum Annonem Archiepiscopum, sed tamen in hac parte minime defendendus est non errasse, dum quod beato Nicolao præripuit, sanctæ Genitrici Dei gratum holocaustum æstimauit, dicente Domino per Prophetam: Quia ego Dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam in holocaustum. Nec fas est a Fidelibus credi, Matrem discrepare a voluntate Filij, dum id prorsus constet vtriusque proprium atque commune, eadem velle, & eadem nolle. At tu, ne defendendo iniustitiam videaris offendere Deum; tolle de medio, quod alius licet bonus, hic male consultus, commisit Episcopus Anno, ne & illius detrimentum sit coronæ, & tibi occasio culpæ] hactenus ex Gregorij epistola ab auctore recitatum. pergit vero: [b] Apud Sur. 28. April. [c] Ex epist. Greg. Pap. ad Archiepisc. Colon.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Huiusmodi paternis admonitionibus a Sedis Apostolicæ auctoritate susceptis, prædicti pontificis Hildolphi magis in furorem versus est animus, quam ad iustitiam vel misericordiam prouocatus. Denique conuocat ecclesiæ Colonienſis primores, se diffamatum, accusatum per virum Dei conquerens apud Apostolicum &c.] At quonam modo in eum detrectantem iudicium facere, & exequi quod idem, qui supra, sanctus Anno facere instituerat, & iussa Sedis Apostolicæ contemnentem vltus est Deus: sic inferius idem auctor enarrat:

Ea tempestate quidam Hartmannus Abbas Tuitienſis, dum nocte quadam somno indulsisset, tale vidit somnium, præsagum vtique futurorum. Vidit igitur per visum virum quemdam forma egregium, vultu reuerendum, Episcopalibus infulis decenter ornatum, a Bruuilerensi ecclesia, *sancti Nicolai scilicet*, prodeuntem, & iter Coloniam dirigentem. Quem præcedentem beatum Vuolphelmũ Abbatem cum Fratrum caterua cernit e vestigio subsequentem, septem Psalmos cum Litanijs sæpius modulatis vocibus iterantes. At vbi ad fores peruentum est cubiculi Episcopi quiescentis, fores obseratæ virga præcedentis impulsæ, dictu velocius sunt apertæ. Quibus taliter intromissis, dux præuius stratum adiens recubantis, cum graui requirit animaduersione, cur tanta contra se temerarius præsumpsisset exercere. Expleto sermone, virga, quam manu gestabat, ad vltionem iniuriæ grauiter illum percussit in vertice. Itaque somno excitus Abbas præ pauore virum Domini *Vuolphelmum* certum reddit, de diuina protectione, & beati Nicolai consolatione. Nec falsum prorsus somnium extitit, vel inane, dum, quod Fratres in Psalmis, & Litanijs constitit egisse, hoc illi Dominus per visum dignatus sit reuelare. Adhibet etiam certam fidem visioni exhibitio operis. nam vno eodemq. momento, vt hic illum vidit percuti, sensit Episcopus se morbo grauari. tali ergo modo diuinitus relisa, nisu frustrata illius aduersatrix intentio est. Morbo quippe inualescente, post dies paucos obijt, & cathedram præsulatus Segninus vir pius obtinuit] at de his hactenus, ad Gregorium redeamus, adhuc apud Longobardos degentem, sed Romam iam cogitantem.

Sed relegamus iter ipsius in Vrbem redeuntis ex datis hoc anno Gregorij Papæ litteris, ex quibus apparet, eum mense Martij fuisse Carpinetæ,[a] quæ est in Longobardia, inde [b] Carpum profectum, postea [c] Bibianellum, inde mense Maij [d] Figarolum venisse, inde redijsse [e] Carpinetam, vbi vsque ad Iulij mensem mansisse legitur: inde Romam per Tusciam reuertentem, tertio Idus Augusti Florentiæ, Senis vero Kal. Septembris fuisse, illis in locis [f] datæ litteræ docent: eodemq. mense redijsse Romam, ex [g] ijsdem colligi potest.

Gregorius igitur Pontifex, vbi tribus mensibus in Longobardia detentus esset, cum interceptum omnino iter, quod parauerat in Germaniam, videret, inde recedens, Romam peruenit mense Maij, vt idem Domnizo testatur, Mathilde ante commonita, vt aduersus Henricum Regem se præpararet, ne homini, armis, dolisq. cuncta miscenti aditus relinquatur eius nocendi, prouinciasq. ipsi subditas inuadendi. quod egregie ipsa præstitit, armata semper aduersus Regem impium præparata.

Vbi autem Pontifex peruenit in Vrbem, aduersus Regem fœdifragum excommunicationis iacula intorsisse idem Domnizo presbyter ait, postquam eius in Vrbem aduentum primo describit verbis istis:

Vrbem Romanam Madio florente per arua
Visitat, aduentum cuius plebs ipsa repertum
Obuiat, exultat, pastorem suscipit vna.
Ipseq. commendat quod nobilis egerat erga
Seq. suumq. Patrem Mathildis. Viuat in æuum
Clamauit cunctus Clerus, totum quoque vulgus

] hæc, vbi Gregorius deuotionem a Mathilde factam obtulit sancto Petro, de qua nuper est dictum. Subijcit vero Domnizo de excommunicatione ab eodem Gregorio Papa in Henricum Regem promulgata: sed ea longe postea accidit. de ipsa autem suo loco dicturi sumus.

RVDOLPHVS REX CREATVR GERM.

Inter hæc autem Principes Germaniæ præuaritationem Regis Henrici, & rebellionem aduersum Gregorium Romanum Pontificem accipientes: inconsulto ipso Gregorio, Rudolphum Sueuiæ Ducem in Regem eligunt, abdicato penitus Henrico Rege; cumq. Moguntiam ductum Sigefridus Archiepiscopus Moguntinus consecrauit. habet

[a] Greg. lib. 4. ep. 13.
[b] Idem eod. lib. ep. 16.
[c] Eod. lib. ep. 18
[d] Eod. lib. ep. 22
[e] Eod. lib. ep. 23 24. 25. 26. 27.
[f] Id. lib. 5. ep. 1. 2
[g] Eod. lib. ep. 4. & seqq.

habet ista Marianus Scotus. Porro se inscio ista esse peracta, Gregorius [a] Papa in excommunicationis decreto postea promulgato iuratus asserit istis verbis: Prædicti autẽ Episcopi & Principes vltramontani audientes illum non seruare mihi quod promiserat, quasi desperati de eo, sine meo consilio, vobis *Petro & Paulo* testibus, elegerunt sibi Rudolphum Ducem in Regem. Qui Rex Rudolphus, festinanter ad me misso Nuntio, indicauit, se coactum regni gubernacula suscepisse; tamen sese paratum mihi in omnibus modis obedire. Et vt hoc verius credatur, semper ex eo tempore eumdẽ mihi semper misit sermonẽ, adijciens etiam, filio suo obside, & fidelis sui Ducis Bertholdi filio, quod promittebat, firmare. Interea Henricus cœpit me precari, vt illum contra prædictum Rudolphum adiuuarem. Cui respondi, me libenter facere, audita vtriusque partis ratione, vt scirem cui iustitia magis faueret. ille vero putans suis viribus eum posse deuincere, meam contempsit responsionem &c.] hæc Gregorius. Ex quibus redarguas falsitatis, qui dicunt opera Gregorij Rudolphum creatum fuisse Regem.

[a] Greg. lib. 7. post ep. 14.

Certe quidem auctor anonymus, qui eiusdem Henrici Regis familiaris paulo post obitum vitam ipsius conscripsit, seu potius Apologiam, licet, vt apparet, amore domini priuato videatur nonnihil affectui indulgere; tamen paulo modestior se habet, vbi omnem hanc de Regis accusatione, priuatione, excommunicatione, absolutione, atque noui Regis creatione historiam breuiter narrat, excusans Pontificem, aduersarios vero perstringens, dum de ijsdem sic ait: Videntes autem Regem bellis tangi posse, non deijci, vexari, non superari quippe cuius robur adhuc erat inexpugnabile: vt vires eius extenuarent, confictis, conscriptisq. super eo criminibus, quæ pessima & immundissima potuit odium & liuor excogitare, & quæ mihi scribenti & tibi legenti nauseam parārent, si ea ponerem, vera falsis miscentes, apud Romanum Pontificem Gregorium Septimum eum deferebant: non decere tam flagitiosum, plus notum crimine quam nomine regnare, maxime cum sibi regiam dignitatem Roma non contulerit: oportere Romæ suum ius in constituendis Regibus reddi: prouiderent Apostolicus & Roma ex consilio Principum, cuius vita & sapientia tanto congruetet honori. Qua surreptione delusus Apostolicus, simul & honore creandi Regis, quem sibi fallaciter obtulerant, impulsus, Regem banno innodauit, & Episcopis alijsq. regni Principibus, vt a communione excommunicati Regis se retraherent, denuntiauit: se cito venturum in Teutonicas oras, vbi de negotijs ecclesiasticis, & potissimum de regno tractaretur. Quin etiam & hoc addidit: absoluit omnes a iuramento, qui fidem Regi iurauerant, vt contra eum impelleret absolutio, quos fidei tenuit obligatio.

MODESTE ADVERSARIVS AGIT DE PONTIFICE.

Quod factum multum displicuit (si cui displicere licet quod Apostolicus fecit) &. asserebant, tam inefficaciter, quam illicite factum quod factum est. sed non ausim assertiones eorum ponere, ne videar cum eis Apostolici factum refellere. Mox & Episcopi tam illi, quos amor, quam quos timor in partem Regis traxerat, metuentes ordini suo, ab eius auxilio se plerique retrahebant: quod & maior pars procerum factitabat. Tum vero videns rem suam in arcto sitam, inito tam occulto, quam astuto consilio, subitum & inopinatum iter in occursum Apostolici arripuit, vnoq. facto duo peregit, scilicet & banni solutionem accepit, & suspectum sibi colloquium Apostolici cum aduersarijs suis ipse medius intercepit. Pro imposito sibi crimine parum respondit, quia ad accusationem inimicorum suorum, etsi vera fuisset, non sibi respondendum asseruit] Sint ista de aduersarijs vera, at quæ ab ipso Gregorio in Regem crimina inferrentur de venditione ecclesiarum, & inobedientia in omnibus erga Romanam Ecclesiam, plus certo vidisti probata, quæ auctor ipse prætexit. qui post inuectiuam in aduersarios sic elusos, Gregorium Papam ait ab aduersarijs Regis in excusationem Rudolphi afferri, dicentibus ab Apostolico eum immissum contra Regem: sed qua probatione? addit: Et hoc in argumentum sumebant, quod Apostolicus taduit, dum post absolutionem Regis Rudolphus regnum inuasit, iuxta illud Comici Qui tacet, satis laudat] sed an tacuerit, eius epistolæ docent, quæ sunt inferius recitandæ. Cum autem tantummodo silentium obijciat ei auctor eius temporis, idemq. in omnibus fauens Henrico: mirum quomodo recentiores, & inter eos Albertus Stadensis affirmet, Rudolphum esse promotum a Papa, atque ab eo corona donatum. sed audi eum quot simul mendacia coacerueit, sic incipiens a pœnitentia Regis, a Pontifice imperata. Accepit igitur, inquit, Rex in mandatis, vt anno integro Roma

Universidad de Deusto
Biblioteca

non discederet, equum non ascenderet, sed veste humili circuiret limina ecclesiarum, A
orationibus & ieiunijs reddens dignum pœnitentiæ fructum. quod Rex humiliter im-
a Helmol. lib. 1. cap. 28. plere satagebat] his similia habet [a] Helmoldus in rebus Slauorum, quæ ex iam dictis
& dicendis aperti mendacij conuincuntur. pergit vero: Videntes igitur Cardinales, &
hi qui de Curia erant, quod præ timore Sedis Apostolicæ contremiscerent potestates,
& curuarentur, qui portant orbem: suggerunt Apostolico, vt transferret regnum in
alium virum, dicentes indignum esse talem regnare, qui de publicis conuictus esset
facinoribus. Percontanti autem Apostolico, quisnam in Alemannia dignus esset tanto
culmine: designatus est Dux Sueuorum Rudolphus, quod scilicet fuerit vir bonus,
& amator pacis, & circa cultum sacerdotij, & ecclesiarum optime affectus. cui Papa
auream transmisit coronam hoc versu intitulatam.

Petra dedit Romam Petro, tibi Papa coronam.] præcepitq. Moguntino & Colo- B
niensi, ceterisq. Episcopis & Principibus, vt adiuuarent partes Rudolphi, & statue-
rent eum Regem. Quotquot igitur receperant verbum Papæ, elegerunt Rudolphum
in Regem &c.] at hæc quam falsa sint, manifeste declarant quæ dicta sunt, atque di-
centur ex eiusdem Papæ recitandis epistolis.

Etenim ipse Gregorius Papa, vbi primum ista in Germania facta cognouit, dolens
regnum Germaniæ schismate scissum esse, ne malum iam cœptum vlterius cresceret,
ipse rursus Germaniam cogitat, si liceret tuto itinere id efficere, quod hactenus ad-
uersarijs sanctæ Ecclesiæ obsistentibus, non licuisset: cuius rei gratia ad Legatos Apo-
stolicæ Sedis iam pridem (vt dictum est) in Germaniam missos, duos Bernardos, in-
b Greg. lib. 4. ep. 23. fine mensis Maij has dedisse litteras reperitur: [b]
EPIST. GREG. AD LEGATOS DE PROFECTIONE IN GERMANIAM. Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei Bernardo sanctæ Romanæ Ecclesiæ dia- C
cono, & Bernardo Massilienſi Abbati salutem & Apostolicam benedictionem.

Fraternitati vestræ notum esse non ambigimus, quia ideo ab Vrbe, confisi de Dei
misericordia & adiutorio beati Petri, egressi sumus, vt ad Teutonicorum partes, com-
posituri inter eos, ad honorem Dei & vtilitatem sanctæ Ecclesiæ, pacem, transiremus.
Sed quia defuerunt, qui nos secundum quod dispositum erat, conducerent; impedi-
ti aduentu Regis in Italiam, in Longobardia inter inimicos Christianæ religionis non
sine magno periculo remansimus, & adhuc (sicut desiderauimus) vltra montes pro-
ficisci nequiuimus. Quocirca monemus vos, & ex parte beati Petri præcipimus, vt
fulti auctoritate huius nostri præcepti, nostraq. vice ab eodem Apostolorum Princi-
pe accincti, vtrumque Regem, Henricum videlicet atque Rudolphum commoneatis,
quatenus viam nobis illuc secure transeundi aperiant, & adiutorium atque ducatum D
per tales personas, de quibus vos bene confiditis, præbeant, vt iter nobis, Christo pro-
tegente, pateat. Desideramus enim cum consilio clericorum atque laicorum eius-
dem regni, qui Dominum timent & diligunt, causam inter eos, Deo fauente, discu-
tere, & cuius parti magis ad regni gubernacula iustitia fauet, demonstrare. Scitis
enim, quia nostri officij & Apostolicæ Sedis est prouidentiæ, maiora ecclesiarum ne-
gotia discutere, & dictante iustitia definire. Hoc autem quod inter eos agitur nego-
tium, tantæ grauitatis est, tantiq. periculi, vt si a nobis fuerit aliqua occasione ne-
glectum, non solum illis & nobis, sed etiam vniuersali Ecclesiæ magnum & lamenta-
bile pariat detrimentum.

QVID LEGATI AGERE DEBEANT. Quapropter si alterutrum prædictorū Regum huic nostræ voluntati, ac deliberationi E
parere, & ad vestra monita locum dare renuerit, suamq. superbiam, atque cupiditatis
faces contra honorem Dei omnipotentis accendens, ad desolationem totius Romani
Imperij anhelare tentauerit: omnibus modis, omniq. ingenio vsque ad mortē, si opor-
tet, nostra vice, immo B. Petri auctoritate ei reluctate, & totius regni gubernacula, con-
tradicendo, tam illum, quam omnes sibi consentientes a participatione corporis &
sanguinis Domini nostri IESV Christi, & a liminibus sanctæ Ecclesiæ separate, illud
semper habentes in memoria, quia scelus idololatriæ incurrit, qui Apostolicæ Sedi
obedire contemnit: & quod beatus Gregorius, Doctor sanctus & humillimus decre-
uit, Reges a sua dignitate eadere, si temerario ausu præsumerent contra Apostolicæ
Sedis iussa venire. Alteri autem, qui nostræ iussioni humiliter paruerit, & obedien-
tiam vniuersali matri, sicut decet Christianum Regem, exhibuerit, conuocato consi-
lio omnium clericorum & laicorum, quos aduocare poteritis, consilium & adiuto-
rium

A rium in omnibus præbete, & in regia dignitate per auctoritatem beatorum Apostolo-
rum Petri & Pauli, nostra vice confirmate, omnibusq. Episcopis, Abbatibus, clericis, ac
laicis in omni regno habitantibus, vt sibi fideliter, sicut oportet Regi, obediant, & de-
seruiant, ex parte omnipotentis Dei præcipite. Dat. Carpinetæ, pridie Kal. Iunij, Indict.
xv.] porro Carpinetam hanc diuersam esse ab ea, quæ est in Latio, in alijs eiusdem Gre-
gorij [a] litteris, datis hoc anno Kalen. Martijs, satis liquet, eam esse in Longobardia, a Greg. lib. 4. ep. 13.
qua pariter die eodem quoque argumento idem Gregorius Papa scripsit [b] epistolam b Id. ibid. ep. 14.
ad Episcopos, Principesq. Germaniæ, quæ incipit: Notum volumus fieri vobis, fra-
tres &c.] quibus plane innotescit, quo animo ipse fuerit in effuganda discordia,
pace vero inter Principes componenda; sed & quam ingenti fuerit ad hæc ani-
mo, & sacerdotali vigore ad perferenda quæque ardua comparatus, extremis hisce
B epistolæ verbis significat, dicens: Neutri prædictorum Regi neque terrore, neque
amore flexi, aliquod contra iustitiam adiutorium promisimus. Magis enim volumus
mortem (si hoc oportet) subire, quam propria voluntate deuicti, vt Ecclesia Dei ad
confusionem veniat, consentire. Ad hoc enim nos ordinatos, & in Apostolica Sede
constitutos esse cognoscimus, vt in hac vita, non quæ nostra, sed quæ IESV Christi
sunt, quæramus, & per multos labores, Patrum sequentes vestigia, ad futuram &
æternam quietem, Deo miserante, tendamus.]

At quid post hæc schismatici, Henrico Regi fideles? addentes præuaricationes, non SCHISMATICI LEGATOS APOST. SEDIS CAPIVNT.
solum contra leges delinquunt ecclesiasticas, sed contra ius Gentium furore perciti
peccant. nam Legatos Apostolicos pacis sequestres capiunt, quod præstitere tum in
C Longobardia aduersus Geraldum Episcopum Ostiensem, ibidem legatione fungen-
tem; tum etiam in Germania vinculis mancipantes Bernardum Massilienſem Abba-
tem. cum tamen & his offensus Gregorius Papa adhuc sustiner ob bonum pacis, ista
tunc scribens ad Vdonem Archiepiscopum Treuirensem: c Id. lib. 5. ep. 7.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei Vdoni Treuirensi Archiepiscopo & eius
Coepiscopis Suffraganeis salutem & Apostolicam benedictionem.

De motu & perturbatione regni Teutonicorum quantam sollicitudinem, quan- GREG. EPIST. AD ARCHIEPISCOPVM TREVIRENSEM.
tamq. iam per longum tempus anxietatem sustinuerimus, ille præ omnibus nouit,
qui omnium secretorum cognitor est & inspector verus. Cui etiam, si tales exaudire
dignatur, multas supplicationes fecimus, & faciemus, commonitis, & exoratis multis
fratribus & religiosis congregationibus ad studium earumdē supplicationum, vt mise-
reretur gentis illius, nec sineret eam in propria armari viscera, & ad ruinam domesticæ
D fortitudinis in bello confligere, sed totius discordiæ causas sua potenti virtute cōpesce-
ret, & sua moderatione sine funesto & luctuoso fine componeret. Litteras quoque iam
ante tres menses, & eo amplius illuc direximus, videlicet Legatis nostris Bernardo dia-
cono nostro, & item Bernardo religioso Massilienſi Abbati, quem captum esse audi-
uimus, necnon & vniuersis Principibus terræ, tam ecclesiasticis, quam secularibus
personis, in quibus, quod nobis ad euitandam cædem, incendia, & alia bellorum perī-
cula optimum, & in tanti negotij definitione iustissimum videbatur, eos consulendo,
& hortando, cum omni studio exequi admonuimus, & vt fortius insisterent, Apo-
stolica auctoritate injunximus. Verum quia nobis non satis compertum est, vtrum ad
vos peruenerint illæ litteræ, aut si perlatæ sint, ne forte de earum veritate aliquid dubi-
tetis, easdem vobis de nostris exemplaribus rescriptas mittere curauimus, admonentes
E vos, & per veram obedientiam præcipientes, modis omnibus operam detis, vt causa se-
cundum sententiam earum litterarum pertractata finem habeat, & accipiat. Misimus
etiam vobis sacramentum, quod Rex Henricus nobis per fideles suos quosdam fecit,
data quidē propria manu sua in manum Abbatis Cluniacensis; vt perlecto eo cogno-
scatis, quam recte, quamq. honeste pro suo nomine se erga nos habuerit: quippe a cuius
fidelibus Legati nostri postea capti sunt, videlicet Geraldus Ostiensis Episcopus in
Longobardia, Bernardus Abbas Massilienſis in terra Teutonica: vnde eum nihil ad-
huc dignum fecisse cognouimus. Quamquam nos numquam eum in aliqua causa,
Deo prouidente, hac occasione contrauenire, iustitiam circumuenire, aut grauare ve-
limus; sicut etiam post cœptum negotium numquam apud nos aut precibus, aut ali-
qua ostentatione amicitiarum, vel inimicitiarum obtinere potuit, vt quidquam pro
eo, præter quod iustum videretur, dicere vel censere vellemus. Atque in ea re, quo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad vixerimus, incunctanter, Deo adiuuante, persistere, nullo periculo vitæ vel mortis deterrebimur. Agite ergo, dilectissimi fratres, vt appareat, quantum libertatem Ecclesiæ, & communem salutem omnium diligatis: scientes, quoniam si causa neglecta fuerit, & ad grauiorem (quod absit) exacerbationem venerit; non solum genti vestræ, & regno Teutonicorum, sed quoad fines Christianitatis sunt, damna, pericula, confusionem, & inæstimabiles miseriarum causas pariet. Dat. Romæ pridie Kal. Octobris Indictione prima] proxime inchoata. hic finis rerum gestarum Gregorij anni huius in causa Henriciana: reliqua autem sequentibus annis, suis locis opportune dicenda.

A

Modo autem his attexenda sunt insignia valde prodigia, quæ ad significationem Gregorij Papæ iustitiæ & innocentiæ, Deus in plerisque est dignatus ostendere. describit ea Bertholdus Constantiensis huius temporis auctor, qui ad Hermannum appendicem elaborauit, aitq. in anni huius periodo: Interim Henricus Longobardiæ morabatur. Ad quem Cincius ciuis Romanus, secum ducens captum venerabilem Comanum Episcopum nomine Reginaldū, Papiam venit: quippe remunerari volens a Henrico, eo quod in seruitium hunc modo Episcopum, & in præterito anno dominum Apostolicum captauerat. Sed ibi subitanea morte præuentus, debitam remunerationem accepit, quam tot sacrilegijs promereri non timuit] & inferius eodem anno: Vercellensis quoque Episcopus, depositi Regis Cancellarius cum omnibus suis sequacibus colloquium generale circa Kal. Maij in Runcalibus condixit, vt si aliquo modo posset, Gregorium Papam deponeret: sed ipse ad eumdem terminum absque ecclesiastica communione vitam simul & Episcopatum, heu, miserabiliter deposuit, quo ille Papam nefaria præsumptione statuit deponere.

B

C

Non multo post eius interitum Præfectus Romanæ Vrbis, indefessus miles sancti Petri contra schismaticos, a quodam fautore Henrici crudeliter occiditur: ad cuius corpus in paruo tempore plus quam viginti miracula contigerunt, vt fidelium virorum relatione didicimus.

* Iamblicus Gregor.

* Imbrico Augustensis Episcopus, qui in præterito Pascha Rudolpho Regi fidelitatem iurauit, nil de periurio curans, Henrico aduenienti adhæsit, & apud illum quadam die Missam faciens, hanc sibi conditionem miser imposuit, vt sacræ oblationis perceptio in iudicium ei proueniret, si dominus eius Henricus regnum sibi iniuste vsurparet. Post hanc temerariam perceptionem, paruo *tempore* quod superauixit vsque ad mortem, numquam se sanum de lecto leuauit. nam circa Kal. Iulij absque ecclesiastica communione defunctus est.

D

Item Sigehardus Aquileiensis Patriarcha in auxilium Henrici contra bannum Apostolici armata manu veniens, in amentiam vertitur apud Ratisponam, & ex ipso itinere repentina morte intercipitur; sicq. domum non sine aliquibus suorum funeribus in corpore & anima mortuus reportatur] & in fine.

Geraldus venerabilis Ostiensis Episcopus, de quo supra commemorauimus, iamdudum sæculo viuus, mundo crucifixus, de huius vitæ ergastulo liberatus est nono Idus Decembris] subijcit his de obitu Agnetis Augustæ, de quo nobis in fine anni dicendū.

Quod vero pertinet ad alias ab eodem Gregorio res gestas hoc anno, ex eiusdem diuersis diebus datis epistolis apparet, ob diuersa negotia ecclesiastica ad diuersos missse legationes. Primum quidem [a] Hugonem Diensem Episcopum, Hubertum subdiaconum Romanæ Ecclesiæ, & Lenzonem monachum Legatos mittit ad cognoscendam causam Dolensis Episcopi in Britannia, ipsum vero Hubertum in Angliam ad Regem Vuillelmum peruenturum, & ad alia negotia diuersarum ecclesiarum inuestiganda & absoluenda, mandans celebrari Synodum [b] Lingonensem in Gallia, eidemq; Hugonem Diensem Episcopum Legatum præesse; cui & Hugonem Abbatem Cluniacensem voluit interesse. In qua de inuestituris laicorum prohibendis mandat sanciri decretum, consentaneū ijs, quæ ab Hadriano Papa in Octaua Synodo fuisse statuta leguntur. sic enim de his ad eumdem Diensem Episcopum in fine epistolæ ad eum datæ conscripsit:

E

[a] Greg. lib. 4. ep. 16. 17. 18. 19. 20.

LEGATIO IN BRITANNIAM ET ANGLIAM.

[b] Id. ibid. ep. 22.

DE INVESTITVRIS TOLLENDIS AGI COEPTVM.

Si igitur diuina clementia huic nostræ dispositioni effectum dederit; *vt scilicet Synodus congregetur*, inter cetera, quæ tua fraternitas agenda suscepit, hoc attentissime perpendat & exequi studeat, vt congregatis omnibus, & in conuentu residentibus, manifesta

A nifesta & personanti denuntiatione interdicat, vt pro conseruanda deinceps in promouendis Episcopis canonica & Apostolica auctoritate nullus Metropolitanorum, aut quiuis Episcoporum alicui, qui a laica persona donum Episcopatus susceperit, ad consecrandum illum imponere manum audeat, nisi dignitatis suæ honore, officioq. carere & ipse velit. Similiter etiam vt nulla potestas, aut aliqua persona de huiusmodi honoris donatione, vel acceptione vlterius se intromittere debeat. Quod si præsumpserit, eadem sententia, & animaduersionis censura, quam beatus Hadrianus Papa in Octaua Synodo de huiusmodi præsumptoribus, & sacræ auctoritatis corruptoribus statuit atque firmauit, se astrictum ac ligatum fore cognoscat. Quo capitulo scripto, atque in præsentia omnium lecto, ad collaudationem & confirmationem eius vniuersum cœtum illius confessus admoneas. Eos autem, qui post recensi-
B tam a nobis huius decreti auctoritatem, inuestituram Episcopatus per manus sæcularium dominorum & potestatum susceperunt, & qui eis in ordinatione manum imponere præsumpserunt, ad nos super hac re rationem redditurus venire, Apostolica auctoritate commoneas, atque præcipias] hæc Gregorius hoc anno, quarto Idus Maias.

Quo tempore tot ipse vallabatur ex Henriciana præuaricatione turbinibus, & premebatur angustijs, in prohibendis laicalibus inuestituris Regum, & aliorum Principū, aggreditur constanti animo, inuictoq. ac plane sacerdotali robore controuersiā, cuius causa licet sciret, omnes se passurum Christianos Principes aduersarios; haud tamen cessit tempori, concessitq. rerum Ecclesiæ statui perturbato, quæ ista in aliud potius differenda esse tempus poterant suadere; sed celso animo, inuicto pectore cedere ne-
C scio rem aggreditur perdifficilem, ac plane humanis viribus insuperabilem. Quis enim Principum Christianorum ea dimitteret, quæ a parentibus, auis, ac proauis sibi iure quasi hereditario transmissa essent? quæ quidem licet iniusta, toleranda tamen sunt visa prædecessoribus Pontificibus, quamdiu ijdem Principes non mercimonio ista tractarent.

CVR TOLERATAE INVESTITVRAE TOLLANTVR.

Vbi vero semel irrepsit eiusmodi sacrilega nundinatio, cum a Principibus Episcopatus, Abbatiæ, & alia ecclesiastica beneficia, & dignitates venales factæ, auctione distrahi cœptæ sunt; nec (vt audisti) tot Concilijs a tempore Papæ Leonis Noni & successorum Pontificum in id incumbentium destrui potuit vllo pacto simoniaca ista ecclesiasticarum rerum collatio: visum est, vt quæ semel, ac iterum atque iterum Apostolica falce succisa, ampliori germine pullularet, eius iam conuellendas esse radices,
D nempe vt omnis laicalis prohiberetur inuestitura. Gregorius igitur Papa diuinitus inspiratus, & confortatus diuinæ gratiæ robore, ne nouæ rei videri posset inuentor, Hadriani Papæ decretum, [a] Octauæ Synodi Oecumenicæ auctoritate communitum in medium protulit, quod suo loco legisse memineris. at hæc ita hoc anno cœpta, quomodo anno sequenti sunt synodali decreto perfecta, suo loco dicturi sumus.

[a] Octau. Synod. can. 22.

LEGATIO AD VENETOS.

Eodem anno idem Pontifex Gregorius Gregorium sanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconum Legatum misit ad Venetos, vt qui in excommunicationem incidissent communicando cum excommunicatis, ab eodem Legato absolutionem acciperent: cui litteras dedit ad [b] Dominicum Patriarcham, & alios Suffraganeos Episcopos, atque
E alias ad [c] Dominicum Siluium Ducem Venetiarum, scriptas quinto Idus Iunij.

[b] Greg. lib. 4. ep. 26. [c] Idem ep. 27.

LEGATIO IN HISPANIAM. [d] Id. ep. 28.

Insuper Legatos in Hispanias misit Amatum Episcopum Ellorensem, & Abbatem quemdam sancti Pontij, quibus [d] litteras dedit quarto Kal. Iulij ad omnes Reges, & Comites, aliosq. Principes in Hispania dominantes, pro iuribus Romanæ Ecclesiæ in prouincijs illis, sancto Petro oblatis, antequam Sarraceni Hispanijs potiti essent, quod alijs eiusdem Papæ ad eosdem scriptis litteris superius est declaratum.

LEGATIO IN CORSICAM MISSA. [e] Id. lib. 5. ep. 2. [f] Id. lib. 5. ep. 4

Sed & eodem anno Legatum in Corsicam insulam misit Landulphum Pisanum Episcopum, cum eius Insulæ habitatores & domini redire vellent sub dominio Apostolicæ Sedis, vt ante erant. extant de his [e] litteræ hoc anno datæ Senis Kal. Septemb. ac rursum Romæ decimosexto Kal. eiusdem istis verbis: [f]

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei omnibus Episcopis, & viris nobilibus, cunctisq. tam maioribus, quam minoribus in insula Corsica consistentibus salutem & Apostolicam benedictionem.

Scitis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Scitis, fratres, & chariſſimi in Chriſto filij, non ſolum vobis, ſed multis gentibus manifeſtum eſſe, Inſulam, quam inhabitatis, nulli mortalium, nulliq. poteſtati, niſi ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ex debito, vel iuris proprietate pertinere; & quod illi, qui eam hactenus violenter, nihil ſeruitij, nihil fidelitatis, nihil penitus ſubiectionis aut obedientiæ beato Petro exhibentes, tenuerunt, ſemetipſos crimine ſacrilegij, & animarum ſuarum graui periculo obligarunt. Cognoſcentes autem per quoſdam fideles noſtros & veſtros amicos, vos ad honorem & iuſtitiam Apoſtolici principatus (ſicut oportere cognoſcitis) velle reuerti, & diu ſubtractam ab inuaſoribus iuſtitiam beato Petro, veſtris temporibus, veſtriſq. ſtudijs redhiberi: valde gauiſi ſumus, ſcientes vobis hoc non ſolum ad præſentem, ſed etiam ad futuram prouenire vtilitatem & gloriam. Nec diffidere quidem, aut quidquam in hac cauſa vos dubitare oportet: quoniam ſi modo veſtra voluntas firma, & erga beatum Petrum fides immota permanſerit, habemus per miſericordiã Dei in Tuſcia multas Comitum, & nobilium virorum copias ad veſtrum adiutorium, ſi neceſſe fuerit, defenſionemq. paratas. Quapropter quod in hac re opportuniſſimum nobis viſum eſt, miſimus ad vos fratrem noſtrum Landulphum Piſanæ eccleſiæ Epiſcopum &c.]

LEGATIO AD AQVILEIENSES.

Miſit etiam Gregorius Papa Legatos ad Aquileienſem eccleſiam, viduatam paſtore, defuncto Sigehardo, eiuſdem eccleſiæ Patriarcha, pro eligendo ſucceſſore, cum illi Archidiaconum elegiſſent, probandum ipſum per Legatos eiuſdem Apoſtolicæ Sedis. extant de his [a] litteræ ad Clerum, & populum Aquileienſem, necnon ad Epiſcopos Suffraganeos. hæc menſe Septembri.

[a] Greg. lib. 5. ep. 5. & 6.

Sed & aliam [b] legationem miſit menſe Octobris in Gallias ob cauſam Rainerij Epiſcopi Aurelianenſis, cuius cauſæ cognoſcendæ iudices conſtituit Richerium Senonenſem Archiepiſcopum, & Richardum Bituricenſem, deponendum ipſum contumacem, niſi ſe purget criminibus obiectis.

[b] Id. ep. 8. & 9.

LEGATIO IN GALLIAS.

Moritur hoc anno Rex Daniæ Sueno, de quo plura ſuperius. Hic vero egregium, dignumq. eccleſiaſticis Annalibus factum, quo in publica agenda pœnitentia viſus eſt non ſolum priores Chriſtianos Reges imitatus eſſe, ſed etiam ſuperaſſe, deſcribendum, vt ita Principi maxime pio poſtrema ſoluentes eius memoria vbique in Eccleſia ſumma gloria perſeueret, ſitq. Chriſtianis Orthodoxis Principibus in exemplum veræ pœnitentiæ, cum deliquerint. Rem geſtam paulo ante quam Rex deceſſit, ſic concinne narrat Saxo [c] Grammaticus, agens primum de ſanctiſſimo viro Vuillelmo Epiſcopo Roſckildenſium, quem inter Sanctos receptum tum egregia eius virtutum opera, tum poſt mortem edita ſigna fidem haud dubiam fecere. Sed & ſequens caſus, inquit, in Antiſtite Vuillelmo ſeueritatis pulcherrimũ, in Rege certiſſimum moderationis documentum exhibuit. Ipſe namque Sueno Rex ſacro Circumciſionis peruigilio ſolemni magnatum conuiuio feriatus, cum quorumdam Principum clandeſtina obtrectatione parum honorate de ſe habitum comperiſſet ſermonem, occultam eorum perfidiam temulentiæ laſciuijs detectam exiſtimans, iræ aculeis actus miſit, qui ipſos matutino tempore intra Trinitatis ædem oraturos confoderent, tamquam in ſacris penetralibus aptiſſimus humanarum cladium locus exiſteret; itaq. actum ergã conuiuas facinus ſacrilegio duplicauit, ipſumq. pietatis domicilium crudelitatis officinam effecit, neque loci, aut temporis, quo minus cupiditati indulgeret, reſpectum habuit.

[c] Saxo Gram. hiſt. Dan. lib. 11

Qua in re Vuillelmus Antiſtes, templi (vt par erat) violatione permotus, in primis diſſimulanter accepit, neque indignationem ſuam vlla ex parte ſtipatoribus patefecit, opportuno vindictam tempore præbiturus. Nam cum rem diuinam pontificali more peragere debuiſſet, non ſolum aduentantem Regem occurrendi veneratione excipere ſuperſedit, ſed etiam ſacrarium ſubire conniſum, a primis eius liminibus abſque reſpectu familiaritatis, ſacerdotij inſignibus ornatus, baculo, quo vtebatur, excluſit, ſacrorum penatium aditu indignum iudicans, quorum religionem non ſine graui pacis rubore ciuili ſanguine maculaſſet; ſuppreſſoq. dignitatis nomine non Regem eum, ſed humani cruoris carnificem appellabat. Nec reum obiurgaſſe contentus, aculeum virgæ eius pectori infixit, armatumq. duritia animum imperati parricidij pœnitere perdocuit. Enimuero priuatæ ſocietati publicæ religionis verecundiam prætulit, non ignarus alia eſſe familiaritatis officia, alia ſacerdotij iura, quibus ſeruo-

ſeruorum æque ac dominorum, neque ingenuorum parcius, quam ignobilium flagitia vendicari par eſt. Cumq. abunde foret, repulſam egiſſe, etiam ex eo rationem adiecit, nec dubitauit in præſentem damnationis quoque proferre ſententiam. Itaque mirifica audacia in dubium reliquit, fortius illum manu ne an voce pulſauerit, quem grauibus admodum contumelijs proculcatum, prius linguæ, deinde dexteræ repulſa mulctauit, inq. pectore, quo virtutem ante coluerat, vitium contudit. Neque enim in tam euidenti ſcelere legum vltionis tempus expectandum fuit, facilius origini & incunabilis culpæ, quam vlterioribus eius incrementis occurrendum exiſtimans, ne more alitum crimen diuturnitatis tractu conualeſceret. Igitur vt Regem impotentiæ & temeritatis incurſus tranſuerſum in facinus egit, ita Antiſtitem ad exercendam vindictam protecta religionis æmulatione ſeueritas concitauit. Enimuero fortiter vindicata religione, & debitam ordini ſuo fidem, & alienæ temeritati ſalutarem reddidit diſciplinam. Ne enim ſolemnium officiorum tutelam omittere videretur, veluti indulgentiæ oblitus ſeueritatem exercuit, neque ſanctitatis inimico amicus exiſtere, aut aſſentatoris potius, quam pontificis partes præſentare ſuſtinuit. Ceterum ſpecie hoſtem, reuera amicum exhibuit, quia fida concordiæ pignora, ac ſincera familiaritatis ſtipendia potius iuſti rigoris, quam iniqui facinoris examine ponderabat. Quapropter manſuetiſſimum ingenium ſuum, depoſita ad tempus clementia, auſteritati ſubiecit, meritoq. ad firmandam religionis diſciplinam aliquid a crudelitate ſibi pauliſper mutuandum putauit. Quamobrem infeſto militum concurſu petitus, applicatos ceruici ſuæ gladios animi firmitate contempſit, tantumq. ſe in deſpiciendis periculis geſſit, quantum egerat in prouocandis, tanto animi robore præditus, tamq. generoſi ſpiritus abundantia inſtructus, diuinæ charitatis munimento ſuperior humani timoris viribus apparuit.

Cuius Rex inhibita nece, cum eum non temeraria offenſa, ſed publicæ ſeueritatis fiducia concitatum animaduerteret, conſcientiæ rubore perfuſus, ſceleriſq. quam repulſæ pudore æquior, continuo Regiam repetit, quietamq. frontem contumelioſe correptus exhibuit, nec ipſa quidem generoſæ indignationis verba inuitus audiuit. Deinde regia veſte depoſita, obſoletam accepit, mœroremq. deformitate cultus, quam ſplendore contumaciã reſtari maluit. neque enim tam triſti pontificis ſententia perculſus, regalis magnificentiæ cultum geſtare ſuſtinuit, ſed abiectis regiæ maieſtatis inſignibus, inſigne pœnitentiæ ſagulum ſumpſit: quin etiam ſimul cum veſte potentiam exuit, atque ex ſacrilego tyranno fidus ſacrorum venerator euaſit. Siquidem nudatis pedibus ad atrium regreſſus, in eius ſe aditu proſtrauit, terramq. ſuppliciter oſculatus, dolorem, qui ex contumelia acerrimus infligi ſolet, verecundia ac moderatione compreſſit. Neque enim continuo repulſæ vindicem egit, ſed pudore, ac pœnitentia culpam cruenti imperij redemit. Exulaſſe eius animum in nequitia, non habitaſſe credimus, quem vt primo temeritas tranſuerſum in facinus egit, ita poſtmodum æquiſſima moderationis temperies rexit. Quanta enim manſuetudine pectus eius inſtructum fuiſſe putamus, qui pontificem palam ſeueriſſimis ſacerdotij viribus aduerſum ſe vſum non ſolum impunitate donaret, ſed etiam humillima veniæ petitione venerari ſuſtinuit, gratiamq. tam pudoris patrocinio, quam pœnitentiæ beneficio meruit? Diuina ſiquidem obſequio non viribus propitianda nouerat; ideoq. atrocitatem ſceleris verecunda mœroris acerbitate penſabat. quin etiam paruulo pudoris irrigamento magnopere confuſus, excitatam ignominia virtutem rubori imperare coegit, quantumq. violentiæ religioni crudeliter imperando incuſſerat, tantum venerationis vehementer animo contuſus exoluit. ſed dum taliter ſe gerit, inuſitatam ſacerdotalis auxilij clementiam expertus eſt.

PŒNITENTIA PVBLICA SVENONIS REGIS DANIAE.

Interea Antiſtes inchoamento pſallendi facto, primaq. concentus parte edita, cum Græcæ precationi *Kyrie eleiſon* ſolemnem rite Gloriam ſubnectere debuiſſet: ex ſtipatoribus ſupplicem ſoribus Regem adeſſe cognoſcit. Igitur ceſſato cantu, Cleroq. conticeſcere iuſſo, fores repetens, cum Regem, quid ita ſe gereret, percontatus fuiſſet, atque ille criminis confeſſione facta, religioni ſeſe ſatisfacturum promittens, ſacerdotalis ſubſidij veniam poſtulaſſet: continuo execratione remiſſa, iacentem amplexus, obortis lacrymis, depoſitiſq. doloris inſignibus, & cultum, & animum regium reſumere

REX HVMILI HABITV AD ECCL. VENIT.

iuſſit

Universidad de Deusto
Biblioteca

iussit, non licere, inquiens, priuatum mœrorem publicis interesse tripudijs. Neque A
enim eum humiliorem dignitate sua vultum gerentem, aut supplicem liminibus aduolutum intueri sustinuit, sed benignioribus verbis recreatum, pristinam vestem, qua maiestatem suam concinniorem efficeret, corpori reponere cultioremq. progredi iubet; satis graues eum pœnas religioni dedisse reatus, qui se tam demisse agere, tamq; suppliciter prosternere sustinuisset. Deinde imperatis pœnitentiæ rebus, cantores, quorum frequentia solemnitas agebatur, in occursum eius, quo ornatius reciperetur, procedere iussit; statimq. venerabiliter exceptum, cunctis lætitia ouantibus, ad aram vsque perduxit. Ita prioris violentiæ speciem honesto comitatis genere temperauit, repulsæq. deformitatem specioso pensauit obsequio: nec minus in pœnitentia venerationis, quam austeritatis in admisso reposuit. Quin etiam adhuc mœrenti sollicitudinem detraxit, fiduciam adiecit, priuatæq. tristitiæ salebram publica gratulatione B
discussit: itaque quod in potentis viri scelere pollutum fuerat, religiosa seueritate expiatum est. Sed & populus maximo plausu tam spectatam in Rege verecundiam comprobabat, plus pœnitentia pium, quam imperio scelestum euasisse confessus.

3. EPISCOPVS ABSOLVIT POENITENTEM REGEM.

Peregerat iam pontifex seueri ac pij vindicis partes, sicq. eodem rigoris & clementiæ experimento se gessit, nec parcius veniam, quam vindictam exhibuit. quippe cuius contumaciam seuere repulit, indulgenter modestiam coluit, sicq. pietati iustitiam contemperauit, vt nec sperneret supplicem, nec reciperet insolentem. Qua in re paterni affectus habitum repræsentauit, quod parentis more correptionem blanditijs subsecutus, neque ante elatum amplecti, aut demissum aspernari sustinuit. Post hæc omissa altaris sacra repetens, summo Patri regiæ expiationis gloriam succinit, eoq. serenius gaudium subijt, quo tætrior luctus causa præcessit. Rex ipse biduum quiete C
peragens, tertio demum die regio cultu ornatus, inter ipsa Missæ sacra excelsam ædis partem conscendit, silentioq. per præconem venerabiliter acto, coram omnibus semet gratissima accusatione perstrinxit, acerbum religioni vulnus inflixisse confessus. Deinde collaudata Antistitis indulgentia, quod tanto crimini tam repente ignouerit, seq. iussu, etsi non manu reum celerrime sacrorum visibus restituerit, pro tam cruenti imperij expiatione muneris loco Stefnicæ prouinciæ dimidium, aris a se conferri publicat. nec erubuit multorum auribus singularem flagitij committere notionem. ea res inextricabilem regni, & sacerdotij concordiam operata est. Quippe Rex non solum Antistitem in eodem amicitiæ gradu habuit, sed etiam maioribus dignitatis incrementis donauit, plus officijs eius ad gratiam, quam contumelijs ad iracundiam concitatus, quem non priuata ira, sed publicæ religionis iniuria aduersum se prouocatum videbat. Hic enim mirificam illius seueritatem, ille sanctissimam eius moderationem beneuolentiæ constantia prosequebatur. Sed & vterque quotidianis votis, ne tantæ animorum concordiæ diuiduum fati tempus intercederet, exoptabat. Itaque summæ venerationis officia certatim mutuis sibi studijs impendebant, adeoq. eximiam societatis fidem honoris vicissitudine nutriebant, vt potius inter eos amicitiæ paritas, quam superioris ad inferiorem familiaritas cerneretur] hucusque Saxo, egregiam pœnitentiæ veræ figuram vero eloquentiæ penicillo colorans.

SVENONE REG. DANORVM MORTVO, SVCCEDIT FILIVS HARALDVS.

Defuncto autem haud diu post hæc ipso Rege Suenone (vt idem est auctor Saxo Grammaticus) in locum eius ex omnibus filijs defuncti Regis maior natu Haraldus regnum administrandum accepit: ad quem Gregorius Papa epistolam scripsit, qua primum admonuit pro defuncti patris Regis anima Deo preces offerre: insuper vt ecclesiam in Dania constitutam habeat commendatam. sed eiusdem præstat audire verba Pontificis, sic enim se habent: a E

a Greg. lib. 5. ep. 10.

Sancta & vniuersalis mater nostra, Romana Ecclesia scilicet, quanta dilectionis & amoris instantia erga patris tui curam, & honoris sui sollicitudinem inuigilauerit, te plene nosse, nec tui memoria excidisse non dubitamus; videlicet cum ipse reminisci poteris, quam puram semper & in omnibus seruitutis, & debitæ obedientiæ reuerentiam circa beati Petri Apostoli honorem exhibuerit. Suis namque temporibus, vt Apostolica testatur Ecclesia, tam deuotum, tam fidum, tamq. vnicum in amoris sui studio fuisse filium nouimus, vt pene in Regibus nullus inueniretur secundus, & ni diabolico instinctu incentiuas vitiorum illecebras imitans, corporis sui frena laxasset,

inter

A inter optime Deo placentes Reges illum cælicas sedes inhabitare nequaquam dubitaremus. Sed quoniam credimus, Apostolis, quibus fidelis extitit, opitulantibus, Domini illum misericordia, & gratuita pietate lamenta pœnitentiæ ante vitæ suæ finem contrito corde arripuisse, veniam posse consequi non dubitamus: immo sui memores in orationibus nostris, sibi concedi, charitatis affectu rogamus: & te (vt optimum decet filium) ei succurrere largis eleemosynarum subsidijs, & ecclesiarum orationibus hortamur. Decet enim, vt qui te sui corporalis & sæcularis regni, seu honoris heredem, vt bonus pater, reliquit, spiritualibus auxilijs (prout esse poterit) ne videatur fraudari, quatenus res, quæ tibi decus paterni ministrant regni, manibus pauperum delatæ, cælo patri conferant auxilium requiei &c.] commendat protectionem Ecclesiæ, pro qua etiam, si opus sit, vitam profundere debeat. Alijs postea
B ad eum datis [a] litteris laudat eius studium atque obedientiam erga Romanam Ecclesiam, in qua & perseuerare hortatur; & alijs rursum [b] litteris commendat eum Olauo Noruegiæ Regi, vt fratres suos secum concordet.

a Greg. lib. 7. ep. 21.
b Id. lib. 6. ep. 13

LADISLAVS CREATVS REX HVNGARORVM.

Hoc eodem anno, diu rebus Hungaricis fluctuantibus, defuncto Geisa Rege, eligitur Ladislaus, de quo idem Gregorius Papa ad Nehemiam Strigonienſem Episcopum hoc anno scribens, hæc inter alia habet: [c] Admonemus fraternitatem tuam, vt Regem, qui inter vos electus est, cum alijs tuis confratribus, & Principibus terræ alloquaris, notificantes, & consulentes sibi, vt apertius nobis suam voluntatem, & erga reuerentiam Sedi Apostolicæ debitam per idoneos Legatos denuntiet deuotionem: & ita demum, quod ad nos attinet, ad honorem Dei omnipotentis, & beati Petri Apostolorum principis benigne sibi respondebimus &c.] præstitit hoc abundanter idem Rex,
C cum iteratam ad eumdem Gregorium Papam legationem misit, vt ipsius Gregorij redditæ ad eum postea litteræ docent.

c Id. lib. 4. ep. 25.

Hoc eodem anno in Longobardia pessima morte defunctum esse Cincium illum Romanum ciuem, Romanæ Ecclesiæ perduellem, habent Acta Gregorij Papæ, a Guillelmo Bibliothecario scripta.

OBITVS AGNETIS AVGVSTAE

Ad postremum vero, hoc eodem anno Agnes Augusta mater Henrici Regis, perseuerans in vitæ sanctissimæ instituto excubandi ad sacra Limina Apostolorum, Romæ in Laterano decimaquarta die mensis Decembris feliciter ex hac vita migrauit, atque in Lateranensi basilica ad tempus sepulta, post dies autem viginti duos translata est ad basilicam sancti Petri, apud sanctam Petronillam. nam de ea hæc Bertholdus Constantiensis huius temporis scriptor habet hoc anno: Agnes religiosissima Imperatrix
D iam *viginti annis in viduitate Deo deuotissime seruiens, nec filio suo Henrico contra Apostolicam Sedem in aliquo consentiens, Romæ requieuit in pace, sepulta Romæ in ecclesia sanctæ Petronillæ] hæc ipse. ad cuius tumulum est scriptum eiusmodi epitaphium, quod [d] Vegius antiquitatum basilicæ Vaticanæ conseruator istis verbis exscriptum reliquit:

*XXII.

d Veg. lib. 3.

† ANNO. MLXXVII. AB. INCARNAT. DOM. NOSTRI. IESV. CHRISTI. INDICT. PRIMA
ANNO. QVINTO. PONTIFICATVS. DOMINI. GREGORII. PAPAE. SEPTIMI
AGNES. IMPERATRIX. AVG. POST. MORTEM. VIRI. SVI. HENRICI. IMP. II. ANNO. XXII
DIE. XIIII. MENSIS. DECEMBRIS. ANIMAM. BONIS. OPERIBVS. FECVNDAM
LATERANIS. SALVATORI. SVO. ATQVE. OMNIVM. BONORVM. DEO. AVCTORI.
REDDIDIT
E ET. HIC. VBI. ANTEA. MILITAVERAT. CLAVIGERO. CAELI. PRO. CVIVS. AMORE
IBIDEM. PEREGRINATA. FVERAT.
QVINTA. DIE. MENSIS. IANVARII. EXPECTANS. SPEM. BEATAE. RESVRRECTIONIS
ET. ADVENTVM. MAGNI. DEI. MEMBRA. CARNIS. COMMENDAVIT
IN. PACE. AMEN.
✠

e De eadem Vrspergensis Abbas agēs, hoc anno eam defunctam affirmat, sepultamq. in ecclesia S. Petronillæ apud S. Petrum. Quod autem ipsa apud basilicam S. Petri commorari solita, vbi sedem (vt vidimus) fixerat, in Lateranis autem ædibus defuncta esse dicatur: existimare possumus, Gregorij Papæ charitate ad curationem in easdem pontificias ædes fuisse translatam, plurimum enim eamdem Augustam a Gregorio Papa religiose cultam, quæ sunt narrata superius, fidem faciunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

GREG. PAPA INDICIT SYNODVM.

ANNVS exurgit Redemptoris milleſimus ſeptuageſimuſoctauus, Indictione prima, quo Gregorius contumaces Epiſcopos, eoſdemq. excommunicatos, ſiue ſuſpenſos haud diutius tolerandos in Eccleſiæ Catholicæ contumeliam ratus, parat Synodum celebrandam ex more, prima hebdomade Quadrageſimæ, in qua audiendos eoſdem, datis ad eos litteris vocat: in primis vero ad ipſorum anteſignanum Guibertum Archiepiſcopum Rauennatem, atque eiuſdem factionis ipſi inhærentes Epiſcopos has litteras dedit: [a]

[a] Greg. lib. 5. ep. 13.

GVIBERTVS CVM SVIS VOCATVR AD SYNODVM.

B Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Guiberto Rauennati Archiepiſcopo, omnibusq. Suffraganeis eius, & vniuerſis Epiſcopis & Abbatibus in Marchia Firmana & Camerina, & in Pentapoli & Aemiliæ & Longobardiæ partibus conſtitutis] vides ex hac inſcriptione, quanta fuerit malignitas (vt dicam cum Pſalmiſta, inimicus in Sancto) cum tot Epiſcopos fecerit ab Eccleſia Romana deſciſcere. ſequitur autē epiſtola.

Salutem vobis cū Apoſtolica benedictione libenter mitteremus, ſi veſtræ temeritati ſanctorum Patrum auctoritas non obſtitiſſet. Quam grauiter enim vltra quā Chriſtianos oporteret, beatum Petrum Apoſtolum, eiusq. ſanctam Romanam Eccleſiam, veſtram vtique omniumq. Fidelium matrem offenſam atque commotam reddidiſtis, Deus eſt teſtis, ſanctorumq. Patrum regula, veſtraq. conſcientia. Sed quoniam humanum eſt peccare, Deiq. peccantibus conuerſis veniam tribuere; ipſa, quæ eiuſdem C Dei & Domini ſanguine fundata eſt Eccleſia, ad gremium ſuum redire vos adhuc vt mater expectat: nequaquam in veſtra graſſari deſiderat nece, immo veſtræ cupit ſaluti occurrere. Quapropter morti tam veſtræ, quam omnis Chriſti gregis nobis commiſſi ſalute, ex omnipotentis Dei parte & Romanæ Eccleſiæ, vniuerſalis videlicet matris, Apoſtolica auctoritate monemus, & inuitamus vos, vt ad Synodū, quam Deo auctore, in proximo venturæ Quadrageſimæ prima hebdomada celebraturi ſumus, conueniatis: ſcientes vos ſecuros fore ab omni læſione vitæ, & membrorū, rerumq. veſtrarum, & ab omni ſæculari iniuria, eorum videlicet, quos conſtringere poterimus. Sciatis etiam, quod apud nos nullius vmquam odium, aut preces, ſeu turpis iactantia locum obtinere poterit, quos contra vos in aliquo iniuſtitiam exercere poſſit: immo rigorem iuſtitiæ, prout poſſumus, temperantes, indulgere vobis, quantum ſine detrimento animarum veſtrarum, & noſtro periculo poterimus, parati ſumus. Deſideramus D enim potius, Deo teſte, veſtræ ſaluti, & populi vobis crediti conſulere, quam noſtro ſæculari commodo in aliquo prouidere. Dat. Romæ quinto Kalendas Februarij, Indictione prima] hæc ad Guibertum & alios collegas ſchiſmatis Gregorius. At vero, qui ſemel ab eius obedientia deſciuiſſet auerſione contentioſa, ad Eccleſiam amplius non eſt reuerſus, Gregorij contempſit mandata, Synodo noluit intereſſe, vt apparet ex Actis eiuſdem Concilij, necnon eiuſdem Pontificis [b] litteris, ad Rauennates in fine huius anni conſcriptis. Cum tamen Gregorius longanimis non deponendum, ſed adhuc expectandum ipſum in futuram Synodum Nouembris menſe celebratidam putauit. Verum nec ad eam venientem, ſed præteritis malis mala cumulantem depoſuit, vt ſuo loco dicetur. E

[b] Id. lib. 6. ep. 10.

Celebrata eſt Synodus ſtatuta die, cuius res geſtæ ità inter epiſtolas Gregorij hoc anno datas deſcriptæ leguntur ſummatim collectæ.

[*] al. LXXVII. DE BREVE GESTIS IN ROM. SYNODO.

Anno ab Incarnatione Domini milleſimo [*] ſeptuageſimooctauo, Pontificatus vero domini Gregorij Papæ Septimi anno quinto, celebrauit ipſe dominus Gregorius Papa Synodum, vbi interfuere Archiepiſcopi & Epiſcopi diuerſarum vrbium fere numero centum; necnon & Abbatum, ac diuerſorū ordinum clericorum & laicorum innumerabilis multitudo. In qua Apoſtolica conſtituta corroborans, multa quæ corrigenda erant, correxit, & quæ corroboranda, firmauit.] Inter cetera namque in fine ſynodalis abſolutionis hoc annexuit, & perpetuæ memoriæ pro poſteris ſcribendum mandauit, ita dicendo:

THEDALDVS ET GVIBERTVS ARCHIEPISCOPI EXCOMMVNICATI.

Thedaldum dictum Archiepiſcopum Mediolanenſem, & Rauennatem Guibertum, inaudita hæreſi & ſuperbia aduerſus hanc ſanctam Catholicam Eccleſiam ſe extollen-

A tollentes, ab Epiſcopali omnino ſuſpendimus & ſacerdotali officio; & olim iam factum anathema ſuper ipſos innouamus.

ARNVLPHVS EPISC. CREMONENSIS EXCOMMVNICATVR.

Arnulphum Cremonenſem publice coram noſtra præſentia conuictum, & conſtentem ſe ſimoniacum, ab omni Epiſcopali officio abſque ſpe recuperationis deponimus, & vſque ad dignam ſatisfactionem anathemate percutimus.

ROLANDVS NVNTIVS EXCOMMVNICATVR.

Rolandum vero Taruiſienſem, qui pro adipiſcendo Epiſcopatus honore ſubdolus factus Legatus, inter regnum & ſacerdotium ſchiſma facere non abhorruit: vt amodo & vſque in ſæculum Epiſcopali careat dignitate, Apoſtolica cenſura cenſemus: & vt nullus ſucceſſorum noſtrorum ſuæ conſecrationi aliquo modo conſentiat, modis omnibus prohibemus, & perpetuo cum anathemate alligamus, niſi reſipuerit, & digne Deo ſatisfecerit.

HVGO CARDINALIS EXCOMMVNICATVR.

B Hugonem Cardinalem tituli ſancti Clementis, tertio ab Apoſtolica Sede damnatum, eo quod aſpirator & ſocius factus hæreſis Cadaloi Parmenſis Epiſcopi & eorum conſtitutus Legatus Apoſtolicæ Sedis; hæreticis & ſimoniacis, & ab Apoſtolica Sede damnatis ſe coniunxit; & tertio factus apoſtata & hæreſiarcha, ſchiſmata & diuiſiones, atque ſciſſuras in Eccleſia Dei, tentans eam ſcindere, fecit; ab omni ſacerdotali officio priuamus, & tam ab ingreſſu & honore prædictæ Eccleſiæ, quam omnium eccleſiarum, ſub perpetua & irreuocabili ſententia ſubmouemus, & vſque ad ſatisfactionem anathemate percutimus.

DE GAVFREDO ARCHIEPISC. NARBONENSI.

Renouamus etiam excommunicationem à prædeceſſoribus noſtris factam ſuper Gaufredum Archiepiſcopum Narbonenſem, & abſque vlla recuperationis ſpe ab Epiſcopali officio eum ſubmouemus] his, quæ ad clericos ſpectarent, conſtitutis, ad laicos ſe conuertit, atque in primis ad cauſam Henrici Regis cum Rudolpho electo imC per in Germania Rege; ad quos componendos de legatione decernenda ſit agitq;

DE REGVM CAVSA COGNOSCENDA, FINIENDA, VEL IVDICANDA.

Et quoniam his & perturbatio regni in maximum ſanctæ Eccleſiæ periculum & detrimentū quotidie redundare cernimus: placet nobis elaborare pro viribus, quatenus idoneis tam religione quam etiam ſcientia pollentes Nuntij e latere Apoſtolicæ Sedis ad partes illas mittantur, qui omnes religioſos & iuſtitiæ amatores in Teutonici regni partibus commorantes, clericalis & laicalis ordinis viros, & ad hoc opus idoneos conuocent, cum quibus, Domini gratia præeunte, aut fine & pacem iuſte componant, aut veritate percognita, cui parti magis iuſtitia faueat, ad plenum addiſcere valeant, quatenus pars iniuſta deſiſtat, & Apoſtolica auctoritate munita iuſtitia vigoris & auctoritatis robur obtineat. Verum quoniam nonnullos diabolico inſtinctu collectos, vtD rannidis ſuæ facibus accenſos, turpis lucri auaritia mancipatos diſcordiam potius quā pacem fieri, & videre deſiderantes, fore non ignoramus: ſtatuimus vt nulla vmquam perſona alicuius potentiæ, ſiue Rex, aut Archiepiſcopus, Epiſcopus, Dux, Comes, Marchio, ſiue miles aliqua præſumptione, temerariove auſu, fraude, dolore, ſiue aliqua perturbatione Legatis noſtris obſiſtere & contraire, ne iuſtitiam & finem componant, pertentent. Quicumque autem temerario auſu (quod non optamus) huius noſtræ Conſtitutionis violator extiterit, Legatisq. noſtris, ad hanc pacem componendam euntibus prænominatis fraudem opponere tentauerit: vinculo eum anathematis alligamus; & non ſolum in ſpiritu, verum etiam & in corpore, & omni proſperitate huius vitæ Apoſtolica poteſtate innodamus, & victoriam eius in armis auferimus. vt ſic ſaltem confundantur, & duplici confuſione, & contritione conterantur.

RAINERIO INDVCIAE DATAE.

E Item. Rainerio vero Vgizzoni filio inducias trium hebdomadarum damus, quod ſi in ſpacio iſto coram præſentia noſtra aut per ſe, aut per Legatos ſuos iuſtitiam facere noluerit, eo quod fratrem ſuum manu ſua interemit, & multa periuria vt ſceleſtus incurrere non abhorruit, & cognatam ſuam & pupillos, liberos vtique fratris ſui, caſtra eorum diripiendo, & prædia contra periculum animæ ſuæ vexare non deſinit, tranſacto prænominato termino, anathemate eum alligando percutimus. Et filium Comitis . . . . . datis inducijs vſque in Palmas, ſimili excommunicatione innodamus, eo quod Lucenſem eccleſiam quiete manere, ſua diripiendo, minime permittit.

NORTHMANNI RVSSIAE EXCOMMVNICATI.

Excommunicamus omnes Northmannos, qui inuadere terram ſancti Petri laborant, videlicet Marchiam Firmanam, Ducatum Spoletanum, & eos, qui Beneuentum obſident, & qui inuadere & deprædari nituntur Campaniam, & maritima, atque Sabinos, necnon & qui tentant Vrbem Romanam confundere. Epiſcopos vero, qui

Universidad de Deusto
Biblioteca

acceptis epistolis nostris, aut cognitis, neque per se, neque per canonicam excusationem ad præsentem Synodum venerunt, ab Episcopali suspendimus officio: & quicumque eorum seu Episcopus, siue presbyter prædictis Northmannis, donec excommunicati fuerint, diuinum officium fecerit, a sacerdotali officio perpetuo submouemus. A

DE ABBATE FARFENSI.

Abbati Farfensi octo similiter dierum inducias concedimus: post quem terminum nisi ad emendationem venerit, excommunicamus, & ei corpus & sanguinem Domini interdicimus, Abbatisq. ordine in perpetuum carere eum censemus] Ex his plane horum temporum calamitatem possumus intelligere, quod vndique Romana Ecclesia vallaretur angustijs, persecutionem pateretur a schismaticis, insuper a Northmannis ad Vrbis ianuas premeretur: cum his aduersus rebelles Ecclesiæ Romanæ sancitis, hi qui sequuntur, ab eodem Gregorio Papa in Synodo sunt constituti canones:

CONCILII CANONES.

Et quoniam Dei iudicio nonnullos naufragio perire cognoscimus, & eos quasi legali iam iure, diabolico immo instinctu, ab his, quibus misericorditer subleuari, & consolari deberent, deprædari conspicimus: statuimus, & sub anathematis vinculo (vt a prædecessoribus nostris statutum est) iubemus, vt quicumque naufragum quemlibet, & bona illius inuenerit, secure tam eum, quam omnia sua dimittat. B

Ordinationes vero illorum, qui ab excommunicatis sunt ordinati, sanctorum Patrum sequentes vestigia, irritas fieri censemus.

Iterum sanctorum prædecessorum nostrorum statuta tenentes, eos, qui excommunicatis fidelitate, aut sacramento constricti sunt, Apostolica auctoritate a sacramento absoluimus, & ne sibi fidelitatem obseruent, omnibus modis prohibemus.

Item. Et quoniam multos (peccatis nostris exigentibus) pro causa excommunicationis perire quotidie cernimus, partim ignorantia, partim etiam nimia simplicitate, partim timore, partim etiam necessitate: deuicti misericordia, anathematis sententiam ad tempus, prout possumus, opportune temperamus. Apostolica namque auctoritate anathematis vinculo hos subtrahimus, videlicet vxores, liberos, seruos, ancillas, seu mancipia, necnon rusticos, & seruientes, & omnes alios, qui non adeo curiales sunt, vt eorum consilio scelera perpetrentur. Et illos, qui ignoranter excommunicatis communicant, seu illos, qui communicant cum eis, qui communicant excommunicatis. Quicumque autem aut orator, siue peregrinus, aut viator in terram excommunicatorum deuenerit, vbi non possit emere, vel non habet vnde emat: ab excommunicatis accipiendi licentiam damus. Et si quis excommunicatis pro sustentatione, non superbiæ, sed humanitatis causa aliquid dare voluerit, fieri non prohibemus. C

QVOS GREGORIVS EXCOMMVNICATIONE LEVIAT.

Actum Romæ in ecclesia Domini Saluatoris, quinto Nonas Martij, Indictione prima] hactenus Acta Concilij huius. Quæ verbatim recitanda fuerant ad redarguendum ea, quæ siue a Mariano Scoto, siue ab alio leguntur ad eius Chronicon apposita, quæ nec per somnium contigerunt; nempe priuasse regno Henricum Regem, dedisseq. illud Rudolpho; & ipsum Gregorium a Rege Sedem Apostolicam accepisse. Quam ista procul sint ab eiusdem Gregorij rebus gestis, tum recitata Acta declarant, tum eiusdem recitandæ epistolæ fidem facient. D

BENNO CARDINALIS SCHISMATICVS CALVMNIATVR GREGORIVM.

Sed nec prætercundum putamus esse Bennonem pseudocardinalem, qui aduersus eiusmodi Gregorij Papæ decretum, quo ab excommunicatione remouit communicantes cum ijs, qui excommunicatis communicant, in sua epistola aduersus Gregorium scripta sic insurgit: Hildebrandus autem non solum Ecclesiæ perturbauit pacem, sed etiam ecclesiasticam scidit vnitatem, & vnicæ Fidei vestem inconsutilem, dum Cæsarem & Episcopos communicantes Cæsari absque iudiciario ordine excommunicabat, & tertio gradu communicantes eis ab excommunicatione noua pietate excipiebat; quos huiusmodi artibus & Regi subducere, & sibi allicere festinabat. Dicant nunc Hildebrandi discipuli, quibus commentis, quibus coloribus deaurare possint, quod ipse Hildebrandus in Synodo generali hæretica prædicauit, prædicando excommunicatis communicare consensit, prædicata scripsit, prædicatione, & scriptis alteram Catholicam, alteram excommunicatorum ecclesiam faciens, vnitatem scidit, scripta per orbem terrarum disseminauit, prædicando, scribendo, scripta disseminando seipsum hæreticum manifestauit, & ore proprio, & confessione hæreseos non extorta, diuino vrgente iudicio, condemnauit, dum vulgus erroneum sanctum existimaret, & Apostolis exæquaret spiritum tanti erroris. cum etiam prudentiores E

eius

A eius laqueis caperentur, & inducerentur in tentationem, si fieri posset, etiam electi. Mentimur, nisi tredecim Cardinales sapientiores & religiosiores, ipse Archidiaconus, & ipse Primicerius, & multi alij Lateranensium clericorum, quorum iudicio ex priuilegio sanctæ Sedis totus subiacet mundus, apostasiam eius intolerabilem perpendentes, ab eius communione recesserunt. Dicant, oramus, Hildebrandi discipuli, qua præsumptione magister eorum vnitatem Ecclesiæ in duas, vel plures partes diuisit? Si enim Cæsarem iniuste, & absque iudiciario ordine damnauit; seipsum potius ab Ecclesia separauit: si vero iuste excommunicationis gladium in Cæsarem, vel Episcopos communicantes Cæsari exeruit; quare communicantes ipsis Episcopis tertio gradu, per scripturam excipiendo absoluit? numquid etiam vnius diei infans ab excommunicatis conceditur aliqua necessitate baptizari, vel ab excommunicatis baptizatus, & continuo mortuus, creditur saluari? &c.] hæc & his similia plane delira a Bennone in Gregorium sunt illata: quæ sane quam sint enormia, falsa, omni canonica scientia destituta, ac plane hæretica, quis non intelligat? in fine autem epistolæ ponit, quo nititur probare, Gregorium fuisse hæreticum, eo quod admittendos esse sanciuit excommunicatos in tertio gradu, eos scilicet, qui communicassent cum eis, qui cum excommunicatis communicassent, damnatumq. ob eam causam Liberium ab Eusebio asserens, multa in Liberium declamat, eo quod communicauerit cum excommunicatis. SVAM BENNO PATEFACIT IMPERITIAM. B

Sed quam dispar causa Gregorij atque Liberij, quamq. de Liberio errauerit, vt intelligatur, Lectorem ad ea, quæ suo loco superius de ipso Liberio sunt scripta, reijcimus. Vt plane cognoscas, si verum est, quod affirmat, a Gregorio Papa præceptum, vt Liberij Papæ festum celebraretur, non perperam factum. Sed homini mentiri solito, & in scriptione conferta mendacijs absque teste aliquo eadem asserenti, haud facile adhibenda fides. recitat ex Bennone (qui Bruno corrupte legitur apud ipsum) Abbas Vrspergensis. Quinam autem fuerint Cardinales illi tredecim, quos sapientiores nominat, eosq. a Gregorio Papa recessisse tradit, idem Benno in vita Hildebrandi, quam manus scorpij exarauit, sic numerat in eius exordio: Leo Archipresbyter Cardinalis, Benno, *Hugobaldus, Ioannes, Petrus Cancellarius, hiq. ordinati (vt ait) ante tempora Hildebrandi, Natro, Innocentius, Leo, hiq. tres ab eodem Gregorio ordinati, Theodinus Archidiaconus ab eodem eo officio auctus; alij diaconi, nempe, Ioannes, Crescentius, Ioannes alius, & Petrus; præter subdiaconos, & acolytos] Sed quales isti fuerint, ex vno Hugone Candido iam notissimo discere collegas impietatis facile poteris, & ex ipso Bennone, eius scriptionis auctore, mendaciorum complices intelligere. CARDINALES SCHISMATICI TREDECIM. *Hugo Blancus C

D At quos æstus animi, quos angores mentis, cruciatus cordis ipse Gregorius Pontifex his temporibus pateretur, qui ita vndique scissam contemplaretur Ecclesiam, simoniacos, & fornicarios, ne ecclesiasticum subirent iudicium, vndique rebellantes, contumacia apostatantes, schismaticis inhærentes, indies magis numero, sicut & impietate, infausto germine multiplicantes: ipsemet charo amico suo, secretorum conscio, vitæ sanctæ communicatione intimo sancto Hugoni Abbati Cluniacensi, ad eum scribens, his aperit verbis: [a] Vos autem certa fide, immo & oratione Dei omnipotentis misericordiam implorate, vt mentes nostras secundum suam voluntatem dirigat, & in magna tempestate nos gubernans ad portum suæ pietatis perducat. Tot enim angustijs premimur, tantisq. laboribus fatigamur, vt ij, qui nobiscum sunt, non solum pati nequeant, sed nec etiam videre possint. Et licet cælestis tuba clamet, [b] vnde quisque secundum suum laborem mercedem recipiet; & bonus Rex manifestet: [c] Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ Domine lætificauerunt animam meam; tamen frequenter hæc vita nobis est tædio, & mors carnis desiderio. Sed cum pauper IESVS ille pius consolator, verus Deus & verus homo manum porrigit; valde tristem & afflictum lætificat: dum vero memet dimittit, nimis me conturbat. In me quippe semper morior, sed in eo interdum viuo; & cum viribus omnino deficio, ad illum gemens clamo: Si Moysi, & Petro tantum pondus imponeres, credo quia illos grauaret: quid ergo de me, qui nihil ad eorum comparationem valeo, fiet? Restat ergo, vt aut tu ipse cum tuo Petro Pontificatum regas; aut me succumbere, & eumdem Pontificatum confundi cernas. tunc ad illud recurro: [a] Greg. lib. 5. ep. 21. [b] Luc. 16. [c] Psal. 93. QVALES ANIMI CRVCIATVS GREG. PAPAE. E

recurro: [a] Miserere mihi Domine, quia infirmus sum. & illud: [b] Tamquam prodigium factus sum multis, & tu adiutor fortis. Nec illud obliuiscor: [c] Potens est enim Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ] hæc ad sanctum Hugonem Cluniacensem Abbatem Romæ Nonis Maij hoc anno Gregorius de animi sui angustijs & doloribus.

a Psal. 6.
b Psal. 70.
c Matth. 3.

Sed iam ad res post Concilium gestas reuocemus orationem. Synodo absoluta, mox idem Gregorius Papa de his, quæ in ea sancita fuissent, [d] litteras dedit ad Episcopos, & Principes, in regno Teutonico constitutos. incipit epistola: Notum vobis fieri volumus] data ipsa septimo Idus Martij. qua pariter significat in fine ipsius, quæ, antequam mittat in Germaniam Legatos, ab ipsis pro securitate illorum præstari velit. sunt ista: Præsentium vero portitorem ad hoc vobis dirigimus, vt vna cum venerabili fratre nostro Treuirensi Archiepiscopo, qui Henrico fauet, & altero, qui vtilis & religiosus ad hoc sit opus Episcopus ex parte Rudolphi, locum & tempus prædicti conuentus statuant, quatenus Legati nostri, quos præfati sumus, securius & certius ad vos venire, & quæ omnipotenti Deo placeant, ipso auxiliante, vobiscum valeant perficere] B

d Greg. lib. 5. ep. 15.

OMNES REGNI GREG. A DVOBVS REGIBVS SINGVLOS MITTI LEGATOS IVBET.

Eadem quoque die scripsit ad ipsum Archiepiscopum Treuirensem Vdonem nomine, Regis Henrici cultorem, quem obnixe rogat, vt quam mandat recipiendam prouinciam, non recuset, & Romam ob eam causam venire non prætermittat. Sed & quam fuerit ipse Gregorius pacis cupidus, & salutis animarum pereuntium, ijsdem litteris aperit, dum his verbis eumdem ita compellat Episcopum: [e] Rogamus igitur, & admonemus prudentiam tuam, in qua multum confidimus, vt secundum tenorem earumdem litterarum sine omni dilatione de causa hac te intromittas, & omnibus tam minoribus, quam maioribus, quoad potes, quid a nobis deliberatum, & qualiter tibi iniunctum sit, notum facias, vt miserante Deo, & adiuuantibus his, qui Dominum diligunt, tam feralis discordiæ furorem, aut penitus compescere, & (quod maxime optamus) ad plenam pacem reducere possimus: aut si illud, peccatis impedientibus, minime obuenire poterit, saltem nos in tanto fratrum nostrorum periculo, culpam negligentiæ declinemus] & post multa, quibus hortatur, vt tum ipse, tum qui a Rudolpho est eligendus, Romam veniant, ista adijcit: Nec durum tibi sit, frater, subire quod imponimus: quoniam ex quo in Ecclesia locum sacerdotij & officium suscepisti, nihil Deo dignius, aut animæ tuæ salubrius fecisti, quam si in hac re nequitiam diabolicæ fraudis elidere, & saluti tot millium hominum, opitulante Deo, consulere poteris. Et si hoc fatigationi tuæ pro voto non successerit, tibi tamen apud illum certa manet retributio, apud quem non infectum reputabitur omne bonum, quod iusta & perseueranti voluntate concipitur] hæc & alia, quibus, quam fuerit animo satagenti in his componendis discordijs innotescit, scribens ad Vdonem Henrico studentem: quem tamen contigit eo tempore vita fungi, inq. locum eius subrogari Hermannum, qui aduersus Regem Henricum inhæsit aduersario.

e Id. ibid. ep. 16.

QVAM PACIS CVPIDVS GREGORIVS FVERIT, OSTENDIT VDONI ARCHIEP. TREV.

Qui autem Henricianæ parti fauebant, interuertisse omnia, quæ ipse Gregorius pro rebus componendis ordinasset, & impedimento fuisse, ne consequerentur effectū, quæstus de his est ipse Pontifex, [f] scribens ad Germaniæ populos, Ecclesiæ Romanæ fideles, hoc eodem anno Kal. Iulij. incipit epistola: Quæ & quanta nobis cura fuerit &c.] quibus pariter litteris testatum reddidit, animum suum nulli partium aliquo commodo temporali persuasum inhæsurum, nisi cui fauere iustitiam, Episcopoum, & Principum iudicio decerneretur in Comitijs, ea de causa cogendis.

f Id. lib. 6. ep. 1.

Inter hæc autem Henricus Rex reuersus cum valido exercitu in Germaniam, aduersus Rudolphum properat, Bauariam, Sueuiamq. inuadit, cedente ipsi Rudolpho, qui in Saxoniam se recepit. Vbi vero ab eo Vuirzeburgensis ciuitas capitur: eo properans Rex Henricus, collatis signis acri bello pugnatum est, in quo fuso Henrici equitatu, victoria apud Rudolphum fuit. hæc auctor Henrici vitæ.

Pontifex vero Legatis vtriusque partis Romam vocatis, vbi peruenerunt mense Nouembri, Synodum celebrat, cuius ista sunt Acta: [g]

g Id. ibid. post ep. 5.

ACTA SYNODI ROMAE HABITAE MENSE NOVEMBRI.

Anno ab Incarnatione Domini millesimo septuagesimooctauo, Pontificatus vero domini Gregorij Septimi Papæ sexto, tertiodecimo Kal. Decembr. Indictione secunda, celebrata est Synodus Romæ in ecclesia sancti Saluatoris, pro restauratione sanctæ

Eccle-

Ecclesiæ. In qua inter alia excommunicatus est Constantinopolitanus Imperator, & alij, qui subscripti habentur] Quod pertinet ad Constantinopolitanum Imperatorem, fuit iste Nicephorus cognomento Botoniates, qui tyrannice sibi Imperium vendicans, Michaelem cum Maria Augusta coniuge, filioq. Constantino Porphyrogenito in Blachernis captos, eosdem in monasterium relegauit. coronatus est autem ipse Nicephorus a Cosma Patriarcha, qui eodem anno, Ioanne Xiphylino defuncto, a Michaele Imperatore in locum eius fuerat subrogatus. venerat iste Ierosolymis, & magnæ existimationis erat apud Imperatorem. hæc omnia pluribus Ioannes Curopalates. Quod enim Michael Imperator cum Latinis communicaret, coleretq. ipsum Romanum Pontificem Gregorium, dignum visum Gregorio si tyrannum inuasorem Imperij excommunicaret. de pietate Michaelis, ex eius oblationibus Cassinum missis, habet ista Leo Ostiensis: [a] Circa hos dies Michael Constantinopolitanus Imperator patri Desiderio per Nuntios dona plurima transmisit, poscens vt pro se ac liberis, ac pro statu Imperij sui omnipotentis Dei clementiam assiduis precibus exoraret. Insuper ob beati Benedicti patris reuerentiam pro salute animæ suæ per præceptum aurea bulla roboratum constituit, vt annis singulis monasterium istud ex regijs redditibus auri vigintiquatuor libras acciperet, & pallia quatuor, ad nostræ Congregationis sustentationē] hæc Leo. Et licet non ex sententia fuerit exauditus, at animæ ipsius, ac suorum acceptæ sunt a Deo preces, cum sibi, suisq. in monasterio reliquum vitæ agere datum fuerit. quæ autem post Constantinopolitanum Imperatorem excommunicatum in Synodo gesta fuerint, ita Acta declarant: Iurauerunt quoque Legati Henrici, & Rudolphi, quisque pro domino suo, quod nullis dolis colloquium Legatorum Sedis Apostolicæ in Teutonico regno habendum impedient] quinam autem in eadem Synodo fuerint statuti canones, subsequentes tituli indicant verbis istis:

NICEPHORVS TYRANNVS EXCOMMVN.

COSMAS PATRIARCHA CONSTANT.

a Leo Ost. lib. 3. cap. 38.

PIETAS MICHAELIS IMP.

De Teutonicis contradicendis, ne prædia ecclesiastica a Regibus data, siue ab inuitis Episcopis, detineant.

Vt iterum excommunicentur illi, quorum culpa colloquium remansit] post titulos diuersorum excommunicatorum, de inuasoribus monasterij Cassinensis ista sequuntur:

Si quis Northmannorum, vel quorumlibet hominum prædia monasterij sancti Benedicti montis Cassini inuaserit, vel quascumque res eiusdem monasterij iniuste abstulerit, & bis, vel ter admonitus non emendauerit, excommunicationi subiaceat, donec resipiscat, & Ecclesiæ satisfaciat] huius autem sanciendi canonis occasionem Leo Ostiensis Episcopus, qui aderat, sic narrat: [b] Eodem tempore Rosellanæ ecclesiæ pontifex ad hoc cœnobium veniens, non paruam pecuniæ summam in hoc loco deposuit. Quod vbi Iordani Principi *Capuæ* relatum est, missis militibus, eam de secretario ecclesiæ abstrahi, & ad se præcepit afferri. ad hæc Fratres: Pecuniam, inquiunt, quæ patri Benedicto credita est, nos nulli omnino viuentium damus; verum in secretario conditam, qui præsumpserit, tollat. Milites diabolico furore debriati pecuniam de secretario abstrahunt, ac abstractam ad Principem deferunt. Tantum vero & tam immane inauditumq. facinus Gregorij Papæ dum peruenisset ad aures, huius temeritatis noxam inultam esse non ferens, & verens ne hoc rursus exemplo ecclesia nostra violaretur, diuinum officium in ecclesia patris Benedicti interdixit, altariaq. omnia nudari fecit, asserens in tanto scelere nimiæ negligentiæ, damnandæq. formidinis Desiderium Abbatem, ac Fratres argui merito posse: seq. aduersus Congregationem nostram seuerius commouendum, nisi ea, qua semper locum istum dilexerat, charitate teneretur. Siquidem tolerabilius esse villas, & castella iuris nostri in prædam & direptionem dari, quam sanctum locum, vbique terrarum famosissimum tantæ ignominiæ subiacere. sed non diu diuina vltio dilata est. Nam Princeps tanti auctor sceleris, postquam pecuniam tulit ecclesiæ, lumen amisit. Inde vero Gregorius in Concilio præsidens constituit, vt si quis Northmannorū, vel quorumlibet hominum, prædia, monasteria, villas, possessionesq. nostri monasterij Cassinensis inuaserit, & secundo, ac tertio admonitus non emendauerit, excommunicationi subiaceat, quousque satisfaciat] hæc præsenti anno inchoata, in sequentem propagata sunt, quo reperitur data epistola eiusdem Pontificis ad ipsum Iordanum Principem Capuanum,

DE CONSERVANDIS REBVS MONAST. CASSIN.

b Id. lib. 3. c. 45. 46.

Universidad de Deusto
Biblioteca

[a] Greg. lib. 6. ep. 37.

REDARGVIT GREG. PRINC. CAPVANVM.

qua eum redarguit de grauissimis sceleribus, ab eodem perpetratis, quæ sic se habet: [a] A

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei Iordano Capuano Principi.

Sicut nonnulli nouerunt, olim te nos admodum dileximus, & honorem tuum tam in præsenti sæculo adaugere, quam & in futuro seruare studuimus hactenus. existimauimus enim te (vt nobilem deceret filium) fidem B. Petro seruaturum, & decus ipsius in cunctis, pro viribus tuis adaucturum. Verum longe nos fefellit opinio, & qui de te nihil tale pridem quiuimus credere, nunc aduertimus de hac perfidia tua multos non fuisse mentitos. Ecce enim dudum nouercam tuam & dominam contra ius & fas de ecclesia trahere inuitam & reclamantem, eamq. nubere nolentem nuptijs tradere violentissime præsumpsisti. Episcopum ad Apostolorum Limina venientem nuper ausus es impedire, & quod ferebat, more prædonum auferre. Nouissime ecclesiam beati Benedicti sacrilego ausu intrare, deprædari, & violare non timuisti. Et qui bona ecclesiarum (quoniam fere cuncta, quæ tenes earum sunt) defendere debueras, tu potissime temerator earum & dilaniator existis. Quapropter ex parte beati Petri monemus te, vt si ipsius iram, & beati Benedicti indignationem non vis incurrere, super his omnibus nobis iustitiam facias. Quod si contempseris, ad Dominum omnipotentem nos reclamabimus, de cuius misericordia confidimus, quòd dabit nobis consilium, quid in tantam arrogantiam, & immoderatam superbiam tuam facere debeamus. Datum Romæ vndecimo Kal. Maij, Indict. secunda] hæc ad Iordanem Gregorius. Porro mutatum eum in melius, correxisse, quæ perperam egerat, ostendit idem Leo Ostiensis, sic pergens: [b] B

[b] Leo Oft. lib. 3. cap. 46.

* al. piorum

IORDANI PRINCIPIS CAPVANI DONATIO MONAST. S. BENED.

Eodem anno Iordanis Princeps more* priorum Principum generale monasterio præceptum fecit de omnibus finibus, & pertinentijs eius: quo etiam præcepto specialius confirmauit, quæ pater ipsius, & ipse eatenus huic monasterio concesserat, seu commutauerat, vel reddiderat, id est Fractam castrum, & Teramen, & Pedemontem, & Mortulam, & Cucurugium, & Turrem ad mare; sed & omnia, quæ antiquitus ad hoc pertinebant monasterium in tota Liburia, cum ecclesijs, ac finibus, ac pertinentijs earum, pœna quatuor millium librarum auri apposita, si quis hanc largitionem violare præsumpsisset. Biennio post oblata est huic monasterio ab eodem Principe ecclesia sancti Rufi intra Capuanam ciuitatem, quæ dudum sibi concessa, & iuramento firmata ab his fuerat, quibus hereditario iure iuxta patriæ morem debeatur cum seruis, & ancillis, colonis, libris, ornamentis, & omnibus pertinentijs suis, adiecta mille librarum auri pœna, si quis contraire niteretur] hæc Leo. Quibus vides, quantum profecerit Princeps ex ea, quam passus est ob perpetratum scelus diuinam vindictam. Sed prosequamur reliquos in eadem Synodo sancitos canones. C D

INVESTITVRAE LAICORVM VETITAE

Huic canon adiectus est in Synodo de inuestituris, verbis istis: Quoniam inuestituras ecclesiarum contra statuta sanctorum Patrum a laicis personis in multis partibus cognouimus fieri, & ex eo plurimas perturbationes in Ecclesia oriri, ex quibus Christiana religio conculcatur: decernimus, vt nullus clericorum inuestituram Episcopatus, vel Abbatiæ, vel ecclesiæ de manu Imperatoris, vel Regis, vel alicuius laicæ personæ, viri, vel feminæ suscipiat. quod si præsumpserit, recognoscat inuestituram illam Apostolica auctoritate irritam esse, & se vsque ad condignam satisfactionem excommunicationi subiacere] hæc canon, cuius meminit Leo Ostiensis, qui interfuit. nam hæc de seipso: [c] Per idem tempus supradicto Papa Gregorio Synodum habente, Leo huius monasterij Bibliothecarius, qui postea Ostiensis Episcopus fuit, proposuit litem de monasterio sanctæ Sophiæ de Beneuento, quod nuper Beneuentani a ditione nostri cœnobij violenter abstraxerant. Cumq. res ad iudicium deducta esset, audientibus omnibus recitata sunt omnia priuilegia nostra, quibus Principes, Romaniq. Pontifices, Imperatores, Reges, Duces prædictam cellam huic monasterio donasse probatum est; decretumq. a summo Pontifice, cellam illam nihil ad Beneuentanos pertinere, sed iuris nostri perpetuo esse debere. In eadem item Synodo institutum est, vt qui a laico inuestituram ecclesiæ acciperet, anathemate vterque plecteretur, & qui scilicet daret, & qui acciperet] hæc Leo. Sed iam anno superiori idem Gregorius promulgauerat de ijsdem inuestituris decretum in partibus borealibus, quod vt obseruari deberet, iugi vigilantia intendebat. hinc q. est, quod hoc anno ad Spiræ Episcopum scribens hæc ait: [d] Quia in susceptione Spirensis ecclesiæ veremur te contra decretum Aposto- E

[c] Idem ibid. c. 41.

[d] Greg. lib. 5. ep. 18.

A Apostolicæ Sedis virgam de manu Regis scienter ac temerarie susceptisse, Episcopale officium hactenus te agere non concessimus, &c.] & ad Legatos Apostolicæ Sedis duos Hugones, Dolensem, & Cluniacensem sic: [a] Si idem Ambianensis contra Romanæ Synodi, & Apostolicæ Sedis decretum de manu laici nefanda ambitione, & temerario ausu inuestituram suscipere præsumpsit: canonici rigoris seueritate taliter in eum vindicare, & punire obnixe satagite, vt eius exempla ceteri imitari timeant &c.] Sunt in eodem Concilio & alij sanciti canones, omnesq. numero trigintatres, quos si cupis perlegere, poteris: nos breuitatis causa describere hic omittimus. Cum alioqui alia pleraque sint in hac eadem Synodo constituta, quæ in ijsdem Actis minime posita esse leguntur: & inter alia depositio Archiepiscopi Rauennatis, nefandissimi scilicet Guiberti, toties vocati ad Synodum, & semper contumacis perseuerantis, qui abusus

[a] Greg. lib. 6. ep. 5.

GVIBERTVS ARCHIEP. RAVEN. DEPOSITVS.

B Apostolicæ Sedis patientia atque benignitate, meruit tandem ob immensa scelera perpetrata deponi, cum idem Gregorius post Synodum mox ista scripsit de eius condemnatione ad Rauennates: [b]

[b] Id. ep. 10.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei omnibus Rauennatibus, maioribus, & minoribus, qui beatum Petrum, eiusq. filium, sanctum videlicet Apollinarem diligunt, salutem & Apostolicam benedictionem.

EPIST. DE DEPOSITIONE ARCHIEP. RAVEN.

Quam fideliter, quamq. humiliter, beato Petro, nempe Apostolorum principi Rauennas ecclesia semper adhæserit, quantamq. matrisuiæ, sanctæ videlicet Romanæ Ecclesiæ obedientiam in omnibus exhibuerit, vestra fraternitas optime nouit. Ille autem, qui nunc ecclesiæ Rauennatis Episcopus esse dicitur, quomodo eam olim tam ditissimam, quam etiam religiosissimam tyrannica deprædatione deuastauerit, & irreligiosæ vitæ exemplo corruperit, & vos patiendo, videndoq. sensistis, & nos certo experimento didicimus. Sed quia his malis, alijsq. quampluribus flagitijs irretitus atque pollutus, ne argui possit, atque conuinci, superbiæ fastu elatus contra Apostolorum Principem calcaneum erexit, & in inobedientia, quæ sceleri comparatur idololatriæ, perseuerat: Eum sine spe recuperationis, Spiritus sancti iudicio, Apostolicæ Sedis auctoritate, in sancta Romana Synodo esse depositum, præsentium indicijs indubitanter cognoscite. Quapropter vt nullam ei deinceps, quæ Episcopo debetur, obedientiam exhibeatis, omnibus vobis beati Petri Apostolorum principis auctoritate præcipimus. Si qui vero excommunicationis contagione vulnerati. his salutiferis ausi fuerint repugnare præceptis, eos velut putrida membra a toto corpore Christi (quod est Ecclesia Catholica) anathematis gladio resecamus, atque proijcimus. Vobis autem Deum diligentibus, & beato Petro obedientibus ex auctoritate eiusdem Apostolorum principis omnium peccatorum remissionem largimur. Datum Romæ septimo Kal. Decembris, Indictione secunda] ecce iam bis succisa infelix arbor, primo cum fautor inhæsit schismatico papæ Cadaloo Parmēsi; modo autem, cum simoniacorum & fornicariorum, Archiepiscopus ipse, vitio vtroque turpissimus, schismatis auctor erupit. sed sic præcisa, altiora cultu diaboli extulit ex vbere impietate virgulta, quibus infernalis flamma abundantius nutrienda succresceret. quando autem ista sint facta, suis locis inferius pro temporis ratione dicenda. C D

Inter alia autem negotia idem Gregorius plerosque primarios Galliarum Episcopos, nempe Rhemensem, Bisuntinum, Senonensem, Bituricensem, ac Turonensem ab Apostolicæ Sedis Legato suspensos, Sedē Apostolicam appellantes, ad primarium officium reuocans, vt iterum audirentur, [c] constituit. Ad ipsum autē Rhemensem Archiepiscopum priuilegio agentē, quod non nisi a Romano Pontifice iudicari eius causa debeat, aut ab eo missis Legatis: præter alia de priuilegijs ab eadem Sede concessis, & immutatis, ista digna obseruatione rescripsit: [d] Ad id autē quod de priuilegio dicitis, breuiter interim respondemus, quod possunt quædam in priuilegijs pro re, pro persona, pro tempore, pro loco concedi, quæ iterum pro ijsdem, si necessitas, vel vtilitas maior exegerit, licenter valent commutari. priuilegia siquidem non debent sanctorum Patrum auctoritatem infringere, sed vtilitati sanctæ Ecclesiæ prospicere. Inde est, quod Arelatensis ecclesia non solum a beato Gregorio Doctore dulcifluo, sed etiam a pluribus eius sanctis antecessoribus cum haberet vicem Sedis Apostolicæ, vt omnes Episcopos totius regni Francorum, quod tunc latius extendebatur, ad Concilium conuocaret, eosq. in iudicio constrinxerit (sine cuius licentia nullis ex supradictis Episcopis E

[c] Id. lib. 5. epist. 17. & 22.

[d] Id. lib. 6. ep. 2.

PRIVILEGIA A ROM. PONT. CONCESSA AB EODEM POSSE AVFERRI.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pis longe a suo Episcopatu fas erat abire) post aliqua tempora pro quibusdam causis A
prædicta potestas & auctoritas cessauit, & suam vicem alijs, quibus placuit, Sedes
Apostolica concessit. Rhemensis etiam, cui præsides, ecclesia quodam tempore
primati subiacuit, & ei vt magistro, post Romanum Pontificem obediuit. quod &
de pluribus alijs ecclesijs potestis inuenire, si sanctorum Patrum dicta & Acta procu-
ratis diligenter inuestigare] hactenus ipse.

Porro idem pater sanctissimus ad continendos in Fide Catholica populos extre-
mos orbis borealis, nempe Danos, atque Noruegos, ad eorum Reges litteras dedit,
eosq. præter salutaria monita, quibus eos imbuit, & cohortatus est ad custodiam di-
uinorum mandatorum, inuitauit mittere Romam nobiles iuuenes instituendos sacris
legibus. in epistola enim ad Olauum Norueginæ Regem hæc de his habet:[a]

[a] Greg. lib. 6. ep. 13. ERGA NORVEGOS GREG. PAPAE STVDIVM.

Notum autē vobis esse volumus, quoniam desiderium nostrum est, si quomodo pos- B
semus, ad vos aliquos de fratribus mittere, qui fideles & docti essent, ad erudiendum
vos in omni scientia & doctrina in Christo IESV, vt secundum Euangelicam & Apo-
stolicam doctrinam decenter instructi, in nullo vacillantes essetis, sed radicati atque
fundati super stabile fundamentum, quod est Christus IESVS, abundantius atque
perfectius in virtute Dei cresceretis, & secundum operationem fructum fidei, æterna
retributione dignum redderetis. Quod quia nobis tum propter longinquitatem ter-
rarum, & maxime propter ignotas linguas valde difficile est; rogamus vos (sicut
& Regi Danorum demandauimus) vt de iunioribus, & nobilibus terræ vestræ ad
Apostolicam aulam mittatis, quatenus sub alis Apostolorum Petri & Pauli sacris ac
diuinis legibus diligenter edocti, Apostolicæ Sedis ad vos mandata referre non quasi
ignoti, sed cogniti, & quæ Christianæ religionis ordo postulauerit, apud vos non C
quasi rudes aut ignari, sed lingua, ac scientia, moribusq. prudentes digne Deo præ-
dicare, & efficaciter, ipso adiuuante, excolere valeant] hæc & alia Gregorius ad Re-
gem Norueginæ in fine anni huius, nempe decimooctauo Kal. Ianuarij, Indictione
secunda inchoata.

D

REDEMPTORIS nostri annus sequitur septuagesimusnonus post millesimum,
Indictione secunda, quo Romæ mense Februarij ex more Synodus a Gregorio
Papa habita est, in qua inueteratus dierum malorum senex iam octogenarius hære-
siarcha Berengarius sæpe reuocatus ad pœnitentiam, sæpe relapsus, iterum abiurans
hæresim, iureiurando profitetur Catholicam Fidem, damnans errorem, vt eiusdem
Concilij Acta docent his verbis:[b]

[b] Apud Greg. lib. 7. post ep. 17. SYNODVS ROMANA AGITVR.

Anno ab Incarnatione sempiterni Principis millesimo septuagesimonono, mense
Februarij, Indictione secunda, Pontificatus vero domini Gregorij vniuersalis Pontifi-
cis anno sexto *nondum absoluto*, ad honorem Dei, & ædificationem sanctæ Ecclesiæ,
salutem quoque tam corporum, quam animarum, ex præcepto Sedis Apostolicæ
conuenerunt finitimi, & diuersarum regionum & prouinciarum Archiepiscopi, Epi- E
scopi, religiosique personæ, vt sanctam Synodum celebrarent. Omnibus igitur in ec-
clesia Saluatoris congregatis, habitus est sermo de corpore & sanguine Domini nostri
IESV Christi, multis hæc, nonnullis illa prius sentientibus. Maxima siquidem pars
panem & vinum per sacræ orationis verba, & sacerdotis consecrationem, Spiritu san-
cto inuisibiliter operante, conuerti substantialiter in corpus Dominicum de Virgine
natum, quod & in Cruce pependit, & in sanguinem, qui de eius latere militis effusus est
lancea, asserebat, atque auctoritatibus Orthodoxorum sanctorum Patrum, tam Græ-
corum, quam Latinorum modis omnibus defendebat. Quidam vero cæcitate nimia
& longa perculsi, figuram tantum substantiale illud corpus in dextera Patris sedens
esse, seq; & alios decipientes, quibusdam cauillationibus conabantur astruere. Ve-
rum vbi cœpit res agi, prius etiam quam tertia die ventum fuerit in Synodum, defe-
cit con-

A cit contra veritatem niti pars altera, nempe sancti Spiritus ignis emolumenta pale-
arum consumens, & fulgore suo falsam lucem diuerberando obtenebrans, noctis cali-
ginem vertit in lucem. Denique Berengarius huius erroris magister, post longo tem-
pore dogmatizatam impietatem, errasse se coram Concilio frequenti confessus, ve-
niamq. postulans & orans, ex Apostolica clementia meruit, iurauitq. sicut in conse-
quentibus continetur:

Iusiurandum Berengarij Turonensis presbyteri, *olim diaconi Andegauensis*.

Ego Berengarius corde credo, & ore confiteor, panem & vinum, quæ ponuntur BERENGARII FALSVS PRO CONFESSIO.
in altari, per mysterium sacræ orationis, & verba nostri Redemptoris substantialiter
conuerti in veram & propriam, ac viuificam carnem & sanguinem IESV Christi Do-
mini nostri; & post consecrationem esse verum Christi corpus, quod natum est de
B Virgine, & quod pro salute mundi oblatum in Cruce pependit; & quod sedet ad dex-
teram Patris: & verum sanguinem Christi, qui de latere eius effusus est, non tantum
per signum & virtutem sacramenti, sed in proprietate naturæ, & veritate substantiæ,
sicut in hoc Breui continetur, & ego legi, & vos intelligitis. sic credo, nec contra hanc
fidem vlterius docebo. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.

Tunc Dominus Papa præcepit Berengario ex auctoritate Dei omnipotentis, & san-
ctorum Apostolorum Petri, & Pauli, vt de corpore & sanguine Domini numquam
vlterius cum aliquo disputare, vel aliquem docere præsumeret, excepta causa redu-
cendi ad fidem hanc eos, qui per eius doctrinam ab ea recesserant] hactenus de Be-
rengario in Synodo.

Extra Synodum vero foris existens schola Pharisæorum, conuentus malignan-
C tium, schismatici Cardinales (iuxta illud Euangelicum: Qui non colligit mecum di- [a] Luc. 11.
spergit) monstruosas calumnias in Gregorium commenti sunt: adeo vt sui magnitu-
dine, & deformitate nec aduersarijs ipsis fuerint persuasæ. audi eorum antesignanum
Bennonem ista scriptis proclamantem, & delirantem: Idem præsumptor, *Gregorius* SCHISMATICI HORRENDA FINGVNT MENDACIA IN GREG. PAPAM.
Papa scilicet, ieiunium indixit Cardinalibus, vt Deus offenderet, quis rectius sentiret
de corpore Domini, Romanane Ecclesia, an Berengarius. Per hoc manifeste proba-
tus Infidelis, cum in Nicæno Concilio scriptum sit: Quia dubius in Fide Infidelis est.
Et de corpore Domini signum quæsiuit, quod petente beato Gregorio ad firmandam
mulieris fidem contigit, quando panis Christi formam accepit digiti. Et misit duos
Cardinales, Ottonem, & Cunonem ad sanctam Anastasiam, vt cum Suppone eiusdem
ecclesiæ Archipresbytero triduanum ieiunium peragerent, & illis tribus diebus
D singuli per dies singulos Psalterium, & Missas decantarent, vt supradictum signum
eis Christus ostenderet, quod minime contigit] & paulo inferius: Ioannes Portuen-
sis Episcopus, qui intimus fuerat, & a secretis Hildebrandi, ascendit in ambonem
beati Petri, & inter multa, audiente Clero, & populo, ait: Tale quid fecit Hildebran-
dus, & nos, vnde deberemus vitii incendi, significans de Sacramento corporis Domi-
ni, quod Hildebrandus, responsa diuina quærens contra Imperatorem, fertur iniecisse
igni, contradicentibus Cardinalibus, qui assistebant ei] hæc Benno schismaticus, ist hæc
& alia plura id genus excogitans, scriptisq. mandans, quo existimari potuisset iuste
depositus Gregorius iam Pontifex tot annorum. In Moguntino [b] conciliabulo, contra [b] Vrstergen. in Chron. an. 1080
eumdem Gregorium celebrato (de quo dicendum inferius) in quo ipse Gregorius im-
pie depositus ab impijs fuit, damnatus asseritur, quod esse falsæ diceretur antiquus
E discipulus Berengarij. Quid si ipsa Acta Concilij non extarent superius recitata, qui- MONSTRVOSA MENDACIA CONFVTANTVR.
bus Berengarij error damnatur, & Berengarius ipse eumdem damnare compellitur?
Quid insuper impius præmissa ieiunia ante Concilium damnat, cum id moris antiqui
fuerit, & ritus ecclesiastici, vt Concilia præcedente ieiunio inchoentur? & quam pro-
ficue? cum in eo veternosus serpens Berengarius, spectantibus & audientibus omnibus,
virus euomuerit hæreticæ prauitatis, confessusq. est Catholicam Fidem. Quam repu-
gnant ista, vt asseratur Gregorius particeps Berengarij, & per eum ipse Berengarius
inductus sit ad Catholicam Fidem? sed & quam certus assertor semper fuerit, in nul-
lo hæsitans, veritatis, & certitudinis corporis & sanguinis Christi, legat Lector eius
epistolam, [c] scriptam primo anno sui Pontificatus ad Mathildem, qua hortatur eam [c] Greg. lib. 1. ep. 47.
Sacramento sacratissimæ Eucharistiæ vti frequenter. Nos dignas Deo vindici verita-
tis gra-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tis gratias agimus, qui post naufragia, quibus quamplurimæ Gregorij epistolæ perijsse noscuntur, eam integram voluerit conseruari in testimonium integerrimæ eiusdem Gregorij de veritate corporis & sanguinis Christi in Eucharistiæ Sacramento confessionis: qua vel vna obstruatur os calumniantium schismaticorum. Qui igitur tam magnifice, tanta cum laude de Sacramento Eucharistiæ sensit ac scripsit, quam dispar est, vt fingi possit eodem ad vetitam diuinationem abusus, nec clandestino scelere, sed palam coram omnibus Cardinalibus? sunt hæc simillima reliquis superius enarratis ab eodem auctore confictis portentis. Quousque autem adhuc Berengarius vixerit, quotove Redemptoris anno diem obierit, suo loco dicturi sumus.

S. BRVNO SIGNIAE EPISCOPVS.

In hoc Concilio disputasse aduersus Berengarium sanctum Brunonem, qui paulo post Signiæ fuit creatus Episcopus, eius vitæ Acta testantur. Claruit iste doctrina & sanctitate hoc sæculo, natus in Longobardia in villa Soleria, patre Andrea & matre Vuilla, educatus in monasterio sancti Perpetui Astensis Episcopatus, inde Senis inter canonicos cooptatus, atque Romam veniens a Petro cognomento Igneo Episcopo Albanensi susceptus hospitio, hoc anno aduersus Berengarium disputauit, & Signinæ est præfectus, licet inuitus, ecclesiæ, cogentibus eum ostensis diuinitus visionibus, quæ narrantur in vita ipsius, & Petrus diaconus ex parte refert in appendice ad Leonem, qui tamen dum ait, sub Paschali Papa creatum Episcopum, redarguitur ab auctore vitæ ipsius, eiusdem sæculi scriptore, qui ait, eum a Gregorio Septimo creatum Episcopum, sedisseq. annos quadragintaquatuor vsque ad annum quintum Pontificatus Callisti Papæ Secundi. sed de ipso sæpe dicendum inferius. Iam redeamus ad Acta Concilij, quæ sic pergunt:

a Chron. Casf. lib. 4. c. 33.

LEGATI REGVM SYNODO INTERFVERE.

His itaque pie & feliciter actis, inter multas proclamationes conquesti sunt Legati Regis Rudolphi super Henrico, quod nulli loco, nulliq. personæ parcens, * religionem Transalpinam contereret & conculcaret, neminem debitus honor, vel reuerentia, vel dignitas tueretur, & ceu vilia mancipia non modo sacerdotes, sed etiam Episcopi Archiepiscopiq. caperentur, vinculisq. manciparentur, partimq. trucidarentur. Decreuerunt ergo quamplures Concilij, in illius tyrannidem gladium Apostolicum debere euaginari: sed distulit Apostolica mansuetudo. Iurauerunt igitur Legati Henrici Regis illud, quod in sequentibus scriptum reperitur:

* al. regionem

Sacramentum Nuntiorum Henrici Regis.

IVRAMENTVM LEGATORVM HENRICI REGIS.

Legati domini mei Regis ad vos venient infra terminum Ascensionis Domini, exceptis legitimis * sonijs, id est morte, vel graui infirmitate, vel captione, absque dolo, qui Legatos Romanæ Sedis secure ducent, & reducent. Et dominus Rex obediens erit illis in omnibus, secundum iustitiam & iudicium illorum. Et hæc omnia obseruabit absque dolo, nisi quantum ex iussione vestra remanserit. & hæc iuro ex præcepto domini mei Regis Henrici.

*

Item iusiurandum Nuntiorum Rudolphi Regis, itidemq. Rudolphi quod sequitur.

IVRAMENTVM LEGATORVM RVDOLPHI REGIS.

Si colloquium ex vestro præcepto constitutum fuerit in partibus Teutonicis, loco & tempore a vobis definito ante præsentiam vestram, vel Legatorum vestrorum, dominus noster Rex Rudolphus vel ipse veniet, vel Episcopos, & fideles suos mittet, paratusq. erit iudicium, quod sancta Romana Ecclesia decreuerit de causa regni, subire, nulloq. malo ingenio conuentum a vobis, siue Legatis vestris constitutum impediet. Et postquam certum inde vestrum Nuntium videbit de pace in regno constituenda & confirmanda, studebit vt legatio vestra prouenire ad pacem regni & concordiã possit. Hæc omnia obseruabuntur, nisi quantum ex vestra certa licẽtia remanserit, vel ex impedimento legitimo, scilicet morte, vel graui infirmitate, vel captione, sine dolo] hucusque Acta Synodi in his, quæ spectant ad legationes Regum ad Synodum missas.

Sed quomodo ista se habuerint, & quæ hæc sequuta sint, ipse Gregorius narrat in decreto excommunicationis, promulgato anno sequenti, suo loco inferius recitando, quo innotescit, duos Legatos a Rege Henrico hoc anno Romam ad Synodum venisse, & quæ dicta sunt, promisisse, hosq. fuisse duos Episcopos, nempe Virdunensem & * Olemburgensem: ipsum vero Henricum Regem hoc anno contra iusiurandum impedisse, ne colloquium indictum aliquo modo fieri posset. toleraſſe tamen ista ipsum Gregorium, expectasseq. vsque in annum sequentem, si forte Rex perperam factum aliquo

* f. Ofenbruggensem

HENRICVS REX PERIVRVS CONTEMNIT PONTIFICEM.

A aliquo pacto corrigere vellet, sed frustra. Rebus enim bellicis eidem prospere succedentibus, contemnere prorsus cœpit Henricus Gregorium Papam, quem hactenus sese colere & frequentare obsequijs simulauit, timens sibi, regnoq. suo. Hoc namque anno (vt Albertus ait) iterum collatis signis dimicatum est inter Henricum atque Rudolphum iuxta Fladesheim, vbi in primo congressu Saxones terga verterunt.

In hac eadem Synodo Petro Igneo, de quo superius dictum est creatum fuisse Episcopum Albanensem, iniunctam legationem in Germaniam, eiq. adiunctum Vdalricum Episcopum Patauinum, tradit Bertholdus in Chronico hoc anno.

Post hæc autem quæ in Synodo gesta sint, Acta sic narrant: Iurauit item eodem tempore Archiepiscopus Aquileiensis, *nuper electus & confirmatus*, Henricus secundum hæc verba:

B Ab hac hora & in antea fidelis ero beato Petro & Papæ Gregorio suisq. successoribus, qui per meliores Cardinales intrauerint. Non ero in consilio, neque in facto, vt vitam, aut membra, aut Papatum perdant, aut capti sint mala captione. Ad Synodum, ad quam me vocabunt vel per se, vel per suos Nuntios, vel per suas litteras, veniam & canonice obediam; aut si non potero, Legatos meos mittam. Papatum Romanum, & Regalia sancti Petri adiutor ero ad retinendum & defendendum, saluo meo ordine. Consilium autem quod mihi crediderint per se, aut per Nuntios suos, siue per litteras, nulli pandam me sciente, ad eorum damnum. Legatum Romanum eundo & redeundo honorifice tractabo, & in necessitatibus suis adiuuabo. His, quos nominatim excommunicauerint, scienter non communicabo. Romanam Ecclesiam per sæcularem militiam fideliter adiuuabo, cum inuitatus fuero. Hæc omnia obser-
C uabo, nisi quantum sua certa licentia remanserit] ex his eximiam sibi laudem comparauit Archiepiscopus Aquileiensis, quod eo tempore, quo reliqui defecerunt ab Ecclesiæ Apostolicæ obedientia, ipse iuramento arctius se coniunxit. pergunt reliqua Actorum.

IVRAMENTVM PATRIARCHAE AQVILEIENSIS.

Excommunicati sunt in eadẽ Synodo sine spe recuperationis Archiepiscopus Narbonensis, Thedaldus dictus Archiepiscopus Mediolanensis, Sigefridus dictus Episcopus Bononiensis, Rolandus Taruisiensis: item Episcopi Firmanus, & Camerinus, hiq. omnes cum sequacibus suis tam clericis, quam etiam laicis] ad postremum sic emissum iuramentum Episcopi Regiensis, Acta continent:

Ego Gandulphus Regiensem Episcopatum contra interdictum vestrum, aut vestri Legati, octo diebus non renebo, neque aliquo inueniam studio, quo vestræ legatio-
D ni resistatur. sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia] hucusque ibi de rebus in Synodo gestis. Porro alia quoque diuersorum Episcoporum in eadem Synodo agitata esse, docet epistola eiusdem Gregorij, ibi tum de his data. Absoluta autem Synodo, Gregorius Legatos misit in Germaniam ad componendas discordias inter Reges. testatur id ipse Gregorius in epistola ad Mathildem hoc anno datam quinto Nonas Martij, verbis istis: [a] Legatus Regis in præsentia vniuersalis Synodi iurauit ex præcepto domini sui, eum nostris mandatis per omnia obtemperaturum. Ea quoque de causa & spe nos iam misisse Legatos nostros, credo tuam scientiam non latere.]

a Greg. lib. 6. ep. 22.

Eodem tempore Massilienses monachos virum sanctissimum Abbatem suum Bernardum, inde ab eodem Gregorio Papa abstractum, & ad legationum functionem
E adhibitum (quem & fungentem legatione in Germania, ab Henrici Regis hominibus captum [b] vidimus) requirentes, idem Gregorius his litteris consolatur: [c]

b Id. lib. 5. ep. 7.
c Id. lib. 6. ep. 15.

Gregorius Episcopus seruus seruorũ Dei charissimis Fratribus in monasterio Massilienſi commorantibus salutem & Apostolicam benedictionem.

DE ABSENTIA BERNARDI ABBATIS MASSIL. CONSOLATVR MONACHOS.

Contristaui vos, immo beatus Petrus commouit, turbauit, & ipse sanabit. Filius namque illius Abbas vester venit ad nos, & pro eius amore factus est obediens vsque ad corporis captionem, & quia paratus fuit, si oporteret, mori, & ex hoc habebit retributionem. Sed sicut scitis, fratres mei, rari sunt boni, qui etiam Deo in pace seruiant; sed rarissimi, qui pro illius amore persecutiones non timeant; vel qui se contra inimicos Dei indubitanter opponant. Proinde Christiana religio (heu proh dolor) pene deperijt, & impiorum superbia nimis accreuit. Prædictus autem pater * noster reuera Apostolorum Principem diligens, in eius acie nobis adhæsit, & adiutorium

* f. vester

Universidad de Deusto
Biblioteca

Christo gubernante, nobis impendit, non surda aure intendens, quod dicit Apostolus: [a] Si fuerimus socij passionum, erimus & consolationum] hæc quæso considerent, qui Gregorij Papæ Acta reprehensione digna putarunt: quotquot enim habuit præsens tempus viros sanctitate atque doctrina celebres, hos cunctos liquet adhæsisse Gregorio, qui omnes, quæ ab illo gesta sunt, verbis, scriptisque, atque laboribus subeundis defendere conati sunt: vt S. Hugo Abbas Cluniacensis, sanctus Anselmus Episcopus Lucensis, Bernardus iste laudatissimus Abbas Massiliensis, Desiderius Abbas Casinensis, sanctus Alphanus Archiepiscopus Salernitanus, Lanfrancus Cantuariensis, & alij omnes, quos constat auersatos esse Henricum Regem, non secus ac Eliam prophetam Achabum Regem. quæ sola, si (vt par est) digne pensentur, plus satis ad Gregorij defensionem esse inuenientur. pergit vero Gregorius:

Sed quia charitas (licet ratio vos consoletur) ad dolorem vos impellit, eo quod tantum patrem tamq. vobis dulcem quasi longo tempore amiseritis: rogamus vos ex parte omnipotentis Dei, & amore beati Petri, patienter suppostate nos, quia cito Deo adiuuante, eum vobis lætum remittemus. Et ex hoc auctoritate beati Petri Apostolorum principis, nobis valde indignis commissa, indulgentiam omnium peccatorum vestrorum promittimus, & absolutionem cum benedictione concedimus &c.] spiritualem eorum protectionem, sicut & Cluniacensium pollicetur. Data est epistola hoc anno, quarto Nonas Ianuarij. Porro eumdem Abbatem Bernardum virtutibus absolutum ex Germania in Hispaniam Legatum ab eodem Gregorio Papa missum esse, sequens docet [b] epistola, scripta ad Episcopum Gerundensem, & ad Centullum Comitem. Contigit autem hoc eodem anno eumdem Bernardum ex hac vita decedere: in cuius locum idem Gregorius subrogauit fratrem ipsius Richardum Cardinalem in Abbatem Massiliensem, quem etiam & Legatum in Hispanias misit, vt eiusdem Gregorij Papæ litteræ hoc anno, mense Nouembri datæ significant.

Inter alia autē negotia quæ tunc in Hispania agenda erant, Gregorium maxime angebat discordia, quæ orta erat inter filios Raymundi Berengarij post obitum patris: erat iste Comes Barchinonensis, præstans viribus atque consilijs aduersus Sarracenos, quos discordia filiorum reualescere, & vires sumere Gregorius pertimescebat. Quamobrem vt eos simul conciliaret, ista scribit ad [d] Gerundēsem Episcopum, itidem Berengarium nominatum: In primis negotium tibi, de quo multum curamus, iniungimus. Comperimus enim, quod inter filios Raymundi Berengarij per vanitatem & superbiam, & maxime per consilium impiorum, nimirum ex inuidia diaboli, discordia oritur. & ego inde nimis contristor, tum pro amore patris eorum, qui me satis, ex quo cognouit, dilexit: tum etiam, quia super Christianam gentem, quæ in partibus illis magno impiorum Sarracenorum odio laborare dignoscitur, graue sentio periculum imminere. Vnde præcipimus tibi, vt adiunctis tecum religiosis vicinis tuis, Abbatibus scilicet, Tumeriēse, Ripollense & S. Cucufati, & quoscumque alios Deū timentes clericos, laicosq. poteris inuenire, pacem inter illos reformare & componere studeas. Quod si acquiescere monitis vestris fortasse noluerint, ostensis eis præsentibus litteris, ad tenendam eos treugam firmissimam vsque ad determinatum tempus, ex auctoritate nostra constringite; infra quod nos tales illuc ex latere nostro Nuntios dirigamus, qui causam litis eorum ita iuste definiant, vt non se ad gratiam alicuius nec præmio, nec fauore deflectant.

Porro hoc illis debes firmiter inculcare, quia si nobis inobedientes extiterint, & in fraterno odio remanere, diabolo instigante maluerint; illi quidem, ex cuius culpa, vel superbia pax ista remanserit, gratiam sancti Petri auferimus, eumq. sicut membrum diaboli, & desolatorem Christianæ religionis cum omnibus fautoribus suis festinabimus a communione Christianæ societatis abscindere: ita vt nullam deinceps victoriam in bello, nullam prosperitatem habere possit in sæculo. Alteri vero, qui humiliter paci consenserit, debitamq. obedientiam Apostolicæ Sedi exhibuerit, statuemus ex gratia sancti Petri inexpugnabile Apostolici fauoris auxilium, eumq. (sicut filium sanctæ Romanæ Ecclesiæ condecet) ad obtinendam hereditatem, dignitatemq. paternam modis omnibus procurabimus adiuuare, & omnibus Christianis in partibus illis, vt ei faueant, eumq. ad obtinēdum principatum adiuuent, Apostolica auctoritate præcipiemus &c.] hæc & alia Gregorius hoc anno quarto Nonas Ianuarij in Hispa-

[a] 2. Cor. 1.

VIRI SANCTISSIMI GREG. INHAESERVNT.

[b] Greg. lib. 16. ep. 6. & 20.

[c] Id. lib. 7. epist. 7. & 8.

[d] Id. lib. 6. ep. 16 GREG. INTER FILIOS RAYMVNDI BERENGARII PACEM PROCVRAT.

A Hispaniam scripsit. Ex quibus redarguas eos, qui Raymundi Berengarij tempora longe post hæc posuerunt, & eos, qui Raymundum Berengarium vnum Principem diuiserunt in duos. quæ autem post hæc secuta sint, si scire cupis, eos, qui prosecuti sunt res Hispaniarum, consulas: ista nobis satis ad institutum, cum nec, quæ illi habent, sint adeo comperta.

Qua etiam die Gregorius [a] scribens ad Hugonem Cluniacensem Abbatem, expostulat, quod calamitoso isto tempore Ducem quemdam valde probum, fide integrū, multis proficuum recepisset inter monachos Cluniacenses, quem ad plurimorum salutem præstabat in sæculo commorari. cui inter alia: Tulisti & recepisti Ducem in Cluniacensem quietem, & fecisti vt centum millia Christianorum careant custode] quisnam iste Dux fuerit, non exprimitur. Magni quidem nominis fuisse virum, ex

B eiusdem Pontificis querela implacabili ijsdem insinuata litteris, possumus intelligere. nam in fine: Confido, inquit, de misericordia Dei, quod charitas Christi, quæ in te solet habitare, me vindicando, cor tuum transfodiet, & quantus mihi dolor esse debeat de bono Principe ablato matri suæ, *Romanæ Ecclesiæ scilicet*, ostendet] Hæc ipse, cum pluribus questus esset, quam difficile illis tēporibus fuerit bonum reperire Principem, ceterum plurimos non deesse ex omni hominum genere monachos, qui in cœnobijs Deo seruiant. Præter alia complura negotia diuersarum ecclesiarum, quæ Gregorius litteris est prosecutus, quæ prætermittimus, ne in his diutius te detineamus fastidientem, litteras, quas ad recens creatum Hungariæ Regem Ladislaum Principem maxime pium Gregorius dedit, hic describemus; quæ sic se habent: [b]

[a] Greg. lib. 6. ep. 17. DVCEM OPTIMVM FACTVM MONACHVM DOLVIT GREGORIVS.

[b] Id. lib. 6. ep. 29.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei Ladislao Hungarorum Regi salutem &

C Apostolicam benedictionem.

Sicut fidelium tuorum crebra relatione cognouimus, idemq. ipsum nostris attestantibus ratum habemus, excellentia tua ad seruiendum beato Petro, quemadmodum religiosa potestas debet, & ad obediendum nobis, vt liberalem filium decet, toto affectu, & cordis intentione parata est. Vnde nimirum deuotionem mentis tuæ super hoc studio non indigne laudamus, eiq. sincere congratulamur, quod quidē optimorum Regum sequēdo vestigia, illustrat seruando tam in moribus normam iustitiæ, quam etiam lineam nobilitatis in sanguine. Igitur, quia de celsitudinis tuæ liberalitate & obedientia satis confidimus, ad quiddam nostræ vniuersali sollicitudini congruēs, quod honori quoque tuo non parum concordat, inuitare te non dubitamus; quatenus in eo & illa, quæ de te verbis solis credita sunt esse vera, facti indicio pateant, &

D nobis sit aperta firmior causa, qua te præ ceteris regiæ dignitatis amplius, specialiusq. diligere merito debeamus &c.] commendat Comites exules iniuste pulsos, vt eos restituere debeat, monitaq. saluberrima ad regimen regni totius impertit, & de Legatis mittendis agit, Deiq. atque Dei Genitricis, atque sanctorum Apostolorum opem ad regnum bene disponendum precatus, finem imponit epistolæ, datæ duodecimo Kal. Aprilis, Indictione secunda.

AD NOVVM REGEM HVNGARIAE GREG.

Post dies quatuor litteras ad Lanfrancum Cantuariensem Episcopum, amicum charissimum dat, [c] quibus cum commoneat eum Regem corrigere in quibus opus sit, vt autem ipse Romam se conferat præcipit. sequenti vero mense ad Gebuinum Lugdunensem Episcopum [d] scribens, confirmat eidem priuilegium super quatuor prouincias, nempe Lugdunensem, Rothomagensem, Turonensem & Senonensem,

E quibus præsit Archiepiscopus Lugdunensis; deq. his scribit ad earumdem prouinciarum Episcopos.

[c] Id. ibid. ep. 30.

[d] Id. ibid. ep. 34

QVID IMPIE AVDET REX ANGLORVM.

Accidit his temporibus, quod Gregorij ipsius animum haud mediocriter perturbauit, nimirum quod Vuillelmus Rex Angliæ Episcopos omnes prohibuerit, ne se conferrent ad Limina Apostolorum. Gregorius autem per Hubertum subdiaconum Legatum Apostolicæ Sedis eum admonendum curauit: cui etiam in mandatis dedit, vt ex vnoquoque Archiepiscopatu duos Episcopos Romam ad Synodum venire iubeat. sic enim de his ad Hubertum sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconum scribit, mense Septembris hoc anno, tertia iam inchoata Indictione: [e] Multa sunt, vnde sancta Romana Ecclesia aduersus eum queri potest: nemo enim omnium Regum etiam paganorum contra Apostolicam Sedem hoc præsumpsit tentare, quod is non erubuit facere, scilicet vt Episcopos & Archiepiscopos ab Apostolorum Liminibus

[e] Id. lib. 7. ep. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vllus tam irreuerentis & impudentis animi prohiberet. Vnde volumus, vt eum noſtra vice prudentia tua ſtudeat admonere, quatenus honorem, quē ſibi a ſubditis ſuis graiter ferret non exhiberi, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ non tantopere laboret imminuere, & debitas gratias agendo, gratiam beati Petri procuret acquirere. Nos enim amicitiæ noſtræ priſtinæ circa eum memores, & Apoſtolicam manſuetudinem, quantum, Deo auctore poſſumus, imitates, hucuſque illius culpæ pepercimus. Qui ſi his & ſimilibus, quæ tibi nota ſunt, modum non impoſuerit, omnino ſciat ſe iram beati Petri in ſe graiter prouocaturum] & inferius: Præterea monemus te, vt ex parte beati Petri præcipias, & inuites tam Anglicos, quam Northmannicos ex vnoquoque Archiepiſcopatu vel duos Epiſcopos ad Romanam Synodum, quam in Quadrageſima, Deo auctore, ſumus celebraturi, venire. Qui ſi forte murmurauerint, & ad eum terminum ſe dixerint intereſſe non poſſe; vel poſt Paſcha ſtudeant Apoſtolicæ Sedi ſe præſentare] acquieuiſſe Regem Pontifici, immo & vna cum redeunte Huberto ſuos Legatos Romam miſiſſe ad ſatisfaciendum ipſi, [a] litteræ eiuſdem Gregorij ad ipſum redditæ anno ſequenti ſatis docent. Sed & præ ceteris Principibus Chriſtianæ religionis tempore illo turbulentiſſimo, cum Henricus ab Eccleſia Romana ſchiſmate ſe diuiſit, eumdem Angliæ Regem perſtitiſſe in obedientia Apoſtolicæ Sedis, eiuſdem Gregorij Papæ litteræ ad ipſum datæ ſignificant.

GVILLELMVS REX ANGLIAE CORREPTVS EMENDATVR. [a] Greg. lib. 7. ep. 25.

Redeunti autem Huberto Legato Lanfrancus Cantuarienſis Archiepiſcopus, litteris [b] Gregorij actioribus interpellatus vt Romam ſe conferret, has litteras reddidit:

[b] Id. lib. 6. ep. 30.

Reuerendo ſanctæ vniuerſalis Eccleſiæ ſummo Paſtori Gregorio peccator & indignus Antiſtes Lanfrancus ſeruitium cum debita ſubiectione.

Litteras excellentiæ veſtræ per Hubertum, ſacri veſtri palatij ſubdiaconum porrectas, qua decuit humilitate ſuſcepi. in quarum fere omni contextu paterna me dulcedine reprehendere ſtuduiſtis, quod in Epiſcopali honore poſitus ſanctam Romanam Eccleſiam, vosq. ob eius reuerentiam minus diligam, quam ante honoris ipſius ſuſceptionem diligere quondam ſolebam: præſertim cum Apoſtolicæ Sedis auctoritate ad ipſius apicem honoris me peruenisſe non dubitem, nec quemquam dubitare exiſtimem. Et quidem, venerande pater, verbis tuis calumniam ingerere nec volo, nec debeo. Ego tamen, teſte conſcientia mea, in memetipſo intelligere non poſſum, quid vel corporalis abſentia, vel locorum tanta intercapedo, aut ipſa qualiſcumque honorum ſublimitas in hac parte vendicare ſibi quidquam præualeat, quin mens mea præceptis veſtris in omnibus, & per omnia ſecundum canonum præcepta ſubiaceat. Et ſi præſtante Deo, præſens præſenti loqui quandoque valerem, me amando creuiſſe; vos vero, quod pace veſtra dictum ſit, a priſtino amore nonnulla ex parte defeciſſe, non tam verbis, quam rebus ipſis oſtenderem. Verba legationis veſtræ, cum præfato Legato veſtro, prout melius potui, domino meo Regi ſuggeſſi, ſuaſi, ſed non perſuaſi. Cur autem voluntati veſtræ omnifariam non aſſenſerit, ipſemet vobis tam verbis quam litteris innoreſcet] hæc tunc Lanfrancus. per Hubertum Legatum Romam redeuntem, cui & ipſe Rex Anglorum Vuillelmus litteras dedit, quas reperimus inter eiuſdem Lanfranci litteras. ſic enim ſe habent:

LANFRANCVS AD GREGORIVM.

Excellentiſſimo ſanctæ Eccleſiæ Paſtori Gregorio, gratia Dei Anglorum Rex & Dux Northmannorum Vuillelmus ſalutem cum amicitia.

REX ANGL. AD GREG. PAPAM.

Hubertus Legatus tuus, religioſe pater, ad me veniens ex tua parte me admonuit, quatenus tibi & ſucceſſoribus tuis fidelitatem facerē, & de pecunia, quam anteceſſores mei ad Romanam Eccleſiam mittere ſolebant, melius cogitarem. Vnum admiſi, alterum non admiſi. fidelitatem facere nolui, nec volo: quia nec ego promiſi, nec anteceſſores meos anteceſſoribus tuis id feciſſe comperio. Pecunia tribus fere annis, in Gallijs me agente, negligenter collecta eſt. Nunc vero diuina miſericordia me in regnum meum reuerſo, quod collectum eſt per præfatum mittitur; & quod reliquum eſt, per Legatos Lanfranci Archiepiſcopi fidelis noſtri, cum opportunum fuerit, tranſmittetur. Orate pro nobis, & pro ſtatu regni noſtri; quia anteceſſores veſtros dileximus, & vos præ omnibus ſincere diligere, & obedienter audire deſideramus] Ita Vuillelmus Rex ad Gregorium Papam, exigentem ab eo (vt audiſti) iuramentum fidelitatis. At quod id Rex facere renuiſſet: ægro animo idem Pontifex tulit, vt patet ex lit-

ex litteris ad eumdem Hubertum ſubdiaconum Legatum datis, in quibus iſta de his habentur: Pecunias ſine honore tributas quanti pretij habeam: tu ipſe potuiſti dudum perpendere] [a] Greg. lib. 9. ep. 1.

QVAE NOVA IN GREG. EST CONFLATA CALVMNIA.

Inter hæc autem cum res Henrici Germanorum Regis proſperioribus ſucceſſibus augerentur, neſcio quid per Legatos Apoſtolicæ Sedis actum eſt in gratiam eiuſdem Regis, quo ſparſa eſt aduerſus Gregorium Papam calumnia, quod Henrico ipſe Regi faueret. Perdifficile namque eſt eum, qui mediatorem inter contrarias partes agit, vt pace eas conciliet, penes alterutram, interdum apud vtramque ſuſpicione non laborare priuati ſtudij, & affectionis. quod de ſe dici, non ſine moleſtia percipiens, vt ea ſe ſuſpicione liberaret, has, ad quotquot in Germania ſancti Petri fideles eſſent, litteras dedit; quibus, quam ſemper fuerit animo in rebus componendis libero, nullisq. priuati affectus compedibus alligato ſignificat, ita ſcribens hoc anno, exordio menſis Octobris: [b] [b] Id. lib. 7. ep. 36

Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei omnibus fidelibus ſancti Petri in Teutonico regno commorantibus ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Peruenit ad nos, quod quidam ex vobis de me dubitant, tamquam in inſtanti modo, neceſſitate vſus ſim ſæculari leuitate. Qua certe in cauſa nullus veſtrum, præter inſtantiam præliorum, maiores me & patitur anguſtias, & ſuffert iniurias. Quotquot enim Latini ſunt, omnes cauſam Henrici, præter admodum paucos, laudant, ac defendunt, & pernimiæ duritiæ, ac impietatis circa eum me redarguunt. Quibus, Dei gratia, omnibus ſic reſtitimus hactenus, vt in neutram adhuc partem, niſi ſecundum iuſtitiam & æquitatem, ſecundum noſtrum intellectum, declinaremus. Nam ſi Legati noſtri aliquid, contra quod illis impoſuimus, egerunt, dolemus, quod ipſi tamen, ſicut comperimus, tum violenter coacti, tum dolo decepti fecerunt. Nos vero iniunximus eis, vt locum ac terminum communiter ſtatuerēt opportunum, ad quem ſapientes noſtros & idoneos Legatos propter diſcutiendam cauſam veſtram dirigeremus, atque vt in ſedes ſuas Epiſcopos reſtituerent, & abſtinere ab excommunicatis docerent. Sed quod contra hæc decepti, vel coacti fecerunt, non laudo. Sciatis indubitanter, quoniam, Deo gubernante, nemo hominum, ſiue amore, ſiue liuore, aut per aliquam cupiditatem potuit me vmquam, aut poterit amodo ſeducere a recta ſemita iuſtitiæ. Vos itaque, ſi reuera, & in charitate non ficta fideles Dei, atque ſancti Petri eſtis, nolite in tribulationibus deficere, verum vt boni æmulatores, in incœpta fidelitate immobiles perdurate: quoniam qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. In præſentiarum modo nihil vobis de prædicto negotio mandare poſſumus, quia Nuntij noſtri nondum ſunt reuerſi. quibus itaque venientibus, ſecundum quod ab ipſis intellexerimus, vobis quantocyus poſſumus, veraciter indicabimus. Dat. Romæ Kal. Octobris Indict. tertia] ita Gregorius ad Germanos fideles ſancti Petri. Porro Henricus, ſiue violentia, ſiue dolo nihil penitus prætermiſit, vt celebrandum in Germania Concilium impediret. cuius rei cauſa ſequenti anno ab eodem Gregorio Papa excommunicandus fuit, vt, quæ ſuo loco dicentur, oſtendent.

Accidit autem inter hæc, vt Dalmatiæ Princeps, quem Gregorius auctoritate Apoſtolica Regem conſtituerat Demetrius ab aduerſarijs impugnaretur, cuius cauſa idem Pontifex ad Vuezelinum eorum ducem iſta comminando conſcripſit: [c] [c] Id. ep. 4.

DALMATIAE REGNI INVASORES COERCET GREG.

Scias nos de prudentia tua multum mirari, vt qui te eſſe dudum beato Petro, & nobis fidelem promiſeris: contra eum, quem in Dalmatia Regem auctoritas Apoſtolica conſtituit, tu modo coneris inſurgere. Quapropter nobilitatem tuam monemus, & ex parte beati Petri præcipimus, vt aduerſus iam dictum Regem deinceps arma capere non præſumas; ſciens quod quidquid in illum auſus fueris, procul dubio te in Apoſtolicam Sedem facturum. Si aduerſus ipſum aliquid te forte dicis habere, a nobis iudicium debes expetere, & expectare iuſtitiam potius, quam contra eum ad iniuriam Sedis Apoſtolicæ manus tuas armare. Quod ſi te tuæ temeritatis non pœnituerit, ſed contra mandatum noſtrum contumaciter ire tentaueris: ſcias indubitanter, quia gladium beati Petri in audaciam tuam euaginabimus, & eodem pertinaciam tuam, & omnium, qui tibi in ea re fauerint, niſi reſipiſcas, mulctabimus. Si vero obediens (ſicut Chriſtianum decet) prudenter extiteris, gratiam beati Petri, & Apoſtolicæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſtolicæ Sedis benedictionem, ſicut obtemperans filius, conſequeris. Dat. Romæ A
quarto Nonas Octobr. Indictione tertia]

a Saxo Gram. lib. Dan lib. xi
KANVTVS REX DANIAE LEGATIONEM AD GREGOR. MITTIT.
b Greg. lib. 7. ep. 5.

Eodem anno (vt habet a Saxo Grammaticus) Haraldus Rex Daniæ, vbi duobus regnaſſet annis, ex hac vita deceſſit: in cuius locum germanus eius, Kanutus dictus, eſt ſubrogatus. qui ſtatim ad Gregorium Romanum Pontificem, quem cognouit patrem, legationem miſit: qua quidem in primis ſignificat, ſe profiteri filium eſſe ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, eidemq. obedientem, a qua & cuperet inſtitui, & erudiri. ad quem Gregorius b litteras reddidit, paternæ charitatis affectu plenas. Extant ipſæ quidem, ſed in ipſarum inſcriptione, librarij puto vitio, nomen ipſum Regis, ad quem datæ ſcribuntur, legitur mendoſe Acono, pro Kanuto. manifeſtus deprehenditur error, cum nullus eius nominis Rex Daniæ fuiſſe reperiatur, & certum ſit poſt Haraldum regnaſſe Kanutum. epiſtola autem ſic ſe habet:

* Kanuto

AD REG. DANIAE GREG. DAT LITT.

Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei *Acono Regi Danorum ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Sincero charitatis affectu dilectioni tuæ congratulamur, quia licet in vltimis terrarum finibus poſitus, ea tamen, quæ ad Chriſtianæ religionis cultum pertinere noſcuntur, vigilanter ſtudes inquirere, & quod ſanctam Romanam Eccleſiam matrem tuam & vniuerſorum recognoſcens, ipſius documenta tibi exoptas & expoſcis. Volumus etiam, atque monemus, in his ſtudijs, & deſiderijs deuotio tua perſiſtens, & quantum pietas diuina præſtiterit, creſcens, nullatenus a recto propoſito deficiat, ſed ad meliora quotidie, ſicut prudentem virum & regiam decet conſtantiam, roboretur. Animaduertere ſiquidem debet excellentia tua, quod quanto pluribus supereminet, & dominatur; tanto magis ſibi ſubditos poteſt exemplo ſuo aut ad deterius C
(quod abſit) inflectere, aut ad ſanum conſilium ignauos etiam prouocare. Intueri quippe prudentiam tuam neceſſe eſt, temporalis vitæ gaudia quam caduca ſint, quam fugitiua, quæ etſi vita diu crederetur manſura, tamen ſæpe multis aduerſis ex improuiſo ſurgentibus, ſecura ſtare non poſſunt. Vnde ſummopere curare oportet, vt ad illa, quæ tranſire neſciunt, & habentem deſerere nequeunt, greſſus tuos conſtanter dirigas, & affectum mentis intendas. Cuperemus nimium certe de veſtris aliquem prudentem clericum ad nos venire, qui & veſtræ gentis mores, ſeu continentias ſciret nobis pleniter intimare, & Apoſtolicæ Sedis documenta, ſiue mandata plenius eruditus ad vos poſſet perferre. Dat. Romæ Idibus Octobr.] inſuper & anno ſequenti ad eumdem Regem Gregorius alias litteras dedit, de quibus agemus. D

LEGATIO MITTITVR AD ALPHONSVM REGEM HISPAN.

Eodem quoque menſe Gregorius decernit legationem ad Alphonſum Regem Hiſpaniarum, cui & dono mittit auream clauiculam, more maiorum, catenæ ſancti Petri ramentis refertam. Qui functus eſt ea legatione, fuit Richardus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, Abbas Maſſilienſis, de quo ſuperius dictum, cum de alia ab eodem legatione perfuncta mentio facta eſt. hic vero reddendæ ſunt eiuſdem Gregorij litteræ, ad eumdem Regem tunc datæ, quibus eum ad contemptum rerum hu-
c Id. ibid. ep. 6. ius temporis & amorem æternarum hortatur. ſic enim ſe habent: c

Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei chariſſimo in Chriſto filio Alphonſo glorioſo Regi Hiſpaniarum ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Omnipotenti Deo laudes & gratias agimus, qui gloriam veſtram gratia ſuæ viſitationis illuſtrans, beato Petro Apoſtolorum principi fide, ac deuotione coniunxit, cui E
omnes principatus, & poteſtates orbis terrarum ſubijciens, ius ligandi atque ſoluendi in cælo & in terra contradidit. Qua de re & vobis merito gaudendum eſt, quoniam eo ampliora vobis parata ſunt præmia, quo diuina dignatio correctionem regni veſtri, quod diu in errore perſtiterat, vſque ad veſtra reſeruauit tempora, vt veritatem Dei & iuſtitiam, quà illi, qui vos præceſſerunt, rectores, & Principes, & vniuerſus populus tot annis tum cæcitate ignorantiæ, tum obſtinata temeritate caruerant, veſtra mereretur ſuſcipere ſublimis humilitas, & fidelis obedientia. Verum quia omne opus bonum non tam ab incœptu, quam ex fine ſuo retributionis debitum ſpectat: excellentiam veſtram paterna charitate monemus, vt quod a Legatis noſtris de religione Fidei, & eccleſiaſtici ordinis accepiſtis, & adhuc, Deo auctore, accepturi eſtis, firmiter teneatis. quia ſicut certa ſpes ſalutis eſt in his, qui in obſeruatione fidei & doctrinæ

A ctrinæ huius ſanctæ Sedis Apoſtolicæ permanent; ita illis, qui ab eius concordia & vnitate exorbitauerint, haud dubiæ damnationis terror imminet.

Et quidem de vobis bene ſperamus, quoniam relatione dilecti filij noſtri Richardi Cardinalis presbyteri ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, quem nunc ſecundo ad vos mittimus, bonam voluntatem vos habere intelleximus. ſed quoniam deuota corda ſemper admonitione gaudent, & iſtæ etiam virtutes exercitio indigent; hortamur eminentiam veſtram, vt ab hac terrena & caduca dignitate, ad illam, quæ cæleſtis & æterna eſt, mentem leuet: hac vtatur ſicut tranſitoria & cito peritura; illam appetat, quæ æternitatem pariter habet, & gloriæ plenitudinem. Attendere enim, & ſollicite penſare debetis, quoniam quotidie ad finem vitæ volentes nolenteſq. properatis, & quidquid dimittiarum, honoris, potentiæ, nunc arridet, vicina mors, cum minime putatur, ra-
B piet, & omnia tenebris, & amaritudine claudet. Quæ ergo in illis ſpes, quæ gloria, quæ delectatio, aut deſiderium eſſe debet, quæ ſe amantes decipiunt, ſequentes fugiunt, habētes derelinquunt? Quanto autem in his quiſque minus delectatur, minuſq. elatione ſuper ſe rapitur tanto ſecurius ad ea, quæ vera ſunt bona, deducitur. Cuius rei exemplum ipſe Dominus ac Saluator noſter IESVS Chriſtus aperte monſtrauit, cum oblatum ſibi ab hominibus regnum pia humilitate reſpuit, nec ſpeciem quidem terrenæ ſublimitatis in oculis hominum gerere voluit, qui in hunc mundum, vt nos ad regnum cæleſte perduceret, venit. Quapropter ſicut chariſſimum filium vos admonemus, vt hæc ſedulo vobiſcum cogitantes, coram illo vos exhibeatis humilem, qui vos conſtituit valde ſublimem. Et inter omnia, & præ omnibus Deo placere ſtudentes, commiſſa vobis regni gubernacula ita adminiſtrare Dei adiutorio procuretis,
C quatenus veſtra eminentia nullum futuræ abiectionis, aut infortunij caſum ſentiat, ſed ad coronam incorruptibilis regni, & ſolium æternæ gloriæ tranſeat.

CLAVICVLA AVREA CVM RAMENTIS CATENAE S. PETRI MITTITVR.

Vt autem noſtra adhortatio cordi veſtro altius imprimatur, ex more, Sanctorum miſimus vobis clauiculam auream, in qua de catenis beati Petri benedictio continetur, quatenus per eius præſentia patrocinia vberiora erga vos beneficia ſentiatis, & in amore ipſius de die in diē feruentes accendamini, promerentes, vt omnipotens Deus, qui illum admirabili potentia a nexibus ferreis liberauit, eius meritis & interceſſionibus vos ab omnium peccatorum veſtrorum vinculis abſoluat, & ad gaudia æterna perducat. Ad hæc commendamus vobis hunc dilectum filium noſtrum, quem (ſicut ſupra diximus) nunc ſecundo ad vos mittimus, vt eum ſicut nos audiatis, & in omnibus ſibi fauorem exhibeatis, quatenus non fiat inanis curſus & labor illius apud
D vos, ſed pro commiſſa ſibi legatione ea, quæ de eccleſiaſticis cauſis tractanda inuenerit, efficaciter exequi, & ad ſtatum rectitudinis, Deo opitulante, perducere valeat. Cetera vero, quæ hic minus continentur, in eius ore poſuimus; cui vos in nullo dubitetis credere, per quem noſtram vobis auctoritatem repræſentari cognoſcitis. Dat. Romæ decimooctauo Kal. Nouembris, Indict. tertia]

DE CONCILIO IN BRITANNIA CELEBRANDO.

Legationem adhuc aliam idem Gregorius Papa decreuit in Britanniam minorem ad Concilium ibidem celebrandum, ea potiſſimum occaſione, vt falſas pœnitentias proſcriberet, quibus hactenus populus ſeduceretur, dum abſque aliqua peccatorum emendatione peccantes in ijſdem peccatis perſeuerantes abſoluerentur: quod & anno ſuperiori in Romano Concilio fuerat canone ſancito correctum. quod decretum vt propageretur ad externos, idem Pontifex laborauit, ſcribens has litteras ad Britannos anni huius extremo tempore: a

a Greg. lib. 7. ep. 10.

Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Epiſcopis, ſacerdotibus, Principibus,
E alijſq. omnibus in Britannia commorantibus ſalutem & Apoſtolicam benedictionem, ſi obedierint.

Sacerdotalis culminis dignitas tum imperitia, tum negligentia ſacerdotum (ſicut dilectio veſtra nouit) ex longo iam tempore, peccatis exigentibus, fuit collapſa. Ex qua quidem re, quaſi ex peſtifera radice innumera mala orta ſunt; adeo vt vſque ad noſtra tempora inter cetera, quæ male pullulant vitia, falſæ nihilominus pœnitentiæ conſuetudo inoleuerit. Quapropter quia nobis pro officij noſtri conſideratione, & ſollicitudinis magnitudine imminet, hæc & huiuſmodi, quantum poſſumus, Deo largiente, corrigere: volumus, atque Apoſtolica auctoritate præcipimus, vt Legatum noſtrum, Amatum videlicet Olorenſem Epiſcopum, cui vicem noſtram in-

Universidad de Deusto
Biblioteca

DE FALSA PŒNITENTIA PROSCRIBENDA.

partibus vestris commisimus, studeat fraternitas vestra reuerenter conuocare, & vt A vno agente synodale Concilium congregetur, vbi cum alijs, quæ ad salutem pertinent animarum, tum etiam de pœnitentiæ consultatione diligentius pertractetur. Qua in re hoc summopere vos cauere oportet, alioqui. monere debetis, quia si quis in homicidium, adulterium, periurium, vel aliquid huiusmodi lapsus in aliquo talium criminum permanserit, aut negotiationi, quæ vix agi sine peccato potest, operam dederit, aut arma militaria portauerit, excepto pro tuenda iustitia sua, vel domini, vel amici, seu etiam pauperum, necnon pro defendendis ecclesijs, nec tamen sine religiosorum virorum consilio sumpserit, qui æternæ salutis consilium dare sapienter nouerunt, aut aliena bona iniuste possederit, aut in odium proximi sui exarserit, veræ pœnitentiæ fructum facere nullatenus potest. Infructuosam enim pœnitentiam dicimus, quæ ita accipitur, vt in eadem culpa, vel simili, deteriori, vel parum minori permaneatur. Vnde B quisquis digne vult pœnitere, necesse est vt ad fidei recurrat originē, & quod in baptismo promisit, diabolo scilicet, & pompis illius abrenuntiare, & in Deum credere, videlicet recte de Deo sentiendo, mandatis ipsius obedire, sollicitus sit & vigilanter custodire. Quicumque ergō taliter pœnituerit (quoniam aliter simulatio dici potest, non pœnitentia) illi peccatorum suorum remissionem Apostolica freti potestate largimur: insuper æternæ beatitudinis gaudia de omnipotentis Dei misericordia confisi, promittimus. Dat. Romæ Octauo Kalendas Decembris, Indictione tertia.] hactenus de his hoc anno. Porro de vera pœnitentia idem Gregorius egit rursus Romæ anno sequenti in Concilio ibidem congregato, in quo de ipsa renouauit decretum, his omnibus consentiens.

Ad coronidem autem præsentis anni apponimus coronam & purpuram sanctissimi martyris Stanislai Cracouiensis Episcopi, qui in spiritu & virtute Eliæ redarguentis Achab, & Ioannis Baptistæ corripientis Herodem, dum arguit Boleslaum enormiter delinquentem, & non auditur, & iterum corripit, & contemnitur, atque rursus increpat, & despicitur, sententia excommunicationis eum afficit. quam ob causam ab ipso Rege, dum in altari esset Deo Missæ sacrificium offerens, crudelissime cæsus, octaua mensis Maij martyrij palmam est consecutus, plurimisq. miraculis tam viuens, quam mortuus illustratus. Cuius res præclare gestas, & martyrium præclarius obitum ex antiquioribus monimentis Ioannes Longinus in Polonica historia scripsit: qui & seorsum eiusdem gloriosissimi Martyris vitam copiosissime elaboratam Ecclesiæ legendam tradidit. Ipsum vero ritu solemni Innocentius Quartus Romanus Pontifex publice colendum indixit.

MARTYRIVM S. STANISLAI EPISC. CRACOVIENSIS.

Cum autem tam immane scelus ab iniquissimo Rege perpetratum Gregorius Pontifex percepisset, quomodo vltus sit immensum adeo sacrilegium, accipe quæ Longinus ipse in historia narret: Tam lugubri & crudeli in Sanctum Dei per Boleslaum Poloniæ Regem deprompta occisione ad notitiam summi Pontificis Gregorij Septimi varijs nuntijs & litteris perlata: summus ipse Pontifex Gregorius, & vniuersorum suorum tunc Cardinalium cœtus in flebilem lamentationem ruens, qua rigiditate Boleslai Regis tam insolens parricidium plectendum esset, matura deliberatione tempus terens, tandem Petro Gnesnensi Archiepiscopo, & omnibus Poloniæ ecclesiarum Episcopis per specialia scripta dedit in mandatis, quatenus in patrati per Regem Boleslaum, & suos milites facinoris execrationem & pœnam generale interdictum in vniuersa Gnesnensi prouincia obseruarent. Regem insuper Boleslaum, & Poloniæ regnum omni honore, dignitate, & excellentia regali priuauit, & omnes Principes, Barones, Vassallos, & subditos ab eius ditione absoluens, obedientiam, & subiectionem solitam ipsi exhibere vetuit. Filijs insuper eorum militum, qui Boleslao Regi auxilium, consilium, & assensum in facinus peractum præstiterunt, ascensum ad quælibet ecclesiastica officia, beneficia, dignitates, & honores vsque ad quartā generationem &c.] quod autē si eiusmodi litteræ Apostolicæ in Registro Gregorij ipsius non extent, non adeo mirandum, cum alias complures in eo desiderari, ex ijsdem, quæ extant, epistolis satis apparet. Secuta mox est Apostolicas litteras vindicta desuper: nam post alia mala ipse Rex, vt alter Cain, factus est profugus super terram, demum versus in insaniam, errabundus dum vagatur, morte præuentus a canibus est deuoratus, ita vlciscente numine sanguinem sui innocentissimi sacerdotis, anno salutis millesimo octogesimo-

ORTVS VLCISCITVR SCELVS IN S. STANISLAVM ADMISSVM.

C

D

E

A gesimoprimo. at hæc ad institutum satis, reliqua, qui cupit, habet quem consulat Longinum ipsum. Translatum est autem corpus eius postea per Lambertum Episcopum Cracouiensem in Cathedralem ecclesiam, honorificentissimoq. sepulchro reconditum, eiusmodi epitaphio eidem inscripto:

Tumba Stanislai cineres tegit ista beati,
Regis Boleslai quia non fauet impietati.
Martyrio meritas cæli migrauit ad ædes.
Felix cui dextas merces, cui sidera sedes.] hæc de Martyre toto orbe Catholico celeberrimo.

Eodem anno ab eodem Gregorio Papa ex Romana Synodo legatio missa est ad sanctum Ladislaum Hungariæ Regem, pro Sanctorum reliquijs debito honore perquirendis, atque religiose condendis. de qua legatione hæc in rebus gestis sancti Gerardi martyris: [a] Tum enim a Romanæ Ecclesiæ Synodo iniunctum est, vt corpora eorum, qui Pannoniam Fidei prædicatione irrigassent, summo honore afficerentur. Veniente etiam Sedis Apostolicæ Legato, & nobilium Pannoniæ coacto conuentu, sacrum huius beati Martyris corpus eleuatum est, atque Regis Ladislai, & Principum humeris translatum, honorificeq. depositum eo loco, vbi pro meritis tanti Patris superna gratia efficiendis, & declarandis miraculis largius coruscat.] tunc etiam eleuatum esse reperitur corpus sancti Stephani Regis: tempora enim probe conueniunt. Nam cum ex eius vitæ Actis constet id factum anno quadragesimoquinto post eius obitum, cumq. contigisse manifestum sit anno Redemptoris millesimo trigesimoquarto: vtique hoc Redemptoris anno septuagesimonono post millesimum id oportuit accidisse. Quomodo ex mandato pariter Romani Pontificis factum id asseratur; consule quæ ad finem vitæ eiusdem sancti Stephani [b] Regis leguntur.

B

C

[a] Extant apud Sur. tom. 5. die 24. Sept. in fin. LEGATIO AD REG. HVNGARIAE PRO VENERATIONE SANCTORVM.

[b] Extant apud Sur. tom. 4. die 20. Aug.

OCTOGESIMVS iam agitur annus post millesimum Indictione tertia inchoatus, cuius exordio, nempe quarto Nonas Ianuarij Gregorius Papa Vratislaum Boemiæ Ducem, participantem cum excommunicatis redarguit, eumq. salutaribus monitis ad meliorem frugem reducere conatus est. Cui quod rogauerat de licentia dicendi diuinum officium lingua Slauonica, denegauit omnino, ista rescribens: [c] Quia vero nobilitas tua postulauit, quod secundum Slauonicam linguam apud vos diuinum celebrari annueremus officium: scias nos huic petitioni tuæ nequaquam posse fauere. Ex hoc nempe sæpe voluentibus liquet, non immerito sacram Scripturam omnipotenti Deo placuisse quibusdam locis esse occultam; ne si ad liquidum cunctis pateret, forte vilesceret, & subiaceret despectui, aut praue intellecta a mediocribus, in errorem induceret. Neque enim ad excusationem iuuat, quod quidam religiosi viri hoc, quod simpliciter populus quærit, patienter tulerunt, seu incorrectum dimiserunt, cum primitiua Ecclesia multa dissimulauerit, quæ a sanctis Patribus postmodum, firmata Christianitate, & religione crescente, subtili examinatione correcta sunt.]

D

E

Eodem mense idem Gregorius Papa in Arnulphum Comitem grassatorem, qui Henricum Leodiensem Episcopum, ad Limina Apostolorum venientem fuerat deprædatus, & eumdem iurare coegerat non repetere quod amiserat, ad Theodoricum [d] Virdunensem Episcopum litteras dedit, quibus eum monuit, in eumdem Synodum congregari, hominem ad pœnitentiam cohortari: quod si non paruisset, in eumdem excommunicationis sententiam promulgari. interea vero a iuramēto, quod vi coactus præstiterat, eumdem Henricum absoluit.

Mense vero Martij Romæ Concilium ex more celebratur, cuius Acta, quæ fuerunt collecta, inter eiusdem Gregorij Papæ epistolas ita posita leguntur: [e]

Anno ab Incarnatione Domini millesimo octuagesimo, Pontificatus vero domini Gregorij Septimi Papæ anno septimo Indict. iij. celebrauit ipse dominus Papa Synodum Romæ, vbi interfuerunt Archiepiscopi, & Episcopi diuersarū vrbium, necnon & Abba-

[c] Greg. lib. 7. ep. 11. NOLVIT GREG. LINGVA SLAVONICA DIVINVM OFFIC. CELEBRARI.

[d] Id. ep. 13. 14. QVID IN ARNVLPHVM COMITEM GRASSATOREM.

[e] Id. post ep. 14. CONCILIVM ROMANVM.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Abbatum, ac diuersorum ordinum clericorum & laicorum innumerabilis multitudo. A
In qua Apostolica Constituta corroborans, multa, quæ corrigenda erant, correxit, & quæ corroboranda, firmauit. inter cetera namque in fine synodalis absolutionis de inuestituris hæc annexuit, & perpetuæ memoriæ pro posteris scribenda mandauit, ita dicendo:

DE PROHIBENDIS INVESTITVRIS CONFIRMATVM DECRETVM.

Sequentes statuta sanctorum Patrum, sicut in prioribus Concilijs, quæ, Deo miserante, celebrauimus, de ordinatione ecclesiasticarum dignitatum statuimus; ita & nunc Apostolica auctoritate decernimus, ac confirmamus. Vt si quis deinceps Episcopatum, vel Abbatiam de manu alicuius laicæ personæ susceperit, nullatenus inter Episcopos vel Abbates habeatur, nec vlla ei vt Episcopo seu Abbati audientia concedatur. insuper etiam ei gratiam sancti Petri, & introitum ecclesiæ interdicimus, quousque locum, quem sub crimine tam ambitionis, quam inobedientiæ (quod est scelus idololatriæ) cepit, resipiscendo non deserit. similiter etiam de inferioribus ecclesiasticis dignitatibus constituimus.

ADVERSVS PRINCIPES INVESTITVRAS VSVRPANTES.

Item si quis Imperatorum, Regum, Ducum, Marchionum, Comitum, vel quilibet sæcularium potestatum, aut personarum inuestituram Episcopatuum, vel alicuius ecclesiasticæ dignitatis dare præsumpserit, eiusdem sententiæ vinculo se obstrictum esse sciat. Insuper etiam nisi resipiscat, & Ecclesiæ propriam libertatem dimittat; diuinæ animaduersionis vltionē in hac præsenti vita tam in corpore suo, quam ceteris suis rebus sentiat, vt in aduentu Domini spiritus saluus fiat] hæc de inuestituris in superioribus Synodis antea constituta Gregorius voluit confirmari, atque perpetuo iteratis sanctionibus stabiliri. sicut & anathema in schismaticos contumaces istis verbis:

a 1. Cor. 5.

RENOVATA EXCOMMVNICATIO IN SCHISMATICOS.

Item sententiam depositionis & excommunicationis iam plerumque datam in Thedaldum Mediolanensem dictum Archiepiscopum, & Guibertum Rauennatem, & Rolandum Taruisiensem, confirmamus & corroboramus. Et Petrum olim * Rothonensem Episcopum, nunc autem Narbonensis ecclesiæ inuasorem pari sententia damnamus] in Northmannos autem ista: C

* ★

ADVERSVS NORTHMANNOS INVADENTES RES APOST. SEDIS.

Item si quis Northmannorum terras sancti Petri, videlicet illam partem Firmanæ Marchiæ, quæ nondum peruasa est, & Ducatum Spoletanum, & Campaniam, necnon Maritimas, atque Sabinum, & Comitatum Tiburtinum, necnon monasterium sancti Benedicti montis Cassini, & terras sibi pertinentes; insuper etiam Beneuentum inuadere, vel deprædari præsumpserit; gratiam sancti Petri, & introitum ecclesiæ ei vsque ad satisfactionem interdicimus. Verum si quis illorum aduersus habitatores harum terrarum aliquam iustam causam habuerit, prius a nobis, vel a rectoribus, seu ministris inibi constitutis iustitiam requirat: quæ si ei denegata fuerit, concedimus, vt pro recuperatione suarum rerum de terra illa accipiat, non tamen vltra modum, nec more prædonū, sed vt decet Christianum & eum, qui sua magis quærit recipere, quam aliena diripere, & qui timet gratiam Dei amittere, & maledictionem beati Petri incurrere] sequens canon sanctius est de vera pœnitentia, quem recensere prætermittimus, cum de ipso dictum sit anno superiori ex litteris eiusdem Pontificis ad Britanniæ Episcopos datis. D

DE EPISCOPORVM ELECTIONE.

Actum est post hæc de restituenda legitima electione Episcoporum: de qua eiusmodi sancitus est canon: Quoties defuncto pastore alicuius ecclesiæ, alius est ei canonice subrogandus, instantia visitatoris Episcopi, qui ei ab Apostolica, vel metropolitana Sede directus est, Clerus & populus, remota omni sæculari ambitione, timore atque gratia, Apostolicæ Sedis, vel Metropolitani sui consensu pastorem sibi secundum Deum eligat. Quod si corruptus aliquo vitio aliter agere præsumpserit, electionis perperam factæ omni fructu carebit, & de cetero nullam electionis potestatem habebit. Electionis vero potestas omnis in deliberatione Sedis Apostolicæ, siue Metropolitani sui consistat. si enim is, ad quem consecratio pertinet, non rite consecrando, teste beato Leone, gratiam benedictionis amittit; consequenter is, qui ad prauam electionem declinauerit, eligendi potestate priuatur] E

HENRICVS REX BVRSVM EXCOMMVNICATVS.

His ita peractis, nouissime omnium in eodem Concilio de promulgando in Henricum Regem anathemate, in quod ipse multiplici nomine Apostolicæ Sedi contumax atque periurus, seipsum sæpius implicuisset, actum est. Toleratus ipse quidem iam triennio, cum (vt vidisti) promissionis suæ, postquam ab eodē Pontifice est absolutus, præuaricator extiterit, atque toties iuratis per Legatos suos in Romanis Synodis polli-

A pollicitationibus semper aduersa præstiterit, & in deteriora quotidie prolapsus fuerit. Toleraſſet adhuc, puto, diutius, nisi tanta eiusdem Gregorij patientia ab Ecclesiæ fidelibus in deteriorem partem accepta, ipse in suspicionē vehementem iam (vt audisti anno superiori) esset adductus tacitæ communionis cum Henrico, non sine graui scandalo totius Ecclesiæ. Quamobrem inuitus dicet, & nolens, tractus est tamen, vt in hoc eodem Concilio excommunicationem (vt diximus) in eundem Henricum Regem his ipsis verbis scilicet promulgaret:

EXCOMMVNIC. IN REG. HENRICVM.

Beate Petre princeps Apostolorum, & tu beate Paule Doctor Gentium dignamini quæso aures vestras ad me inclinare, mecq; clementer exaudire. Quia Veritatis estis Discipuli & amatores, adiuuate vt veritatem vobis dicam, omni remota falsitate, quam omnino detestamini, vt fratres mei melius mihi acquiescant & sciant & intelligant, quia ex vestra fiducia post Dominum, & matrem eius semper Virginem Mariam, prauis & iniquis restiti, vestris autem fidelibus auxilium præstiti. Vos enim scitis, quia non libenter ad sacrum ordinem accessi, & inuitus vltra montes cum domino Papa Gregorio abij; sed magis inuitus cum domino meo Papa Leone ad vestrā specialem Ecclesiam redij, in qua vt cunque vobis deseruiui. Deinde valde inuitus, cum multo dolore & gemitu, ac planctu in throno vestro valde indignus sum collocatus. Nec ideo dico, quia non ego vos, sed vos elegistis me, & grauissimum pondus vestræ Ecclesiæ supra me posuistis. Et quia super montem excelsum me iussistis ascendere & clamare, atque annuntiare populo Dei scelera eorum, & filijs Ecclesiæ peccata eorum: membra diaboli contra me cœperunt insurgere, & vsque ad sanguinē præsumpserunt in me manus suas injcere: b Astiterunt enim Reges terræ, & Principes sæculares & ecclesiastici: aulici & vulgares conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus vos Christos eius, dicentes: Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus a nobis iugum ipsorum. & vt me omnino morte, vel exilio confunderent, multis modis conati sunt in me insurgere. B C

a Isai. 58.

b Psal. 2.

Inter quos specialiter Henricus, quem dicunt Regem, Henrici Imperatoris filium, contra vestram calcaneum erexit Ecclesiam, facta cum multis Episcopis Vltramontanis & Italicis conspiratione, annitens me deijciēdo, eam sibi fabiugare. Cuius superbiæ vestra restitit auctoritas, eamq; nostra destruxit potestas: qui confusus & humiliatus ad me in Longobardiam veniens, absolutionem ab excommunicatione quæsiuit. Quem ego videns humiliatum, multis ab eo promissionibus acceptis de suæ vitæ emendatione, solam ei communionem reddidi, non tamen in regno, a quo eum in Romana Synodo deposueram, instauraui, nec fidelitatem omnium, qui sibi iurauerant, vel erant iuraturi, a qua omnes absolui in eadem Synodo, vt sibi seruaretur, præcepi. Et hæc ideo detinui, vt inter eum & Episcopos, vel Principes Vltramontanos, qui ei causa iussionis vestræ Ecclesiæ restiterant, iustitiam facerem, vel pacem componerem, sicut ipse Henricus iuramento per duos Episcopos mihi promisit. Prædicti autem Episcopi & Principes Vltramontani audientes illum non seruare mihi quod promiserat, quasi desperati de eo, sine meo consilio, vobis testibus, elegerunt sibi Rudolphum Ducem in Regem. Qui Rex Rudolphus festinanter ad me misso Nuntio, indicauit se coactum regni gubernacula suscepisse, tamen sese paratum mihi omnibus modis obedire. Et vt hoc verius credatur, semper ex eo tempore eumdem mihi semper misit sermonem, adijciens etiam, filio suo obside, & fidelis sui Ducis Bertholdi filio, quod promittebat, firmare. Interea Henricus cœpit me precari, vt illum contra prædictum Rudolphum adiuuarem. cui respondi, me libenter facere, audita vtriusque partis ratione; vt scirem cui iustitia magis faueret. Ille vero putans suis viribus eum posse deuincere, meam contempsit responsionem. Postquam autem persensit, se non posse, sicut sperauit, agere; duo Episcopi, Virdunensis videlicet, & Osenburgensis de consentaneis suis Romam venerunt, & in Synodo ex parte Henrici me, vt ei iustitiam facerem, rogauerunt, quod & Nuntij Rudolphi fieri laudauerunt. Tandem, aspirante Deo, sicut credo, statui in eadem Synodo, in partibus Vltramontanis fieri colloquium, vt illic aut pax statueretur, aut cui amplius iustitia faueret, cognosceretur. Ego enim (sicut vos mihi testes estis Patres & domini) vsque hodie nullā partem disposui adiuuare, nisi eam, cui plus iustitia faueret. Et quia putabam, quod iniustior pars colloquium nollet fieri, vbi iustitia suum locum seruaret: excommunicaui, D E

Universidad de Deusto
Biblioteca

caui,& anathemate alligaui omnes personas, siue Regis, siue Ducis, aut Episcopi, seu alicuius hominis,qui colloquium aliquo ingenio impediret, vt non fieret. Prædictus autem Henricus cum suis fautoribus non timens periculum inobedientiæ (quod est scelus idololatriæ) colloquium impediendo excommunicationem incurrit, & seipsum anathematis vinculo alligauit, magnamq. multitudinem Christianorum morti tradi, & ecclesias fecit dissipari, & totum pene Teutonicorum regnum desolationi dedit. A

Quapropter confidens de iudicio & misericordia Dei, eiusq. pijssimæ matris semper Virginis Mariæ, fultus vestra auctoritate, sæpe nominatum Henricum, quem Regem dicunt, omnesq. fautores eius excommunicationi subijcio, & anathematis vinculis alligo, & iterum regnum Teutonicorum, & Italiæ ex parte omnipotentis Dei, & vestra interdicens ei,omnem potestatem,& dignitatem illi regiam tollo, & vt nullus Christianorum ei sicut Regi obediat, interdico: omnesq. qui ei iurauerunt, vel iurabunt de regni dominatione, a iuramenti promissione absoluo. Ipse autem Henricus cum suis fautoribus in omni congressione belli nullas vires, nullamq. in vita sua victoriam obtineat. Vt autem Rudolphus regnum Teutonicorum regat & defendat, quem Teutonici elegerunt sibi in Regem; ad vestram fidelitatem ex parte vestra, dono, largior, & concedo omnibus sibi fideliter adhærentibus absolutionem omnium peccatorum, vestramq. benedictionem in hac vita, & in futura, vestra fretus fiducia, largior. Sicut enim Henricus pro sua superbia inobedientia & falsitate a regni dignitate iuste abijcitur; ita Rudolpho pro sua humilitate, obedientia & veritate potestas, & dignitas regni conceditur. B

Agite nunc quæso, Patres & Principes sanctissimi, vt omnis mundus intelligat, & cognoscat,quia si potestis in cælo ligare & absoluere; potestis in terra Imperia, regna, Principatus, Ducatus, Marchias, Comitatus, & omnium hominum possessiones pro meritis tollere vnicuique, & concedere. Vos enim Patriarchatus, Primatus, Archiepiscopatus, Episcopatus frequenter tulistis prauis & indignis, & religiosis viris dedistis. Si enim spiritualia iudicatis; quid de sæcularibus vos posse credendum est? Et si angelos, dominantes omnibus superbis Principibus,iudicabitis; quid de illorum seruis facere potestis? Addiscant nunc Reges & omnes sæculi Principes,quanti vos estis, quid potestis: & timeant paruipendere iussionem Ecclesiæ vestræ,& in prædicto Henrico tam cito iudicium vestrum exercete,vt omnes sciant, quia non fortuitu,sed vestra potestate cadet. Confundatur vtinam ad pœnitentiam, [a] vt spiritus sit saluus in die Domini. Acta Romæ Nonis Martij, Indictione tertia] hucusque excommunicationis decretum, Actaq. Synodi tunc Romæ habita. C

a 1. Cor. 5.

D

DE IMPIORVM PROSPERITATE.

At qui ista audit, atque res quæ proxime contigerunt, longe Gregorij Papæ votis aduersa considerat, nempe Henrici Regis victoriam gloriosam aduersus Rudolphum Regem, qui vulneratus interijt; fortasse scandalum patietur,quo non pusilli tantum, sed etiam viri sanctissimi esse pulsati noscuntur, Ieremia ita Dominum compellante: [b] Iustus quidem tu es Domine,si disputem tecum;verumtamen iusta loquar ad te:Quare via impiorum prosperatur,& bene est omnibus,qui præuaricãtur,& inique agunt?] atque Propheta Dauid nutante, atque dicente: [c] Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei, quia zelaui super iniquos, pacẽ peccatorum videns &c.] sed eruditus,diuinoq. spiritu illustratus vt præsentia futura prænoscens,sic eam,quam ingerit, soluit mox quæstionem, ista subijciens: Verumtamen propter dolos posuisti eis: deiecisti eos dum alleuarentur. Quomodo facti sunt in desolationem? subito defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam] finis præterita iudicat: adeo vt suspendendum abs te sit de vnoquoque iudicium, antequam nouissima intuearis. Nam si tantum principia, vel progressus tantummodo spectes, de impio quam lætum illud & gloriosum [d]? Vidi impium exaltatum,& eleuatum sicut cedros Libani] Sed quam funestus consecutus est finis? audi: Transiui, inquit,& ecce non erat: quæsiui eum,& non est inuentus locus eius. E

b Ierem. 12.

c Psal. 72.

d Psal. 36.

DEI VINDICTA IN HENRICVM SERA SED GRAVIS.

At quem digne iusteq. percelluit excommunicatio Henricum Regem,demum post victorias infeliciter consecutas (nihil enim infelicius felicitate peccantium)vltio diuina prostrauit.Qui enim patrem contempsit Gregorium Papam,a filijs suis ipse despectus, atque regno pulsus,in exilio mori est coactus infelix, priuatusq. regno decessit,quem Aposto-

A Apostolicæ Sedis sententia regni abrogatione mulctauit: vt impleri Deus omnino voluerit, quod Petri sublime tribunal immobile permanens in impium statuisset, & perspicue apparuit, quem Petri successor pari potestate ligasset in terris, ex præscripto diuinæ promissionis, Deum in cælis pariter alligasse. Sed sera esse consueuit executio diuinæ sententiæ(dissimulat [a] Deus peccata hominum propter pœnitentiam) sicut in Saul, qui simulac deliquit, sententiam regni priuationis accepit, dicente per Samuelem Domino: [b] Scidit Dominus regnum Israel a te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te] sed executio sera. Non enim regnum Dauid accepit, nisi post obitum Saulis: sed & in Henrico tarditate grauitate compensasse Deum apparet,dum filios in patrẽ statuit esse carnifices, acerbissimos suæ sententiæ executores. hoc namque concipitur anno eius filius Henricus Quintus, qui patrem regno pulsum,exulem
B mori coegit. ita in Auctario ad Lambertum: sed de his inferius suo loco dicendum, modo historiam prosequamur.

a Sap. 11.

b 1. Reg. 15.

Vbi in Concilio abrogatum est regnum Henrico, & collatum ipsum Rudolpho, tum ad eum ipse Gregorius coronam misit, cui versus iste fuit inscriptus:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.] errant tamen,qui coronam ipsi missam a Pontifice tradunt, cum ab Episcopis, atque Principibus Germaniæ Rex fuerat nominatus. Nam ipso teste Gregorio, numquam vsque in hanc diem ab Apostolica Sede fuerat in Regem confirmatus, expectante conuocari Concilium, in quo de vtriusque Regis iuribus ageretur. CORONA RVDOLPHI.

In hac eadem Synodo ventilatam esse antiquam controuersiam inter Turonensem, atque Dolensem in Britannia ecclesiam, eiusdem Gregorij Papæ litteræ ad Episcopos
C Britanniæ datæ significant; at nec quid certi est definitum, sed de mittenda legatione in Britanniam ad causam cognoscendam, deliberatum est. Actumq. de iuribus Lemouicensis ecclesiæ super duo monasteria, a monachis Dolensibus vsurpata, deq. alijs occupatis ab Archiepiscopo Rhemensi. hæc & alia id genus ad diuersas ecclesias pertinentia actitata ibi noscuntur, atque hactenus de his, quæ ad præsentem Synodum spectant.

[c] Greg. lib 7. ep. 15. [d] Id. ibid. epist. 17.20.

At quid anathematis iaculo sauciatus Henricus? Habito cum suis Episcopis eadem sententia ab Ecclesia separatis, atque Principibus ijsdem excommunicationis vinculis colligatis consilio: de dimouendo e Pontificatu Gregorio, iam annum octauum in Cathedra Petri sedente, inita conspiratione, decernit. crimen excogitatur,locusq. hisce perficiendis decernitur Moguntia, quo decem & nouem dumtaxat inuenti sunt,
D qui conuenirent, schismatici Episcopi, sed paucitatem pertæsi, alius commodior locus, quo turba in vnum coiret schismaticorum, tam ex Germania, quam ex Italia, Brixia,seu Brixino in Noricis eo infamanda conuentu deligitur. Quidnam autem fuerit obiectum in tantum Pontificem: hæc accipe ab auctore eius temporis, eodem intimo familiari eiusdem Henrici Regis, qui ipsius vitam conscripsit, immio pro domino suo potius Apologiam; qui dum ad ista peruenit, quæ vitasse non potuit, hærens in salebris, quomodo excuset herum, non inueniens, satis fecisse putauit, si leuiter reprehensum prætereat, hæc dicens, ab iterata a Gregorio in Regem excommunicatione auspicatus orationem: CONCILIABVLVM MOGVNTINVM ET BRIXIENSE.

Ad quorum criminationem Apostolicus eum iterum banno, vt ipsi iactabant, illigauit. sed non magni ponderis ille bannus habebatur, eo quod non rationis, sed arbitrij, non amoris, sed odij esse videretur. Cernens autem Rex Apostolicum ad hoc
E tendere, vt se regno priuaret, nec alia sua obedientia contentum, nisi vt regno renuntiaret: ex obedientia in rebellionem, ex humilitate in tumorem relabi coactus, hoc Apostolico facere parabat, quod Apostolicus sibi facere intenderat. Cessa, obsecro, Rex gloriose, cessa ab hoc molimine, vt ecclesiasticum caput de suo culmine deijcias, & in reddenda iniuria te reum facias: iniuriã pati felicitatis est,reddere criminis. Quærebat itaque Rex causas & occasiones,qualiter eum eijceret. Inuentumq. est,eum Romanã Sedẽ olim abiuratam insedisse,quam idcirco abiurauerit, quia ad eam,dum Archidiaconus esset,adhuc viuente domino suo,per ambitionẽ aspirare voluerit. Vtrum hæc vera sint, an falsa, parum comperi: alij asserebant,alij figmentum esse dicebant. Vtrisque Roma fuit in argumentum. His, quod Roma mundi domina numquam pateretur tale nefas: illis, quod ea cupiditatis ancilla facile permitteret ob pretium QVID IN CVLPAM EXCOGITATVM IN GREGORIVM.

Universidad de Deusto
Biblioteca

omne nefas. Mihi autem in medio res relinquenda est, cum incerta, nec possim defendere, nec ausim affirmare] hæc auctor eius temporis, Henrico ipsi a secretis inhærens, pro domino & hero suo nihil prætermittens, quod ad excusationem, atque defensionem spectare posse cognouerit. quibus plane redarguas atque deijcias totum illum a Bennone male congestum in Gregorium calumniarum aceruum: ex quibus auctor schismaticus Conradus Vrspergensis Abbas noscitur ita conflasse decretum, quod recitat, hæc dicens:

Anno Domini millesimo octingentesimo, cum apud Brixiam Noricam triginta Episcoporum conuentus, necnon & optimatum exercitus non solum Italiæ, sed & Germaniæ iussu Regis Henrici congregaretur: factus est omnium consensus aduersus Hildebrandum Papam, cognominatum Gregorium Septimum, quem pseudomonachum, totiusq. vesaniæ pestiferum principem, & præcipue sanctæ Romanæ Sedis inuasorem affirmantes, ab Apostolica Sede depellendum, quamuis absentem dijudicabant, & Vuigbertum Rauennẽsem Archiepiscopum ipsi subrogandum eligebant. huius decreti conclusio hæc est: Quia, inquiunt, illum constat non a Deo electum, sed a seipso, in fraude, ac pecunia impudentissime obiectum. Qui ecclesiasticum subuertit ordinem: Qui Christiani Imperij perturbauit regnum: Qui Regi Catholico ac pacifico corporis & animæ intentat mortem: Qui periurum defendit Regem: Qui inter concordes seminauit discordiam, inter pacificos lites, inter fratres scandala, inter coniuges diuortia: & quidquid quiete inter pie viuentes stare videbatur, concussit. Nos, auctore Deo, congregati in vnum, Legatis, ac litteris freti decem & nouem Episcoporum, die sancto præteritæ Pentecostes Moguntiæ congregatorum, contra eumdem Hildebrandum procacissimum, sacrilegia ac incendia prædicantem, periuria & homicidia defendentem, Catholicam & Apostolicam Fidem de corpore & sanguine Domini in quæstionem ponentem, hæretici Berengarij antiquum discipulum, diuinationum ac somniorum cultorem, manifestum necromanticum, phytonico spiritu laborantem, & idcirco a vera Fide exorbitantem, iudicamus canonice deponendum & expellendum: & nisi ab ipsa Sede, his auditis, descenderit, in perpetuum condemnandum. Facta sunt autem hæc septimo Kal. Iulij, feria quinta, Ind. tertia] hæc apud Vrspergensem concinnata (vt diximus) ex Bennonis calumnijs a posterioribus schismaticis. Nam quæ illi priores hoc anno aduersus Gregorium intulerint, ex recitatæ Regis vitæ auctore didicimus. Sed ex hoc ipso eorumdem schismaticorum decreto discere potes, in quo post enumeratas singulas causas depositione Gregorij dignas existimatas, vsque ad illa verba: Nos, auctore Deo, congregati in vnum &c.] quibus se asserunt esse permotos ad eumdem Pontificem deponendum: ab Vrspergensi illa adduntur, quæ postea fuere a Bennone conficta, sui deformitate adeo monstruosa, vt ante omnia alia in decreto illo fuissent ibidem collocanda, si vel excogitata fuissent, atque in Gregorium tunc obiecta. Sed neque de his vlla mentio in epistola illa infamissima, quam Henricus Rex ad Gregorium Pontificem scripsit, quam proxime reddituri sumus. sed antea videamus, quæ de eodem conuentu Brixiensi in Gregorio Guillelmus Bibliothecarius habeat.

DECRETVM SCHISMATIC. ADVERSVS GREG. PAP.

ADORATVR BESTIA.

Hic quidem ipse temporis huius scriptor de Brixiensi schismaticorum conciliabulo agens, hæc habet post creationem pseudopontificis Guiberti: Hunc talem Henricus Rex adorauit pronus in terram: cui etiam, suadente Dionysio Placentino Episcopo, iurasse asseritur, vt ab eo Imperij coronam acciperet. Quid plura? ita peccatis exigentibus, omnes qui aderant præsentes, mente excæcati sunt, vt non respicerent cælum, sed ad eius vestigia osculanda (heu proh dolor!) sese pariter ter incuruarent. His ita peractis, Rex in apertam hæresim lapsus, ad propria in octauis Apostolorum regressus est: Guibertus vero hæresiarcha insignitus papalibus insignijs, cum complicibus suis pompose intrauit Italiam] hucusque de his Guillelmus. Sed iam audi virulentam epistolam, quam post pseudosynodum Henricus Rex scripsit ad Gregorium Romanum Pontificem: quam cusam post Henrici vitam antiquitus scriptam, sed recens editam, his verbis descriptam inuenies:

HENRICVS AD GREG. PAP.

Henricus non vsurpatiue, sed pia Dei ordinatione Rex Hildebrando non iam Apostolico, sed falso monacho.

Hanc talem pro confusione tua salutationem promeruisti, qui nullum in Ecclesia ordi-

ordinem prætermisisti, quem confusionis, non honoris, maledictionis, non benedictionis participem non feceris. Vt enim de multis pauca & egregia loquamur: rectores sanctæ Ecclesiæ, videlicet Archiepiscopos, Episcopos, vel presbyteros non modo non tangere, sicut christos Domini, non timuisti, quin sicut seruos, nescientes quid faciat dominus eorum, sub pedibus tuis calcasti. In quorum conculcatione tibi fauorem ab ore vulgi comparasti, quos omnes nihil scire, te autem solum omnia nosse iudicasti. qua vtique scientia non ad ædificationem, sed ad destructionem vti studuisti: vt iure hoc beatum Gregorium, cuius nomen tibi vendicasti, de te credamus prophetasse, dicentem sic: Ex affluentia subiectorum plerumque animus Prælati extollitur; existimat se plus omnibus nosse, cum se videt plus omnibus posse.

Et nos quidem hæc omnia sustinuimus, dum Apostolicæ Sedis honorem conseruare studuimus: sed tu humilitatem nostram *timori fore intellexisti, ideoq. in ipsam regiam potestatem nobis a Deo concessam exurgere non timuisti, quam a nobis auferre ausus es minari, quasi nos a te regnum acceperimus, quasi in tua, & non in Dei manu sit regnum vel Imperium. Quia dominus noster IESVS Christus nos ad regnum, te autem non vocauit ad sacerdotium. Tu enim his gradibus ascendisti, scilicet astutia, & fraude, quodq. monachica professio abominatur, pecunia fauorem, fauore ferrum, ferro Sedem pacis adisti, & de Sede pacis pacem turbasti, dum subditos in Prælatos armasti, dum Episcopos nostros a Deo vocatos tu non vocatus spernendos docuisti; dum laicis *ministerium eorum super sacerdotes vsurpasti, vt ipsi deponant, vel condemnent, qui ipsos de manu Domini per impositionem manuum Episcoporum docendos acceperant. Me quoque (licet indignus inter Christianos sum ad regnum vocatus) te teste, quem sanctorum Patrum traditio soli Deo iudicandum docuit; nec pro aliquo crimine, nisi a Fide (quod absit) exorbitauerim, deponendum asseruit: cum etiam Iulianum Apostatam prudentia sanctorum Episcoporum non sibi, sed soli Deo deponendum commiserit. Ipse vero quid verus Papa beatus Petrus clamat? [a] Deum timete, Regem honorificate. Tu, inquam, quia Deum non times, me constitutum eius in honoras. vnde beatus Paulus, [b] vbi Angelo de cælo, alias si prædicauerit, non pepercit: te quoque in terris alia docentem non excepit. ait enim: Si quid vel ego, vel Angelus e cælo præter id, quod euangelizauimus, vobis euangelizauerit, anathema sit. Tu igitur hoc anathemate, & omnium Episcoporum nostrorum iudicio damnatus, descende, vendicatam tibi Sedem Apostolicam relinque, alius in solium beati Petri ascendat, qui nulla violentia religionem palliet, sed beati Petri sanam doctrinam doceat] hucusque Henrici epistola, cui eiusmodi inhæret subscriptio: Ego Henricus Rex Dei gratia cum omnibus Episcopis nostris tibi dicimus: Descende, Descende.]

* timoré forte

* vsus,

a 1. Petr. 2.
b Gal. 1.

HENRICVS QVID AD ROMANOS.

Scripsit tunc etiam ad populum Romanum epistolam, ex qua istud fragmentum ibidem recitatur: Exurgite in eum, fidelissimi, & primus in fide sit primus in eius damnatione. Non autem vt sanguinem eius effundatis, dicimus; quippe cum maior sit sibi post damnationem pœna vita quam mors: sed vt eum, si nolit descendere, cogatis, & alium communi omnium Episcoporum, & vestro consilio a vobis electum in Apostolicam Sedem recipiatis, qui quod iste in Ecclesia vulnerauit, curare velit & possit] hæc ibi: Insuper & hæc ab eodem Rege ad Hildebrandum, vt se habet inscriptio:

RVDSVM HENRICVS AD GREG. PAP.

Cum hactenus a te ea, quæ sunt patris, expectarem, tibiq. in omnibus magna fidelium nostrorum indignatione obedirem; recepi a te vicissitudinem, qualem oportebat ab eo, qui vitæ, regniq. nostri perniciosissimus hostis esset. Nam cum primum omnem hereditariam dignitatem, quæ mihi ab illa Sede Apostolica debebatur, superbo ausu rapuisses; longius inde progrediens, regnum Italiæ pessimis artibus alienare tentasti. neque hoc contentus, in reuerendissimos Episcopos, qui nobis velut dulcissima membra vniti sunt, manum mittere non timuisti, eosq. superbissimis iniurijs, acerbissimisq. contumelijs contra diuina & humana iura (vt ipsi aiunt) exagitasti. Quæ omnia cum ego quadam patientia dissimularem; tu hoc non patientiam, sed ignauiam existimans, in ipsum caput insurgere ausus es, mandans quæ nosti, scilicet (vt tuis verbis vtar) quod aut tu morereris, aut mihi animamq. regnumq. tolleres] hactenus ibi. Sed quam disparia ista ab his, quæ per Gregorium sunt sæpe litteris scripta, quæ dicta sunt superius, fidem faciunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVAE HENRICVS PRO ANTIPAPA.

Decernũtur inter hæc ab Henrico ipso pro Antipapa legationes ad Christianos Prin A
cipes,& inter alios ad Regem Angliæ,a quo non recipitur Legatus missus. docent hæc
litteræ ad Legatũ redditæ a Lanfranco Archiepiscopo Cantuarien si,quæ sic se habent:

f. Hugoni Lanfrancus * Hu.

Litteras tuas,quas mihi per portitorem mearum misisti, susce pi & legi, & displicuerunt mihi quædam quæ in eis inueni. Non probo, quod Papam Gregorium vituperas: quod Hildebrandum eum vocas: quod Legatos eius Spinosulos nominas:
a Eccl. 11. quod Clementem tot & tantis præconijs tam * propere exaltas. Scriptum est enim,[a]
f. præposteræ non esse laudandum in vita sua hominem, nec detrahendum proximo suo. Adhuc incognitum est humano generi, quales nunc sint, & quales futuri sint in conspectu Dei. Credo tamen, quod gloriosus Imperator sine magna ratione tantam rem non
est aggressus patrare, nec sine magno auxilio Dei tantam potuit victoriam consum- B
mare. Non laudo vt in Anglicam terram venias, nisi a Rege Anglorum licentiam veniendi prius accipias. Nondum enim Insula nostra priorem refutauit, nec vtrum huic obedire debeat, sententiam promulgauit. Auditis vtrimque causis, si ita contigerit, perspicacius quid fieri oporteat,prouideri valebit] hucusque ibi.

PORTENTVM IN ECCLESIA.

Audisti quæ tum Episcopi schismatici sæpe condemnati simoniaci,tumq.Henricus ipse in eodem satanico conuenticulo Brixiensi sint nullo exemplo maiorum ausi? vt quem per annos octo orbis Catholicus cognouerit legitimum Ecclesiæ Catholicæ caput, & Ecclesiæ Romanæ Pontificem, eumdemq. Rex suo calculo confirmauerit (vt quæ sunt superius dicta ipso eius ingressu Pontificatus, ostendunt) eidem ipsi de ipsius electione quæstio moueatur: quin & inauditus, immo nec vocatus ad Synodum condemnetur. Quod huic simile portentum vidit aliquando populus Christianus? C
Quod huic simile monstrũ peperit aliquando ex connubio satanæ hæresis,vel schisma produxit? Ad quod confodiendum, mox vt apparuit, gladio verbi Dei insurrexere viri doctissimi, vita sanctissimi: inter quos primum tenuit locum sanctus Anselmus Lucensis Episcopus. de quo plura superius dicta meminimus. Hic statim, vt talem bestiam erectam vidit, & exaltatam super Cathedram Petri, aduersus eumdem Guibertum,vendicantem sibi nomen Pontificis, in defensionem Gregorij, Christi legitimi successoris,scripsit epistolam, ipsam publicam, quam maiores nominauere Encyclicam, ad omnes ecclesias: quæ licet modo non extet, fragmentum tamen ipsius Vrspergensis Abbas, licet a partibus schismaticorum stans, quod recitat, hic reddamus, vt se habet his verbis:

S. ANSELMVS LVCENSIS DEFENSOR GREGORII PAP.

Scripsit post hæc Anselmus Lucensis Episcopus epistolam ad eumdem Guiber- D
tum, in qua illum præuaricatorem, ac superbum cognominat, inter alia subinferens: Vt ergo de beato Gregorio patre nostro dicam, quod de Cornelio scripsit beatus Cyprianus: Factus est Episcopus de Dei & Christi eius iudicio; de clericorum pene omnium, & (vt verius dicam) omnino omnium testimonio; de plebis, quæ tunc aderat,suffragio,de sacerdotum antiquorum, & bonorum virorum collegio, cum nemo ante se factus esset, cum Alexandri locus, id est cum locus Petri, & gradus sacerdotalis cathedræ vacaret. Quo occupato, & de Dei voluntate, atque omnium nostrum consensu ordinato, quisquis iam Episcopus voluerit fieri, foras fiat necesse est, nec habet ecclesiasticam ordinationem, qui Ecclesiæ non tenet vnitatem. Quisquis ille fuerit, licet multum de se iactans, sibi plurimum vendicans,probatus est alienus, foris est. Et cum post primum secundus esse non possit, quisquis post vnum, E
qui solus debet esse, factus est, non iam secundus ille, sed nullus. Hæc priori sententiæ valde contraria scripsit Anselmus Episcopus,vir litteris apprime eruditus, ingenio acutissimus, facundia præcipuus, & (quod omnibus maius est) in Dei timore, & sancta conuersatione nominatissimus: adeo vt tam in vita, quam post mortem referatur miraculis clarus] hæc Vrspergensis, qui pro aduersarijs militarit, sed potentia veritatis coactus fuerit ista fateri. dolemus excidisse illud integrum egregium viri doctissimi monimentum, nec nisi recitatum superius nos potuisse reperire fragmentum.

DEVS DEDIT CARDINALIS COMMENTAR.

Deusdedit presbyter Cardinalis sanctæ Romanæ Ecclesiæ tituli sanctorum Apostolorum, scripsit ad Victorem Papam, successorem Gregorij huius, commentarium, eiusdem diri schismatis occasione, de priuilegijs Romanæ Ecclesiæ, eumdemq. quadrifariam partitum, vt ipse eius exordio docet his verbis: Primus liber continet priuilegium

A legium auctoritatis eiusdem Romanæ Ecclesiæ. & quoniam Ecclesia sine Clero esse non potest, nec Clerus absque rebus, quibus temporaliter subsistat; huic secundum subiunxi de Clero, & tertium de rebus eiusdem Ecclesiæ. Quia vero sæculi potestas Dei Ecclesiam sibi subiugare nititur; libertas ipsius & Cleri, & rerum eius tertio, & maxime quarto libro euidenter ostenditur] est apud nos exscriptum volumen, fine tamen carens. Inter alia autem agens de præsenti schismate, auctorem eius declamat fuisse Guibertum iam depositum,& sæpe excommunicatum Archiepiscopum Rauennatem iam ante, schismatis Cadaloici antesignanum tempore Alexandri Secundi. de quo habet ista:

GVIBERTVS AVCTOR SCHISMATIS. *viij.

Post præstita domino suo beatæ memoriæ Septimo Gregorio Papæ fidelitatis sacra-
menta, & obedientiam, * viiij. annis exhibitam, Apostolicum thronum inuasit, coo-
B perante sibi Henrico Rege, quem seducendo in simoniacam hæresim, in quam idem Henricus dudum inciderat, profundius impulit, & auertit ab obseruatione iuramenti,quod apud Canusium Tusciæ oppidum præbuerat eidẽ domino Papæ ad integrandam pacem, & iustitiam in regno, quod multa superbia, & malitia perturbauerat: propter quæ omnia post multam deprecationem eiusdem domini Papæ, vt resipisceret, & sæpenumero vocationem, vt satisfaceret, tandem primum excommunicatione, deinde nisi acquieuerit, comminatione depositionis a regno iterum, iterum ad iuramentum satisfaciendi compulsus est. sed postea (vt dictum est) a præfato Guiberto, nouo Simone mago, veluti alter Nero seductus est, scilicet quod non oporteret eumdem veluti tantum Regem Apostolicæ Sedis iudicio cuiquam satisfacere, ac si non esset de ouibus beati Petri, & exceptus ab ea obligatione, de qua eidem a Deo di-
C citur: Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælo &c. Eiusdem itaque suasione præfata duo iuramenta transgrediendo, iterum, quousque resipisceret, synodali Apostolicæ Sedis iudicio vinculis anathematis obligatus est] hæc de exordio schismatis. Porro (inquit Bertholdus) Henricus totam Italiam adeo conturbauit,vt nullus securus ad Limina Apostolorum ire posset,qui non prius abiuraret,quod ad Papam Gregorium diuersurus non esset]

Sancti Anselmi presbyter pœnitentiarius B. qui res ab eo præclare gestas conscripsit, de Guiberto tamquam spectro apparente inopinato pontifice,qui iam olim creatum Gregorium legitimum Romanum Pontificem visitasset, coluisset, & digno obsequio veneratus esset, hæc habet: Hic namque, nobis cernentibus, omnem obedientiam & subiectionem domno nostro Gregorio Papæ exhibuit. Sed & ipse Gregorius cum honore illum ac dilectione in sacro Lateranensi palatio recepit hospitio, & pro-
D ximum etiam illum a dextris suis in sancto habuit Concilio, & primum in omnibus, quibus digne oportuit. Ille autem non post multa per superbiam incidit in inobedientiam] & inferius,cum quasi per laruam impositam est transformatus in Papam, hæc subijcit: In eius promotione scilicet Roma non quæritur, nec Romanus aut Clerus, aut populus. Vnus quidem affuit Hugo nomine, Candidus facie, nigerrimus mente, Cardinalis olim, sed dudum pro suis sceleribus iuste excommunicatus, & abiectus. Hic damnatus damnatum, periurus periurum, parricida laudat parricidam. In loco siquidem horrido & asperrimo, in medijs niualibus Alpibus,vbi fames assidua, frigus pene sempiternum, locus iste vicus est pro ciuitate, qui Brixinorium vocatur,altissimis circumdatum scopulis,vbi vix etiam nomen obtinetur Christianitatis,promouetur.Hic principalis Ecclesiæ priuilegia,hic summi sacerdotij iura, hic sanctorum Patrum instituta,hic omnia euacuantur canonica decreta. Nimirum si qui ro-
E gassent,vt alium cælis imponeret Deum; quantũ in ipso erat,existimo,faceret & confirmaret] hæc de Guiberto & Hugone Antipapæ promotore, & inferius de Henrico Rege omnium malorum auctore per ipsum Gregorium Papam sæpe admonitum addit ista: Ille autem in sua permanens detestabili pertinacia: admonetur rursus ab Apostolico affectu paterno, missis ad eum episcopis, Albanensi & Paduano. At qui dum non emendatur, rursum periculosissime excommunicatur] hæc auctor.

HVGO CAND. EXCOMMVN. PROMOTOR ANTIPAPAE.

Sed accidit plane secundum propheticum illud oraculum: [a] Diuisi sunt ab ira vul- *a Psal. 54.*
tus eius: & appropinquauit cor illius] vt magis inhæreret, strictiusq. atque coniun- CHRISTVS
ctius iungeretur suæ Ecclesiæ Christus auctor ipsius, quo contentiosius & execrabilius PRO ECCL. SVA SOLLICITVS.
ab vnitate corporis discinduntur tabo corrupta membra putentia. Cum simul ac An-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tichristus insurgit, Christus adiutor exurgit: cum molitur ille damna ac parat exitium; auxilium iste, qui ferat inuenit, afferatq. præsidium, cum videlicet maiori miraculo persecutorem suæ constituit Ecclesiæ defensorem, qui superet Imperatorem, & cum eo pellat ab Vrbe monstrum, Petri Cathedræ peruasorem. Vt plane ista considerans illud cum Prophera exclamare compellar: [a] Domine consideraui opera tua, & expaui.]

[a] Hab. 3. ex. 10.

ROBERTVS GVISCARDVS EXCIGIT GREG. PAPAE.

Nam obserua, quæso, magnam Dei prouidentiam in sancta Romana Ecclesia gubernanda. Cum enim (vt audisti) septimo Kal. Iulij sacrilegum illud decretum de Gregorij Papæ abrogatione in conuenticulo illo Brixiensi, seu Brixinonensi editum esset: post triduum, nempe tertio Kal. Iulij Robertus ille Guiscardus, quem hactenus audisti hostem implacabilem Romanæ Ecclesiæ, & inuasorem bonorum eius, ob idq. sæpe ab eodē Pontifice in Concilijs Romæ habitis excommunicatum, sponte veniens se eidem Gregorio Papæ subiecit, & ipsius & vniuersæ Romanæ Ecclesiæ defensorem fidelissimum exhibens, præstitit eidem iuramentum fidelitatis verbis istis, secundum formulas consuetas: [b]

[b] Greg. lib. 8. epist. 1. epist.

IVRAMENTVM FIDELITATIS ROBERTI GVISCARDI.

Ego Robertus Dei gratia, & sancti Petri, Apuliæ, & Calabriæ, & Siciliæ Dux, ab hac hora & deinceps ero fidelis sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Apostolicæ Sedi, & tibi domino meo Gregorio vniuersali Papæ. In consilio, vel facto, vnde vitam, aut membrum perdas, vel captus sis mala captione, non ero. Consilium quod mihi credideris, & contradixeris ne illud manifestem, non manifestabo ad tuum damnum, me sciente. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, tibiq. adiutor ero, ad tenendum, acquirendum, & defendendum Regalia sancti Petri, eiusq. possessiones pro meo posse contra omnes homines (excepta parte Firmanæ Marchiæ, & Salerno, atque Amalphi, vnde adhuc facta non est definitio) & adiuuabo te, vt secure, & honorifice teneas Papatum Romanum. Terram sancti Petri, quam nunc tenes, vel habiturus es, postquam sciuero tuæ esse potestatis, nec inuadere, nec acquirere quæram, nec etiam deprædari præsumam, absque tua, tuorumq. successorum, qui ad honorem sancti Petri ordinati fuerint, certa licentia, præter illam, quam tu mihi concedes, vel tui concessuri sunt successores. Pensionem de terra sancti Petri, quam ego teneo, aut tenebo, sicut statutum est, recta fide studebo vt illam annualiter sancta Romana habeat Ecclesia. Omnes quoque ecclesias, quæ in mea persistunt dominatione, cum illarum possessionibus dimittam in tua potestate, & defensor ero illarum ad fidelitatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Et si tu, vel tui successores ante me ex hac vita migraueritis: secundum quod monitus fuero a melioribus Cardinalibus, clericis Romanis, & laicis, adiuuabo vt Papa eligatur, & ordinetur ad honorem sancti Petri. Hæc omnia suprascripta obseruabo sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & tibi cum recta fide: & hanc fidelitatem obseruabo tuis successoribus, ad honorem sancti Petri ordinatis, qui mihi (si mea culpa non remanserit) firmauerint inuestituram, a te mihi concessam. Actum Ciprani (*est oppidum in Latio, ad ripam Liris fluminis*) tertio Kal. Iulij.] quibus mox ista subijciuntur, de facta per Gregorium Papam inuestitura:

INVESTITVRA DE APVLIA, CALABRIA, ET SICILIA.

Ego Gregorius Papa inuestio te, Roberte Dux, de terra, quam tibi concesserunt antecessores mei sanctæ memoriæ Nicolaus, & Alexander. De illa autem terra, quam iniuste tenes, sicut est Salernus, & Amalphia, & pars Marchiæ Firmanæ, nunc te patienter sustineo in confidentia Dei omnipotentis, & tuæ bonitatis, vt tu postea exinde ad honorem Dei, & sancti Petri ita te habeas, sicut & te agere, & me suscipere decet, sine periculo animæ tuæ & meæ. Actum vt supra] his subijcitur de persoluendo censu eiusmodi iurata promissio, hoc titulo annotata:

Constitutio reddendi census in die Resurrectionis Domini, duodecim videlicet denariorum Papiensis monetæ, de tota Apulia, Calabria, & Sicilia, *pro vnoquoque iugo boum*.

ANNVA PENSIO QVANTA ET QVO DIE SOLVENDA.

Ego Robertus Dei gratia, & sancti Petri, Apuliæ, Calabriæ, & Siciliæ Dux, ad confirmationem traditionis, & ad recognitionem fidelitatis, de omni terra, quam ego teneo proprie sub dominio meo, & quam adhuc nulli Vltramontanorum ita concessi vt teneat: promitto me annualiter pro vnoquoque iugo boum pensionem, duodecim scilicet denarios Papiensis monetæ persoluturum beato Petro, & tibi domino meo Gregorio Papæ, & omnibus successoribus aut tuis, aut successorum tuorum Nuntijs.

Huius

Huius autem pensionariæ redditionis erit semper terminus, finito quoque anno, sanctæ Resurrectionis dies Dominicus. sub hac vero conditione huius persoluendæ pensionis obligo me, & meos siue heredes, siue successores tibi domino meo Gregorio Papæ, & successoribus tuis] ita Deus cum permittit sæuire impium aduersus iustum, tutum parat iusto confugium, & constituit in persecutione Ecclesiæ defensorem.

Gregorius autem vbi accepit, quod factum esset per pseudoepiscopos in Brixiensi conciliabulo schisma nefandum: de his omnibus fideliores Episcopos sub eodem Duce Roberto Guiscardo, & alijs Principibus Campaniæ constitutos his litteris mense Iulij reddidit certiores, quibus & ab eis preces exigit, Legatis hac de causa ad omnes missis: [a]

[a] Greg. lib. 8. ep. 5.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei dilectis in Christo fratribus, & Coepiscopis, per principatus, & Apuliam & Calabriam constitutis salutem & Apostolicam benedictionem.

DE ORORTO SCHISMATE GREG. PAPAE LITTERAE.

Fraternitatem vestram credimus non latere, quod plures satanæ discipuli, qui falso nomine per diuersas regiones censentur Episcopi, diabolica inflammati superbia, sanctam Romanam Ecclesiam conati sunt confundere; sed per auxilium omnipotentis Dei, & auctoritatem beati Petri iniqua eorum præsumptio, sicut eis verecundiam & confusionem, ita Apostolicæ Sedi gloriam contulit & exaltationem. Siquidem a minimo vsque ad maximum, videlicet Henricum Regem, qui vertex & auctor pestiferi consilij fuisse probatur, per plurima corporum, & animarum pericula persensit, quantas beati Petri auctoritas ad vleiscendam eorum iniquitatem vires obtineat.

Scitis enim, quia tempore domini nostri Papæ Alexandri, quid idem Henricus iniuriæ Ecclesiæ beati Petri per Cadolum inferre excogitauerit, & in quantam, quamq. turpissimam, mundo teste, confusionis foueam cum eodem Cadolo cadere meruerit, & quanto honore, quātisq. triumphis in exercitatione illius certaminis Respublica nostra profecerit. Scitis etiam quam detestandis conspirationibus ante annos tres, præcipue Longobardorum Episcopi se aduersum nos, eodem Henrico principante, armauerunt; & quod per defensionem beati Petri illæsi & incolumes, non sine magna nostra, nostrorumq. fidelium honoris exaltatione remansimus. Illis vero priorem arbitrantibus non sufficere sibi confusionem, a planta pedis vsque ad verticem Apostolicæ vltionis quantum feruerit gladius, adhuc plaga incurabilis præstat indicium. Sed in his omnibus obduratas meretricum more frontes gerētes, & impudentia sua iram sibi iusti iudicij thesaurizantes, qui respectu contumeliæ suæ ad sensum redire debuerant, patrem suum secuti, qui dixit: [b] Ponam sedem meam ab Aquilone, & ero similis Altissimo, pristinam conspirationem aduersus Dominum, & sanctam vniuersalem Ecclesiam conati sunt innouare, & hominem sacrilegum, sanctæ Romanæ Ecclesiæ periurum, necnon per vniuersum Romanum orbem nefandissimis sceleribus denotatum (Guibertum dicimus, sanctæ Rauennatis ecclesiæ deuastatorem) Antichristum sibi & hæresiarcham constituere. In quo nimirum satanæ conuentu illi interfuere, quorum est vita detestabilis, & ordinatio hæretica, immensitate multimodi criminis. Siquidem ad hanc insaniam illa demum eos desperatio traxit, quod neque precibus, neque seruitiorum, aut munerum promissionibus, scelerum suorum veniam apud nos *maluerint impetrare, nisi forte vellent iudicio ecclesiastico, nostræq. censuræ se, mediante misericordia, sicut decet officium nostrum, submittere. Hos itaque nullis rationibus fultos, immo omnium criminum conscientia perditissimos tanto magis vilipendimus, quanto ipsi se aliora conscendisse confidunt. Per misericordiam quippe Dei, & orationem beati Petri, quæ Simonem magum, eorum vtique magistrum ad altiora tendentem mirabiliter deiecit, speramus ruinam eorum non diu remoraturam, & quietem sanctæ Ecclesiæ, victis & confusis hostibus suis, more solito gloriosissime dilatandam.

[b] Isai. 14.

* f. meruerint

Vos itaque, dilectissimi fratres, innocentiam communis matris vestræ sanctæ Romanæ Ecclesiæ perpendentes, & quantum diabolus membra sua ad inferendam præfatæ Romanæ Ecclesiæ inquietudinem exerceat, considerantes; sicut decet, & officij vestri debitum exigit, orationibus, alijsq. modis, quibus laboranti matri succurrendum est, operam, studiumq. impendite, quatenus appareat vos legitimos eius filios

Universidad de Deusto
Biblioteca

esse, ipsiusq. contumeliam, partita nobiscum laboris diligentia, ex corde sentite. A quod si fueritis socij compassionis, eritis, auxiliante Deo, lætitiæ participes & consolationis. Cetera, quæ non inseruimus, Legatis nostris, quibus sicut nobis credere potestis, referenda commisimus. Datum Cicani (*est oppidum in Campania*) xij. Kal. Augusti.]

MICHAEL IMP. CONST. FVGIT AD GREG. PAP.

In his angustijs Gregorius constitutus, charitatis amplioribus spacijs dilatatur; nec quærens quæ sua sunt, sed quæ aliorum; suarum ærumnarum oblitus, ad ferendam opem miseris se totum conuertit. Accidit enim, vt ijsdem ferme diebus Michael Constantinopolitanus Imperator, ante triennium a Nicephoro (vt vidimus) pulsus ab Imperio, atque detrusus in monasterium, inde Ephesinus creatus Episcopus, fuga lapsus se contulerit in Italiam, auxilium imploraturus a Romano Pontifice, atque Northmannis, vt restitueretur in pristinum statum. hæc cum ex Gregorij Papæ litteris satis pateant, a Græcis tamen historicis prætermissa esse scias. Porro miseratus angustias electi Imperatoris benignius Pontifex, has litteras pro decernenda in Orientem expeditione conscripsit:

B

[a] *Greg. lib. 3. ep. 6.*

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei fratribus & Coepiscopis, in Apulia & Calabria commorantibus, salutem & Apostolicam benedictionem.

GREG. PAPA PRO EXPEDITIONE ORIENT. LABORAT.

Notum esse prudentiæ vestræ non dubitamus, gloriosissimum Imperatorē Constantinopolitanum, Michaelem videlicet ab Imperialis excellētiæ culmine indigne potius & malitiose, quam iuste aut rationabiliter esse deiectum. Qui auxilium beati Petri necnon filij nostri gloriosissimi Ducis Roberti flagitaturus Italiam petijt. Quapropter nos licet indigni Sedis ipsius curam gerentes, compassionis visceribus moti, precibus illius, necnon eiusdem Ducis annuendum esse censuimus, & a fidelibus beati Petri subueniendum sibi fore putauimus.

C

Igitur quia inter cetera multimoda suffragia istud non minus profuturum memorati Principes existimant, scilicet, vt milites auxiliatores recta fide, non dissimilibus animis ire constanter in adiutorium & defensionem præfati Imperatoris debeant, Apostolica auctoritate præcipimus; quatenus illi, qui militiam ipsius intrare statuerint, in contrariam partem proditoria tergiuersatione transire non audeant, verum (quod Christianæ religionis honor &, debitum postulat) ei præsidium fideliter impendant. Dilectioni quoque vestræ nihilo minus præcipiendo mandamus, vt eos, qui cum eodem Duce & prædicto Imperatore transfretaturi sunt, diligentissime (vt vestrum officium exigit) moneatis condignam pœnitentiam agere, & rectam Fidem, sicut decet Christianos) circa illos seruare, in omnibus actibus suis timorem Dei & amorem præ oculis habere, & in bonis operibus perseuerare; sicq. illos, fulti nostra auctoritate, immo beati Petri potestate, a peccatis absoluite. Dat. octauo Kal. Augusti.] Vidisti æstuantem Christiana charitate sanctissimi Pontificis animum, qui dum patitur in Occidente Regē potentissimum aduersarium, ipse de restituendo in Imperium electo Imperatore ita laboret? Considerasti Romanæ Ecclesiæ amplissimam dignitatem, & potestatem, vt cum deprimitur a Rege eiusdem Ecclesiæ filio, ab externo Imperatore interpelletur vt mater, & cognoscatur talis, quæ potens sit restituere Imperatores? Miranda plane rerum conuersio! dum filius Romanæ Ecclesiæ Rex abscinditur schismate, schismaticus Imperator eius quærens coniunctionem, ab ea imploret auxilium. At hæc non inaniter inchoata, sed efficaciter quidem promouit hanc in Orientem expeditionem Gregorius Papa per Robertum Guiscardum Ducē, qui in Græciam profectus est cum exercitu vna cum Boamundo filio suo anno sequenti, atque admiranda plane & digna memoria operatus est, vt suo loco dicetur auctoris huius temporis testificatione, nempe [b] Leonis Episcopi Cardinalis Ostiensis.

D

E

[b] *Leo Ost. lib. 3. c. 48. in fin.*

At non sic curat externa Gregorius, vt domestica prætermittat, quæ præ oculis habet; nam aduersus schismaticum Papam expeditionem adornat, qua hoc anno autumnali tempore Rauennatem ecclesiam ipsum tyrannice occupantem expellat, fultus auxilio Ducum, nempe Roberti, ac Iordani Principis Capuani. cuius rei perficiendæ gratia has litteras dedit ad vniuersos Christianos fideles sancti Petri: [c]

[c] *Greg. lib. 8. epist. 7.*

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei fratribus & Coepiscopis Christianam religionem defendentibus, ceterisq. clericalis ac laicalis ordinis sancti Petri fidelibus salutem & Apostolicam benedictionem.

Notum

A Notum sit dilectioni vestræ, nos tam per nos ipsos, quā & per Legatos nostros cum Duce Roberto & Iordane, ceterisq. potentioribus Northmannorum Principibus fuisse locutos. Qui profecto vnanimiter promittunt se (sicut iurati sunt) ad defensionem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, nostriq. honoris, contra omnes mortales auxilium impensuros. Idipsum quoque nobis, & qui circa Vrbem longe lateq. sunt, & in Tuscia, ceterisq. regionibus, Principes firmiter pollicentur. Vnde post Kal. Septembris, postquam tempus frigescere cœperit, cupientes sanctam Rauennatem ecclesiam de manibus impijs eripere, & Patri suo beato Petro restituere; partes illas armata manu (sicut de Domino speramus) petemus, ac per ipsius auxilium nos eam liberaturos haud dubie credimus. Quapropter nos audaciam impiorum, eorumq. qui in nos, immo in beatum Petrum se erexerunt, machinationes pro nihilo ducentes, volumus, atque

B hortamur vos, superbiam, conatusq. illorum æque nobiscum contemnere, tanto de ruina eorum certiores, quanto eos ad altiora niti ascendere cernitis. talibus namque Propheta imprecans ait: [a] Superbia eorum, qui te oderunt, ascendat semper. aperte declarans, quia audax impietas eo magis casui vicinior extat, quo amplius se ascendisse existimat. Vos ergo qui Deum timetis, & beati Petri fidelitatem tenetis, de misericordia Domini nullatenus hæsitantes prorsus sperate, & nefandorum perturbationem merita ruina cito sedandam, & sanctæ Ecclesiæ pacem & securitatem (sicut de diuina clementia confidentes promittimus) proxime stabiliendam] ista Gregorius secundum hominem, non ex prophetico spiritu, vt declararunt euenta: nam non tam cito sunt facta.

[a] *Psal. 73.*

EX HIS CALVMNIA IN GREG. STRVCTA.

C Sed ex his calumniæ occasio oborta est, vt dicerent aduersarij, falsum vatem Gregorium esse probatum, quasi prænuntiauerit Regem Henricum proxime defungendum, & alia plura id genus: cum tamen (vt dictum est) non ex prophetico spiritu ista se dicere profiteretur, sed ex communiter accidentibus: quod quæ seminauerit homo, hæc & metet, secundum illud Iob: [b] Recordare, obsecro te, quis vmquam innocens perijt? aut quando recti deleti sunt? Quin potius vidi eos qui operantur iniquitatem, & seminant dolores, & metunt eos, flante Deo perisse, & spiritu iræ eius esse consumptos] Quod igitur certus esset Gregorius, quam iustissimā tueri se causam, Regem vero niti sceleribus; magna fiducia, Deum præsto fore defendentibus Dei causam, asserere non dubitauit, & victoriam polliceri. Nec quidem dici potuit esse mentitus, si finis totius certaminis attendatur. Vicit plane Ecclesia tandē, vicere Pontifices Orthodoxi, schismatici periere, quorum e monumentis effossa sunt ossa atque dispersa. Rex ipse sæpe victus atque

[b] *Iob 4.*

D confusus, regni exors, infelici exitu diem clausit extremum. sed ad historiā redeamus.

Expeditio autem ista hisce litteris promulgata tanto animi ardore, refrixit fortasse, eo quod pœnituerit Gregorium rem armis agere, cum tamen non cessaret litteris cum Rauennate Clero, & comprouincialibus Episcopis, & alijs pertractare, vt Rauennatis ecclesiæ legitimus eligeretur Antistes, iam ante triennium damnato eiusdem ecclesiæ Archiepiscopo Guiberto: nam de his extant [c] duæ eiusdem Gregorij epistolæ, eodem argumento conscriptæ. Verum cum sciret ab his se abstinere schismaticos, immo & in contrarium niti, & pro Guiberto propensiori studio laborare: eligit ipse Romæ Archiepiscopum Rauennatem Richardum quemdā, magnæ æstimationis virum. de quo ad Rauennates, & alios scribens epistolam hoc anno, tertio Idus Decembris, hæc habet: [d]

[c] *Greg. lib. 8. ep. 12. 13.*

ELIGITVR ALIVS ARCHIEP. RAVEN.

[d] *Id. lib. 8. ep. 14.*

E Igitur Rauennatem Archiepiscopum fratrem nostrum Richardum, quem post longas & innumeras peruasorum occupationes nuperrime, sicut olim a beato Petro Apollinarem, ita nunc Rauennas ab Ecclesia Romana meruit accipere, studium vobis sit, tum propter amorem sanctissimi Martyris, cuius sede & reliquijs illa decoratur ecclesia, tum propter Apostolicæ Sedis debitam reuerentiam, consilijs & auxilijs vestris confirmare, atque ei contra illius sancti loci sacrilegum damnatumq. deuastatorem Guibertum modis omnibus subuenire. Præcipimus namque, vt iuxta consilium Legati nostri, qui defert has litteras, prædicto confratri nostro Archiepiscopo consiliū & auxilium vestrum ita firmiter promittatis, vt dum inimici audierint, rebus suis cogantur, & iure possint timere; cum vero amici & fideles nostri cognouerint, vna nobiscum de promissis vestris certissime queant sperare] hæc de nouo electo Archiepiscopo Rauennate Gregorius.

Inter hæc autem docens, quibus nitendum auxilijs, vt consequi victoriam possint

aduer-

Universidad de Deusto
Biblioteca

aduersus Henricum Regem, Ecclesiæ Catholicæ perduellem, ista scribit Gregorius A
mense Septembris ad clericos & laicos in Germania constitutos communionis Apostolicæ Sedis, his verbis: [a]

a Greg. lib. 8. ep. 9.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei omnibus Archiepiscopis, Episcopis, diuersiq. ordinis ac potestatis clericis & laicis in Teutonico regno morãtibus, illis dumtaxat, qui sanctæ Romanæ Ecclesiæ fideliter obediunt, salutem & Apostolicam benedictionem.

GREG. AD GERMANOS CATHOLICOS.

Quoniam nihil in terra sine causa fit (sicut [b] Sapientis verba testantur) quod dudum sancta Ecclesia fluctuum, procellarumq. mole concutitur, quodq. tyrannicæ percussionis hactenus rabiem patitur, non nisi peccatis nostris exigentibus euenire credendum est. nam iudicia quidem Dei verissime omnia iusta sunt. Sed inter hæc omnia, charissimi, dispositionis diuinæ patientiæ virtus habenda est, & spei certitudo ad cælestis misericordiæ respectum firmiter est extendenda: cuius manus nec ad exaltandã Fidelium humilitatem imbecillis, nec ad deijciendam hostilis elationis superbiam inuenitur inualida. Quod si culparum morbis pœnitentiæ medicamen adhibuerimus, & excessus, ac negligentias nostras ipsi districte corrigendo, ad iustitiæ formam mores nostros instituerimus: profecto superna virtute auxiliante, & inimicorum rabies cito peribit, & diu desideratam pacem, atque securitatem Ecclesia sancta recipiet. Quare vobis specialiter, qui in sacerdotalis regiminis apice præsidetis, nunc loquimur, ad quorum sollicitudinem subditorum vita pertinere dignoscitur, & quos de commissi gregis cura in venturo examine rationem reddere conuenit, vt subiectorum actus, & conuersationem nulla gratia, vel timore præpediente, diligenter inspiciatis, & discretæ correctionis acie, quæ amputanda sunt, resecare, secundum quod a matre vestra sancta Romana Ecclesia accepistis, non negligatis, illud prophericum in memoria semper habentes: [c] Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino. De cetero dilectionem omnium vestrum monemus atque hortamur, fiduciam vestram in Domino, & in potentia virtutis eius constituite, quoniam fini appropinquauit aduersariorum malitia, ita vt qui desperantes, in Dominum, & sanctam Romanam omnium matrem Ecclesiam se extulerunt, temeritatis pœnas haud multum tardante meritã ruina persoluant. Nonnulli tamen (quod de cunctis optaremus) per misericordiam Dei de errore suo, & iniquitatis via pœnitentes, ad gremium matris conuertentur Ecclesiæ. Dat. decimo Kal. Octobris] hæc ipse.

b Iob. 5.

B

C

c Psal. 4.

Idibus vero Octobris apud Elstram fluuium pugnatum esse, ibiq. cæsum Rudolphum Regem, Marianus Scotus testatur his verbis, hoc eodem anno millesimo octogesimo: Bellum iuxta Elstra committitur, in quo Rudolphus Rex occiditur, & Mersepurg sepelitur, Saxones vero victoriam reportarunt] hæc eadem de nece Rudolphi hoc eodem anno Vrspergensis & Sigebertus & alij, qui fauentes Henrici causæ contra Rudolphum, pœnituisse tradunt Rudolphum in ipso exitu, quod contra Henricum Regem insurrexisset; dexteramque, qua ipsi iurauerat, iusto Dei iudicio abscissam pati. At licet Saxonibus, qui a partibus Rudolphi stabant (vt audisti) victoria cesserit, nece tamen Rudolphi compensata, nullius est æstimata momenti; immo iactura Regis visa est in partem aduersam aduolasse, cum ita eius fama consternati sunt victores, vt se victos cæso capite faterentur, victi vero econtra in vnius occisione gloriarentur, omnes cum eo capite amputato esse necatos.

RVDOLPHVS REX OCCISVS IN PROELIO.

D

DE S. MATTHAEI CORPORIS INVENTIONE, d Leo Ost. lib. 2. cap. 5.

E

Dum autem ista in Germania gererentur, contigit in Italia, Salerni ciuitate inueniri venerandum corpus Matthæi Apostoli, quod illuc (vt suo loco dictum est) translatum ante centum [d] vigintiquinque annos ob varia bellorum discrimina occultatum ex memoria hominum iam effluxerat. quod vbi repente apparuisset, veluti Apostolus omnibus profuturus se exhibuisset, erexit omnium animos, magnoq. affecit gaudio. Cumq. eius ciuitatis Archiepiscopus Alphanus de his Gregorium Papam certiorem reddidisset, hanc ab eodem redditam accepit epistolam: [e]

e Greg. lib. 8. ep. 8.

GREG. PAPA AD ARCHIEP. SALERN.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei fratri & Coepiscopo Salernitano Alphano salutem & Apostolicam benedictionem.

Diuinæ pietatis respectui gratias ingentes referimus, cuius dignatio thesaurum magnum, totiq. mundo profuturum nostris temporibus misericorditer reuelauit. Non immerito tuæ quoque dilectioni gratulamur, quæ tãtæ lætitiæ cælitus reuera ostensæ parti-

A participes nos efficere sollicite procurauit. Credimus siquidem, & incunctanter asserimus de tanti corporis inuentione, non solum ipsum beatum Matthæum Apostolum, verum etiam ceteros Coapostolos cum Sanctis omnibus, ipsisq. cælestibus spiritibus, & glorioſa Dei genitrice Maria mortalibus congaudere, atque ipsorum omnium studia circa humanum genus hoc tempore quam alijs multo propensiora, multumq. esse vberantiora. Si enim ceteris temporibus Sanctorum nos patrocinia pia non deserunt; certissime tunc potissimum speranda sunt eorum auxilia, cum sanctissima eorum corpora nobis quasi rediuiua diuino nutu manifestantur: & sicut per corporei aspectus intuitum tamquam fides cernitur, spes iam tenetur; ita eorum beneficia tunc erga deuotos renouari, vberiusq. redundare credendum est. Vnde & iam sancta vniuersalis Ecclesia dudum magnis turbinibus, varijsq. procellis impulsa, clamorem
B suum a Domino exauditum non dubitet, sed ad quieti litoris securitatem alacres oculos e vicino intendens, beati Matthæi Apostoli præsidium iuxta contempletur: quoniam iam nunc non dubie agit in portu, cui suam præsentiam ostendit gubernator antiquus. Quapropter de tanti thesauri reuelatione tua fraternitas exultet in Domino, & beatissimas reliquias debitæ venerationis obsequijs dignis amplectens, gloriosum Ducem Robertum, ipsiusq. nobilissimam coniugem hortetur & moneat, quatenus tam insigni patrono, qui se eis demonstrare dignatus est, reuerentiam & honorem decenter exhibentes, ipsius gratiam & auxilium sibi, suisq. promereri, nisibus summæ deuotionis contendant. Dat. Romæ xiiij. Kal. Octob.] hactenus Gregorius ad Alphanum Salernitanum Antistitem, de quo apud [a] Leonẽ Ostiensem est honorifica mentio. Hic nobilis Salernitanus ex clerico factus monachus S. Benedicti, virtutibus, atque
C doctrina celebris prodijt Abbas, & ex Abbate est tractus ad Episcopatum inuitus.

a Leo Ost. lib. 3. cap. 6. 7.

DE ALPHANO ARCHIEPISC. SALERNITANO.

Ceterum quod pertinet ad sancti Matthæi Apostoli inuentionem, haud absque diuinæ prouidentiæ nutu id factum quis dicere poterit, sed magno dispensationis consilio voluit Deus suum Apostolum innotescere, antequam illuc Apostolicus confugeret exul, ibi Christo spiritum redditurus, vt exciperet hospitio, & iungeret sepulturæ, quem tyrannica persecutio fecisset extorrem Christi Vicarium, Petri Apostoli successorem, vindicem ecclesiasticæ libertatis, restitutoremq. diu exulis disciplinæ. Itanamque occurrisse meminimus, sed per visum, Basiliscum martyrem sancto Ioanni Chrysostomo, quem paria certamina proscripsissent, parq. victoria coronasset. Sic & immenso fatigato labore ex persecutione Arriana sancto Ambrosio Mediolani sese Martyres prodidere in auxilium, quo Fideles non dubitarent, certantibus pro Ecclesia cælites præsto esse, ac subsidia ministrare.

D

Sed iam quæ sunt reliqua anni huius rerum gestarum Gregorij Papæ, in medium afferamus. Hic in ærumna ex Henriciana persecutione positus cum esset, ex diuersis orbis partibus diuersas legationes accepit: nempe ab Anglorum Rege Guillelmo, ad quem referibens, cum amorem suum erga ipsum, quo eum semper fuerit prosecutus, insinuet, de seipso angustijs circumuallato ista commemorat: [b] Nunc tamquam dilectissimo filio, & fideli sancti Petri, & nostro (sicut in familiari colloquio facerem) consilium nostrum, & quid te postmodum facere deceat, paucis aperio. Quando enim complacuit ei, qui exaltat humiles, vt sancta mater nostra Ecclesia ad regimen Apo-
E stolicæ Sedis inuitum satis ac renitentem, Deo teste, me raperet; continuo nefanda mala, quæ a pessimis filijs suis patitur, officij mei, quo mihi clamare, & numquam cessare iniunctum est, necessitate compulsus, amore quoque ac timore conuictus, dissimulare non potui. Amore quidem, quia sanctus Petrus a puero me in domo sua dulciter nutrierat, & quia charitas Domini Dei nostri me quasi aliquid æstimans, tanti pastoris Vicarium, ad regendam sanctam matrem nostram elegerat. Timore autem, quia terribiliter diuina lex intonat, dicens: [c] Maledictus homo qui parcit gladio suo a sanguine, ideſt qui doctrinã subtrahit ab occisione carnalis vitæ. Nunc igitur, charissime, & in Christo semper amplectende fili, cum & matrem tuam nimium tribulari conspicias, & inuitabilis nos succurrendi necessitas vrgeat, talem te volo, & multum pro honore tuo & salute in vera, & non ficta charitate moneo, vt omnem obedientiam præbeas, & sicut, cooperante Deo, gemma Principum esse meruisti, ita regula iustitiæ & obedientiæ forma cunctis terræ Principibus esse merearis: tot procul

b Greg. lib. 7. ep. 23.

QVAE GREG. CVM ANGLORVM REGE GVILLELMO.

c Ierem. 48.

dubio

Universidad de Deusto
Biblioteca

dubio, in futura gloria Principum Princeps futurus, quot vsque ad finem sæculi exemplo tuæ obedientiæ Principes saluabuntur: & si quidam illorum saluari noluerint, tibi tamen retributio nullatenus minuetur. Non solum autem, sed & in hoc mundo tibi & heredibus tuis, victoria, honor, potentia, sublimitas amplius cælitus tribuetur. exemplum tibi teipsum propone &c.] Addidit alias [a] litteras, quas scripsit ad eius coniugem Mathildem, necnon & ad Robertum eorundē filium, in regnum futurum successorem, ijsdem omnibus monita salutis impartiens, dignas omnes, quæ Annalibus intexerentur, nisi prolixitas prohiberet. Insuper dedit alias [b] Cnuto Daniæ Regi, de quo dictum anno superiori, cuius laudat erga Ecclesiam Romanam studium & obseruantiam, hortatusq. est ad contemptum sæculi, monuitq. prauos mores corrigere, quos scisset in Dania coaluisse. De cuius nece, ob quam inter Martyres meruit cooptari, dicturi sumus suo loco anno sequenti. Porro idem Gregorius Papa hoc eodem anno alias [c] litteras scripsit ad Regem Sueonum ea occasione, quod Euangelij prædicatores ex Gallia suscepissent. sic se habent:

DE GALLORVM PRAEDICATIONE AD SVEONES.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei I . . . . glorioso Sueonum Regi salutem & Apostolicam benedictionem.

Quoniam regni tui terram quosdam sacri verbi ministros fuisse ingressos audiuimus: nouerit excellentia tua, nos in Domino multum lætari, deinceps quoque de salutis vestræ reparatione plurimum spei indubitanter habere. Gallicana siquidem ecclesia non vos alienis documentis instruxit, sed quod de thesauris matris suæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ accepit, salubri vobis eruditione contradidit. Quapropter vt Christianæ religionis, & doctrinæ gratiam obtineatis vberiorem; volumus celsitudinem tuam aliquem Episcopum, vel idoneum clericum ad Apostolicam Sedem dirigere, qui & terræ vestræ habitudines, gentis q. mores nobis suggerere, & Apostolica mandata, de cunctis pleniter instructus, ad vos certius queat referre. Interim vero monemus, vt prudentia tua commissum sibi regnum in concordiæ, iustitiæq. custodia dirigat, atque disponat; ac ita circa subiectos pacis iura & æquitatis districtionem seruare inter cetera virtutum studia satagat, quatenus per temporalis regiminis sollicitudinem mereatur æterni percipere securitatem, & cum iustis vocem, totius iucunditatis plenam in extremo examine digne possit audire: [d] Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Dat. quarto Nonas Octobris.] sed prosequamur cetera.

Cum Rege quoque Hispaniarum Alphonso eidem Gregorio fuit agendum hoc anno, atque ad Regem ipsum scribendæ [e] litteræ. Perardua namque negotia intercesserunt, quorum causa comminatio ab eodem Pontifice haud leuis prodijt aduersus eumdem Regem, Ordinem Romanum persuasione cuiusdam Roberti Cluniacensis monachi recipere detrectantem, necnon vxoris suæ defunctæ consanguineam in coniugem accipere cupientē. Cuius Regis conatibus Richardus Abbas Massilienſis, idemq. sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Legatus (de quo superius dictum est) constanti animo, ne id faceret, restitisset. quam ob causam indigna Apostolicæ Sedis Legato pati ab eodem Rege coactus esset. Quæ omnia cum idem Gregorius Papa litteris eiusdem Legati comperta habuisset, magnopere commotus est; atque his malis quam citius mederi studens, ad Richardum rescribens, ipsum indigna passum consolatus est litteris, quæ adhuc extant, est q. earum exordium: [f] Quia missis litteris significasti &c.] sed & aduersus Regem acerrimus vindex canonum insurrexit, atque has ad eum litteras commonitorias scripsit: [g]

ALPHONSVM CASTELLAE REGEM GREG. PAPA PER LITTERAS CORRIPIT.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei dilectissimo in Christo filio Regi Adelphonso salutem & Apostolicam benedictionem si obedierit.

Dici non potest fili charissime, quantum nos, referente filio nostro Apostolicæ Sedis Legato Richardo nobis, cognita præclara tua obedientia lætificauerat. Tu enim coram Deo semper in visceribus nostris eras: tu apud homines maximū nobis exemplum egregiæ virtutis eras: de te apud alios Reges gloriabamur, te vere Christianum Regem, & ideo vere Regem nos habere in parte Domini IESV contra membra diaboli gaudebamus. vnde & bona tua flagrantia multas iam regiones asperserat, & velut sol quidam in Occiduis natus Orientem versus cælestis luminis radios emittebat. At nunc

a Greg. lib. 7. ep. 25. 26. 27.
b Id. ibid. ep. 21.
c Id. lib. 8. ep. 11
d Matth. 25.
e Id. ibid. ep. 3.
f Id. ibid. ep. 4.
g Id. ibid. ep. 3.

nunc comperto, quod diabolus tuæ saluti & omnium, qui per te saluandi erant, more suo inuidens, per membrum suum quemdam Robertum pseudomonachum, & per antiquam adiutricem suam perditam feminam viriles animos tuos a recto itinere deturbauit: quantum de te primo fueramus gauisi; tantum nunc confundimur, erubescimus, contristamur. Quapropter vt cognoscas quantum circa te pie solliciti sumus, per bonitatem & gloriam Christi te paterna voce monemus & contestamur, remoue a te quantocyus Consiliarios falsitatis: [a] Corrumpunt quippe mores bonos colloquia praua. Acquiesce autem per omnia Legato nostro Fratri Richardo, quem nisi prudentem & religiosum cognouissem, nostras ei vices nullatenus commisissem. Non te a salutaribus monitis atque institutis nostris incestæ mulieris amor abripiat: quia mulieres apostatare faciunt sapientes. ipsum quippe Regem [b] sapientissimum Salomonem incestus mulierum turpiter amor deiecit, & florentissimum regnum Israel Dei iudicio pene totum de manu posteritatis eius abrupit.

a 1. Cor. 15.
b 3. Reg. 1.

COMMONITIONE VRGET REGEM.

Proinde per Dominum nostrum IESVM Christum, & per potentiam aduentus eius, nec non & ex auctoritate beatissimorum Apostolorū Petri & Pauli iterum monemus, atque præcipimus, ne teipsum despicias, ne in gloria tua maculam ponas, ne posteritatem carnis tuæ inutilem & reprobam facias; vires resume, illicitum connubium, quod cum vxoris tuæ consanguinea inisti, penitus respue. De tua emendatione nos, & totam Ecclesiam Dei cito lætifica; ne si inobediens (quod auertat Deus) esse malueris, iram Dei omnipotentis incurras, & nos (quod valde inuiti dolentesq. dicimus) beati Petri gladium super te euaginare cogamur. Prædictum sane nefandissimum Robertum monachum seductorem tui, & perturbatorē regni ab introitu ecclesiæ separatum, intra claustra monasterij Cluniacensis in pœnitentiam retrudi decernimus. sed Abbas Cluniacensis nos imitando id faciet; eadem enim via, eodem sensu, eodem spiritu ambulamus. Deus autem omnipotens nos de tua correctione cito exhilarare dignetur, fili charissime] hæc ad Regem Gregorius Papa: qui eodem argumento ad Hugonem Abbatem Cluniacensem litteras dedit, quibus, quid in Robertum pseudomonachum agere debeat, ita significauit: [c] Robertus Simonis magi imitator factus, quanta potuit malignitatis astutia, aduersus beati Petri auctoritatem non timuit insurgere, & centum millia hominum, qui laboris nostri diligentia ad viam veritatis redire cœperant, per suggestionem suam in pristinum errorem reducere] de Rege vero sic: Regem quoque illius fraude deceptum diligenter litteris tuis intelligere facias, beati Petri iram & indignationem, atque (si non resipuerit) grauissimam aduersum se, & regnum suum vltionem prouocasse, quod Legatum Romanæ Ecclesiæ indecenter tractauit, & falsitati potius, quam veritati credidit. de quibus digne Deo, & beato Petro satisfacturus, sicut Legatum nostrum dehonestauit, ita se tibi per debitam humilitatem, & condignam reuerentiam commendabilem faciat ac deuotum.

c Greg. lib. 8. ep. 2.

GREG. PAPAE ASPERIORES IN ALPHONSVM REGEM MINAE.

Significare etiam te sibi dignum ducimus, nos eum, si culpam suam non correxerit, esse excommunicaturos, & quotquot in partibus Hispaniæ fideles sancti Petri, ad confusionem suam sollicitaturos. Qui si minus præceptioni nostræ obedirent, non grauem existimaremus laborem, nos ad Hispaniam proficisci, & aduersum eum, quē admodum Christianæ religionis inimicum, dura & aspera moliri &c.] hæc & alia Gregorius hoc anno, quinto Kal. Iulij Ciperani, oppidi in Campania dedit. Vt magna sit admiratione dignus, qui adeo celso & inuicto animo perstiterit inter moles angustiarum: vt cum magis premeretur a Principibus, in alios Principes, quos sibi allicere debuisset, & blanditijs reddere obsequentes, nihil remiserit vigoris ecclesiasticæ seueritatis & constantiæ sacerdotalis, quin in eos toto animo, cunctisq. viribus vindex legum insurgeret, nihili faciens, si eos etiam ob iustitiam conseruandam sibi infensos redderet aduersarios: satis ducens a partibus suis veritatis & iustitiæ defensorem astare Deum, in cuius manibus sint corda Regum, eaq. in quam velit partem inclinet, quem omnes experiantur adiutorem atque defensorem assistere, qui cuncta, quæ agant, non priuato animi affectu, sed amore tantum iustitiæ, zeloq. rectitudinis prosequantur. At quam magna hæc, exæstuantem in Rege libidinem coercere? quamq. perardua, ab inolita antiquitus consuetudine Regem cum populo reuocare, cum præsertim non deessent qui illi fauerēt viri docti, atque instituto vitæ sanctissimi? quam insuper insolitum, flectere posse Regem ab ea, quam totis nisibus defendendam

Universidad de Deusto
Biblioteca

sententiam suscepisset? nam vt plurimum, in quam partem se inclinat animus Regis, eidem propensior hæret, & immobilis perstat; quod indignum putet regia maiestate, istiusmodi mobilitate posse redargui leuitatis. Attamen Gregorius Papa in Catholico Rege, Dei ope fultus, isthæc omnia superauit, quod proprium sit Catholici Principis, a capite non descíscere, sed Catholicæ Ecclesiæ Antistiti monenti annuere, atque præcipienti obtemperare, sicut ille feciſſe cognoscitur. A

ADEFONSI REGIS EMENDATIO.

Constat enim a Rege Catholico Alphonso in omnibus cumulate satisfactum Gregorio Papæ, nempe vna cum suis suscepisse seruandum in diuinis Officijs Romanum Ordinem, vxorem diuersam a consanguinea defunctæ coniugis accepisse: insuper vt sancto Pontifici se arctius insinuaret, munera misisse, regia digna munificentia, ad sanctum Petrum. constant hæc de recepto Romano Ordine, atque muneribus, ex alijs eiusdem Gregorij Papæ litteris, anno sequenti ad eumdem Regem Alphonsum datis; de coniuge vero ex his, quæ scribit Tudensis, qui quatuor numerans Regis eiusdem vxores, nullas earum inter se consanguinitate coniunctas ostendit: itemq. Pelagius, qui recenset quinque, alij vero sex eiusdem vxores. Sed scimus, a rerum Hispanicarum compluribus Scriptoribus negari, ab eodem Rege susceptum vmquam Romanum Ordinem, atque dimissum Officium Gothicum. quamobrem hic reddendæ sunt citatæ nuper litteræ Gregorij Papæ, ad eumdem Alphonsum Regem datæ, cum de his omnibus idem Princeps ad eumdem Pontificem litteras conscripsisset: in quibus etiam illud idem Rex ab eo doceri rogauit, quid esset, quod in ipsum tot mala per Regem Henricum, & alios Principes, vel Episcopos inferri iugiter sparsum esset. ad quæ omnia idem Pontifex ista rescripsit: B

a Greg. lib. 9. ep. 2.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei Alphonso glorioso Regi Hispaniæ salutem & Apostolicam benedictionem] plane dispar ista salutatio ab illa, superioribus indita litteris, qua dicebatur, Apostolicam benedictionem, si obedierit] sed audi ipsam epistolam. C

GREG. PAPAE EPIST. AD ALPHONSVM REG.

Non ignorat prudentia tua, mentiri peccatum esse (si & de otioso verbo in districto examine exigenda est ratio) sed ne mendacium quidem ipsum, quod fit pia intentione pro pace, a culpa penitus immune esse, probari potest. Hæc idcirco prælibauimus, vt cum in ceteris illud peccatum esse non dubitaueris, in sacerdotibus quasi sacrilegium conijcias; & quod tibi dirigimus, ita in re esse, teste veritate, cognoscas. Non nos latet, multa de nostris factis, ac dictis tuis auribus siniſtra interpretatione deferri: vnde & pro nobis in notitiam dilectionis tuæ obtrectantibus respondere, non alienum putauimus. Peccatorem me esse (sicut verum est) confiteri minime piget: verum, si causa odij, vel detractionis eorum, qui in nos fremunt, subtiliter inuestigetur, profecto non tam alicuius iniquitatis meæ intuitu, quam ex veritatis assertione, iustitiæq. contradictione illos in nos exarsisse patebit. quorum quidem seruitia, & largissima munera nos satis abundantius multis anteceſſoribus nostris habere potuimus, si ad periculum illorum & nostrum veritatem silere, malitiamq. ipsorum dissimulare maluissemus. At nos certe ex huius vitæ termino, & temporalium commodorum qualitate perpendentes, numquam melius quemquam posse Episcopum *nominari* quam cum persecutionem patitur propter iustitiam: decreuimus potius diuinis mandatis obtemperando, prauorum inimicitias incurrere, quam illis male placendo, iram Dei prouocare. D

RECEPTVS IN REGNO HISP. ORDO ROM. EXPLOSO GOTHICO.

Nunc ad industriam tuam sermonem vertimus, charissime fili. Nouerit excellentia tua, dilectissime, illud vnum admodum nobis, immo diuinæ clementiæ placere, quod in ecclesijs regni tui matris omnium sanctæ Romanæ Ecclesiæ Ordinem recipi, & ex antiquo more celebrari feceris. Denique in illo, quem hactenus remisse videmini (sicut suggerentibus religiosis viris didicimus) quædam contra Catholicam Fidem inserta esse patulo conuincuntur. Quæ cum relinquere, & ad priscam consuetudinem scilicet huius Ecclesiæ reuerti deliberasti, non dubie te beatum Petrum patronum optare, & subditorum tuorum salutem, cælesti gratia inspirante (sicut Regem decet) curare monstrasti: quod tamen gaudium de sapientia tua multo cumulatius referimus, cum tuæ humilitatis illustrem famam memoriæ interdum reducimus, & eam virtutem, quæ cum regia potentia vix, aut rarissime capi sub vno domicilio consueuit, in corde tuo morari considéramus. E

Cete-

A Ceterum quod de vxore tua, & de Abbatia sancti Facundi postulasti, competentius responderi per filium nostrum Richardum, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem & Legatum, & fratrem Simeonem Episcopum arbitrati sumus. De illa autem persona, quæ in Archiepiscopum fuerat eligenda; dicimus, licet satis prudens & liberalis videatur, tamen (quemadmodum nobis notum est, & litteræ tuæ non negant) disciplinæ fundamento, videlicet litteralis scientiæ peritia indiget. Quæ virtus quam sit non modo Episcopis, verũ etiam sacerdotibus necessaria, ipse satis intelligis, cum nullus sine ea aut alios docere, aut sese possit defendere. Quapropter serenitatem tuam studere oportet, vt cum consilio præfati Legati nostri Richardi Massilienſis Abbatis, aliorumq. religiosorum virorum eligatur inde, si inueniri potest; sin autem, aliunde expetatur talis persona, cuius religio, & doctrina ecclesiæ vestræ, & regno decorem

DE ELIGENDO ARCHIEP. TOLETANO.

B conferat & salutem. Neque vero te pigeat, aut pudeat extraneum forte, vel humilis sanguinis virum (dummodo idoneus sit) ad ecclesiæ tuæ regimen, quod proprie bonos exoptat, adscire: cum Romana Respublica, vt Paganorum tempore, sic & sub Christianitatis titulis inde maxime, Deo fauente, excreuerit, quod non tam generis, aut patriæ nobilitatem, quam animi, & corporis virtutes perpendendas adiudicauit.

NE IVDAEI DOMINENTVR CHRISTIANIS.

Quoniam autem, sicut de bonis gloriæ tuæ merito congratulari, ita & de his, quæ non conueniunt a te fieri, dolere, ac ex merito inhibere compellimur: dilectionem tuam monemus, vt in terra tua Iudæos Christianis dominari, vel supra eos potestatem exercere vlterius nullatenus sinas. Quid est enim Iudæis Christianos supponere, ac hos illorum iudicio subijcere, nisi Ecclesiam Dei opprimere, & Satanæ synagogam exaltare? & dum inimicis Christi velis placere, ipsum Christum contemnere? Caueas itaque, fili, hoc facere Domino & Creatori tuo, quod non impune fieri tibi sustineres a seruo tuo. Memento honoris & gloriæ, quam tibi super omnes Hispaniæ Reges misericordia Christi concessit, atque illius voluntatem tuis actibus, quasi formam adhibendo, mutuam vicem in cunctis ei rependere stude: immo vt hic, & in futuro exaltari merearis, te in omnibus illi submittere semper memineris. Valde quippe indignum est, ei vnum hominem, videlicet teipsum perfecte non subijcere, qui tibi vltra mille hominum millia subiecit, & iudicio tuo commisit. C

DE DONIS A REG. MISSIS AD S. PETRVM

De cetero regiæ munificentiæ tuæ gratulamur, cuius animi deuotionem in eo plane satis agnoscimus, atque agnoscentes amplectimur, quod quanti beatum Petrum fecerit, ex dono patenter ostendere voluit. & certe cum tui cordis amorem munus illud per se satis sufficienter ostendat, tum etiam tuæ fidei meritum illud ipsum mutua vice longe vero magis commendat, multisq. gentibus e cunctis mundi partibus ad gremium matris sanctæ Romanæ Ecclesiæ venientibus ad honorem tuum clare manifestat. Et quidem licet illud munus tam amplum & magnificum fuerit, vt & te Regem dare, & beatum Petrum recipere conuenienter decuerit; tamen in illo animi tui deuotionem multo magis amplectimur, quæ quanti beatum Petrum fecerit, ex dono patenter ostendit. Eo igitur, vt dignum est, decenter susceptο, donum, quod Domino largiente, Sedes habet Apostolica, sinceræ tuæ deuotioni remittit. Omnipotens omnium rerum creator & rector, omniumq. dignitatum ineffabilis dispositor, qui dat salutem Regibus, meritis altissimæ Dominæ genitricis Dei Mariæ, omniumq. Sanctorum, auctoritate beatorum Apostolorum Petri & Pauli, nobis licet indignis per eos qualicumque commissa, te, tuosq. fideles in Christo ab omnibus peccatis absoluat, detq. tibi victoriam de inimicis visibilibus, & inuisibilibus; mentem tuam semper illuminet, vt eius bonitatem, & humanam fragilitatem diligenter perspiciendo, mundi gloriam despicias, & ad æternam, beato Petro duce, peruenias] hactenus ad Alphonsum Regem Gregorius Papa anno sequenti, mense Maij. D

DE BERNARDO ELECTO ARCHIEP. TOLETANO.

Paruit Rex Catholicus, vt ex eiusdem Pontificis consilio Archiepiscopus eligeretur Toletanus. itaque recedit penitus a sententia eligendi eum, quem conceperat animo, de quo ad eumdem Gregorium Papam scripserat; sed externum hominem, natione Gallum Aquitaniæ prouinciæ, professione monachum Cluniacensem, ab Hugone Abbate missum in Hispaniam Abbatem monasterij sancti Facundi, ad reuocandum monachos in pristinum S. Benedicti ordinis cultum, nomine Bernardum, sanctitate celebrem, atque scientia tanto muneri minime imparem postea eligendum curauit. Porro ex eiusmodi Gregorij epistola primum corrigas opus est, quæ de num- E

Universidad de Deusto
Biblioteca

quam ablegato, sed miraculo comprobato Officio Gothico plures rerum Hispaniarum Scriptores affirmant: emendes insuper eosdem, qui Toletum captum ab Alphonso tradunt anno Christi millesimo octogesimoquinto, cum ista hoc iam tempore facta fuisse, litteræ ipsius Papæ Gregorij manifesto sint argumento. nisi quis dicere velit, de alio aliquo Archiepiscopo potius, quam de Toletano Gregorium locutum esse. Verum sub Gregorio Septimo ista facta de recuperatione Toletanæ ciuitatis, & de electione Bernardi Archiepiscopi, ex antiquis monimentis ecclesiæ Toletanæ testantur in sua collectione Conciliorum Hispaniarum Garsias Loaisa Archiepiscopus Toletanus, & alij.

LEGATIO AB ARMENORVM ARCHIEP.

Dum ista geruntur in Occidente, & negant proximi: confitetur & colunt eum Romanum Pontificē remotissimis dum inquam Henricus Herodis instar insequitur christum Domini; legatio Romam ab Oriente venit ab Armenorum Patriarcha ad Gregorium Romanum Pontificem. functus est ea Ioannes presbyter, insecutus hæreticum quemdam Armenia pulsum, ab ipso Papa Romæ damnatum iam conuictum hæreseos. extant de his litteræ ipsius Gregorij ad Beneuentanū [a] Episcopum. Cuius occasione idē Gregorius scribens ad eumdē [b] Armenorum Antistitē, errores damnandos enumerat, a quibus eos præcipit abstinere, licet negaret Legatus, illis esse eos implicitos.

[a] Greg. lib. 7. ep. 26. [b] Id. lib. 8. ep. 21.

ARMENORVM ERRORES.

Enumerantur a Gregorio isti: Quod non miscerent in sacrificio aquam vino: Quod sacramentum Chrismatis non ballamo, sed butyro conficerent: Quod Dioscorum hæreticum diu antea condemnatum colerent; atque demum, quod sacro Trishagio more hæreticorum Crucem adderent. Laudat autem quod ex antiquo Ecclesiæ ritu Eucharistiam in azymo conficerent, ob idq. Græcos ipsis infestos experirentur. commendans demum Romanæ Ecclesiæ integritatem, vtpote Petri Sedem, in ea nullum vmquam hæreticum Pontificem sedisse gloriatur, nec in futurum fore sessurum ex præscripto diuinæ promissionis asserit. Immo idem Gregorius quod certo sciret, hallucinatos omnino, qui Liberium Papam Arriana hæresi labefactatum asserent, eumdem vti Confessorem sanctissimum fine optimo in Domino quiescentem populo Christiano venerandum proposuit: quod aduersarij eius Cardinales schismatici, præcipue vero Benno ille nefandus, eidem vitio vertit, & inter alias mendacissimas accusationes annumerauit.

CONCILIVM LVGDVNENSE.

Ad finem autem vergente anno, celebratum est in Gallia Concilium Lugdunense, cui præfuit Apostolicæ Sedis Legatus Hugo Diensis Episcopus, in quo causa Manassis Rhemensis Archiepiscopi, per plura annorum spacia agitata, finem accepit, damnato iterum atque throno depositio eodem Antistite, qui vocatus sæpe Romam ad dicendam causam, nullatenus obtemperare voluisset, atque vetitus nihilominus eamdem Rhemensem ecclesiam inuadere præsumpsisset. scripsit de his litteras Gregorius ad Rhemensem ecclesiam, monens omnes, vt eidem inuasori constanter resisterent. incipit epistola: Non dubitamus &c. data autem habetur hoc anno, sexto Kal. Ian. addidit aliam ad Comitem eius loci, necnon aliam ad Episcopos Suffraganeos. sed eodem argumento ad Philippum Francorum Regem litteras dedit, quæ dignæ plane sunt vt perpetuæ memoriæ causa Annalibus intexantur. sic se habent:

[c] Id. ibid. ep. 17. 18. 19.

[d] Id. ep. 20.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei Philippo glorioso Regi Francorum salutem & Apostolicam benedictionem.

AD PHILIPP. REG. DE DAMNATO RHEMENSI ARCHIEP.

Sæpe per Nuntios tuæ celsitudinis audiuimus, te gratiam beati Petri, nostramq. amicitiam cupere: quod & tunc nos libenter accepisse, & adhuc, si eum animum geris, noueris admodum nobis placere. In hoc enim te tuæ salutis amicum, sollicitumq. esse demonstras, si Apostolicam beneuolentiam (sicut Christianum Regem decet) assequi, & obtinere desideras. Quam quidem hoc pacto adipisci multo facilius ac dignius poteris, si te in ecclesiasticis negotijs diligentem, deuotumq. reuerenter exhibueris. qua in re procul dubio minus vigilanter, multoq. negligentius, quam sanum fuerit, olim habuisse te, cerneris. Sed nos adolescentiæ tuæ præterita delicta spe correctionis tuæ portantes: vt deinceps castigatis moribus, ad ea, quæ oportet, inuigiles, ex debito officij nostri monemus. Igitur inter cetera virtutum studia regiæ excellentiæ conuenientia, quæ tibi inesse optamus, cum te iustitiæ amatorem, misericordiæq. custodem existere, ecclesias defendere, pupillos, viduasq. protegere sit necessarium: non minus ad internæ salutis custodiam tibi esse prauorum consilia spernenda,

nenda, maximeq. excommunicatorum familiaritates detestandas, arbitramur, atque asserimus.

Vnde sublimitati tuæ ex parte beati Petri præcipimus, ac ex nostra rogamus, vt Manasse Rhemensi Archiepiscopo dicto, sed propter suas iniquitates, quæ non prætereunt scientiam tuam, irrecuperabiliter deposito, nullum alicuius tui fauoris solatium præbeas; sed eum ita ab amicitia tua rescindas, atque a conspectu præsentiæ tuæ contemptum repellas, vt te pateat inimicos sanctæ Ecclesiæ, videlicet excommunicatione induratos respuendo, Deum diligere, Apostolicisq. mandatis morem gerendo, gratiam beati Petri veraciter desiderare.

Præterea volumus, & ex parte Apostolica iubemus, vt electionem, quam præfatæ Rhemensis ecclesiæ Clerus & populus, Deo annuente, facturus est, nullo ingenio, aut studio, quo minus canonice fiat, impedias; sed & si quis impedire aliquo studio sæculari tentauerit, illi omnimodo contradicas, atque illi, quem pars fidelior & religiosior elegerit, adiutorium tuum impendas.

PATERNA ADMONITIO GREG. ADREG.

Age igitur, & iam ætate vir factus, in hac re procura, vt non frustra tuæ iuuentutis culpis pepercisse, nec in vanum te ad emendationem expectasse videamur; ac maxime enitere, vt beatum Petrum, in cuius potestate est tuum regnum, & anima tua, qui te potest in cælo & in terra ligare, & absoluere, tibi facias debitorem, & non pro negligentia, aut veritatis dissimulatione iudicium, sed pro diligentia, iustitiæq. executione, ipsius gratia, æternum digne merearis auxilium. Dat. sexto Kal. Ianuarij] hæc ad Philippum Regem Francorum.

Porro eumdem Hugonem Diensem Episcopum translatum fuisse in cathedram Lugdunensem, & creatum eius ciuitatis Archiepiscopum, testantur Acta sancti Hugonis Episcopi Gratianopolitani. In quibus pariter habetur, hoc anno ab eodē Hugone esse celebratum Concilium Auenionense, in quo inter alia reperitur, creatum ibi fuisse sanctum Hugonem Episcopum Gratianopolitanum, quem ponit sedisse annos quinquagintaduos, diemq. obisse anno Domini millesimo centesimo trigesimosecundo. Hic autem quomodo sexto anno ab ordinatione sua cum sancto Brunone Carthusiam solitudinem incolere cœpit, ex quo loco nomen accepit Carthusianorum institutio, suo loco dicetur.

CONCILIVM AVENIONENSE, IN QVO S. HVGO EPISC. GRATIANOP. CREATVS.

Quo etiam anno meminit Sigebertus de electione sancti Arnulphi in Episcopum Suessionensem, cum per eumdē Apostolicæ Sedis Legatum habita fuit Meldensis Synodus, in qua depositus est Vrsio Suessionensis Episcopus, & in eius locum vir sanctissimus ex monasterio sancti Medardi vocatus, coactus licet, suffectus est tamen, cuius diuinitus factam electionem, & alias eiusdem Sancti præclaras res gestas prosecutus est omni fide eius successor [a] Lisiardus, qui & ea quæ tunc acciderunt de ortu Ludouici, filij Philippi Regis, ab eodem Arnulpho prænuntiato, & alijs ab eo in Episcopatu rebus gestis, idem pluribus narrat.

MELDENSE SYNODVS, IN QVA CREATVS EPISC. S. ARNVLPHVS.

[a] Lisiar. in vit. Arnul. cap. 26. apud Sur. to. 4. die 15 Aug. & c. 27. 28.

Quod spectat ad res Orientalis ecclesiæ, hoc etiā anno Nicephorus Imperator, post concertationes aduersus diuersos insurgentes tyrannos, eosdemq. superatos, tandem quæ fecit & ipse passus: nam ab Alexio Comneno pulsus in monasterium detruditur. hæc pluribus Ioannes Curopalata, qui & hic finem suæ imponit historiæ, quam cum Cedrenus, tum Zonaras in suos retulere commentarios. Porro tum Michaelis Rangabe, a quo Ioannes Curopalata inchoatur, tum sequentium quinque Imperatorum totidem pene verbis descriptam habemus historiam a Leone Grammatico, Leonis Sapientis Imperatoris mandato, in Vaticana bibliotheca custoditam, quam & in Medicea Reginæ Francorum Parisijs accepimus asseruari.

PELLITVR NICEPH. IMP. ET ALEXIVS COMNENVS IMPERAT.

Cum vero ista agerentur in Nicephorum Imperatorem, Malphitanus quidam nobilis partem haud exiguam ligni salutiferæ & viuificæ Crucis, auro & lapidibus pretiosis ornatam, & in aurea icona locatam de palatio Constantinopolitano sustulit, atque in Italiam rediens, in Cassinensi monasterio collocauit: [b] Leo hæc narrat in Chronico Cassinensi.

[b] Leo Ost. Chr. Cass. lib 3. c. 34

Quo pariter anno Ioannes Xyphilinus Patriarcha Constantinopolitanus, cum sedisset annos tredecim, & menses sex, moritur, & in locum eius suffectus est Cosmas Hierosolymitanus, prout apparet ex serie Constantinopolitanorum Patriarcharum, quæ extat in codice Iuris Orientalis, tomo primo.

COSMAS HIEROSOLYMITANVS, PATRIARCHA CONST.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CONCILIVM ROMANVM.

MILLESIMVS octogesimus primus annus voluitur, Indictione quarta, quo Gregorius Papa ex more, initio Quadragesimæ Synodum habuit in Lateranensi basilica. quæ autem ibi sint gesta, in codice epistolarum ipsius Gregorij hæc habentur perpauca notata: Anno ab Incarnatione Domini millesimo octuagesimoprimo, Pontificatus vero Gregorij Septimi anno octauo *nondum exacto*, præsidente eodem Apostolico, celebrata est Synodus Romæ in basilica eiusdem Saluatoris & Redemptoris nostri IESV Christi, in qua inter cetera, sententiam depositionis Archiepiscoporum Arelatensis, & Narbonensis atque excommunicationis per Legatos Apostolicæ Sedis promulgatam dominus Papa, his qui aderant collaudantibus, firmauit.

Henricum quoque *dictum Regem*, & omnes fautores eius, qui in præterita excommunicatione animum indurauerant, iterum excommunicauit.

Anathematizauit item Ildimundum & Landum Campaninos *tyrannos*, omnesq. adiutores eorum.

Præterea suspendit officio quosdam Episcopos, qui ad Concilium inuitati, neque ipsi, neque Nuntij eorum pro ipsis venerunt] hæc ibi. Cecinit ista de iterato in Regem, & Guibertum anathemate, necnon de persecutione, per eosdem renouata Domnizo in vita Mathildis, quam tunc scribebat, his versibus:

Actibus, & verbis exprobrat schisma Guiberti,
Perpetuo damnans anathemate schismata tanta.
Nascitur hinc cunctis ingens tribulatio iustis:
Mucronem Regis pia pars quam maxima sentit.
Sedibus expulsi sunt pontifices quoque multi,
*Flagris affecti, *vinculis in carcere stricti.*
Rex & Guiberius faciunt iuuenescere tempus
Neronis prisci &c.

* al. vinclis

] Schismatici vero addunt ad schisma priuatam hæresim, dum quod aliud non haberent, quo Regis causam defendere possent, vanum illum excogitarunt ad defensionem prætextum, dicentes non posse Pontificem excommunicare Regem, cui esse obediendum præcepissent Apostoli. quorum adeo insanam sententiam idem Gregorius suis litteris plenius confutauit, cum ijsdem prope diebus, quibus Synodus agebatur, nempe Idibus Martijs, idem scripserit epistolam ad consultationem Herimanni Metensis Episcopi, qui præ ceteris vltra montes positis Episcopis semper aduersus schismaticos pro Apostolica Sede stetisset defensor acerrimus, atque adhuc persisteret imperterritus, multa ob id passus ab ijs, qui Regi inhærentes sese schismaticis coniunxissent, qui & ipsi cum in suam defensionem, vt sceleris honesto aliquo prætextu velarent, iactare solerent, non potuisse Romanum Pontificem Regem excommunicare, atque regno priuare: quid aduersus hos debeat respondere, ab eodem Pontifice doceri cuperet. ad quem Gregorius prolixam de his scripsit epistolam, cuius est exordium: Quod ad perferendos labores &c.] & paulo post:

CONSVLTATIO HERIMANNI EPISC. DE REGVM DEPOSITIONE

a *Greg. lib. 8. ep. 21.*

HAERESIS NOVA CONFVTATVR.

Quod autem postulasti, te quasi nostris scriptis iuuari ac præmuniri contra illorum insaniam, qui nefando ore garriunt, auctoritatem sanctæ & Apostolicæ Sedis non potuisse Regem Henricum, hominem Christianæ legis contemptorem, ecclesiarum videlicet, & Imperij destructorem, atque hæreticorum auctorem & consentaneŭ excommunicare, nec quemquam a sacramento fidelitatis eius absoluere: non adeo necessarium nobis videtur, cum huius rei tam multa ac certissima documenta in sacrarum Scripturarum paginis reperiantur. Neque enim credimus, eos qui ad cumulum suæ damnationis veritati impudenter detrahunt & contradicunt, hæc ad suæ defensionis audaciam tam ignorantia, quam miseræ desperationis vecordia coaptasse, nec mirum. Mos est enim reproborum, ob suæ nequitiæ protectionem niti consimiles sibi defendere: quia pro nihilo habent, mendacij perditionem incurrere. Nam vt de multis pauca dicamus, quis ignorat vocem Domini ac Saluatoris nostri IESV Christi, dicentis in Euangelio: b Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claues regni cælorum;

b *Matth. 16.*

A lorum; & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis. Numquid sunt hic Reges excepti? aut non sunt de ouibus, quas Filius Dei beato Petro commisit? Quis, rogo, in hac vniuersali concessione ligandi atque soluendi a potestate Petri se exclusum esse existimat, nisi forte infelix ille, qui iugum Domini portare nolens, diaboli se subijci oneri vult, & in numero ouium Christi esse recusat? cui tamen hoc ad miseram libertatem minime proficit, quod potestatem Petri diuinitus sibi concessam, superba ceruice excutit. Quoniam, quanto eam quisque per elationem ferre abnegat, tanto durius ad damnationem suam in Iudicio portat &c.] subijcit insuper, hanc doctrinam a Patribus cognitam & confirmatam, quorum sententias ex parte recitat, quas breuitatis causa recensere omittimus; cum præsertim cuia epistola sit ipsa, atque omnibus patens. iam vero alias res gestas anni huius prosequamur.

B

Quæ autem hæc secuta sint, quive progressus fuerint tum Henrici persecutionem inferentis, tum Gregorij eam patientis, vt prosequamur, primo discemus ista ex ipsius litteris, eodem quoque tempore, nempe paulo post Synodum datis ad Episcopum Patauiensem, & Abbatem Hirsaugiensem, qui in his turbis ab Henrico permotis inhærebant magna cum laude ipsi Romano Pontifici: quorum alter, nempe Patauiensis Episcopus, legationis munere fungebatur in partibus illis.

a *Greg. lib. 8. ep. 3.*

Cum enim ijdem qui supra, studiosissimi Apostolicæ Sedis significassent, quinam esset rerum status in regionibus illis, Gregorius ad eos rescribens, quænam Italicarum rerum esset conditio, aperit, quove ipse esset compositus animo ad pacem ineundam, vel bello resistendum, his litteris reddit certiores:

C Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei dilecto in Christo fratri & Coepiscopo Patauiensi A. & venerabili Hirsaugiensi Abbati Vu. salutē & Apostolicam benedictionē.

DE STATV REGVM GERMANICARVM ET ITALICARVM.

Prudentiæ vestræ ex hoc satis gratulamur, quia sicut oportebat, nuntiare nobis vera summopere studuistis; præsertim cum multa & varia ex partibus vestris apud nos referantur. Notificamus autem dilectioni vestræ, pene omnes nostros fideles, audita * voce Rudolphi beatæ memoriæ Regis, niti ad hoc nos crebris adhortationibus flectere, vt Henricum, iampridem, sicut scitis, plura facere nobis paratum, cui fermè omnes Italici fauent, in gratiam nostram recipiamus: adijcientes, si ille in Italiam prouelle & conatu suo, non valens nobiscum habere pacem, contra sanctam Ecclesiam venerit, ex vobis frustra sperandum fore auxilium. quod quidem si nobis, qui illius superbiam parui pendimus, deficiat, non adeo graue videtur. Si vero filiæ nostræ Mathildi, cuius militum animos ipsi perpenditis, a vobis suffragatum non fuerit; quid aliud restat, nisi vt cum sui resistere recusauerint, quam vtique hac in re prorsus insana habent, ipsa vel coacta illius paci acquiescat, aut quidquid possidere videtur, amittat? Quamobrem summopere niti vos oportet eam certam reddere, an ex vobis præsidium expectare firmiter debeat.

* al. nece

D

Si Henricus forte Longobardiam intrauerit, admonere te etiam, charissime frater, volumus Ducem Vuelphonem, vt fidelitatem beato Petro faciat, sicut coram Imperatrice Agnete, & Episcopo Comano mecum disposuit, concesso sibi post mortem patris eius beneficio. illum enim totum in gremium beati Petri desideramus collocare, & ad eius seruitium specialiter prouocare. Quam voluntatem si in eo, vel etiam in alijs potentibus viris, amore beati Petri pro suorum peccatorum absolutione ductis cognoueris, vt perficiant elabora; nosq. certos reddere diligenter procura. Hac enim fiducia, vt Italici, remoti ab Henrico, nobis, immo beato Petro fideliter adhæreant, Deo adiuuante, efficere credimus] sed antequam vlterius progrediamur, in memoriam reuocandum de Vuelphone isto, quod dictum est superius ex Lamberto, nimirum fuisse filium Azonis Marchionis Ferrariensis, inhæsisse autem Henrico Regi contra Saxones, inde contra Henricum ipsum Rudolpho nouo Regi, cum priuatus esset Ducatu Bauariæ, quo ab eodem Rege, pulso Ottone, donatus fuerat, tradito illo Conrado filio suo: cuius causa ab eo deficiens, Rudolphi partibus inhæsisset, pergit vero Gregorius:

DE VVELPHONE DVCE.

E

Præterea admonendi sunt omnes, in partibus vestris Dominum timentes, ac sponsæ Christi libertatem diligentes, vt non aliqua gratia suadente, aut vllo metu cogente, properent eam temere personam eligere, cuius mores & cetera, quæ Regi oportet

DE COHORTANDIS GERMANIS IN FIDELITATE SEDIS APOST.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ineſſe, a ſuſcipienda Chriſtianæ religionis defenſione & cura diſcordēt. Melius quippe A
fore arbitramur, vt aliqua mora, ſecundum Dominum, ad honorem ſanctæ Eccleſiæ
prouideatur idoneus, quam nimium feſtinando in Regem aliquis ordinetur indignus.
Scimus quidem, quod fratres noſtri longo certamine, diuerſisq. perturbationibus fa-
tigantur: nobilius tamen eſſe dignoſcitur, multo tempore pro libertate ſanctæ Eccle-
ſiæ decertare, quam miſeræ ac diabolicæ ſeruituti ſubiacere. Certant namque miſerii
ſcilicet membra diaboli, vt eiuſdem miſera ſeruitute opprimantur: certant e contra
membra Chriſti, vt eoſdem miſeros ad Chriſtianam libertatem reducant. Quapro-
pter fundendæ ſunt frequentiſſimæ orationes, & largiſſimæ dandæ eleemoſynæ om-
nibusq. modis Redemptor noſter exorandus, vt inimici noſtri, quos ſuo præcepto
diligimus, reſipiſcant, & ad gremium ſanctæ Eccleſiæ redeant, ſuæq. ſponſæ, pro
qua mori dignatus eſt, defenſorem & rectorem, ſicut eam decet, clementer tribuat. B
Niſi enim ita obediens, & ſanctæ Eccleſiæ humiliter deuotus ac vtilis, quemadmo-
dum Chriſtianum Regem oportet, & ſicut de Rudolpho ſperauimus, fuerit: procul
dubio ei non modo ſancta Eccleſia non fauebit, ſed etiam contradicet. De prædicto
enim Rudolpho Rege quid ſancta Eccleſia ſperauerit, & quid ille promittebat: tu ipſe,
frater chariſſime, ſatis cognoſcis. prouidendum eſt ergo, vt non minus ab eo, qui
eſt eligendus in Regem, inter tot pericula & labores ſperare debeamus. Qua de re
quid promiſſionis iuramento ſancta Romana Eccleſia ab illo requirat, in ſequenti ſi-
gnificamus] videlicet formam iuramenti, quod præſtare deberet, qui eſſet eligendus
in Regem, iſtis verbis conceptam:

IVRAMENTVM A REGE PRAESTANDVM.

Ab hac hora & deinceps fidelis ero per rectam fidem, beato Petro Apoſtolo, eiusq. C
Vicario beato Gregorio, qui nunc in carne viuit: & quodcumque ipſe mihi præcepe-
rit, ſub his videlicet verbis: PER VERAM OBEDIENTIAM, fideliter, ſicut
oportet Chriſtianum, obſeruabo. De ordinatione vero eccleſiarum, & de terris, vel
cenſu, quæ Conſtantinus Imperator, vel Carolus ſancto Petro dederunt; & de omni-
bus eccleſijs, vel prædijs, quæ Apoſtolicæ Sedi ab aliquibus viris vel mulieribus aliquo
tempore ſunt oblata, vel conceſſa, & in mea ſunt, vel fuerint poteſtate, ita conueniam
cum Papa, vt periculum ſacrilegij, & perditionem animæ meæ non incurram, & Deo,
ſanctoq. Petro, adiuuante Chriſto, dignum honorē, & vtilitatem impendam. Et eo die,
quando illum primitus videro, fideliter per manus meas miles S. Petri & illius efficiar]
hucuſque iuramentum ab eligendo Rege præſtandum. pergit vero ipſe Gregorius:

Verum quoniam religionem tuam, Apoſtolicæ Sedi fidelem & promiſſis tenemus, D
& experimentis non dubitamus: de his ſi quid minuendum, vel augendum cenſueris,
non tamen prætermiſſo integro fidelitatis modo, & obedientiæ promiſſione, poteſta-
ti tuæ & fidei, quam beato Petro debes, committimus.

Quod vero de ſacerdotibus interrogaſtis, placet nobis, vt in præſentiarum, tum
propter populorum turbationes, tum etiam propter bonorum inopiam, ſcilicet quia
pauciſſimi ſunt, qui fidelibus Chriſtianis officia religionis perſoluant; pro tempore
rigorem canonicum temperando, debeatis ſufferre. De his namque pacis & tranquil-
litatis tempore (quod Domino miſerante cito futurum credimus) conuenientius tra-
ctari, pleniusq. poterit canonicus ordo ſeruari. Ceterum de Buggone, cuius mali-
tiam ſignificaſtis, necdum tantam poteſtatem, videlicet abſoluendi, ſibi tam temere
commiſiſſe, nec etiam recordamur nos aliquando eum vel ſermone, vel viſu notum
habuiſſe. In ſancta quidem Synodo, quam nuper Deo auctore celebrauimus, omnes E
excommunicatos vſque ad condignam ſatisfactionem rurſus excommunicauimus,
& fratrum multitudinem, qui aderant, rogauimus, vt miſericordiam Dei quotidie
exorent, quatenus illos per veram pœnitentiam ad gremium ſanctæ matris Eccleſiæ
reducat, eisq. in bono perſeuerantiam tribuat: nullius enim hominis perditionem quæ-
rimus, ſed omnium ſalutē in Chriſto deſideramus] hucuſque Gregorius, qui ad eum-
dem Epiſcopum Legatum ſcribit epiſtolā de recipiendo Oſnaburgenſi Epiſcopo, qui
a ſchiſmaticis recedere, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ inhærere ſe velle ſignificaſſet.

a Greg. lib. 9. epiſt. 10.

EXPLORATVR FIDES ROBERTI.

Eodem quoque tempore litteras dedit ad Deſiderium Abbatem Caſſinenſem, vt
exploraret voluntatem Roberti Guiſcardi Ducis, an perſtaret in fide, quam iura-
mento anno ſuperiori pollicitus fuerat ſanctæ Romanæ Eccleſiæ. incipit epiſtola: b
Satis nobis dilectio tua &c.] Verum idem Dux Robertus hoc anno traiecit copias in
Orien-

b Ld. ibid. ep. 4.

A Orientem aduerſus Alexium Comnenum Imperatorem, quem & inito certamine, collatis ſignis egregie ſuperauit. de qua victoria habet iſta Leo Oſtienſis eius æqualis: a

a Leo Oſt. lib. 3. c. 48. in fin.

ROBERTVS GVISCARDVS ALEXIVM IMP. SVPERAT

Hoc anno Robertus Dux cum quindecim millibus armatorum tranſito mare, cum quindecim millibus pugnatorum Thraciam debellaturus ingreditur. Aduerſus hunc Alexius Imperator cum centum ſeptuaginta millibus pugnatorū ad prælium exiens ſuperatus eſt] ſunt de his litteræ eiuſdem Gregorij Papæ, quibus eidem Roberto Duci de adepta victoria gratulatur, cum antea ipſe eumdem Pontificem, populumq. Romanum de his omnibus certiorem feciſſet. ſunt huiuſmodi: b

b Greg. lib. 9. epiſt. 17.

Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Roberto glorioſo Duci ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

CONGRATVLATVR GREG. PAP. ROBERTO DVCI DE VICTORIA.

Quod geſti belli prouentum, & adeptæ victoriæ palmam nobis, & Romanis notifi-
B caſti, id quod decuit, prudenti conſilio vſus egiſti, vt res, quam ex voto amicorum
glorioſe obtinueras, ipſorum congratulationibus glorioſior tibi redderetur atque iu-
cundior. Oportet interea te illum alta memoria figere, cuius fauore & auxilio non am-
bigis res tuas iamdudum procedere. Nam ſicut ingratitudo prouocat indignationem;
ita deuotio incunctanter accumulat gratiam. Quapropter beatum Petrum, cuius tibi
adeſſe patrocinium grandia facta teſtantur, præ oculis habere ſemper memineris,
eiusq. beneficijs, cum neceſſe eſt, gratam vicem rependens, ipſum de cetero velut debi-
torem efficere tibi procurato. de quo nimirū eo magis præſumere poteris, quo amplius
obſequijs illum tibi quaſi obnoxium aſtrinxeris. Memento itaque matris tuæ ſanctæ
Romanæ Eccleſiæ, quæ de te inter ceteros Principes ſpecialiter confidit, & peculiari-
ter diligit. Memento quod promiſiſti, & quod pollicitus es (cui etiam non promit-
C tens ex iure Chriſtianitatis debes) adimplere, cum promiſeris, non vlterius differas.
Non igitur ignoras, quanta perturbatio contra eam per Henricum dictum Regem ſit
orta, quantumq. tuo, qui ſuus es filius, auxilio indigeat. Age ergo, vt quantum fi-
det filius iniquitatis aduerſari, non minus debeat de tuæ deuotionis opitulatione ma-
ter Eccleſia gratulari] hucuſque epiſtola Gregorij ad Robertum Ducem: cui addita-
mentum iſtud appoſuit: Dubitamus hic ſigillum plumbeum ponere, ne ſi illud ini-
mici caperent, de eo falſitatem aliquam facerent] Robertus autem, vbi nunciatum
eſt, ipſum Gregorium obſideri ab Henrico in munitione ſancti Angeli; relicto cum
exercitu filio Boamundo in Oriente, ad propulſandum ſchiſmaticum Regem eſt re-
uerſus in Italiam, atque eumdem fugauit Henricum, vt idem Leo teſtatur, ſed de c
his ſuo loco dicendum: ad Henricum ipſum iam redeamus.

c Leo Oſt. lib. 3. cap. 52.

HENRICI REGIS MACHINAMENTA IN GREG. PAP.

D Vbi enim nece Rudolphi Regis res Germaniæ in tutiorem ſtatum cerneret collocatas; in Italiam parat aduentum, quo Gregorium Papam, quem ſibi putaret infenſiſ-
ſimum hoſtem, e Sede Petri deponeret, atque aduerſarium eius in ea ſedere faceret Antipapam. Quod autem ſciret eumdē Pontificē magnopere niti viribus Northmannorum, Robertum Guiſcardum Ducē ab eo auertere, & vinculo cognationis ſibi iungere cogitauit. ſunt de his omnibus litteræ eiuſdem Gregorij ad Deſiderium Caſſinenſem d
Abbatem, eumdemq. ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem, his verbis conſcriptæ:

d Greg lib. 9. ep. 11.

Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Deſiderio venerabili Cardinali ſancti Petri & Abbati Caſſinenſi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Fraternitatem tuam, dilectiſſime, cognoſcere volumus, quod (ſicut pro certo di-
dicimus) Henricus dictus Rex in ſuburbanis Rauennæ moratur, diſponens, ſi poterit,
Romam circa Pentecoſten venire. quem certiſſime ſcimus ex Vltramontanis, & Lon-
E gobardis paruam manum habere. Audiuimus autem, quod ex his, qui circa Rauen-
nam, vel in Marchia morantur, putet exercitum, cum quo veniat, colligere: quod
fieri minime credimus, quoniam nec etiam focum ab his, per quos tranſitum habet,
habere poteſt. Tu vero ipſe, amande frater, cognoſcis, quia ſi nos amor iuſtitiæ, &
honoris ſanctæ Eccleſiæ non teneret, tamq. prauæ voluntati ac nequitiæ Regis, &
ſuorum vellemus fauere, nulli aliquando prædeceſſorum noſtrorum ab anteceſſori-
bus Regibus, ſeu etiam Archiepiſcopis tam amplum & deuotum ſeruitium, ſicut nos
ab hoc Rege, & ab Archiepiſcopo, habere potuerunt. Verum, quoniam illorum mi-
nas & ſæuitiam pro nihilo ducimus: magis ſi neceſſe fuerit, mortem ſuſcipere parati
erimus, quam impietatibus eorum aſſenſum præbere, aut iuſtitiam relinquere. Qua-
propter rogamus, & monemus, vt (quemadmodum te decet) ita nobis adhæreas,
qua-

Universidad de Deusto
Biblioteca

quarenus sanctæ matris tuæ Romanæ Ecclesiæ honor, quæ de te multum confidit, A
nunc & semper robur obtineat.

Hoc etiam te scire volumus, quod Comitissa Mathildis litteras ad nos direxit, quibus continetur hoc, quod quemadmodum a familiaribus ipsius pro certo cognouit, præfatus Rex Placitum cum Roberto Duce habeat, videlicet hoc, vt filius Regis filiam ipsius Ducis accipiat, & Rex Duci Marchiam tribuat. quod Romani facile credent, si viderint Ducem adiutorium, sicut iuramento fidelitatis nobis promisit, subtrahere. sed prudentia tua sollicite inuigilet, & quid super hac re actum sit, diligenti examinatione cognoscat. tu ipse etiam quantocyus ad nos propera. Scias præterea, quod Romani, & qui circa nos sunt, fide, & prompto animo Dei, & nostro seruitio parati per omnia existunt] hucusque epistola Gregorij ad Desiderium, qui, quomodo se gesserit pro Gregorio, dicetur anno sequenti. B

HENRICI ROMAM ADVENTVS HOSTILIS

Hoc vero anno (Albertus Stadensis inquit) Henricus Romam profectus est, habens in comitatu suo Liemarum Bremensem Archiepiscopum, penes quem tunc summa consilij erat. Et resistente sibi Papa Hildebrando cum Romanis, ante Castellum sancti Petri castra posuit, ibi etiam crebris per biennium incursibus Romanorum infestatus, parua manu multa viriliter egit] hæc ipse. Porro expugnasse loca vicina Romæ, obsedisseq. Leonianam ciuitatem, quæ ambit basilicam sancti Petri, non tamen cepisse (testatur Sigebertus) nisi post annum sequentem. quo tempore Gregorius ad omnes Christifideles, Romanæ Ecclesiæ communicantes datis circularibus litteris, eos est hortatus, ad persecutiones constantissimo animo perferendas, quæ sic se habent: [a]

[a] Greg. lib. 9. ep. 21.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei omnibus Episcopis, Abbatibus, clericis, & laicis, Apostolicæ Sedi fidelibus salutem & Apostolicam benedictionem. C

GREG. PAPAE ENCYCLICA, QVA FIDELES HORTATVR AD TOLERANTIAM.

Scimus, fratres charissimi, quia tribulationibus, & angustijs nostris compatimini, & in vestris orationibus ante Dominum memoriam nostri habetis, quod idem nos ergo vos agere non dubitetis, & merito: nam Apostolus dicit: [b] Si patitur vnum membrum, compatiuntur & cetera membra. In hoc etiam credimus charitatem Dei diffusam in cordibus nostris, quia omnes vnum volumus, vnum desideramus, & ad vnum tendimus. Vnum volumus, videlicet, vt omnes impij resipiscant, & ad Creatorem suum reuertantur. Vnum desideramus, scilicet, vt sancta Ecclesia, per totum orbem conculcata & confusa, & per diuersas partes discissa, ad pristinum decorem, & soliditatem redeat. Ad vnum tendimus, quia, vt Deus glorificetur in nobis, & nos cum fratribus nostris, etiam cum his, qui nos persequuntur, ad vitam æternã peruenire mereamur, exoptamus. Nolite mirari, fratres charissimi, si odit vos mundus, quia nos ipsi eum contra nos irritamus, qui illius desiderio valde contradicẽtes, opera illius condemnamus. D

[b] 1. Cor. 12.

Quid autem mirum, si Principes mundi, & potentes sæculi nos pauperes Christi, prauitatibus illorum obuiantes odiunt, & quadam indignatione cõtra nos desæuiunt, cum aliqui subiecti, vel etiam serui iussi suas iniquitates relinquere, conantur præpositorum suorum vitam auferre? & tamen adhuc vsque ad sanguinem rari ex nostris impijs restiterunt: & quod omnino erat optandum, pauciissimi nostrum pro Christo mortem subierunt.

Pensate, charissimi, pensate quot quotidie milites sæculares pro dominis suis vili mercede inducti morti se tradunt. & nos quid pro summo Rege, & sempiterna gloria patimur, aut agimus? Quale dedecus, & quale improperium, qualisq. derisio oculis nostris obijcitur, quod illi velut pro vili alga mortem subire non metuunt, & nos pro cælesti thesauro, & æterna beatitudine etiam persecutionem pati deuitamus? Erigite ergo animos in vires, spem viuam concipite, illud vexillum præ oculis habentes ducis nostri, scilicet Regis æterni. vnde ipse dicit: [c] In patientia vestra possidebitis animas vestras. Et si volumus, diuina suffragante gratia, hostem antiquum cito & fortiter confringere, omnesq. versutias eius paruipendere; studeamus persecutiones ab eo immissas, & mortem pro iustitia non solum non deuitare, sed etiam pro amore Dei, & Christianæ religionis defensione appetere. In hoc enim omnes elationes maris, & superbiam sæculi conculcabimus, & pro nihilo ducemus, & ei, qui est caput nostrum, sedens in dextera Dei Patris, ipso largiente, iungemur, & conregnabimus. clamat enim magister noster: [d] Si compatimur, & conregnabimus. Interea vobis, fratres mei, qui mecum minus valentes estis, fortiora bella certaminis annuntiamus, quia E

[c] Luc. 21.

[d] 2. Tim. 2.

A quia pius Redemptor noster cito faciet cum tentationibus nostris etiam prouentum, ne nimia fragilitate deuicti non possimus sustinere, sed inter qualescumque suorum Fidelium positi addiscamus, vel in prosperitate sibi seruire] PERSECVTIO DIRISSIMA ILLATA PER SCHISMATICOS IN ROM. ECCL.

Ista Gregorius, quasi classico excitans suos ad spirituale certamen; & quidem opportune: persecutio enim adeo horrenda consecuta est, vt fortasse omnes, quæcumque a schismaticis, vel hæreticis illatæ in ipsam Ecclesiam Romanam, vel motæ fuerint, superarit. In qua Catholicæ communionis Fideles eiusdem Gregorij litteris roborati durissima quæque pati potius delegerunt, quam communicando cum schismaticis desciscere ab Ecclesiæ Catholicæ vnitate. Hæc autem vt quam verissima esse percipias; testificationem accipe auctoris eius temporis, qui sub Vrbano Secundo, successore Victoris, qui successit Gregorio Septimo, ista scribebat, quæ præsens intuebatur Deusdedit S. R. E. presbyter Cardinalis, de quo superius mentio facta est. hic inquam, vniuersam persecutionem istam breui compendio perstringens, ab hoc anno, quo idem Henricus in Italiam descendit, vsque ad finem hæc habet: B

QVANTA MALA PER SCHISMATICOS ILLATA.

Tandem præfatus tyrannus, Henricus scilicet, induratus vt Pharao, relictis ad resistendum in Germania copijs, assumpto partim suo, partim conducticio siue gregario exercitu, Romam, & suburbana eius deprædationibus, ac incendijs, & cædibus quibus valuit, quadriennio deuastauit, & tandem suo Simone magis pretio, quam vi inthronizato, ab eodem Imperiale coronam accepit. & paulo post cum eodem, militari Northmannorum manu Ducis Roberti, qui in auxilium domini Papæ Gregorij in Hadrianeo degentis concite affuit, turpissime fugatus abscessit. Et tam non fauentibus, quam non communicantibus sibi ac suis complicibus, & Romæ, & omni regno C suo sæuissimam & diuturnam intulit persecutionem.

Huius rei causa & ecclesiæ pene totius regni desolatæ, & Christiana religio propemodum dissipata, & nonaginta millia hominum, & eo amplius in diuersis regionibus, beato Papa Guiberto cooperante, cæsa sunt. Qui etiam pulsis Catholicis Episcopis, & Abbatibus, sceleratos, & idiotas singulis ciuitatibus, & xenodochijs, vel ecclesijs singulos, interdum autem binos, vel annuos prælatos damnabili prioris & magistri sui Guiberti Simonis mercimonio substituens, deprædationibus sanctorum locorum, Christianorum sibi non fauentium, immo etiam fauentium, dum non esset qui armato resisteret, longe lateq. voluntate quidem non minus suo Nerone, sed minus possibilitate grassatus est. Sed gratias Deo, qui (vt ait Apostolus) semper triumphat nos in Christo IESV: quoniam idem Imperator, eius Nero, ab vxore, quam multis D Deo teste prostituit, & filijs propter suam crudelitatem relictus, iam tandem non cuiuslibet Regis, & Ducis, siue Marchionis, sed vnius feminæ, scilicet gloriosæ & Deo dilectæ Comitissæ Mathildis congressione adeo debilitatus est, vt vix quinquagenarius magnus Romanorum Imperator incedat, iusto districtoq. Dei iudicio, Dei frequentissimus venditor, & abiurator femineo superaretur triumpho, qui Dei suaue iugum a se proijciens, sicut pater eius Belial, & immemor illius sancti Regis Iob, qui ait: Si contempsi iudicium subire cum seruo meo; ad satisfaciendum his, quorum infestissimus extitit persecutor, beati Apostoli Petri subijci dedignatus est iudicio.

QVAE PATI COACTVS HENRICVS PERSECVTOR.

Idem vero Guibertus, qui multo rectius [a] papa demens, quam Clemens dici debuit, in oppidulo suo, quod Argentum dicitur, quasi ad sui munitionem celsa turri fabricata præstolatur simoniacos angelos, cum quibus volando, in putidissimas stygias E paludes corruat fractis cruribus, scilicet rebus suis, Deo nobis propitio, iam propemodum confractis, & ad nihilum redactis. Cui nemo Apostolicam reuerentiam, siue obedientiam exhibuit præter suum Neronem, & sceleratos complices eius, vel qui se illi propter auaritiam, quæ est idolorum seruitus, vel perpetuo, vel ad tempus, pacto iureiurando vendidere: quorum plurimi, quibus perfidia claruerat, dum execranda sacrificia celebrat, ne interessent, aufugiebant, scientes eumdem nulli Romanorum successisse Pontificum, sed præscripto modo per periurum & inuasorem ac simoniacum, Henricum videlicet Regem, domino Gregorio Papæ fuisse superinductum &c.] hæc de his Deusdedit vsque ad tempus, quo ista scribebat, sub Papa Vrbano, adhuc superstite eodem pseudopontifice Guiberto, summatim collegit, quæ nos per annos singulos sumus vberius tractaturi, & quando expugnata Leoniana vrbe, in Cathedram Petri se intruserit, ostensuri.

[a] Eadem Leo Ost. lib. 3. c. 69.

GVIBERTI PSEVDOPAPAE EXTREMA.

Quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

MATHILDIS LAVDANDA PIETAS ET FORTITVDO.

Quod autem ad pia ſtudia erga Gregorium Papam, cunctoſq. Catholicos pertinet A
Mathildis Comitiſſæ, quæ breuiter attigit Deuſdedit; accipe ex auctore eiuſdem æquali Domnizone, qui iſta tunc cecinit verſibus iſtis, rudibus quantumlibet, veracibus tamen, ſic ab aduentu Henrici in Italiam anni huius incipiens:

Italiam rurſum ſpacium poſt temporis vnum
Ingreditur. terram totam maculabat aberrans.
Sola reſtitit ei Mathildis filia Petri.
Rex exardeſcens contra quam concitat enſes,
Prælia, terrores, & caſtris obſidiones.
Ad nihilum pugnat. non hæc vmquam ſuperatur,
Inſuperabilia loca ſunt tibi plurima ſixa.
Diligitur valde. villas defendit & arces.] & inferius de his, quæ Mathildis B
egerit aduerſus Henricum atque Guibertum, hæc habet:

Corde pio flagrans Mathildis lucida lampas,
Aduerſus hinos Domini Crucis hos inimicos
Arma, voluntatem, famulos, gazam propriamq.
Excitat, expendit, inſtigat, prælia geſsit.] ſed præter illa, quæ bellicis armis aduerſus ſchiſmaticos egit, memoria plane æterna ſunt digna, quæ exhibuit adiumenta Catholicis, ſiue Præſulibus, ſiue alijs, ab ijſdem ſuis pulſis ſedibus, & innumera mala pati coactis. de quibus idem Domnizo ſic iſta:

Catholicis prorſus fuit hæc tutus quaſi portus.
Nam quos damnabat Rex, pellebat, ſpoliabat
Pontifices, monachos, clericos, Italos, quoque Gallos, C
Ad viuam fontem currebant funditus omnes,
Scilicet ad dictam dominam iam mente benignam:
Quiq. requirebant apud ipſam repperiebant.
Defuit haud vlli, quin profuit optima cunctis.
Non ab ea mœſtus ſi quis vir venit honeſtus
Vmquam præterijt, ſed conſolatus abiuit.
Veſtibus e ſacris multos hæc nota Ducatrix
Patres Catholicos veſtiſſe quidem reminiſcor;
Inter quos fuit & venerandus Epiſcopus vrbis
Luceaſis.] & inferius:
Nam quos ipſa valet prauos conuertere mater, D
Quantiſcumque modis quit, agit in omnibus horis:
Multos cum feudo, multos munus tribuendo;
Rogando plures; teſtellaq. ſæpius vrens
Regis ab obſequio iugiter diſiungit iniquo.
Vltramontanis ac Principibus ſibi charis
Errores Regis ſcribit vitare rebellis.
Sicq. Deo multum generabat credula fructum;
Gregorio Papæ procceres ſeruire ſuadens,
Mittere cui gratis crebro ſolet in Lateranis
Xenia multa nimis, quam Papa pie benedicit.
Bis centum libras domus argenti Canuſina E
Tunc miſit Papæ, quam debet Papa beare.] hactenus de Mathilde. proſequamur reliqua Gregorij.

Idem per Legatos in Gallias miſſos exigendam curauit pecuniam, quam ſancti Petri denarium nominabant; a Carolo Magno primitus in tribus Galliarum locis indictam. fuiſſe autē ſummam totius exactionis mille & ducentas libras, ipſe teſtatur in [a] epiſtola ad eos data, præter quantitatem illam, quam ſponte vnuſquiſque amore S. Petri offerre ſoleret. Quo tempore, datis ad eum [b] litteris, redarguit Rothomagenſem Epiſcopum, quod diſtuliſſet inuiſere ſacra Limina Apoſtolorum; in quibus hæc inter alia obſeruatione digna leguntur: Qui vero labor, aut quæ difficultas præ alijs diſſuaſit vobis per tantum ſpacij beatum Petrum negligere; cum etiam ab ipſius mundi finibus etiam gentes nouitēr ad Fidem conuerſæ ſtudeant annue tam mulieres, quam viri

[a] *Greg. lib. 8. ep. 21.*

[b] *Id lib. 9. ep. 1.*

ANNVA FIDELIVM PEREGRINATIO AD LIMINA APOSTOLORVM.

A viri ad eum venire?] Redarguit eumdem, quod tres menſes diſtuliſſet petere pallium, ac prohibet ne pontificalia vſque ad ſuſceptum pallium exercere præſumat.

Hoc eodem anno idem Gregorius Papa nihil penitus prætermittens officij ſeduli paſtoris excubiarum, vallatus ipſe pelago ærumnarum, exigit a longe poſiro, quod deberet implere, aduētum in Vrbem, Lanfranco Cantuariorum Archiepiſcopo, acrioribus eum [a] litteris iſtis corripiens, quamuis fama celebrem ſciret Antiſtitem, quod non viſitaret ſacra Limina Apoſtolorum: [a] *Greg. lib. 9. ep. 20.*

Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Lanfranco Cantuariorum Archiepiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

LANFRANCVS ARCHIEP. CANTVARIORVM VOCATVR AD LIMINA.

Sæpe fraternitatem tuam Apoſtolica legatione inuitauimus Romam venire etiam pro Fidei & religionis Chriſtianæ comprobatione: quod hucuſque (ſicut apparet) B aut ſuperbe, aut negligenter, noſtra abutens patientia, diſtuliſti, cum nec etiam canonicam excuſationem prætenderis. Non enim labor aut difficultas itineris te ſufficienter excuſat, cum ſatis notum ſit, multos longe remotos licet corpore inualidos & infirmos, & a lectulis vix valentes ſurgere, tamen beati Petri amore flagrantes, ad eius Limina vehiculis properare. Quare Apoſtolica tibi auctoritate præcipimus, vt poſtpoſita occaſione, & inani formidine, datis inducijs quatuor menſium, poſtquam hæc noſtra mandata ad notitiam tuam peruenerint, in præſentis anni feſto Omnium Sanctorum Romæ adeſſe procures & ſatagas, & inobedientiæ tuæ reatum per tantum temporis ſupportatum emendare non vlterius negligas. quod ſi nec adhuc te mandata Apoſtolica mouerint, ſed ea diſſimulans in contemptu durare malueris, & periculum inobedientiæ incurrere non erubueris (quod eſt quaſi ſcelus idololatriæ, teſtante beato [b] Samuele) a beati Petri gratia ſcias te procul dubio remouendum, & eius auC ctoritate omnino feriendum, ita videlicet, vt ſi infra prædictum ſpacium ad nos non veneris; ab omni ſis officio Epiſcopali ſuſpenſus] hæc Gregorius, iurium ſancti Petri tempore etiam bellico ſtudioſus exactor. [b] *1. Reg. 15.*

Inſuper Legatum Apoſtolicæ Sedis in Gallijs Hugonem Dienſem Epiſcopum nemini parcentem, plurimos excōmunicantem, mitius agendum [c] admonuit. Venetorum Ducem, ne amicitias cum excommunicatis inire præſumeret, datis ad eum litteris [d] monuit: ſcripſitq. de his ipſis ad Theobaldum Comitem, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſtudioſum. [c] *Greg. lib. 9. ep. 21.* [d] *Id. ibid. ep. 8. 9*

Excommunicauit etiam Comitem Andegauenſem ob iniurias illatas [e] Archiepiſcopo Turonenſi; necnon [f] Iordanem Principem Capuanum periurum, quod D quæ iuraſſet Apoſtolicæ Sedi, præſtare noluiſſet. Carnotenſem Epiſcopum reum iuramento ſe purgare permiſit, cum Romam veniſſet. hæc & alia id genus negotia pontificia inter bellicos tumultus, ac ſi ſumma pace frueretur, perſoluere non neglexit. [e] *Id. ibid. epiſt. 22. 23.* [f] *Id ep. 25. 26*

VVISIGOTHI RVSIVM AD FIDEM CONVERSI.

Accidit autem inter tot lugubria illud plane lætum atque iucundum, quod dum Henricus Rex ab Eccleſia contumelioſus abſcedit, Reges longe poſiti ad Fidē conuerſi, eamdē Eccleſiam miſſa legatione requirunt, & eius primarium Antiſtitem Gregorij venerantur: dum contendit ille, colunt iſti; cum perſequitur ille, conſequuntur iſti. Vt plane in Eccleſia Dei illud ſit intueri, quod natura agi videmus in arbore, quæ cum in proceram altitudinem exaltata ſiccatur, e trunco virenti germine læta virgulta promantur. ſed quinam iſti Reges, quibusve prædicantibus ad Fidem conuerſi fuerint, E Scriptorum inopia remanſit obſcurum: innotuere illa dumtaxat, quæ eiuſdem Gregorij Papæ epiſtola docet, quæ ſic ſe habet: [g] *Id. ep. 14.*

Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Vuiſigothorum glorioſis Regibus L. & A. & populis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

GREG. PAPA CONGRATVLATVR VVISIGOTHIS AD FIDEM CONVERSIS.

Frater noſter Epiſcopus veſter ad Apoſtolorum Limina veniens ſuggeſſit nobis de noua gentis veſtræ conuerſione, ſcilicet qualiter relicto Gentilitatis errore ad Chriſtianæ Fidei veritatem peruenerit. Vnde plurimum in Domino lætati, miſeratori omnium intimo corde gratias agimus, qui mentes veſtras lumine ſuo viſitare, & de tenebris ad lucem, de morte ad vitam dignatus eſt vos æterna ſua benignitate reducere. Simul etiam ipſius ineffabilem miſericordiam deprecati ſumus, aſſidueq. poſtulare optamus, vt vos tam Fidei gratia, quam & bonorū operum fructibus & in hac vita vigere, & in futura Sanctorum cœtibus faciat annumerari. Proinde chariſſimi

Universidad de Deusto
Biblioteca

filij, auctoritate sanctæ Romanæ Ecclesiæ, vice beatorum Apostolorum Petri & Pauli A
nobis licet indignis concessa vos admonemus, vt huius fugitiuæ vitæ incertitudinem,
ac temporalium rerum & gaudiorum instabilitatem perpendentes contemnere, & ad
illa, quæ sine fine manſura sunt, quæq. humani sensus, ac desiderij angustias amplitu-
dine sua excedunt, memineritis acie mentis semper extendere, concordiam, & dilectio-
nem studeatis ad inuicē indeficienter habere, ecclesijs honorem, pauperibus vel afflic-
tis compassionem, sacerdotibus, præcipueq. Episcopis reuerentiam & obedientiam,
quasi patribus procuretis impendere; decimas, quæ ad vsum tam ipsorum,
quam ecclesiarum, & pauperum proficiant, dare, totiq. regno indicere. Quod qui-
dem nulli debet graue videri, pro meliori parte videlicet semper victura anima quem-
que decimam Deo offerre, cum pro morituro corpore plurimæ gentes coniugibus
suis tertiam rerum legibus compellantur exoluere. Præterea ad hoc summis animi B
viribus enitimini, vt qui velut in fine orbis, ita & sæculorum ad laborandum in vineam
Dominicam introistis, inter primos remunerandi eumdem denarium vndecimæ ope-
ratores percipere debeatis. Agite etiam, vt quemadmodum depræcessoris vestri lau-
dabili fama valde sumus gauisi; ita quoque studiorum, probitatumq. vestrarum opi-
nio nos de se, sicut optamus, lætificet. Quia vero nouiter ad Christum conuersos
nondum Christianæ Fidei & religionis doctrinam sufficienter vos sumpsisse putamus,
volumus vt frequenter ad hanc Sedem clericos vestros mittatis, talesq. personas proui-
deatis ad nos destinare, qui & S. Romanæ Ecclesiæ moribus plenius instrui, & instructi
valeant ad vos docte salubriterque, quæ agenda sunt, referre.] hactenus Gregorius,
nouæ prolis multiplicatione ex insperato fecundus, præ admiratione propheticum
a Isai. 49. illud vsurpans, ac dicens in corde suo: [a] Quis mihi genuit istos? ad quem Dominus: G
Ecce leuabo ad Gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum meum, & affe-
rent filios tuos in vlnis suis, & filias tuas super humeros portabunt] ad Ecclesiam
venientes.

BERTRANNVS COMES PROVINCIAE FIDELITATEM IVRAT ROMANO PONT.

Quo anno & Bertrannus Gomes Prouinciæ fidelitatis iuramentum ipsi Gregorio
sic primo iurauit: Ego Bertrannus Dei gratia Comes Prouinciæ, ab hac hora & dein-
ceps tibi domino meo Papæ Gregorio, & cunctis successoribus tuis, qui per meliores
Cardinales S.R.E. electi fuerint, fidelis ero, & quidquid mihi credideritis, in damnum
vestrum non manifestabo. sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia] postea
addidit subsequens iuramentum:

LIBRA DONATIO EIVSDEN.

Ego Bertrannus Dei gratia Comes Prouinciæ, pro remissione peccatorum meorum,
& parentum meorum, offero, concedo, dono omnem honorem meum, quantum ad
me iure parentum pertinet, omnipotenti Deo, & sanctis Apostolis Petro, & Paulo, & D
domino meo Gregorio Papæ Septimo, & omnibus successoribus suis: ita vt quidquid
placuerit deinceps domino Papæ Gregorio de me, & de toto honore meo, sine vllo
contradicto faciat. Ecclesias autem omnes, quæ in mea potestate sunt, præfato do-
mino meo Gregorio Papæ omnino dimitto, & omnibus successoribus suis, & ad ordi-
nandas eas iuste & secundum Deum pro posse meo fideliter adiuuabo]

Comitem vero Andegauensem, munera mittentem ad Apostolicam Sedem, nequa-
quam recipiendum putauit, eo quod excommunicatus a suo Episcopo, eidem minime
satisfeciſſet. ad quem scribens, & paterne corripiens, hæc habet in fine: [b] Licet mune-
b Greg. lib. 9. ep. 22. ra tua propter illud peccatum non receperimus; tamen Dei misericordiam pro te E
orare non desistemus. De cetero nobilitatem tuam monemus, atque præcipimus, vt
præfato Episcopo tuo res, quas sibi abstulisti, restituens, digne satisfaciendo eum pla-
care procures, ac deinceps nullatenus illiquietare præsumas] voluit idem Gregorius ea
de causa per Legatum Apostolicum Synodum in Gallia congregari, atque eam cau-
c Id. ep. 23. sam cognosci, deq. his litteras ad Episcopos dedit: [c]

Insuper ad Theobaldum laudatissimum Comitem Pictauiensem Aquitaniæ, Sedem
Apostolicam consulentem de Principibus excommunicatis, an cum illis consuetudi-
nem aliquam habere posset, & vt habere liceret, licentiam ab eodem Gregorio impe-
tiri cum rogasset, ad ipsum respondens hæc habet inter alia notatu digna, vbi primum
d Id. ibid. ep. 9. eius erga Romanam Ecclesiam amorem & obseruantiam commendasset: [d] De causa
excommunicatorum, super qua consuluisti, nihil tibi præterquam sacri canones præ-
cipiunt, respondere possumus, scilicet vt abstineatis vos a communione ipsorum,

prout

A prout Deus concesserit, & vestra prudentia poterit. Nec enim parum, te a talibus abstinendo, existimes agere; immo credas certissime, quoniam in futura beatitudine geminam a Domino coronam, obedientiæ scilicet, & sanctæ prædicationis accipies. bona namque est vox prædicationis cum opere; sed non parua est bona actio sine voce. Neque enim nos alicui licentiam peccandi dare possumus, aut debemus; cum nos ipsi hanc licentiam non habeamus, sed peccantibus Apostolica auctoritate subuenire non denegamus, &c.]

S. KANVTVS REX DANIAE MARTYR INSIGNIS HABETVR.

Hoc eodem anno, eius exordio martyrium contigit S. Kanuti Regis Daniæ: de quo primum, quod ad tempus spectat, assentiri non possumus ijs, qui id contigisse ponunt anno superiori. Nam cum illud acciderit septima Ian. die, reperiaturq. ad eum dedisse litteras Gregorius Papa eo anno decimanona mensis Aprilis: plane adhuc eo tempore
B fuisse superstitem, & ad hunc annum peruenisse, significatur. Quod autem iste Rex perduellium coniuratione necatus in sanctorum Martyrum numerum relatus inueniatur; vt de rebus ab eo gestis accuratius agamus, admonemur, atque in primis [a] litteris Gregorij Papæ eius pietatem, & erga Apostolicam Sedem studium & obseruantiam collaudatam superius vidimus. Saxo Grāmaticus luculento stylo prosecutus res [b] Danicas, vbi de eodem Kanuto post Haraldi obitum subrogato agit, plane eum ab ipso in regnum ingressu nihil antiquius habuisse, quam Christianam religionem amplificare significat: his addidisse cultum iustitiæ inuiolabilem, legum peruigilem custodiam, prauorum morum propulsationem assiduam, bonorum vero introductionem, & conseruationem stabilem atque perennem, armis ac legibus roboratam. Sacerdotium vero quomodo illustrandum curauerit, his tu audias verbis eiusdem auctoris:

a Greg. lib. 7. ep. 5. & 21.

b Sax. Gram. hist. Dan. lib 11

C Sacerdotia, inquit, gerentes gratiæ nutrimentis prosequebatur: cumq. ab inerti & rudi populo parum iustam pontificibus venerationem haberi conspiceret, ne tanti nominis potiores inter priuatos relinqueret, decretæ circumspectionis industria, Principum eis consortionem indulsit, eisq. primum inter proceres locum perinde ac Ducibus assignauit, auctoritatem honore concilians. Prouidit enim ne tanti officij pondus æquo minor veneratio caperet, inq. summa religionis arce positi infima cultus conditione vilescerent.

QVAE A KANVTO REGE SINT RELIGIOSE STATVTA.

Nec solum pontificibus dignitatis incrementa donauit; sed etiam priuatorum Clericorum ordinem benignissimis decretis adornare studebat. Nam quo cumulatiorem eis honorem redderet, * litteratorum controuersias, vulgaris fori conditione exemptas ad eiusdem professionis iudicium relegabat. ijsdem religionis reos, obiecta repel-
D lere nequeuntes, pecuniaria mulcta puniendos permisit. Quibus etiam in omnia, quæ aduersum diuina committerentur, animaduersionis arbitrium tradidit, cunctasq. huius generis actiones, sacerdotali iudicio destinatas a publico foro secreuit, ne honore impares conditio æquaret. quamobrem dignitati pondus adiecit, decusq. priuato fastigio excelsius eorum respectu inesse voluit, quo effectum est, vt Danorum nemini, nisi Regi, aut pontificibus, eiq. qui potissimus regni successor aduertitur, domesticis quemquam liceat actionibus postulare.] hæc quidem Rex maxime pius, quem de his Gregorius Papa anno superiori id potissimū admonuisset litteris suis, quibus hæc cum
E alijs: Inter ceteras ergo virtutes, quas animo tuo imitandas censueris, ecclesiarum defensionem in mente tua volumus eminere; sacerdotalis ordinis reuerentiam proximum locum tenere, ac deinde iustitiam & misericordiam in cunctis te iudicijs discrete seruare.] redarguit autem, & Apostolica censura perterruit, quod sacerdotes apud eos adeo iniquæ æstimationis essent, vt omnium quæ cælitus immitterentur cladium, populus ad eosdem culpam transferret, ac proinde non solum contemptui essent, sed vt malorum omnium rei, odio haberentur.

* al. litigatorū

c Greg. lib. 7. ep. 21.

PRO DECIMIS REX LABORAT

Subijcit autem ista Saxo Grammaticus: Idem populares adhuc sacrorum rudes decimarum religioni assuescere conabatur, sed propositi irrita suasio fuit, quippe maturitatem rerum capere nouelli cultus rudimenta nequibant] Verum non destitit Rex in opus insistere, vt populus decimarum pensationem ecclesijs pro religione susciperet, occasioneq. nacta indictæ a Rege mulctæ populo ob impium desertionis crimen, ea liberandum proposuit, si decimarum solutioni se vellent lege perpetua obligare. Renuente populo, decimarum exhibitione se velle teneri, cum Rex pœnæ impositæ exactioni per ministros insisteret; infligante proditore Blacco, ficte agente

Universidad de Deusto
Biblioteca

sequestre concordiæ, idem in eum totius populi furorem & arma conuertit, quibus & in ecclesia peremptus est. A

Sed quanta animi constantia, quantaq. religione mortem exceperit, Saxo sic narrat post alia ad id spectantia recensita: Sed ne extrema quidem eius hora sanctitatis studio vacua fuit. Nam cum parietem vndique a popularibus perfringi (quippe ligneus erat) adeoq. propinquam sibi necem instare animaduerteret, accersito sacerdoti factorum arcana confessus, per summam mœroris acerbitatem præteritæ vitæ culpas absoluit, præmiumq. sibi pœnitentiæ salubritate conciuit. Tantum in innocentia sua fiduciæ reposuerat, vt mortem non periculo oppressus refugere, sed metu vacuus appetere videretur. Quin etiam propansis vtrimque brachijs ante aram fati securus occubuit. Vbi dum victimæ more prostratus percussorem expectat, immissæ per fenestram lanceæ mortifero iactu confossus, pium mortis sacrificium edidit, fusoq. militum sanguine, suum ad vltimum erogauit. Enimuero crebris vndique telis impetitus corpus immobile tenuit, nec ante loco, quo excubabat, excessit, quam feretro mandaretur extinctus. ex cuius sanctissimis vulneribus plus gloriæ, quam cruoris effluxit &c.] pergit auctor narrare vberem miraculorum editionem, quibus Deus eius manifestam fieri sanctitudinem voluit etiam interfectoribus refractarijs. Factum igitur, vt ecclesiastico iudicio, summo prudentiæ libramento martyrij titulo idem Rex, die qua passus est, septima Ianuarij sacris tabulis adscriberetur, vbi annua die Ecclesiæ præconio celebratur. Porro publicum sacrilegium publica est vltus. Deus vindicta, immissa dein fame in rebellem populum, qua coacti sunt suum fateri crimen, cuius supplicium paterentur. Post eum Olauus germanus ipsius regnum accepit, tenuitq. annos decem, vt idem Saxo Grammaticus docet. C

PORVLVS IN REGEM REBELLANS EVM DIRE NECAT.

IESV CHRISTI GREGORII VII. PAP. VACAT. IMP. OCCID. 26.
ANNVS ANNVS ALEXII COMNENI IMP. 2.
1082. 10.

HENRICVS REX RVRSVS INFESTAT VRBEM.

REDEMPTORIS annus sequitur millesimus octogesimus secundus, Indictione quinta, idemq. secundus numeratur expeditionis Henricianæ in Gregorium Romanum Pontificem, de quo Bibliothecarius ista: Anno quoque secundo per Spoletanum Ducatum ad Vrbem iterum rediit, & per totum Quadragesimale tempus ipsam Romam cum multa hostilitate obsedit: adueniente vero tempore Paschali, vt æstiuum calorem deuitaret, per *compitas ciuitates exercitum distribuit, & ipse in Longobardiam cum paucis reuerti studuit: Guibertum vero apud Tiburtinos dimisit, & exercitui suo præfecit, qui postposito sacerdotio, per incumbentem æstatem agros, & segetes Romanorum deuastauit, & alia mala tamquam vir sanguineus eisdem Romanis intulit] hæc ipse. D

INCENDIVM AB ANTIPAPA IMMISSVM EXTINGVITVR.

Sed Bertholdus rerum præsentium inspector, hæc de his hoc anno: Henricus autem in Italiam assumpto apostata suo Guiberto iterum Romam inuisurus proficiscitur, adunata multitudine schismaticorum; ibiq. ea æstate moratus pene incassum laborauit, nisi quod milites suos quibusdam castellis, vt facerent guerram Romanis, impo suit, quia cum nec hac vice Romam intrare permiserunt: Ignem quoque in domum sancti Petri per quemdam traditorem immittere voluit, sed Dei misericordia protegente non potuit. Cogitauit enim, vt die improuiso portas irrumperet, si Romani derelictis propugnaculis ad incendium restinguendum concurrerent, vnde ignem domibus quibusdam S. Petro contiguis immitti fecerunt. sed dominus Apostolicus huic versutiæ obuiauit. Nam primum viso incendio, omnes milites Romanos ad propugnacula defendenda transmisit, ipseq. solus fiducia S. Petri fretus, facto signo Crucis contra incendium, ignem progredi vlterius non permisit. Igitur Henricus capto venerabili Episcopo de Suteria, alijsq. nonnullis, sicq. apostata Guiberto in Tiburtina vrbe ad infestandos Romanos derelicto, ipse Longobardiam reuertitur] hæc Bertholdus. E

SYNODVS IMPEDITVR A HENRICO.

Gregorius autem, qui celebrandam ex more hoc anno tempore Quadragesimæ Synodum indixerat, impeditus substitit: quod etiam duobus sequentibus annis accidit, quibus per Henricū ipse Gregorius testatur se fuisse impeditū, tres Quadragesimales Synodos agitare, quamtumlibet idem Pontifex hoc anno Synodum datis litteris indixisset. Quod autem idem persecutor Henricus ad conflandam inuidiam in ipsum Grego-

Gregorium Romanum Pontificem, se autem liberandum, in vulgus spargeret, seq. coactum talia agere, & inuitum prouocatum ab ipso: Gregorius ad ista diluenda, veritatemq. insinuandam litteras apologeticas scripsit, quibus se purgaret ab omnibus obiectis, & ob id Synodum generalem indicere exoptaret. ipsæ autem litteræ sic se habent: [a] A

[a] *Greg. lib. 9. ep. 28.*

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei clericis & laicis qui non tenētur excommunicatione, salutem & Apostolicam benedictionem.

GREGORIVS SE PVRGAT ENCYCLICA APOLOGETICA.

Notum facimus vobis, charissimi fratres & filij, nos admodum desiderare & Apostolica auctoritate velle sancire, vt generalis Synodus congregetur in loco tuto & securo, sicq. opportuno, vt ad eum possint vndique terrarum clericalis ordinis & laicalis amici vel inimici fine timore conuenire. Disponimus enim tractare, & diligenti excussione detectum in faciem orbis ex occultis tergiuersationū suarum antris extrahere, quicumque ille est, qui tantorum malorum, quæ iam pridem in Christianam religionem grassantur & sæuiunt, causa & auctor existit. Cuius etiam impietas, & inaudita temeritas hactenus obstitit & proturbauit, ne inter Pontificatum & regnum diuina pax, & recta concordia fieret, quam pacem opitulante Domino (sicut Christiana deuotio cupit, & postulat) in eodem Concilio instaurare & confirmare optamus. In qua Synodo præterea, Deo auctore, ad honorem beati Petri, secundum sanctorum Patrum decreta parati erimus, quod iustum est, facere, & iniquorum nequitiā reuelantes, de his quæ Apostolicæ Sedi obijciuntur, & vnde quidam fratrum submurmurant, ipsius innocentiam euidenter ostendere: ita tamen, vt ante omnia res sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quibus spoliata cognoscitur, si dignum est, restituantur. B

GREGORIVS QVAM ALIENVS FVERIT AB ELECTIONE RVDOLPHI.

Verum illud admodū vestræ dilectioni notificare non dedignamur, Deo teste, Rudolphum, qui Rex ab Vltramontanis ordinatus est, non nostro præcepto siue consilio regnum tunc suscepisse. Insuper etiam nos in Synodo decernentes firmauisse, nisi Archiepiscopi & Episcopi, qui illum ordinauerant, hoc factum suum recte defendere potuissent, tam ipsos a dignitatibus suis, quam præfatum Rudolphum a regno deponere. Enimuero interim quis hanc nostram dispositionem interturbauerit & multi vestrum sciunt, & nostram scientiam nequaquam fugere potest. Si enim Henricus Rex dictus & pars eius obedientiam quam promiserat, nobis, immo beato Petro seruasset (confidenter dico Deo iuuante) non tot mala, videlicet, homicidia, periuria, sacrilegia, simoniacæ hæresis pestilentiæ ac perditiones euenissent. Vos itaque quos aut tantæ calamitates mouent, aut diuini timoris respectus ad Deo dignam pacem, & concordiam animant: nitimini & summopere laborate, vt Synodus, qualem supra memorauimus, fieri possit, quatenus sanctæ Ecclesiæ caput, totumq. corpus, quod impiorum procellosis fraudibus & machinationibus fluctuat nimirum & titubat, communi omnium bonorum consensu & robore quiescat de cetero & stabiliter consolidetur] hucusque Encyclica Gregorij, cum tamen, ne indicta Synodus optatum consequeretur effectum, Henricus Rex impedierit. C D

Hoc eodem anno ad Sedem Apostolicam, ad quam ex more casus atrociores deferri solerent, Teruannensis ecclesiæ duplex est perlata tragœdia: tam de his quæ egerit intrusus Episcopus, quam quæ idem postea passus fuerit. Lambertus hic fuit, qui primum conuictus, atque damnatus [b] hæreticus, inde simoniace ordinatus Episcopus, ad Synodum Romam vocatus, venire contempsisset. Insuper qui in [c] Concilio Meldensi auctoritate Apostolica congregato fuerit excommunicatus ab eiusdem Apostolicæ Sedis Legatis, tum ob nefaria crimina, tum etiam, quod quinque clericos Romam ire paratos detrusit in carcerē: idem ita excommunicatus se fecerit a suspensis ministerio Episcopis consecrari. Deinde etiam hostiliter & armata manu, Comite *Flandriæ* Roberto cum exercitu secum eunte, ad ipsam ciuitatem pergens portas ecclesiæ, quas ei Clerus, & populus occluserat, in securi & ascia & alijs violentijs, incide rit atque confregerit. Crucē quoque & imaginem Saluatoris libellum contradictorium ante ipsius portas clausas manu dextera sibi quasi porrigentis, & velut ore proprio ingressum ecclesiæ ipsi contradicentis, ita diabolice a portis abstraxerit, vt dexteram manum (quod numquam antea legimus, aut audiuimus factū) illi euulserit sicq. cum lanceis & gladijs euaginatis fur & latro irrumpens, alios clericorum vulnerauerit, alios semiuiuos fugauerit, omniumq. sibi communicare nolentium domos diripuerit, E

[b] *Id. lib. 7. ep. 10*
[c] *Id. lib. 9. ep. 34.*

TERVANNENSIS ECCLESIAE CAVSA TRAGICA.

Universidad de Deusto
Biblioteca

diripuerit, atque destruxerit: ipsumq. Comitem in tantum seduxerit, vt omnes clericos sibi obedire nolentes, omnibus bonis priuatos de tota terra sua eiecerit, & duas epistolas a Papa missas adeo despexerit, vt portitoribus earum contumelios verba, & tanto Principe multum indigna protulerit] hæc ex Gregorij Papæ litteris de pseudoepiscopi intrusi atque sacrilegi nefandis operibus scribentis ad omnes Episcopos Flandriæ, tanta mala deplorantis.

[a] Greg. lib. 9. ep. 30.

QVANTA PASSVS PSEVDOEPISC. TERVANNENSIS.

Quæ vero idem pseudoepiscopus Lambertus a Teruannensibus passus sit, ex eiusdē Pontificis [a] litteris accipe, quæ scriptæ habentur ad milites Teruannēses, his verbis absque Apostolica benedictione datis, cum ipse apud Apostolicam Sedē conquestus esset.

Intolerabilis audaciæ, horribilisq. facinoris super vos ad nos relatio venit, quod quanto nostris sæculis inusitatum, nec a tempore Paganorū persecutorum præsumptum esse vel legitur, vel auditur, tanto ad iustitiam de se exequendam Apostolicæ B
mansuetudinis zelum mouet & incitat. Denique conquestus est nobis Lambertus dictus Teruannensis Episcopus, quod post tot tantaq. sacrilegia, quibus eamdem ecclesiam deprædati fuistis, ianuas eius infringentes, serica, argentea, aureaq. diuersi generis, & innumera ornamenta diripientes, ac sacris crucibus comminutis, tam ipsas quam & duas capellas & reliquias auferentes, abstrahentes eumdem Episcopum ab altari, vbi prostratus orabat, linguam ei, dexteræq. articulos ad aceruum tantorum scelerum detruncastis. Qua in re nullam excusationem tentetis obtendere, quasi de ipsius vita reproba, vel ordinatione iniusta, seu depositione irrogata. Sicut enim supra notauimus, nemo adhuc tale aliquid præsumpsisse dignoscitur, nisi forte qui Deū non timens, & Christianam reuerentiam abijciens pro nihilo duxit, manum in sacros C
ordines mittere. Quapropter monemus, & ex parte beati Petri præcipimus, vt tantam nequitiā vestram recognoscentes, aut ante Legatos nostros Lugdunensem Archiepiscopum, & Abbatem Cluniacensem satisfacturi veniatis &c.] Vidisti, Lector, contumacem pseudoepiscopum Apostolicæ Sedis iudicium auersantem & contemnentem, atque omnino refugientem, denique terribili Dei iudicio (de quo [b] Psalmographus, Humiliasti sicut vulneratum superbum) coactum, elinguem, truncatum digitis Sedem Apostolicam adire, & de acceptis iniurijs eam vindicem implorare? cogitur, inuitus licet malus, impellente iustitia iudicem adire legitimum, & quam negauerat, veritatem profiteri. Nam cum iuxta Vrbem sciret residere pseudopapam, eum tamen auersatus pseudoepiscopus legitimum Pontificem adit, quantumlibet eum sibi aduersantem semper antea passus esset.

[b] Psal. 88.

HERMANNVS SVBROGATVS RVDOLPHO.

Eodem anno in Saxonia substituitur Rudolpho defuncto Regi Hermannus Lotharingius præstans nobilitate & peritia militari, sed non æque viribus iam Rudolphi obitu labefactatis, quas cum restituere conaretur, dum castrum expugnatum peruadit, molari lapide desuper iniecto per feminam, perijt. sed hæc postea contigerunt. Interea noua ista terrorem Henrico nonnihil incussere, quamobrem ipse timens, ne ad nouum parandum bellum aduersus nouum Regem reuocaretur in Germaniam, dolosis artibus res componere velle cum Gregorio Papa simulauit, vt quem armis hactenus expugnare non potuit, insidijs superaret, sicq. liber ab Italicis periculis imminentibus, aduersus nouum Regem toto robore iunctis exercitibus, in Germaniam se tranferret. Sed quod ista sequenti anno contigerint, de his suo loco dicendum. D

Quod autem ad res pertinet Orientales, hoc anno Alexius Imperator strage suorū ab exercitu (vt audisti) Northmannorum accepta, prudentior redditus: peccatis suis eam adscribens, quod ex donarijs ecclesiarum exhaustum ærarium replere studuisset: ne id vmquam a quouis tentaretur Imperatore, edita Constitutione aureo sigillo munita sanciuit, quam dignam Annalibus, ad Principum admonitionem hic putauimus describendam, quæ sic se habet: E

[c] Extat to. 3. Bibliоth. sanct. & in corpore Iuris Orient.

ALEXII IMP. BVLLA AVREA DE ORNAMENTIS ECCL. NON AVFERENDIS.

Domini Alexij Comneni Græcorum Imp. de donarijs & rebus sacris Rescriptum, siue oratio, quam auream bullam inscripsit. [c]

Qui corpore male affecti sunt, medicaq. curatione egent, si modo se morbo laborare senserint, multo facilius a medicis curantur. Qui vero morbi quo laborant grauitatem minime persentiscunt; immo nec se ægrotare sciunt; ij procul dubio non parum negotij, & sibi & medicis facessere solent. Hoc ipsum quidem certe in animi quoque morbis perspicuum est. Atque ex nobis, cum peccant alij, quamlibet in profundum

A fundum malorū gurgitem prolapsi, in vtramuis securi dormimus aurem; sceleruмq. grauitati succumbentes, vix ac ne vix quidem nos peccare sentimus, quia nimirum malus ille habitus iam in naturam transijt. Quibus autem salutiferi sui luminis scintillam aliquam Deus indidit, quorumq. intellectus non omnino mundi huius sublunaris cœno obsorduit, nec lateritio operi mens prorsus inseruire cogitur: ij demum a lapsu resurgere, Deiq. consortio, præter animi sententiam exturbati sæpius, ad eumdem non sine sedula spontaneaq. rerum meliorum disquisitione recurrere possunt.

Quæ res haud dubie nobis imperantibus vsu venit. Variæ enim multiplicesq. negotiorum circumstantiæ, dum vbique publica exhauriuntur ærara, passimq. hostium incursionibus patet aditus, tranquillum Imperij nostri statum represserunt. Cum primumq. adeo Imperatoriæ fastigium maiestatis conscēdimus, nos a tergo illa
B malorum myrmecia insecuta est. Ex quo euenit, vt in summā rerum angustiam adducti, ijsq. omnibus exuti, quæ lapsis alioqui adiumentum aliquod afferre poterant: tandē vel sacra diuinaq. Dinodia contingere, ijsq. nostram solari inopiam statuerimus. Quod certe facinus, in plerisque sacris diuinisq. ecclesijs admissum est, nec sacrorum donariorum pauca in publicos cesserunt vsus. Neque eo quidem addacti sumus, vt quidquam moliremur, vel in Dei contumeliam, & contemptum, vel in eorum despectum, quæ illi pia consecrauit antiquitas (quod omen Deus ab omni animo Christiani nominis amantissimo auertat) sed vrgente temporum necessitate, atque etiam conn

Universidad de Deusto
Biblioteca

dijs vtensilibus & vasis, quæ sacris olim & venerandis ecclesijs tuis dicata, vel in posterum dicanda fuerint, inijcere audeat: is ne lumine in die visitationis tuæ fruatur; ne sol illi matutinus illucescat, nec tuo hic auxilio, nec tua isthic diuina protectione gaudeat; sed vbique despectus a te, desertusq. iaceat. Tantum propitius esto nunc, o Rex, hereditati tuæ. Siste iustam illam iram, qua in nos exarsisti, quin parce nobis, qui cum peccauerimus antea, nunc tandem ad te conuertimur. quoniam omnia peccata nostra cum misericordiæ tuæ abysso collata, & velut ad perpendiculum examinata, sic se habent tamquam aquæ hemina, si cum toto mari conferatur.

Vt ergo coram te, Domine, multitudinem peccatorum meorum confiteor: ita tuum quoque maxime salutiferum auxilium imploro, ex intimisq. animi penetralibus, a sacris in posterum pertractandis desistens, etiam si extrema me necessitas eo impellat, & debitorem eorum quæ antea inde ablata fuerunt, me ingenue profiteor.

In huius enim rei confirmationem vniuersis ecclesijs tuis sanctis hanc aurea bullam obsignatam orationem, tamquam tutum aliquod antidotum appendi: vt quicumque posthac sacrorum Dinodiorum quodpiam contrectare ausus fuerit, impij sacrilegij nomine apud te, & pios quosque homines censeatur. Dat. mense Augusto quintæ Indictionis, quater anno millesimo quingentesimo nonagesimo, quo quidem tempore pium quoque hoc & Deo subditum Imperium nobis designatum est] anniuersaria nempe die. hactenus bulla aurea aureis re vera litteris digna.

IESV CHRISTI ANNVS 1083. GREGORII VII. PAP. ANNVS 11. VACAT. IMP. OCCID. 27. ALEXII COMNENI IMP. 3.

INTRVDITVR IN SEDEM PETRI GVIBERTVS ANTIP.

OCTOGESIMVS TERTIVS post millesimum exurgit annus, sexta Indictione, idemq. ob Henricianam persecutionem Ecclesiæ Romanæ turbulentissimus, quo (inquit Bertholdus Constantiensis) iterum Henricus cum multitudine schismaticorum, siue excommunicatorum ante Pentecosten Romam impugnaturus aggreditur, sicq. Guibertum Rauennatem, periurum, depositum, & anathematizatum apud sanctum Petrum inthronizauit, non per Ostiensem & Albanensem, & Portuensem Episcopos, qui hoc priuilegium habent, vt & Papã consecrent; sed per Mutinensem & Ariminensem Episcopos, vtpote iam multis annis depositos & anathematizatos] hæc ipse, sed alij inferius ponuntur ordinatores. capta autem fuit ciuitas Leoniana ab Henrico. de his habet ista Leo Ostiensis: Henricus interea sequenti anno exercitum congregat, Romã aduenit, & porticum S. Petri per vim cepit, magnaq. ex parte destruxit, Archiepiscopumq. Rauennatem Apostolicæ Sedis inuasorem absque consilio & voluntate Romanæ Ecclesiæ instituit] Vidit plane inauditum hactenus tunc Roma portentum, nempe, viuente ipso legitimo, orthodoxo, Gregorio Septimo Papa, iam a toto Christiano orbe per annos vndecim recepto atque culto Pontifice, superinduci in Petri Cathedram ac consecrari sæpe ante depositum, & execratum sæpius Guibertum Archiepiscopum Rauennatem, decoro nomine Clementem Tertium nominatum, quod factum tradunt vndecimo Kalendas Aprilis feria sexta ante Palmarum Dominicam, licet alij id factum dicant anno sequenti: verum Bertholdo tunc per singulos annos singulas res gestas scribenti magis deferimus. Bibliothecarius autem hos tres recenset initiatores fuisse monstri huius, nimirum Episcopos Bononiensem, Vincentinum & Ceruiensem. de cuius execratione potius quam consecratione Domnizo in vita Mathildis hos habet versus:

In cathedraq. locant hunc. Clemens Falso vocatur.
Hic est Guibertus fallax, vastator apertus
Ecclesiæ Christi, merito quem signat abyssi
Bestia, quam vidit Dilectus in Apocalypsi.

] At post hæc Henricus ad Vrbem ipsam capiendam intentus, quid egerit, Bertholdus ita describit: Statim ergo iuxta sanctum Petrum quemdam monticulum nomine Palatiolum in castellum erexit, eiq. milites multos, vt impugnarent Romanos, imposuit, qui eum Transtiberinas Vrbis regiones intrare nullo pacto permittebant. Multi tamen iam ex Romanis consenserant, partim pretio inducti, partim multis promissionibus seducti, omnes tamen æqua-

a Leo Ost. lib. 3. cap. 49.

b Vsperg. Sig. & Albert.

c Apoc. 11.

INDICITVR A GREG. PAPA SYNODVS.

æqualiter iam triennij impugnatione nimiũ fatigati. Quid plura? Omnes pene Romani præter Principem Salernitanum, hoc laudauerunt, vt Papa Gregorius Synodum in medio Nouembri colligeret Romæ, cuius Synodi statuta de causa regni nec Henrico, nec Romanis, immo nulli penitus liceret præuaricari. Henricus quoque ituris ad illam Synodum & redituris securitatem iureiurando fecit. Vnde & Papa omnes religiosos Episcopos & Abbates ad Synodum litteris suis vocauit] Quæ autem vsque ad Synodi tempus fieri contigerint, ita pergit scribere. Reuerso ergo Henrico Longobardiam, milites eius, quos in castello prope sanctum Petrum dimisit, repentina mors pene omnes inuasit. inter quos, & Vdalricus Goseczeheim absque ecclesiastica communione (heu miser) interijt, auctor huius schismatis & incensor conspirationis. Ex quadringentis autem militibus, qui in illo castello pro custodia dimissi sunt, vix triginta gladium sancti Petri, vt aiunt, concessa vita euaserunt: ipsum autem castellum a Romanis penitus solo adæquatum est.

QVID HENRICVS IN EPISCOPOS AD SYNODVM VENIENTES.

Henricus ergo, Rauennate suo interim Rauennam transmisso, ad prædictam Synodum profectus est, quo & Legati Teutonicorum Principum ire debuerant, sed ab Henrico in via apud forum Caslij capti, & sedati sunt circa festum sancti Martini, licet omnibus Synodũ illam petentibus securitatem iuramento promiserit. vnde & Romani contra Henricum murmurare cœperunt. Erant autem religiosissimi monachi, & clerici, quos in captiuitate fecit cruciari: cum quibus & Ottonem venerandum Ostiensem Episcopum captiuatum, videlicet ad ipsum ab Apostolica Sede transmissum. Multi tamen ex Francigenis ad illam Synodum tam Episcopi, quã Abbates peruenerunt. Meliores autem Episcopi, & domino Apostolico magis necessarij, ideest Hugo Lugdunensis, Anselmus Lucensis, Reginaldus Comanus specialiter a Henrico ad Synodum peruenire prohibiti sunt. Dominus tamen Papa Synodum tribus diebus solemniter celebrauit: & ne Henricum iterum specialiter anathematizaret, vix a Synodo exoratus: omnes tamen excommunicauit, quicumque aliquem ad S. Petrum & Papam venientem impedirent quoquo modo] Porro quæ huius Synodi extant monimenta ad finem epistolarum eiusdem Gregorij Papæ, hic describamus. sic se habent:

ACTA SYNODI ROMANAE.

Anno ab Incarnatione Domini millesimo octuagesimoquarto, Pontificatus vero domini Gregorij Papæ Septimi anno vndecimo, duodecimo Kal. Decembris, præsidente eodẽ Apostolico, celebrata est tribus diebus in Lateranensi basilica Synodus, in qua fuerunt Archiepiscopi, Episcopi, & Abbates Campani, & de Principatibus atque Apulia, pauci quoque Gallicani. Nam plurimos Henrici tyranni perfidia iter retro vertere compulit, qui Ostiensem Episcopum de Apostolica legatione redeuntem, contra fas, & iuramenti fidem capi iussit, siue permisit] pergit dicere de alijs Synodis, quæ ante hanc superioribus annis, per eumdem Henricum, ne agitarentur, fuerant impeditæ. Tres autem, inquit, Synodos Quadragesimales eiusdem Henrici persecutio impediit; qui semel beatum Paulum, bis beatum Petrum aggressus, demum post multum fusi sanguinis, non tam suorum fortitudine, quam negligentia ciuium porticu muros surripuit. Romanum siquidem vulgus, pars videlicet copiosior ciuitatis, bienni bello fatigatum acri inedia laborabat, cum nec ipsis ad vicina oppida, vel castra exire liceret, nec illi iurati Henrici in Vrbe vellent negotiatum venire, multi vero fame adacti Vrbem reliquerant; proinde ceteri bello remissius attenti, rem ex animo minus gerebant, & a custodijs prout cuique licebat, sine timore negligentius aberant. hæc super Henrici tyrannide, quia se occasio præbuit, perstrinxisse sufficiat. Ceterum Dominus Apostolicus in eadem Synodo de fidei forma, & Christianæ religionis conuersatione, sed & de robore, animiq. constantia ad præsentem pressuram necessaria, ore non humano, sed angelico patenter disserens, die tertia totum ferme conuentum in gemitus, & lacrymas compulit. sicq. Concilium Apostolica benedictione lætificatum in pace dimisit] hactenus ibi de Synodo, ex pressuris, quibus opera Henrici populus Romanus est afflictatus. Reliquas autem res gestas anni huius Gregorij Papæ, atque Henrici Bertholdus sic absoluit:

DE CORONANDA HENRICO ALTERCATIO.

Sed iam, inquit, aduenit terminus, ad quem Romani, nesciente Papa, hoc Henrico se effecturos iurauerant, vt aut Gregorius Papa eum incoronaret, aut alius, quem ipsi illo, Gregorio scilicet, expulso, eligerent. Quod iuramentum licet in præterita æsta-

te fa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

te factum fuerit; omnes tamen intimos Papæ vsque ad terminum pene latuit. Aduenientе ergo termino, Romani Papæ de iuramento manifestauerunt, dicentes se hoc iurasse, non vt Papa solemniter regali vnctione incoronaret, sed tantum simpliciter, vt ei coronam daret] At quid tunc Gregorius? Sic annuit, vt tamen iustitiæ consuleretur. pergit enim: Annuit ergo Papa eorum votis, vt eos a iuramento absolueret, videlicet Henrico, si vellet cum iustitia: sin autem, cum maledictione coronam daret. Vnde Romani mandauerunt, vt veniret ad accipiendam coronam cum iustitia, si vellet: sin autem, de castello sancti Angeli per virgam sibi demissam a Papa reciperet. Sed Henrico vtrumque recusante, alium Legatum illi direxere, qui eos bello defenderet si necesse esset. Se bene attendisse quid iurauerint, nec se amplius eo iuramento detineri obnoxios. Igitur domino Papæ multo firmius quam pridem consilio, & auxilio adhæsere. Henricus autem multo instantius pro eis suæ parti applicandis, nunc minando, nunc promittendo laborauit; multumq. tempus circa Romam moratus, huic negotio inuigilauit] & inferius:

DIRA PERSECVTIO IN ECCLESIAM.

Sed iam septennio totum Romanum Imperium ciuili bello, nimio schismatis dissidio laborauit, alijs quidem domino Apostolico, alijs autem Henrico fauentibus, & ob hoc vtrimque totum regnum præda, ferro, & igne miserabiliter deuastantibus: paucissimi Catholici Episcopi ex parte Apostolici remanserunt, qui a proprijs sedibus expulsi suis gregibus prouidere non permittebantur. Quapropter omnes pene religiosi, siue clerici, siue laici in aliqua monasteriorum latibula *fugientes* huiusmodi mala declinauerunt, ne videlicet deuastationem sanctæ Ecclesiæ cernerent, cui in nullo adminiculari possent: satius enim illis videbatur, vt saltem se ipsos delitescendo saluarent, quam pro alijs incassum laborando, cum eisdem perirent] hæc Bertholdus.

Inter hæc autem cum in obsidione Vrbis perseueraret Henricus, quem sciebat erga Gregorium Papam propensiorem, vocauit ad se Desiderium Cassinensem Abbatem eumdemq. sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem. quæ autem cum ipso transegerit, idem Leo Ostiensis ita describit: Henricus interea sequenti anno exercitum congregans, Romam aduenit, & porticum sancti Petri per vim cepit, magnaq. ex parte destruxit, Archiepiscopum Rauennatem Apostolicæ Sedis inuasorem, absque consilio, atque voluntate Romanæ Ecclesiæ instituit] sed hæc de Antipapa anno sequenti, vt suo loco dicetur. pergit autem: Hoc audito omnes fere illarum partium homines aduersus Northmannos vno animo, vna voluntate conspirant, vt cum Imperator Romam transiret, *venturus Campaniam versus*, omnes in illos vnanimiter insurgerent] Quod enim violentum admodum dominium Northmannorum esse consueuisset, quodq. abesset illorum Dux Robertus, qui vna cum filio in Orientali (vt vidimus) expeditione detineretur occupatus; spem conceperant indigenæ, vt Henrici Regis auxilio Northmannos ab occupatis per vim locis expellerent. sed quid ad hæc ipsi, sic Leo declarat his verbis:

a Chron. Cass. lib. 3. c. 49.

NORTHMANNI TIMENT HENRICVM REG. ET PACEM ROGANT.

Hoc illi explorato, perterriti consilium inuicem ineunt, vt cum Imperatore; Henrico Rege videlicet, fœdus quoquo pacto componant: ne si Roma ille potiretur, adiunctis illi Romanis, & omnibus per circuitum gentibus, ipsi sedibus suis pellerentur. Quod vbi inter eos firmatum est, Legatis iam ad Imperatorem ab se profectis, atque reuersis: Desiderium tandem aduocant patrem, eiq. (quia multum illi confidebant) consilia sua patefacientes orant, vt secum ad Imperatorem pergat. licet autem ob securitatem suam vna cum Imperatore componerent fœdus; eo tamen etiam animo pergebant, vt pacem inter Imperatorem, Pontificemq. tractarent. Hoc vbi Gregorio Papæ nuntiatum est, Imperatorem cum suis fautoribus ab Ecclesiæ communione separauit. Northmanni his cognitis, cum antea Pontificem sincere, ac fideliter dilexissent: & corpore, & animo tunc alienati sunt.

HENRICVS VOCAT AD SE DESIDERIVM.

Interea Imperator per Marsorum Comites epistolam ad patrē Desiderium scripsit, vt ad se pergeret, mandans. Ad eam vero epistolā ille nihil omnino respondit. Scripsit illi & alteram plenam minarum, commotus, cur nec se adierit, nec litteris suis responsa dederit, mandās ei vt Farfæ sibi maturaret occurrere, alioquin obfuturam sibi grauiter tarditatem suam. Ad hæc rescripsit Desiderius, pro salutatione, debitum fidelitatis obsequium in fronte epistolæ scribens. Et cum in eis litteris multas allegaret rationes, quod Northmannorum causa illum adire non posset, sed si de pace cum Romano Pontifice tractandum esset, locum inueniret illum adeundi, asserens, vt illum ad pacem animaret, neque regnum, neque sacerdotium in tanto dissidio incolume posse consistere: Imperator iratus, multaq. aduersus Desiderium indignatione commotus Nuntijs suis, quos ad principem Capuæ misit, omnino interdixit, ne Desiderio colloquerentur; mandauitq. Principi, vt illum pro viribus læderet, nisi sponte sua adijsset Imperatorem.

Hæc vbi Desiderius pater agnouit, Romano Pontifici cuncta litteris suis significauit, & quid sibi esset agendum, vt moneret, orauit. Rursus Imperator Desiderio scripsit, vt se omnimodis in Pascha adiret, & cum eo ipsam festiuitatem celebraret; scripsit & monachis seorsum litteras ea ipsa de re. sed ille adhuc ire differebat.

DESIDERIVS ABBAS PROFICISCITVR AD HENRICVM.

Postquam vero Princeps Capuanus, ac Northmanni omnes ad Imperatorem proficisci instituerunt, & Princeps Desiderium secum ire hortatus est: Abbas conuocatis Fratribus dixit ad eos: Angustiæ mihi sunt vndique: Nisi enim ad Imperatorem iero, periculum imminet, & monasterij euersio. si autem iero, & eius voluntati paruero, incurram animæ periculum. Porro si pergens illius voluntati non obtemperauero: imminet periculum corporis mei, simulq. timeo ne iratus Imperator ita monasterium istud, quod sub tutela sua est, sicut & totum Principatum Northmannis permittat. Pergam tamen ad eum, tradens me morti ac periculo: neque enim faciam animam meam pretiosiorem, quam sanctissimum patrem Benedictum. Nam pro vestra salute animarum & corporum, lociq. istius incolumitate (si aliter fieri non potest) opto a Christo anathema esse. si enim millies occidant, nullus me separabit a dilectione loci huius. Non modo enim Imperatori, qui Christianus est, verum ne tyranno quidem cuilibet gentili occurrere (si ita opus sit) recusabo, dummodo hoc monasterium valeam ab eius barbarie vlla ratione liberare. Nam & Leo Papa, vt Romanam Vrbem a vastitate & incendio eriperet, Genserico Arriano Regi occurrit, & Sabinus Canusinus Episcopus Totilam Arrianum ad conuiuium æque inuitauit, & de manu eius accepto calice bibit, & Benedictus pater Gallam itidem hominem Arrianæ perfidiæ etiam in oratione suscepit) vt eum ab afflictione rustici coerceret. His dictis, patri Benedicto se commendans, iter arripuit. Ita tamen, Deo protegente, caute secessit, vt in toto illo itinere, & omni mora, quam ibi habuit, cum multi Episcopi & honorati viri, amici etiam sui quamplurimi, & Imperatoris Cancellarius sibi occurrissent, neminem sit osculatus, cum nullo eorum orauerit, comederit, vel biberit.

INGRESSVS DESIDERII CVM HENRICO REG.

Postquam vero Adbanum peruenit, neque ipse per se Imperatorem adijt, neque ad illum aliquem misit, sed per totam illam hebdomadam minæ ab Imperatore intendebantur. Mandabat enim, vt sibi fidem iuraret, homoq. ipsius fieret, ac monasterium ex manu sua susciperet. Quæ videlicet omnia Desiderius constanti animo & forti contemnebat, dicens, se non modo monasterij causa, sed ne pro mundo quidem toto id facturum. Cumq. ipsius rigidum animum Imperator & inflexibile propositum cerneret, iratus valde est, præcepitq. Principi Capuano, vt acceptis secum Nuntijs, ad monasterium pergeret, eisq. ipsum ille assignaret. sed cum Princeps multa illi bona sæpe de Desiderio locutus esset: eo tandem ad illum perducto, ita mutatus est, vt ipse coram Principe, amicum illum appellauerit; orauerit. vt de acquirenda Imperij corona, ipse sibi fautor existeret. Et quia superioribus collata Desiderius leuia existimabat, facturum se pro viribus, Principe astante, promisit. Et cum exigeret, vt virgam Abbatiæ de manu sua susciperet: renuit, dicens: Quando illi coronam Imperij collatam cerneret, tunc si placeret, Abbatiam ab eo percepturum, vel etiam si ita visum esset, dimissurum] hæc quidem eo sensu Desiderius, quod certo sciret, numquam fore, vt a Gregorio coronam esset percepturus Henricus Imperij, nisi abdicatis erroribus, schismateq. dimisso plene eidem Gregorio Pontifici satisfacturus esset, vt ex ijs, quæ inferius dicentur, apparet, cum de conditionibus pacis agetur, quas idem Pontifex eidem Henrico præscripsit, si Ecclesiæ pacem cuperet, & beneficia consequi ab eo speraret. pergit autem Leo Ostiensis:

Post hæc Imperator accepta a Principe Capuæ magna pecunia, per præceptum aurea bulla roboratum, confirmauit ei Capuani Principatus omnes pertinentias, reseruato sibi & Imperio monasterio Cassinensi cum rebus omnibus, ac pertinentijs suis. Interim quam diu illic permansit Desiderius, sæpe diebus singulis cum Episcopis, qui cum

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum Imperatore aderant, de Apostolicæ Sedis dignitate contendit, præcipueq. cum *Ostiensi Episcopo, qui *etiam Gregorio Papæ fauere videbatur. Cumq. ille priuilegium Nicolai Papæ, quod cum Hildebrando Archidiacono & Episcopis centum viginti quinque fecerat, proferret, quo statutum fuerat, vt numquam in Romana Ecclesia sine Imperatoris nutu Pontifex fieret; quod si contingeret fieri, sciret, se huiusmodi non pro Papa habendum, sed anathematizandum: Desiderius huiusmodi rationibus occurrit, dicens: Neque Papam, neque Archidiaconum, neque Episcopum aliquem seu Cardinalem, vel quemlibet omnino hominem licito facere id potuisse: Sedes enim (inquit) Apostolica domina est nostra, non ancilla, nec alicui subdita, sed omnibus prælata, & ideo nulla omnino ratione sub iugum a quoquam mitti potest. quod a Nicolao Papa factum esse iniuste profecto ac temere præsumptum est. Non tamen cuiusque stultitia, vel temeritate amittit Ecclesia dignitatem suam, neque vos id sentire vlla ratione debetis: neque fauente Deo, vltra continget, vt ex Alemanni Regis nutu Papa Romanis ordinetur. Ad hæc cum iratus Episcopus indignationem illi Regis & omnium vltra montes habitantium, si ista persentirent, minaretur: Desiderius consueta constantia, neque Regem, neque totum simul orbem, si in vnum conueniret, se ab hac depellere posse sententia, asseuerauit. Potest quidem (inquit) Imperator ad tempus (si tamen id permittat Deus) vim libertati ecclesiasticæ inferre: nostrum tamen ad hoc numquam poterit inclinare consensum. His autem & huiusmodi pluribus quotidie cum eis contendebat, iustisq. eos conuincebat rationibus.] at de Nicolai Secundi decreto consule, quæ suo loco superius dicta sunt. pergit Leo:

* Astensi * nec

NVLLIVS PONTIFICIS DECRETO LABEFACTARI POSSE PRIVILEGIA APOST. SEDIS.

DESID. QVID CVM ANTIP.

Cum Archiepiscopo quoque Rauennate *Antipapa Guiberto* ea de re sæpe contendit, & prædictum priuilegium confutauit, arguens, cur se de Papatu præsumpsisset intromittere; idq. seuerius. Verum cum multis ille rationibus satisfacere vellet, nec valeret, inuitum se tandem id feciſſe, respondit: nam si facere id renuisset, ius suum profecto ab Imperatore adimendum asserebat. Desiderius autem accepto ab Imperatore præcepto, *priuilegio pro monasterio scilicet*, aurea bulla munito de possessione totius monasterij, petita remeandi licentia, ad filios suos tandem atque ad monasterium redijt] hæc Leo, qui & subijcit de sancto Hugone Abbate Cluniacense, tunc inuisente Cassinense cœnobium, aitque: His temporibus Hugo venerabilis Cluniacensis Abbas, vir vita & fama celebris ad patris Benedicti limina deuotus aduenit. Quem venerabilis Desiderius, vt tantum decebat virum, magno cum honore suscipiens, & societatem Cluniacensium Fratrum nostræ Congregationi coniungens, inito fœdere, & nostræ apud illos & illorum apud nos Congregationis memoriam perpetuo habendam, singulares illi viri decreuerunt] hactenus Leo, subijciens de transitu Gregorij monachi viri sancti ex hac vita ad Deum, quem consulas, si scire cupis.

IESV CHRISTI ANNVS 1084. GREGORII VII. PAP. ANNVS 12. HENRICI III. IMP. 1. ALEXII COMNENI IMP. 4.

HENRICVS VRBE POTITVR.

SEQVITVR annus Redemptoris millesimus octogesimus quartus, Indictione septima, quo Roma post obsidionem triennalem ab Henrico Rege diuersis modis tentata tandem capitur non ferro, sed auro. Quomodo autem & quando id acciderit, ex Bertholdo præstat audire, qui tunc temporis ista scribebat. Nam posteriores confundunt inuasionem ciuitatis Leonianæ cum Vrbis ipsius captione, & quæ contigerunt anno superiori cum his, quæ hoc anno gesta esse reperiuntur: de quibus ista distincte ingerit ipse:

His temporibus Constantinopolitanus *Imperator* scilicet maximam pecuniam Henrico quondam Regi transmisit, vt Robertum Guiscardum Ducem Calabriæ & Apuliæ, coniuratum militem domini Papæ, in vltionem eiusdem Regis bello appeteret. Nam Robertus iamdudum fines Constantinopolitanorum inuasit; iterumq. illuc expeditionem mouere disposuit. sed Henricus acceptam pecuniam non in procinctum contra Robertum, quod iuramento promisit, sed ad conciliandum sibi vulgus Romanum

Romanum expendit, cuius adiutorio Lateranense palatium feria quinta ante Palmas cum suo Rauennate Guiberto intrauit. Nobiles autem Romani præter admodum paucos cum domino Papa Gregorio tenuerunt, qui & quadraginta obsides ei dederunt. Papa autem in castellum sancti Angeli se recepit: omnesq. Tiberinos pontes & firmiores Romanorum munitiones in sua obtinuit potestate] Henricus autem ad suum suorumq. præsidium muniuit montem Auentinum, in quo se continuit. quomodo autem per suum Antipapam fuerit coronatus, ita pergit Bertholdus:

CORONATVR HENRICVS III. AB ANTIPAPA

In die Resurrectionis Dominicæ Henricus a hæresiarcha suo Rauennate coronam non gloriæ, sed confusionis accepit. Nam huiusmodi coronator iuxta attestationem sanctorum Patrum non benedictionem, quam perdidit, sed damnationem, quam habuit, suo coronato imposuit] ita quidem, ob idq. eiusmodi execratione potius quam consecratione initiatus Henricus, ita dici meruit Imperator, sicut eius initiator Guibertus meruit dici Pontifex; sicq. sicut iste Antipapa, ita consecratus ab eo Pseudoimperator dicendus fuit ab Orthodoxis omnibus: nec ipsi nomen nudum Imperatoris aliquid potuit contulisse nisi maledictionem, quam tantum consequi potuit a maledicto, vt hic pluribus disputat ipse Bertholdus. Ceterum assertum potius, quam re ipsa, iure aliquo eum quis legitimum (si res ad calculum deferatur) dicere poterit Imperatorem, quo titulo ad consignanda certa tempora etiam positos vidisti superius in Annalibus tyrannos plerosque inuasores Orientalis Imperij eius nominis indignissimos. Quæ dixisse voluimus, vt non mireris, si ad tempora consignanda eo titulo plures ex ijs inuenies nominatos in Fastis, tamquam columnas milliarias collocatas in itineribus, quæ mutæ licet ipsæ, loquantur tamen, & viam doceant.

At quæ post hæc gesta sint, ita narrare Bertholdus pergit: Morabatur autem Henricus in Lateranensi palatio cum Rauennate suo, nec a fidelibus Papæ per ciuitatem ad sanctum Petrum transire permittebatur, sed in ipsa Paschali hebdomada fideles aggreditur, in qua congressione quadraginta pene inter mortuos, & vulneratos perdidit, nam reliqui fugerunt: ex parte autem domini Papæ nec vnus cecidit] qua occasione factum, vt ipse Henricus se, suosq. in Auentinum conferret, locumq. muniret, timens tum vrbanos, tum externos, ne improuisa aliqua aggressione Romanorum, vel Northmannorum fidelium Papæ Gregorij trucidaretur vna cum suis militibus, suoq. pseudopontifice Guiberto. Accidit autem inter hæc, dum Henricus vna cum suis contineret se in Auentino, ibiq. positus frequentare soleret ecclesiam S. Mariæ, in qua oraret: cuidam ignoto homini parandi necem ipsi, ex loci opportunitate occasionem datam fuisse, nempe, vt prægrande saxum pararet, quod super caput Imperatoris deorsum mitteret. Sed quod Deo semper inuitum ac detestabile fuit, cuiuscumque sanguine quātumlibet noxio ecclesias inquinari, sceleri minime fauit, sed extitit vltor, effecitq. vt cum saxum ille pararet, vna cum saxo deorsum cadens occumberet. quem in gratiam Regis populus per deuia tractum in frusta discerpsit. Ex quo facinore mendax Benno, digna occasione captata conflandi calumniam in Gregorium, inargumentum assumpsit, ipsi tribuens facinus, quod nec cogitasset aliquando. at non ita, qui res gestas tunc ab ipso Henrico conscripsit, licet ipsi fauens, non ausus tanto Pontifici scelus tantum adscribere: qui post hæc diuinam vindictam in Regis exercitum esse grassatum affirmat, nimium ingruenti lue nec vnum quidem eius militum remansisse superstitem. ait enim: Nulla fortuna longa est: nam hi, quos Imperator Romæ præsidio imposuerat, ægritudine correpti, quam & locus & tempus intulerat (erat enim æstas) ne vno quidem superstite, mortui sunt]

QVID TENTATVM IN HENRICVM.

MILITES HENRICI LVE CONSVMPTI.

At quæ damna intulerit Vrbi Henricus, in vita Gregorij antiquitus scripta per Bibliothecarium ita legitur: Domos Corsorum subuertit. Dehinc Septem solia, quibus Rusticus nepos prædicti Pontificis continebatur, obsidere cum multis machinis bellicis attentauit, de quibus quamplurimas columnas subuertit. Cum Nuntius ei aduenit de aduentu Roberti Guiscardi, a quo, si ab obsidione non recederet, expellendus esset, vel capiendus] hæc ibi. Erat locus ille, Septem solia dictus, e regione S. Gregorij inter montē Palatinum & cliuum Scauri suffultus multiplici ordine columnarum, totidemq. distinctis superexaltatis solijs septem, qui celsæ turris speciem exhibebat, in cuius vertice ecclesia erat, sicut in mole Hadriani sancti Angeli, eademq. dicta san-

ECCLESIA S. LVCIAE AD SEPTEM SOLIA.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cta sanctæ Luciæ ad Septem solia, quam inter Vrbis diaconias memini numeratas. Permanserunt eius reliquiæ igni atque concussionibus superstites in paucis columnis, & residuis tribus solijs vsque ad tempora Sixti Papæ Quinti, quas ad vsum recentium constructionum vidimus demolitas, non sine indignatione animi omnium cultorum antiquitatis. sed ita stylo nostro saltem in chartis numquam periturum amplius, maneat ædificium, quod firmæ columnæ præstare penitus nequiuerunt.

ACCERSITVR A GREG. PAP. ROBERTVS QVI FVGAT HENRICVM.

Gregorius autem Pontifex simulac Henricum cœptam Vrbis obsidionem indefesso studio prosequi intellexit, exigere non destitit a fidelibus S. Petri, quæ promiserant iuramento, tueri Romanam Ecclesiam; & inter alios magis vrsit, quem nouit potentiorem atque audaciorem Robertum, qui resisteret Henrico, cuius si posteriora prospera cederent, res Northmannorum essent in vltimo discrimine constitutæ, ac proinde, nisi eum res Petri mouerent, saltem suæ ipsius, si saluas esse vellet, permouere deberent.

Qui his optime persuasus, Boamundo cum exercitu in Oriente relicto aduersus Alexium Imperatorem, ipse in Italiam aduolauit, collectisq. nouis copijs, ad liberationem Pontificis ocyus properauit, Henricumq. fugauit. At de his inter alios hæc habet versibus istis Domnizo in vita Mathildis, scriptor temporis huius:

* f. festo

Peruigil & rector Gregorius ex grege festo*
Pollutæ cathedræ nullum quoque condolet, aque
Sperans in Petrum, rogitat pugnare Robertum
Northmannum quemdam. Qui Regem depulit extra
Vrbem. Qui veluti per Stratam damula fugit
Francigenam. &c.]

De tempore autem Roberti aduentus hæc Bertholdus: Robertus Guiscardus Dux Northmannorum in seruitium sancti Petri post Kal. Maij Romam armata manu inuasit, fugatoq. Henrico, totam Vrbem Gregorio Papæ rebellem penitus expoliauit, & maiorem eius partem igni consumpsit, eo quod Romani quemdam eius militem vulnerauerunt. Deinde acceptis obsidibus a Romanis, & in castello sancti Angeli, quod domum Theodorici dicunt, reseruatis, ipse ad recuperandam terram S. Petri reuersurus, in breui plurima castella & ciuitates domino Papæ recuperauit. Henricus autem Roberto resistere non valens, ad partes Teutonicorum satis festinanter reuertitur] hæc Bertholdus. At vero Leo Ostiensis aliam affert causam Vrbis incendij, plane diuersam ab ea quam ille posuit, aitq. liberandi causa Gregorij obsessi id facere persuasum. sed ipsum audi Leonem: [a]

a *Leo Oſt. lib. 3. cap. 52.*

INCENDII VRBIS PARTIS OCCASIO.

Anno sequenti Henricus Imperator Romam cum exercitu venit, & supradictum Papam Gregorium, qui in arcem sancti Angeli se contulerat, varijs bellicis machinis modis omnibus oppugnare cœpit. Hoc vbi Roberto Duci, qui ea tempestate Constantinopolitanum Imperatorem oppugnabat, nuntiatum est: Boamundo filio in ipsa expeditione derelicto, Italiam ocyus repetit, atque ingenti coacto exercitu, ad Pontificis liberationem aduersus Imperatorem ire disponit. Quod postquam Desiderius comperit, Romam Nuntium dirigit, qui & Papæ proximam eruptionem, & Imperatori Ducis nuntiaret aduentum. Tunc Vrbe egressus Imperator, quia sine militum præsidio erat, Castellanum oppidum, *dictum antiquitus Veios*, subijt: Robertus autem Dux Romã cum exercitu noctu ingressus, dum ad ecclesiam Sanctorum Quatuor coronatorum aduenisset, ex consilio Cincij Romanorum Consulis ignem Vrbi iniecit. Romani igitur rei nouitate perculsi, dum extinguendo igni toti incumberent, Dux ad arcem sancti Angeli continuo properans, atque inde Pontificem abstrahens, Romam sine mora egreditur, & Gregorium Papam ad nostrum deducit monasteriũ. Eum vero Abbas noster quoad vixit, cum Episcopis, & Cardinalibus, qui eum secuti fuerant, honorifice habuit] hæc Leo. Sed antequam ab Vrbe recederet, vt pseudocardinales, mala germina, adulterina plantatio Guiberti pellerentur ab Vrbe, ministrarent vero legitime instituti sacerdotes, Roberti Ducis fauore curauit. de quibus ista Bibliothecarius habet:

DE CARDINALIBVS PSEVDOPAPAE.

Erant enim ciues Romani vxorati, siue concubinarij, barbarasi, & mitrati, peregrinis oratoribus, præcipue vero multitudini rusticanæ Longobardorum mentientes, asserentes se Cardinales presbyteros esse, quiq. oblationibus receptis indulgentiam, & re-

& remissionem omnium peccatorum vsu nefario impudenter præstabant. Hi & occasione custodiendæ ecclesiæ consurgentes intempestæ noctis silentio intra & citra eamdem ecclesiam impune homicidia, rapinas, varia stupra & diuersa latrocinia exercebant, quos vti diximus beatus Pontifex ab eadem ecclesia non sine multa difficultate remouit, & custodiæ curam honestis sacerdotibus & clericis commisit & tradidit] hæc ipse.

Constat insuper ipsum Gregorium, antequam ab Vrbe recederet, Concilium habuisse, de quo ista Bertholdus hoc anno: Dominus autem Papa collecta Synodo, iterum sententiam anathematis in Guibertum hæresiarcham, & Henricum, & omnes eorum fautores promulgauit, quod & in festo S. Ioannis Baptistæ præterito iam dudũ Romæ fecit, cum Henricus adhuc ibi moraretur. Hanc sententiam Legati Sedis Apostolicæ, videlicet Petrus Albanensis Episcopus in Francia, Otto Ostiensis Episcopus in terra Teutonicorũ vsquequaque diuulgarunt] hæc Bertholdus. omnibus his peractis Gregorius ab Vrbe recedens, Casslinum primum aduenit.

Quid autem ipsi tunc memoria maxime dignum acciderit, [a] Leo Ostiensis sic narrat: Factum est autem, cum idem Papa Gregorius Missarum solemnia celebraret, vir quidam Ioannes nomine, iuxta altaris crepidinem immobilis perstitit. Cumq. ad altare deflexisset obtutus, subito in exstasim raptus, niueo candore columbam, cuius erat aureum guttur, supra eamdem aram astare conspexit. Quæ inde leuiter aduolans, ac supra dextrum Pontificis humerum recubans, alis protinus expansis, vtrumque protexit, ac tamdiu sic perstitit, quousque commixtio Dominici corporis & sanguinis in calice fieret. Iterũq. se in dexterum humerum colligens, inde ad altare descẽdit, caput blande super hostiam flectens, viro illo, quid hæc sibi vellent non intelligente, cum volatu præpeti, pleno rostro remeauit ad cælum. Post hæc homo ille in se rediens, nulla penitus huius rei vestigia memoria tenuit. Nocte vero subsecuta, cum se sopori dedisset, vir quidam illustrior sole, minaci vultu in medio suæ domus hospitio eidem apparuit. Quo ille viso, de stratu exiliens, terrore correptus, fugam tentat arripere. Vir autem ille porrecta manu, continuit brachium eius suauiter tenens. Cum autem eius manus nequiret effugere, ac sic vinctus stetit inuitus: ad eius mox auxilium quidam niuea canicie aspersus, indutusq. stola candida affuit, eiusq. mærorem consolans, de manu se tenentis eripuit. Quem ille quisnam hic esset tantæ claritatis vir, quæsiuit intrepidus: Hic, inquit, est iustitiæ sol. & ille: Nomen quoque, ait, tuum inquirenti similiter pande. Nequaquam (ait ille) scire te oportet nomen meum; sed mihi ad interrogata responde. Putasne, recolis, quid heri, dum in ecclesia astares, vidisti? Ille, cuius animum occuparat obliuio, cœpit intra se voluere quidnam esset, quod ab eo senior quæreret, subitoq. reminiscens, cuncta sibi quæ viderat, ex ordine retulit. & ille: Vade, inquit, celeriter, & hoc ipsum auribus Papæ intimato, vt constanter vigore sancti Spiritus, quod cœpit, exequatur. His dictis, ab oculis eius elabitur] hucusque Leo.

a *Leo Oſt. lib. 3. cap. 53.*

VISIO DIVINITVS OSTENSA DE GREGORIO PAPA.

At quid columbæ visio in Pontifice, nisi Spiritus sancti eum instinctu regi & gubernari? Quid insuper illud, quod eidem nuntiari mandatur, vt vigore sancti Spiritus, quod cœpit, exequatur: nisi manifestum diuino oraculo reddi; quæ ab eo hactenus gesta essent, eiusdem sancti Spiritus opere bene facta probari? Quam ista opportuno tempore sunt mortalibus diuino consilio declarata, cum non apud schismaticos tantum, verum apud Catholicos tunc viuentes, & qui postea futuri essent, eiusdem Pontificis fama in suspicionem nimiæ austeritatis adduceretur, periclitareturq. prosciss sum calumnijs tanti Pontificis nomen? De quo aduersus obloquentes ac detrahentes illud Apostolicum pro defensione liceat vsurpare: [b] Quis stabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat, quis est qui condemnet?] Vt quod diuino calculo recte factum probari posset, non auderet humana temeritas sugillare, vt sic ora loquentium mendaciũ prorsus obstruerentur, qui ipsum Gregorium in fine, obitus tempore, pœnituisse facti, mentiti sunt in suo ipsorum conciliabulo, Guibertini (de quo suo loco dicturi sumus) ex quo Sigebertus, qui narrat de Gregorij pœnitentia, noscitur descripsisse. Quomodo ergo potuerunt ipsi displicuisse, quæ aduersus schismaticos gesserat, & pœnituisse exanthlati laboris, atque bene functi certaminis, qui (vt vidisti) diuinitus monitus fuerat, vt constanter, quæ vigore Spiritus sancti cœperat, facere

b *Rom. 8.*

RES A GREGORIO GESTAS DIVINITVS COMPROBATAE.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pergeret. Gregorius autem ex Cassinensi cœnobio recedens, Salernum se contulit, A
vbi permansit vsque ad obitum.

HENRICVS IMP. REVERTITVR IN GERMANIAM.

Henricus interim cum metu Roberti perculsus discessisset ab Vrbe, & in Castellanum inexpugnabile præsidium se recepisset, Guibertum secum ducens: nequaquam ibi constitit, sed quanta licuit celeritate recedens ex Italia, montes prætergressus, reliquit Guibertum schismaticorum vallatum potentia. Porro quam ex turpi fuga indignationem concepit animo, in eos effudit abunde, quos partes Gregorij Papæ fauisse comperijt. Augustana ciuitas studiosa Pontificis furorem eius prima omnium est experta: quam obsedit ac cepit, & excidit, & eius Episcopum custodiæ mancipauit. hæc Vrspergensis in Chronico. Porro ciuitas Christo fidelis sui ruina magis erigitur & exaltatur, atque nobilitatur excidio, cum ista sit passa ob conseruatam summa constantia vero Ecclesiæ Romanæ Pontifici fidem, & despectum Principem, aduersus B
Deum & eius Ecclesiam bella mouentem, atque penitus insanientem, præferens iure semper Deum Imperatori.

ROBERTVS NAVALI PROELIO VICTOR.

Robertus autem Guiscardus, qui dimiserat filium Boamundum in Thracia aduersus Alexium Imperatorem bella gerentem, de reditu sollicitus, nouas copias allegit; & classem parat. Quomodo autem bello maritimo victor euaserit; audi quæ scribat Romualdus Archiepiscopus Salernitanus eorum temporum scriptor, qui ait: Dux Robertus collecto agmine iterum in vltramarinas partes statuit proficisci. Quod dum Imperatori Alexio compertum esset, suum direxit exercitum cum multitudine nauium simul cum exercitu Venetianorum, vt maris iter Duci prohiberetur. contra quos Dux Robertus vna cum filio suo Rogerio cum nauibus suis nō segniter progressus cum eis acriter conflixit mense Nouembris, & nauali bello commisso, Dux Robertus vna cum filio suo Rogerio victoriam eapiēs maxima cæde prostrauit eos, quorum quidem multi in mare demersi, plures autem capti, nonnulli vero vix per fugam elapsi sunt, sicq. prostratis hostibus Dux ipse simul cum Rogerio filio exultās tripudio adijt Boamundum filium suum, quem in terris, quas ibi conquisierat, dereliquit, cum suo exercitu Constantinopolitanum Imperium inuadere cupiens] hæc Romualdus.

Vbi autem Henricus ab Italia recessit: Orthodoxi resumunt vires, schismaticiq. hebetati languent, ex hisq. plurimi deficientes ab Imp. inhærent Gregorio Papæ. Ad horum autem suscipiendam pœnitentiam, atque impertiendam absolutionem, idem Pontifex Legatum mittit Anselmum Lucensem Episcopum plenissima facultate absoluendi omnes qui a schismate recedentes, ad Catholicam communionem accederent, impertiendi insuper indulgentias pijs, qui sincero corde zelo veritatis pugna- D
rent aduersus schismaticos, quos ingenti victoria profligarunt. de quibus hæc habentur in Actis ipsius S. Anselmi Lucensis istis verbis: Fugato ab Vrbe Henrico, in Teutonicas statim partes reuertitur, concitatis primum omnibus pene Longobardis aduersus præfatam dominam Mathildem, & aduersus S. prouisorem eius; sed & aduersus omnes Catholicam vnitatem. Nec multo post ecce coadunati sunt Episcopi & Marchiones cum alijs multis, qui magno impetu & furōre subito terram inuaserunt eiusdem Comitissæ, putantes totam illico suæ ditioni subijcere. Tunc ergo congregati & nostri, sed quidem pauci, quoniam vna vix die præscij facti sunt. Verumtamen nimis confortati sunt, quia dominus noster sanctus Anselmus Episcopus suam eis benedictionem per nostram direxit paruitatem, hoc in mandatis præcipue commendans nobis, vt si qui cum excommunicatis communicassent, primitus illos absolueremus, & tunc pariter omnes auctoritate Apostolica & sua benediceremus, instruentes eos, quo pacto, quaue intentione deberent pugnare; sicq. in remissionem omnium peccatorum eorum instantis belli committeremus periculum:

PROFLIGATI SCHISMATICI A CATHOLICIS.

Facto igitur congressu, citissime dorsa hostes dederunt, & captus est mox Parmensis Episcopus, & nobiles multi, minores vero absque numero, sed & mortuorum non est inuentus numerus: de nostris autem tres mortui sunt, & vulnerati pauci. Qua vice gloriam Dei & virtutē benedictionis reuerendissimi Præsulis fideles omnes agnoscere potestis. Ab hinc enim confusa sunt hæreticorum conciliabula, & declinata est nimis elata eorum insolentia. Gauisi autem & confortati sunt omnes Catholici, præsertim domus illa, quam sanctus pater noster Anselmus Episcopus inexpugnatam postea custodiuit, & in Fide Catholica permanentem reseruauit. Et factus est ille vnius

A vnius olim ciuitatis Episcopus, innocenter quidem expulsus, multarum ciuitatum Præsul magnificus] hæc eius presbyter pœnitentiarius de Anselmo olim pulso, vt suo loco superius dictum est. pergit vero:

DE LEGATIONE S. ANSELMI LVCENSIS.

Potestatem & vicem suam dominus Papa commisit per omnem Longobardiam, vbi Catholici non haberentur Episcopi, qui tunc inueniebantur certe rarissimi. Concurrerunt itaque ad ipsum ab omnibus partibus Longobardiæ quotquot zelum habebant Fidei Catholicæ. Ibi benedictionem ecclesiastici, absolutionem excommunicati suscipiunt. Sed conuersi accipiunt ibi Chrisma, ibi sacros ordines acquirunt; illic desolati solatium, inconsulti consilium, consulti gaudium inuenerunt &c.]

At qui innumeris (vt audisti) premebatur angustijs, coactus extorris ab Vrbe secedere Gregorius, afflictiones Episcoporum longe degentiū audiens, promptus assurB gere, & opem illis ferre non destitit. Accidit autem his diebus, vt cum audisset, Guil- GREG. PAP. PRO FRATRE REGI ANGL. SCRIBIT.
lelmum Anglorum Regem detinere iam ab anno superiori in carcere Odonem Episcopum Baiocensem eiusdem Regis germanum, pro ipso ad eumdem Regem litteras dederit, quæ & vltimæ numerantur omnium eiusdem Gregorij epistolarum. est earum exordium: Communis amor & sincera deuotio &c.] & quod ad rem spectat, inferius dum pluribus eumdem laudat, illud redarguit, quod sacerdotalis dignitas apud ipsum sit contemptui, hæc dicens: Vnum tamen interea nos tangit, & tangendo angustat, atque inter regalium tuarum virtutum insignia monimenta lætitiam in amico corde violenter obnubilat, videlicet; quod in capiendo germanum tuum Episcopum, non sicut decuit, propriæ honestati prospiciens, sed sæcularem cautelam & rationem diuinæ legi præponens, sacerdotalem reuerentiam minus vigilanter attendisti. Et quidem non latere tuam prudentiam credimus, scriptum esse, quod de
C sacerdotibus maxime oportet intelligi: [a] Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei. *a Zach. 2.*
& alibi: [b] Nolite tangere christos meos. & quod Dominus [c] ipse sacerdotibus licet pra- *b 1. Par. 16.*
uis & indignis honorem deferre non sit dedignatus &c.] ostendit id ipsum exemplo *c Matth. 23.*
Magni Constantini, & auctoritate sancti Ambrosij eadem pluribus inculcantis. At quænam causa præcesserit, vt idem Guillelmus Rex germanum suum Episcopum vinculis strinxerit, ex fragmento rerum gestarum eiusdem Regis ex codice monasterij Cadomensis nuper edito vna cum alijs monimentis rerum Anglicanarum, Northmannarum, Hibernarum, & aliarum Francofurti anno Redemptoris millesimo sexcentesimotertio, sic accipe:

DIVINATIONE FALLITVR ODO.

Dum furerent in orbe tempestates multæ, quarum aliquæ in præcedentibus libri
D capitibus memoratæ sunt: quidam sortilegi Romanorum, quis in Papatu succederet Hildebrando, indagarunt. Et cum post transitum Gregorij *Odo Romanus Papa fore compererunt: hoc audiens Odo Præsul Baiocensis, qui cum fratre suo Guillelmo Rege Northmannis dominabatur & Anglis, paruipendens potestates & diuitias regni Occidentalis, nisi iure Papatus dominaretur latius, & omnibus terrigenis: Romam misit, palatium sibi emit, Senatores Quiritum magnis muneribus datis sibi amicitia copulauit, palatiumq. suum multis sumptibus & superfluis apparatibus exornauit. Hugonem Castrēsium Comitem, magnamq. cohortem præcipuorum militum adsciuit, vt secum in Italiam proficiscerentur, obsecrauit; & ingentia precibus promissa prodigus addidit. Illi vero (quia Northmanni leues, & extera videre cupidi sunt) protinus præsumptori Episcopo, cui principatus Albionis & Neustriæ non sufficiebat,
E assensserunt. Ingentes quoque fundos, quos in occiduis climatibus possidebant, deserere decreuerunt, ac vt præfato Præsuli trans Padum comitarentur, per fidem spoponderunt. Apparatum huiusmodi prudens Rex Guillelmus edidicit, sed non approbauit; regnoq. suo, multisq. alijs nociturum existimauit. Vnde festinanter in Angliam transfretauit, ac Odoni Episcopo cum grandi pompa nauigare in Northmanniam cupienti, ex insperato in insula Vecta obuiauit. ibi nimirum congregatis in aula regali primoribus regni, Rex ita locutus est:

* Odonem Romanum Papam.

ODO EPISC. DETRVDITVR IN CARCEREM.

Egregij proceres, verba mea diligenter audite, & salubre consilium mihi quæso tribuite. Antequam transfretassem in Northmanniam, regimen Angliæ fratri meo Baiocensi Episcopo commendaueram. In Northmannia multi contra me surrexerunt, & vt ita dicam, intimi me inuaserunt. Robertus filius meus, & tyrones quos enutrui, & quibus arma dedi, contra me rebellarunt, eisq. mei malefidi clientes & finiti-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mi hostes gratanter adhæserunt. Verum Deo, cuius seruus sum, me protegente, nihil profecerunt; nec de meo aliquid, nisi ferrum in vulneribus suis obtinuerunt. Conglobatos in me Andegauenses paratos ad bellum terrore compressi; pariq. modo Cænomanos armis & viribus compescui. His nimirum occupationibus vltra mare irretitus fui, ibiq. diu moratus, publicis vtilitatibus laborioſe deseruiui. Interea frater meus Angliam vehementer oppressit, & ecclesias fundis & redditibus expoliauit, ornamentis ab antecessoribus eis datis nudauit, militesq. meos, qui contra Danos & Hibernenses & alios hostes mihi nimis infestos, Angliam tutari debuerant, seduxit, & trans Alpes in extera regna, me contempto pertrahere disponit. Nimius dolor cor meum angit, præcipue pro ecclesijs quas afflixit. Christiani Reges, qui ante me regnauerunt, Ecclesiam Dei amauerunt, honoribus & xenijs multi generis locupletarunt; vnde nunc, vt credimus, in amœna sede, felici retributione gaudentes requiescunt. Adalbertus, Eduinus, ac sanctus Osuualdus, Athulphus & Alfredus, Eduardus Senior & Edgarus, cognatusq. meus & charissimus dominus Eduardus dederunt opes Ecclesiæ sanctæ, quæ est sponsa Dei: & frater meus, cui totius regni tutelam commendaui, violenter opes diripuit, crudeliter pauperes oppressit, friuola spe milites mihi surripuit, totumq. regnum iniustis exactionibus concutiens exagitauit. Quid inde agendum sit, caute considerate, & mihi quæso insinuate. Cumq. omnes tantum virum timerent, & sententiam in illum proferre dubitarent: magnanimus Rex ait: Noxia temeritas semper comprimenda, multoties olim contra patrem suum litigauerat, & tunc nouiter pro quibusdam ineptijs similiter stomachatus ad Regem Francorum discesserat . . . . .] reliqua desunt: nam quæ post hæc sequuntur, spectant ad obitum ipsius Guillelmi, quem certum est post annos tres contigisse, anno nimirum Redemptoris millesimo octogesimoseptimo: ad quod vsque tempus eumdem Odonem Baiocensem Episcopum præterito anno vinctum, esse detentum in carcere, liquet.

ADVERSVS CVRIOSA SECTANTES.

En quos infelix Episcopus ex diuinatione dæmonum messuit fruges. Ita plane qui semel his intendens, diuinationibus adhibere cœperit fidē, ludus diaboli effici consueuit, vt (quod deterius est) magno suæ quisque dispendio animæ captiuus, spe vana pellectus in inferos demergatur, cum se putat thronum eminentiorem proxime conscensurum. Possemus hic de pluribus ita deceptis temporibus nostris, scribere librum, quorum funestos deplorauimus, quos vidimus casus; sed nos instituti ratio cohibet, quæ suis quæque temporibus reddenda veluti lege præscripsit. Satis sit ad miserrimos istos, ne eiuscemodi laqueis aureis irretiri sinantur, illud Apostolicum inclamare: [a] Ne tetigeritis, neque gustaueritis, neque contrectaueritis quæ sunt ad interitum ipso vsu] memores ab exordio nascentis Ecclesiæ (vt habent Acta [b]) cognitis præstigijs huiuscemodi & illusionibus dæmonum, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus. & computatis pretijs illorum, inuenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium] ita illi qui insilire dæmonem in auctores suos ipsos filios Sceuæ adiuratores viderunt, certi nimirum, quod multo magis eosdem essent passuri diros vindices & vltores, qui eos consulerent, & eorum opera quomodolibet vterentur. sed redeamus ad infelicem germanum Regis Odonem Baiocensem Episcopum, qui diuinationibus dæmoniacis tot tantaq. peperit sibi mala.

a *Coloss.* 2.

b *Act.* 19.

CARCER EPISCOPI.

De quo certum est, Gregorij Papæ preces apud Regem nullius fuisse momenti, quod statuisset idem Rex, eius pœnam fore perennem. adeo vt idem Princeps proxime moriturus, cum vinctos omnes fore soluendos testamento iussisset, vnus ne eximeretur e carcere Baiocensis Episcopus, omnino vetuerit. Mirantibus autem & rogantibus eum pro illo Regis amicis, hæc ad eos traditur respondisse: Miror quod prudenter non indagatis quis & qualis est vir pro quo supplicatis. Nonne pro tali viro petitis, qui iam diu contemptor extitit religionis, & argutus incentor lethiferæ seditionis? Nonne hunc coercui quatuor annis Episcopum, qui debuerat esse iustissimus rector Anglorum, & factus est pessimus oppressor populorum, & monachalium destructor cœnobiorum? seditiosum liberando male facitis, & vobismetipsis ingens detrimentum quæritis. Euidenter patet, quod Odo frater meus leuis est & ambitiosus, carnis inhærens desiderijs, & immensis crudelitatibus, & numquam mutabitur a lenocinijs & noxijs vanitatibus. Hoc perspicue in pluribus expertus sum. Ideoq. constrinxi non

A xi non Antistitem, sed tyrannum. Absque dubio si euaserit, totam regionem turbabit, & multis millibus perniciem subministrabit. Hæc non ex odio vt hostis profero, sed vt pater patriæ plebi Christianæ prouideo. Si enim caste & modeste se haberet, sicut sacerdotem & Dei ministrum vbique condecet: cordi meo maior, quam possim referre, lætitia inesset. Spondentibus autem cunctis emendationem pontificis, Rex iterum ait: Velim, nolim, vestra fiet petitio: quia me defuncto vehemens subito rerum fiet mutatio. Inuitus concedo, vt frater meus de carcere liberetur. Sed scitote, quia multis per eum mors, seu graue impedimentum incutietur] sic igitur vix post annos tres (vt audisti) idem Baiocensis Episcopus, dum Romanæ Ecclesiæ per pecuniam quærit sibi adipisci Pontificatum præter alia mala, annorum quatuor molestissimum sibi carcerem procurauit.

B Eodem ferme tempore idem Gregorius Papa Robertum Comitem Flandriæ, qui se inexorabilem aduersus inimicos suos prorsus reddidit, vt nec de illis aliquis verba facere auderet, placauit suis litteris, redditis ei per sanctum Arnulphum Episcopum Suessionensem. Quomodo autem ista se habuerint, exacte describit [a] Lisiardus in rebus gestis sancti Arnulphi, quas fidelissime digessit, his verbis: Robertus Flandriæ Comes infestus erat quibusdam gentis suæ primarijs & ditioribus viris, qui pertæsi onerum, quibus ab illo premebantur, inter se tractabant, vt illo profligato, humaniorem sibi Principem adscisserent, nempe Balduinum Comitem Montis castrorum. Id vbi resciuit Robertus, summo conatu intercipit illos ceu proditores, atque alios ex eis proscribit, alios interimit, nonnullos rebus & honoribus nudatos iubet in exilium proficisci: inter eos etiam Arnulphus Morinorum Archidiaconus, & ecclesiæ sancti

GREG. QVID CVM COMITE FLANDRIAE.

a *Lisiardus in vita S. Arnul. c.* 34. *apud Sur. c.* 4. *die* 15. *Aug.*

C Audomari Præpositus omni dignitate sua priuatus multo tempore vixit profugus. Sed tandem ad se rediens, Gregorium Romanum Pontificem adit, qua calumnia gradu & honore suo spoliatus sit, lacrymabiliter ei exponit. Tantam vero eius calamitatem miseratus Pontifex, litteris suis ferocem & truculentum Roberti animum statuit lenire, vt illis quos suspectos habebat, aut plane ignosceret, aut certe facultatem sese purgandi non negaret; sed cum nemo posset inueniri, qui Pontificis litteras tunc infenso Principi offerre ausus esset; res diu protracta est. tandem animo succurrit constantia sanctitatis & feruor charitatis Arnulphi Suessionum Antistitis, cuius tum in curia Pontificis celebris fama innotuit, & quod is procul dubio incunctanter oblaturus esset Roberto Comiti scripta Pontificis.

Tum vero animatus Pontifex, Arnulpho diploma mittit, mandans ei vt litteras in-

D tercessorias & personas, de quibus agebatur, ad Robertum Comitem secum adducat, illisq. vel veniam, vel saltem se purgandi copiam obtineat pro Sedis Apostolicæ honore. Ita ille pietate fortis, gemina instigante iustitia, obedientiæ & fraternæ condolentiæ, cum quibusdam ex illis venit ad Insulam ciuitatem, atque illic reperto Comiti obtulit sacras Pontificis litteras, quæ cum legerentur, illi quorum res agebatur, clam se submittentes, eius tenuere pedes. sed o furorem & rabiem! o fellis acerbam commotionem! quæ tamen in fronte, oculis, & toto Comitis vultu visebatur, quando sensit eos quos oderat, suos apprehendisse pedes. Et quid vero illa ferocitas in sancti viri præsentia faceret? Affuit continuo gratia Dei; & tum sanctitatis eius contemplatione, tum pro Apostolicæ Sedis reuerentia, salus, vita, res & facultates eis donatæ

E sunt] hæc de legatione functa nomine Apostolicæ Sedis per sanctum Arnulphum Lisiardus. Porro desiderantur litteræ illæ a Gregorio Papa ad Robertum, sicut & aliæ anno isto ab eo datæ ad diuersos epistolæ.

S. ARNVLPHVS INTERNVNTIVS GREG. PAPAE.

IESV CHRISTI ANNVS 1085. GREGORII VII. PAP. ANNVS 13. HENRICI III. IMP. 2. ALEXII COMNENI IMP. 5.

CONVENTVS HABITVS INTER CATHOLICOS ET SCHISMATICOS.

REDEMPTORIS annus millesimus octogesimusquintus, Indictione octaua sequitur, cuius exordio, nempe (vt Bertholdus ait) decimoquinto die post Epiphaniam, vigesima prima scilicet Ianuarij, conuentus est habitus in Saxonia, seu (vt Vrspergensis vult) in Thuringia, loco qui Berchach dicitur condictus (vt ait) tam ab inimicis, quam amicis Imperatoris, seu vt vult Bertholdus, indictus a Saxonibus con-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tra Henrici fautores, vt probarent, se iure Henricum, vt excommunicatum vitare. A
Huius autē decernendi conuentus ea præcessit occasio, quod Otto Episcopus Ostiensis Cardinalis Legatus in Teutonicis regionibus promulgauerat synodale decretū de Henrico Rege excommunicato, vna cum Guiberto pseudopontifice. Quo decreto iubente, se iure vitare communicationem Henrici, Saxones affirmabant Catholici, schismaticis contra asseuerātibus, Henricum esse excommunicatum iniuste, atque ob eam causam non vitandum. Aduersarij autem (inquit Bertholdus) eis obiecerunt, quod Papa eum nequiuerit excommunicare, eo quod expoliatus, *regno scilicet*, non potuerit
a 2. q. 7. per tot. *b 2. q. 2. c. 4. in scripturis.* vocari, iudicari, siue damnari] ita quidem decretis [a] summorum Pontificum decernentibus, asserentibusq. [b] spoliatum non ad Synodum prouincialem, nec generalem vocari posse, nec in aliquo iudicari, antequam cuncta, quæ ei sublata sunt, restituantur. sed ista [c] regula suis restringitur exceptionibus. Ad hæc (pergit Bertholdus) Saxones responderunt, se iudicium Sedis Apostolicæ non debere retractare, nec posse. B
c Silos. in d. c. in scripturis verb. nec in aliquo. et Doctores ibi & alibi.
Hoc cum illo potius tractandum, qui illum damnauerit, non cum Saxonibus, quod damnationi eius non interfuerint, qui Sedis Apostolicæ iudicio nullam retractationem, sed obedientiam debuerint. Ita ergo soluto colloquio, discessum est ab inuicem] ista Bertholdus de conuentu hoc: Vrspergensis vero rem gestam pluribus prosecutus, hæc ait:

DEFENSOR REG. VVECILO. Electis igitur satis litteratis & eloquentibus viris, hinc Vuecilone Moguntino, illinc Gebehardo Saltzburgēsi Archiepiscopis, disputatio cœpta est. Affirmat Gebehardus, proponente hoc prius Vuecilone: Imperatorem non iniusto iudicio, tam regno, quam communione, Apostolici sententia priuatum. E contra Vuecil. dominum suum præiudicium non minus a Papa, quam a Principibus passum contendit, dum ipso apud Canusium in satisfactione posito: immo iam a Papa in communionem recepto, alterum super se Regem eleuarent. Adiecit etiam idem Moguntinus, quod Imperator diu iam a Saxonia depulsus, & regnandi copia etiam ab illa dissensione, quæ ante Rudolphum facta præscribitur, spoliatus: nec vocari, nec iudicari, nec damnari canonice debuisset. Hoc Gebehardus improbare nitens, asserit, neminem per hoc diuinis absolutum legibus, si forte sua qualibet re familiari fuerit spoliatus: quanto minus Rex, qui Saxonia, quæ non suum dumtaxat prædium, sed Domini sit regnum, qui
d Dan. 2. 5. Daniele, [d] vel ipso Rege Nabuchodonosor teste, cuicumque voluerit dat illud: cum etiam ante amissam Saxoniam, prius ab Alexandro, de hinc ab Hildebrando vocatus satisfacere contempsisset. Sic itaque vtrimque parte sua fauente, atque acclamante, discessum est. Notum tamē est, quod eamdem sententiam aduersarij Imperatoris tanto
VVECILONIS HAERESES QVAE. insequebantur zelo, vt habito postmodum in Quintilineburg Concilio, vbi Otto Episcopus Ostiensis interfuit Legatus Hildebrandi Papæ, ipsam nimium ventilantes: hæresim Vuecilonis, ipsumq. hæresiarcham appellarent, contra fidem scilicet illum dogmatizasse culpantes, quod quam diu quis suis spoliatus sit rebus, diuinis non subiaceat legibus] hucusque Vrspergensis. D

VVECILO EX CLERICO FVGITIVO FACTVS ARCHIEP. MOGVNTINVS. Porro Vuecel iste, qui anno superiori intrusus est post obitum Sigefridi in Moguntinum Archiepiscopatum, quisnam fuerit, præstat audire a Bertholdo, qui ait: Interim Henricus cōgregata multitudine schismaticorum, Vuecilonem clericum Haluerstatensis Episcopi fugitiuum Moguntinensi Episcopatu remunerauit, eo quod illi in omni pertinacia contra Dominum, & sanctum Petrum indefessus cooperator affuit. Qui ipse iamdudum anathematizatus, & ab anathematizatis electus; nihilominus etiam ab anathematizatis (iuxta Pelagium Papam) non consecratus, sed execratus est] hæc ipse. permansit iste in schismate, cuius semper extitit acerrimus propugnator vsque ad obitum, qui post biennium contigit. At sicut hæresis ab auctore Vuecilina (vt audisti) est appellata, ita & ignominiæ causa schismatici sectatores ipsius Vuecilini denominati fuerunt. E

Sed videamus, quid in Concilio Catholicorum, hoc anno post promiscuum illum conuentum in dicto Quintilineburg, per Ottonem Apostolicæ Sedis Legatum gestum sit, quod prætermissum ab Vrspergensi, a Bertholdo eius temporis scriptore ita describitur:

SYNODVS GENERALIS QVINTILINEBVRG. Hermannus Rex in Quintilineburg Pascha celebrauit, vbi, & Legatus domini Apostolici in ipsa Paschali hebdomada generalem Synodum cum Archiepiscopis, Episcopis, &

A pis, & Abbatibus, sancti Petri fidelibus solemniter celebrauit. Interfuit autem huic Synodo Gebehardus reuerendissimus Iuuanensis Archiepiscopus, item venerabilis Hartungus Magdeburgensis Archiepiscopus cum Suffraganeis suis. Item Suffraganei Moguntinæ Sedis de Saxonia: nam Vuirceburgensis, & Vuormatiensis, Augustensis quoque, & Constantiensis de Alemannia; quiq. ipsi canonica necessitate impediti, venire non potuerunt, per legationem suam se sancto Concilio repræsentauerunt, seq. per omnia eiusdem Synodi statutis assensuros mandauerunt. Rex etiam Hermannus cum suis Principibus eidem Synodo interfuit. Cum ergo omnes iuxta ordinem suum consedissent, prolata sunt in medium decreta sanctorum Patrum de primatu Sedis Apostolicæ, quod nulli vmquam liceat eius iudicium retractare, & de eius iudicio iudicare. quod de totius Synodi publica professione laudatum, & con-
B firmatum est. Et hoc vtique contra Henricianos, qui fideles sancti Petri constringere voluerunt, vt excommunicationem domini Papæ Gregorij super Henricum cum illis retractare præsumerent.

Quidam autem Babenbergensis clericus nomine Gunibertus Romani Pontificis primatui derogare volens, in mediam Synodum se contulit, asserens, Romanos Pontifices hunc sibi primatum adscripsisse, non aliunde concessum hereditasse, videlicet, vt nullus de eorum iudicio iudicare debeat, nec illi alicuius iudicio subiaceant. Qui cum aperte a tota Synodo confutaretur, præcipue tamen a quodam laico conuictus
a Matth. 10. est per illud Euangelicum: Non est discipulus supra magistrum. Cum enim hoc generaliter in omnibus ecclesiasticis ordinibus obseruandum deputetur, ne maior a minore iudicetur: quis hoc Vicario sancti Petri denegare potuit, quem omnes Catholici
C pro domino, & magistro venerantur?

In eadem Synodo ordinatio Vuecilonis Moguntini inuasoris, & Sigefridi Augustensis, & Norberti Curiensis: immo omnes ordinationes, & consecrationes excommunicatorum penitus irritæ iudicatæ sunt iuxta decreta sanctorum Patrum Innocentij, Leonis Primi, Pelagij, atque eius successoris Gregorij Primi.

Item secta prædicti Vuecilonis *Moguntini Inuasoris*, eiusq. sociorum, sub anathe- CANONES CONCILII QVINTILINEBVRG. mate damnata est, quæ asserit: Sæculares suis rebus expoliatos ecclesiastico non submate damnata est, quæ asserit: Sæculares suis rebus expoliatos ecclesiastico non subiacere iudicio, nec excommunicari posse pro suis excessibus, quæq. excommunicatos absque reconciliatione recipi posse, contendit.

Statutum est autem ibi, vt quicumque ab Episcopo suo, nec officio, nec communione priuato excommunicatus esset, etsi iniuste: nullatenus tamen reciperetur ad com-
D munionem, nisi absolutus ecclesiastico more.

Similiter, & pro sacrilegio excommunicatos decreuit sancta Synodus non recipiendos, absque solita reconciliatione, & nisi dudum, quæ sacrilege sibi vendicauerant, reddidissent.

In eadem Synodo presbyteris, diaconibus, subdiaconibus, perpetua iuxta decreta sanctorum Patrum indicta est continentia.

Item statutum est, ne laici pallas altaris, & sacra vasa contingant.

Item ne laici decimas sibi vendicent in proprietatem, nec etiam in beneficium, nisi concessione legitimorum possessorum.

Item vt vernum Ieiunium in prima hebdomada Quadragesimæ æstiuum in Pente-
E coste semper celebretur.

Item ne quis caseum & oua comedat in Quadragesima.

Item synodali iudicio confirmata & laudata est ordinatio domini Gebehardi Constantiensis Episcopi: immo omnia, quæ præfatus Sedis Apostolicæ Legatus, cum esset Constantiæ, ordinauit.

Item ibi mota est quæstio de consanguinitate Regis, & vxoris suæ. Vnde & Rex in media Synodo surrexit, seq. de hac re iudicium sanctæ Synodi per omnia obseruaturum professus est: sancta autem Synodus hanc causam in præsenti canonice examinari non posse iudicauit, eo quod legitimi accusatores non essent.

In fine autem Synodi sententia anathematis cum ardentibus candelis promulgata est in Guibertum hæresiarcham Sedis Apostolicæ peruasorem, & in apostatas S. Petri Hugonem Album *cognominatum*, Ioannē Portuensem Exepiscopos, Petrum excancellarium] erant hi pseudocardinales Guiberti Antipapæ sectatores & acerrimi defensores.

Item

Universidad de Deusto
Biblioteca

Item in Liemarum Bremenſem, Vtonem Hildinesheimenſem, Ottonem Conſtantienſem, Burchardum Baſilienſem, Huzmannum Spirenſem Exepiſcopos. A

Item in Vuecilonem Moguntinum inuaſorem, Sigefridum Auguſtenſem, Norbertum Curienſem. In hos inquam, & in omnes eorum complices incuitabilis ſententia anathematis promulgata eſt] hactenus de rebus in Synodo geſtis Bertholdus, quæ, vt ratio illius temporis exigebat, tam ibi, quam in alijs quoque Synodis inculcata, ac repetita fuere.

His anathematis percuſſi iam telis ſchiſmatici ſuperioris Germaniæ Epiſcopi, maiori audacia, quam furor copioſe auxit, concitati: ſimulae iſta, quæ contra eos in proxima Synodo facta eſſent, intellexerunt, coeundum ſimul ad vindicandam, quam accepiſſent iniuriam, ſtatuerunt, ſynodalemq; conuentum proxime celebrandum indixerunt: locus autem conuenticuli eſt præſtitutus Moguntia, cui etiam intereſſe deberet Rex Henricus. de hoc conciliabulo Sigebertus hæc habet hoc anno: Henricus Imperator Moguntiæ regali, & ſynodali conuentu coacto, exegit ab omnibus, vt Hildebrandi depoſitionem, & Guiberti ordinationem ſub ſcripto approbent. Cui alii qui manu, & ore fauentes, corde tamen Hildebrando adhærebant] Interfuiſſe huic ſpuriæ Synodo Legatos tamquã Apoſtolicæ Sedis titulo miſſos a Guiberto Antipapa, auctor eſt Dodechinus; præfuiſſe autem ipſi Vuecilonem Moguntinũ intruſum: inſuper & Vrſpergẽſis aſſerit, eidem Synodo Legatos interfuiſſe Romanos ex illis, ſcilicet, qui fauebant Henrico, & receperant Guibertum. De eadem autem ſcribit iſta Bertholdus hoc anno, poſt memoratam Synodum Orthodoxorũ enarratam iſta ſubiungens: B

CONCILIABVLVM MOGVNTINVM.

Sed hi omnes aduerſarij Eccleſiæ Dei, *excommunicati ſcilicet in Synodo Orthodoxorum*, in tertia hebdomada poſt finitam Synodum ſuam Moguntiæ collegerunt, non Synodum, ſed conciliabulum, in quo vmbratilem ſententiam excommunicationis contra fideles ſancti Petri deprompſerunt, vtpote nequaquam illos excommunicare valentes, ſed apertiſſime ſeipſos a communione Catholicorum ſequeſtrantes, vt non tantum iudicio ſanctæ Eccleſiæ, ſed & proprio eorum iudicio, ſicut omnes hæretici, a Catholicis eſſent ſeparati: ſedes quoque Catholicorum Epiſcoporum viuentium temeraria cupiditate cæcati ſibi vendicare non timuerunt] hæc ipſe. C

Inter alios Herimanno, Metenſi Catholicæ communionis Epiſcopo, & defenſori acerrimo Gregorij Papæ (de quo ſæpe ſuperius) licet abſenti priuato Epiſcopatu, Imperator mercenarium ſuppoſuit Meginardum. Sed oues Chriſti non audierunt vocem alienorum] Vuirceburgenſem quoque Epiſcopum, quod faueret Gregorio legitimo Eccleſiæ Catholicæ Pontifici, eſſe in eadem pſeudoſynodo condemnatum, Vrſpergenſis affirmat, inq. locum eius alium ſubrogatum, ac denique omnes, qui non reciperent Guibertum, eadem pœna mulctatos. At de Moguntino conuenticulo hactenus. Quod enim omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus (ait Dominus) eradicabitur: quæ in eo ſtatuta, Deo operante, conuulſa ſunt, vel ſicut fœnum tectorum, quod priuſquam euellatur exaruit, ſua ipſa ſponte quam citiſſime periere, execrantibus vbique Catholicis omnibus infeliciſſimum Guibertum, Gregorium vero, & ſucceſſores eius, vti legitimos Eccleſiæ Catholicæ Pontifices venerantibus. D

a Matth. 15.

Subijcit poſt enarratas res geſtas conciliabuli Moguntini Bertholdus funera ſchiſmaticorum in Italia, qui vrgente fame atque lue ex hac vita extra Eccleſiam poſiti miſere abrepti ſunt, nimirum defunctus aſſeritur nouus Parmenſis Epiſcopus ab Henrico nuper electus, inſuper & Regienſis eiuſdem factionis Antiſtes; atque Mediolanenſis Archiepiſcopus Thedaldus, cuius contumacia poſt alia ſcelera litteris Gregorij Papæ reperitur ſæpius cõdemnata: erant hi inſigniores ſchiſmatis promotores, ac defenſores. Porro e medio ſublato eodẽ potentiſſimo Mediolanenſis eccleſiæ inuaſore, perditoq. tyranno, erigere caput ea cœpit eccleſia, excuſſoq. e ceruicibus iugo ſchiſmaticorum, Catholicum ſibi delegit Antiſtitem Anſelmum eius nominis Tertium. Ex Principibus autem laicis Henrici fautoribus eodem morbo interiiſſe liquet miſerando interitu Adalbertum, & Reginherum Marchiones, atque Boſonem Comitem, hoſtes infenſiſſimos Comitiſſæ Mathildis: quibus ſublatis de medio, liberum fuit eidem Comitiſſæ eccleſijs, Mutinenſi, Regienſi, atque Piſtorienſi Epiſcopis vacantibus Catholicos ordinari pontifices procurare.] hæc ex Bertholdo. E

FVNERA SCHISMATICORVM EPISCOP. ET PRINCIPVM.

Sed eodem quoque anno, ſorte licet longe diuerſa (pretioſa enim in conſpectu Domini

mini mors Sanctorum eius; mors autem peccatorum peſſima) Gregorius Papa Salerni conſiſtens, quo ad dedicandam ſancti Matthæi Apoſtoli eccleſiam conuenerat, vigeſimaquarta menſis Maij ex hac vita migrauit, qui in Album Sanctorum relatus anniuerſaria memoria in Eccleſia nomine celebri perſeuerat. confutatis autem anno ſuperiori, quæ de eius pœnitentia in Synodo poſtea finxere ſchiſmarici & Sigebertus exſcripſit: iam ea quæ de ipſo inueniuntur ab eius temporis Scriptoribus enarrata in medium afferimus. Ipſum quidem, cum ſermonem habuiſſet ad populum, infirmitate corporis affectum in lecto decubuiſſe, Bibliothecarius teſtatur: præſcientem vero eo ſe morbo interiturum, in ea erupiſſe verba: Dilexi iuſtitiam & odi iniquitatem, propterea morior in exilio] Otto Friſingenſis affirmat. cui merito occinendum ſit illud prophẽticum carmen: Dicite iuſto, quoniam bene.] A OBITVS GREG. PAP. VII.

a Iſai. 3.

QVOMODO ECCLESIAE PAX QVAERATVR.

Ita plane perſecutionibus indeſinentibus, diuerſi generis ærumnis, atque ſæpe cædibus ſacerdotum multo felicius paritur Eccleſiæ pax, libertas acquiritur atque confirmatur eccleſiaſtica, & ſalus quæritur animarum. Sic ſacerdotes ſuos pugnare & vincere Chriſtus docuit, cuius paſſionibus & infirmitatibus robur ac fortitudo, ac morte denique vita eſt Fidelibus comparata. Mentiar niſi iſta iam experimento rerum præſentium monſtrari poſſint, per Gregorium nempe vendicatas e manibus Principum eccleſiarum inueſtituras, liberam electionem Romanorum Pontificum poſtliminio reſtitutam, diſciplinam eccleſiaſticam collapſam penitus reparatam, & alia innumera bona parta. B

Porro eumdem Gregorium ſicut in vita, ita & poſt mortem claruiſſe miraculis, Bibliothecarius eius temporis abſque vlla dubitatione confirmat. ſane quidem ſicut ſemicinctia Pauli eiusq. ſudaria ad pellendos languores, dæmonesq. fugandos vſui fuiſſe Fidelibus, Acta teſtantur: ita Gregorij indumentis eamdem a Deo inditam fuiſſe virtutem, vel ex ijs poteris intelligere, quæ ab auctore eius temporis in vita ſancti Anſelmi Lucenſis Epiſcopi ita ſcribuntur: Ille, *nempe Gregorius*, mitram capitis ſui tranſmiſit iſti, Anſelmo videlicet, tamquam poteſtatem ſuam ligandi & ſoluendi, ſed & miracula credo faciendi. Nam non multo poſt, cognoſcentibus nobis omnibus, per ipſius conſilium, & fidem magnam, præclara quædam fecit Deus per eamdem mitram mirabilia. Inter alia enim reuerentiſſimus dominus Vbaldus, Mantuanus ſcilicet Epiſcopus, multis iam annis grauiſſime ſpleneticus, toto corpore vlceratus, præſertim in cruribus, ſic vt vix quomodolibet ſtare poſſet; vix etiam iacere vel ſedere, qui & multa in medicis erogauerat, nihilq. profecerat, appoſita eadem mitra, vbi maior ingrueret dolor, priſtinæ redditus eſt ſanitati. Beatus itaque talis & tantus magiſter Gregorius miracula fecit multa viuus & mortuus, fecit quidem & bonus diſcipulus eius Anſelmus: Magiſter quidem in Deo, diſcipulus in Deo & in beatiſſimo magiſtro] & inferius eadem quæ ſuperius dicta ſunt: In extremis ſuis, ſicut ab ipſius capellanis didicimus religioſis, poſt omnia inquit: Dilexi iuſtitiam, & odio habui iniquitatem; idcirco morior in exilio. Et quidem in vita ſua, quod magiſter ac diſcipulus docuerunt, hoc & in morte quaſi teſtamento confirmauerunt. ille nempe Gregorius, quos obedientes ſibi viuens adhuc benedixit; moriens quoque commendauit. Henricianos vero penitus, penitusq. niſi poſt magnam demum conuerſionem, & pœnitentiam reprobauit: hic, nempe Anſelmus, præſentibus nobis, & in verbo Domini præcepit, vt in fide & doctrina beatiſſimi Papæ Gregorij permaneremus] hæc auctor. quibus quam aperta luce commentum Sigeberti de pœnitentia Gregorij de eo, quod Henricum fuerit perſecutus, eluditur? Moriens igitur Gregorius (vt audiſti) teſtatam, obſignatamq. reliquit quam viuens promulgauerat execrationem perfidorum ſchiſmaticorum, quam Deo gratam fuiſſe, teſtata ſunt crebra edita per eum miracula. C

b Act. 19.

MIRACVLA PLVRIMA A GREGORIO POST OBITVM EDITA.

Quæ quidem ſi ex eius indumentis adeo copioſe emanarunt; vt ex his quæ iam ſunt enarrata, eſt demonſtratum: proculdubio copioſior fons miraculorum ex eius corporis venerandis reliquijs ea petentibus, cunctis erupit in loco, vbi ſepultus fuit in baſilica ſancti Matthæi, cuius ſtudioſiſſimus erat. Excepit Apoſtolus Apoſtolicum in terris hoſpitem, quem in cælis habuit quoque conciuem, & in ampliſſima Chriſti hereditate conſortem. Porro tanti Pontificis obitus, tempore, vt patuit, adeo inopportuno, cum vigeret & vrgeret Eccleſiã beſtia cornibus, ingentẽ Catholicis omnibus D

luctum

Universidad de Deusto
Biblioteca

luctum attulit, perculsis omnibus improuisa eius morte. ex qua cognoscerent ingentia vndique imminere Christi Ecclesiæ damna. vnde Domnizo in Mathilde de eiusdem Pontificis obitu hos cecinit versus : A

Interea planctus de Præsule nascitur altus
Gregorio, gestat Dominus quem Christus ad æthra
Ante dies septem Madij quam finis adesset.
Hunc monachi flerunt, monachus quia nescitur esse:
Hunc clerici flebant valde, laicique. dolebant,
Pura fides quorum procul est a schismaticorum,
Quando suum sanctum reuerenter corpus humatur.]

Porro quæ idem Pontifex ad ordinem ecclesiasticum, ritusq. sacros spectantia reliquerit monimenta, auctor Micrologi in suum commentarium aliqua ex parte retulit, aitq. de ipso: Illi, Sedi Romanæ videlicet, nostro tempore talem Deus gubernatorem, reuerendæ memoriæ Gregorium Papam imposuit, qui sub decem suis antecessoribus a puero Romæ nutritus & eruditus, omnes Apostolicas traditiones diligentissime inuestigauit, & inuestigatas studiosissime in actum referre curauit. Hunc ergo doctorem, religione & auctoritate præcipuum, immo Apostolicam traditionem per ipsum in consecrandis mysterijs potissimum imitari decreuimus &c.] & inferius: [b] B

a Microl. c. 14.

b eod. lib. c. 17.

Reuerendæ memoriæ Gregorius Papa fecit, vt prædiximus, quod beatus Anselmus Lucensis Episcopus ita se ab eo didicisse testatus est, & hoc ita semper obseruauit, nobisq. itidem obseruandum firmissime inculcauit, cum dicimus: Per omnia sæcula sæculorum; corpus cum calice leuamus] & inferius: [c]

c eod. lib. c. 24.

Gregorius Papa Septimus, cum Apostolicæ Sedi præsideret, constituit, vt ieiunium, quod dicitur Martij, in prima hebdomada Quadragesimæ omni anno celebretur, sicut & sancti Patres illud instituisse leguntur] atque post hæc: [d] C

d ibid. c. 25.

Gregorius Papa Septimus Apostolicæ Sedi præsidens, constituit, vt æstiuale ieiunium infra octauam Pentecostes annuatim celebraretur] idq. ex maiorum præscripto. cum perperam factum ostendat, in Concilio Moguntino tempore Henrici Secundi Imperatoris de ieiunijs Quatuor temporum aliter esse dispositum, quod & confutat, quibus hæc addit:

Cur autem ista replicamus, cum etiam, si prædictæ regulæ sibi annuatim conuenirent; auctoritati tamen Sedis Apostolicæ nullatenus præiudicare possent, cui omnes per omnia absque hæsitatione debemus obedire? Cui numquam debitam exhibemus obedientiam, si eius statuta potius iudicare quam implere curamus. Hoc est enim priuilegium obedientiæ, de sententia sui præceptoris non iudicare, in ijs dumtaxat rebus, quas canonicis Scripturis contraire non videmus; immo statim exequi quod iubetur] & paulo post: Hanc ergo puram obedientiam cum omnibus spiritualibus nostris præceptoribus certissime debeamus, maxime tamen Apostolicæ Sedi ex intimo corde debemus, quæ totius Christianæ religionis caput est & origo] rursus autem idem auctor de constitutis ab eodem: [e] D

e ibid. cap. 43.

Gregorius huius nominis Papa Septimus Apostolicæ Sedi præsidens constituit, vt sanctorum omnium Romanorum Pontificum & Martyrum festiuitates solemniter vbique cum pleno officio celebrentur. Nam cum quælibet ecclesia sui patroni, etiam si Confessor fuerit, festum solemniter obseruet: quanto magis eorum qui totius Ecclesiæ non tam patroni, quam patres extiterunt, quam etiam vsque ad martyrium tam verbis, quam exemplis instituere non destiterunt?] at de his hactenus. E

Modo autem (quod reliquum esse videtur) quodnam fuerit eius in extremis laborantis de futuro successore eligendo iudicium, afferamus in medium. Leo Ostiensis de eiusdem obitu agens, hæc ait: [f]

f Leo Ost. lib. 3. c. 64.

Anno Dominicæ Incarnationis millesimo octogesimoquinto Indictione octaua, cum venerabilis semperq. recolendæ memoriæ Gregorius Papa Septimus Salerni magna vi morbi premeretur: ante tertium sui obitus diem rogatus ab Episcopis & Cardinalibus, qui forte tunc aderant vna cum Desiderio, quid de Romanæ Sedis post obitum suum ordinatione iuberet: hortatus est, vt si quo pacto possent, ipsum Desiderium Pontificem facerent. Is enim præter id, quod Romanæ tunc Ecclesiæ presbyter Cardinalis esset, & prudentia summa & religione præcipua, & singulari Principum

GREG. PAP. DE ELECTIONE SVCCESSORIS IVDICIVM.

A pum beneuolentia amicitiaq. pollebat, quod si hunc flectere nullatenus possent: aut Lugdunensem Archiepiscopum Hugonem, aut Ottonem Ostiensem, aut Lucensem Episcopum eligere, quanto citius se defuncto studerent. Hoc statuto, defunctus est octauo Kal. Iunij die Dominico, & dignissime intra ecclesiam sancti Apostoli & Euangelistæ Matthæi sepulturæ traditus, cum sedisset annis duodecim, mense vno, diebus tribus] quæ autem post obitum secuta sunt vsque ad creationem noui Pontificis, & tempore, quo Sedes ipsa vacauerit, idem Leo qui tunc aderat, scribere ita pergit:

AGITVR DE ELECTIONE SVCCESSORIS.

Et quoniam Romana Ecclesia pastore destituta remanserat, & hæretici illam atque schismatici luporum more nitebantur inuadere: Desiderius vna cum Episcopis & Cardinalibus laicisq. religiosis, qui hactenus in Catholica vnitate perstiterant, & Gregorio Papæ fideliter obedierant, vno voto ad eam ordinandam incumbere satagunt. Mittunt ergo qui idoneas ad hoc personas vndique conuocent, vt ex omnibus is eligeretur, qui ad tantum onus subeundum ceteris aptior esset. Conuenientes ergo ad Abbatem nostrum Episcopi & Cardinales, cœperunt cum de præfati Pontificis appellare iudicio, vtq. in tanta temporis necessitate periclitanti subueniret Ecclesiæ, pastorale subeundo onus instantissime flagitare. Ad hæc ille Papatum quidem renuere obstinatissima responsione perrexit; se tamen in quibus posset alijs, ad Romanæ Ecclesiæ seruitium paratum esse respondit. Die vero Pentecostes Sabinensi Episcopo & Gratiano Roma venientibus occurrit: eisq. verba, quæ cum Papa Gregorio de ordinatione Ecclesiæ habuerat, retulit; pariterq. cum eis Iordanem Principem, & Rainulphum Comitem adijt, eosq. ad seruitium & adiutorium Ecclesiæ Romanæ ad hortatus; ad omnia promptos ac paratos inuenit. Cœpit deinde Cardinalibus vehementer insistere, vt de Pontificis eligendi persona quam primum deliberarent, & quotquot ad hoc officium idoneos nossent, litteris conuenire satagerent. B C

DESIDERIVS ELIGENDVS QVAERITVR.

Quod illi facere omnino negligentes, clam cum Principe *Capuano* agere cœperunt, vt Abbati pastoralis iniungeretur cura; Romamq. illum perducere quoquo pacto nitebantur, vt si aliter non possent, id sibi onus violenter imponerent. Quo ille cognito: renuere penitus, & contradicere cœpit, sicq. ad monasterium rediens, Northmannos iterum, ac Longobardos, & quoscumque potuit, hortari ad Romanæ Ecclesiæ seruitium cœpit, plurimosq. ex eis paratos inuenit, alios item ipse præparauit. sed quia feruor æstatis nimius erat, Romam tunc ire distulerunt, quoad æstus ille transiret. Postquã vero Princeps conducto exercitu, vt Romam pergeret, in Campaniam venit, comitante secum Desiderio, & nonnullis illarum partium Episcopis: ipse suspecta habens priora consilia, vlterius procedere noluit, asserens; nisi Princeps, & Comes & Episcopi fide sua sibi pollicerentur nullam hac de re sibi illaturos vim, neque alios inferre, passuros: se vlterius non progressurum. Renuentibus facere, res tunc infecta remansit] sicq. in his pertractandis & consulendis præsens elapsus est annus. D

ROBERTI GVISCARDI OBITVS.

Eodem anno contigit obitus Roberti Guiscardi potentissimi Ducis, de quo ista Romualdus sæpe citatus, hoc anno mense Iulio: [a] Robertus Guiscardus magnificus Dux apud Insulam Cassiopem existens, obijt morte communi, maior sexagenario, anno Ducatus eius vigesimosexto] hæc de tempore alij quoque testantur auctores huius sæculi, vt Bertholdus & alij, ex quibus omnibus redarguas tu recentiorem [b] auctorem, qui eum mortuum ponit anno saluris millesimo octogesimotertio. Addit vero ista Leo Ostiensis: [c] Corpus eius relatum in Italiam in Venusia Apuliæ ciuitate conditum est. Qui dum moreretur, brachium sancti Apostoli & Euangelistæ Matthæi clericis qui secum aderant, vt Salernum referrent, ac filio redderent, iussit. sed illi fide ac substantia pauperes, argenteam thecam, in qua sanctum brachium conditum fuerat, inter se diuidunt, indeq. Hierosolymam pergentes sanctas reliquias vsque ad obitus sui diem apud se absconsas tenuere; ad mortē autem venientes memoratas reliquias, ignaris socijs, pueris suis tradiderunt, qui sanctum brachium qua huc ratione detulerint, suo loco scribemus. Non autem ab re fuerit oblationes Ducis huius, eiusq. coniugis hic ad posterorum memoriam scribere, qui supra fere omnes sui temporis homines, & locum hunc, & patrem Desiderium, & nostram congregationem dilexere, ac pro viribus honorare studuerunt] ad ostendendam ergo Northmannorum pietatem, per quam a Deo promeruerat in hoc etiam sæculo exaltari, describere non grauabimur. sic se habent: [c] E

a Leo Ost. lib. 3. cap. 56.

b Fazel de reb. Sicul poster. decad. lib. 7.

c Leo Ost. lib. 3. cap. 56.

Universidad de Deusto
Biblioteca

a Leo Oſt. lib. 3. c. 37. OBLATIONES ROBERTI DVCIS MONASTERIO CASSIN.

Quando [a] itaque primũ Abbas noſter ad eos profectus eſt Rhegium: donauit ei Dux A
ſexcentos Byzanteos & quinque pallia, & nauiculam auream; ſecundo pallium magnum & gemmas, margaritasq. plurimas pretij ſcyphatorum ſeptingentorum. Alia item vice donauit ei byzanteos ſexcentos, & duo millia tarenos Africanos, & tredecim mulos cum Sarracenis totidẽ, & magnum pulchrumq. tapetium. Item quando ægrotauit, miſit huc ſcyphatos mille, a Gallipoli quoque trecentos byzanteos miſit, & duo millia tarenos. Quando autem huc primo aduenit in Capitulo, duodecim auri libras & byzanteos centum impoſuit. ſuper altare vero S. Benedicti ſcyphatos trecentos & tria pallia, & pro fabrica dormitorij ſcyphatos centum, & in refectorio totidem, in hoſpitum domo quadraginta, duodecimq. denariorum libras in infirmorum domo, & centum michalatos pro pictura Capituli.

Cum vero expugnare Aquinum venit: miſit huc byzanteos quingentos. Captaq. B
Bari, duodecim auri libras donauit Deſiderio. Secundo huc aduenienſ, poſuit in Capitulo auri libras duodecim; ſuper altare vero ſcyphatos centum, & pallium magnũ. Tertio quando huc acceſſit cũ Papa Gregorio, poſuit in Capitulo mille ſolidos Amalphitanos, & ſuper altare byzanteos centum; profectus hinc centũ nonaginta farganas Fratribus in dormitoriũ miſit. Alia vice pro piſcibus miſit tarenos mille, item tarenos mille & vnum nauigium valens ſolidos mille. Item quadringẽtos ſolidos Amalphitanos. Item ex Thracia miſit huc mille michalatos. Vxor præterea ipſius Sicelgaita quãdo ægrotauit, miſit B. Benedicto quadraginta & quinque argenti libras, & pallium vnum. Item quando venit huc poſt mortem Ducis, poſuit in Capitulo trecentos ſcyphatos, & omnes refectorij menſas mantilijs texit. Alia vice obtulit beato Benedicto altare aureum, gemmis, & margaritis ac ſmaltis ornatum, pallium altaris ſericum C
cum vrna purpurea ornatum margaritis ac ſmaltis, calicem aureum paruum, planetam purpuream cum phrygio, & cum aquila ex margaritis contexta. Tunicam vnam ex Perſico panno inaurato, pluuialia quatuor, Albas ſericas quatuor, Albas bombycinas octo, par vnum candelabrorum ex cryſtallo, onychino & argento, aliud candelabrorum par argenteum cum malis cryſtallinis, duo argentea vaſa librarum ſeptem, laternam argenteam librarum octo, ſcrinium argenteum ſuper altare cum nigello librarum octo, ſcrinium eburneum magnum, patenas argenteas deauratas cum nigello librarum quindecim, cum quibus Fratres in præcipuis feſtiuitatibus biberẽt, concham argenteam cum aquimanili ſuo librarum vigintiquatuor, vrceum ex cryſtallo magnum, ſcutellam argenteam cum nigello librarum nouem, ſcutellam aliam librarum ſexdecim, alias duas librarum decem, pannum ſericum magnum, & alios æque magnos tres, & quatuor minores, circitorta ad altare ſancti Benedicti quatuor, duas cortinas Arabicas, quæ ſupra chorum pendent, alias duas, quæ diebus Quadrageſimæ in circuitu chori appenduntur. D.

Item poſt mortem Ducis poſuit in Capitulo libras auri quinque, duaſq. dedit infirmario, vnam pro expenſis, alteram pro conſtruendo balneo; multa præterea quæ nec recoli, nec numerari poſſunt. Obtulerunt item beato Benedicto monaſterium ſancti Petri Imperialis intra Tarentum cum decima piſcariæ, & manualium ſuorum, monaſterium ſancti Angeli intra Troiam, ſancti Nicandri, ſanctæ Anaſtaſiæ in Calabria, ſancti Nicolai in Sellectano, & Fundicum in Amalphi cum pertinentijs ſuis. Anno ſequenti eadem mulier de conſenſu filij ſui Rogerij Ducis obtulit beato Benedicto per chartam aurea bulla ſignatam, locum in Calabria, qui Cetrarius dicitur, cum toto portu ſuo, & omnibus pertinentijs, cunctisq. colonis ſuis, quem videlicet in dotem a E
prædicto viro ſuo Roberto Duce dudum acceperat, ea tamen conditione, vt quoad ipſa viueret, ipſe locus ditionis eius eſſet; poſt eius vero obitum abſque vlla heredum contradictione ad monaſterij iſtius ius deuolueretur, appoſita pœna centum librarum auri, ſi quis contra agere tentaſſet. ſuper hæc omnia miſit beato Benedicto per Deſiderium altare aureum pretioſiſſimum gemmis & margaritis, & (quod multo pretioſius eſt) beatiſſimi Apoſtoli & Euangeliſtæ Matthæi reliquijs mirifice decoratum] hactenus Leo de oblationibus a Roberto & eius coniuge delatis. Sed quis cetera numeret; nempe quæ ad Limina Apoſtolorum Romam miſit, quæ ad baſilicam quam ſtruxit ſancti Matthæi Salerni dedit? quæ ad alia ſui Ducatus loca & monaſteria quæ conſtruxit?

Intue-

A Intuebatur iſta oculis Leo eiuſdem tunc monaſterij Bibliothecarius, ſcribebatq. ea. Cui quantum deferendum ſit de rebus Roberti Ducis, & Rogerij Siciliæ Comitis, magis quam Fazello, qui nuper res Siculas eſt proſecutus: nemo non videt. Puto ipſum quidem eumdem Leonem non vidiſſe, atque ita ex amota lucerna temporis, in pluribus, maximiq. momenti rebus erraſſe. Quod ſi vidit, par erat, errantem redarguere mendacij, vt ſua bene probata relinqueret, cum plane e diametro a Leone [a] pluribus in locis aſſertis ipſe repugnet, dum Leo de Sicilia capta trophæa omnia Roberto tribuat; iſte autem Roberto detrahens, Rogerio adſcribat cuncta. Nam Leo Siciliam quidem Roberti viribus captam, adminiſtrandam vero datam Rogerio fratri teſtatur. An non comprobant iſta etiam diplomata Romanorum Pontificum, & Roberti ipſius profeſſiones fidelitatis tam Nicolao Secundo, quam ſucceſſoribus Romanis Pontifici-
B bus exhibitæ de Ducatu Apuliæ, Calabriæ, atque Siciliæ, ſuis locis ſuperius enarratæ? cum e contra Rogerius ipſe dumtaxat Comes Siciliæ appellatus inueniatur, & quidem ſubditus Roberto Duci, cui & homagium fecerit, vt eius homo diceretur, vti appellat eum Edinerus in vita ſancti [b] Anſelmi, cum præſens illum videret, quantæq. eſſet poteſtatis agnoſceret, atque ea tunc ſcriberet, atque poſteritati omni fide traderet. Cum enim ibi agit auctor de Paganis accedentibus ad ſanctum Anſelmum, hæc habet: Suſcipiebat omnes, & quos omnes? Paganos etiam, vt de Chriſtianis taceam: ſiquidem nonnulli talium (nam eorum multa millia in ipſam expeditionem adduxerat homo Ducis Rogerius Comes de Sicilia) nonnulli, inquam, talium fama bonitatis eius inter ſuos exciti, manſionem noſtram frequentabant &c.] At non ipſe tantum Rogerius Roberto feciſſe reperitur homagium, ac iuraſſe fidelitatem, ſed ipſius Roge-
C rij poſteri etiam Roberti ſucceſſoribus, vt affirmat Romualdus Archiepiſcopus Salernitanus in ſcripto a ſe Chronico, vbi agens de Vuillelmo Guiſcardi pronepote ex Rogerio Siciliæ Comite, hæc ait anno Redemptoris milleſimo centeſimo vigeſimoſexto: Inter ipſum Vuillelmum & Rogerium Comitem Siciliæ ligium hominem eius, & patruum conſobrinum diſcordiæ materiam miniſtrabant] hæc ſunt, quæ corrigas in his, qui res Siculas pro animi ſententia tractantes, potius priuato affectui indulſere, quam conſenſere veritati.

NON ROGERIVS SED ROBERTVS DVX SICILIAE.

a Leo Oſt. lib. 3. c. 15. & 49.

ROGERIVS COMES ROBERTI VASSALLVS.

b Extat apud Sur. to. 2. die 21 April. lib. 2.

At de Guiſcardo iam plura locuti, de ipſo hic ad poſtremum inditum ſepulturæ ipſius epitaphium deſcribamus, quod Venuſiæ legebatur his verſibus: [c]

c Vit. Vuil. Malmesb. hiſt. Angl. lib. 3.

EPITAPHIVM ROB. GVISC.

Hic terror mundi Guiſcardus. Hic expulit Vrbe
Quem Ligures, Regem, Roma, Alemannus habet.
D *Parthus, Arabs, Macedumq. phalanx non texit Alexim,*
At fuga. ſed Venetum, nec fuga nec pelagus.]

ANNVS ſequitur Chriſti milleſimus octuageſimusſextus, Indictione nona, quo cum diu multumq. laboratum eſſet a Catholicæ partis Cardinalibus, vt eligeretur Gregorij Pontificis ſucceſſor: eo deuentum, vt vi adhibita, Deſiderium Caſinenſem Abbatem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem tituli S. Cæciliæ elegerint, eumdemq. Victorem Tertium Pontificẽ appellarint. Quomodo autem iſta quam difficil-
E lima tranſacta fuerint, Leo [d] Oſtienſis, qui aderat, ita deſcribit: Iam fere annus in hac fluctuatione tranſierat, quo Sedes Apoſtolica paſtore orbata erat, nulluſq. Dominici gregis curam gerebat, & Guibertus hæreſiarcha cum ſuis ſequacibus oues Chriſti ſanguine redemptas laniabat: cum circa Paſchalem feſtiuitatem Epiſcopi, & Cardinales Romanæ Eccleſiæ ex diuerſis partibus Romã confluentes, mandauerũt Abbati, vt vna cum Epiſcopis, & Cardinalibus Romanis, qui tunc ſecũ morabantur, & cum Giſulpho Salernitano Principe, qui tunc a Ciſalpinis partibus venerat, ad eos quantocyus pergerent, vt ſimul de Romanæ Eccleſiæ ordinatione tractarent. Ille nihil ſuſpicans de ſe, illos cogitare, cum iam nulla de eo mentio fieret, aſſumptis omnibus, Romanam tendit ad Vrbem. Quo autem applicuit die, ideſt in vigilijs Pentecoſtes, inſtante Deſiderio, vt Pontificatus apex alicui iniungeretur, qui vel ſibi, vel ipſis videretur idoneus: Romani prorſus omnes, tam Clerus, quam populus aſſentiri renuerunt, per to-

d Leo Oſt. lib. 3. c. 65. 66. 67.

DESIDERIVS ELIGI OMNINO RECVSAT.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tam ergo illam diem fautores omnes Catholicæ partis, & clerici, & laici frequentes A
eum adeunt. Iam vero circa vesperam congregati pariter Episcopi, & Cardinales, &
Romani omnes, qui in fide Catholici gregis perdurabant, in Diaconia sanctæ Luciæ:
omnes vnanimiter Desiderium multis precibus orare cœperunt, vt Romanum Pon-
tificatum susciperet non recusaret, eumq. per diuina omnia, & humana obtestari, vt
subueniret Ecclesiæ periclitanti, & in naufragio pene constitutæ, sæpius ad eius genua,
plerisque lacrymantibus, corruentes. Desiderius, qui iamdudum instituerat vitam
quietam transigere, tempusq. suum optabat in diuina peregrinatione finire: omni-
modis renuere cœpit, & hoc se numquam facturum protestari. Instare illi vehemen-
ter, perseueranter insistere: ipse vehementius reniti, resistere perseuerantius, dicens, si
se inuitum, ac per vim ordinarent: ad monasterium quamprimum rediturum, nul-
lamq. Pontificatus rationem habiturum: eosq. propterea, & Ecclesiam Romanam B
ludibrio fore exponendam. Et quia tardior iam hora processerat, imminente iam no-
cte, ad sua quique reuersi sunt.

Postridie vero, idest Dominica Pentecostes, omnes ad eum summo mane conue-
niunt, eadem repetunt. Sed ipse nihilo segnius in sententia perstat. Cumq. se nil
proficere cernerent: omnes vnanimiter Desiderium flagitant, vt ipse illis Antistitem
nominet: electuros se quem ille dixisset. Habito vero cum Cincio Romano Consule
secreto consilio: Ostiensem Episcopum nominat. Rogant post hæc, vt quem ipsi eli-
gerent, ille in Cassinensi monasterio susciperet: ac sicuti Gregorio fecerat, donec pax
daretur Ecclesiæ, foueret. Id se Desiderius libentissime facturum repromisit; atque
vt fide sua agerent, protensa quam manu tenebat ferula, monuit. Iam de Ostiense
eligendo decernebant: cum repente ex Cardinalibus quidam eam electionem esse C
contra canones asserens, numquam se consensurum affirmauit.

DESIDERIVS INVITVS ELECTVS VICTOR PAPA NVNCVPATVR. a I. Cor. 1.

Illis tempori, ac necessitati obsequendum asserentibus, ille nequaquam potuit a
sententia abduci. Verum (vt sapientissimus testatur a Paulus) non est prudentia,
non est consilium contra Dominum. Mox enim Episcopi Cardinales, vna cum Clero,
& populo Desiderij duritia substomachati, cum precibus nihil profecissent, vi agere
instituerunt. Vno igitur animo, pariq. consensu captum inuitum licet ac renitentem
ad ecclesiam Christi martyris Luciæ perducũt: ibiq. iuxta morem Ecclesiæ, electo Vi-
ctoris nomen imponunt. Sed quoniam hæc omnia (vt diximus) contra eius animum
fiebant: cappam quidem rubeam induit, Alba vero induere eum numquam potuerũt.
Eo igitur tempore Præfectus Imperatoris a Duce, *Rogerio scilicet*, & eius matre dimissus,
ob id videlicet, quod Episcopi, & Cardinales, agente tamen Salernitano Principe, Sa- D
lernitanum Archiepiscopum sacrare noluerant, die noctuq. militibus iniqua stipe con
ductis, aduersus electum in Capitolium pergens, persecutiones ei maximas intulit.

RENVNTIAT ELECTIONI DESIDERIVS.

Post dies quatuor idem electus egressus Roma, Ardeam venit; ibiq. triduo remo-
ratus, Tarracinam perrexit, vbi Crucem & chlamydem, & cetera Pontificatus insi-
gnia ita dimisit, vt eis vti nulla iam ei ratione persuaderi posset, malens omni vitæ
suæ tempore in humiliori habitu viuere, quam tanti ordinis oneri colla submitte-
re. Instabant ei quotidianis precibus, lacrymisq. creberrimis; obijciebantur Eccle-
siæ magna discrimina, ingerebatur animarum perditio, quibus ei manifestissime di-
uina indignatio intentabatur. Cum inter hæc omnia rigidus ille persistens Cassi-
num reuertitur. Sicq. anno fere integro flecti nullis precibus, nullis rationibus po-
tuit. Non tamen ideo Cardinales, & Episcopi, qui aderant, segnius instabant, E
Iordanem Principem *Capuæ*, vrgentes, vt Romam ad electum consecrandum vna
pergeret. Qui magno cum exercitu ad monasterium veniens, partim electi monitis,
partim feruore ætatis nimio vlterius progredi noluit] hucusque Leo de rebus gestis
anni huius in electione Victoris, reliqua suo loco, sequenti anno dicentur.

Quonam autem statu essent hoc anno res Germanorum pugnantibus Catholicis
aduersus schismaticos, Bertholdus Constantiensis, qui aderat ita narrat: His tempo-
ribus, *anno videlicet millesimo octogesimosexto*, fideles sancti Petri Principes Sueuorum
cum Saxonibus, & Baioarijs generale colloquium post festum Apostolorum prope
Vuirceburg condixerunt. quod Henricus congregata multitudine schismaticorum
interturbare voluit. Sed Sueuis superuenientibus resistere non valens, ad tempus eis
locum dedit. Ipsi autem Herbipolim ad obsidendos fautores Henrici processerunt, &
adiunctis

A adiunctis Saxonibus, eamdem sepe circumdederunt. Interim Henricus exercitum vi- VICTORIA PO
ginti pene millium, pedites, & equites congregauit, & ad ciuitatem liberandam TITI CATHO-
iam quinque septimanis obsessam aciem direxerunt. Quo audito fideles sancti Petri, LICI ADVER-
soluta obsidione, obuiam ei duobus milliaribus, non tam multitudine sua, quam mi- SVS SCHISM.
sericordia Dei, & iustitia sancti Petri, non tam armis, quam virtute sanctæ Crucis con-
fisi, processerunt. Vnde & Crucem altissimam in quodam plaustro erectam & rubro
vexillo decoratam vsque ad locum certaminis secum duci fecerunt. Vuelph quoque
Dux cum sua legione, & Magdeburgensis legio, relictis equis, pedites incedebant.
Cum autem iamiam congressuri essent, omnes in terram prostrati, cælum oratione pe-
netrauerũt, quam pro eis ibidẽ reuerendissimus Magdeburgensis Archiepiscopus cum
multis lacrymis, & gemitibus effudit. Igitur in nomine Domini congressi, incredibi-
B lem hostium stragem fecerunt, ita vt nouem nimium altæ congeries cadauerum ibi
viderentur, præter illos, qui *per* campos, & siluas fugitantes occubuerunt.

HENRICI IMP. CLADES INGENS.

Henricus autẽ in primo impetu congressionis dissimulato habitu primus inter pri-
mos terga vertens, omnia vexilla sua nostris derelinquens, vsque ad Rhenũ satis acce-
lerato peruenit, sed nostri eum longo tempore insecuti, tandem magnam prædam de
hostibus reportauerunt; ipsius sane scrinia cũ vestimentis regalibus, item nescio quot
capellas Episcoporum cum alijs innumerabilibus nostri acceperunt. In illa ergo con-
gressione quot millia aduersariorum occubuerint, nondum explorare potuimus. Ex
parte autẽ fidelium sancti Petri nonnisi quindecim homines mortuos inuenire potui-
mus, licet diligentissime perquireremus, & de ipsis quindecim nonnisi tres in loco cer-
taminis obiere, reliqui aliquot diebus postea vixerunt. Inter mortuos, & vulneratos nõ
C nisi triginta reperire potuimus ex nostris. Et hoc vtique nulli humanæ virtuti, sed po-
tius diuinæ adscribendum est, cum fideles sancti Petri vix decem millia habuerint: ad-
uersarij autem etiam viginti millia excessisse referantur. Itaque nostri per misericor-
diam Dei victoria potiti, in campo certaminis ea nocte castrametati sunt, & in crasti-
num ad obsidionem vrbis reuersi absque sanguine eam ceperunt. Deinde Vuirceburgen-
sis Episcopo cum magnis laudibus ciuium, clericorum, & laicorum in sedem suam
restituto, congruoq. militum præsidio ciuitati imposito, ipsi cum magna gloria &
lætitia singuli in sua redierunt. Factum est autem hoc prœlium insequenti die post fe-
stum sancti Laurentij, videlicet in anniuersaria die, quando Hermannus Rex cum
Sueuis Baioarios deuicit. Ego quoque ipse, qui hæc Chronica a millesimo quinquage-
D simoquarto anno Dominicæ Incarnationis huucusque perduxi, de prædicto prœlio nõ
tam aliorum relata, quam quæ ipse vidi, & audiui, ad laudem & gloriam Dei, fideli-
bus annuntiare curaui] hucusque Bertholdus.

Eodem anno Mantuæ decimoquinto Kalendas Aprilis ex hac vita migrauit in cælũ
sanctus Anselmus Lucensis Episcopus, de quo sæpe superius mentio facta est: in cuius
vita eius discipulus hæc de tempore obitus eius: Igitur anno Incarnationis Domini
nostri IESV Christi millesimo octogesimosexto, Episcopatus vero sui decimotertio, OBITVS S. AN-
Indictione nona, finitis iam annis septem excommunicationis Henrici quondam Re- SELMI LVCEN
gis, post transitum autem felicissimi Papæ Gregorij Septimi, mense nono, die vero SIS EPISC.
vigesimotertio, obdormiuit in Domino venerabilis dominus & Pater noster Ansel-
mus Lucensis Episcopus, decimoquinto Kal. Aprilis, in ciuitate Mantuana, præsiden-
te reuerentissimo Episcopo Vbaldo, atque dominante ibidem nobilissima Duce &
E Marchionissa domina Mathilda] quomodo autem contigerit præter institutum,
vt non in Capitulo monachorum sancti Benedicti, vbi ipse iusserat, sed in Episcopium DE SEPVLTV-
delatum fuerit eius corpus, ita idem auctor paulo superius: Et cum concedentibus RAE S. ANSEL-
Episcopo atque Comitissa, cæteris. omnibus iam deferentibus ad monasterium cor- MI LOCO.
pus: affuit subito reuerentissimus Sabinensis Episcopus dominus Dominizo, quem &
Spiritus sanctus suscitauit, vt clamaret, dignum esse, vt in Episcopio Episcopus sepe-
liretur. Tanta (inquit) lucerna, non decet, vt abscondatur. Ipse adhuc viuens, tam-
quam indignum se humiliauit: nos autem vt vere dignum exaltare oportuit hominẽ,
quem fuisse scimus sanctissimum. Acclamatum est idem statim ab vniuersis, rapi-
turq. a monachorum exequijs, in Episcopium defertur, ibiq. venerabiliter sepelitur.
Mirabamur hoc quasi magnum primo miraculum, nescientes quid deinceps mirabi-
lius erat futurum. Nam & id quoque primo notauimus, quod multi Episcopi, & Car-

dinales, magna etiam multitudo militum, die obitus sui eadem in ciuitate conuenerant, & ipsius transitum, & clara miracula viderunt post obitum] Porro cepere edi miracula tertia die post obitum, quæ sic idem auctor aggreditur enarrare: A

DE MIRACVLIS S. ANSEL. LVCENSIS EPIS.

Tertia itaque nocte post sanctissimi Patris venerandam dormitionem quædam contracta, quæ vna semper manu, & posterioribus persona serpebat potius quam gradiebatur, quæ etiam in domo nepotis Episcopi annum vnum, & duos menses, ac dimidium manserat, apud prædicti Patris tumbam, meritis ipsius sana erecta est in prima noctis vigilia. Sequenti vero die circa tertiam (vt visum est) horam fertur, quod quædam a natiuitate cæca ibidem fuerit illuminata, quam Brixiensis Comitatus incolam tunc audiuimus. eodem quippe die &c.] breuitatis enim causa describere prætermittimus octoginta insignia miracula, quæ ibidem a Sancto edita fuerunt vsque ad quinquagesimum diem ab eius obitu, quo idem auctor illa scribebat. Porro accedit B auctarium, nempe epistola Vbaldi tunc Episcopi Mantuani ad Mathildem de miraculis ibi dem visis vna die, nempe, vigilia Ascensionis Dominicæ: quæ quoniam breuis est, hic eam reddere non grauabimur. sic se habet:

VBALDI EPIS. EPIST. AD MATHILDEM.

Dominæ Mathildæ Vbaldus Mantuanus Episcopus gaudium & lætitiam. Immenso desiderio vestro desideratam scribimus lætitiam. Fuit quædam de Capriana, quæ velut animal, manibus & pedibus incedebat, quam Deus omnipotens per merita sanctissimi Patris nostri erexit, & ad iter tantum officio pedum (sicut hominis natura expetit) frui concessit. simile etiam remedium cuidam de insula Parmensi, quæ est iuxta caput Parmulæ, similiter incuruato conferre dignatus est. Prætere a puer quidam de Monteclaro manum, & pedem contractum habebat, cui Deus vtrumque precibus beatissimi Præsulis, ad certum vsum restituit. Nec non mulieri cuidam, de C loco, qui dicitur Insula egeni, quæ manum aridam habebat, per eiusdem patroni nostri intercessionem optata salus aduenit. Cuidam quoque puero de Riualta visum reddidit. Quædam similiter de Episcopatu Veronensi, cum iam ciuitati nostræ appropinquaret, oculorum claritatem recepit. Quidam etiam de Plouizano, cui calcanei natibus indissolubiliter adhærebant, pristinæ restitutus est sanitati: quem domino, & religioso viro Lugdunensi Archiepiscopo ostendimus, & locum denotauimus vbi calcanei iuncti fuerant. Quem multi ex Episcopatu Brixiæ, & Veronæ, diuersisq. alijs partibus, qui conuenerant pro veneratione Sancti viri in vigilia Ascensionis Domini, & videntes fieri conuersi sunt ad dominum, abrenuntiantes diabolo, & sequacibus eius, & promittentes, se prius ad effusionem sanguinis peruenturos (si ad id periculi D deuenirent) quam ab hac fide deficerent. Hæc omnia in vigilia Ascensionis Domini, & in sequenti nocte facta sunt, & multa alia, quæ præ multitudine inuenire non potuimus: quæ si inuenerimus, scribemus] hactenus Vbaldus Episcopus ad Mathildem.

EX MIRACVLIS S. ANSELM. LVCENSIS CONVICTI ERRORIS SCHISM.

Conferebant ista plurimum (vt audisti) ad salutem etiam animarum, nimirum cum viderent schismatici ab Episcopo, qui verbis, scriptisq. Gregorium Papam defenderat, atque Guibertum pseudopontificem improbauerat, tot tantaq. miracula edi: plane Deum stare a parte Catholicorum intelligentes, qui perspicaciores essent, & non obstinati mente, ex schismate recedentes, ad Ecclesiam Catholicam sponte redibant. quod & testatur alius eiusdem temporis auctor Bertholdus Constantiensis, dum in Chronicis suis eiusdem Anselmi hoc eodem anno mentionem faciens hæc habet:

Beatus Anselmus quondam Lucensis Episcopus, ipso eodem suæ depositionis anno, innumerabilibus cœpit miraculis coruscare, qui post obitum venerabilis Papæ Gregorij Septimi fideles sancti Petri contra tyrannidem Henrici adhuc in carne viuens multum incitauit, sed multo plus post obitum suum miraculis corruscans, eosdem contra eumdem persistere confortauit: vnde & pars Henrici de die in diem cœpit deficere; Catholici autem in fidelitate sancti Petri non cessauerunt proficere] hæc ipse. & in eamdem sententiam Domnizo in vita Mathildis versibus istis: E

Artuc Anselmi condiuit Mantua terrâ,
De quo quod gliscit monstratti, Christe, Mathildi:
Nam virtute tua fecit miracula plura,
Seruulus ipse tuus de sanctis extitit vnus.
Catholicæ parti fauet indicium probitatis,
Schismaticæ parti signum quasi debilitatis.

Inde

A *Inde triumphando gaudet Comitissa precando:*
Huius enim Patris precibus putat auxiliari] &c. Porro Mathildem curasse, vt vita Anselmi scriberetur, idem auctor paulo inferius his docet versibus:

Tertius existens ab eo Lucensis, & ille
Rangerius rector dictauit eam sibi metro.
Dictauit pulchrum nuper librumq. secundum &c.]

At non extat ille quidem, sed tantum, quæ soluta oratione ab Anselmi pœnitentiario scripta habentur, a quo & lucubrationes Anselmi recensentur his verbis: Ex multis, ac diuersis sanctissimorum Patrum voluminibus vnum compilauit canonicarum sententiarum non modicum corpus] extat illud ipsum integrum iam cusum. De quo ipso volumine in vita illa prolixius scripta hæc leguntur: Apologeticum B vnum ex diuersis sanctorum Patrum voluminibus compilauit, quibus domni Papæ Gregorij sententiam, & vniuersa eius facta, atque præcepta canonicis defenderet rationibus. Multos libellos proprijs manibus conscripsit. In lamentationes Hieremiæ dulcissimam fecit expositionem. Psalterium quoque rogatu benedictissimæ Dei Mathildæ exposuit luculentissime breuiter quidem, sed vtiliter vsque ad illum locum: Benediximus vobis in nomine Domini. Ibi siquidem expositionem finiuit, nobisq. omnibus, vt alter Patriarcha Iacob, benedixit, cuius (vt notum est) in vniuersam iam Italiam benedictio descendit. In ipso etenim, & per ipsum hæretici, & schismatici alij conuertuntur, alij confunduntur] & inferius de obseruantia erga Gregorium Papam:

SCRIPTA S. ANSELM. LVCEN.

Ante omnia vero id studij semper habuit, quatenus sanctissimum magistrum S. ANSELMVS IMITATOR GREG. PAPAE. suum Papam Gregorium imitaretur in omnibus, adeo vt discrepare ab illo prorsus C nollet, etiam in aliquo: Illius semper meritis tribuit quidquid in ipso fuit, dum vitam rememorauit monasticam & solitariam, quam se crebro fleuit amisisse. &c.] at ipse vitæ Scriptor perorans, quisnam fuerit, ita declarat: Hæc de beatissimo patre & patrono nostro sancto Anselmo Lucensi Episcopo perpauca quidem, quantum ad ipsius merita; sed vestris spero pijs desiderijs proficientia. Ego B. peccator, presbyter tuus in pœnitētia, non dico filius sed seruus, ab ipso multis cum lacrymis ad eumdem ordinem promotus, venerabiliter vobis expectantibus explicaui deuotus. precor vos, orate pro me] At de Anselmo modo hactenus, & pro instituto satis.

CHARTHVSIA SOLITVDO QVANDO HABITARI COEPTA.

Hoc itidem anno Carthusiæ solitudo cœpta est habitari a sancto Hugone Episcopo Gratianopolitano, sanctoq. Brunone auctore sancti instituti, eiusq socijs, ex quo loco & nomen accepere, vt Carthusiani monachi dicerentur. Quod ad tempus spectat, cum D superius dictum sit ex eiusdem S.ti Hugonis vitæ Actis, ipsum anno millesimo octogesimo creatum fuisse Episcopum Gratianopolitanum, post duos vero annos adijsse Cluniacenses, ibiq. moratum annum vnum, inde ad Episcopatum reuersum, in eo transegisse tres annos: plane inuenies, sexto anno a sua ordinatione cum socijs, hoc nempe anno petijsse Carthusiam. Quomodo autem anno sexto post incolatum Carthusiæ idem Bruno vocatus fuerit ab Vrbano Papa, ab eoq. aliquantum retentus, suo loco dicetur.

a Apud Sur. die 1. April. c. 2.

EVSTATHIVS PATRIARCHA CONSTANTIN.

Quod spectat ad Orientalem Ecclesiam, hoc anno Cosmas Patriarcha Constantinopolitanus, vbi sedisset annos quinque & menses sex, decessit, atque in locum eius substitutus est Eustathius cognomento, Garides. hæc de successione ex codice iuris Orientalis, tomo primo, in quo inest serius Patriarcharum Constantinopolitanorum. E

IESV CHRISTI ANNVS 1087.	VICTORIS III. PAP. ANNVS 2.	HENRICI III. IMP. 4. ALEXII COMNENI IMP. 7.

MILLESIMVS octogesimusseptimus sequitur annus, Indictione decima inchoatus, quo Victor Papa septimo Idus Maij Romæ consecratur. Quomodo autem ista contigerint, Leo[b] Ostiensis rerum inspector sic narrat: Sequenti anno, medietate Quadragesimæ apud Capuam Episcoporum congregato Concilio, cū ipse electus vna cum Episcopis Cardinalibusq. Concilio præsideret, Cincius etiam Romanus Consul cum nobilibus plerisque Romanis, Iordanisq. princeps *Capuæ* & Rogerius

b Leo Ost. lib. 3. c. 67. 68.

CONCILIVM CAPVANVM.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dux cum omnibus fere suis optimatibus adesset: finito Concilio, rursus ex insperato illum clerici & laici precibus multis lacrymisq. fatigant. sicq. biduo immobilis perstitit. Tandem Duce, ac Principe, Episcopisq. & fidelibus ceteris ad eius vestigia flentibus, victus precibus ac rationibus cessit: Electionemq. præteritam, Crucem ac purpuram resumendo, firmauit duodecimo Kal. Aprilis, Dominica in ramis Palmarum. Inde Cassinum reuersus, ibi Pascha celebrauit.

VICTOR PAPA ROMAE CONSECRATVR.

Solemnitate peracta, cum Capuano, ac Salernitano Principe Romam perrexit, ac iuxta Ostiensem vrbem cum omnibus transiens, graui languore comprehensus, extra porticum sancti Petri tentoria fixit. Et quia Rauennas hæresiarcha, qui viuente Gregorio Papatum inuaserat, sancti Petri ecclesiam armis tenebat; instantibus militibus Principis, eadem die recuperata ecclesia est. Dominica vero Ascensionem subsequente Romanis fere omnibus trans Tiberim magna cum frequentiæ celebritate occurrentibus, electus ipse, ab Episcopis Ostiensi, Tusculano, Portuensi & Albanensi, Cardinalibusq. & Episcopis & Abbatibus assistentibus plurimis, ecclesiastico more sacratus, & in Apostolica Sede locatus est septimo Idus Maij] & paulo inferius: Prædictus autem Pontifex Romæ diebus octo remoratus vna cum memoratis Principibus ad hoc monasterium redijt.

ADVENTVS MATHILDIS ROMAM.

Paruo post tempore Comitissa Mathildis Vrbem adiens, cum Legatis missis multum deprecata est, vt eius frui aspectibus atque alloquijs mereretur; eam quippe causam solam sibi fuisse Romam adeundi. Quid ageret, ignorabat. Vrgebat eum languoris molestia nusquam progredi, sed pro Ecclesiæ commodis vilis erat illi salus corporis sui. Iter itaque per mare festinus aggreditur: cumq. ad Vrbem peruenisset, a Comitissa & eius exercitu, ac ceteris beati Petri fidelibus deuotissime officiosissimeq. suscipitur, atque in ecclesia beati Petri octo diebus remoratus est. Postmodum in die sancti Barnabæ super altare sancti Petri Missam solemniter celebrans, eadem die auxilio atque ope Comitissæ traiecto Tiberi, ingreditur Romam. Trans Tiberim Vrbem totam, Romanorumq. maximam partem, & omnem pene nobilium coetum, castrumq. sancti Angeli, beati Petri basilicam, vrbem Ostiensem ac Portuensem habebat sub ditione sua. Morabatur autem apud insulam Romæ, quæ & ipsa sui iuris erat.

Die igitur qui Apostolorum præibat natalitia, nuntius quidam quasi ab Imperatore veniens, Consules ac Senatores, populumq. Romanum, nisi a Victore deficerent, a corona submouit Imperij. Cum subito Romani supervenientes, præter ecclesiam beati Petri, vniuersa ceperunt: ipsamq. vero ecclesiam, quam Pontificis homines desuper tuebantur, ingredi nullo pacto potuerunt. Verum quia hæresiarchæ Guiberti infinita erat multitudo: hi qui ex parte Pontificis erant, aduersus tantam hostium manum obsistere non valentes: Trans Tiberim, siue in castrum sancti Angeli se recepe-

PVGNATVR PRO ECCLESIA S. PETRI.

runt. Iam vero die media in ecclesia sanctæ Mariæ in Turribus Missam Rauennas hæresiarcha cantauit. Sole autem ad occasum vergente, qui in ecclesia steterant, palam armati discessere. Ita proh dolor! beati Petri ecclesia, eo potissimum die, quo toto orbe eius festiuitas colitur, tam nocturno, quam diurno officio caruit. sicspes Guiberti elusa, qui in Apostolorum solemnitate Missas ibi celebrare cupiebat. Die altera ab hæreticis, Apostolico altare locato, Missa ibi peracta est. Posbera die cunctis ad sua redeuntibus, eadem ecclesia in ius Victoris Papæ remeauit.

VISIO DE PETRO APOST.

Eo item tempore peregrini quidam, dum orationis gratia ad beatum Benedicti monasterium pergerent, obuium habuerunt canonicum senem. Percontantibus, quis esset: Petrum Apostolum se esse respondit. scisicitantibus, quo pergeret: Ad fratrem, inquit, Benedicti, proficiscor, vt cum illo passionis meæ celebrem diem. Romæ quippe consistere nequeo, quia ecclesia mea diuersis procellis agitatur. Quod dum Fratribus viri illi postmodum reserassent: ad succedentium memoriam constituerunt, eiusdem Apostoli solemnitatem non minori veneratione quam patris Benedicti celebrandam: sed quod ab eo per Christum Fidei principium emanauit, ex quo nouus propago sacerdotum feliciter germinauit: vtique debuerat solemnius celebrari.

Quod autē audisti Guibertum ea die Missam celebrasse in ecclesia in Turribus dicta: eam fuisse Pantheon ab Agrippa ædificatum, & a Bonifacio Papa in ecclesiā commutatum, intelligas ex his, quæ Bertholdus in Chronicis hoc anno sic habet: Guibertus vero hæresiarcha non magis ab incœpta peruersitate cessauit, immo se apud sanctam

Mariam

Mariam ad Martyres (quam Rotundam dicunt) incastellauit. Dominus autem Papa in Insulam, quæ inter duos pontes sita est, se recepit] hæc Bertholdus Constantiensis.

MATHILDIS VICTORIA ADVERSVS SCISMATICOS

Inter hæc autem Mathildis reuocatur in Galliam Cisalpinam: nam Guiberti opera eius Comitatus impetitus est prœlijs, ducibus Parmensi Episcopo vna cum Regiensi. Quos omnes Mathildis noctu dum quiescerent, nec quidquam tale timerent, aggressa, vicit auspice Petro. tunc Heberandus Parmensis Episcopus captus, Gandulphus Reginus fuga lapsus tribus diebus latuit in spinetis. de tanta autem victoria Domnizo hos habet versus:

Gaudet turba Petri, turbatur concio Regis,
Inclyta Mathildis terror fuit omnibus illis.]

Interea vero Guibertus per suos Ecclesiam persequi acrius pergit, de quo ista [a] Leo Ostiensis subijcit: Pulsis Catholicis Episcopis & Abbatibus, alijsq. ecclesiarum præpositis doctrina & religione præstantibus: scelestos & illitteratos, singulis vrbibus, monasterijs ecclesijsq. præfecit. Sæpe singulos plerumque binos annis singulis magistri sui Simonis mercimonio execrando substituens, deprædandis locis sanctis, sibiq. non fauentibus Christianis, immo ipsis quoque fauentibus, dum non esset qui armato resisteret, longe lateq. sæuitia Neronis & Decij perdita voluntate grassatus est] & inferius: Illi *nempe Guiberto* nemo Apostolicam reuerentiam exhiberet, vel obedientiam, præter Imperatorē, eiusq. complices, vel qui se illi propter auaritiam (quæ est idolorū seruitus) vel perpetuo, vel ad tempus sub iurisiurandi sacramento vendiderant. Quorum plurimi, quibus eius perfidia claruerat, dum execrabilis diuina immolaret sacrificia, nec adesse tolerabant, scientes eum nulli Romano successisse Pontifici, sed perfidum, periurum, inuasorem ac simoniacum Gregorio Papæ superadiectum fuisse: Catholici vero, qui zelo Dei fidem ac religionem tuebantur, Victori Papæ sanctitate ac religione præstanti adhærebant] hæc Leo.

[a] Leo Ost. lib. 3. cap. 69.

GVIBERTI NEFANDA SCELERA.

VICTORIA ADVERSVS SARRACENOS AFRICANOS.

Qui vero Pastor legitimus gregis erat, & germanus Ecclesiæ Catholicæ Episcopus Victor, vitans bella gerere aduersus Christianos, quos indignatio vel gratia Henrici ad tempus ab Ecclesia separauerat: omnem illam expeditionem militarem conuertit aduersus improbos Sarracenos, Italiæ iugiter litora infestantes, Christianosq. captiuos abripientes. Quam autem felicissimum finem ea expeditio fuerit consecuta, idem Leo Ostiensis sic breuiter narrat: [b] Aestuabat autem idem Apostolicus Victor Sarracenorum in Africa morantium superbiam frangere, perfidiamq. conterere. Consilio itaque cum Episcopis & Cardinalibus habito, ex omnibus fere Italiæ populis exercitum congregans, illisq. vexillum beati Petri Apostoli tradens, sub remissione peccatorum omnium contra Infideles impiosq. in Africam dirigit. Christo itaque duce ingressi Africam, centum millia pugnatorum occiderunt, vrbe illorum præcipua capta & excisa. Porro ne quis ambigat, hoc Dei nutu contigisse, quo die Christiani victores euasere, eo etiam Italiæ nuntiata victoria est] hæc Victor Papa, qui Victoris Papæ & martyris, Africani genere cultor, pro Africanis aduersus Arabes bellum suscepit, felix principium felicioribus incremētis prosecuturus, si licuisset. De hac puto victoria loquitur Bertholdus, dum hæc habet anno sequenti: His temporibus Pisani & Genuenses, & alij multi ex Italia Africanum Regem Paganum hostiliter inuaserunt, & deprædata eius terra, ipsum in quamdam munitionem compulerunt, & eum deinceps Apostolicæ Sedi tributarium effecerunt] hæc ipse.

[b] Id. ibid. c. 70.

Eodem anno, mense Augusto, idem Pontifex Beneventi Synodum habuit; quæ autem in ea actitata sint memoria digna, idem Leo sic narrat: [c] Victor autem Tertius egressus Vrbem, ad monasterium venit, sociatisq. sibi Episcopis & Cardinalibus, ecclesiam sancti Nicolai in Pica solemniter dedicauit. Mense vero Augusto Synodum celebrare cum Apuliæ & Calabriæ Episcopis statuens, Beneuentum perrexit. In qua idem Apostolicus præsidens, ait: Nouit vestra dilectio, charissimi fratres Coepiscopi (neque latet orbem vniuersum) sancta Romana & Apostolica Sedes, cui Deo auctore deseruio, quot aduersa pertulerit, quot denique per simoniacæ hæreseos trapezitas malleis, tunsionibusq. perfracta sit, adeo vt columna Dei viui videretur iam pene concussa nutare, & sagena summi piscatoris intumescentibus fluctibus disrumpi, ac naufragij sorte perire. Guibertus enim hæresiarcha, qui viuente sanctæ memoriæ prædecessore meo Gregorio Papa Romanam inuasit Ecclesiam, Antichristi præcursor, &

[c] Id. ibid. c. 71.

CONCILIVM BENEVENTANVM.

satanæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

DAMNATIO GVIBERTI ITERATA SVB VICTORE.

satanæ signifer oues Christi dispergere, mactare, laniareq. non desinit. Incitator enim A incentorq. malorum factus, quantas Gregorio Papæ iniurias, quas persecutiones, quot clades intulerit, referre quis possit? excitauit contra eũ coniuratos ipse conspirationis auctor, fugauit Vrbe, sacerdotio, quantum in se fuit, simoniacus, periurusq. priuauit, commouit aduersus eum Romanum Imperium, concitauit gentes & regna; & (quod a sæculo est inauditum) excommunicatus ipse atque damnatus sanctum Pontificem excommunicare præsumpsit, Romanam Vrbem hactenus sacrilegijs, cædibus, periurijs, conspirationibus, flagitijs, & vitiorum omnium ludibrijs profanare non desinit, & Simonis magi perfidia incensus, nequitiæ suæ complices ad tam impium & execrabile facinus euocãs, coacto Imperatoris exercitu Apostolicæ Sedis inuasor effectus est, contra præcepta Euangelica, contra Prophetarum Apostolorumq. decreta, contra canonum & Romanorum Pontificum iura, nullo Cardinalium Episcoporum præce- B dente iudicio, nullo Romani Cleri approbante suffragio, nullo deuoti populi requisito consensu in sancta Romana Ecclesia totius nequitiæ ac perditionis caput effectus est. Sed omnipotentis Dei potentia cum iam dictum Gregorium Pontificem post labores ac certamina plurima ad æternam requiem euocasset, & vnanimi concordia Episcopi & Cardinales prouincialesq. Antistites vna cum Romano Clero ac populo paruitatem nostram modis omnibus contradicentem & renitentem Apostolicæ Sedi præfecissent: non timens æterni Imperatoris iudicium, nunc vsque Christum & oues eius, pro quibus ille fudit sanguinem suum, persequi non omittit. Idcirco auctoritate Dei & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, omniumq. Sanctorum, omni illum sacerdotali officio & honore priuamus, & a liminibus Ecclesiæ separantes, anathematis vinculo innodamus. C

DE RECENTIBVS SCHISMATICIS VITANDIS.

Nostis præterea, & bene nostis, quos dolos machinati sint, quantasq. mihi pressuras intulerint Hugo Lugdunensis Archiepiscopus, & Richardus Massiliensis Abbas, qui pro fastu & ambitione Sedis Apostolicæ, ad quam dudum clam inhiabant, vbi votis suis potiti non sunt, schismata in sancta Ecclesia fecerunt. Et Richardus quidem Romæ nostram electionem cum Cardinalibus & Episcopis egerat: Hugo autem ad nos post paululum veniens affusus vestigijs, dum obsequium nobis summo Pontifici debitum inuitis ac retractantibus exhiberet, legationem a nobis in partibus Galliarum postulauerat & acceperat. Itaque donec paruitatem nostram electioni factæ, atque a se approbatæ repugnare conspexerant; ipsi modis omnibus insistebant, ne onus pro vtilitate Ecclesiæ nobis impositum abijceremus. Vbi vero nos tandem cedere peruiderunt, conceptam diu flammam clibanus exaturatus euomuit. Quapropter cer- D nentes sibi fratrum omnium vnanimitatem constanter obluctari: ab eorum & nostra sunt continuo communione seiuncti. Vnde vobis Apostolica auctoritate præcipimus, vt ab eis abstinere curetis, neque illis omnino communicetis, quia Ecclesiæ Romanæ communione sua se sponte priuarunt. Nam vt beatus scribit Ambrosius: Qui se a Romana Ecclesia segregat: vere est habendus hæreticus.

CANONES CONCILII BENEVENTANI.

Constituimus etiam, vt si quis deinceps Episcopatum vel Abbatiam de manu alicuius laicæ personæ susceperit, nullatenus Episcopus vel Abbas habeatur, neque vlla ei vt Episcopo vel Abbati adhibeatur reuerentia. Insuper ei beati Petri gremium & introitum Ecclesiæ interdicimus, quousque locum, quem sub tanto crimine ambitionis & inobedientiæ (quod est scelus idololatriæ) cepit, respiciendo non deserit. Similiter etiam de inferioribus ecclesiasticis gradibus, dignitatibusq. constituimus. Si quis E item Imperatorum, Regum, Ducum, Principum, Comitum, vel cuiuslibet potestatis sæcularis Episcopatum, vel quamuis aliam ecclesiasticam dignitatem dare præsumpserit; eiusdem sententiæ vinculo se astrictum nouerit. Cum trecenti & * octo Patres in Nicæno Concilio omnes huiusmodi vendentes & ementes excommunicauerint, censentes vt qui dat, & qui recipit, anathema sit. Cum huiusmodi igitur Episcopis, Abbatibus, aut clericis reliquis qui communicat, vel orat, aut ipsorum audit Missas; vna excommunicationis sententia plectitur; qui nec sacerdotes quidem rite putari possunt.

* decem & octo

Pœnitentia vero & communio a nemine, nisi a Catholico suscipiatur. quod si nullus adsit Catholicus presbyter, rectius est sine visibili communione persistere, & inuisibiliter Domino communicare, quam eam ab hæretico sumendo, a Deo separari.

Nulla

A Nulla enim (vt ait Apostolus) conuẽtio Christi ad Belial, neque pars aliqua Fideli cum Infideli: omnis autem hæreticus infidelis est. Simoniacus vero, quia hæreticus, idcirco infidelis. Nam sacram Christi communionem quamuis visibiliter & corporaliter Catholici propter imminentes hæreticos habere non possint, dum tamen mente Christo coniuncti sunt, eius communionem inuisibiliter sumunt.

Hæc igitur omnia dum omnium Episcoporum in Concilio astantium fuissent suscepta iudicio & auctoritate probata: disseminata continuo vbique per orbem fuere. In eodem vero Concilio Pontifex infirmatus grauiter, post triduum, peractis omnibus, festinus ad monasterium redijt comitantibus Episcopis & Cardinalibus, & in Capitulum Fratrũ se ferri præcepit. Vbi sub districto anathemate prohibuit, ne quis ex successoribus suis auderet vendere fundos, ecclesias, villas, vel quascumque possessio-
B nes ad monasterium Cassinense pertinentes. Simili modo interdixit, ne quis monachorum absque conscientia Abbatis sui libellum facere auderet, quod si fieret, irritum esset. Constituit etiam, vt omnia monasteria, quæ sub ditione nostri huius Cassinensis cœnobij sunt: singulis annis huic nostræ Congregationi prandium faciant.

Hoc statuto, omnium monachorum vnanimi consensu, præfatis etiam Episcopis astantibus, atque approbantibus, domnum Oderisium religiosum valde virum, Romanumq. diaconum, qui tunc erat nostri monasterij præpositus, Abbatem constituit.

VICTORIS PAP MONITIO DE ELECTIONE SVCCESSORIS.

Post hæc conuocatis ad se Episcopis & Cardinalibus, monuit ac iussit, vt iuxta Gregorij Papæ statutum. Ottonem Ostiensem Episcopum quamprimum eligerent, Pon-
C tificemq. constituerent, quem, quia præsens aderat, manu apprehensum ceteris Episcopis tradidit, dicens: Accipite eum, & in Romana Sede locate, meamq. vicem in omnibus, quousque id facere possitis, habetote] porro ista non imperando, sed sicut prædecessor Gregorius fecerat, admonendo & exhortando fecit; quod id temporum iniquitas postularet. Sic & interdum ab aliquibus alijs Pontificibus factum inuenitur, vt quem successorem cuperent, nominarent.

Ceterum ij quorum esset electio Romanorum Pontificum, scientes non posse nec debere eligere sibi Pontifices morientes quos cuperent successores: non absque consueti collatione suffragij nominatum euexerunt in thronum, quasi ex prædecessoris oraculo legitime institutum, sed consuetis comitijs habitis rogata sententia singulorum, est electio ritu solemni ex consuetudine celebrata, vt factum vidisti in Desiderio a Gregorio ante omnes nominato. quod pariter audies in Victoris ipsius successore factum.

VICTORIS OBITVS.

Sed quæ de propinquo Victoris exitu habet Leo, pergamus primũ ex ordine rerum
D dicere: His, inquit, ita dispositis, atque decretis, sepulchrum sibi in ipsa Capituli abside parari iussit, atque post diem tertium feliciter migrauit ad Dominum decimosexto Kal. Octobris anno Dominicæ Incarnationis millesimo octogesimoseptimo] non octogesimonono (vt textus deprauatus habet) nam conuincitur error, tum ex ijs, quæ ex ipso Leone superius dicta sunt, singulas res gestas Desiderij recensente, tum etiam ex [a] Petro, qui auctarium ad Leonem apposuit, dum ab anno obitus Victoris, vsque ad nonagesimum post millesimum, triennium numerat. Cuius sepulchro eiusmodi epitaphium inscriptum docet idem qui supra Leo: [b]

[a] Chron Cass. lib. 4. c. 8.
[b] Leo Ost. lib. 3. cap. 73.

EPITAPHIVM VICT. PAP.

Quis fuerim, vel quid, qualis, quantusq. doceri
Si quis forte velit, aurea scripta docent.
E *Stirps mihi Magnatum, Beneuentus patria, nomen*
Est Desiderius, tuq. Casine decus.
Intactam sponsam, matrem, patriamq. propinquos
Spernens huc propero, monachus efficior.
Abbas dehinc factus, studui pro tempore totum
Vt nunc aspicitur, hunc renouare locum.
Interea fueram Romana clarus in Vrbe
Presbyter Ecclesiæ, Petre beate tuæ.
Hoc senis lustris minus anno functus honore
Victor Apostolicum scando dehinc solium:
Quatuor & semis vix mensibus inde peractis
Bis sex lustra gerens, mortuus hic tumulor.
Solis Virgineo stabat lux vltima signo

Cum

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cum me sol verus hinc tulit ipse Deus.] quantum autem temporis Sedes vacauerit, & quæ contigerint in electione successoris, dicturi sumus anno sequenti. A

CONVENTVS NEMETENSIS.

Post ista, quæ sunt dicta de Synodo Beneuenti tractata: *In Germania* (inquit qui aderat Bertholdus) Principes quoque regni Teutonicorum, fideles, inquam, sancti Petri generale colloquium cum Henrico & fautoribus eius in Kalendis Augusti prope Nemetensem ciuitatem habuerunt, eiq. adiutorium suum ad obtinendum regnum, si de excommunicatione exire vellet, fideliter promiserunt. Ille autem in solita sua obstinatione persistens, nec se profiteri excommunicatum dignatus est, licet sibi in faciem hoc a nostris instanter *probaretur. Vnde & nostri nullam pacem & concordiam cum eo habere statuerunt] & paulo post: In prædicto colloquio litteræ domini Papæ recitatæ sunt, in quibus & suam promotionem Principibus regni denuntiauit, & iudicium sui antecessoris piæ memoriæ Gregorij Papæ super Henricum & fautores eius apertissime confirmauit] En, vides quam perspicue etiam ex litteris hisce Victoris redarguitur mendacij apertissimi Sigebertus, dum ait, exitus tempore pœnitentia ductum Gregorium se erasse confessum esse, & absoluendum mandasse suis successoribus Henricum vna cum schismaticis alijs. B

*exptobraretur

QVAE IN EO CONVENTV ACTA.

Sed quod præterea in eodem conuentu factum sit, accipe, pergit enim Bertholdus Constantiensis: Ladislaus Rex Hungarorum missa legatione ad idem colloquium, se in fidelitate sancti Petri perseueraturum declarauit, & fidelibus sancti Petri cum viginti millibus equitum contra schismaticos se affuturum, si necesse foret, promisit. prædicta tamen expeditio vtrimque ad illum terminum remansit] post hæc autem quodnam diuinæ vindictæ factum sit præiudicium de futuro Iudicio in Patauiensi schismatico Episcopo, qui Catholico eius loci Episcopo pulso fuerat ab Henrico schismatico turpiter subrogatus, hæc accipe ab eodem auctore eiusdem temporis Scriptore plane accuratissimo, qui ait: Eodem quoque tempore quidam schismaticus, qui Patauiensem Episcopatum viuente adhuc legitimo pastore iamdudum inuasit, de hac vita discedens, certissimum suæ damnationis exemplum reliquis schismaticis dereliquit. C

INTERITVS SCHISMATICI EPISC. PATAV.

Cum enim iam in extremis iaceret, seq. ad æternam damnationem iamiam abiturum non dubitaret: apparuit ei eiusdem ecclesiæ Episcopus, vt tanto euidentius culpam sciret, quam apud inferos luere deberet. Rogauit tamen eum, vt ei culpam indulgeret, ipsumq. ab excommunicatione solueret. Rogauit quoque circumastantes, vt eum de Episcopatu eueherent, nec eum in Episcopatu sepelirent. Sed hæc verba astantibus quasi deliramenta videbantur. Ipse autem sanæ mentis protestatus, itidem rogitare non cessauit, sed incassum; nam ante ecclesiasticam absolutionem morte præuentus est. Nonnulli tamen qui tam periculosæ morti eiusdem schismatici aderant, compuncti sunt, qui & postea ad legitimum pastorem redeuntes veniam & absolutionem consecuti sunt] hæc de schismatici interitu Bertholdus, qui & subdit de conflictu sequuto, & dolo Egberti Comitis inuidentis Hermanni Regis gloriæ, elapso Henrico, ne caperetur in bello, quod suo damno tentasset. D

[a] *Leo Ost. lib. 3. c. 67. in fine.*

TRANSLATIO S. NICOLAI.

Hoc anno, quo die consecratus est Victor Papa, septimo Idus Maij (inquit Leo [a] Ostiensis) corpus sancti Confessoris Christi Nicolai ex ciuitate Myrensi, vbi septingentis ferme annis quieuerat, Venetias translatum est, in cuius honorem ædificata est ecclesia musiuo tabulatu perquam decenter ornata, a Patricijs Venetis, & monachis ibidem morantibus maximo cum honore veneratur, & colitur, quamquam nonnulli Barim translatum esse contendant] hæc Leo. Sed potius ad Leonem additamentum: nam in libello, qui extat de translatione facta Venetias, non hoc anno, sed post annorum nouem curriculum id accidisse narratur. Neque Dandulus fidelissimus scriptor, neque recens auctor Sabellicus quidquam habent de his hoc anno: cum tamen reliqui omnes huius sæculi Scriptores Barim translatum dicant, & inter eos Sigebertus hoc item anno rem gestam paucis complexus, hæc ait: Venetianis meditantibus auferre corpus sancti Nicolai a Mirrhea Lyciæ a Turcis desolata: præoccupauerunt eos Barenses ciues quadraginta septem ab Antiochia Mirrham venientes, qui a quatuor tantum monachis ibi inuentis extorserunt, ostendi sibi tumbam Sancti, qua effracta, ossa sancti Nicolai in olei liquore natantia integro numero extraxerunt, & Barim E

A rim cum gloria detulerunt. Facta est autem hæc translatio anno septingentesimo quadragesimoquinto a depositione sancti Nicolai] hæc Sigebertus, cui suffragatur Romanum Martyrologium, in quo dicta die Mirrha Barim translatum asseritur. Quod etiam expressius liquet ex litteris Vrbani Papæ anno sequenti datis, cum Barim profectus est, & venerandum corpus in præparato adyto collocauit.

DEVSDEDIT PRESB. CARD. OPVS QVADRIPARTITVM.

Hoc anno, viuente adhuc Victore Papa, Deusdedit presbyter Cardinalis tituli Eudoxiæ commentarium elaborauit, his temporibus peropportunum pro Ecclesia Catholica contra schismaticos, quem & dedicauit eidem Victori Papæ, ad quem præfixa operi data extat epistola nuncupatoria cum hoc titulo:

Beatissimo atque Apostolico viro Pontifici domno Papæ Victori Tertio, & Clero sanctæ Romanæ Ecclesiæ Deusdedit exiguus presbyter tituli Apost. in Eudoxia] B epistola sic incipit:

Nouit beatitudo vestra, quod sancta Romana Ecclesia idcirco omnium ecclesiarum mater scribitur & creditur &c.] In eaq. de primatu Ecclesiæ Romanæ attingens aliqua, pulchre ostendit auctoritate sancti Cypriani martyris, non solum viuentem Pontificem Romanum præscribere leges vniuerso Christiano orbi, sed etiam eo defuncto, vacante Sede, Romanum Clerum pariter in Catholica Ecclesia cognitum esse supremum, cuius litteris vniuersi parerent Episcopi, quod sciretur ab omnibus Orthodoxis in Romana Ecclesia, eidem præsidere beatos Apostolorum principes Petrum & Paulum, quibus ostensis totius suæ scriptionis argumentum ostendit, & diuisionem operis ita declarat: Itaque ego auctoritatis ipsius Romanæ Ecclesiæ priuilegium, quo omni Christiano orbi præeminet, ignorantibus patefacere cupiens, Domino mihi opem ferente, ex varijs sanctorum Patrum & Christianorum Principum C auctoritatibus potioribus quibusque in vnum congestis, præsens defloraui opusculum, quadrifariam dispartitum partitione. Nam primus liber continet priuilegium auctoritatis eiusdem Romanæ Ecclesiæ. Et quoniam sine Clero Ecclesia esse non potest, nec Clerus absque rebus quibus temporaliter subsistat: huic subiunxi secundum & tertium de Clero & rebus eiusdem Ecclesiæ. Quia vero sæculi potestas Dei Ecclesiam subiugare nititur: libertas ipsius Ecclesiæ & Cleri & rerum eius tertio, & maxime quarto libro euidenter ostenditur] hæc eius instituti ratio, operisq. partitio. Extat eiusmodi Deusdedit lucubratio tanto viro digna in Vaticana bibliotheca, Collectio canonum nominata. Extat apud nos alia eiusdem Deusdedit nobilis lucubratio aduersus inuasores, simoniacos, & reliquos schismaticos, egregium opus, elaboratum ab eo, tempore Vrbani Papæ successoris Victoris Pontificis, de quo suo loco dicendum. D

[a] *Extant apud Sur. to. 4. die 15. Augusti.*

S. ARNVLPHI SVBSSIONIS EPIS. OBITVS.

Moritur hoc anno sanctus Arnulphus Suessionis Episcopus, decimooctauo Kalen. Septembris, cuius res præclare gestas ex eo, qui præsens viderat, scripsit Lisiardus eius successor quam fidelissime, compluraq. miracula ab ipso edita dum viueret, atque post mortem enumeraut. Sed & eumdem spiritu prophetico imbutum plurima prædixisse, atque ex eiusdem prædictionis præscripto euenisse, eadem testantur Acta. In tot tenebris huius temporis, magno Dei beneficio, tanto lumine Gallia meruit illustrari. Sed quæ tunc miranda acciderint in eius obitu, audi Lisiardum, qui ab eo, qui interfuit, accepit; & post enarrata multa, quæ præcesserunt ante diem obitus sui, hæc habet: Vigesima die postquam discubuit, qui tum erat feria sexta, sub noctis medio cella, in qua iacebat, mirabili tremore & horribili fragore tertio concussa est, ita vt a fundamentis euerti videretur, & monachi cum famulis, qui apud illum excubabant, intolerabili perculsi timore, cellæq. ruinam formidantes aufugere percuperent. At illos vir Dei verbis consolans, hortabatur, vt se quieti darent, certe nihil ipsos incommodi esse passuros. Ait autem ad eum Euerolphus presbyter: Domine mi, terra contremiscit, cella colliditur, ostium a me iam tertio obseratum patescit, turbarum murmure locus circumsonat, & quomodonam inter tot terrores nos possumus somnum capere? Respondit vir Dei: ne paueas dilecte frater, sunt enim hæc omnia diuinæ maiestatis signa. Porro post paulum dicam tibi, quæ vis cellam quassauerit, & hunc terræmotum effecerit. Proximo inde sabbato sentiens mortem imminere, dixit Fratribus: Parate iam funeri necessaria, nam sub noctis initium decedam, vt mihi Dominus, cui pro viribus seruire conatus sum, hesterna nocte reuela- E

Universidad de Deusto
Biblioteca

TRINA TERRAE CONCVSSIO CVR ACCIDERIT.

uit, cum ille terræmotus, & aeris concussio fragorem cellæ excitaret. Sub prima A enim quassatione beatus Petrus Apostolus ad me venit, significans mihi peccata remissa, & vitæ ianuam patere: aderat beatorum frequens cœtus, laudes diuinas continenter modulantium. Sub altera quassatione cum multis angelicis spiritibus sanctus Michael me inuisit, pollicens se duce, me ad beatam vitam ingressurum. Tertia concussione affuit Domina nostra veræ misericordiæ Mater, multis stipata sanctarũ virginum agminibus, benignissima me voce certiorem efficiens de anima mea inter Assumptionis eius gaudia in cælos transferenda] hæc de terræmotibus, quos in exitu nonnullorum aliorum Sanctorum accidisse simili ex causa tum sanctus Gregorius, tum Vranius in exitu sancti Pauli Nolani Episcopi, & alij plerique de alijs fidem fecerunt. Quomodo autem post hæc sacro oleo inungi, sacramq. Eucharistiam percipere, superq. cinerem & cilicium ex antiquis Ecclesiæ ritibus poni voluit, cum & sic in Domino quieuit: idem auctor pluribus est prosecutus. sed hæc satis ad institutum.

VVILLELMI PRIMI REG. ANGL. POENITENTIA ET OBITVS.

Eodem quoque anno Guillelmus Primus Rex Angliæ, de quo sæpe superius, quinto Idus Septembris ex hac vita migrauit, pœnitens peccatorum, quibus diuinam in se vindictam prouocauerat, cum regnasset annos viginti, mensibus decem, & dies vigintiocto. Cum proxime in regnum Francorum grassatus in odium Philippi Regis, nec pepercit ecclesijs, quæ repertæ sunt in Madantensium ciuitate, quã incendio concremauit. Quo facto mox offensum numen sensit vltorem, illum acerbissimo dolore ad obitum vsque conficiens. Quo audito *per medicos nuntio* (inquit [a] Vuillelmus ceteris sicut antiquitate ita & veritate præstantior) querimonia domũ repleuit, quod cum præoccuparet mors, emendationem vitæ iamdudum meditantem. Resumpro animo, quæ Christiani sunt, executus est in confessione & viatico] hæc ipse, qui primo hæc de eius vitæ institutis: In primis, inquit, Dei famulis humilis, subiectis facilis, in rebelles inexorabilis erat. Religionem Christianam (quantum sæcularis poterat) ita frequentabat, vt quotidie Missæ assisteret, vespertinos & matutinos hymnos audiret &c.] subijcit de monasterijs ab eo erectis, & monastica disciplina optime culta, & alijs.

[a] *Vuillel. lib. 3. rerum Angl.*

B

C

Sed quod ab eodem nuper audisti, eumdem Regem per medicos responso mortis accepto, querimonia domum replesse, quod eum iamdudum meditantẽ vitæ emendationem mors præoccuparet: scias eamdem ipsius querimoniam ab eo qui aderat, scriptis fuisse mandatã, vna cum ijs quæ secuta sunt vsque ad conditum corpus sepulturæ in monasterio Cadomensi, ibiq. eamdem hactenus asseruatam; cusam vero nuper vna cum alijs rerum Anglicarum Scriptoribus Francofurti anno Domini millesimo sexcentesimoprimo. ex qua aliqua notanda magis hic describenda curauimus, quibus tanti Regis pietas innotescat, qui ex abundantia cordis, exuberante intrinsecus contritione, parum habuit peccata sua (quod fecit) secreta confessione ex præcepto Ecclesiæ ostendere sacerdori; sed eadem cunctis qui aderant, audientibus voluit propalasse, & quidem non solum, quæ nuper ecclesiarum incendio publice perpetrasset, quorũ causa ea tunc pati commeruisset; sed quæ adhuc impubes (incipiens a pueritia) deliquisset, cum primum post confessionem a satisfactione sic incœpisset. nam auctor hæc tunc de ipso:

D

Verum sapiens heros in futurum sibi, multisq. commoda facere non distulit: omnesq. thesauros suos ecclesijs & pauperibus, Deiq. ministris distribui præcepit. Quantum vero singulis dari voluit, calide taxauit, & coram se describi a Notarijs imperauit. Clero quoque Madantensi supplex ingentia dona misit, vt inde restaurarentur ecclesiæ, quas combusserat. De fide & iustitia seruanda, de lege Dei & pace tenenda, de priuilegijs ecclesiarum & statutis Patrum obseruandis omnes qui præsentes erant, admonuit. & allocutionem per eum memoria dignam, admixtis interdum lacrymis, eloquenter sic edidit] cum peccatorum memoria deficiens, spem suam in piorum precibus collocaret:

E

VVILLELMI REGIS PVBLICA CONFESSIO PECCATORVM

Multis, inquit, o amici, grauibusq. peccatis onustus contremisco. Et mox ad tremendum Dei examen rapiendus, quid faciam, ignoro. In armis enim ab infantia nutritus sum, & multi sanguinis effusione admodum pollutus sum. Nullatenus enumerare possum mala quæ feci per sexagintaquatuor annos, quibus in hac ærumnosa vita vixi; pro quibus absque mora rationem reddere nunc cogor æquissimo Iudici.

Dum

A Dum pater meus &c.] exorditur enim sua fiere delicta ab eo tempore, quo adhuc impubes moderandum Northmanniæ Ducatum accepit: post hæc autem, eo quo sunt gesta ordine, recensitis, conuersus ad eos, qui aderant sacerdotes sic locutus: Vnde vos o sacerdotes & ministri Christi suppliciter obsecro, vt orationibus vestris me commendetis omnipotenti Deo, vt peccata, quibus admodum premor, ipse remittat, & per suam insatigabilem clementiam inter suos me saluũ faciat. Thesauros quoque meos iubeo dari ecclesijs & pauperibus, vt quæ congesta sunt ex facinoribus, dispergantur in sanctis Sanctorum vsibus. Debetis enim recolere, quam dulciter vos amaui, & quam fortiter contra omnes æmulos defensaui Ecclesiam: Dei matrem scilicet *naturam, numquam violaui, sed vbique (vt ratio exegit) desideranter honoraui: ecclesiasticas dignitates non venumdedi, simoniam detestatus semper refutaui. In electione personarum vitæ meritum & sapientiæ doctrinam inuestigaui, & quantum in me fuit, omnium dignissimo ecclesiæ regimen commendaui. Hoc nimirum probari potest veraciter in Lanfranco Cantuariensium Archipræsule, hoc in Anselmo Beccensium Abbate, hoc in Gerberto Fontanellensi, & Durando Troarnensi, & in alijs multis regni mei doctoribus, quorum celebris laus personat in vltimis, vt credo, terræ finibus. Tales socios ad colloquium elegi, in horum contubernio veritatem & sapientiam inueni, ideoq. semper gaudens optabam eorum consilijs perfrui. * natura

B

Nouem Abbatiæ monachorum & vna sanctimonialium, quæ a patribus meis in Northmannia fundatæ sunt, me adiuuante cum auxilio Dei creuerunt, & gloriose multarum augmentis rerum quas dedi, magnificatæ sunt. Deinde Ducatus mei tempore decem & septem monachorum, atque sanctimonialium sex cœnobia constructa

C

sunt, vbi magnum seruitium & plures eleemosynæ, pro summi Regis amore quotidie fiunt. Huiusmodi castris munita est Northmannia, & in his discunt terrigenæ præliari contra dæmones & carnis vitia. Horum quippe aut ego, inspirante Deo, fui conditor, aut fundator, feruidus adiutor & beneuolus incentor &c.] hæc & alia bona recolit, vt se ipsum depressum in spem violentus erigeret. Reddita ad postremum ratione, cur germanum suum Odonem Baiocensem Episcopum detentum in carcere dimitti noluisset: quomodo tandem ex hac vita decesserit, sic qui aderat auctor pergit:

Denique quinto Idus Septembris, feria quinta, iam Phœbo per orbem spargente clara radiorum spicula excitus Rex, sonum maioris signi audiuit in metropolitana basilica. Percontante eo, quid sonaret: responderunt ministri: Domine, hora prima iam pulsatur in ecclesia sanctæ Mariæ. Tunc Rex cum summa deuotione oculos ad cælum erexit, & sursum manibus extensis dixit: DOMINAE MEAE S. GENITRIGI MARIAE ME COMMENDO, VT IPSA SVIS SANCTIS PRECIBVS ME RECONCILIET CHARISSIMO FILIO SVO DOMINO NOSTRO IESV CHRISTO. his dictis protinus expirauit. Archiatri autem & ceteri præsentes, qui Regem sine gemitu & clamore quiescentem tota nocte seruauerũt, & nunc ex insperato sic eum mox migrasse viderunt, vehementer attoniti & velut amentes effecti sunt. Porro ditiores ex his ilico ascensis equis recesserunt, & ad sua tutanda properauerunt. Inferiores vero clientuli vt magistros sic se subduxisse prospexerunt, arma, vasa, vestes & linteamina, omnemq. regiam supellectilem rapuerunt, & relicto Regis cadauere pene nudo in area domus, aufugerunt. Cernite precor omnes qualis est mundana fides. Vnusquisque quæ potuit de apparatu regio, vt miluus rapuit, & confestim cum præda sua aufugit] &c. Facta sunt hæc Rothomagi, vbi Rex Deo vltimum spiritum reddidit.

D

RELIGIOSVS TRANSITVS VVILLELMI REGIS ANGL.

E

Inde vero corpus sepeliendum in Cadomense monasterium per Sequanam deducendum per clericos & monachos, qui sponte conuenerunt, misericorditer curatum narrat, empto loco sepulturæ ab Ascelino quodam, qui locum suum dicebat esse. Quodnam hoc permolestum sit secutum spectaculum, ita subijcit auctor: Porro dum corpus in sarcophagum mitteretur, & violenter, quia vas per imprudentiam cæmentariorum breue strictum erat, complicaretur, pinguissimus venter crepuit, & intolerabilis fætor circumastantes personas & reliquum vulgus impleuit. Fumus thuris aliorumq. aromatum de thuribulis copiose ascendebat, sed tæterrimum putorem excludere non præualebat. Sacerdotes itaque festinabant exequias perficere, & actutum sua cum pauore mapalia repetere] hactenus de funere funesto satis. Ecce subtiliter

SPECIMEN HVMANAE MISERIAE.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tiliter inuestigaui (subdit idem auctor) & veraciter enucleaui, quæ in lapsum Ducis A
Northmanniæ præostendit dispositio Dei. Non fictilem tragœdiam venumdo, non loquaci comœdia cachinnantibus parasitis fauco: sed studiosis Lectoribus varios euentus veraciter intimo. Inter prospera patuerunt aduersa, vt terrerentur terrigenarum corda. Rex quondam potens & bellicosus, multisq. populis per plures prouincias metuendus, in area iacuit nudus, & a suis, quos genuerat, vel aluerat, destitutus. Aere alieno in funebri cultu indiguit, ope gregarij, pro sandapila & vespillonibus conducendis eguit, qui tot hactenus & superfluis opibus nimis abundauit &c.] hæc & alia auctor, quem vidimus, relinquens tanto exemplo optime philosophandi efficacissimum argumentum.

At licet pœnitenti Regi Deus (vt pie credendum est) culpam peccatorum dimiserit, pœnam autem est prosequutus in filios atque nepotem peccati illius, de quo ista B
Vuillelmus: Locus est (inquit) quem Vuillelmus pater hic, de quo agimus, desertis villis, subrutis ecclesijs, per triginta & eo amplius milliaria in saltus & lustra ferarum redegerat, infando prorsus spectaculo, vt vbi ante vel humana conuersatio, vel diuina veneratio feruebat, nunc ibi cerui & capreoli & ceteræ illud genus bestiæ petulanter discursitent, nec illæ quidem mortalium vsibus communiter expositæ] cuius rei causa primo Richardum filium ceruos ibi venantem ex tabido aere incurrisse morbū tradit, quo & defunctus est. hæc viuente patre. Post obitum vero ipsius Regis, quæ ibidem secuta sint portentosa funera, sic idem auctor enarrat: Pro vero asseritur, quod in eadem silua Vuillelmus filius eius, qui ipsi successit in regnum, & nepos Richardi filius Roberti Comitis Northmanniæ mortem offenderint, seuero Dei iudicio, ille sagitta pectus (vt suo loco pluribus dicetur inferius) iste collum traiectus, C
vel vt quidam dicunt, arboris ramusculo, equo pertranseunte, fauces appensus] hæc ipse. at de his modo satis. successit autem in paternum regnum Vuillelmus eiusdem filius, cognomento Rufus, de quo inferius sæpe dicendum occasione sancti Anselmi successoris Lanfranci in Cantuariensem ecclesiam.

DIRA VINDICTA OB ECCL. IN SALTVM CONVERSAS.

IESV CHRISTI ANNVS 1088. VRBANI II. PAP. ANNVS 1. HENRICI III. IMP. 5. ALEXII COMNENI IMP. 8.

OCTOGESIMVS octauus post millesimum annus, vndecima Indictione sequitur ordine, quo solemni ritu Tarracinæ IV. Idus Martij Vrbanus Papa Secun- D
dus creatur ex Ottone Episcopo Ostiensi, monacho Cluniacensi. Hæc autem omnia quomodo se habuerint, [a] Petrus diaconus Cassinensis, qui auctarium appposuit ad Leonem Ostiensem in Chronico Cassinensi, sic narrat: Defuncto iam memorato Pontifice Victore, mœror ingens & desperatio Catholicos inuasit. Prædictis igitur Episcopis huc illucq. dispersis, frequentes vndique nuntij tam Romanorum, quam aliarum gentium & Comitissæ Mathildis monebant ipsos Episcopos, & hortabantur, vt conuenientes in vnum eligerent, qui Romanam Ecclesiam regeret, caput Ecclesiæ constituere satagerent, membra Dei auxilio non defutura. Facile, si pastore careret Ecclesia Dei, confundi omnia & ruere. Congregati rursus Episcopi vna cum Abbate nostro Oderisio, Romanos clericos & laicos fideles litteris admonent, vt qui ex eis E
possent prima Quadragesimæ hebdomada Tarracinam pergerent, reliqui sententiam suam per litteras mitterent. Itidem & omnes per Campaniam, Principatum, & Apuliam Episcopos & Abbates, vt ad eum locum, ad eam diem conuenirent, litteris admonuerunt, qui non possent, consensum suum per litteras, aut certe per idoneas personas aperirent.

a Chron. Cass. lib. 4. c. 2.

TARRACINAE CONVENTVS PRO CREATIONE PAPAE INDICITVR.

Quarta igitur feria primæ hebdomadæ Quadragesimæ, idest octauo Idus Martij, conuenerunt apud Tarracinam Campaniæ oppidum cum Episcopis & Cardinalibus nostroq. Abbate Oderisio Episcopi & Abbates ex diuersis regionibus numero quadraginta. Ex Vrbe vero Romana Ioannes Portuensis omnium Cardinalium & Catholicorum Catholicæ partis caput, Benedictus vero Præfectus omnium laicorum fidelium consensum per litteras attulerunt. ex remotioribus quoque & Vltramontanis partibus Legati affuerunt vna cum Mathildæ Comitissæ Nuntijs, orantes vt reformandæ

A mandæ Ecclesiæ cum auxilio & gratia sancti Spiritus mature operam darent, vt lætos nuntios ad suos referre possent. Postera igitur die conuenerunt in ecclesia beati Petri Apostoli & S. Cæsarij diaconi in Episcopio ipsius ciuitatis. Et cum resedissent, Tusculanus Episcopus in medium surgens, cuncta per ordinem retulit, quæ de ordinatione Ecclesiæ & Gregorius primo, & postmodum Victor Papa mandasset, cur etiam tunc ipsi eo conueniissent.

Dehinc Portuensis Episcopus surgens, vna cum Benedicto Præfecto, Cleri, populiq. Romani sententiam aperuerunt, vt quem omnes vnanimiter eligerent, ipsi in Apostolica Sede susciperent. Quod cum Abbas noster & Capuanus Archiepiscopus, cunctiq. qui aderant, approbassent: omnipotentem Deum, vt miseriam & afflictionem Ecclesiæ suæ iam tandem dignaretur aspicere, multis precibus implorantes, statue- CREATIO VRBANI II.
B runt, vt per illud triduum spirituale ieiunium fieret in abstinentia, orationibus & eleemosynis vacarent, peterentq. vt persona tanto apici idonea sibi diuinitus ostenderetur. Dominico igitur die, summo mane in eamdem ecclesiam cuncti conueniunt: & cum inter se hac de re multa conferrent: exurgentes tres Episcopi Cardinales, qui Concilio præerant, Portuensis, Tusculanus, Albanensis, ambonem conscendunt, factoq. silentio, vno simul ore pronuntiant, Ottonem Episcopum Pontificem Romanum iudicio suo eligendum. Tunc omnes repente mirabili summaq. concordia, magnis vocibus, placere sibi, dignumq. esse Pontificali solio conclamant. Pronuntiante Albanensi Episcopo, placere sibi, Vrbanum illum appellari: ab omnibus rapitur, & lanea exutus veste, purpuream induit cappam. Et cum acclamatione & inuocatione sancti Spiritus ad altare beati Petri Apostoli pertrahitur, & in Pontificali solio collocatur quarto
C Idus Martij. Sicq. Missa solemniter ab eodem Pontifice celebrata, gaudentes omnes, & Deo gratias agentes, in sua redierunt.] sed hæc hactenus Petrus. Ad hæc Bertholdus hoc anno: *Vrbanus* statim insequenti die, missis litteris omnibus Catholicis, & suam ordinationem omnibus declarauit, & se in omnibus vestigia sui prædecessoris piæ memoriæ Gregorij Papæ obseruaturum denuntiauit] desunt eiusmodi litteræ, caremus enim eiusdem Vrbani Papæ epistolarum Registro, quod a Leone Ostiensi scimus fuisse elaboratum; ob idq. nobis maiori labore res ab eo gestæ inuestigandæ relinquuntur, atque annis singulis coaptandæ. Idem enim Petrus [a] in libro, quem scripsit de viris illustribus monasterij Cassinensis, de his quæ spectant ad epistolas Vrbani Papæ, hæc habet: Leo Romanæ Ecclesiæ diaconus Cardinalis Cassinensis cœnobij monachus insignis studio eloquentiæ scripsit ex nomine Vrbani Papæ compluD
res epistolas, fecit & Registrum eius] sed (vt diximus) caremus eo.

a Petr. diac. de vir. illustr. c. 31.

Quomodo autem Vrbanus Papa Tarracina Cassinum veniens post dies duodecim, a sancto Benedicto sanatus sit morbo, idem qui supra Petrus in Appendice ad Leonem sic narrat: [b] His diebus Vrbanus Papa cum ad monasterium venisset: consuetudinario sibi dolore lateris grauissime vexari cœpit. Itaque dum in vigilijs sancti Patris Benedicti, *nempe decimotertio Kal. Aprilis*, eodem languore cruciaretur, & de præsentia corporis ipsius dubitaret: eidem Sanctus per visum apparens: Cur, inquit, de mei corporis præsentia dubitas? Ad quem ille: Tu quis es? Ego, inquit, sum Frater Benedictus. Ne autem vltra hinc dubites, & me hic requiescere certissime noueris: cum primo Fratres ad nocturnam synaxim surrexerint, statim a lateris dolore liber eris.
E & his dictis euanuit. Hora igitur constituta sanus effectus, Oderisium Abbatem vocat, exponit scrupulum, panditq. miraculum. Surgamus, inquiens, & gratias Deo referamus. & his dictis, quæ sibi pater Benedictus reserarat, aperuit. Incredibile continuo oritur omnium gaudium, ac de tanti Pontificis sanitate, tanto miraculo, taliq. visione consummata, vberes Deo cum lacrymis gratias referunt] hæc Petrus.

b Chron. Cass. lib. 4. c. 3.

VRBANVS PAP. A S. BENEDICTO SANATVR.

Porro de re tanta editum habetur diploma Vrbani Papæ, quo infertur anathema aduersus eos, qui corpus sancti Benedicti in Cassino monte non esse negarent, in quo & enarrata historia copiosius recensetur. Verum (vt verum fatear) non leuia de impostura signa continet, vtpote quod cum huiusmodi factum contigisse dicatur hoc anno, nempe ante Troianum Concilium, quod sequenti anno celebratum constat; diploma tamen Vrbani datū anno nono eius Pontificatus legitur in fine ipsius, quo non Capuæ, vbi diploma datum habetur, sed in Gallijs eumdem Pontificem in Concilijs celebrandis immoratum esse, Bertholdus Constantiensis eius temporis Scriptor ac-

Universidad de Deusto
Biblioteca

curatissimus, & alij omnes docent. Præterea nulla quoque cohærentia in alijs sibi appositis temporum notis vllatenus reperitur, dum ibi in fine sic legitur: Dat. Capuæ Kal. Aprilis per manus Ioannis Cardinalis, Indictione decimatertia, anno Domini millesimo nonagesimotertio, Pontificatus vero domini Vrbani Papæ Secundi anno nono.] At tempore illo anni Redemptoris nonagesimitertij, non Indictio decimatertia, sed prima numeratur, nec Vrbani Papæ annus nonus, sed sextus ordine ponitur. His accedit, quod si ab Vrbano Papa eiusmodi fuisset diuulgatum diploma: quomodo Petrus venerabilis Cluniacensis Abbas decretorum Romanorum Pontificum obseruantissimus paulo post hæc, sacrum hymnum canendum edidisset de translatione sancti Benedicti in Gallias, vbi & miraculis coruscare testatur? sed satis hæc: etsi sciamus concitari in nos odium monachorum; sed præstat anteferre omni humano respectui veritatem.

a Pet. lib. 5. ep. 23.

Cassini cum esset Vrbanus Papa, Rogerius & Boamundus visitarunt eum vna cum alijs suis Comitibus & Baronibus, & cum eis Vrso Abbas Bantini monasterij, quorum precibus rogatus in Apuliam se contulit vna cum ipsis ad dedicationem ecclesiæ sanctæ Mariæ eiusdem monasterij Bantini, qua a se dedicata idem Vrbanus Papa muniuit ipsum monasterium huiuscemodi priuilegio:

VRBANVS ECCLESIAM DEDICAT ET PRIVILEGIO MVNIT.

Vrbanus Episcopus seruus seruorum Dei vniuersitati Christifidelium notum in perpetuum.

Diuinæ miserationis intuitu, cuius munere licet immeriti, Catholicæ Ecclesiæ præsidemus, & vniuersæ Fidelium potestates consistunt: condecet Apostolicæ Sedis piam sollicitudinem, & benignam Principum magnificentiam ecclesiarum debitam curam gerere, & pro earum pace & quiete, cum omni diligentia misericorditer insudare; quatenus id diuina operante clementia, quique iura sua æquo moderamine possidentes, Prælati simul & subditi pariter attingere valeant ad promissa Fidelibus gaudia sempiterna. Nos itaque in Cassino monte filiorum nostrorum Rogerij Ducis, & Boamundi fratris eius, & Vrsonis Abbatis precum instantia fatigati, cum multitudine confratrum nostrorum Episcoporum ad consecrandum Bantinum monasterium in honore Dei Genitricis constructum, eadem auxiliante peruenimus: cumq. opitulatione Domini consecrationibus eius nostris deuotis manibus rite peractis, eorumdem virorum illustrium, & suorum Comitum, & Baronum interuentionibus pijs, ad summam eiusdem libertatem, securitatem & pacem a monasterio ipso & ecclesijs eius, & rebus ac locis omnibus suis habitis & habendis omnia Episcopalia iura, & publicas omnes exactiones Apostolica auctoritate generali perpetua constitutione exclusimus. Attamen a sola tantum Acherontina ecclesia sanctæ Anastasiæ intra muros ciuitatis constructa Acherontino Archiepiscopo annis singulis vnam auri vnciam suscipere indulgemus.

Hæc interea irrefragabiliter statuentes, vt chrisma, oleum sanctum, consecrationes altarium, seu basilicarum, ordinationes clericorum suorum, & cetera spiritualia sacramenta ab Episcopis diœcesanis, vel quibuscumque Catholicis Bantini monasterij Fratres accipiant, qui mandato Apostolicæ Sedis & auctoritate suffulti, faueant, & eisdem petentibus Fratribus eadem sacramenta gratis, & sine aliqua prauitate exhibeant. Insuper autem beati Petri Apostolorum principis auctoritate sancimus, vt omnes cuiuscumque conditionis homines clericos & laicos, qui in morte, vel vita ad præscriptum monasterium & ecclesias eius, & loca cum rebus suis transire, aut in suis domibus commorãtes quæliber bona temporalia sua eleemosynarum largitione conferre voluerint: nullius cõtradictio inhibeat, & ijsdẽ quæcumque contulerint, patrocinio Apostolicæ Sedis ijdem Fratres quiete, & generaliter libera perpetuo possidebũt.

Decernimus etiam, vt nulli omnino hominum sint, qui præfatum monasterium temere perturbare, aut eius possessiones auferre, minuere, vel ablatas retinere, seu quibuslibet vexationibus fatigare*, omni titulo super ea re quarumlibet oppositionũ semper excluso. Indulgemus autem eis hæc omnia Apostolicæ Sedis paterna pietate, inducti & confratrum nostrorum discreto consilio, & prædictorum virorum nobilium strenuo interuentu, & quia monasterium ipsum post introitum Northmannorũ cum intrinseca sui expoliatione, & locorum suorum miserabili depopulatione cum sacrilegis vsurpationibus Episcoporum innumera lugenda detrimenta, & indigna sustinuit,

* deest f. audeant

A nuit, quæ breuiatim in priuilegio Comitis Amici notantur. Talibus ergo rationibus apertis commota viscera pietatis Apostolicæ Sedis, monasterium idem cum rebus omnibus suis habitis & habendis, tamquam beati Petri possessionem, cuius est & ius & proprietas, a iuribus vniuersis, atque seruitijs cuiuslibet dignitatis, vel ordinis omnium hominum anathematis gladio digne subtrahunt & defendunt. Ad indicium autem perceptæ huius a Romana Ecclesia libertatis per annos singulos auri vnciam nobis nostrisq. successoribus eiusdem monasterij Abbates persoluent.

Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ Constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentauerit; secundo tertiove commonita, nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis honorisq. sui dignitate careat, reamq. se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat; & a
B sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri IESV Christi aliena fiat; atque in extremo examine diuinæ vltioni subiaceat. Cunctis autem eidem sua iura seruantibus sit pax Domini nostri IESV Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen. Amen.] Sequebantur ista subscriptiones atque sigilla. Porro Pontificium signum, in quo Apostolorum nomina, & a tergo imagines plumbo fusæ habentur, cum eiusmodi in extimo circulo inscriptione legitur: BENEDICTVS DEVS ET PATER DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI.]

Hoc eodem anno ab eodem Vrbano Papa concessus est Primatus ecclesiæ Toletanæ: de quo hæ ad Bernardum Archiepiscopũ vna cum pallio datæ habentur litteræ:

a Ex collect. Concil. Hispan. per Gar. Loais.

VRBANI PAP. AD BERNARDVM ARCHIEPISC. TOLETEPIST.

C Vrbanus Episcopus seruus seruorum Dei reuerendissimo fratri Bernardo Archiepiscopo Toletano eiusq. successoribus in perpetuum.

Cunctis Sanctorum decretales scientibus institutiones liquet, quanta Toletanæ ecclesiæ dignitas fuerit ex antiquo, & quantæ in Hispanis & Gallicis regionibus auctoritatis extiterit, quantæq, per eam in ecclesiasticis negotijs vtilitates acreuerint. Sed peccato populi in latitudine promerente, a Sarracenis eadem ciuitas capta, & ad nihilum Christianæ religionis illic libertas redacta est, adeo vt per annos trecentos pene septuaginta, nulla illic viguerit Christiani pontificij dignitas. Nostris autem temporibus, diuina populum suum respiciente clementia, studio * Ildephonsi gloriosissimi Regis, labore populi Christiani, Sarracenis expulsis, Christianorum viribus Toletana ciuitas est restituta. Igitur voluntate & consensu vnanimi comprouincialium populorum, pontificum atque Principum & Ildephonsi excellentis Regis, te, frater
D charissime Bernarde, primum illius vrbis post tanta tempora Præsulem eligi diuinæ placuit examini maiestatis. Et nos ergo miserationi supernæ gratiæ respondentes, quia per tanta terrarum, mariumq. discrimina Romanæ auctoritate Ecclesiæ supplici ter expetisti auctoritatem Christianam Toletanæ ecclesiæ restituere, non negaremus: gaudemus, & etiam corde lætissimo magnas, vt decet, Deo gratias agimus, quod tantam nostris temporibus dignatus est Christiano populo donare victoriam, statumq. eiusdem vrbis, quoad nostras etiam facultates, stabilire atque augere, ipso adiuuante, peroptamus. Tamen beneuolentia Romanæ Ecclesiæ, solita & digna Toletanæ ecclesiæ reuerentia, tum charissimi filij nostri præstantissimi Regis Ildephonsi precibus inuitati, pallium tibi frater venerabilis Bernarde ex Apostolorum Petri & Pauli benedictione contradimus, plenitudinem scilicet omnis sacerdotalis dignitatis,
E teq. secundum quod eiusdem vrbis antiquitus constat extitisse * esse pontifices, & in totis Hispaniarum regnis Primatem priuilegij nostri sanctione statuimus &c. Primatem te vniuersi Præsules Hispaniarum respiciant, & ad te, si quid inter eos quæstione dignum exortum fuerit, referent, salua tamen ratione, Ecclesiæ auctoritate, & Metropolitanorum priuilegijs singulorum. Toletanam ergo ecclesiam iure perpetuo tibi tuisque, si diuina præstiterit gratia, successoribus canonicis tenore huius priuilegij confirmamus &c. Dat. * Amginæ per manus Ioannis diaconi sanctæ Romanæ Ecclesiæ & præsignatoris domini Vrbani Secundi Papæ, Idibus Octobris, anno Dominicæ Incarnationis millesimo octogesimooctauo Indictione vndecima, anno Pontificatus domini Vrbani primo] hæc ex collectione Conciliorum Hisp. diligentia Garsiæ Loaisæ. Aliud recitatur ab eodem diploma ad Archiepiscopum Tarraconensem eodem argumento datum ab eodem Vrbano Papa.

* Alphonsi

* f. abundat

* Anagniæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quod ad res Germaniæ spectat, de schismaticorum Episcoporum pœnitentia Bertholdus hæc narrat: Eodem tempore quidam Guiberti hæresiarchæ discipulus, videlicet Vuormatiensis pseudoepiscopus, qui illam sedem per schismaticos, non consecratus, sed execratus inuasit; tandem resipiscens, & ad Catholicam Ecclesiam rediens, Episcopatum dimisit, seq. ad pœnitentiam in Hirsaugiensi monasterio contradidit. sic vtique ante triennium & alius eiusdē Guiberti discipulus, Metensis inquam pseudoepiscopus, pœnitentia ductus Episcopatum dimisit; quem statim Bruno, cuius superius mentionem fecimus, non minus sacrilege inuasit: nam per schismaticos intrauit, viuente adhuc legitimo illius sedis pastore Herimanno, qui potius in captione detineri, quam in schismate pro Episcopo honorari delegit] Decessisse hoc anno Vucelonem Moguntinum & Meginhardum Vuirceburgensem Episcopos antesignanos schismaticorum idem auctor affirmat. Sed & hoc anno ex hac vita migrasse Hermannum Regem Catholicum, cum Saxonibus rebellantibus in Thuringiam recessisset. Succedit Eggebertus, qui Saxones rursum in Henricum rebellare suasit.

OBITVS BERENGARII ANDEGAVENSIS.

Hoc [a] anno, die Epiphaniæ (vt eius epitaphium habet) Berengarius carios[us] hæresiarcha sæpe falsa pœnitentia eludens Ecclesiam, ex hac vita migrauit. scripsit illud, sed cum non adhuc Cenomanensis Episcopus esset, Hildebertus, quo significasse visus est, ipsum in Ecclesia Catholica esse defunctum, cum Catholicus homo ad eius tumulum honorificum adeo epitaphium scripserit: sed plane longe glorios[ius], quam conditio hominis toties lapsi, ac nefandissimi hæresiarchæ ferret, vtpote qui vix laica communione in exitu magna misericordia dignus haberi potuisset. cum præsertim etiam his temporibus qui vixit, Lanfrancus Cantuariensis Archiepiscopus, de ipso multa habeat indigna Catholico homine, vt apparet ex eius epistola, quam inferius reddituri sumus, & Petrus Cluniacensis Abbas his temporibus proximus de ipso cum agit in epistola contra Petrobussianos, cum detestatione atque improperio eius meminit. Interea autem audi epitaphium, quod recitat Vuillelmus [b] Malmesburiensis in rebus Anglicanis, his verbis:

[a] Papir. Mass. Annal. Franc. lib. 3.

[b] Vuillelm. lib. 3.

EPITAPHIVM BERENGARII INDECENS IPSI.

Quem modo miratur, semperq. mirabitur orbis,
Ille Berengarius non obiturus, obit.
Quem sacræ fidei fastigia summa tenentem
*Iani *sexta dies, abstulit ausa nefas.*
Illa dies damnosa dies, & perfida mundo,
*Qua * dolor, & rerum summa ruina fuit.*
Qua status ecclesiæ, qua spes, qua gloria Cleri,
Qua cultor iuris, iure ruente, ruit.
Quidquid Philosophi, quidquid cecinere Poetæ
Ingenio cesit, eloquioq. suo.
Sanctior, & maior sapientia maius adorta
Impleuit sacrum pectus & ora Deo.
Pectus eam voluit, vox protulit, actio prompsit,
Singula factori sic studuere suo.
Vir sacer & sapiens, cui nomen crescit in horas,
Quo minor est quisquis maximus est hominum.
*Qui *census peperit, partos seruauit honores,*
Cui potior pauper diuite, insq. lucro.
Cui nec desidiam, nec luxum res dedit ampla,
Nec tumidum fecit multus & altus honor.
Qui nec ad argentum, nec ad aurum lumina flexit,
Sed doluit quoties cui daret, hæc aberant.
Qui non cessauit inopum fulcire ruinas
Donec inops dando pauper & ipse fuit.
Cuius cura sequi naturam, legibus vti,
Et mentem vitijs, ora negare dolis.
Virtutes opibus, verum præponere falso,
Nil vacuum sensu dicere, nil facere.
Lædere nec quemquam, cunctis prodesse, fauorem

* al. prima

* al. decus & rerum firma.

* al. sensus

Et populare lucrum pellere mente, manu.
Cui vestis textura rudis, cui non fuit vmquam
Ante sitim potus, nec cibus ante famem.
Quem pudor hospitium statuit sibi, quamq. libido
Incestos superat, tam superauit eam.
Quem natura parens, cum mundo contulit, inquit,
Degenerant alij, nascitur iste mihi.
Quæq. vagabatur, & pene reliquerat orbem
Inclusit sacro pectore Iustitiam.
Vir sacer a puero, qui quantum præminet orbi
Fama, tam famæ præminet ipse suæ.
Fama minor meritis, cum totum peruolat orbem
Cum semper crescat, non erit æqua tamen.
Vir pius atque grauis, vir sic in vtroque modestus,
Liuor vt in neutro rodere possit eum.
Liuor enim deflet, quem carpserat antea, nec tam
Carpsit & odit eum, quem modo laudat, amat.
Quam prius ex vita, tam nunc ex morte gemiscit,
Et queritur celeres huius abisse dies.
Vir vere sapiens & parte beatus ab omni
Qui cælos anima, corpore ditat humum.
Post obitum viuam secum, secum requiescam
Nec fiat melior sors mea, sorte sua] hactenus Hildebertus luxurians, ceu vitis in pampinis, fructu carens veritatis poetico luxu. subijcit vero ista Vuillelmus: Videas in his versibus, quod laudis excessit modum Episcopus] & paulo post: Berengarius plane quamuis ipse sententiam correxerit: omnes tamen quos ex totis terris deprauauerat, conuertere nequiuit. Adeo pessimum est, alios exemplo vel verbo a bono infirmare, quia fortassis peccatum te grauabit alienum, cum deletum fuerit tuum] ac rursus inferius: Quin & ipso die Epiphaniorum moriens, gemituq. producto recordatus, quod miseros quosdam adolescentes primo ætatis flore secta sua infecerit: Hodie, inquit, in die Apparitionis suæ apparebit mihi Dominus meus IESVS Christus propter pœnitentiam, vt spero, ad gloriam, vel propter alios, vt timeo, ad pœnam.]

IN LAVDEM IVS HILDEBERTVS.

Porro qui laudes eius scripsit Hildebertus (vt dictum est) nondum erat Episcopus, sed tantum Archidiaconus, & vita plane solutior, vt apparet ex [a] epistola Iuonis Carnotensis Episcopi ad eum scripta, cum fuit electus Episcopus, quam hic describendam duximus, sic enim se habet:

[a] Iuo. ep. 279.

Iuo humilis Carnotensis ecclesiæ minister Hildeberto Cenomanensis ecclesiæ electo sinceræ dilectionis munus.

HILDEBERTVS QVALIS ANTE EPISCOPATVM

Quoniam secundum verba Sapientiæ, [b] meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula blandientis: moneo fraternitatem tuam, vt verba mea non grauiter accipias, licet aliquantum *. . . . mordacia, quoniam intendunt correctioni, non criminationi, purgationi non inuectioni. Placet equidem mihi temporalis tua prouectio, si non sit ab æternitate deiectio, si non illud Psalmistæ [c] in te impleatur: Deiecisti eos dum alleuarentur. Audiui enim de te, quæ mihi sunt dolori & honori, quia si vera sunt, non poteris populo præbere regimen, sed augere discrimen. Dicunt enim quidam de maioribus Cenomanensis ecclesiæ, qui anteactam vitam tuam se nosse restantur, quod vltra modum laxaueris fræna pudicitiæ, in tantum vt post acceptum Archidiaconatum, accubante lateribus tuis plebe mulierc[u]larum, multam genueris plebem puerorum & puellarum. Tu autem nosti, quod probatæ debet esse castitatis, qui sublimatur ad fastigium curæ pastoralis, alioquin post sacrum ordinem lapsus, non solum non debet ad maiorem gradum conscendere, sed nec in eo, in quo lapsus est ordine, ministrare. Vnde beatus Gregorius scribit Ianuario Episcopo Calaritano: Qui post acceptum sacrum ordinem in peccatum carnis lapsus fuerit, sacro ordine ita careat, vt ad ministerium altaris vlterius non accedat. Nosti enim, quod qui in officium pastoris admittitur, pro peccatis populorum Deo supplicaturus, Dei & hominum mediator efficitur. Dicit enim beatus Gregorius in Moralibus: In grauibus

[b] Prou. 27.

* f. sint ipsa

[c] Psal. 72.

pecca-

Universidad de Deusto
Biblioteca

peccatis quis positus, dum suis premitur aliena, non diluit. Idem in Pastorali: Cunctis liquet, quia cum is qui displicet, ad intercedendum mittitur, proculdubio irati animus ad deteriora prouocatur. Addunt quoque huic calumniæ prætaxatæ personæ, quod nec earum consilio fueris electus, nec consensu. Quæ omnia si ita sunt, periculosa tibi sunt dilectissime frater, & infinitum laborem paritura. Vnde consule tibi secundum testimonium conscientiæ tuæ, vt vel honeste, & caute cœpta perficias, vel saluti tuæ consulens, sponte ipse deficias. Iucundus enim debet esse defectus, in quo salutis speratur effectus. Vale, & de me quantum de amico per omnia iusta & honesta confide] hæc Iuo ad Hildebertum, cuius promotio ad Episcopatum contigit sub Paschali Papa. Creatus autem Episcopus, eadē quæ Iuo, de indigno alio electo idem ipse sapere ac scribere reperitur. [a] Hæc autem de Hildeberto hic innotescenda fuere, ne Berengarius post tot criminum moles laudatus a laudato viro credatur, sed ab amico, potius amicitiæ gratia præconio habenas soluente. Quantum autem temporis Berengarius vixerit, ipsum quidem, si quis ex hoc Tomo Annaliū cuncta superius de ipso narrata recenseat, videbit prope nonagenarium decessisse summam Dei misericordiam consecutum, si post tot iteratos lapsus in hæresim a se damnatam, in Ecclesia Catholica vitæ periodum clausit.

[a] Hildeb. ep. 13

ABTAS BERENGARII.

Verum ex epistola Lanfranci Archiepiscopi Cantuariensis, quæ post hæc in manus nostras vna cum alijs eiusdem auctoris litteris venit, apparet hominem ceruicosum, nihil magis quam sanctis Patribus inurere notam studentem adhuc schismaticum extra Ecclesiam permansisse cum illam ipse scriberet, quæ sic se habet:

Lanfrancus Antistes Dilectissimis fratribus Ramaldo Pictauorum vrbis Abbati, & Sentuno monacho, & Henrico canonico salutem.

Lectis litteris a vestra mihi per hunc hominem fraternitate transmissis, voluntatem vestram intellexi, si facultas detur, ad me veniendi. Id commode fieri posse non arbitror. Nam & iter prolixum est, pericula multa terra marique, & ego tot tantisq. huius mundi negotijs obuolutus sum, vt talibus studijs dare mihi operam hac tempestate non liceat. Si diuina pietas expeditum me esse quandoque voluerit, & doceri pariter, & docere promptus semper mihi animus erit.

Porro quod schismaticus ille, * Berengerum dico, sicut vestra epistola testata est, constanter asserit, quia beatus Hilarius vestræ vrbis, vestræq. gentis quondam Episcopus, in tractatu Fidei peruersa senserit. Et in libro de diuina Trinitate improbabiles sententias de Domino IESV Christo protulit; mirari non debet beatitudo vestra, si is, qui de ipso capite tam multa, & tam nefanda credere, & docere verissimis relationibus infamatur, de ipsius capitis membro tam pernicioſa dicere, traditus in reprobum sensum, diuino iudicio permittatur. Re vera quisquis Hilario alicuius hæreseos notam imponit, multos Orthodoxos Patres, qui magnis eum laudibus extulerunt, eiusdem erroris macula inuoluit. Gelasius Papa in decretis suis omnes libros eius inter Catholicas scripturas enumerat. Eius auctoritas in sacris canonibus decentissime memoratur, recipitur, & laudatur. Sanctus Augustinus in libro de Trinitate excellenti eum laude extollit, & quædam ab eo de Patre, & Filio, & Spiritu sancto obscure dicta enucleatius exponit. Beatus Hieronymus quantis eum, omnesq. libros eius in quibusdam scriptis suis præconijs effert, epistolari breuitate comprehendi non potest, vocans eum Romanorum luciferum, ecclesiarum lucernam, lapidem pretiosum, ad quem mortalia vix ascendunt, pulchro sermone, aureoq. vniuersa loquentem. Reliqui sacræ religionis doctores, quicumque de eo aliquid loquuti sunt, ab horum sententia in hac parte minime dissenserunt. Tutius igitur est Lectori, in difficillimis sanctorum Patrum sententijs, quas ingenij sui imbecillitas capere non potest, interrogato quod nescit, dicere se nescire, quam pertinaci arrogantia, & arroganter pertinacia non sine sua, & aliorum pernicie Fidei contraria definire: præsertim si talis persona sit, quæ vel scientia litterarum, vel probitate morum, vel potius vtraque parte, auctoritatis pondus præ se gerere videatur. Verba præfati doctoris, quæ præfatus inuersor in eius calumniam conatur inuertere, hæc in vestris litteris reperi: Dei Filius hominem verum, secundum similitudinem nostri hominis, non deficiens a se Deo sumpsit, in quo quamuis aut ictus incideret, aut vulnus discinderet, afferrent quidem hæc impetum passionis, non tamen dolorem passionis inferrent; vt telum aliquod,

* Idem Berengerus, quod Berengarius

LOCVS S. HILARII ELVCIDATVS.

quod, aut aquam perforans, aut ignem compungens, aut aera vulnerans. Et paulo post: Virtus corporis sine sensu pœnæ vim pœnæ in se desæuientis excepit. Hæc, sine præiudicio melioris expositionis, consona, vt putamus, sanctis Patribus astipulatione, sic exponuntur a nobis. Dominus IESVS Christus in eadem persona verus homo, & verus Deus secundum humanitatem quidem esuriuit, sitiuit, fatigatus est, fleuit, appropinquante hora mortis pauere & tædere cœpit. vnde & orauit, dicens: Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste: plagas virgarum, vulnerumq. discissiones vt homo similis nobis sensit, & doluit, ceteraſq. humanæ naturæ infirmitates, assumendo hominem, præter peccatum, assumpsit: secundum diuinitatem vero, qua Patri & Spiritui sancto per omnia æqualis est, nihil horum sustinuit. Hoc velle approbare nihil attinet, cum apud omnes fideles hæc semper sit, fueritq. sententia, & sacra pagina huiusmodi documentis pene sit vbique referta. Et tamen propter vnitatem personæ, in quam conficiendam Deus & homo conuenerant, sæpe quæ hominis sunt, assignantur Deo, & quæ solius Dei sunt, dicitur habere homo. Vt illud Apostoli: [a] Si enim cognouissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent. Non enim re vera, quantum ad ipsum spectat, Dominus gloriæ est crucifixus, si propter assumptum hominem, quod hominis fuit, dicitur pertulisse Deus. Et ipse Dominus in Euangelio: [b] Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis, qui est in cælo. Et rursus id quod Dei erat homini est assignatum. Neque enim homo in terra degens, in cælo tunc esse poterat: sed quia vnigenitus Patris ita in mundum venit, vt tamen a paterno sinu numquam discederet, quod solius diuinitatis erat, loquens, in terra assumpto homini propter vnitatem personæ tribuebat. Hoc locutionis modo superius dictum est, quia homini assumpto a Filio Dei ictus & vulnera impetum passionis afferrent, non tamen dolorem passionis inferrent. Et hoc suppositis similitudinibus declaratur: vt si telum aquam perforet, & cetera, quæ sequuntur, ac si diceret: Homo assumptus impetum passionis, & vim doloris sensit, Deus assumens non sensit. & hoc paulo post declarat, dicens: Virtus corporis, idest diuinitas assumens ipsum corpus, sine sensu pœnæ, quantum ad ipsam pertinet, vim pœnæ in se, idest in carne assumpta desæuientis excepit. Quod si virtus corporis magis robur ipsius corporis hoc in loco intelligenda est, eadem sententia in ceteris manet, vt sit sensus: Virtus corporis sine sensu pœnæ, quantum ad assumentem diuinitatem, vim pœnæ in se desæuientis excepit, quantum ad assumptam humanitatem. & hoc locutionis genere re vera, & salua Christianæ religionis fide, dici potest, quia Christus, siue corpus Christi, siue caro Christi, in cruce patiebatur, & non patiebatur, dolebat, & non dolebat, moriebatur, & non moriebatur. & in hunc modum multa, numeroq. carentia. Alioquin si præfatus doctor contra vsitatissimam Ecclesiæ Fidem, contra Euangelicā auctoritatem, contra omnium sanctorum Patrum definitionem, carnem Christi insensibilem & doloris expertem intelligi voluisset, assumptum a Filio Dei hominem similem nobis hominem in prædicta sententia minime retulisset. Quæ enim similitudo sensibili, & insensibili? dolenti & doloris experti? Retulit autem, non igitur intelligi voluit. Obsecro vigilate omnibus modis, quia schismatici, & fautores eorum circa vos & inter vos sunt. Opponite eis scutum timoris Domini, impetentes eos faculis diuinorum eloquiorum. Adminiculamini nobis memores nostri in orationibus vestris. Omnipotens Dominus det vobis bene agere, & feliciter quo tenditis peruenire] hæc Lanfrancus de Berengario audacissimo ac mendacissimo, cum adhuc vna cum suis extra Catholicam Ecclesiam exularet.

[a] 1. Cor. 2.

[b] Ioan. 3.

VRBANVS PAP. AGIT PRO RESTITVENDA ECCLESIA MEDIOLAN.

Eodem tempore cum iam defuncto schismatico Archiepiscopo Mediolanensi in locum eius (vt dictum est suo loco) Anselmus Catholicus suffectus fuisset: Vrbanus Papa pro restituenda collapsa ecclesia Mediolanensi sollicitus collaborat, cuius ad Anselmum eumdem apud Iuonem [c] Rescriptum extat de reconciliatione lapsorum his verbis:

[c] Iuo p. 6. c. 408

Discretioni nostræ videtur, quatenus secundum præcepti nostri tenorem, quando secundum ecclesiæ vestræ morem sacros daturus quibuslibet alijs ordines, benedicere cœperis: eos quos tua duxerit solertia reconciliandos, inter benedicēdum, & manus imponendum facias interesse, quibus cetera omnia consecrationis instrumenta præter vn-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ter vnctionis explebis, & sic ad sancta ministeria reconciliabis] hæc Vrbanus ad Anselmum nauiter ad restituendam illam ecclesiam laborantem. A

IESV CHRISTI ANNVS 1089. VRBANI II. PAP. ANNVS 2. HENRICI III. IMP. 6. ALEXII COMNENI IMP. 9.

VRBAN. PAP. LEGATIONEM DECERNIT CONSTANTIENSI EPISC.

MILLESIMVS octogesimusnonus Christi annus, Indictione duodecima, sequitur ordine temporum, quo ab Vrbano Papa decernitur legatio in Germaniam Gebehardo Constantiensi Episcopo, de qua ista Bertholdus: Dominus Papa Vrbanus his temporibus, *anno scilicet præsenti*, Romæ in insula, quæ inter duos pontes sita est, morabatur, decretalemq. epistolam venerabili Gebehardo Constantiensi Episcopo decimoquarto Kal. Maij direxit, in qua ei Episcopalem potestatem super Clerum & populum Augiensis insulæ, præter monachos concessit, data etiam auctoritate, vt Abbatem inibi vice sua ordinaret, item & apud Augustam siue Curiam Episcopos constituere procuraret. Nempe in tota Alemannia, Baioaria, Saxonia, & alijs vicinis regionibus prædicto Gebehardo Episcopo vicem suam commisit, vt ordinationes improbandas improbaret, roborandas roboraret. Sententiam quoque anathematis a prædecessore suo Papa Gregorio promulgatam ea discretione confirmauit, vt in primo gradu Rauennatem hæresiarcham cum Henrico Rege anathematizaret; in secundo gradu eorum fautores, qui eisdē armis, pecunia, consilio, obedientia fauerent, quiq. ab eisdem & ab eorum fautoribus ecclesiasticos ordines & honores acciperent. In tertio autem gradu eorum communicatores posuit, quos etsi non excommunicaret, adeo tamen eos externa communione commaculatos asseruit, vt in Catholicam societatem sine absolutione & pœnitentia recipi non deberent, videlicet, qui excommunicatis salutatione, osculo, oratione, conuictu, & ignoranter, communicassent. Ordinatos vero in excommunicatione, sed non simoniace ab Episcopis quondam Catholice ordinatis, vt in adepto ordine persisterent, sine promotione permisit, si tamen hoc eorum probitas & Ecclesiæ vtilitas flagitare videretur. aliquantum etiam ad superiores ordines promoueri concessit, sed hoc rarissime & cum summa necessitate] hæc de epistola synodali ad Gebehardum Constantiensem Episcopum. Ex Synodo enim scriptam esse patet ex eiusdem fragmento ab Iuone recitato. pergit vero Bertholdus: Guibertus autem hæresiarches, eiusq. complices in parte Regis eorum Henrici anathematicas ordinationes facere non cessarunt, ipsasq. suis sectatoribus nonnisi carissime venditas impenderunt. Vnde & malum excommunicationis in tantum propagatum est eo tempore, vt Catholici vix se ab eorum contagio possent illæsos custodire. In Teutonicis partibus quatuor Episcopi in Catholica communione perstiterunt, videlicet Vuirceburgensis, Patauiensis, Vuormatiensis, Constantiensis, sed & Metensis Episcopus, quorum confortamento reliqui Catholici schismaticis a principio restiterunt.] B C D

a Iuo p. 14. c. 45

Quod autem ad legationem decretam Gebehardo Constantiensi Episcopo ab Apostolica Sede pertinet, non prætereat illud, quod idem Legatus ad perferendas litteras ad Vrbanum Papam vsus est nuntio viro magnæ virtutis Eginone, qui postea fuit Abbas sancti Vdalrici Augustæ Vindelicorum: hic enim fidelis minister sic iussus mutato monastico habitu, in eo ministerio sapienter eluſit schismaticos. ita testatur Vdescalcus eius comes peregrinationis, dum res ab eo gestas enarrat: E

SYNODVS GENERALIS ROMAE SVB VRBANO.

Hoc eodem anno (idem auctor Bertholdus sic pergit:) Dominus Papa Vrbanus generalem Synodum centum quindecim Episcoporum collegit, & ecclesiastica statuta suorum prædecessorum Apostolica auctoritate confirmauit. Guibertus autem hæresiarches a Romanis turpiter expellitur, & ne amplius Apostolicam Sedem inuadere præsumat, iuramento promittere compellitur. Sed iam aliquantulum diuturna regni discordia inter Catholicos & schismaticos tepescere cœpit; vt non iam bellum ad inuicem, sed pacem componere sanius iudicarent. Quapropter Duces & Comites fideles sancti Petri cum Henrico colloquium habuerunt, eiq. suum consilium & auxilium ad obtinendum regnum firmissime promiserunt, si Guibertum hæresiarcham vellet

A vellet dimittere, & ad ecclesiasticam communionem per Catholicum pastorem remeare. Quam quidem conditionem nec ipse multum respuit, si tamen in hoc ei Principes sui assentiri vellent, videlicet Episcopi, qui se cum Guiberto deponendos esse non dubitauerunt, eo quod in eius parte ordinationem, immo execrationem perceperunt.

Hi ergo penitus hac vice dissuaserunt, ne sanctæ Ecclesiæ reconciliaretur. Dominus Papa Constantinopolitanum Imperatorem ab excommunicatione per Legatos suos absoluit. Item litteras Philippi Regis Francorum debitam ei subiectionem promittentis suscepit.] ALEXIVS IMP. ABSOLVITVR AB VRB. PAP.

Quam autem strenue se gesserit Constantiensis Episcopus ab Vrbano Apostolicæ Sedis Legatus per Germaniam decretus, vno hoc exemplo intelligere potes, quod subB ijcit idem auctor his verbis:

In Alemannia Otto Comes impudentissimus adulter, & pro adulterio a Constantiensi Episcopo excommunicatus, Dei iudicio turpissime decollatur a militibus Ludouici Comitis, cuius vxorem publicis nuptijs, eo viuente, sibi nefandissime copulauit. Qui apud monasterium in prædio ipsius constructum a suis sepultus, iussu Constantiensis Episcopi eijcitur; & (vt scriptum est) ad sepulturam asini deputatur &c.]

Sed ad Vrbanum Pontificem redeamus, quem autumnali tempore in Apuliam se contulisse, vetera monimenta docent, inuitatum ad recondendum sancti Nicolai corpus Barjm translatum, Barensemq. Episcopum consecrandum, vt ipsius diploma ibi datum ostendit, quod sic se habet: PAPA VRBAN. QVAE BARI FECERIT.

C Vrbanus Episcopus seruus seruorum Dei charissimo fratri Eliæ Archiepiscopo salutem & Apostolicam benedictionem.

Quia nostris temporibus ecclesiam, quam Deo auctore regis, frater charissime, Barensem (quæ & Canusina dicitur) omnipotens Deus beati Confessoris sui Nicolai corpore visitare dignatus est: nos auctore Deo Apostolorum Petri Pauliq. Vicarij, propter ecclesiastica negotia exequenda, in Apuliæ prouinciam descendentes, charissimorum filiorum Romanæ Ecclesiæ Rogerij Ducis & fratris eius Boamundi, atque vestris deprecationibus inuitati ciuitatem vestram pro beati Confessoris Nicolai dilectione præcipua visitauimus: cum magna vndique conuenientis populi frequentia, lætitiaq. beati Nicolai reliquias in locum parati adyti conferentes, contra morem nostræ Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ te, dilectissime frater, in sede propria consecraD uimus, beati Nicolai reuerentia, & tui populi dilectione deuicti. Te igitur in specialem Romanæ Ecclesiæ filium amplectentes amoris intimi brachijs, tuamque, cui, Deo auctore, præsides, Barensem (quæ & Canusina habetur ecclesia) exaltare, & populum tuum tam temporalibus, quam æternaliter glorificare, largiente Domino, & salua iustitia, cupientes: confirmamus tibi præsentis paginæ auctoritate integrum Barensem (qui & Canusinus est) Archiepiscopatum, vt tu, tuiq. successores, Episcopali iure illum regas, disponas, atque possideas, salua Romanæ auctoritate Ecclesiæ, quæ instituente Domino ecclesiarum omnium princeps est, cuiq. vt matri summa debet ab vniuersis reuerentia exhiberi. VRBANVS AD ELIAM ARCHIEPISC. BARENSEM.

Absque præiudicio ergo iustitiæ quarumlibet ecclesiarum, sequentes tenorem, qui nostrorum continetur priuilegijs prædecessorum, Barensis siue Canusinæ ecclesiæ E possessiones, siue diœceses tibi, tuisq. successoribus perpetuo possidendas, regendasq. contradimus. hæ autem sunt, Canusia, Bistictum, Bitontum, Midunium, Iuuenatium, Melficta, Rubum, Tranum, Canna, Mineruinum, Aqua tecta, Mons meliorus, Lauellum, Rapulba, Melfis, Bitalbis, Salpicupersanum, Palimarum, simul & cetera, quæ intra marini litoris ora sita esse cognoscuntur. Hæc vero & alia municipia siue ciuitates, prædictis ciuitatibus adiacentes, siue longe positæ, sed ad eas pertinentes confirmamus vobis, & omnes fundos & casales, vna cum casis & vineis, cum seruis & ancillis, cum massis & massaritijs atque molendinis, cum portubus, montibus, & pratis, simul cum plebibus, siue ecclesijs, cum omnibus titulis siue capellis suis, simul etiam cum monasterijs virorum, seu feminarum, Græcis aut Latinis, cum vniuersis ordinibus ecclesiasticis, & quidquid honoris, possessionis, seu dignitatis per legalem largitionem, & iuxta concessionem antiquitus tenuisset, & quidquid iustitiæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

non contradicit,& antiquitus superadditum esse probatur, & in futurum iuste poterit A
Barensis & Canusina ecclesia adipisci. Atque huiusmodi priuilegia præsenti auctoritatis nostræ decreto indulgentes: statuimus, nullum Regum, vel Imperatorum, Antistitum, nullum quacumque dignitate præditum, vel quemquam alium audere minuere, alienare, siue suis vsibus applicare de ijs quæ eidem ecclesiæ a quibuslibet hominibus de proprio iure iam donata sunt, vel deinceps, Domino fauente, donari contigerit.

Præterea fraternitati tuæ pallij vsum ex more concedimus, vt eo inter Missarum solemnia ijs dumtaxat festiuitatibus vtaris, videlicet, Natiuitate Domini, sancti Stephani, Epiphania, Cœna Domini, Resurrectione, Ascensione, Pentecoste, Natiuitate sancti Ioannis Baptistæ, Natalitijs Apostolorum, & tribus festiuitatibus sanctæ Mariæ, festiuitatibus sanctorum Nicolai & Sabini, festiuitate omnium Sanctorum, in B
annuo ordinationis tuæ die, in ordinatione Episcoporum seu ceterorum clericorum, in consecratione etiam ecclesiarum, in translatione etiam Domini Confessoris Nicolai. Hortamur itaque fraternitatem tuam, vt honor tantæ dignitatis, supplementū vtique totius sacerdotalis ordinis, moribus tuis conueniat; & non solum exteriori homini tuo decorem præstet & gratiam, sed & interiorem quoque multiplici virtute corroboret. Siquidem ista sunt pallij, ista sunt huiusmodi indumenti: vt Deum ex toto corde, tota anima, & omni virtute diligas, & proximum tuum sicut teipsum. Nam licet ad vsum pallij omnium virtutum ornamenta sint necessaria: inseparabiliter tamen charitas, quæ omnes superexcedit, hac pollentem dignitate comitari conuenit. Ad imitanda igitur omnium bonorum instrumenta vita & scientia tua subditis tuis sit forma & regula; vt si quid in eis ex humana fragilitate reprehensibile de- C
prehenditur, intuitu sanctæ conuersationis tuæ ad rectitudinem sinceritatis tuæ corrigatur. Quibus sic studeas dispensationis tuæ iura moderari, vt in corrigendis vitijs & zelo rectitudinis ferueas, & modum temperantiæ non excedas. Et vt multa paucis explicemus, quidquid in sanctorum Patrum dictis repereris: ad tuam, & eorum qui tibi subduntur, vtendum censeas ædificationem, quatenus documentis tuis instructi, atque boni pastoris vestigia consecuti, ad regnum summi Pastoris tecum valeant pertingere, & perpetuæ vitæ felicitatem, Domino annuente, percipere. Amen] his mox subijcitur sigillum.

Datum apud Barum per manus Ioannis diaconi anno Dominicæ Incarnationis millesimo octogesimonono: anno vero Pontificatus Domini Vrbani Papæ secundo, D
Indictione decimatertia, nono Octobris.]

In Apulia autē cum esset hoc anno Vrbanus Papa, Troiæ Concilium celebrauit, vt
apparet ex [a] Petro diacono in Chronico Cassinate, cuius Cōcilij meminit quoque Iuo
Carnotensis Episcopus istis verbis: [b] Conuenit Troiæ in Apulia Concilium Episcoporum fere septuagintaquinque, Abbatum duodecim, in quo actum est de consanguinitatis linea coniugatis; cum nemo tamen dictum sacramenti impedimētum vellet asserjione firmare: præceptum est, vt Episcopi, quorum diœcesani sunt, eos per congrua spacia, trina aduocatione conueniant. Tunc si duo vel tres viri consanguinitatem iureiurando firmauerint, vel ipsimet forte confessi fuerint: coniugia dissoluantur. Si vero neutrum contigerit Episcopi eos per baptismum, per fidem, per Iudicium Christi in
vera obedientia obtestentur, quatenus palam faciant, vtrum se (sicut fama est) con- E
sanguineos recognoscant. Si negauerint, sibi ipsis relinquendi sunt; ita tamen, vt si aliud in conscientia habeant, se a liminibus Ecclesiæ, a corpore & sanguine Domini, a Fidelium communione nouerint segregatos, atque infames effectos, donec ab incesti facinore desinant. Si se Episcoporum iudicio segregauerint, si iuuenes sunt, alia matrimonia contrahere non prohibeantur] hactenus quod supereſt ex Concilio
Troiano fragmentum. quod & apud [c] Gratianum, & Magistrum sententiarum inuenies. Sed iam quæ sunt reliqua Vrbani Papæ anni huius hic describamus.

Visum est autē eidem Vrbano Pontifici, hoc eodē anno, ob publicum Ecclesiæ bonum,
Mathildem Comitissam inuitam licet, iam prouectioris ætatis feminā nuptijs tradere
strenuo militi, Ecclesiæ Catholicæ defensori. Delectus est Vuelpho filius Vuelphonis
Ducis Baioariæ Azonis Marchionis Ferrariēsis filij, de quibus sæpe superius. Datur ipsa quidem, verum ita tamen vt numquam voluerit commisceri viro. Sed audi Bertholdum

a Chron. Cass. lib. 3. cap. 8.
b Iuo part. 9. c. 53.
CONCILIVM TROIANVM PRIMVM.
c 35. q 5. cap. 4. Magist. 4. dist. cap. 41.
VRBANVS PAPA IVNGIT MATRIMONIO MATHILDEM CVM VVELPHONE.

A dum hæc omnia ob oculos habentem: In Italia nobilissima Dux Mathildis, filia Bonifacij Marchionis, sed vidua Godefredi Ducis Vuelphoni Duci filio Vuelphonis Ducis coniugio copulatur, & hoc vtique non tam pro incontinentia, quam pro Romani Pontificis obedientia videlicet, vt tāto virilius sanctæ Romanæ Ecclesiæ cōtra schismaticos posset subuenire] subdit, hoc coniugio Henricum Imperatorem valde tristatum esse, eumdemq. Ducem terrori fuisse schismaticis. At de continentia Mathildis cum viro ista habet inferius anno millesimo nonagesimoquinto: Vuelpho filius Vuelphonis Ducis Baioariæ a coniugio dominæ Mathildis se penitus sequestrauit, asserens illam a se omnino immunem permansisse: quod ipsa in perpetuum reticuisset, si non ipse prior illud satis inconsiderate publicasset. Vnde pater ipsius in Longobardiam nimis irato animo peruenit, & frustra diu multumq. pro huiusmodi reconciliatione
B laborauit. Ipsum etiam Henricum sibi in adiutorium adsciuit cōtra dominam Mathildem, vt ipsam bona sua filio eius dare compelleret, quamuis nondum illum in maritali opere cognoscceret. vnde diu frustra laboratum est] hæc omnia Bertholdus. Erat autem Mathildis hoc anno Redemptoris iam annos quadragintatres suæ ætatis agēs, vt ex supputatione numeri annorum, quibus vixit, facile colligi potest, quem alias superius nos subduxisse meminimus.

BONIZO EPISC. MARTYR.

At de his, qui hoc anno decesserunt digni memoria Orthodoxi, & in cælū a Deo recepti æternæ vitæ præmia meruerunt, ita Bertholdus: Bonizo piæ memoriæ Sutrienſis Episcopus, sed inde pro fidelitate S. Petri iamdudum expulsus: tandem post multas captiones, tribulationes, exilia, a Placentinis Catholicis pro Episcopo recipitur: sed a schismaticis eiusdem loci, effossis oculis, & truncatus omnibus pene membris mar-
C tyrio coronatur] & inferius: Petrus piæ memoriæ Albanensis Episcopus in causa sancti Petri feruentissimus migrauit ad Dominum. Hic est ille Petrus, qui Petrum Papiensem Florentini Episcopatus inuasorem per iudicium ignis simoniacum esse probauit. Vnde & deinceps illum sancta Ecclesia, Igneum cognominauit] & inferius: Erat enim tantæ sanctitatis, constantiæ & fidei, vt vix aliquis sui temporis ei potuerit comparari. Hic ergo de hac vita discedens magnum mœrorem Catholicis reliquit.]

PETR. IGNEVS MORITVR.

HENRICVS IMP. VICTVS.

Quod vero ad cōflictus inter Henricum & Eggebertum Marchionem attinet, male pugnatum ab Henrico narrat, captumq. Liemarum Bremensem Archiepiscopum, occisum Burchardum Losannensem Episcopum & alios, vixq. Regem ipsum fuga lapsum, euasisse periculum. de ijsdem quoque agit Dodechinus ad Marianum Scotum. De occisoribus autem schismaticorum excommunicatorum extat Rescriptum Vrbani
D Papæ ad Godefredum Episcopum Lucanum seu Lucensem apud Iuonem his verbis: [a]

a Iuo part. 10. cap. 54.

Excommunicatorum interfectoribus, prout morem sanctæ Ecclesiæ nosti, secundū ipsorum intentionem modum congruæ satisfactionis iniunge. Non enim eos homicidas arbitramur, qui aduersus excommunicatos zelo Catholicæ matris ardentes, eorum quoslibet trucidasse contigerit. Nē tamen eiusdem Ecclesiæ matris disciplina
*desæuiat, tenore quem diximus, pœnitentiam eis iniungito congruentem, qua diuinæ * desinat
simplicitatis oculos aduersum se complacare perualeant, si forte aliquid duplicitatis pro humana fragilitate in eodem flagitio contraxerunt] hæc Vrbanus.

LANFRANCI OBITVS.

Moritur hoc anno Lanfrancus Archiepiscopus Cantuarienſis. Vacauit autem ea ecclesia annis quatuor afflictata nimium per Guillelmum Regem Iuniorem. de quibus Edinerus in Anselmo.

E Remanserunt tanti viri scientia & sanctitate præstantis aliquot scriptorum monimenta, vt quæ scripsit contra perfidum Berengarium, & tomus epistolarum, index ingenij fertilissimi, quarum aliquot ad Annales spectantes suis locis superius intexuimus. hic vero duas describemus, datas ad Regem Hiberniæ, quibus eius ecclesiæ status huius temporis, qualis fuerit, significatur. quarum prior sic se habet:

Lanfrancus non suis meritis, sed gratia Dei Archiepiscopus glorioso Hiberniæ Regi Gothrico salutem orationibus.

DE STATV ECCL. HIBERNIÆ EX LANFRAN.

Venerabilem fratrem ac Coepiscopum nostrum Patricium, quem, reuerendissime fili, excellentia vestra ad nos consecrandum transmisit, honeste suscepimus, debitis officijs secundum canonicam institutionem sancti Spiritus gratia cooperante sacrauimus, sacratum ad propriam sedem cum testimonio litterarum nostrarum more antecessorum nostrorum remisimus. Qui quamuis de gloria vestra multa nobis bo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

na, multisq. laudibus digna retulit; non ab re tamen credimus esse, si prædicandæ A
vestra studia nostra adhortatione pulsamus. Sicut enim ignis flante vento clarius lucet, & maior efficitur; sic vera virtus veris præconijs pulchrius enitescit, & in melius augmentatur. Rogamus igitur, sicut rogari oportet pretiosum sanctæ Ecclesiæ filiũ, quatenus Fidem rectam, ab ipso Deo & Apostolis eius sanctis, atque orthodoxis Patribus traditam, cum omni mentis sinceritate inuiolatam teneatis; Fidei congrua opera, in quantum vires suppetunt, exhibeatis: superbis austeram, humilibus placabilem vestram celsitudinem ostendatis. In regno vestro perhibentur homines, seu de propria, seu de mortuarum vxorum parentela coniuges ducere, alij legitime sibi copulatas pro arbitrio & voluntate relinquere; nonnulli suas alijs dare, & aliorum infanda commutatione recipere. Hæc & si qua sunt alia crimina, propter Deum & animam vestram in terra potestatis vestræ corrigi iubete; talesq. vos cum diuino adiutorio ve- B
stris subditis exhibete, & vt amatores boni bona amplius diligant, & appetitores mali prauas actiones nequaquam exercere præsumant. Hoc enim facientes, & diutius cum rerum temporalium felicitate in terra regnabitis, & post terrenum regnum sine fine regnaturi ad cælestia regna migrabitis.

Plura & prolixius vobis scripsissem, sed habetis vobiscum prædictum Antistitem vestrum, monasticis institutionibus a pueritia enutritum, scientia diuinarum litterarum strenuissime eruditum, bonorum operum ornamentis, in quantum cognosci a nobis potuit, decentissime adornatum. Quem de anima vestra sæpius loquentem si intento corde audieritis, audientes vt patri spirituali, in his quæ ad Deum pertinent, obedieritis, obedientes ea, quæ vobis ab eo prolata fuerint, in arca pectoris ve- C
stri reposueritis, speramus per misericordiam Dei, quia neque vos pernitiose errabitis, neque subditos vobis in priuatarum actionum pertinacia stare diu permiseritis. Omnipotens Dominus contra inimicos mentis & corporis baltheo virtutis suæ excellentiam vestram defendat, & post longam huius sæculi vitam, ad eam, quæ finem non habet, feliciter vos perducat.] sequitur ordine eiusdem Lanfranci alia epistola ad alium Regem isto titulo:

Lanfrancus peccator & indignus sanctæ Dorobernensis ecclesiæ Archiepiscopus, magnifico Hiberniæ Regi Terdeluaco benedictionem cum seruitio & orationibus.

Nullam Deus maiorem terris misericordiam impendit, quam cum pacis ac iustitiæ amatores ad animarum seu corporum gubernacula prouehit: & maxime cum bonis Regibus regna huius mundi regenda committit. Hinc namque pax oritur, discordia sopitur, & vt breuiter cuncta complectar, Christianæ religionis obseruantia stabilitur. Quod populis Hiberniæ diuinitus tunc collatum fuisse prudens inspector intelligit, quando omnipotens Deus excellentiæ vestræ ius regiæ potestatis super illam terram concessit. Tot enim tantaq. bona de magnitudinis vestræ erga bonos pia humilitate, contra prauos districta seueritate, circa omne humanum genus discretissima æquitate frater & Coepiscopus noster Patricius narrauit; vt quamuis vos numquam viderimus, tamquam visos tamen vos diligamus, & tamquam visis ac bene cognitis vobis salubriter consulere, & sincerissime seruire cupiamus.

Verum inter multa, quæ placent, relata nobis sunt quædam, quæ displicent, videlicet quod in regno vestro quisque pro arbitrio suo legitime sibi copulatam vxorem, nulla canonica causa interueniente, relinquit, & aliam quamlibet, seu sibi, vel relictæ vxori consanguinitate propinquam, siue quam alius simili improbitate deseruit, maritali seu fornicaria lege, punienda sub temeritate coniungit. Quod Episcopi ab vno Episcopo consecrantur. Quod in villis, vel ciuitatibus plures ordinantur. Quod infantes baptismo siue chrismate cõsecrato baptizantur. Quod sacri ordines per pecuniam ab Episcopis dantur. Hæc omnia, & si qua sunt similia, contra Euangelicam & Apostolicam auctoritatem, contra sanctorum canonum prohibitionem contra omnium orthodoxorum Patrum, qui nos precesserunt, fieri institutionem, nullus qui sacras litteras vel mediocriter legit, ignorat. Quæ, quanto in conspectu Dei, Sanctorumq. eius amplius sunt horrenda, tanto studiosius vestris sunt sine aliqua dilatione iussionibus prohibenda, & nisi prohibita corrigantur, districtissima terroris vestri seueritate punienda. Nullum enim Deo vel maius, vel gratius munus offerre potestis, quam si diuina & humana debitis legibus gubernare studetis. memores igi- D
tur

A tur diuini Iudicij, quo de commisso vobis regno rationem reddituri estis Deo, Episcopos & religiosos quosque viros in vnum conuenire iubete, sacro eorum conuentui præsentiam vestram cum vestris optimatibus exhibete, has prauas consuetudines, omnesq. alias, quæ a sacris legibus improbantur, a regno vestro exterminare studete, quatenus Rex Regum, & Dominus dominantium, cum viderit regiam maiestatem vestram præceptis suis in omnibus esse subiectam, seruis quoque ac fidelibus suis pro timore & amore eius mansuetam, inimicis diuinæ religionis diuino zelo infestam, ipse quoque vos, vestrosq. fideles clamantes ad se propitiatus exaudiat, hostes conterat, pacemq. vobis in hoc sæculo stabilem, & in futuro vitam æternam concedat.]

Non prætereundum, quod hoc anno contigisse eiusdem temporis scriptor Sigebertus affirmat: nimirum quod lues excrescens, quos pertigit, eosdem igne sacro siue
B consumpsit, siue membris mutilatis deformes reliquit ostentui, cuius causa (asse- [a] Hist. Ant. par. 2. c. 31. 32. 33.
ritur in historia [a] Antoniana) frequentiori concursu creuit cultus sancti Antonij Ma- S. ANTONII CVLTVS QVA OCCASIONE CELEBRIOR.
gni in prouincia Viennensi, vbi eius corpus translatum a Iocellino ex stirpe Comitum Pictauiensiũ oriundo Constantinopoli, iussu Vrbani Papæ ab eius filio Guigone apud Motam sancti Desiderij fuerat collocatum, vbi omnes eodem morbo tacti, mirabile dictu, confestim sanabantur. Auctus est eo amplius erga Sanctum reuerentia, quod sicut eo morbo ægrotantes sanari consueuerint, ita sani in eumdem Sanctum peccantes, siue periurio, aliaue irrogata in eum blasphemia vel contumelia, eumdem mox experiri solerent vltorem, eodemq. confestim morbo ignis sacri percuti: quod pauendum cunctis prodigium hactenus perseuerat, adeo vt in prouerbium versum sit: Insanctum Antonium neminem impune peccare.

C Eodem quoque anno Constantinopoli moritur Eustathius Patriarcha, cum sedisset NICOLAVS GRAMMATICVS PATRIARCHA CONSTANTINOP.
annis tribus, in cuius locum subrogatur Nicolaus cognomento Grammaticus, qui tenuit eum annis vigintiseptem & menses tres temporibus, quibus imperabat Alexius Comnenus. hæc ex serie Patriarcharum Constantinopolitanorum, quæ extat tomo primo iuris Orientalis, vbi huic Nicolao tribuuntur anni suæ sedis vigintiseptem, & menses tres.

IESV CHRISTI ANNVS 1090.	VRBANI II. PAP. ANNVS 3.	HENRICI III. IMP. 7. ALEXII COMNENI IMP. 10.

D NONAGESIMVS post millesimum sequitur annus Indictione tertiadecima inchoatus, quo agente Vrbano Papa per Legatos, Tolosana Synodus ex Gallia- CONCILIVM TOLOSANVM.
rum Episcopis celebratur, de qua ista Bertholdus eius temporis auctor, hoc anno: Dominus Papa Vrbanus generalem Synodum cum Episcopis diuersarum prouinciarum per Legatos suos in Tolosana ciuitate circa Pentecosten collegit, ibiq. multa in ecclesiasticis causis quæ corrigenda erant, correxit. In qua Synodo Tolosanus Episcopus de illatis criminibus canonice expurgatur, & legatio pro restauranda Christianitate in Toletana ciuitate, Rege Hispanorum supplicante, destinatur] hæc ipse. Insuper & per alium Apostolicæ Sedis Legatum, nempe Patauiensem Episcopum, in Baioaria, prævalentibus Catholicis, ordinatus est Catholicus Archiepiscopus Salzburgensis, vt idem auctor affirmat.

E Adhuc etiam & ab ipso Vrbano hoc anno Synodus Melfi in Apulia celebrata est, vt ROGERIVS DVX VASSALLVS S. R. E. INVESTITVR.
testatur Romualdus Salernitanus Archiepiscopus in suo Chronico, dũ ait: Anno Dominicæ Incarnationis millesimo nonagesimo, Indictione decimatertia, mense Septembris, Vrbanus Papa Synodum celebrauit in ciuitate Melfiæ, in qua Rogerius Dux ligius eius homo effectus, promisit iureiurando se seruaturum fidem Romanæ Ecclesiæ, & eidem Papæ, eiusq. successoribus canonice intrantibus. Accepit per vexillum ab eo terram cum Ducatus honore] hæc Romualdus. Quæ autem in eadem Synodo sancita fuerint, codex Antonij Augustini, & Vaticanus his verbis docent: Ex Synodo Vrbani Papæ apud Melfiam: QVAE SINT ACTA IN CONCILIO MELFITANO.

Sanctorum Patrum sententijs consona sentientes, Dei & Apostolorum eius parte Præcipimus, ne quis vlterius dato vel promisso, vel pretio, vel seruitio ea intentione * intento, vel precibus Episcopalem nitatur assequi dignitatem, nec vllus eam præta- * f. impetuoso

Universidad de Deusto
Biblioteca

xato tenore indulgeat. hoc idem etiã de omni eccleſiaſtica dignitate vel officio, Apoſtolicæ poteſtatis auctoritate præfigimus: alias & dator & acceptor proprij ordinis dignitate priuetur. Episcopus omnia ſui Epiſcopatus membra, videlicet Archidiaconatus, Archipresbyteratus, Decanias, vel alias Præpoſituras eccleſiæ, ſiue canonicas gratis abſque omni venalitate diſponat præbendas, etiam quæ canonicatus dicuntur, ſine venalitate diſtribuat. Quisquis autem ea pretio dederit, quisquis acceperit, depoſitioni ſubiaceat, vt vnica tunica Domini noſtri ſponſæ ſine macula aut ruga permaneat.

2 Sacrorum canonum inſtituta renouantes, præcipimus, vt a tempore ſubdiaconatus nulli liceat carnale commercium exercere. Quod ſi deprehenſus fuerit, ordinis ſui periculum ſuſtinebit.

3 Nemo præterea ad ſacrum ordinem permittatur accedere, niſi aut virgo, aut probatæ ſit caſtitatis, & qui vſque ad ſubdiaconatũ vnicam & virginem vxorem habuerit.

4 Igitur vt hæc, annuente Domino, valeant conſeruari, ſanctorum Patrum decretis obſecundantes, & eorum præcepta Apoſtolico moderamine temperantes conſtituimus, vt nemo ante annos quindecim, aut quatuordecim ſubdiaconus ordinetur, nemo ante annos vigintiquinque vel vigintiquatuor diaconus fiat, nemo ante trigeſimum in presbyterum conſecretur.

5 Nullus laicus decimas ſuas, aut eccleſiam, aut quidquid eccleſiaſtici iuris eſt, ſine conſenſu Epiſcopi, vel Romani conceſſione Pontificis monaſterijs, aut canonicis offerre præſumat. Quod ſi quis Epiſcopus improbitatis & auaritiæ cauſa conſentire noluerit, Romano Pontifici nuntietur, & cum eius licentia quod offerendum eſt, offerat.

1. q. 2. c. 3. 6 Nullus Abbas, nullus eccleſiarum præpoſitus quæ iuris ſunt eccleſiaſtici, accipere ſine Epiſcopi conceſſione præſumat.

7 Nullus Abbas pretium exigere ab eis, qui ad conuerſionem veniunt, aliqua placiti occaſione præſumat.

8 Illud ſummopere & Apoſtolicæ auctoritatis priuilegio prohibentes interdicimus, vt nullus in clericali ordine conſtitutus, nullus monachus, Epiſcopatus aut Abbatiæ, aut cuiuſlibet eccleſiaſticæ dignitatis inueſtituram de manu laici ſuſcipere audeat. Quod ſi præſumpſerit, depoſitione mulctetur.

9 Quia nouum hoc tempore clericorum Acephalorum genus emerſit, qui morantur in curijs, & viris & feminis ad ſui ordinis dedecus ſubditi, cum in canonibus cautum ſit, ne quis ſine licentia Epiſcopi clericus, nec Epiſcopus ſine Metropolitano curiam adeat: præcipiendo præcipimus, & prohibentes prohibemus, ne quis retineat huiuſmodi. Sed proceres ab Epiſcopis animarum ſuarum * procures clericos * poſtularet, ſi Epiſcopi iuſſione pro tempore ac viciſſim in curijs conuerſentur. Ipſis itaque omnino interdicimus, ne * decimis procerum ſine conceſſione ſui Epiſcopi abutantur.

* f. procurent
* f. poſtulare
* f. ne clericis proceres

10 Præterea conſtituimus, ne quis Epiſcopus, aut Primas monachum quemlibet vagantem in ſua diœceſi, prouinciave retineat, niſi Abbatis proprij fuerit litteris regulariter commendatus.

11 Ne grauamen aliquod ſancta patiatur Eccleſia, nullum ius laicis in clericos eſſe volumus & cenſemus. Vnde cauendum eſt, ne ſeruilis conditionis, aut curialium officiorum obnoxij ab Epiſcopis promoueantur in Clerum. Neque liceat laicis exactionem aliquam pro eccleſiæ beneficijs, aut paternis maternisve facultatibus quærere. Quod ſi forte clericorum aliquis cuiuſlibet laici poſſeſſionibus vſus fuerit, aut vicarium, qui debitum reddat, inueniat, aut poſſeſſione cadat, ne grauamen eccleſiæ inferatur.

dist. 32. c. 1. 12 Porro eos qui in ſubdiaconatu vxoribus vacare voluerint, ab omni ſacro ordine remouemus, officio atque beneficio eccleſiæ carere decernimus. Quod ſi ab Epiſcopo commoniti non ſe correxerint; Principibus licentiam indulgemus, vt eorum feminas mancipent ſeruituti. Si vero Epiſcopi conſenſerint eorum prauitatibus: ipſi officij interdictione mulctentur.

13 Vtq. omnia ſcandala, omnesq. occaſiones laicis ſubtrahantur: ſciſſis veſtibus clericos abuti vlterius prohibemus, & ne pompoſis induantur exuuijs, admonemus. Penſandum eſt namque quantum viris flagitij adſcribatur, a quibus curam paſtor eccleſiæ

A ſiæ exigit, & feminas prohibere, dicens: Non in veſte pretioſa, quam Dominus ipſe vituperans, nobisq. cauendam inſinuans, ait: Qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt.

14 Presbyterorum filios a ſacris altaris miniſterijs remouendos decernimus, niſi aut in cœnobijs, aut in canonicis religioſe probati fuerint conuerſati.

15 A ſuis Epiſcopis excommunicatos ab alijs recipi magnopere prohibemus.

16 Sane quia inter cetera vnum eſt, quod maxime ſanctam perturbat Eccleſiam, falſæ videlicet pœnitentiæ: Confratres noſtros Epiſcopos & presbyteros admonemus, ne falſis pœnitentijs laicorum animas decipi, & in infernum protrahi patiantur. Falſam pœnitentiam eſſe conſtat, cum ſpretis pluribus, de vno ſolo peccato pœnitentia agitur. Aut cum ſic agitur de vno, vt non diſcedatur ab alio *peccato ſcilicet*. Vnde ſcri-

B ptum eſt: [a] Qui totam legem ſeruauerit, offendit autem in vno, factus eſt omnium reus, ſcilicet quantum ad vitam æternam. Sicut enim ſi peccatis eſſet omnibus inuolutus; ita ſi in vno tantum maneat, vitæ æternæ ianuam non intrabit. Falſa ſit pœnitentia, cum penitus ab officio curiali vel negotiali non recedit, quæ ſine peccatis agi vlla ratione non prævalet; aut ſi odium in corde geſtet; aut ſi offenſo cuilibet non ſatisfaciat; aut ſi non offenderit, offenſus non indulgeat; aut ſi arma quis contra iuſtitiam gerat] hucuſque canones Concilij Melfitani ex codice Antonij Auguſtini, collatione facta cum codice Vaticano. Porro abſoluto eodem Concilio Melfitano, Vrbanus Papa magna inſtantia inuitatus eſt a Boamundo filio Roberti Guiſcardi venire Barim. Cui cum conſenſiſſet; conſecrauit illic Eliam Barenſem Archiepiſcopum. Conſtant hæc ex ſcripto Ioannis eiuſdem eccleſiæ Archidiaconi, quod inferius ſuo loco

C deſcriptum inuenies.

[a] *Iac. 2.*

Hoc pariter anno illuſtres Confeſſores Catholicorum propugnatores ex hac vita migraſſe Herimannum Metenſem Epiſcopum, & Adalberonem Vuirceburgenſem Antiſtitem, Bertholdus affirmat; Eggebertum Marchionem, necnon Bertholdum Ducem pariter ex humanis ſublatos ſtrenuos propugnatores Catholicorum idem aſſerit. vnde patuit via, vt Henricus Imperator in Italiam denuo ſe conferret adverſus Mathildem. Ita collabentibus in Germania rebus Catholicorum, data eſt occaſio Valtramo Epiſcopo Magdeburgenſi ſcribendi litteras ad Ludouicum Comitem . . . . . quibus hortatus eſt eum, vt deficiens a Catholicis Henrico Regi inhæreret. Recitat eas Dodechinus in Appendice ad Marianum, ſimulq. aduerſarias ei redditas, quibus ſcite prudenterq. eadem cauſa diſſeritur, quarum in primis quæ data eſt a

D Valtramo Magdeburgenſi Epiſcopo, ſic ſe habet:

EPIST. VALTRAMI SCHISMATICI.

Valtramus Dei gratia id quod eſt, Ludouico ſereniſſimo Principi cum inſtantia orationum ſemetipſum ad omnia deuotiſſimum.

Omni regno vtilis eſt concordia, deſiderabilis eſt iuſtitia: hæc enim virtus mater eſt probitatis, & conſeruatio totius honeſtatis. Qui autem inteſtina graſſando diſſenſione, ad humani ſanguinis alios irritat effuſionẽ: profecto vir ſanguinum eſt, atque illius particeps, qui noſtrum ſanguinem ſitiens ſemper circuit quærẽs quem deuoret. Tu igitur glorioſiſſime Princeps, attendens, quomodo [b] Deus pacis eſt, & nõ diſſenſionis: quod [c] ex te eſt, pacem cum omnibus habeas. Deus charitas eſt, diabolus odium. Tota lex & Prophetæ in dilectione pendent. qui autem [d] odit fratrem ſuũ, homicida eſt, nec habet

E partem in Chriſti regno & Dei. Hoc ipſa Veritas, hoc Diſcipulus ille Veritatis proteſtatur, qui de pectore Dominico Euangelij profundius potatus veritatem, fluminis impetu lætificat abundantius ciuitatem Dei. ſed ille, vas electionis, qui vſque ad tertium cælum raptus, non ſecundum hominem, ſed per reuelationem IESV Chriſti Euangelium ſuum didicit: Omnis, inquit, [e] anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non enim eſt poteſtas niſi a Deo. Qui autem reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Sicut amici noſtri inter mulierculas & ſimplex vulgus ſomniant, regiæ poteſtati ſubdi non oportere: falſum eſſe ergo, quod omnem animam poteſtati ſubdi oporteat. Sed numquid Veritas mendacij arguenda eſt? An experimentum quærimus eius qui in Apoſtolo loquebatur Chriſtus? an æmulamur Dominum? Numquid [f] fortiores illo ſumus? Fortiorem ſe confidit, qui Dei ordinationi reſiſtit, quoniam non eſt poteſtas niſi a Deo. Sed quid ait Propheta? [g] Confundantur omnes, qui pugnant aduerſum te Domine. & [h] Peribunt viri qui reſiſtunt tibi. Rodulphus, Hildebrandus, Eggeber-

[b] *1. Cor. 14.*
[c] *Matth. 12.*
[d] *1. Ioan. 3.*
[e] *Rom. 13.*
[f] *1. Cor. 10.*
[g] *Iſai. 41.*
[h] *Ibidem.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

tus, & innumeri Principes Dei ordinationi in Henrico Imperatore reſtiterunt : & ecce quaſi non fuerint, perierunt, quia profecto neceſſe eſt, malum fuiſſe principium, quorum finis peſſimus ſubſecutus eſt. Nunc ergo quoniam, qui ex aduerſa ſunt *parte*, ſuis aduerſum nos eminus digladiantur ratiocinationibus : veſtro iudicio, vbi ius, vel etiam in veſtro iudicio conſeramus, domicilio tantum non ſuo vſuario, ſed Chriſti, & antiquorum Patrum vtamur teſtimonio. Ac ne forte recuſetur : Lex huius eſto certaminis, vel me in populorum tranſire ſententiam, vel ex noſtro triumpho vos domino noſtro Imperatori lucrifaciamus. Attendatur & illud : [a] Si quis aliter euangelizat, præter quod euangelizatum eſt vobis : anathema ſit. Hoc anathema non de profanæ vanitatis vſuario, ſed de tertio intonuit cælo. De iſtis autem qui ignorantes [b] Dei iuſtitiam, & quærentes ſuam ſtatuere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti. fiducialiter dixerim : [c] Maledicent illi, & tu benedices, qui inſurgunt in me, confundantur. Seruus autem tuus lætabitur ; quoniam, vt ait Dominus, ſine me nihil poteſtis facere, nec damnas iuſtum cum iudicabitur illi. Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruũ? ſuo Domino ſtat, aut cadit] hucuſque litteræ Valtrami, quem noſtri ſæculi Politici ſtatuant ſibi ſui ipſorum dogmatis auctorem & defenſorem.

A

B

a Gal. 1.

b Rom. 10.
c Pſal. 108.

Has ſane litteras (pergit Dodechinus) prædictus Comes Ludouicus ſuſcipiens, vocato ad ſe venerabili Stephano (qui & Herrandus) Haluerſtadenſi Epiſcopo eas tradidit legendas ; rogauitq. eum, quatenus his diligenti examinatione perſpectis, iuxta rationem veritatis congrua obuiaret reſponſione, & linguam [d] blaſphemantis, os quoque iniqua proferentis contra iuſtitiam auctoritate ſancti Spiritus, & teſtimonio Scripturarum obſtrueret, ne amplius contra Eccleſiam Dei latratus proferret inſanos, & fureret. Venerabilis autem Epiſcopus ſecundum petitionem Comitis ſuſceptis litteris, ac diligenti examinatione perſpectis, vocato Notario, epiſtolam dictauit, in qua primum Valtramum Epiſcopum hæreticum, ſimoniacum redarguit, Regem etiam Henricum hæreticum & excommunicatum, ideoq. nec Regem dicendum comprobauit, Epiſcopatus pro pecunia, pro gladio, pro adulterio, pro Sodomitica immunditia vendentem declarauit. ſed ipſius iam epiſtolæ textus exponatur, vt illius venerabilis viri feruor in tenore iuſtitiæ agnoſcatur.

d Rom. 3.

C

Comes Ludouicus domino Valtramo, quidquid tali vocabulo dignum eſt.

EPIST. LVDOV. COMITIS CONTRA VALTRAMVM SCHISM.

Sicut bonus homo de bono theſauro cordis ſui profert bonum ; ita malus homo de malo theſauro profert malum. Vnde tibi tanta arrogantia, vt me ad indignationẽ tam iniurioſis iniurijs prouocares? Etenim dominos & patres meos, qui me in via iuſtitiæ confortant, viros ſanguinum, ſimiles ſatanæ oblique appellas, & monita ſalutis, quæ ſuggerunt, inter mulierculas & ſimplex vulgus ſomniare dicis. Numquid Deus indiget tuo iudicio, vt pro illo loquaris dolos? Docuit iniquitas os tuum, & imitaris linguam blaſphemantium, ita vt recte de te dicat Propheta : [e] Noluit intelligere, vt bene ageret, iniquitatem meditatus eſt in cubili ſuo. Quamuis ergo quantum peruerſus, tantum peruerſa locutus ſis : nos tamen ori noſtro cuſtodiam ponere decreuimus, & ſiluimus cum [f] conſiſteret peccator aduerſum nos. Sed excitat nos ſermo diuinus, dicens : [g] Reſponde ſtulto ſecundum ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens videatur. Numquid enim fatuitas perſonabit, & ſapientia obmuteſcet? Numquid loquetur mendacium, & veritas ſilebit? Numquid tenebræ operient terram, & Dominus non orietur? Immo lux in tenebris [h] lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Qua conſideratione concaluit cor noſtrum, [i] & in meditatione noſtra exarſit ignis. Loquimur igitur & clamamus, vulpeſq. paruulas, quæ vineas Domini demoliuntur, quantum poſſumus, arcemus, timentes prophetiam illam exprobrantem : [k] Non aſcendiſtis ex aduerſo, nec oppoſuiſtis murum pro domo Iſrael, vt ſtaretis in prœlio in die Domini. Audiant, non tu qui [l] aures habes & non audis, qui oculos habes, & non vides, qui lumen quod in te eſt, tenebras feciſti : audiant, inquam, omnes cordati, qui aures audiendi habent : quam alte aut non intelligas, aut intelligere diſſimules, [m] neque quid loquaris, neque de quibus affirmes.

D

E

e Pſal. 35.
f Pſal. 38.
g Prou. 26.
h Ioan. 1.
i Cant. 2.
k Ezech. 13.
l Pſal. 113.
m 1. Tim. 1.

Ad ſubiectionem domini Henrici, quem Imperatorem dicunt, nos inuitas, & (in quantum intelligere datur) vt per omnia ſubditi ſimus, quaſi Apoſtolico argumento neceſſitatem imponis, dicens : [n] Omnis anima poteſtatibus ſuperioribus ſubdita ſit : non eſt enim poteſtas, niſi a Deo. Qui ergo poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.

n Rom. 13.

Quam

A Quam Apoſtoli ſententiam te male intelligere, peius interpretari, dicimus. Si enim omnis poteſtas a Deo eſt, vt tu intelligis : quid eſt quod de quibuſdam dicit Dominus per Prophetam : [a] Ipſi regnauerunt, & non ex me : Principes exiterunt, & non cognoui eos? Si omnis poteſtas a Deo eſt (vt tu intelligis) quid eſt quod ait Dominus : [b] Si oculus tuus ſcandalizauerit te ; erue eum & proijce abs te? Quid enim eſt poteſtas, niſi oculus? certe Auguſtinus in expoſitione Apoſtolicæ ſententiæ, omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit : Quod ſi poteſtas, inquit, aliquid iubeat, quod contra Deum ſit : hic contemne poteſtatem, * timendo poteſtatem alioquin. [c] Numquid iniquitas apud Dominum? Numquid Chriſtus peccati miniſter eſt? Abſit. Quid ergo dicemus? Numquid ab Apoſtolo diuerſa ſententia prophetiæ euulgatur? Auguſtinus : Minime diuerſas tibias inflat ſpiritus vnus. Itaque audiamus Apoſto-

a Oſe. 8.
b Marc. 9.
c Rom. 9.
** non timendo*

B lum concordantem, & ſeipſum exponentem, & inimicum vltoremq. ſuum deſtruentem : Non eſt, inquit, poteſtas, niſi a Deo. Quid ſequitur? Qui ergo, inquis, poteſtati reſiſtit, & reliqua. Abſit. Non hoc ſequitur, ſed quid ſequitur? [d] Quæ autem ſunt, a Deo ordinata ſunt. Nempe hoc eſt quod quærimus. O lingua doloſa! o cor machinans malum! ſpiritus vadens & non rediens, cur mentitus es Spiritui ſancto? Arguat te conſcientia tua. Ecce fugit impius nemine perſequente. Cur vt deciperes, ſupprimere veritatem voluiſti? Cur medullam, cur animam huius ſententiæ furatus es? Nam ſi hæc verba de medio ſententiæ Apoſtolicæ tollantur, contraria ſibi inconueniens & exanimis iacebit. Impletur ſermo diuinus : [e] Qui parat proximo ſuo foueam ; incidet in eam. Certe nec culpam furti nec pœnam euadere poteris. Quid infelix, quid ludici venturo, cum a ſeruis negotiatoribus * locum requiret, reſponſurus es, qui Dominicæ pecuniæ fraudator in medium produceris? Quare non iudicium

d Rom. 13.
e Prou. 26.
** f. lucrum*

C & laqueum proditoris timuiſti, ne ſimilem reatum ſimilis vindicta ſequeretur? Præuidens per Spiritum ſanctum Apoſtolus, te, tuiq. ſimiles hæreticos in Eccleſia emerſuros, [f] qui bonum malum, & malum bonum dicerent, qui tenebras lucem, & lucem tenebras ponerent, qui de ſententijs veritatis occaſionem inducendi erroris captarent, cum præmiſiſſet : Non eſt poteſtas, niſi a Deo : vt coniecturam reprobi intellectus amputaret : Quæ autem ſunt, inquit, a Deo ordinata ſunt. Da igitur poteſtatem ordinatam, & non reſiſtemus, immo dabimus ilico manus.

f Iſa. 5.

HENRICI IMP. NEFANDA SCELERA.

Miror autem, ſi in te vel gutta ſanguinis eſt, quod non erubeſcis dominum Henricum Regem dicere, vel ordinem habere. An ordo tibi videtur ius dare ſceleri, fas nefaſque, diuina & humana confundere? An ordo videtur tibi, in corpus ſuum peccare? videlicet (proh pudor, proh nefas!) vxorẽ propriam ſcelere omnibus ſæculis mundi inaudito lupanar facere? An ordo tibi videtur, cum Dominus dicat : [g] Defendite viduam : viduas iudicij æquitatem poſtulantes nefanda contaminatione proſtituere? Hæc qui ordinata, qui ſana dixerit, hunc inſani capitis eſſe, inſanus iurat Oreſtes. Vſque ad hæc miſerrima tempora natura ſecretum amauit ; ſed traditus in reprobum ſenſum Rex veſter naturæ inuolucrum detexit, qui omnem pudorem ponit in propatulo. Vt autem illa quæ ſine numero ſunt, taceamus, videlicet, concremationes eccleſiarũ, deprædationes, homicidia, incendia, truncationes, & his ſimilia, quæ ille poteſt, nos enumerare non poſſumus : ea quæ maxime Eccleſiam Dei grauant, loquamur. Audi ergo vera, non fucata, audi fortia, non faceta. Omnis qui dignitates ſpirituales vendit, hæreticus eſt. dominus autem Henricus, quem Regem dicunt, Epiſcopatus & Abbatias vendit : etenim Conſtantienſem, Babenbergenſem, Moguntinenſem, &

D

E plures alias pro pecunia, Ratiſponenſem, Auguſtenſem, Strazburgenſem pro gladio, Abbatiam Fuldenſem pro adulterio, Monaſterienſem Epiſcopatũ (quod dicere & audire nefas eſt) pro Sodomitica immunditia vendidit. quæ ſi impudenter negare voluerit : teſte cælo, teſte terra, omnes etiam a furno redeuntes ſcioli concludent. Ergo dominus Henricus hæreticus eſt. Pro quibus nefandis malis ab Apoſtolica Sede excommunicatus, nec regnum, nec poteſtatem aliquam ſuper nos, quia Catholici ſumus, poterit obtinere.

g Iſa. 1.

Sane quia fratrum nos odijs fatigas, intellige nulli nos odiũ de inaffectione, ſed de pietate intendere. Abſit vt dicamus, Henricus inter fratres aut Chriſtianos reputetur, qui toties corripientem Eccleſiam non audiens, ſicut Ethnicus & Publicanus habetur. Cuius odium pro magno ſacrificio Deo offerimus, dicentes cum Pſalmiſta : [h] Nonne

h Pſal. 138.

qui

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui oderunt te, Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam? perfecto odio A
oderam illos, & inimici facti sunt mihi. Cuius odij dignitatem Veritas commendans,
a Luc. 14. ait: [a] Si quis non odit patrem, & matrem, & fratres & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Non ergo de odio iuste reprehendunt, qui animam nostram, cum a via Dei exorbitamus, qui patrem & matrem, & omnem affectum, qui nobis in via Dei obstat, odisse præcipimur. Inde est quod omni studio, omni conatu laboramus, vt hostes Ecclesiæ nos quoque vt aduersarios caueamus; & non quia nostri, sed quia Dei inimici sunt, odio habeamus. Porro quod de pace cum omnibus hominibus habenda persuades, meminisse debes, quia præmisit Apostolus: Si fieri potest. Fieri autem non potest, vt cum ijs, qui Deo contrarij sunt, pacem habeamus. Quis autem nesciat, Dominum Saluatorem, non solum pacem
b Ioan. 14. commendare, cum dicit: [b] Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis, sed etiam B
c Eph. 2. ipsam pacem existere (sicut ait [c] Apostolus) Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque
d Matth. 10. vnum. Quid ergo ait pax nostra commendans pacem? Nolite, inquit, arbitrari, quia veni mittere pacem in terram, non veni pacem mittere, sed gladium. quid est hoc? Quare pax gladium? quare pax bellum indicit? Nimirum vt destruatur pax diaboli.
e Luc. 11. habet enim & diabolus pacem suam, de qua Dominus dicit: [e] Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet. O quam potenter per vos satellites suos atrium suum hoc tempore diabolus custodit, qui scuto falsitatis, & galea perfidiæ protecti, nulla veritatis iacula, nulla fidei spicula admittitis! Potest tamen Dominus noster, vtpote fortior armatus superueniens, fortem vestrum vincere, & arma in quibus confidit, auferre. Non ergo recte culpamur, si pacem illam omni bello
f Ibid. 19. crudeliorem detestamur, quam ipsa Veritas super [f] Hierusalem flendo reprobat, di- C
g Psal. 72. cens: Et quidem in hac die, quæ ad pacem tibi. & quam Psalmus: [g] Super iniquos zelaui, pacem peccatorum videns.

Quod vero Papam Gregorium, Regem Rodulphum, Marchionem Eggebertum pessimi interitus damnas; & dominum tuum, quia illis superstes est, bonitas: liquet profecto ab omni spirituali te consideratione manere vacuum. Nonne beatius est bene
b Matth. 5. mori, quam male viuere? [h] Beati enim qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Iam & Neronem, quia Apostolis Petro & Paulo; iam & Herodē quia Iacobo Apostolo; iam & Pilatum quia Domino IESV Christo superuixerint, beatos æstimas. Qua opinione quid insanius aut infelicius dici potest? Quapropter & ab hac blasphemia linguam magniloquam compesce, nisi forte in numero illorum te constituis, qui in fine, iustorum videntes gloriam, seram & infructuosam agentes pœnitentiam, præ D
i Sap. 5. angustia spiritus gementes dicent: [i] Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinē improperij: nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est. Ergo errauimus a via veritatis, & sol iustitiæ non luxit nobis. Quid nobis profuit superbia, & diuitiarum iactantia quid contulit nobis? transierunt omnia velut vmbra. Quæ nos verba in memoria adamantina scribentes: omnem similitudinem extollentem se aduersus veritatem Dei cōtemnimus; & gloriantes in tribulationibus, calumniari, proscribi, & exterminari, denique occidi possumus: flecti vel vinci non possumus. Et cum magno tripudio illud, quod tu puer adolescens, iuuenis frequentatus nondum corde senex concepisti, de patribus nostris exultamus, qui contemnentes iussa Principum meruerunt præmia æterna. Porro sententias tuas diligenti curiositate trutinantes, quasi spiritualia spiritualibus comparare volumus. sed sicut. & reliqua non pauca] hucusque recitat Dodechinus ex epistola rescripta ad schismaticum Magdeburgensem. E

BERNARDVS CONSTANT. SCRIPTOR CONTRA SCHISMATIC.

Fuerunt & alij Orthodoxi, qui aduersus huiusmodi schismaticos his ipsis temporibus commentarios ediderē, inter quos memoriæ proditur Bernardus Constantiensis, de quo Bertholdus: *Hic*, inquit, multa nobis sui ingenij monimenta reliquit, multaq. pro Catholicis contra schismaticos sui temporis elegantissime scripsit. Ac primū quidem ad quosdam suos amicos de iudicio Gregorij Papæ VII. super schismaticos, & de sacramētis extra Ecclesiam vsurpatis. Postea etiam ad venerabilem Hartungum Magdeburgensem Episcopum de eadem causa magnum librum luculentissimum compositit ex persona sanctæ Ecclesiæ, in quo testimonijs sanctorum Patrum omnes insi-

A insidiosas cauillationes eorumdem schismaticorum prudenter annullasse videtur. sed in ijsdem scriptis nimio zelo ductus alicubi modum excessisse notatur, videlicet vbi agit de sacramentis schismaticorum; negat enim omnino ab eis, & ab eorum communicatoribus sacramenta posse confici; ita vt ab illis ordinatos si resipiscant, iterum ordinandos censeat. Sed hoc sacratissimo Nicæno Concilio, æque vt Euangelia, venerando repugnat &c.] ostendit enim alijs plerisque sanctorum Patrum sententijs, schismaticorum sacramenta ab Orthodoxis in Ecclesia fuisse recepta.

VRBANVS PAP. PRO MONACHIS LABORAT.

Hoc eodem anno Vrbanus Papa tyrannorum violentias repressit aduersus monachos illatas, aduersus quos & Principes Feudatarios Ecclesiæ diplomate scripto commouit. quænam fuerint ista, & quæ ijdem Principes Vrbano parentes aduersus inuasores in monachorum defensionem constituerint, quæ sequuntur scripta declarant;
B accepta ab eorumdem monasterij archiuo, quæ sic se habent:

Vrbanus Episcopus seruus seruorum Dei Rogerio Duci & Boamundo fratri eius, salutem & Apostolicam benedictionem.

Proclamationem ante nostram præsentiam fecit Vrso Bantinus Abbas de quibusdam Comitibus & Baronibus, qui callida, * inuidiosa, Episcoporum machinatione seducti; ipsum & eius monasterium nostris manibus consecratum modo plus conturbant. Vnde quia prædictum monasterium ad ius beati Petri pertinere, vestram non latet notitiam, ex auctoritate beati Petri & nostra, monasterium & Abbatem vobis commendamus, quatenus custodiatis, adiuuetis, & a malis hominibus, sicut beati Petri proprietatem, fideliter defendatis, & neque deprædationes, neque aliquam sui iuris diminutionem a quocumque fieri patiamini. Semper recordantes, quia * in
C consecratione eiusdem monasterij Abbatē & ipsum in manus vestras specialiter commendauimus. Itaque e priore commendatione, & harum litterarum iussione ab omnibus monasterium nostrum, & præcipue a Goffredo Amici Comitis filio, sicut fideles beati Petri, defendite. Qui Abbati etiam, pro defensione suæ rerum ecclesiæ partes maritimas conterenti, constipatus latronibus sese obuiam contulit: atque ab eo * sub recto pretioso priuilegio nostro, vestris supplicationibus constituto, & alijs scriptis, spolia eius diripiens, cum suis confratribus satiatum opprobrijs eum peditem dereliquit: ac inde quæque iam a patre suo Comite eidem monasterio debitæ restaurationis gratia condonata, ad suas manus sacrilegas nequiter reuocauit. Quod si priuilegium & quæque direpta sacrilegus ille renuerit reddere, & Abbati ac Fratribus dignissime satisfacere, præcipimus vt cogatis. Alioquin ipse & fautores eius anathe-
D mati subdentur] his mox subijciuntur ista simul iuncta & annexa litteris Apostolicis:

* f. inuidiosaq.

* f. & * f. subrepto

Priuilegium Rogerij Ducis & Boamundi fratris.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Rogerius Dux & Boamundus Roberti magnifici Ducis Italiæ heredes & filij.

PRIVILEGIVM ROGERII ET BOAMVNDI.

Nos diuino amore & rogatu Vrsonis Bandusiensis Abbatis venerabilis patris nostri Bantinum monasterium in honore Dei Genitricis constitutum a domino nostro Vrbano vniuersali Papa fecisse consecrari, & cum suis rebus omnibus habitis & habendis ab omni . . . . & Episcopali iure & publica omni exactione subtrahi, trigintaduobus Catholicis Patribus innixis singulis pastoralibus virgis astātibus, posterorum memoriæ innotescimus. Inter quos Comitum & Baronum innumera non defuit multitudo. Attamen monasterium ipsum * prædictus dominus Papa consecrare omnimodo
E renuit, priusquam idem & sua omnia in nostra & heredum nostrorum speciali cura & defensione omnimoda reciperemus, & conuicini Comites & Barones qui aderant, Apostolica iussione Euangelicis sacramentis astricti eidem monasterio, & rebus omnibus suis pacem & defensionem perpetuam & generalem libertatem se vbique custodire promitterent. Nos autem cum supradictis Comitibus & Baronibus nostris pro anima memorati genitoris nostri, & anima matris nostræ * Sihulgaitæ, & remissione peccatorum nostrorum, donamus prædicto sancto monasterio ecclesiam sanctæ Mariæ de Carratello iuxta Sarracenam sitam cum casali suo & ecclesijs suis & villanis intus & deforis a Sarracenis constructis, cum territorijs & pertinentijs earum, sicut Abbas Cunuthus & eius antecessores tenuerunt, & vt eorum scripta testantur. Præfatum etiam monasterium, ecclesias & homines, & cuncta quæ possidet, aut in futurum largiente Domino possidebit, ab omni onere & seruitio publico subtrahimus, dona-

* prædictum

* Sicelgaitæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

donationes & concessiones ipsi monasterio factas & faciendas omnimodo confirmamus, maxime præfati genitoris nostri, & Principis Siconolphi, a cuius stirpe nobilem matern̄ originem Dux ego susc epi. Insuper autem venerabilem Apostolicam constitutionē venerantes, sancimus, vt omnes cuiuscumque conditionis homines clericos & laicos, qui in morte vel vita ad præscriptum monasteriū, ecclesias eius, & loca cum rebus suis transire, aut in suis domibus commorantes se & quælibet bona temporalia sua eleemosynarum largitione conferre voluerint, nullius contradictio inhibeat, & collata eisdem quæcumque fuerint, patrocinio Apostolicæ Sedis, nostraq. ordinatione Bantini Fratres quiete & generaliter libere perpetuo possidebunt. Et vt monasterium idem de suscepta libertate & pace semper congaudeat, & de redditibus suis in nullo sustineat detrimentum, statuimus, vt seditores domorum eius carentes proprijs domibus, homines & oblatos eius & cuncta mobilia & stabilia, & locorum eius iam habitatores & habitaturos, vbicumque constiterint, cum omni potestate generalis dominij perpetuo dominetur atque possideat. Et quæcumque iura, dominationes & auctoritates habemus nos in nostris ciuitatibus, castellis & locis, hæc eadem rectores ipsius monasterij perpetim habeant in cunctis obedientijs & possessionibus suis, atque hominibus & oblatis, & domorum suarum habitatoribus domos proprias non habentibus, per vniuersas terras nostras constitutis & constituendis per montanas & maritimas partes. Et sicut prædictus dominus noster vniuersalis Papa a prænominato monasterio, ecclesijs eius, & locis omnibus suis omnia Episcopalia iura & publicas omnes exactiones, interueniētibus nostris & nostrorum Comitum & Baronum precibus, funditus resecat & repellit: sic communi voluntate omniū nostrum statuimus, vt monasteriū ipsum obedientiæ eius, & homines per vniuersas terras dominationis nostræ, & eorumdē Comitum & Baronū secure & generaliter libere laborent & maneant, & cum suis omnibus animalibus, proprijs & aggregatis, aquis, lignis, & pascuis, & quæ natura, non cultura producit, generaliter perfruantur, omni publica exactione remota. Dent tamen soli homines ipsius monasterij tantum consuetum terraticum dominis terrarum, quas laborauerint, cum iustitia & moderatione. Vtrumque autem plateaticum emptionis & venditionis omnium rerum, quas pars monasterij cum quibuscumque contraxerit, eis vbique pariter condonamus.

Decernimus ergo, vt nulli omnino hominum fas sit præfatum monasterium temere perturbare, aut eius possessiones auferre, minuere, vel ablatas retinere, seu quibuslibet vexationibus faticare, omni titulo & specie quarumlibet oppositionū semper excluso.

Decimas quoque omnium rerum, quæ sub vniuersa dominatione ipsius monasterij, & per omnia eius loca & pertinētias humano labore vel studio acquiri lucrarive possunt, Fratres similiter percipiant & extorqueant, nostra semper auctoritate muniti. Indulgemus autem eis hæc omnia, Apostolicæ Sedis paterna sancta constitutione inducti, & Comitum & Baronum nostrorum benigno consilio. Et quia monasterium ipsum post introitum Northmannorum prædecessorum nostrorum, cum intrinseca sua expoliatione, & locorum suorum miserabili depopulatione, cum sacrilegis vsurpationibus Episcoporum, innumera lugenda detrimenta, & indigna sustinuit, quæ breuiatim in priuilegio Comitis Amici notantur. Quicumque ergo nostrum vel heredum, aut successorum nostrorum hanc nostram sanctam, spontaneam, communem ordinationem temere violare tentauerit, per statutam conuenientiam centum libras puri auri teneatur componere, medietatem earum Lateranensi palatio, & medietatem præscripto monasterio. Et quæ præleguntur, perpetuo illibata permaneant. Nos itaque tacti dolore intrinsecus, & extrinsecus aspersi rubore, quoniam labor debitæ nostræ sollicitudinis pretiosum Apostolicum instrumentū, nostris supplicationibus constitutum, & subreptum tempore nostro, nunc vsque reperire non potuit: secundum quod fideliter ab eo exemplatum inuenimus, nostra nostrorumq. Comitum & Baronum pari memoria protestante præsens hoc simile liberatorium scriptum per manus magistri Theodosij Notarij nostri scribi mandauimus, & plumbea bulla nostro solito typario impressa confirmari, & prætitulato domino Abbati dari in ciuitate Canusio. Anno Dominicæ Incarnationis millesimo nonagesimo, Ducatus autem nostri quinto, mense Iulio, tertiadecima Indictione.]

✠ Ego Rogerius Dux me subscripsi.

✠Signum

✠ Signum propriæ manus Boamundi fratris eius.
✠ Robertus Comes de *Lauretello. } ✠ Roberti Alliorum
✠ Crux manus Goffredi Comitis Cupersani. } ✠ Alexandri ipsius Comitis
✠ Signum manus Comitis Richardi Andriæ. } ✠ Tancredi Cupersani
✠ Signum manus Roberti *Ansia.
✠ Signum Roberti Comitis filij Guillelmi filij Iuonis Comitis.
✠ Signum manus Astruuensis G.
✠ Ego Gratianus Senescalcus pro domino meo Poletnen. Comite in Acherocia languente hanc crucem feci.
✠ Signum manus Vufridi montis Cabiosi dominatoris.
✠ Amicus gratia Dei inclytus Comes.

*Loritello
*f. filiorum
*de Ansia

Hoc eodem anno Vrbanus Papa monasterio Vallisumbrosæ contulit priuilegium, est eius exordium: Cum vniuersalis sanctæ Ecclesiæ filij &c.] in fine autem de tempore dati diplomatis sic: Dat. Romæ per manus Ioannis sanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconi Cardinalis, anno Dominicæ Incarnationis M. XC. Indictione xiij. Idibus Aprilis. Anno Pontificatus domini Vrbani Papæ II. tertio.]

PRIVILEG. DATVM MON. VALLISVMB.

IESV CHRISTI ANNVS 1091. VRBANI II. PAP. ANNVS 4. HENRICI III. IMP. 8. ALEXII COMNENI IMP. 11.

NONGENTESIMVSPRIMVS post millesimum sequitur annus, Indictione decima quarta inchoatus, quo (inquit Bertholdus Constantiensis tēporis huius scriptor) dominus Vrbanus Papa in partibus Campaniæ morabatur, & ab omnibus Catholicis debita reuerentia colebatur, videlicet a Constantinopolitano Imperatore, & a Philippo Francorum Rege, alijsq. diuersorum regnorum Principibus tam ecclesiasticis, quā sæcularibus, excepto Teutonicorum regno, vbi multi ex Catholicis in partem excommunicatorum auaritia decepti sponte sua se transtulerunt. Romani quoque turrim Crescentij, *nempe munitionem S. Angeli*, quæ eatenus domino Papæ obediebat, dolo captam diruere tentauerunt. Dominus autem Papa facile Romam cum exercitu intrare, & rebellium contumaciam domare potuisset, si non magis cum mansuetudine causam suam agere delegisset] & inferius, eodem anno receptum rursus Romæ Guibertum Antipapam, narrat his verbis: Romani quoque Guibertum hæresiarcham, quem iamdudum expulerunt, iterum Romam intrare, & sanctam Ecclesiam suis non benedictionibus, sed maledictionibus infestare permiserunt.]

VRBANO PAP. EXTRA VRBEM POSITO GVIBERTVS ROMAE RECIPITVR.

De Vrbano autem subijcit paulo post ista: Vrbanus Papa generalem Synodum Beneuenti collegit, & sententiam anathematis super Guibertum hæresiarcham, & omnes eius complices synodali iudicio confirmauit] Cum Beneuenti esset Vrbanus Papa, conuenit eum sanctus Aibertus Abbas Crispinensis pro confirmandis regulæ monasticæ institutis, quam suis seruandam præscripturus erat. Cui, quæ postulauit, Vrbanus Papa concessit. Scribit hæc qui res ab eodem Sancto præclare gestas prosecutus est Robertus [a] Archidiaconus. In hoc Concilio factum putamus, quod Vrbanus Papa residenti cum alijs Abbatibus S. Petro Cauensi Abbati, alumno monasterij Cluniacensis tribuit vsum mitræ, qua ille vti numquam voluit. res gesta ita in Actis vitæ ipsius describitur: In Synodo ei more suo capite nudo residenti sanctæ memoriæ Papa Vrbanus pontificalem infulam misit, *nempe mitram*, quam vtique vir Domini, & pro summi Pontificis reuerentia venerabiliter recepit, & officiosissime salutauit, & tamen eiusdem sacerdotalis mitræ vsum, etiam rogante Papa, contempsit. Quod non ob aliud fecisse creditur, nisi vt quorumdam arrogantiam humilitatis exemplo condemnaret, qui dum se inaniter extollunt, indebitos sibi S. Ecclesiæ honores non metuunt vsurpare] hæc de his ibi. nec quidquam licuit præterea de eadem Synodo reperire.

CONCILIVM BENEVENTANVM.

[a] *Extat apud Sur. to. 2. die 7. Aprilis.*

Porro schismaticorum tyrānide valde laborabat Vrbanus. Quod enim Henricus Imperator iam in Italiam post Eggeberti obitum cum exercitu descēdisset, atque Mantuā ciuitatem dolo cepisset, auctæ plurimum visæ sunt vires schismaticorum, deficientibus ad schismaticos illis, qui non ratione, sed præpollenti potentia sæculari, vti ventis potentioribus agitatæ arundines mouerentur. Capta est ciuitas Mantuana post

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPTA MANTVA.

obsidionem vndecim mensiũ hoc anno, vt Domnizo qui aderat, testatur his versibus: A

Anno milleno nonageno quoque primo
Mantua sordescis, de proditione nigrescis] Quam contigit capi nimirum pridie dici Paschalis, vt idem auctor affirmat. Capta sunt & alia plurima oppida, vix paucis munitissimis saluis. quorum causa Henricus elatior more suo, schismaticorum pseudopapam iam arescentem virescere fecit, rursus intrudens in Vrbem, Vrbano apud Samnites Sedem habente. Qui tamen nequaquam animo concidens, sed magis magisq. Christi promissionibus fidens, quibus pollicitus esset, quod neque inferi portæ essent prævalituræ aduersus Ecclesiam: sacerdotali robore aduersus cuncta contraria fortis atque immobilis persistebat, vt diceret cum Apostolo: [a] In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur: aporiamur, sed non destituimur: persecutionem patimur, sed non derelinquimur: deijcimur, sed non perimus: semper mortificationem IESV in corpore nostro circumferentes, vt & vita IESV manifestetur in corporibus nostris] sed [b] sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra] Etenim qui in Germania Catholici permanserunt in obedientia Sedis Apostolicæ egregiæ sanctitatis specimen edidere, nimirum vt etiam sæculares homines obligati coniugio perfectioris vitæ religiosorũ institutum arriperent, quod scirent Fideles in ecclesia primitiua temporibus Apostolorum esse sectatos, quorum viuendi rationem Vrbanus Papa laudauit, atque diplomate pro eis edito confirmauit. de his hoc anno idem qui supra Bertholdus hæc ait:

VRBANI PAP. CONSTANTIA.

a 2. Cor. 4.

B

b Ibidem.

VITA COMMVNIS APVD LAICOS.

His temporibus in regno Teutonicorum communis vita multis in locis floruit, non solum in clericis & monachis religiosissime commorantibus, verum etiam in laicis, se suaq. ad eamdem communem vitam deuotissime offerentibus. qui etsi habitu nec clerici vel monachi viderentur: nequaquam tamẽ eis dispares meritis fuisse creduntur: se enim seruos eorumdem pro Domino fecerunt, imitantes eum [c] qui non venit ministrari, sed ministrare, qui & suos sectatores ad maioritatem per seruitij exhibitionem docuit peruenire, nempe ipsi abrenuntiantes sæculo, se & sua ad congregationes tam clericorum quam monachorum regulariter viuentium deuotissime contulerunt, vt sub eorum obedientia communiter viuere, & eis seruire mererentur. Quapropter inuidia diaboli contra eorumdem fratrum probatissimam conuersationem quosdam æmulos incitauit, qui eorum vitam maleuolo dente corroderent, quamuis ipsos ad formam primitiuæ Ecclesiæ communiter viuere viderent. Vnde dominus Papa Vrbanus illorum conuersationem ab ipsis Apostolis plantatam, sed ab eorum successoribus latissime propagatam decreti sui Apostolica auctoritate firmatam, ipsumq. decretum Prælatis eorumdem fratrum his verbis denuntiare curauit:

C

c Marc. 10.

VRBANI PAP. DECRETVM DE VITA COMMVNI LAICORVM

Quosdam, inquit, accepimus morem vestrorum cœnobiorum corrodentes, quod laicos sæculo renuntiantes, & se suaq. ad communem vitam transferentes regendos obedientia suscipitis. Nos autem eamdem conuersationem & consuetudinem, sicut oculis nostris inspeximus, laudabilem, & eo pro perpetua conuersatione dignissimã, quo in primitiuæ Ecclesiæ formam impressa est, iudicantes, approbamus, sanctam & Catholicam nominamus, & per præsentes litteras Apostolica auctoritate confirmamus] hucusque ex diplomate Bertholdus recitat. Scripsit & aliam epistolam eodem argumento ad eosdem idem Vrbanus Papa, vt qui communiter viuerent, suis Episcopis pareant, ex qua Iuo [d] Carnotensis Episcopus in suo Decreto eiusmodi fragmentum recitat: Quod autem sedes Episcoporum non nisi in ecclesijs excelsæ constitutæ & præparatæ inuenirentur in throno: speculationem & potestatem iudicandi, & soluendi atque ligandi a Domino sibi datam, maxime docent. Vnde ipse Saluator in Euangelio ait: [e] Quæcumque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælis. & alibi: [f] Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Ideo ipsa prætulimus charissimi, vt intelligatis potestatem Episcoporum vestrorum, in eisq. Dominum venéremini, & eos vt animas vestras diligatis, & quibus illi non communicant, non communicetis, & quos eiecerint non recipiatis. Valde enim est timenda sententia Episcopi, licet iniuste liget, quod tamen summopere prouidere debet] subijcit autem ista Bertholdus:

D

d Iuo p. 4. c. 74.

E

e Matth. 18.

f Ioan. 20.

Non solum autem virorum & feminarum innumerabilis multitudo his temporibus

A bus se ad huiusmodi vitam contulerunt, vt sub obedientia clericorum siue monachorum communiter viuerent, eisq. more ancillarum quotidiani seruitij pensum deuotissime persoluerent: in ipsis quoque villis filiæ rusticorum innumeræ coniugio & sæculo renuntiare, & sub alicuius sacerdotis obedientia viuere studuerunt; sed etiam ipsæ coniugatæ nihilominus religiose viuere, & religiosis cũ summa deuotione non cessauerunt obedire. Huiusmodi autem studium in Alemannia potissimum vsquequaque decenter effloruit. In qua prouincia etiam multæ villæ ex integro se religioni contradiderunt, seq. inuicem sanctitate morum præuenire incessabiliter studuerunt. Sic vtique Deus sanctam suam Ecclesiam in periculosissimo tempore mirabiliter consolari dignatus est, vt de multorum conuersione gauderet, quæ de excommunicatorum auersione iamdiu non cessauit dolere]

PROBATA VITA COMMVNIS.

B Hoc quoque anno (mirum dictu) cum Henricus Rex furit, & debacchatur in Romanæ Ecclesiæ iura: honorat eam Barchinonensis Princeps. Nam Berengarius Ausonensis Episcopus Romam veniens, translatus in Archiepiscopatum Tarraconensem accipit pallium ab Vrbano Papa, & priuilegia pro eadem ecclesia Tarraconensi; obtulit vero eidem Vrbano Pontifici Berengarij Comitis donationem factam anno superiori de ciuitate Tarraconensi e Sarracenorum manibus vendicata, quam hic tibi ista cupienti, ex eius diplomate describendam putauimus. Habetur in Vaticana bibliotheca in codice Cencij Camerarij sub isto titulo:

TARRACONENSIS CIVITAS DONATA S. PETRO.

Instrumentum donationis factæ de ciuitate Tarraconensi Romanæ Ecclesiæ a Berengario Comite Barchinonensi.

Quoniam audiuimus, necnon etiam sæpissime vidimus res verti in contrarium

C mortuis testibus: principalibus & sapientioribus placuit, vt res gestas litteris denotarent, & ita quomodo res se habuit, posteris suis traderent. Quapropter ego Berengarius Raymundi Comes Barchinonensis & Marchio hanc chartam scribi iussi, vt semper staret memoria huius rei, scilicet: Quod ego Berengarius Comes prædictus, amore Dei ductus, donaui Domino Deo & Apostolorum principi beatissimo Petro, eiusq. Vicario Romanæ Sedis Apostolico omnem meum honorem, qui mihi competit ex iure paterno, quemadmodum ego diuisi cum Raymundo Berengario fratre meo, sicut ego eum habeo, vel habere debeo, specialiter dono ei in Dei nomine Tarraconensem vrbem cum omnibus quæ pertinent aut pertinere debent ad eiusdem vrbis nobilitatem, ea scilicet deliberatione, vt ego & mei posteri omnes, sicut suprascriptum est, teneamus hoc totum per mãum & vocem sancti Petri, eiusq. Vicarij Romanæ Sedis Apostolici, per quinquennium persoluentes ei censum vigintiquinque librarum purissimi argenti ad iustum pensum. Et vt Principes vniuersi, vel omnes alij, qui mecum insudauerint ad præfatæ vrbis restaurationem, habeant in confinio huius vrbis paralodium, suam * aprissionem, vel quod acceperint per manus nostræ largitionem, non inde persoluentes aliquam pensionem, nisi forte compuncti amore Dei voluerint ipsi persoluere sua gratuita voluntate. Ob hoc etiam hanc chartam ratã esse volo, vt omnis hic honor, sicut superius continetur, nullatenus transferri possit in alterius potestatis dominium, sed ego tantummodo & posteri mei in perpetuum teneamus hoc totum per manus principis Apostolorum Petri & eius Vicarij domini Vrbani Secundi Papæ, & successorum eius, beati Petri Sedem canonice regentium.

DIPLOMA DONATIONIS CIVITATIS TARRAG.

D

*

E Hanc oblationem offero Domino Deo & principibus Apostolorum Petro & Paulo propter redemptionem peccatorum meorum, & patris mei Raymundi, & parentum meorum, per consilium & voluntatem Berengarij Archiepiscopi Tarraconensis, & Episcopi Gerundensis æquinoci Berengarij, & Vicecomitum Deusdedit Tarraconensis & Arual † Mironinsis Barchinonẽsis, & Geraldi Alemanni, & Gereberti Girardi, & Guillelmi Raymundi. & Dorche fratris sui & Hugonis Dalmacij, & Huberti Gousberti, & Angerij Gonfredi, & Alberti Bernardi per manum domini † Rainerij Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, qui nunc legatione fungitur in partibus nostris † Era millesima vigesimaoctaua, anno ab Incarnatione Domini millesimo nonagesimo] hucusque diploma, cui ista subijciuntur ab alio addita: Tarraconensis ciuitas per Berengarium Comitem & ceteros prouinciæ ipsius Principes restaurari & inhabitari cœpta est, anno autem sequenti Berengarius Ausonensis quondam Episcopus, per quem potissimum ciuitas eadem restaurabatur, Sedem Apostolicam adijt, domino Vrbano

† f. Minoricensis

† hic post Vrbanum successit Papa, vocatus Paschalis Secundus.

† A libratione negligente prætermissus mensis & dies.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Papæ se præsentauit, pallium accepit, priuilegium promeruit, per quod in Tarraco- A
nensem metropolim translatus, Archiepiscopus institutus est. Pontificium autem diploma sic se habet:

VRBANI PAP. DIPLOMA AD BERENG.

Vrbanus Episcopus seruus seruorum Dei, dilecto fratri Berengario Ausonensi Episcopo in Tarraconensem metropolim translato, eiusq. successoribus canonice substituendis in perpetuum.

Inter primas Hispaniarum vrbes Tarraconam fuisse insignem & gentilem, etiam Christianæ paginæ indicijs demonstrant. Iustus autem Dominus in vijs suis, & sanctus in omnibus operibus suis, qui cum in plerisque iudicijs incomprehensibilis habeatur, in nullo vmquam valet reprehensibilis æstimari. Ipse transfert regna, & mutat tempora. Ipsi visum est in eadem vrbe olim Tarraconensis vrbis gloriam exaltare: ipsi visum est in eadem vrbe peccata populi sui visitare. Cum enim in ea Christianorum populus habitaret, visitauit in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Sed ecce iam transactis trecentis nonaginta annis, ex quo præfatam vrbem Agarenorum gens prope solitariam fecerit: Principum suorum cordibus inspirare dignatus est, vt eiusdem vrbis restitutioni, secundum præceptum Apostolicæ Sedis, cui * auctoritate Deo, licet indigni præsidemus, insisterent. Berengarius siquidem Barchinonensis Comes auctoritatis nostræ persuasione commonitus pro animæ suæ salute cum suæ potestatis magnatibus non solum restitutioni præfatæ vrbis insistit, sed & vrbem ipsam & omnem potestatis suæ terram beato Petro, eiusq. Vicarijs legali stipulatione tradidit, censumq. quinque librarum argenti Lateranensi palatio * annis soluendum instituit. Nos itaque, præstante Deo, restitutionis huius optamus cooperatores existere, prædicti Comitis institutum, libertatesq. & consuetudines, quas nouis Tarraconensis vrbis colonis promulgasse cognoscitur, collaudamus, & rata manere auctoritate nostra decernimus. Cum vniuersa siquidem ipsius Comitis terra, quam beato Petro obtulit, & Tarraconensem vrbem ac populum, Domino ibi aspirante, collectum, sub Apostolicæ Sedis tutela specialiter confouendum suscipimus, libertatemq. illius per Comitis Berengarij * scripto collatam eatenus confirmamus, vt nemini quidquam vltra persoluant, nisi sponte propria Romanæ se faciant Ecclesiæ debitores. Vt igitur hæc omnia Deo auctore inconcussa permaneant: nos antecessorum nostrorum priuilegia sequentes, qui Ausonensem ecclesiam Tarraconensis quondam instituere vicariam: tibi, o charissime fili Berengari, quia tuo potissimum studio hæc est restitutio instituta, ex Romanæ Ecclesiæ liberalitatis gratia pallium, totius scilicet sacerdotalis dignitatis plenitudinem, indulgemus. D

Præterea tibi, tuisq. successoribus legitime substituendis, qui in Tarraconensis ciuitatis & ecclesiæ restauratione pari studio insudauerint, præfatam Tarraconensem ecclesiam iure proprio possidendam per huius priuilegij paginam confirmamus vna cum omnibus ecclesijs, quas proprio iure noscitur antiquitus possedisse, præcipientes de his, quæ Sarracenorum ad præsens subiacent ditioni, vt cum eas Deo placuerit potestati populi Christiani, * ad debitam ecclesiæ vestræ obedientiam referatur, salua tamen in omnibus Romanæ Ecclesiæ auctoritate. Porro Ausonensem ecclesiam tibi, tuisq. successoribus tam diu concedimus possidendam, donec, auctore Deo, ad pristini status plenitudinem vestro studio Terraconensis ecclesia reformetur. Pallio itaque in Missarum solemnijs intra ecclesiam solummodo vti debebis, in præcipuis tantum festiuitatibus, videlicet Natiuitate Domini, Epiphania, Hypapāte, Cœna Domini, Sabbato sancto, Resurrectionis prima & secunda feria, Ascensione Domini, Pentecoste, tribus festiuitatibus sanctæ Mariæ, sancti quoque Michaelis, & sancti Ioannis Baptistæ, in natalitijs omnium Apostolorum, & eorum Martyrum quorum pignora in vestra ecclesia continentur, in commemoratione nihilominus omnium Sanctorum, in consecrationibus ecclesiarum, Episcoporum, clericorum, in annuo consecrationis tuæ die, in solemnitatibus etiam sanctæ virginis Theclæ, sanctiq. martyris Fructuosi ac sociorum eius. Te igitur reuerentissime frater, affectione intima exhortamur, quatenus dignum te tanti honoris pontificio semper exhibeas, Christianis ac Sarracenis sine offensione esse procurans, ad fidem Infideles quærere, Deo largiente, verbis studeas & exemplis. Sic exterius pallij dignitate præcellas in oculis hominum, vt interius virtutum excellentia polleas coram supernæ oculis maiestatis. Plane per præ- E

* f. auctore
* f. singulis
* f. scriptum
*

sentis

A sentis priuilegij paginam officij nostri auctoritate decreuimus, vt quicumque se Tarraconensis ecclesiæ bona iniuste hactenus obtinuisse cognoscunt, ea deinceps eidem ecclesiæ restituere, præ iudicij diuini formidine, & Sedis Apostolicæ reuerentia studeant. Si quis autem in crastinum Archiepiscopus, aut Episcopus, Imperator, aut Rex, Princeps, aut Dux, Comes, aut Vicecomes, Iudex, aut quilibet Magistratus, vel persona ecclesiastica, vel sæcularis, huius priuilegij paginam sciens, contra eam venire temere tentauerit: secundo tertiove commonitus, si non satisfactione condigna emendauerit, eum honoris sui & officij periculo subiacere decreuimus, & a Christo, atque Ecclesiæ corpore segregamus. Conseruantibus autem pax a Deo & misericordia præsentibus & futuris sæculis conseruetur. Etiam. Amen. Dat. Capuæ Kal. Iulij per manus S. R. E. Ioannis diaconi Cardinalis, Indictione decimaquarta, anno
B Dominicæ Incarnationis millesimo nonagesimoprimo, Pontificatus autem domini Vrbani Secundi anno quarto.]

Hoc eodem anno inuentum est Bari metropolitana in Apulia ciuitate corpus sancti Sabini Episcopi Canusini, de quo plura sanctus Gregorius habet in tertio dialogorum libro. Inuentæ autem sunt in sepulchro eiusmodi inscriptiones.

A dextris.

✠ Tumba beati membra Sabini continet ista.
Condidit hic Præsul membra Angelarius illa
Quæ Bari Primas primis patefecit Elia
C *Tandem Sanctorum sublimatore fauente.*
Vrbs est Barensis patre consolata Ioanne,
Qui simplex, iustus, prudens, pius, atque pudicus,
Istam Basilicam veterem nimis & tenebrosam,
Vt decet, & decuit digno cultu renouauit.
Cum tribus hanc aris postquam de more sacrauit,
In media sancti Sabini membra locauit.
Quæ Magdalenæ sacra sub honore Mariæ,
Membrorum non est primi quoque Martyris expers.] v. Idus Februarij Indict. iiij.

A sinistris.

✠ Angelarius Archipræsul Canusij attulit huc corpus sancti Sabini a Canusio, quod fuit occultum in hoc tēplo vsque ad tempus Eliæ Archiepiscopi Barinorum, & Canusinorum, a quo fuit inuentum & hic honorifice collocatum. Mense Februarij Indictione xv.

Porro rei gestæ historia tunc temporis a Ioanne Archidiacono scripta memoria digna videtur, quæ incipiens ab Vrsone Archiepiscopo prædecessore Eliæ, sub quo eiusmodi inuentio facta est, continet alia plura eius temporis scitu vtilia. sic enim se habet:

D

Ioannes Archidiaconus.

Temporibus Vrsonis Archiepiscopi, qui prius fuerat apud Rapullam Episcopus, sed postea per potentiam & voluntatem Ducis Roberti a Papa Gregorio, qui & Hildebrandus dictus, ad ecclesiam Barensem traductus fuerat, Archiepiscopus ordinatus est, qui me a primo gradu ecclesiastico vsque ad leuiticum ordinauit, & Archidiaconatus honorem mihi concessit indigno. Sermocinatio inter clericos veteres ecclesiæ nostræ illo præsenti de altari veteri, quod erat in Confessione, multotiens orta est. Requirebat enim ipse Archiepiscopus a sacerdotibus veteranis de eodem altari & illius consecratione, vel reliquijs, vel a quo fuerat olim consecratum: de multis etiam ecclesiæ nostræ rebus quemadmodum hominibus consuetudo est, scire volens
E interrogabat. Illi autem retulerunt ei respondentes, eamdem fuisse Archiepiscopatus ecclesiam, quæ modo est Confessio, postea vero desuper incepta est ecclesia ad honorem beatæ Dei genitricis & semper Virginis Mariæ a Bisantio Archiepiscopo, & a Nicolao Archiepiscopo eius successore consummata. Verumtamen de altari prædictæ Confessionis incerti erant, a quo fuerat pontifice consecratum, vel cuius Sancti reliquiæ suppositæ, a suis autem prædecessoribus relatum memoria retinebant, sanctorum Confessorum Memoris & Rufini, qui olim ecclesiæ fuerant pontifices Canusinæ, corpora recondita conseruari. Colloquium itaque inter nos cum eodem Vrsone habebatur Archiepiscopo de inquirendis sub prædicto altari Sanctorum istorum corporibus, quoniam id quod de eisdem referebatur, mentibus nostris versabatur ambiguum. Verum quia ipse Archipræsul multis & varijs impeditus erat negotijs, inquisitio ista protracta est, suoq. in tempore omnino dimissa.

DE VRSONE ARCHIEP. BARENSI SVB ROBERTO GVI SCARDO.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Erat namque maiorum cauſarum fere omnium Ducis Roberti & conſiliorum intimus & particeps, quia & fideliſſimum ſibi ſuis in negotijs iam & probatum habebat aliqua in legatione Apocriſarium. Nam frequenter ad prædictum Papam legauerat, & Hiſpaniam illum miſerat, quoniam filiam ſuam Comiti Barzelonenſi nuptui dederat, quam ſuæ de regno prouinciæ pro nuptijs confirmandis vſque in terram iſtam, quæ ſub eius Ducis erat dominio, cum multo comitatu & apparatu ſumptuoſo conduxerat. Præterea cum eodem Duce, quocumque ibat, equitabat fere totius anni per ſpacium, quoniam pro his, quæ retulimus, & alijs prope ſe illum volebat degere, ſuiſq. in negotijs, vt prænotauimus, habere participem. Rariſſime igitur ſuum ad Epiſcopatum veniebat, aut in Paſcha, vel in Natalis ſolēnitate Domini, aut in quibuſdam paucis anni partibus, non tamen diu morabatur, ſed tribus vel diebus quatuor, aut, vt multum, per ſeptimanam. Hoc itaque modo tranſeundo per tempora fatigatus & inquietus, ſicut ipſe nobis retulerat, ſæpe multis ſub laboribus, & itineribus, & ſollicitudinibus, vtpote tanto Duci ſeruire ac placere volebat, vixerat. Tandem autem Hieroſolymam cauſa orationis ad Sepulchrum profectus eſt Domini, & in eodem anno exinde Barum redijt, & aliquanto tranſacto tempore iuit Canuſium, ibi infirmatus obijt, & ſepultus eſt ſextodecimo Kal. Martij. hic vixit in Archiepiſcopatu Barenſi annis nouem & menſibus octo.

ELIAS ARCH. TEMPORE SYNODI MELFITANAE.

Huius autem poſt obitum ſucceſſit Elias Archiepiſcopus, qui primus Abbas fuerat, corpuſq. ſancti Nicolai ſua in procuratione abſque ordinatione tenebat. Hoc autem electo in Archiepiſcopum voluntate atque conſenſu Ducis Rogerij filij Ducis dicti Roberti, Melfiam Papam Vrbanum adiuimus, qui ibidem Synodum celebrabat menſe Septembri, quem rogauimus, vt vſque Barum deſcenderet, prædictumq. conſecraret Eliam in Archiepiſcopatus honorem, domino Boamundo eumdem Papam nobiſcum deprecante, qui eo tempore Barum iam ſuo tenebat ſub dominio: ipſo vero conſecrato ab eodem Papa in eccleſia noſtri Archiepiſcopatus, ſæpe cum eo loquebamur de prædictis corporibus atque altari. Cœpit ergo ſollicitus eſſe, vt quæreret quatenus de hoc, quod ambigue dicebatur, & habebatur, certus foret, & amplius non dubitaret. Nam de corpore ſancti Sabini mentio nulla erat, ſed de ſupradictis Confeſſoribus, nec temporibus prædicti Eliæ Archiepiſcopi, neque Archiepiſcopi Vrſonis. Exiſtimabatur enim, quod apud eccleſiam Canuſinam illius ſanctæ recōditæ fuiſſent reliquiæ, quod probauit poſtea rei veritas fuiſſe mendacium. Multotiens enim quæſitum eſt in eadem eccleſia de Confeſſoris eiuſdem corpore, & a Mordaco nomine prædictæ Præpoſito eccleſiæ, atque Rainerio & alijs, qui præfuerant: ſed numquam & nuſquā ab illis potuit hactenus inueniri. Quippe quod ibi non erat, quomodo inuenire valebant? hoc autem modo in eccleſia noſtra voluntate diuina, quod multos ignotum per annos fuerat, ſcriptura nulla ſignificante repertum eſt tandem.

INVENTIO CORPORIS S. SABINI EPISC.

Nam prædictus Elias Archiepiſcopus cœpit ſimulac, vt prænotatum eſt, eſſe ſollicitus de Memoris atque Rufini Confeſſorum in altari iam dicto, vt certus eſſet, requirendis corporibus, non quieuit, vel obliuioni quemadmodum Vrſo fecit Archiepiſcopus, tradidit, ſed iuſſit altare deſtrui. Quo diruto, apparuerunt oſſa in anteriori altaris facie veluti ſub quadam ſpeluncula, vel ſepultura condita quodam contecta panniculo. Quo viſo ſtatim cœpit idem Archiepiſcopus illum auferre caute atque ſuauiter. Verumtamen illum non ſequebatur integer totus; particulæ namque illius ab illa, quæ prius fuerant integritate corruptæ, iam putrefactæ cadebant; multorum quippe annorum curricula tranſierunt. Ab illo etenim tempore, quo ſupradicta fuerunt oſſa vſque ad hoc ibi ſuppoſita, inuenimus ducentos & quaſi quadraginta præterijſſe annos, numerantes diligenter, vt valuimus, Epiſcoporum annos, qui huic noſtræ præfuerunt eccleſiæ. Prædicto autem panno modo ſupradicto inuento, litteræ ſunt viſæ atque lectæ, quæ dicebant: ANGELARIVS EPISCOPVS ATTVLIT CORPVS SANCTI SABINI. Huiuſmodi etiam ſcriptura inuenta eſt in tabula vna marmorea, quæ ibidem tunc reperta eſt ſimiliter & in vno toſo: a quo videlicet, tempore huius Epiſcopi Angelarij vſque ad tempus eiuſdem Eliæ Archiepiſcopi anni præſcripti ſunt numerati. Archiepiſcopus igitur cum omnibus nobis, qui aderant, effectus lætiſſimus, hoc, quod inopinate inuentum eſt, mox cœpit, vt decebat, reuerenter extrahere, atque capſa lignea deinde honorifice collocare.

Interea

Interea velocibus alis fama ſubito volauit per vrbem, aureſq. omnium verberans, id quod actum eſt nuntiauit. cucurrit igitur repente vterque ſexus & omnis ætas lætitia, & gaudio plena, Dominoq. omnipotenti meritas reddidit laudes, qui ſuo in tempore tantam gratiam ſui largitate conceſſit. Sanctos autem artus ad horam ſic collocatos, Archipræſul idem nō ita in tempus poſterum permanere negligenter permiſit, ſed marmoream ſepulturam, vt ſolet fieri, apte compoſitam, tabulam quoque marmoream itidem ad tegumētum, litteris ibi per ſculpturam deſignatis inuentione, & tempus, nomenq. ſuum, vt eſt deſuper notatum, ſignificantibus a nobis dictatis, præparari præcepit. His & alijs, quæ neceſſaria erant denique conſummatis, Epiſcopos eccleſiæ noſtræ ſuffraganeos, Clerum omnem & populum die præordinata conuocatum, ordinatis ex more deinde ordinibus eccleſiaſticis, vt ſolet in diebus fieri ſolemnibus cum luminibus, & thymiamatibus, Præſulibus ſuſtinentibus eaſdem reliquias, ſub eodem loco vbi inuentæ fuerant honorifice collocauit. His denique ſolemniter ita conſummatis, altare deſuper conſtrui præcepit, & vt iſtius feſtum inuentionis celebraretur decimo die intrante menſe Decembri, qui & dies fuit inuentionis, conſtituit, anno ab Incarnatione Domini noſtri IESV Chriſti milleſimo nonageſimoprimo, Indict. quartadecima.

Pro munere autem iſto nos gratias meritaſq. laudes omnipotenti Deo referre debemus, qui nobis eſt ſuam per gratiam dignatus concedere. Vnde lætitiam habemus communem: merito enim nos collætari debemus, quia ſi quilibet homo ſicut ſcriptum eſt, [a] in agro theſaurum aliquem inuenit, vendit vniuerſa quæ habet, & gaudens emit agrum illum: quanto magis nos pro iſto theſauro auro & argento multo meliore gaudere debemus, quem nos non emimus, pro quo nullam commutationem fecimus, ſed gratuita largitate? Vnde noſtrum eſt honorare, quod in eccleſia inuenientes accepimus, acceptum autem omni cum reuerentia honoremus, quoniam reuerentia, quam illi exhibemus, nobis proculdubio proderit. Deus omnipotens ſuis retribuit fidelibus, ſuos qui Sanctos honorant, venerantur, ſuiſq. in neceſſitatibus deprecantur. quoniam, qui Sanctos honorat, Deo exhibere honorem dubium non eſt. Ipſe namque dixit: [b] Qui vos honorat, me honorat; qui vos accipit, me accipit. Oportet ergo nos modis omnibus quibus poſſumus illos honorare, noſtraq. pro ſalute rogare, quatenus Dominus Deus noſter ad gloriam illorum per gratiam ſuam nobis ire concedat, qui ſemper viuit & regnat per infinita ſæcula ſæculorum.]

[a] *Matth.* 13.

[b] *Ibid.* 10.

Fidem facio ego Notarius Ioannes Baptiſta Pirris de Baro, præſentem copiam diligenter extractam eſſe a libro antiquo lectionum Sanctorum grandibus ſyllabis manuſcripto in paginis papyreis, exiſtente in Archiuo regalis eccleſiæ S. Nicolai Barenſis; nihil relicto m^i. Coll. Ideo præſentes feci & ſignaui requiſitus. laus Deo & beatæ Mariæ Virgini. hactenus de inuentione S. Sabini.

CONFESSORVM ET DEFENSORVM CATHOLICAE VERITATIS OBITVS.

Ad poſtremum, hoc etiam anno, glorioſos meritis Confeſſores ex hac vita deceſſiſſe Altmannum Epiſcopum Patauienſem, Vuillelmum Abbatem Hirſaugienſem, ex mulieribus Iuditham ſanctæ conuerſationis feminam, vxorem quondam Hermanni Marchionis, Adelaidemq. Taurinenſem Comitiſſam, de qua ſuperius ex litteris Petri Damiani, teſtatur Bertholdus in Appendice ad Hermannum, cuius etiam aſſertione liquet, hoc eodem anno diem obijſſe Fridericum Comitem de Catholica Eccleſia optime meritum, de quo Bertholdus anno ſequenti: ſed quæ geſta ſunt hoc anno videamus, ait enim: Hic autem *Fridericus* Comes ſub habitu ſæculari more S. Sebaſtiani ſtrenuiſſimus miles Chriſti fuit, videlicet eccleſiaſticæ religionis feruentiſſimus amator, & Catholicæ pacis indefeſſus propugnator. Hunc venerabilis Papa Gregorius, hunc beatus Anſelmus Lucenſis Epiſcopus, quaſi vnicum filium amauerunt, hunc clerici & monachi, immo omnes religioſi feruentiſſime dilexerunt. Hic in fidelitate ſancti Petri cōtra ſchiſmaticos vſque ad mortem ſtudioſiſſime certauit, in cuius etiam *ſancti Petri* feſto de huius vitæ ergaſtulo ereptus, eidem in cæleſti patria creditur aſſociatus. Erat autem filius dominæ Sophiæ, & Ludouici Comitis, quæ erat materterā Comitiſſæ Mathildis, quæ cum domino ſuo Vuelphone Duce in Italia contra ſchiſmaticos multum laborauit. Obijt autem prædictus Comes in præterito anno, ideſt Dominicæ Incarnationis milleſimo nonageſimoprimo, Indictione decimaquarta, tertio Kal. Iulias, in feſto ſancti Petri, & in craſtinum, ideſt, in ſolemnitate ſancti Pauli ſepelitur. Huius ergo filium ex nepte dominæ Adelaidæ ſuſceptum Henricus Rex cum

FRIDERICI COMITIS LAVDES.

Universidad de Deusto
Biblioteca

filio exheredare proposuit, terramq. eius hostiliter inuadendo, ac circumquaque A
deuastãdo etiam Fructuariensi monasterio multa mala intulit] hucusque Bertholdus.

Migrauit quoque ex hac vita sanctus Vuolphelmus Abbas Bruuilarensis apud Coloniam Agrippinam doctrina & sanctitate clarus, cuius adhuc contra Berengarium extat epistola. Scripsit res ab eo præclare gestas [a] Conradus monachus eiusdem temporis scriptor, eiusdem Vuolphelmi auditor, ex quo quidem de ipso dicta superius sunt accepta.

[a] *Conrad. vit. Vuolph. extat apud Sur. to 4. die 22. April.*

B

VVELPHO DVX PROPVGNATOR CATHOLICORVM.

SEQVITVR millesimus nonagesimussecundus Redemptoris annus, Indictione decimaquinta. Quo (Bertholdus inquit) dominus Papa Natalem Domini in terra S. Petri extra Romam celebrauit. Nam Guibertus hæresiarcha ita se prope domum S. Petri incastellauit, vt non facile absque humani sanguinis effusione expelli inde potuerit. Henricus quoque impius Imperator in Longobardia iam biennio morabatur, ibiq. circumquaque terram Vuelphonis Italici Ducis præda, ferro, & incendio deuastare non cessauit, vt eumdem Ducem, & prudentissimam eius vxorem a fidelitate sancti Petri discedere, sibiq. adhærere compelleret, sed frustra. Nam Dux in sua sententia perstitit, ipsiq. satis viriliter restitit. Sed & pater eiusdem Ducis Vuelpho Dux Baioariæ eumdem Henricum ante proximam Natiuitatem Domini mirabiliter confudit, C
quem ad colloquium peruenire prohibuit, quod idem Henricus & Rex Hungarorum condixerant, ad quod etiam pene iam conuenerant] & inferius: Iterum Principes Alemanniæ ad defensionem sanctæ matris Ecclesiæ contra schismaticos vnanimiter conuenerunt; sibiq. ad hoc negotium exequendum fratrem Constantiensis Episcopi Bertholdum Ducem totius Sueuiæ constituerunt, qui nondum aliquem Ducatum habuit, etsi iamdudum nomen Ducis habere consueuerit] ac rursum: In Baioariam venit Salzburgensis Episcopus Dimo, qui Patauiensi ecclesiæ iamdudum viduatæ ordinauit Episcopum nomine Vdalricum, sanctæ Augustensis ecclesiæ Præpositum, eumq. in ipso die Pentecostes cum ipso Constãtiensi & Vuormatiensi solemniter consecrauit: hocq. magnam fiduciam dedit Catholicis, vt in fidelitate sancti Petri persisterent, & schismaticorum vesaniæ indefessius obsisterent] hactenus auctor de statu D
Ecclesiæ Catholicæ huius anni, prosequamur autem res gestas Vrbani Papæ:

IVO CARNOTENSIS EPISC. ORDINATVR.

Hoc eodem anno (Sigebertus huius temporis scriptor & ipse, inquit) dominus Iuo sancti Quintini Belluacensis Præpositus a Papa Vrbano consecratus, fit Carnotensis Episcopus] quod faciendo Vrbanus plane lucernam ardentem perspicuam vniuerso Occidentali orbi super candelabrum collocauit. quantus hic probitate atque doctrina fuerit, recitandæ de eo res gestæ suis locis significabunt. Meminisse oportet, prædecessorem Iuonis Gaufredum Carnotensem Episcopum sub Gregorio Papa Septimo Romæ diu detentum reum simoniacæ prauitatis, sed cum deficerent, qui ista probarent testes, permissum ab eodem Pontifice, vt seipsum iuramento purgaret; sicq. purgatus Roma ad suam est restitutus ecclesiam, vt eiusdem Gregorij Papæ litteræ [b] E
datæ significant. Verum cum postea eiusdē Episcopi crimina plene innotuissent Apostolicæ Sedi: Vrbanus Papa, cum dissimulandi nullus locus esset, eumdem Gaufredum sede Carnotensi deposuit, atque in eius locum consecrauit tunc præsentem Iuonem, de quo mox has litteras dedit ad ecclesiam Carnotensem verbis istis: [c]

[b] *Greg. lib. 9. ep. 16. & 31.*

[c] *Iuo ep. 1.*

VRBANI PAP. EPIST. DE IVONE CONSECRATO.

Vrbanus Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis in Christo filijs Clero & populo Carnotensi salutem & Apostolicam benedictionem.

Nos quidem tum pro beatæ Mariæ semper Virginis deuotione & reuerentia, tum pro nostri officij debito, ecclesiæ vestræ dilectionem, protectionem, & curam specialius impendentes, eiusq. labores diuturnos, quos a Gaufredo quondam Episcopo passa est, propensiore animo perpendentes; rei veritate diutius atque diligentius pertractata, largiente Domino, iustitiæ satisfecimus. Bonam itaque animi vestri voluntatem præuenientes ac subsequentes, venerabilem virum Iuonem presbyterum, quem

Gaufredo

A Gaufredo per nos deposito, Catholice atque canonice secundum nostra monita elegistis, ne quod vlterius hac in re detrimentum vestra ecclesia pateretur, sine moræ longioris obstaculo consecrauimus. Nunc eum ad vos remittentes, tamquam beati Petri manibus consecratum, beati Petri vice vos rogamus & obsecramus, quatenus eum benigne suscipientes, debita vt pastoris veri membrum, obedientia honoretis, debita sollicitudine quæ vobis annũtiauerit, obseruetis: & vt ipse Deo placere, & eum pro vestris valeat excessibus digne intercedendo placare, vos quoque placere Deo totis conaminibus procurate. Si enim placere Deo studueritis, pastorem proculdubio Deo placentem habebitis, nos quoque in vestris opportunitatibus ad exaudiendum paratos inuenietis. Porro de Gaufredo, qui sine conditione omni nostris manibus Epi-
B scopatum reddidit, indignum se patenter agnoscens, præcepimus & præcipimus, ne quis ei vllo modo ad Episcopatum reinuadendum vel infestandum, assensum accommodare præsumat, alias & ipsum & ipsius fautores excommunicationi subiacere censemus. Obedientes vero monitis nostris gratia diuina custodiat. Dat. Capuæ octauo Kalendas Decembris.] hæc Vrbanus Papa, qui & eodem quoque argumento scripsit litteras ad Richerium Senonensem Archiepiscopum, commendans a se consecratum Iuonem. incipit epistola: Quantas pro Gaufredo] cui subijcitur dictio, siue oratio Vrbani Papæ ad Iuonem, cum consecratus est, digna quidem tanto Pontifice, quæ sic se habet:

SERMO VRBANI PAPAE POST CONSECRATIONEM IVONIS.

Quoniam (vt credimus) diuino te nutu vocante, Clerus & populus ciuitatis illius vnanimiter elegerunt Rectorem, & ad nos vsque perducentes petierunt consecrari Episcopum, & ideo Deo annuente, per manus nostræ impositionem Episcopus con-
C secratus es: amodo, frater charissime, scias te maximum pondus suscepisse laboris, quod est sarcina regiminis animarum, & commodis deseruire multorum, omniumq. fieri minimum atque ministrum, & pro credito tibi talento in die diuini examinis rationem redditurum. Nam si Saluator noster dixit: [a] Non veni ministrari, sed ministrare, & animam suam ponit pro ouibus suis: quanto magis nos desidiosi serui summi Patrisfamilias, debemus maximo sudore incumbere oues Dominicas nobis a summo Pastore consignatas ad ouile Dominicum, suffragante diuina gratia, absque morbo & * mancha perducere? Exhortamur itaque dilectionem tuam, vt fidem quam in exordio tuæ consecrationis breuiter dilucideq. digessimus, illibatam & inuiolabilem custodias, quia Fides est fundamentum omnium virtutum. Scimus autem quod ab infantia sacris es litteris eruditus, & canonum institutis edoctus: attamen breuiter ad
D te noster est dirigendus sermo. Nullus te fauor extollat, nulla aduersitas atterat, id-est, non in prosperis cor tuum eleuetur, nec in aduersis in aliquo deijciatur; sed omnia & in omnibus caute, & cum discretione agere te volumus, vt absque reprehensione ab omnibus viuere comproberis. Sancta Trinitas fraternitatem tuam sua protectione custodiat, vt dum tali moderamine in Domino nostro onus quod suscepisti, peregeris: in die æternæ retributionis, eo dicente, audire merearis: [b] Euge serue bone & fidelis, quia super pauca * fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.]

[a] *Matth. 20.*

[b] *Id. 25.*

* *fuisti*

Iuo autem ita consecratus ab Vrbano Papa Carnotẽsis Episcopus minime recipitur a suo Archiepiscopo Senonensi, sed ab eo & litteras contumelioſas accepit, ad quas ipse constans animo cum redarguens, istas sapientia plenas rescripsit, ex quarum tantum titulo & salutatione instrui, ac resipiscere si saperet, valuisset, sic enim se habet: [c]
E

[c] *Iuo epist. 8.*

Richerio Dei gratia Senonensi Archiepiscopo, Iuo per eamdem gratiam Petri manibus ecclesiæ Carnotensi consecratus & delegatus Episcopus, a Romanæ Ecclesiæ pace non discedere, & si quid aliter saputt, valde celeriter resipiscere.

QVAE IVO AD RICHERIVM.

Litteras contumelioſas & amaritudinis plenas sigillo vestro signatas, & nomine vestro titulatas a quibusdam clericis nuper accepi. In quibus primo depressionem meam, & falsas criminum obiectiones in me factas, postremo Sedis Apostolicæ maiestatem non leuiter læsam, vehementer indolui. Cum enim vt pacem mecum haberetis, & in filium susciperetis, Apostolica auctoritate fuisses commonitus: nec vt fratrem salutastis me in litteris illis, nec vt Coepiscopum, qui nullum vobis Coepiscopi adiutorium, vel filij abnegauit obsequium. Cur igitur alienigenam ad iudicium vocatis, cur obedientiæ vinculis astringitis, quem nec Suffraganeum, nec collegam esse

cogno-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cognoscitis? Huic iniuriæ meæ grauiorem superadditis, quòd demembratorem me- A
tropolitanæ sedis non apte satis appellatis. Nam cum ramus aridus, qui in radice arboris matris numquam coaluit, nec in se virens fructum fecit, magni cultoris manu excisus esset: eadem manus quæ ramum præmortuum excidit, me non ad demembrationem, sed ad supplendum locum demortui, eidem arbori, quantum in se erat, inseruit, quæ hoc & cum aliqua spe fructus, & sine vulnere matris arboris posse fieri existimauit. Cui ergo sine vestra contradictione licuit quod nocebat excidere; quæ ratio impedit, vt ei non liceat quod profuturum sperabat, inserere?

Dicitis enim in litteris illis, me sedem inuasisse Gaufredi Coepiscopi vestri. In quo manifeste contra Sedem Apostolicam caput erigitis, dum quod illa ædificat, vos quantum in vobis est, destruitis, & quod illa destruxit, vos ædificare contenditis. CVIVS IVDICIIS ET CONSTITVTIONIBVS OBVIARE PLANE EST HAERETI- B
a dist. 11. cap. Nolite. CAE PRAVITATIS NOTAM INCVRRERE. CVM a SCRIPTVRA DICAT: HAERETICVM ESSE CONSTAT, QVI ROMANAE ECCLESIAE NON CONCORDAT. Præterea famæ vestræ non bene consulitis, qui caprum emissarium, cuius adulteria, fornicationes, periuria, proditiones per omnem ferme Latinam Ecclesiam publicatæ sunt, qui pro his & alijs similibus a Sede Apostolica damnatus est, ita vt se purgare non valens, virgam pastoralem redderet & anulum, de quo Apostolicum accepistis decretum in hæc verba (Quicumque Gaufredum depositum deinceps iuuerit ad infestandum vel reinuadendum Carnotensem Episcopatũ, excommunicatum eum esse censemus) adhuc Episcopum vocare, in Episcopum reformare contenditis: cuius malefacta defendere, quid est aliud, nisi similem damnationis sententiã in se prouocare? Cum enim secundum b Apostolum, satis sit ad damb Rom. 1. C
nationem, peccatis alienis consentire: cur non magis sufficiet, eadem fouere & defendere? Neque enim in hoc protegit vos clypeus ignorantiæ, cum hæc, sicut dixi, nota sint non tantum ecclesijs Lugdunensis Galliæ, sed omnibus ferme ecclesijs Latinæ linguæ.

Est & aliud in litteris illis, in quo euidentissime & irreuerentissime os vestrum posuistis in cælum, & lingua vestra transiuit *in terra*, cum benedictione per manus impositionem Papæ datam & Cardinalium Romanæ Ecclesiæ, non simpliciter benedictionem, sed qualemcumque hostili irrisione appellastis: cum ad ipsam principaliter & generalissime pertineat tam Metropolitanorum quam ceterorum Episcoporum consecrationes confirmare vel infirmare, constitutiones vestras & iudicia retractare, D
suas vero inconcussas detinere, & nullius inferioris iudicio retractandas vel corrigendas concedere. Sic enim de non infirmandis Apostolicæ Sedis iudicijs scribit Papa Gelasius in epistola Fausto Magistro directa de iusta depositione Acatij: Nobis opponunt canones, dum nesciunt quid loquantur. Contra quos hoc ipso venire se produnt, quod primæ Sedi sana rectaq. suadenti parere diffugiunt. Ipsi sunt canones, qui appellationem totius ecclesiæ ad huius Sedis examẽ voluere deferri: ab ipsa vero nusquam prorsus appellari debere, sanxerunt. Ac per hoc illam de tota Ecclesia iudicare, ipsam ad nullius commeare iudicium. Nec de eius vmquam præceperunt iudicio iudicari, sententiamq. illius constituerunt non oportere dissolui, cuius potius sequenda decreta mandauerunt. & paulo post: Qua traditione maiorum Apostolicam Sedem ad iudicium vocant? & item: Viderint ergo si alios habent canones, quibus E
suas ineptias exequantur. Ceterum isti qui sacri, qui ecclesiastici, qui legitimi celebrantur, Sedem Apostolicam ad iudicium vocare non possunt. Item Gregorius in epistola de Aldrico Cenomanensi Episcopo ad Gallias directa: Nullus Aldricum iudicet, aut iudicare præsumat; sed si (quod absit) graue quid intolerandumq. ei obiectum fuerit: nostra erit expectanda censura, vt nihil prius de eo, qui ad sinum sanctæ Romanæ confugit Ecclesiæ, eiusq. implorat auxiliũ, decernatur, quam ab eius Ecclesiæ fuerit præceptum auctoritate, quæ vices suas ita alijs impertiuit ecclesijs, vt sint in partem vocatæ sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Proinde dilectio vestra, quorum deuotione gaudemus, iungat curam suam dispositionibus nostris. & post plura: Nec pigeat forte, aut pudeat nostris obedire mandatis, aut Apostolicæ Sedis obsecundare præceptis, quæ humilibus dat gratiam, non superbis. Nam nulli fas est, velle, vel posse transgredi Apostolicæ Sedis præcepta; nec nostræ dispositionis ministerium,

A sterium, quod vestram sequi oporteat charitatem. Sit ergo ruinæ suæ dolore prostratus, quisquis Apostolicis voluerit contraire decretis; nec locum deinceps inter sacerdotes habeat, sed extorris a sancto fiat ministerio, nec de eius iudicio postea quisque curam habeat; quoniam iam damnatus a sancta & Apostolica Ecclesia ac auctoritate, pro sua inobedientia atque præsumptione a quoquam esse non dubitabitur.

Inobedientem me quoque litteræ vestræ non recte accusant; quia cum obediturum me paternitati vestræ litteræ domini Papæ commendauerint: nulla a me paterna vestra admonitio refutata est, quæ nec audita. Quod aliunde me expetisse benedictionem, calumniamini: veritate teste, verum dicam, quod nec Episcopatum, nec benedictionem Episcopalem a vobis petij, nec ab aliquo. Sed cum clericorum primo ingenio, postea violentia Regi fuissem præsentatus; & inde cum virga pastorali a Rege
B mihi intrusa ad ecclesiam Carnotensem adductus, cumq. clericis petentibus & pulsantibus, nullum diem consecrationis meæ velleris præfigere: interea consilium mihi fuit, electioni eorum non omnimode assensum præbere, donec certus fierem & de Gaufredi depositione, & summi Pontificis voluntate. ad quem cum peruenissem, ad petitionem ecclesiæ Carnotensis, Apostolica auctoritate sum constrictus, & ita in Episcopum consecratus. His & huiusmodi tam rationibus, quam auctoritatibus munitus, licet irritatus magis quam canonice vocatus, licet tam in me, quam in capite meo & vestro, si tamen vestro, iniuriam passus: tamen paratus ero tempore opportuno & loco tuto intra Senonensem prouinciam, vel etiam Stampis, si conductum tutum, Comitem videlicet Stephanum ex parte domini nostri Regis, & vestra propter circumstantes inimicos habuero; paratus, inquam, ero, vobis occurrere, & quantum
C salua reuerentia Sedis Apostolicæ licuerit, obiectionibus vestris respondere, ad cuius audientiam aliquando forsitan oportebit ista referre. Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat cor vestrum & animam vestram, vt obedientia vestra Prælatis vestris exhibita nos vobis obedientes exhibeat & deuote subiectos] hucusque Iuo ad Archiepiscopum Senonensem, qui non quieuit, sed Stampis aduersus Iuonem collegit iudicium, in quo idem Iuo ab ipso damnatus, Sedem Apostolicam appellauit, sed hoc anno sequenti, vt suo loco ex eiusdem Iuonis ad Vrbanum Papam datis litteris dicturi sumus.

Hoc eodem anno, qui sextus (vt vidimus superius) numeratur incolatus sanctorum monachorum in Carthusia, Vrbanus Papa accersiuit ad se ex eadem Carthusiana solitudine sanctum Brunonem eius instituti auctorem, quem iam diu antea coluis- S. BRVNO VOCATVR ROMAM AB VRBANO PAPA.
D set, inuitumq. licet diu apud se retinuit, eius opera vsus in Concilijs celebrandis vsque ad Placentinum Concilium, quo celebrato vix missionẽ obtinuit ab eo in Gallias profecturo, cum iam vsque ad triennium apud eumdem Pontificem permansisset. nonagesimo autem quinto post millesimum ab eo recedendo obtinuisse licentiam, eiusdem Brunonis vitæ Acta testantur, sicq. ad optatam eremum redijsse, non tamen in Carthusiam, ne ita Pontificem proficiscentem in Gallias sequeretur, sed in Calabriã, vbi Carthusianum propagauit institutum. porro primarium ipsorum vitæ ordinem magna cum admiratione & laude scripsit a Petrus venerabilis Abbas Cluniacensis, & a Petr. Ven. lib. 2. mirac. c. 28.
miracula quædam ab ijsdem edita narrat.

Eodem quoque tempore ex remotioribus orbis partibus Ericus Danorum Rex Ro- ERICVS REX DANORVM BIS AD SEDEM APOSTOLICAM ACCESSIT.
mam ad Vrbanum Papam se contulit, pulsatus iudicio Archiepiscopi Hamburgensis,
E quod appellatione ad Sedem Apostolicam anteuertit. Hic quidem anno superiori Olauo fratri, qui annis decem regnauit, est subrogatus, cultor pietatis eximius, de quo b Saxonem Grammaticum audi dicentem: Forte autem Hamburgensis Antistes b Sax. Gram. lib. 12.
ob inanes & falsas suspiciones Ericum Regem execratione mulctandum censuerat: quod veritus Rex, appellatione sententiam præcucurrit, Romamq. e vestigio petiuit, vbi causæ suæ examine diligentius habito, pontificis accusationem potenter repulit, cunctisq. defensionis partibus actore superior redijt. Nec contentus efficacissimum causæ dictionis suæ propugnatorem egisse, aduersarios partis odio penetralium sacrorum decus externo sacerdotio subiectum habere passus non est. Quamobrem Romam regressus tum se, tum etiam patriam ac domestica sacra Saxonica prælatione liberare perijt, ne religionis ratione exteris admodum obsequi cogeretur, aut eius disciplinã ab alienigenis petere, necesse haberet. Hoc * difficilum Curiæ consensum habuit: quæ * difficillimum
ne cla-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ne clarissimum virum repulsa afficeret, tum dignitatis, tum etiam fatigationis eius A
intuitu mota, petitioni annuit: seq. regnum ipsius summi sacerdotij insignibus adornaturum spopondit, atque ea promissorum spe a se exhilaratum dimisit] & post nonnulla inferius de exactione promissionis per Legatos a Rege facta hæc subdit:

METROPOLIS LVNDIAE IN DANIA INSTITVTA.

Ne enim Dani sub externo pōtifice sacrorum munera celebrarent, missis ad Curiam Legatis, in ornamentum domesticæ religionis maximi sacerdotij insigne expetendum curauit. nec eum Romanæ promissionis fides fefellit. Profectus enim e Curia Legatus, qui sacri insignis prærogatiua nostræ gētis sacerdotium adornaret: cum celeberrimis Danorum vrbibus inspectis, cuncta curiosissime collustrando, non minorem personarum quam ciuitatum respectum egisset, Lundiæ ob egregios Asceni Episcopi mores, tum quod ad eam e finitimis regionibus terra mariq. transitus abunde pateat, hunc potissimum honorem deferendum curauit. Nec solum eam Saxonica ditione B
eruit, sed etiam Sueciæ, Noruegiæq. religionis titulo magistram effecit. Nec parum Dania Romanæ benignitati debet, qua non solum libertatis ius, sed etiam externarum rerum dominium assecuta est] hactenus Saxo. Sic igitur Hamburgensis primatus sub Vrbano Papa Secundo magnopere imminutus est, quando eiusdem ecclesiæ Archiepiscopus Liemarus inhærens Henrico schismatico Regi, factus erat omnium schismaticorum antesignanus, quo permotus Gregorius Papa Septimus, iam de separatione Danicæ ecclesiæ ab Hamburgensis dominio cœpit per [a] litteras habere sermonem, quod & Sueno Rex iam tempore Alexandri Papæ aggressus est pertentare. at de his satis.

[a] Greg. lib. 2. ep. 75.

VRBANVS DEDICAT ECCL. S. TRINITATIS.

Hoc item anno Vrbanus Papa in prouinciam se contulit Picentinorum, atque C
apud Salernum, ad nobile monasterium sanctæ Trinitatis, ad Cauam Metellianam dictum perrexit, vt basilicam illic in honorem sanctissimæ Trinitatis erectam sacris ritibus consecraret: quod feliciter expleuit. cuius rei memoriam verbis istis lapis incisus affixus parieti indicat:

Crucem hoc in lapide sculptam quam cernis, sanctissimus Vrbanus Secundus Romanus Pontifex in sacra huius ecclesiæ dedicatione proprijs manibus in sacræ rei signum oleo liniuit, anno salutis M. XCII. Nonis Septembris, Indictione xv.

Propensiori namque studio erga eosdem monachos idem Vrbanus Pontifex ferebatur, quod Cluniacensis ordinis essent, Cluniacensis & ipse alumnus eiusdem, vt testatur in diplomate priuilegij eidem monasterio tunc post eiusdem ecclesiæ dedicationem concessi; quod repertum, & ad nos delatum per Constantinum Caietanum monachum Cassinensis congregationis, hic describere, consultum visum, quod plura D
in eo sint scitu digna, contineatq. priuilegium tunc eidem monasterio concessum a Rogerio, qui eiusdem ecclesiæ dedicationi per Vrbanum Papam peractæ præsens fuit. sic enim se habet:

Vrbanus Episcopus seruus seruorum Dei reuerentissimo Fratri Petro cœnobij Cauensis Abbati, & successoribus canonice promouendis salutem & Apostolicam benedictionem in perpetuum.

Cum vniuersis sanctæ Ecclesiæ partibus pro Sedis Apostolicæ auctoritate ac beneuolentia debitores existamus; illis tamen locis atque personis, qui specialius ac familiarius Romanæ adhæserint Ecclesiæ, quiq. amplioris religionis gratia eminere noscuntur, propensiori nos inducunt charitatis studio imminere. Apostolicæ ergo E
memoriæ prædecessoris nostri Gregorij Septimi institutis tenacius adhærentes, Cauense cœnobium, cui summa religio viget, quod ipse singulariter dilexit, & suæ institutionis priuilegio communiuit, nos quoque huius nostri priuilegij pagina communimus, & ab omni tam sæcularis, quam ecclesiasticæ personæ iugo liberum esse omnino decernimus. Idem namque Apostolicus Pontifex, dum in Romana sancta Ecclesia Archidiaconatus adhuc officio fungeretur, prædictum locum a Gisulpho Salernitano tunc Principe, in cuius manu fuerat, postulauit. Cellas quoque plurimas, quas vsque ad id temporis spacium idem Princeps in manu propria detinuerat, ab ipso acquirens, eidem sancto loco contulit absolute cum omnibus habitantibus & habitaturis, tam in Cilenti monte, eiusq. pertinentijs, quam in locis Pasciano, Metelliano, Castro sancti Adiutoris, & pertinentiarum eorumdem locorum, cum iuribus, angarijs, perangarijs, pensionibus solutis tam ratione terrarum, quam pro quolibet foculari ipsorum

A ipsorum locorum sicut nos ipsi in Registro ipsius Principis enucleatius vidimus contineri. Quam donationem nos auctoritate Apostolica ex certa scientia confirmamus.

Præterea Cluniacum locum illum famosum dirigens, inde te vt Abbatem prædicto monasterio præponeret, adsciuit, quem deinceps cum vniuersis subiectis, siue locis, siue personis, singulariter dilexit, fouit, atque tuitus est, mox Pontifex factus, eorum libertatem decreti sui pagina confirmauit, sic præstante Deo ab omnium viuentium iugo liberum vsque ad tempora nostra permansit. Nostris autem diebus Alphanus Salernitanæ ecclesiæ Archiepiscopus confrater noster ad eiusdem loci subiectionem modis cœpit omnibus anhelare. Nobis itaque disponentibus basilicam ipsius loci dedicare, ille suæ ecclesiæ minui iura clamitabat, cui nos ex abundanti satisfactionem iuris obtulimus: ille autem cum ad postulatum, & acceptatum actionis termi-
B num peruenisset, actionem aggredi refutauit. Sic nos præsentibus fratribus nostris reuerendissimis Episcopis Vbaldo Sabinensi, Oddone Albanensi, Berardo Prænestino, Ioanne Tusculanensi, Brunone Signino, Rangerio Regitano, Gerardo Troiano, Ioannē Rioppolano, & Cardinalibus Ecclesiæ nostræ Hermāno presbytero ex titulo Quatuor Coronatorum, Gregorio presbytero tituli sancti Vitalis, Benedicto presbytero sanctæ Susannæ, Gregorio ex diaconia sanctæ Mariæ in Via lata, Ioanne ex diaconia sanctæ Mariæ in schola Græca, Petro ex diaconia in sancto Adriano, Iacobo ex diaconia sancti Eustachij, & Tencrone ex diaconia sancti Georgij ad Velum aureum diaconibus, astante etiam dilectissimo filio nostro Duce Rogerio cum innumera clericorum & laicorum turba, præstante Domino nostro IESV Christo, cuius vicem, licet immeriti, gerimus in terris, ad honorem sumniæ & indiuiduæ Triniratis manibus no-
C stris proprijs in eodem loco, qui Metelliana Caua vulgariter nuncupatur, basilicam dedicauimus die Nonarum Septembrium, indulgētes eidem monasterio contemplatione cuiusdam prærogatiuæ specialis charitatis, quam experti fuimus in eodem cœnobio, immo potius perfectam religionis obseruantiam, dum adhuc essemus in minoribus ordinibus constituti.

CONCESSAE INDVLGENTIAE.

Vt quicumque in statu pœnitentiæ Domino opitulante fuerit positus, & ad dictum locum accedens fuerit ibi vno die ante ipsius basilicæ consecrationem, & per totum diem sequentem, necnon in die Iouis sancti, atque per totam diem Veneris sancti sequentem, de omnibus peccatis, de quibus vere contritus fuerit & confessus, illam indulgentiam & veniam a Domino consequatur, quam mereretur in eundo, & redeun-
D do ad sanctum Iacobum Compostellanum; reliquis vero temporibus, & diebus singulis causa deuotionis illuc accedentes quatuor annorum, & totidem quadragenarum indulgentiam suorum peccatorum obtineant de Sedis Apostolicæ gratia speciali. Qui vero ad capellam tuam sitam in eodem monasterio, ac eodem die consecratam per venerabilem fratrem nostrum prædictum Brunonem Episcopum Signinum, in diebus & festiuitatibus supradictis venerit, septem annos & totidem quadragenas de indulgentia pro suis peccatis confessis a Domino consequatur. Accedentes similiter ad ecclesiā constructam in Casali eidem monasterio adiacenti & eminenti, dedicatam ipso die per iam dictum venerabilem fratrem nostrum Rangerium Episcopum Regitanum, in diebus & festis prædictis, necnon & in omnibus festiuitatibus Virginis gloriosæ, ad cuius vocabulum constructa est ecclesia memorata, septem annos, & quadragenas totidem de indulgentia a Domino promereantur.

E Concedentes & edicto perpetuo confirmantes, vt tam tu, quam successores tui per terras tui monasterij habitas & habendas, libere possis ecclesias construere, cum cruce signare, aliaq. pontificalia & spiritualia exercere, sacrorum ordinum collationis, basilicarum & altarium consecrationis, ac chrismatis confectionis, tibi tuisq. successoribus dumtaxat abdicata penitus potestate. Decernentes vt tam ipsius cœnobij caput, quam ecclesiæ, quas nunc habet, vel quas ex nunc in antea habebit, siue plebanæ fuerint, vel rurales, in ciuitate & diœcesi tantummodo Salernitana situatæ, ab omni iure & iurisdictione Episcopali sint exemptæ, de plenitudine potestatis & gratia speciali; ita vt nullo iure seu foro contentioso tu, vel tui successores Fratres ipsius monasterij, seu clerici sæculares in prædicta ciuitate & diœcesi per Salernitanum Præsulem ac capitulum aliquatenus constringantur, quinimmo ecclesiæ cum omnibus suis iuribus & pertinentijs pleno iure ipsi monasterio sint subditæ. Si vero aliquos de tuis

Universidad de Deusto
Biblioteca

monachis, seu clericos sæculares in ecclesijs ciuitatis prædictæ & diœcesi commorantes ad sacros elegeris ordines promoueri, liceat tibi, tuisq. successoribus, quemcumque malueris Episcopum conuocare, dummodo Catholicus fuerit; sed in alijs diœcesibus requisito dumtaxat primitus Diœcesano: de quibus ecclesijs sitis in iam dicta ciuitate & diœcesi nihil Diœcesanus exigere præsumat, immo potius tam monachi, si clerici defuerint, quam ipsi clerici absque quorumlibet contradictione totum officium sacerdotale, quod animarum cura exigit & requirit, exerceant.

De his autem quæ a Catholicis Christianis eidem monasterio tã inter viuos, quam in vltima volũtate donata fuerint, vel legata a quocumque, vel vbicumque, nulli Episcoporum diœcesanorum licitum sit, quartam vel terciam partem in ipsis legatis, seu donatis, tam in stabilibus, quam in mobilibus exigere prætextu consuetudinis cuiuscumque. Et si processu temporis per quoscumque contra tenorem huiusmodi nostræ concessionis fuerit per aliquos attentatum, illud ex nunc decernimus iuribus vacuatum, præscriptione in hoc longi temporis non currente. Si quis vero ad eumdem locum, vel eius ecclesias sibi sepulturam elegerit, licitum sit tibi, tuisq. successoribus & Fratribus in ecclesijs ipsius cœnobij commorantibus ipsum in suo cœmeterio sepelire absque cuiuslibet contradictione, dummodo Christianus & Catholicus habeatur. Statuimus insuper perpetuo valituram, vt quotiens inter vassallos eiusdem monasterij orta fuerit quæstio, quod ipsum quamuis contingat cœnobium, liceat tibi, tuisq. successoribus & * partibus ipsius querelas huiusmodi decidere, iustitia mediante, iure communi super hoc edito in aliquo non obstante.

* *f.* Patribus

ROGERII DVCIS PRIVILEGIVM.

Insuper memoratus excellentissimus Dux visa huiusmodi dedicationis solemnitate, compunctus, vt credimus, diuino Spiritu, nobis & nostro Apostolatui attentius supplicauit, vt donationem, & confirmationem, quam ipse eidem monasterio facere ob reuerentiam sanctæ & indiuiduæ Trinitatis & suorum peccatorum remedium intendebat, dignaremur auctoritate Apostolica confirmare, nostroq. mandaremus inseri priuilegio diligenter. Nos igitur suis in hac parte precibus iustissimis inclinati, in fauorem ipsius loci, quem speciali prosequimur dilectione pariter & deuotione, concessiones, & donationes ipsas in nostro præsenti priuilegio inseri fecimus ad cautelam. Concessit siquidem prædictus Dux eidem monasterio in perpetuum, vt Patres dicti monasterij absque qualibet contrarietate heredum & successorum suorum possint exigere & recipere integram decimam partem piscium, qui capti fuerint in mari a Vallone, qui de * Gallocauda dicitur, vsque ad fluuium de * Cetara, qui est de territorio ipsius monasterij per quinque millia passuum intra mare. Prædictum vero monasterium mercimonia sua absque omni datione, solutione, seu exitura libere vendat, nedum in suis litoribus, vel portubus, immo per totum suum Ducatum tam ipsum cœnobium, quam ementes eius mercimonia liberos constituit perpetuo a qualibet præparatione.

* Gallocauta
* Cetera

Indulsit etiam quod omnes homines, quos dictum cœnobium habet & habebit in prædictis locis, Metelliano, Pasciano, Villula adiacenti, Castro sancti Adiutoris in Cilenti monte & pertinentijs eorumdem locorum, tam clerici, quam laici semper sint liberi ab omni exactione pecuniæ, vel rerum quarumlibet aliarum, quas pro aliqua opportunitate vel causa ipse, sui heredes * vel successores aliquando duxerint a suis hominibus faciendas, & vt de ipsis hominibus liberam * curam & forifacturas omnes sine vllo suo baiulo vel ministro, habeatis, & in curia ipsius monasterij per eius * summosam veniant ad iustitiam faciendam, & a iudicibus quos eis statueritis, debeant rationabiliter iudicari, quos & Notarios publicos statuendi liberam vobis tribuit facultatem, tam in causis ciuilibus, quam in criminalibus omnibus, prætermissis causis, de quibus condemnati legitime debeant mori, de alijs autem criminalibus omnibus, de quibus pœnam aliam absque morte subire debeant, quidquid volueritis, faciatis. Similiter & de duellis, si ex ipsis causis interuenerint. Appellationes vero, si fuerint vestris hominibus opportunæ, ad vestram curiam appelletur, quoniam quidquid in prædictis hominibus locorum ipsorum & in tenimento, in quo morantur, posset ipse Dux, & eius successores erigere, statuere, & ordinare, statuendi, & erigendi vobis perpetuo tribuit potestatem. Concessit etiam vobis in perpetuum, vt in quacumque parte sui Ducatus, tu, vel successores tui personaliter fueritis,

* & curiam

ritis, & vnus, vel plures homines ibi fuerint ad mortem, vel ad quodlibet supplicium iudicati, possitis eos, sicut volueritis, liberare, & vbicumque per suum Ducatum transitum feceritis, obuiosq. habueritis in vestro transitu condemnatos, qui ad suspendium vel decollationis supplicium deportentur, valeatis eos, si vobis placuerit, facere liberari.

Si vero homines vassalli ipsius monasterij vendunt, offerunt, donant, & modis alijs alienant terras, quas ab eodem monasterio tenent, asserantq. eorum consuetudines esse, vt id possint facere: sanciuit & firmiter inhibuit prædictus Dux, vt omnes terras, quas ipsi homines ab eodem cœnobio tenent, & quæ alienantur absque ipsius requisitione, dummodo euidenter appareat quod ipsius monasterij sint, liceat vobis eas capere, & ad dominium ipsius cœnobij reuocare, consuetudine aliqua non obstante, nisi forsan, quod terras ipsas habuerint præscriptionibus legitimis, vel alijs iustis rationibus inde valeant se tueri.

Largitus est quoque iam dictus Dux, vt si quis ex suis Comitibus, Baronibus, militibus, alijsq. Catholicis hominibus totius sui Ducatus, de eo quod ab ipso in feudum tenent, voluerint in partem, vel in totum dicto monasterio offerre & alienare, potestatem illud habeant faciendi qualiter voluerint, dictumq. monasterium bona ipsa ad ipsum taliter deuoluta sine omni sua, heredumq. & successorum suorum contradictione liceat percipere, valeat in suo dominio retinere, & a quolibet seruitio, vel præparatione feudum ipsum, vel pars ipsius, deinceps sit immune. Si vero aliquis tam de vassallis ipsius monasterij, quam de alijs, tenens de bonis suis stabilibus vel mobilibus, sine herede legitimo vel naturali decesserit, vel foris factum fecerit, per quod ipsa ad manus reipublicæ de iure possent applicari, licitum sit vobis per vos eadem bona ad vestrum dominium reuocare, omni sua, heredum, successorum suorum, officialium contradictione remota, nulla super bonis ipsis potestate sibi, vel reipublicæ reseruata. Tenentes nihilominus bona ipsius monasterij concessit vos posse ad vestram curiam vocare, ad docendum qualiter bona ipsa teneant, & nisi rationabiliter docuerint bona eadem ad se spectare, vel se præscriptione legitima, videlicet centenaria, ostenderint se munitos, bona ipsa valeatis taliter occupata ad dominium eiusdem monasterij auctoritate huius indulgentiæ reuocare, iure communi super hunc articulum penitus reuocato.

Concessit insuper vobis in perpetuum, vt si tua, successorum, & patrum ipsius monasterij manifesta culpa non interuenerit contra eumdem Ducem, heredes, & successores suos, & prædictæ suæ congregationis futuris temporibus propter quamlibet causam aliam fuerint vel in totum, vel in partem obliuioni traditæ, vel omissæ, & præscriptio ipsa per suum sacramentum tunc nobis præsentibus præstitum, & per suam hanc sanctionem constituit vt prorsus irrita reputetur, & quocumque tempore ipsum heredem & successores suos super hoc duxeritis postulandos, dedit & reliquit eis omnibus sub diuinæ nostræq. benedictionis obtentu firmiter in mandatis, vt ipsas omnes concessiones & exceptiones per eorum vobis priuilegia debeant cõfirmare sine omni pretio, & tædio tarditatis; & nullus ipsorum præsumat eas infringere, vel mutare, sed ipsas illæsas seruare debeant & tenere, donec vos in sua, heredum, & successorum suorum fide sincera fueritis permanentes. Quas concessiones, confirmationes, exceptiones, & indulgentias collatas eidem monasterio per ipsum dilectissimum filium Ducem Rogerium ratificamus, approbamus, & ex certa scientia confirmamus auctoritate Apostolica & plenitudine potestatis.

Decernentes & edicto perpetuo roborantes, vt quicumque dictum monasterium in suis iuribus, possessionibus, & libertatibus læserit, aut etiam perturbauerit, liceat tibi, successoribus tuis, & patribus ipsius monasterij cuiuscumque præeminentiæ, siue status fuerint, ipsos auctoritate præsentis nostri priuilegij canonica monitione præmissa, excommunicare, & excommunicatos fore denuntiare: atque quod absolui non possint, nisi digne satisfecerint, priuilegio eis cõcesso, vel concedendo quod excommunicari & interdici non possint aliquatenus, non obstante, nisi de indulto huiusmodi plenam & expressam fecerint mentionem. Si quis autem contra hanc nostri decreti auctoritatem venire tentauerit, salua Sedis Apostolicæ & Legatorum eius reuerentia & dignitate, sciat se beati Petri Apostoli gratiam amissurum, & indignatione Aposto-

Universidad de Deusto
Biblioteca

lica feriendum: obedientes vero & huiusmodi priuilegij scripta seruantes dignam a Deo retributionem recipiant, & benedictionem Apostolicam consequantur. A

Ego Vrbanus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.
Ego Vbaldus Sabinensis Episcopus subscripsi.
Ego Berardus Prænestinus Episcopus subscripsi.
Ego Oddo Albanensis Episcopus subscripsi.
Ego Ioannes Asculanus Episcopus subscripsi.
Ego Bruno Signinus Episcopus subscripsi.
Ego Ioannes Rioppolanus Episcopus subscripsi.
Ego Rangerius Regitanus Episcopus subscripsi.
Ego Gerardus Troianus Episcopus subscripsi.
Ego Hermannus presbyter Cardinalis subscripsi. B
Ego Gregorius presbyter Cardinalis subscripsi.
Ego Benedictus presbyter Cardinalis subscripsi.

Datum Salerni per manus Ioannis S. R. E. diaconi Cardinalis octauodecimo Kal. Octobris, quintadecima Indictione, anno Dominicæ Incarnationis millesimo nonagesimosecundo, Pontificatus domini Vrbani Papæ Secundi anno quinto] hæc nos, ne tanti Pontificis aliquod pereat monimentum. Porro eius monasterij historiam scriptam, auctore Alexandro Rodulpho monacho Cassinensi, vidimus. sed de his pro ratione instituti modo satis.

IESV CHRISTI ANNVS 1093. VRBANI II. PAP. ANNVS 6. HENRICI III. IMP. 10. ALEXII COMNENI IMP. 13. C

ANNVS sequitur Redemptoris millesimus nonagesimustertius, Indictione prima, quo Bertholdus Constantiensis res Vrbani Papæ per annos singulos prosequutus ait: Dominus Papa Vrbanus Natalem Domini extra Romam in terra sancti Petri celebrauit, eo quod nondum Romam absque armata manu intrare potuerit, Guibertistis quidem & excommunicatis multum adhuc ibi præualentibus, nec facile se absque violentia inde expelli permittentibus. Ipse vero Guibertus eo tempore cum Imperatore suo Henrico in Longobardia morabatur, & quidquid potuit cum ipso contra Ducem Vuelphonem & eius vxorem Mathildam sancti Petri filiam, machinabatur] hæc huius anni principio ipse, qui a Natali Domini annum incipit numerare, sed nos ab ipsius Ianuarij Kalendis. Idemq. inferius de eodem Vrbano Pontifice eodem anno: Dominus Papa Vrbanus generalem Synodum centum pene Episcoporum in Quadragesima ex diuersis prouincijs in Apulia congregauit, & diuersis ecclesiarum necessitatibus synodali prouisione competenter succurrere curauit] Troiæ hoc Concilium celebratum, habet Romualdus Salernitanus Archiepiscopus in suo Chronico, dicendumq. posterius respectu prioris, de quo suo loco dictum est. De hoc nihil inuenimus, nisi forte huic tribuenda sint, quæ superiori Troiano Concilio sunt adscripta.

CONCILIVM TROIANVM POSTERIVS. D

CONRADVS FILIVS HENRICI CONTRA PATREM REGNAT.

Hoc insuper anno Conradus Henrici Imperatoris filius aduersum patrē rebellans, regnum sibi Italiæ vendicat, atque Mediolani coronatur ab Anselmo eius ciuitatis Archiepiscopo: cuius causa schismaticorum vires mirum in modum labefactatæ, minui cœperunt, Catholicorum vero inualescere. De his enim hæc Bertholdus habet hoc anno: In Longobardia prudentissimi milites sancti Petri Vuelpho Dux, & vxor eius Mathilda iam triennio contra schismaticos viriliter dimicantes, tandem multum contra ipsos, Deo opitulante, confortati sunt. Nam Conradus filius Henrici Regis a patre discessit, & Vuelphoni Duci, reliquisq. fidelibus sancti Petri contra patrem cum suis *adiuuit. Ciuitates quoque de Longobardia, Mediolanum, Cremona, Lauda, Placentia contra Henricum in viginti annos coniurauerunt, qui omnes prædicto Duci fideliter adhæserunt. Transitus etiam Alpium in Longobardiam obtinuerunt, vt fautores Henrici ad ipsum non possent proficisci] & inferius post multa eodem anno: In Longobardia Conradus filius Henrici Regis a patre dolo circumuenitur, & captiuatur, sed Dei misericordia inde ereptus, a Mediolanensi Archiepiscopo & reli- E

A & reliquis fidelibus sancti Petri in Regem coronatur, annuente Vuelphone Duce Italiæ, & Mathilde eius charissima coniuge. Sed & pater eius Ducis Vuelpho Dux Baioariæ nō multo post ad eum nouiter coronatum Regem in Longobardiam venit, eiq. cum filio suo fideliter adhærere sategit. Henricus vero pater Regis in quamdam munitionem se contulit, ibiq. diu absque regia dignitate moratus, nimioq. dolore affectus, seipsum (vt aiunt) morti tradere voluit, sed a suis præuentus ad effectum venire non potuit] Locus autem in quo velut obsessus morabatur Henricus, vt nec in Germaniam redire, nec in Italiam se conferre posset, ciuitatē Veronam fuisse, Vdescalcus in rebus gestis Eginonis Abbatis narrat, eius temporis scriptor; tuncq. accidisse, vt solutione pecuniæ intruderetur per eumdem Henricum Imperatorem in ecclesiam Augustæ Vindelicorum Hermannus perditissimus homo, cuius causa diu multumq. B laborandum fuit ciuibus Catholicis apud Paschalem Papam, vt pelleretur. sed redeamus ad Conradum Regem.

Porro rebellionem Conradi aduersus patrem ex hac causa prodijsse Dodechinus enarrat: Henricus Rex Adelaidem Reginam, *hanc Praxedem alij nominant*, quam duxerat vxorem, odio cœpit habere; ideo incarcerauit eam, & concessit vt plerique vim ei inferrent, immo filium hortans, vt eam subagitaret. quo recusante patris polluere stratum, eum Rex non suum, sed peregrini filium esse affirmauit cuiusdam Principis de Sueuia, cuius etiam faciem prædictus Conradus plurimum assimilauit. Regina autem post plurima & inaudita malorum genera sibi innocenter illata, de custodia qua tenebatur, quoquo modo Dei miseratione liberata, ad potentissimam tunc temporis feminam Mathildam nomine fugiendo peruenit. Quæ susceptam Reginam ad venerabilem virum perduxit Vrbanum, Apostolicæ Sedis Antistitem, cuius C prouoluta pedibus, profusis lacrymis ac intimis singultibus omnem suæ, quam pertulerat, calamitatis intimauit miseriam. Papa autem agnita Reginæ calamitate, humanitatis miseratione compassus, facta concione Catholicorum, denuo Henricum Regem excommunicauit pro illicitis ac nefandis omnibusq. sæculis inauditis rebus, in legitima vxore sua perpetratis. Regina autem reuersa est in regionem suam, & ingressa monasterium facta est Abbatissa, vt quidam dicunt] & paulo post:

NEFANDVM HENRICI SCELVS.

IMPERATRIX PRAXEDES AD VRBANVM PAPAM.

Conradus igitur patri suo rebellans, venit ad Papam Vrbanum, & solutus ab excommunicatione, in Longobardia regnauit contra patrem. Erat denique Conradus iste omni bonitate & probitate conspicuus, humilis & modestus, qui paucos annos superuiuens, postquam coronatus est, immature obijt] hactenus Dodechinus hoc an- D no. Eadem Albertus Stadensis, qui eam in Russiam ad suos esse reuersam affirmat. At Nouatores hostes Romanorum Pontificum, & hæreticorum sui consimilium studiosi, turpia ista de vxore Henrici negant, nullaq. alia ratione, nisi quod in vita eiusdem Henrici scripta non sint. at qua fronte? Cum ista de Regina Praxede annis sequentibus, spectante orbe, in duabus Synodis fuerint publice declamata? sed de his, vt annis singulis reddantur singula, loco suo dicturi sumus.

CATHOLICI RESVRGVNT ADVERSVS SCHISMATICOS.

Harum occasione nouitatum collapsi pene Catholici resumpsere vires, & quæ depressi tentare ausi non sunt, aggredi forti animo non timuerunt. Nam (inquit hoc eodem anno Bertholdus) Augustenses Episcopum, quem Henricus illis dedit, exputlerunt, ipsiq. sibi Catholicum pastorem canonice elegerunt, qui Episcopum in castello, quo transitus Alpium custoditur, captiuauit, quod ipse illi facere deliberauit. Metensis ecclesia & Tullensis & Virdunensis ab obedientia Egilberti excommunicati dis- E cesserunt, eiq. non amplius obedituros apertissime demandauerunt. Quarum Metensis refutato Episcopo, quem Henricus ei dare voluit, ipsi sibi canonice Catholicum pastorem elegere, eumq. a Gebehardo Constantiensi Episcopo Sedis Apostolicæ Legato consecrari fecere sexto Kalendas Aprilis in medio Quadragesimæ] & inferius de eodem Legato, eodem anno: Idem Legatus Vuelphonem Ducem Baioariæ per manus in militem accepit, sicut & proprium fratrem Bertholdum Ducem Alemanniæ iam dudum fecit, cum quibus & reliquis Alemanniæ Principibus magnum conuentum apud Vlmam habuit. In quo conuentu firmissime laudatum est, vt Constantiensi Episcopo Legato Vrbani Papæ omnimode secundum statuta canonum obediretur &c.] Sic igitur rebus Catholicorum in meliorem statum reparatis, consternatis schismaticis, nec vt prius, eos ferociter appetere audentibus, Vrbanus Pa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

pa est reuersus in Vrbem, vbi a suis receptus, Natalem Domini (vt idem Bertholdus testatur) solemniter celebrauit. Cui cõgratulati Catholici omnes Episcopi, inter alios Iuo [a] Carnotensis Episcopus has ad eum ea occasione scripsisse litteras reperitur: A

IVO GRATVLATVR VRBANO PAPAE.

Domino & patri suo Vrbano summo Pontifici Iuo humilis ecclesiæ Carnotẽsis minister cum Petro pugnare, & cum Petro regnare.

Quoniam Romana Ecclesia post multa naufragia sub vestro regimine ad portum iam pene peruenit, & Italiæ regnum iam diu rebelle in conspectu vestro totum pene conticuit, ita vt nouus Rex ad voluntatem Dei & vestram in manus vestras se dederit: gaudeo in Domino, & gaudium meum nullis syllabarum metis explicare sufficio. Quotidianas etiam preces coram Deo pro vestra incolumitate & pace multiplico, vt sermo Dei per vos currat, & de die in diem magis proficiat; & bona quæ per vos inchoauit, ad finem vsque perducat] his subiungit de causa electi Parisiensis. Porro B idem Iuo hoc anno vexatus ab Archiepiscopo Senonensi, appellans Apostolicam Sedem, has ad eumdem Vrbanum Papam [b] litteras dedit ante priores superius recitatas:

b Id. ep. 12.

IVONIS APPELLATIO AD SEDEM APOSTOLICAM.

Reuerendissimo Patri patrum Vrbano fidelissimus eius filius Iuo Carnotensium dictus Episcopus non deficere in tribulationibus.

Quoniam per sacram manus vestræ impositionem me de stercore erectum diuina prouidentia suæ messis ordinauit operarium: in ipsa Dei agricultura exercenda, quantum valeo me moueo, sed tamquam formicino gressu incedens, præpediente imbecillitate mea, non quantum volo, promoueo: in erogando verbi semine curam, prout diuina gratia subministrat, adhibeo. Sed quia messis multa est, & ab inimico homine multum zizaniorum prius seminatum, vel superseminatum est: paucos fructus ex meo labore capere me sentio. Timens igitur triticum eradicare cum lolio, & tamquam de discretione prudentis agricolæ mihi blandiens, multa tolero, multa dissimulo. sed rursus, vtrum hoc sit virtus discretionis vel vitium remissionis sub specie virtutis occurrentis, non satis acute distinguo. In qua mentis anxietate cum diuinum a me studiosius imploretur auxilium, insufficientiæ meæ necessarium ac debitum a vestra paternitate piæ orationis imploro suffragium. Neque enim aliqua ratione hoc onus subire voluissem, nisi vestra præmonuisset sanctitas; nisi vt ipsum subirem, vestra perfeciisset auctoritas. Paterne igitur filio vestro consulite, paterne succurrite; vt si quid per me diuina manus dignata fuerit operari, non meæ paruitati, sed vestræ post Dominum adscribatur sanctitati. Multa enim inordinata fieri video in domo Dei, quæ me torquent, maxime quod apud nos, qui altari non seruiunt, de altari viuunt; a quo sacrilegio cum eos absterere velim, monendo, increpando, excommunicando: altaria a me redimere volunt sub nomine personæ, sicut a prædecessoribus meis ex praua consuetudine redemerunt. In quo maxime indigeo consilio vestro, si id tolerabile vobis videtur, vel auxilio, si intolerabile iudicatur. Cetera quidem tolerabilia vel corrigibilia mihi in parochia nostra videntur, si hoc consilio vestro & auxilio ad ordinem redigi cogeretur. C D

DE IVDICIO CONTRA IVONEM AGITATO.

De cetero notum facio beatitudini vestræ, quod Senonensis Archiepiscopus consilio Parisiensis Episcopi infatuatus, adhibito sibi eodem Parisiensi Episcopo, & duobus alijs non dissimilis vecordiæ, Meldensi & Tricassino, hoc anno Stampis, de ordinatione quam a vobis acceperam, me inordinate satis accusauit, dicens me in maiestatem regiam offendisse, quia a Sede Apostolica consecrationem præsumpseram accepisse. Cum itaque conarentur Gaufredum depositum contra decretum vestrum in statum pristinum reformare, & in me depositionis sententiam proferre: Sedem Apostolicam appellaui, & decretis Apostolicis, quamuis ea non nisi in futurum timerent, a sua præsumptione reuocaui: appellationem tamen nec prosequi taxauerunt, nec planam pacem mecum habere voluerunt. Vnde necessarium mihi videtur, vt litteras communes tam Archiepiscopo, quam Suffraganeis mittatis, quatenus aut planam mecum pacem habeãt, aut præsentiam vestram, rationem inde reddituri mecum adeant. Suggero etiam paternitati vestræ, vt partibus nostris ordinetis aliquem Legatum, virum boni testimonij, qui non sua quærat, sed quæ IESV Christi. Necessarius enim esset Ecclesiæ Dei, in qua quilibet quodlibet audet, & quod audet, facit, & quod facit, impunitum transit. Aduersa an prospera erga vos sint, spirituali filio vestro mandate; quatenus (quantum Deus donauerit) orare studeamus, vt si prospera sint, E

A sint, firmentur; si vero aduersa, pellantur. Si venerit ad vos quidam propter infamiam de ecclesia nostra pulsus, rogo ne de eo quidquam statuatur, donec a nobis causa eius plenius audiatur. Bene valeat sanctitas vestra] Fuit iste clericus, qui falsam monetam fabricari fecit, de quo extant aliæ Iuonis [a] litteræ, de quibus suo loco dicendum anno sequenti, quæ autem ad ista Vrbanus scripserit, quod careamus eius volumine epistolarum, penitus ignoramus. *a Iuo ep. 19.*

ALPHONSVS HISP. REX STVDIOSVS CLVNIACEN.

Ad finem rerum gestarum anni huius idem qui supra Chronici auctor de Alphonso, siue Adefonso eiusmodi memoria dignum insuit monimentum his verbis: His temporibus Rex Hispaniæ Aldefonsus in fide Catholicus, & in conseruatione Cluniacensis Abbatis obedientiarius, sæpissime contra Paganos pro Christianis viriliter dimicauit; multasq. ecclesias iamdudum penitus deuastatas in pristinum statum restaura- B uit. Ipse etiam Cluniaci maiorem ecclesiam a fundamentis ædificauit, ad cuius ecclesiæ ædificationem infinitam pecuniam Cluniacum direxit. Qui etiam iamdudum se ibidem monachum fecisset, si dominus Abbas ad tempus eum sub sæculari habitu retinere, non satius iudicasset.]

S. ANSELMVS ORDINATVR CANTVARIEN. ARCHIEPISC.

Hoc eodem anno magnum illud decus & splendor ecclesiæ Anglicanæ sanctus Anselmus eligitur & consecratur Archiepiscopus Cantuariensis, subrogatus Lanfranco quartum post annum eius obitus. de quo eius temporis scriptor sincerissimus Edinerus eius a secretis minister hæc ait: [b] Rapitur ergo & violenter in vicinam ecclesiam cum hymnis & laudibus portatur magis quam ducitur. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis millesimo nonagesimotertio, pridie Nonas Martij prima Dominica Quadragesimæ] & inferius: Igitur Anselmus propter multas rationes, quæ in- C teruenerant, nondum consenserat electioni, quæ de se facta fuerat, vt pontifex fieret. Sed tamen detinente illum Rege, morabatur in Anglia, conuersante cum eo iussu Regis præfato Gundulpho Roffensi Episcopo, vt ei quæ opus erant, ministraret. Ablatis autem de medio rationibus illis, tandem post longum temporis spacium obedientia simul ac necessitate constrictus consensit, & pridie Nonas Decembris debito cum honore ab omnibus Episcopis Angliæ Cantuariæ consecratus est. In qua consecratione Euangelica illa sententia super eum reperta est: Vocauit multos, & misit hora cœnæ dicere inuitatis, quia iam parata sunt omnia, & cœperunt se simul omnes excusare] plane prænuntium futurorum, cum vir sanctissimus ex Anglia exire coactus est. Pergit Edinerus quomodo quam citissime exulare compulsus sit, ista paulo post subijciens: Dehinc cum se regali Curiæ in Natiuitate Domini præsentasset, & honorifice a Rege susceptus, primos dies festiuitatis circa Regẽ lætus transegisset: post instinctu diaboli, hominumq. malorum mutatus est animus Regis contra eum, eo quod ipse, spoliatis hominibus suis, mille libras denariorum ei pro agendis munificentiæ suæ gratijs dare noluit, & ita Principe turbato a Curia discessit] fuit sanctus Anselmus patria Augustanus eius nominis ciuitatis, quæ in finibus Burgundiæ sita est Italiam versus. vsus est Lanfranco prædecessore suo, antequam esset Episcopus, præceptore; inde monasticum amplexus est institutum in Beccensi cœnobio in Normandia, anno suæ ætatis vigesimoseptimo, in quo Lanfrancus Prioris munere fungebatur, cui in præfectura eadem Anselmus succedit; inde vero Abbas Hirluino subrogatus est; post vero ad Archiepiscopatum Cantuariensem hoc anno exal- D tatus. hæc autem pluribus Edinerus: sed nobis ista satis ad institutum. Ad hunc creatum Archiepiscopum [c] Iuo Carnotensis ista scripsisse reperitur: *b Edi. lib. 2. vitæ S. Anselm. apud Sur. 10. 2. die 21. Aprilis.*

c Iuo ep. 112.

IVONIS AD ANSELMVM EPISTOLA.

Anselmo reuerendo Cantuariẽsium Archiepiscopo Iuo humilis ecclesiæ Carnotensis seruus, pro modulo sibi collato fidelium orationum munus.

Quamuis placuerit ei qui te inuitauit, tibi non alta requirenti dicere: Ascende superius: non tamen ideo credimus paternitatem tuam nulli religioso onerosam, minus esse memorem eorum, quos aliquando ex quotidiana ecclesiasticorum negotiorum instantia contingeret; tamen non immemores nostri, paruitatis nostræ memoriam tuæ sublimitati, quibus possumus vehiculis, ad mentem reducimus, vtpote qui tuis desideramus orationibus fulciri, & copijs si necesse fuerit releuari. Affitimus enim hoc anno pro multa in te beneuolentia monachis Beccensibus &c.]

CONFESSORVM DECESSVS.

Ad postremum, quot glorioſos Confessores triumphatores Henricianæ perfidiæ hoc anno cælũ exceperit, idẽ qui supra Bertholdus sic narrat: Venerabilis Vuernherus Mer- seburſ-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sehurgensis ecclesiæ Episcopus post multos conflictus contra schismaticorum tergiuersationes, tandem in fidelitate sancti Petri diem extremum clausit, qui solus tunc in Saxonia Catholicæ communionis Episcopus remansit. Vnde & Catholicis magnã tristitiam, & excommunicatis magnam lætitiam obeundo reliquit. obijt autem satis feliciter tertio Idus Ianuarij] & inferius: Nobilissima Comitissa Sophia vidua Ludouici Comitis, mater piæ memoriæ Beatricis Ducis & Friderici Marchionis in senectute bona, cum iam multos filiorum videret, diem clausit extremum] & in fine: In Longobardia venerabilis Anselmus Mediolanensis Archiepiscopus in causa sancti Petri studiosissimus, & qui nuper Conradum Regem incoronauit, satis laudabilem fecit finem, magnumq. mœrorem fidelibus sancti Petri reliquit, cui venerabilis Arnoldus de Porta argentea in Episcopatu successit] hucusque Bertholdus.

IESV CHRISTI ANNVS 1094. VRBANI II. PAP. ANNVS 7. HENRICI III. IMP. 11. ALEXII COMNENI IMP. 14.

ROMANI NONDVM OMNES CREDIVNT.

MILLESIMVS nonagesimusquartus incipit annus, Indictione secunda, quo res vrbanæ sub Vrbano Papa etsi tranquilliores, nondum tamen pacatæ penitus extitere, perdurantibus Romanorum nonnullis in perfidia Henriciana, eo quod adhuc Guibertini munitionem sancti Angeli possiderent, cum Vrbanus Papa vitaret armis rem agere aduersus eos. De his igitur hæc Bertholdus rerum inspector: Dominus Papa Vrbanus Natiuitatem Domini Romæ solemniter celebrauit, quamuis plures Guibertini in Vrbe adhuc latuerint, quos dominus Papa absque militari manu non facile potuit * appellere. maluit ergo eorum iniuriam ad tempus tolerare, quam Romanos ciues armata manu inquietare. Guibertus autem hæresiarcha cum Imperatore suo apud Veronam eo tempore fuit; seq. libenter Papatum deserere simulauit, si alio modo pax in Ecclesia recuperari non potuerit] & inferius eodem anno: Dominus Papa Romæ prope sanctam Mariam Nouam in quadam firmissima munitione morabatur. sed Guibertini turrim Crescentij, *ipsam molem Hadriani, dictam sancti Angeli*, obtinentes, adhuc liberum viatoribus transitum ad Papam per pontem Tiberis nondum permiserunt. Nam Abbatem quemdam de cella sancti Petri in Alemannia, a Gebehardo Constantiensium *Episcopo*, & fratre eius Bertholdo ad Papam directum, dum per illum pontem transire vellet, in captione detinuerunt] hæc de rebus vrbanis ipse, qui & de his quæ gesta sunt per Legatum Apostolicum in prouincijs, hæc inferius subijcit:

* al. expellere

CONCILIVM CONSTANTIENSE.

Gebehardus Constantiensis ecclesiæ Episcopus magnam Synodum Constantiæ in hebdomada Maiore ante Pascha cum Abbatibus & clericis innumerabilibus, & cum prædictis Ducibus, & reliquis Alemanniæ Principibus canonice celebrauit. ibiq. multa, quæ corrigenda erant, correxit. ibi etiam incontinentiam presbyterorum ac violentiam simoniacorum adeo prohibuit, vt etiam populum ab eorum officio sub banno prohibuisset, si ipsi in tali facinore positi cõtra fas & ius ministrare præsumpsissent.

Statuit etiam iuxta statuta sanctorum Patrum, vt ieiunium Martij in prima hebdomada Quadragesimæ, & ieiunium Iunij in hebdomada Pentecostes semper celebretur.

Item statuit, vt tãm in hebdomade Pentecostes, quam in hebdomada Paschali tres tantum dies festiui celebrarentur. Nam vsque ad illud tempus Constantiensis Episcopatus morem Comprouincialium non est secutus, videlicet integram septimanam in Pascha, & vnam tantum diem in Pentecoste obseruando, quamuis vtræque septimanæ eiusdem obseruationis esse debuerint, & quamuis alij Episcopatus pene omnes prædictam constitutionem iam ab antiquo tenuerint. Hæc, inquam, ipse in proprio Episcopatu, & ex Episcopali auctoritate, & ex Apostolica legatione canonice potuit instituere. Nam Legatus fuit Sedis Apostolicæ per totam Teutonicam terram vsquequaque.

Querimonia Praxedis Reginæ, quæ dudum ad Vuelphonem Ducem Italiæ a marito suo *Henrico Rege* discessit, ad Synodum Constantiensem peruenit; quæ se tantas,

tas, tamq. inauditas fornicationum spurcitias, & a tantis passam fuisse, conquesta est, vt etiam apud inimicos fugam suam facillime excusaret, omnesq. Catholicos ad compassionem tantarum iniuriarum sibi conciliaret] ibidem pertractatam controuersiam Sigefridi Abbatis enarrat. atque hactenus de Concilio Constantiensi.

CONC. GALLICANVM CONT. ILLEGITIMVM REGIS CONNVBIVM.

Rursus autem ab alio Apostolicæ Sedis Legato in Gallia aliud Concilium, idemq. generale nominatum, celebratum est, & quidem magni momenti, in quo nimirum Philippum Francorum Regem Patres excommunicarunt. De his acturi, in primis de legatione credita Hugoni Archiepiscopo Lugdunensi, a quo celebratum est Concilium, dicendum est. Verum istum apud Gregorium Septimum magnæ æstimationis fuisse meminimus, eodemq. ab eo legationis munere insignitum, & summo Pontificatu dignum iudicatum, sub Victore Papa autem (vt vidimus) aliquantulum resilijsse ab Apostolica vnione, non tamen vt deficeret ad schismaticos. Sed liber absque publica functione manens sese Vrbano Papæ communicatione ab exordio eius Pontificatus coniunxit. Cum vero Iuo Carnotensis (vt vidimus anno superiori) suis litteris ad Vrbanum, Legatum in Gallias mittendum esse, exorasset: Vrbanus flexus petitionibus Iuonis, legationem eiusmodi eidem Hugoni Lugdunensi Archiepiscopo decernit, quam cum ipse obire omnino renueret, idem Iuo has ad eum litteras dedit, quibus eum ad suscipiendum oblatum munus hortatur. epistola sic se habet: [a]

[a] *Iuo ep. 18.*

Hugoni reuerendo Lugdunensium Archiepiscopo Iuo humilis Carnotensium Episcopus in Christi esse visceribus.

LEGATIONEM SVSCIPERE HVGONEM LVGD. ARCH. IVO MONET.

Audiui dominum Vrbanum Apostolicum legationem Apostolicam tuæ credidisse charitati, qua laudabiliter functus es tempore prædecessoris sui beatæ memoriæ Papæ Gregorij. Audiui & lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, tum propter sinceram qua te amplector charitatem, tum propter communem Ecclesiæ Christi vtilitatem. Sed hanc meã lætitiam postea perturbauit, quod mihi dictum est, te in tanta perturbatione humerum huic oneri nolle supponere, dissuasione quorumdam, dicentium propter languidum caput ægrotanti corpori pene viribus * definito non posse commode subueniri. Sed imperitorum medicorum est tale consilium, tumores palpantium, & palpando putredines degustantium, amantium suam tranquillitatem, non ægrotantium sanitatem, nec attendentium, quod Veritas dicit: [b] Non est opus sanis medicus, sed male habentibus. Licet enim in regno Italico surrexerit alter Achab, in Gallico autem altera Iezabel, quærentes altaria suffodere, Prophetas occidere; non est tamen dicendum Eliæ: Relictus sum solus, & quærunt animam meam, ne diuinum dicat ei responsum: Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curuauerunt genua sua ante Baal. Licet ad placitum [c] Herodis saltet Herodias, petat caput Ioannis, concedat Herodes: dicat tamen Ioannes: Non licet tibi vxorem tuam inordinate relinquere, & contribulis tui coniugem vel pellicem in coniugium habere. Licet Balaam doceat Balac edere & fornicari, Phinees tamẽ non pareat Israelíti cum Madianitide fornicanti. Licet ad persuasionem Simonis Nero Petrum liget, incarceret, nõ minus tamen Petrus Simoni dicat: Pecunia tua tecum sit in perditione. Quanto enim studiosius peruersorum temeritas & audacia rectitudinis statum labefactare conatur: eo vehementius est eorum improbitati resistendum, & religioni Christianæ consulendum, & lamentabilibus Ecclesiæ ruinis obuiandum. Non hæc quasi ignoranti scribo: sed persuasum esse vellem tuæ paternitati, vt iterum manum ad aratrum mitteres, & de agro Domini spinas quas posses euelleres, & semina quæque messem latura superseminare non differres. hæc hactenus. De cetero deuotissime postulo paternitatem tuam, quatenus paruitati meæ rescribas, vtrum naui periclitantis Ecclesiæ, etiam pene naufragium patientis manum adhibere disponas; & quo in loco circa initium Quadragesimæ te valeam inuenire. Quædam enim ecclesiastica negotia tractanda sunt mihi cum tua prudentia, quod mihi operosum, tibi autem non erit onerosum. Vale] hæc Iuo ad Archiepiscopum Lugdunensem Legatum designatum in Gallijs.

* al. destituto

[b] *Matth. 9.*

[c] *Ibid. c. 6.*

PHILIPPVS REX FRANC. DIMISSA VXORE ALIAM SVPERINDVCIT.

At quodnam fuerit istud tam grande malum exortum in regno Francorum, cuius causa monerent plures Hugonem recusare munus legationis? Illud vtique immẽsum ac detestabile, quod Philippus Francorum Rex diuortio dimissa legitima vxore, cognatam suam, vxorem Fulconis Comitis Andegauensis, sibi iunxerit matrimonio, iuuenili furore percitus, non considerans quot horrenda simul scelera perpetraret.

At

Universidad de Deusto
Biblioteca

At vero antequam de his agamus, hic primum de ipsa Regina, quam Philippus A
Rex dimisit, dicenda sunt aliqua, quibus intelligas iudicia Domini esse recta & iusti-
ficata in semetipsa, dum quæ ipsa fecit, eadem sit pati coacta, prædicente hæc omnia
[a] Lisiard. in vit. Arnul. cap. 18. apud Sur. 18. 4. dec. S. Aug.
quæ ei obuentura essent, S. Arnulpho tunc Abbate, postea Episcopo Suessionensi, cuius
vitæ Acta [a] Lisiardus itidem Suessionensis Episcopus eius successor dum scribit, hæc
habet de expulsione Geraldi Abbatis monasterij sancti Medardi, quem ipse Sanctus
in sui locum elegisset: Eo Abbate ocyus instituto, de repente aduolat supradictus ille
Pontius vesanus monastici ordinis temerator, ducens secum Reginam * Bertradam,
[*] al. Bertam
quæ auctoritate regia Geraldum expelleret, & Pontium contra fas in sancti loci ad-
DE BERTA REGINA PASSA EADEM QVAE FECIT.
ministrationem intruderet. Id vbi resciuit Christi seruus Arnulphus, e cella egredi-
tur, Reginam furibundam blanditer appellat, submisse rogat, vt licet Regina sit,
memor tamen muliebris conditionis, memor diuinorum iudiciorum, contra leges B
ecclesiasticas venire formidet, ab iniuria tanti viri verecunde se temperet.

Cum autem ea præ regio fastu & tumore viri sancti monita non admitteret, prophe-
tico spiritu dixit ei: Crede (si lubet) o Regina, Fratri Arnulpho, immo potius crede
Spiritui sancto. Nam si tu Fratrem Geraldum hinc eieceris, Deo vindice, tu quoque
ante obitum tuum e regno extruderis, contemptaq. & ærumnosa morieris. Eam
viri Dei prophetiam, luce clarius est, completam esse, quando omnes norunt Regi-
nam illam post annos aliquot Regis animum adeo offendisse, vt conciliari prorsus
nollet, amotamq. a regni consortio, & in pagum Pontinum translatam, post diuturn-
am calamitatem, illic plebeio more defunctam & sepultam] hæc Lisiardus de Ber-
ta Regina, qua dimissa, ipse Rex Bertradam accepit. ita enim, ne confundantur no-
mina, Bertam Reginam, Bertradam scias pellicem appellatam. C

Sed iam ad Philippum Regem reuocemus orationem, qui cum eiusmodi scelera
perpetrasset, vt legitimam vxorem dimitteret, & pellicem duceret: quod scelestius
est, inuenit Galliarum Episcopos, qui fauerent adeo nefandis criminibus, vno con-
tradicente omnibus illis Iuone, cuius recitandæ sunt breues epistolæ eo argumento
tunc scriptæ, atque ea primum, quæ secunda ordine posita perbreuis ad Episcopos
ad Regis nuptias inuitatos data est, qua hortatur, Regi tot inconcessa legibus præ-
[b] Iuo ep. 14.
sumenti resistere, quæ sic se habet: [b]
QVAE IVO AD EPISCOPOS.
Archiepiscopis & Episcopis ad regales nuptias inuitatis Iuo humilis cum spiritu
consilij spiritum habere fortitudinis.

Exemplar litterarum, quas misi domino nostro Regi, charitati vestræ transmitto,
vt eamdem causam me habere sciatis, quam & vos habetis: cur nuptijs ad quas vo- D
cati estis, subtrahere vos debetis. Vos igitur qui conuenistis, nolite fieri canes mu-
ti, latrare non valentes, sed sicut boni speculatores, videntes gladium venientem su-
per terram, buccina insonate. Vt cum feceritis quod debetis, vestras animas & eo-
rum qui ad vocem buccinæ se obseruauerint, vobiscum liberetis. Exemplar autem
hoc est:
IVO EPISC. CARNOT. PHILIPPVM REGEM FRANCORVM MONET.
Domino suo Philippo magnifico Francorum Regi Iuo humilis Carnotensium Epi-
scopus sic militare in regno terreno, vt non priuetur æterno.

Sicut serenitati vestræ dixi præsens ante iuramentū vestrum, ita nunc scribo absens,
quia huic nuptiarum solemnitati, ad quā me vocatis, interesse nec volo, nec valeo, nisi
prius generalis Concilij definitione decretum esse cognoscam, inter vos & vxorem ve-
stram legitimum interuenisse diuortium, & cum ista quam ducere vultis, legitimum E
vos inire posse matrimonium. Si autem inuitatus fuissem ad huius discussionem in eo
loco, in quo cum Episcopis canonicas secure possem cōferre sentētias, vbi temerariam
non timerem multitudinem: libētissime ad hoc venirem, quod lex & iustitia dictaret:
cum audientibus audirem, cum dicentibus dicerem, cū facientibus facerem. Nunc ve-
[*] al. Patisios
ro, quia absolute vocor, vt * Parisium cum vxore vestra veniam, de qua nescio, vtrum
possit esse vxor: propter conscientiam meam, quam coram Deo conseruare debeo, &
propter famam, quam Christi sacerdotem bonam habere oportet apud eos, qui foris
sunt, malo cum mola asinaria in profundum mergi, quam per me mentibus infir-
morum tamquam cæco offendiculum poni. Nec ista contra fidelitatem vestram,
sed pro summa fidelitate dicere me arbitror, cum hoc & animæ vestræ magnum cre-
do fore detrimentum, & coronæ regni vestri summum periculum. Mementote, quia

primum

A primum parentem, quem Dominus vniuersæ visibili creaturæ præfecerat, mulier in-
paradiso seduxit, & ita vterque a paradiso exulauit.

Samson quoque fortissimus per mulierem seductus, fortitudine amissa, qua hostes
superare solebat, ab hostibus est superatus. Salomon sapientissimus propter mulie-
rum concupiscentiam a Deo apostatauit, & ita sapientiam, qua præcellebat, amisit.
Caueat ergo sublimitas vestra, ne in horum incidatis exemplum, & ita cum dimi-
nutione terreni regni amittatis æternum. Consulite ergo Angelum magni consilij,
vt accepto ab eo spiritu consilij, inhonesta & inutilia vitare, honesta & vtilia in om-
nibus negotijs vestris valeatis perficere. Valete.]

Ad Rhemensem vero Archiepiscopum, cuius esset nuptias benedicere, ista conscri-
psit [a] idem Iuo Apostolico spiritu roboratus: [a] Iuo ep. 13.

B Rainaldo reuerendo Rhemorum Archiepiscopo Iuo humilis Carnotēsium Episco-
pus consolationis visceribus abundare. Expertus quantum sit periculum Prælato-
rum, iuxta quod in Psalmo legitur: [b] Qui descendunt mare in nauibus, facientes ope-
rationem in aquis multis: ipsi viderunt mirabilia in profundo: ascendunt vsque ad
cælos, descendunt vsque ad abyssos, anima eorum in malis tabescebat: turbati sunt, &
moti sunt sicut ebrius, & omnis sapientia eorum deuorata est. In quo per me minus
sapio, vestro, ceterorumq. consilio prudentium informari, vel confirmari desidero.
Nuper enim cum a domino Rege fuissem inuitatus ad colloquium, quorumdam ma-
leuolorum meorum suggestione obnixe me rogauit, vt essem ei adiutor in celebran-
dis nuptijs, quas facere disponebat de *Bertreda dicta coniuge Comitis Andegauensis. [*] alij Bertrada
Ad quod cum respondissem, non ita oportere fieri, quoniam nondum esset causa de-
C finita inter eum & vxorem eius: testatus est, pleniter definitam esse Apostolica aucto-
ritate, & vestra, vestrorumq. Coepiscoporum laudatione. Quo audito, respondi me
hæc ignorare, nec huiusmodi nuptijs velle interesse, nisi vos earum essetis consecrator
& auctor, & Coepiscopi vestri assertores & cooperatores: quoniam id competit iuri
ecclesiæ vestræ ex Apostolica auctoritate, & antiqua consuetudine. Quoniam
igitur cōfido de religione vestra, nihil vos de re tam periculosa, & famæ vestræ, & ho-
nestati totius regni tam pernicioſa facturum, dicturumve, quod non auctoritate vel
ratione nitatur: studiosissime & deuotissime obsecro charitatem vestram, vt mihi
fluctuanti veritatem huius rei quam scitis, aperiatis, & sanum cōsilium licet arduum
& asperum super hoc præbeatis. Malo enim perpetuo officio & nomine Episcopi ca-
rere, quam pusillum gregem Domini mei legis præuaricatione scandalizare. Sunt
D etiam latentes causæ, quas interim tacere me conuenit, propter quas hoc matrimo-
nium laudare non possum. Vale.]

Porro quod ipse fecit, & alijs faciendum suasit, vt potius legationi Sedis Apostoli- IVO MONET EPISC. ABRINC.
cæ obediatur, quam Regi. Sic enim ipse ad Abrincensem Episcopum: [b] Cogit enim [b] Id. ep. 271.
vos ex vna parte legatio Apostolicæ Sedis, vt præceptis eius obediatis: vrget vos ex
altera parte regia potestas, vt resistatis. Cum igitur sibi inuicem aduersentur præ-
cepta Apostolica & regalia: sanum consilium nemo vobis dare potest aliud, quam
quod Susanna dictante Spiritu sancto sibi dedit: [c] Melius est mihi incidere in manus [c] Dan. 13.
hominum, quam derelinquere legem Dei mei. Videlicet vt aut Apostolicæ Sedi in-
Legatis suis plenarie obediatis, aut principaliter ad Sedem Apostolicam vicarios ve-
stros mittatis, qui ibi pro vobis satisfaciant, & gratiam Sedis Apostolicæ vobis resti-
E tuant: alioqui anathematis vinculum rumpere potestis, soluere non potestis] hæc
Iuo. quæ & præstiterunt in hoc conflictu Episcopi Gallicani, quos Legatus Apo-
stolicæ Sedis Lugdunensis Archiepiscopus roborauit, cum ex altera parte Rex furens
incensus concupiscentiæ facibus æstuaret, ex altera Legatus sacris legibus ei pararet
obsistere. Rex autem habenas concupiscentiæ laxans, sponte fertur in detestandum
toto Christiano orbe coniugium.

Cum autē Hugo Archiepiscopus Lugdunensis munus legationis susceptisset, mox ab IVO MONET MELD. EPISC.
eo Gallicanum in casu eiusdem coniugij est indictum Concilium, constāti animo paratus
irrumpere iniquitatem, de quo idē Iuo ita scribit ad Vualteriū Meldensem Episcopum:
Hoc vero vobis consulo, vt coniugium eius, quod ante factum ratione resistente non
laudastis, post factum nec dicto, nec facto inconsulto approbetis, sed commune con-
silium & iudicium comprouincialium Episcoporum & ceterorum studiose expetatis,

& lon-

Universidad de Deusto
Biblioteca

& longanimiter expectetis; & si quid aduersi pro amore iustitiæ vobis acciderit, A
æquanimiter supportetis: hoc attendendo, quia non sunt condignæ passiones huius
temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Vale.]

PHILIPPVS REX EXCOMMVNICATVS IN CONCILIO

At quid demum? Cogitur per Hugonem Apostolicæ Sedis Legatũ hoc anno Concilium, causa Regis exacte cognoscitur. improbatur, damnatur coniugium, ipseq. Rex synodali iudicio sententia excommunicationis afficitur. sed audi Bertholdũ in rebus gestis anni huius de eadem Synodo Gallicana: In Galliarum, inquit, ciuitate, quam Ostionem vulgariter dicunt, congregatũ est generale Concilium a venerando Hugone Lugdunensi Archiepiscopo & Sedis Apostolicæ Legato, cum Archiepiscopis, Episcopis & Abbatibus diuersarum prouinciarũ decimoseptimo Kal. Nouembris. In quo Concilio renouata est excommunicatio in Henricũ Regem, & in Guibertũ Sedis Apostolicæ inuasorem, & in omnes eorum complices. Item Rex Galliarum Philippus ex- B
communicatus est, eo quod viuente vxore sua, alteram superinduxit. Item simoniaca hæresis & incontinentia sacerdotum sub excommunicatione damnata est. Item monachis interdictum est in eodem Concilio, ne parochialium sacerdotum officia in parochijs vsurpent. Hæc, inquam, omnia ibi sunt constituta, & Apostolica legatione firmata] hæc ipse. Quomodo autem istud ipsum iudicium rursus vanilatum est in Concilio Claramontensi, & ibi rursus idem Rex est excommunicatus ab Vrbano Papa, suo loco dicturi sumus.

Quod rursum ad legationem eiusdem Hugonis Archiepiscopi Lugdunensis, hoc anno eidem in Gallias creditã pertinet; quid admiratione dignum ei acciderit apud Marcianicenses sanctissimas moniales, hic describendum, auctore [a] Petro venerabili Abbate Cluniacensi eiusdem temporis scriptore fide præstantissimo, qui de loci insti- C
tutione hanc memoria dignam habet narrationem: Est idem locus inter alia sanctimonialium sancta loca singularem gratiam obtinens, & velut inter fulgentia cæli fidera quodam suo proprio fulgore perfulgens. Ibi nobilium mulierum multitudo, & quæ de ipsius regij sanguinis sublimitate descendunt, spernunt diuitias, & honores contemnunt, calcant superbiam, luxuriam subigunt, Christiq. sequentes pauperiem proprio mundum cum principe vincunt. De quarum numero plurimæ vitorum morte destitutæ, secundas iterare nuptias refugerunt, aliæ incolumes maritos deseruerunt, *legitima puta ex causa*, quædam ab omni carnis corruptione immunes Euangelicum virginitatis honorem carnalibus voluptatibus prætulerunt. Omnes tamen in communi, virili constantia femineam molliciem supergressæ, non solum mundana omnia, sed seipsas sibi subiugant &c.] & de obseruantissima clausura pergit: D

[a] *Petr. ven. lib. 1. miracul. c. 22*

DIGNVM EXEMPLVM CONSTANTIAE MONIALIVM.

Claustro salutari conclusæ, & (vt sic dicam) vitali obrutæ sepultura, pro præsenti coarctatione sempiternam latitudinem, pro sepulchro beatam resurrectionem expectant. Vnde potius mori quam egredi, ante occumbere quam limen designati ostij transgredi elegerunt. Quod tunc apparuit, quando in circumpositis villæ domibus casu quodam tempore ignis exarsit. ferebantur in sublime globi flammarum, & exustis circumquaque omnibus, sanctarum illarum habitaculis appropinquabat. Tollitur in altum clamor populi, ne sacræ domus comburerentur, magis quam de proprijs damnis solliciti. Fit concursus omnium ad muri eas ambientis propugnacula, & super domorum tecta conscendentes totis viribus obuiam ire ignibus parant. Arentem materiam quam superinueniunt, longe proijciunt, nihil quod ad igneam vim repellendam possit valere, intentatum dimittunt. sed nequidquam proficiunt. Aer enim vento commotus multiplicatas vires ignibus dabat, & fumum flammeo vapore admixtum vultibus atque oculis defensantium inferens, ne defenderent, prohibebat. Cumq. aliquamdiu restitissent, victi tandem violento elementorum conflictu tecta relinquunt, & se passim ad terram præcipitantes, non iam domos, sed propria corpora saluare contendunt. At ignis obstaculo remoto libere omnia peruagatur, & partem propinquiorem sibi ædificiorum inuadens, horrisono strepitu maximas lignorum moles consumit. dum vero luctuosa vniuersorum vox confuso clamore omnia replet, totius ignari consilij nihil nisi extremum ancillarum Dei exitum præstolantur. Erat tunc forte in loco Lugdunensis ecclesiæ Archiepiscopus venerabilis Hugo, multa morum probitate & religiosa cõuersatione, a domino Papa Vrbano cunctarum ferme Galliarum constitutus Legatus, ad quem velut ad patrem confugiunt, & (vt in E
pertur-

A perturbatis rebus fieri solet) anxie ab eo consilium exposcunt. precantur præcipue, vt inclusis sanctis mulieribus exitum persuadeat, neque tantum ouium Christi gregem ignibus pastor perire permittat. Motus Archiepiscopus cursim clausttrum ingreditur, omnesq. sub celeritate congregans, summa industria, vt periculo cedant, hortatur. Cumq. illæ omnino renuerent; & prius se mori, quam propositum infringere constanter affirmarent, ait Episcopus: Auctoritate beati Petri & domini Papæ, cuius vice fungor, atque ex Abbatis * nostri obedientia vobis præcipio, vt ad præsens hinc * *f.* vestri
exeatis, neque vos cum habitaculis vestris hic incendio incremari sinatis. Ad hæc quædam maximæ nobilitatis & conuersationis Gisla nomine, quam & ipse multoties vidi, spiritu & fide successa, respondit: Nos pater timor Dei & præceptum Abbatis nostri, vt ignem æternum euadere possemus, infra hos quos cernis limites vsque ad
B mortem permansuras inclusit. Vnde nullo pacto fieri potest, vt aliqua necessitate præfixos nobis pœnitentiæ terminos saltem pedis passu transgrediamur, nisi ab illo, qui in nomine Domini in hoc nos inclusit loco, soluamur. Noli ergo domine, si placet, hoc iniungere, quod nobis agere non licet: sed sicut nos ignem præcipis fugere, ita magis igni vt a nobis fugiat, virtute Christi Domini nostri armatus iniunge.

FIDE IGNIS EXTINCTVS.

Ad quam mulieris fidem stupefactus Archiepiscopus, ac subito & ipse fide repletus, foras exijt, & corã cunctis qui aderant flammas intuẽs, ac lacrymis ora perfusus, ait: In nomine Domini, & per meritum fidei huius quæ nunc locuta est mulieris, recede ignis pestifer ab ancillarum Dei habitaculis, nec damna aliqua vltra inferre præsumas. His a pontifice verbis prolatis (sicut mihi testificati sunt qui viderunt) repente immensitas flammarum inuisibili virtute repressa, velut ferreo muro obstante, vltra procede-
C re non potuit, & absque vllo humano subsidio, absque aliqua pluuiæ gutta incredibili celeritate semetipsum extinxit. Sic magnifico atque insperato miraculo sanctum propositum mulierum sibi bene acceptum esse diuina pietas comprobauit, & veræ fidei merito omnia possibilia credenti (sicut in [a] Euangelio promiserat) demonstrauit] hucusque Petrus.

[a] *Marc. 9.*

VRB. RESCRIPTVM TVRBAT IVONEM.

Vt autem ad Vrbanum Pontificem, atque ad Iuonem Carnotensem Episcopum redeamus. Post tot angustias, quas Iuo resistens Regi, vt ex suis litteris audisti, perpessus est, vehementer eum Vrbani Papæ rescriptum perturbauit pro clerico illo monetario datum, quem iam Iuo iuste damnasset, & appellantem Apostolicam Sedem, cum & ne circumueniretur eius mẽdacijs, suis litteris anno superiori, vt vidimus, eumdem Vrbanum Papam monuerat, vt caueret. Sed Vrbanus cum illi plus satis mendacia asserenti, tamquam vera narranti, fidem adhibuisset, atque pro illo ad eum re-
D scripsisset: idem Iuo non sine animi magna amaritudine ad Vrbanum ista respondit, sic expostulans, vt tamen illi in omnibus parere non prætermiserit: [b]

[b] *Iuo ep. 19.*

QVERELA IVONIS AD VRBANVM PAPAM.

Vrbano summo Pontifici Iuo spiritualis eius filius, non seruilis timoris, sed castæ dilectionis obsequium.

Ad visitandam paternitatis vestræ dulcedinem, ad releuandas quotidianas cruces meas, præsentiam vestram iam sæpe adire proposui; sed impediente satana, votum meum adhuc implere non valui. Nam ad bestias quotidie pugnans, non inuenio requiem spiritui meo, & miserabiles Christianæ religionis ruinas, quibus reficiendis vix aliquis, aut nullus insudat, cum multa cordis contritione deploro. Vnde quia video me præesse, sed nulli fere prodesse, sæpe delibero renuntiare curæ pastorali, & ad
E pristinam quietem redire, vbi illum [c] expectem, qui saluum me faciat a pusillanimitate spiritus & tẽpestate. sed pene sola retinet me paternitatis vestræ dilectio, cui quantum debeam, nec ipse penitare sufficio. Tamen [d] nisi viderer os meum ponere in cælum, iniuriam aduersus eum agerem, qui septem annis pro [e] Rachel seruienti Iam iussit nocte supponi. Quæ saltem si fetaret, & speciositatem Rachel sua fecunditate compensaret, vix tandem ea conditione toleranda videretur, vt ad amplexus Rachel post alios septem annos perueniendi copia donaretur. Nunc vero quia huius sterilitatem experior, & illius delectatione non perfruor; miserabiliorẽ omni homine me iudico, & vt tam lamentabile damnum diu toleret, animæ meæ persuadere non valeo. Si placet itaque sanctitati vestræ, vt adhuc tolerem, cudite mihi virgam ferreã, qua vasa lutea conterantur, quæ non eo modo parcat vni, vt in discrimen adducantur plurimi.

[c] *Psal. 54.*
[d] *Id. 72.*
[e] *Gen. 29.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hoc ideo suggero sanctitati vestræ, quia quidam clericus nostræ vrbis falsis delationibus aures vestræ pietatis iam secundo pulsauit, dicens se per coniecturas accusatum, & de sola suspicione proscriptum. Sed causa illa, propter quam a Clero separatus est, tam manifestis indicijs est reuelata, tam certa accusatione publicata, tam euidenti exitu comprobata, vt nemini non tantum ciuium, sed etiam comprouincialium dubium sit, quin in domo sua falsam monetam fabricari fecerit, & in quadam ecclesia eiusdem præposituræ, quam ei Gaufredus vendiderat, contra voluntatem omnium fratrum. Hoc publicum facinus, & quædam eius horrenda flagitia, Deo volente, vera esse probabo suo tempore in vestra præsentia. Ideo sacramentum quod mihi obtulit, intuitu charitatis nolui suscipere, sciens eum peccatum periurij priori peccato velle superponere. Tamen propter reuerentiam vestræ paternitatis, ad quam confugerat, quamuis dolose, interim volui ei redditus vnius præbendæ integerrime dare, & cibum mecum in mensa, donec possem de hoc negotio in præsentia vestra agere, & consilio vestro, quæ restituenda viderentur, misericorditer restituere. Ipse autem vti superbus & arrogans est, tamquam falsa dicendo perditam recuperasset innocentiam: neque mihi, neque amicis suis voluit acquiescere, nisi quæcumque petebat, & in manu mea non sunt, & ab his qui ea legitime acceperũt, inuitis auferri non possunt, rederem integerrime. Igitur secundum quod placuerit discretioni vestræ, aliquid tale super hoc paruitati meæ rescribite, quod huic stulto & ceteris cornua non addat, & vires meas non excedat. Ipse autem nunc ad vos venire disposueram, sed iste publicauit aduentum meum studiosissime per totam Romani itineris viam. Quæ damna, quas passiones, quas persecutiones intus & foris hoc anno pro lege Dei pertulerim: nota vobis facere poterit iste frater. Litteras sanctitatis vestræ, securus mei periculi, Metropolitanis, & eorum Suffraganeis sine mora direxi. Adhuc tamen tacent, tamquam [a] canes muti non valentes latrare. Valete] Erant isti illi quos nuper audisti in causa Regis adeo clamosa penitus tacuisse, vno tantum luone sacerdotali robore fortiter resistente, & constanti animo contradicente.

a Isai. 15.

S. ANSELMVS MITTIT AD VRBANVM PAP. LIB. DE INCAR. VERBI.

Hoc eodem anno sanctus Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis vbi scripsisset librum de Incarnatione Verbi, misit ad Vrbanum Papam. ita Edinerus in vita ipsius, & Dodechinus in Chronico. eius autem scribendi occasionem idem ipse in nuncupando ipsum, ita præfando declarat:

Domino & Patri vniuersæ Ecclesiæ in terra peregrinantis summo Pontifici Vrbano Frater Anselmus, vita peccator, habitu monachus, siue iubente, siue permittente Deo, Cantuariæ metropolis vocatus Episcopus, debitam subiectionem, cum humili seruitio, & deuotis orationibus.

ROM. PONT. EST TVERI FIDEM CATH.

Quoniam diuina prouidentia vestram elegit sanctitatem, cui vitam & fidem Christianam custodiendam, & Ecclesiam suam regendam committeret: ad nullum alium rectius refertur, si quid contra Catholicam Fidem oritur in Ecclesia, vt eius auctoritate corrigatur; nec vlli alij tutius si quid contra errorem respondetur, ostenditur, vt eius prudentia examinetur. Quapropter sicut nulli dignius possum, ita nulli libentius præsentem epistolam quam vestræ destino sapientiæ; quatenus si quid in ea corrigendum est, vestra censura castigetur, & (quod regula veritatis tenet) vestra auctoritate roboretur] En vides quem recognoscat sanctus Anselmus caput totius Ecclesiæ, doctrinæ arbitrum, & dogmatum cognitorem & iudicem. pergit vero de noua hæresi, immo veteri restituta insania Sabelliana, verbis istis:

RATIO SCRIBENDI LIBRVM DE INCARNATIONE.

Cum adhuc in Becci monasterio essem Abbas, præsumpta est a quodam clerico in Francia talis assertio: Si in Deo, inquit, tres personæ sunt, vna tantum res, & non sunt tres res, vnaquaque per se separatim, sicut tres Angeli, aut tres animæ, ita tamen vt potentia & voluntate omnino sit idem: ergo Pater cum Spiritu sancto cũ Filio est incarnatus. Quod cum ad me perlatum esset, incepi contra hunc errorem scribere quamdam epistolam, quam parte quadam edita, perficere contempsi, credens non ea opus esse, quoniam & ille, contra quem fiebat, in Concilio a venerabili Rhemensi Archiepiscopo Rainaldo collecto, errorem suum abiurauerat, & nullus videbatur qui eum errare ignoraret. Partem tamen illam quam feceram, quidam Fratres, me nescience, transcripserunt, atque alijs legendam tradiderunt. Quod idcirco dico, vt si in alicuius

A in alicuius manus pars illa venerit, quamquam ibi nihil falsum sit: tamen tamquam imperfecta & non exquisita relinquatur. Postquam autem in Anglia ad Episcopatum, nescio qua Dei dispositione captus & retentus sum: audiui præfatæ nouitatis auctorem in sua perseuerantem sententia dicere: Se non ob aliud abiurasse quod dicebat, nisi quia a populo interfici timebat. Hac igitur causa quidam Fratres precibus suis me coegerunt, vt soluerem quæstionem, qua ipse sic irretitus erat, vt nullo modo se ab ea expediri crederet, nisi aut Incarnatione Dei Patris & Spiritus sancti, aut deorum multitudine impediret &c.] insulsus plane hæreticus & imperitus, quippe qui si legisset quæ a sanctis Patribus de Trinitate innumera scripta sunt documenta, & quæ de Incarnatione Verbi ab ijsdem tam Græcis quam Latinis edita sunt immensa volumina: doceri ab ijsdem quam disertissime potuisset, quod Filius assumpsit naturam humanitatis in vnitate personæ, non naturæ. Quod si & libris his caruisset, tunc ad id quod Ecclesia tradit, ipsi recurrendum fuisset, & non ad inanes debuisset disputationes ex tenebris suæ ignorantiæ fabricatas Fidem Catholicam reuocare. Vnde idem sanctus Anselmus, ipso disputationis exordio auream istam sententiam, dignam plane tanto ecclesiastico tractatore ex penetralibus pietatis ita depromit dicẽs: Nullus quippe Christianus debet disputare, quod Catholica Ecclesia corde credit, & ore confitetur, quomodo non sit: sed semper eamdem Fidem indubitanter tenendo, amando, secundum illam viuendo, humiliter (quantum potest) quærere rationem, quomodo sit. Si potest intelligere, Deo gratias agat: si non potest intelligere, non immittat cornua ad ventilandum, sed submittat caput ad venerandum. Citius enim in se potest confidens humana sapientia impingendo cornua sibi conuellere, quam innitendo, petram hanc euellere &c.]

B

NON DISPVTANDVM SED CREDENDVM.

C

At quisnam fuerit hæreticus iste, licet sanctus Anselmus eum consulto non nominet, quod contemptibilis sit habendus omnis hæreticus; quippe qui ex impietate sibi gloriam nominis quærat; sed nec nomine dignus, quamuis ex eo cum dedecore sit maiori iniuria afficiendus: tamen non alium hunc existimo, quam eum, ad quem Iuonis tunc temporis scripta extat [a] epistola istis verbis:

a Iuo ep. 7.

IVO MONET HAERETICVM

Iuo Dei gratia Carnotensium humilis Episcopus Roscelino non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem] iste titulus, sequitur epistola:

Si esses ouis centesima in deserto perdita, sed gregi iam reddita, sicut exarserat in te zelus meus, quamdiu te intellexi auersum & aduersum: sic requieisceret in te spiritus meus, si te cognoscerem ad doctrinam sanam conuersum, & reuersum. Sed quia scio te post Concilium Suessionense, in auribus quorumdam, quos mecum bene nosti, pristinam sententiam tuam clandestinis disputationibus studiosissime defendisse, & eamdem quam abiuraueras, & alias non minus insanas persuadere voluisse; non potest intrare in cor meum, quod adhuc fidem tuam correxeris, quod mores in melius commutaueris. Si ergo ex hac occasione te afflixit, & rebus tuis nudauit quorumdam violentorum rapax auaritia: non hoc ex se secuta iniusta eorũ violentia, sed iusta & correctioni tuæ consulens Dei sapientia, faciens etiam per malos quamuis nescientes bona sua, cuius vestem scindere conabaris rationibus humanis armata, sed tamen infecunda facundia. Cum vero multis exemplis Ethnici tractatoris veram constet esse sententiam:

D

Quo semel est imbuta recens seruabit odorem
Testa diu.

E

non tamen propter me timerem vel horrerem præsentiam tuam, de te sperans meliora & salutĩ viciniora: sed quidam ciues nostri ad cognoscendam vitam alienam curiosi, quamuis ad corrigendam suam desidiosi, te quidem odibilem, me vero propter te suspectum haberent, & audito nomine tuo & pristina conuersatione tua, more suo, subito ad lapides conuolarent, & lapidum aggere obrutũ præfocarent. Interim igitur consulo tibi, vt assumpta patientia beati Iob, quamuis longe impar, cum eo tamen dicas: [b] Sustinebo iram Dei, quoniam merui, donec iustificet causam meam. Testificor enim tibi, si conuersus ingemueris, & in simplicitate Fidei degere volens, a vanitate carnalis sensus tui detumueris; non deerunt tibi verba diuinæ consolationis, & mater Ecclesia, quæ deuium exasperauit paterna seueritate, correctum assumet materna pietate. Restat igitur, vt palinodiam scribas, & recantatis opprobrijs, vestem Domini

b Iob 6.

tui, quam publice scindebas, publice resarcias; quatenus sicut multis exemplum erroris fuisti, sic de cetero fias exemplum correctionis. sic enim bono odore præcedente, & pristinum fœtorem consumente, & a nobis, & ab alijs diligi & coli, & beneficijs poteris ampliari] hucusque Iuonis epistola absque salutatione præmissa, vel consueta bona imprecatione bene valendi in fine ipsius apposita, quod ad hæreticum scriberet, cui nec dicendum, Aue, monuerit Ioannes Apostolus. a

a 1. Ioan. 2.

S. ANSELMI CVM REGE ALTERCATIO.

At magna post hæc persecutio sanctum Anselmum exagitauit; occasio autem ex eo manauit, quod Anselmus ipse legitimum Pontificem haberet Vrbanum, eumdemq. coleret, vt Christi Vicarium, atque Petri Apostoli successorem, Rex vero faueret potius Guiberto: hincq. factum est, cum profectionem ad eumdem Vrbanum petendi causa pallium Anselmus instituisset (non enim nisi præsenti dandum, iam fuisse vsu receptum b Gregorius Papa Septimus scribit) Rex prohibuit, & hinc ingens persecutio, non a Rege tantum, sed ab omnibus ferme Angliæ Episcopis est oborta, quam Edinerus, qui aderat, sic describit: c Regem autem de transmarinis locis ingressum Anselmus adijt, & vt sibi Romam ad Papam Vrbanum pro stola sui Archiepiscopatus eundi licentiam daret, humiliter petijt. At ille ad nomen Vrbani turbatus dixit, se illum pro Papa nō tenere, nec suæ consuetudinis esse, vt absque sua electione alicui liceret in regno suo Papam nominare. Hinc igitur orta quædam dissensio grauis est, sed in aliud tempus discutienda est dilata. Iubetur ergo vt totius Angliæ Episcopi, Abbates, & Principes in discussione dissidij huius, apud Castrum quod Rothingehum dicitur, veniant] quod factum est anno sequenti, tempore Quadragesimæ, vt suo loco dicturi sumus.

b Greg. lib. 1. epist. 24.

c Edin. in vit. S. Anſ. lib. 2. apud Sur. to. 2. die 21. April.

SCHISMATICI CONVERSI AD ECCLESIAM.

Hoc eodem anno grassante mortalitate in Germania, Gallia, atque Italia, magnus prouentus ex conuersione schismaticorum Catholicæ accessit Ecclesiæ, pœnitentibus illis, timore mortis, atque ad Ecclesiam redeuntibus, vt Bertholdus testatur, qui & eosdem schismaticos multis perterrefactos prodigijs tradit, ex illis alijs sibi ipsis manus inferentibus, alijs a bestijs deuoratis.

De femina autem ob crimen, quod Pœnitentiario, sua confitendo peccata, reuelauerat, incendio condemnata, & iterum incenso igne circa ipsam, diuina virtute per Dei Genitricis intercessionem illæsa seruata, Sigebertus hoc anno in Laudensi ecclesia contigisse narrat.

S. MARCI CORPORIS INVENTIO.

Hoc anno xxv. Iunij (vt veteres Annales Venetorum habent) contigit inuentio corporis sancti Marci, precibus solemnibus impetrata, & magno miraculo demonstrata, sese prodente beato Euangelista; cum eius corpus solemni ritu collocatum fuit sub altari primario. Quod magnum Dei beneficium perpetua memoria conseruandum statuerunt, cum annua die eamdem inuentionem esse celebrandam publicis sanciuere decretis.

At his attexamus Petri Damiani dignum elogium, qui in sermone tertio de sancto Marco, vbi contemplatur Venetiarum ciuitatis splendorem & dignitatem, quam ex corporis sancti Marci possessione est diuinitus consecuta, in hæc verba diuino Spiritu afflatus erumpit: Tu felix es, & nimium beata Venetia, quam ad hoc, vt pretiosum corporis sui thesaurum tibi commendaret, elegit. Plurima quidem diuitiarum copia ex diuersis in te mundi partibus confluit: sed hæc gemma cælestis, quæ in medio tui posita est, in excelsum te gloria conspicuæ dignitatis attollit. Incomparabilis enim iste thesaurus vibrantium metallorum supergreditur genera, cuncta gemmarum coruscantium superat ornamenta. Sicut enim beatus Iob de Sapientia dicit: d Non æquabitur ei aurum, vel vitrum, non commutabuntur pro ea vasa excelsa & eminentia; non adæquabitur ei aurum de Aethiopia, non tinctura mundissimæ componetur. Et (vt ita loquar) hæc est quædam species aromatica, quæ sua virtute melliflua cinnamomum excellit ac balsamum, & omnem superat fragrantiam pigmentorum.

VENETIAE ILLVSTRATAE CORP. S. MARCI

d Iob 28.

Porro si tātæ per eum dignitatis est Alexandria, quam glorioso martyrij sui cruore perfudit, vt Sedes Apostolica nuncupetur: quantæ, putamus, est excellentiæ felix illa prouincia, in qua nunc pretiosa corporis eius gleba reconditur? Numquid non eiusdem gratiæ & dignitatis esse credenda est, etsi non vulgato nomine, sed ipsa re, & arcana sacri mysterij veritate? Illas denique partes ingressus est, dum adhuc iam in corruptibili carne mortalis existeret: istas autem elegit, cum iam in æternum victurus

A cturus in regni cælestis aula regnaret. Illos intuisit, vt eos de tenebris infidelitatis ad id quod ipse iam mente conceperat, veræ fidei lumen educeret: ad istos autem transferri voluit, vt illos ad eum, cum quo nunc est, ductorem luminis reuocaret.

Gaude igitur & exultans in Domino plaude, Venetia, quia per illud pretiosi thesauri talentum, quod in te constat esse reconditum, facta es superni Regis ærarium: & dum in tuo gremio virum Apostolicæ gratiæ suscepisti, & ipsa quodammodo Sedes Apostolica fieri meruisti. Quamobrem sicut mater vrbium Roma super omnia regna terrarum sublimatur in Petro: sic & tu velut eius insignis filia per Marcum gloriaris in Christo. Quem scilicet humiliter imploramus, vt sicut beatum Petrum de mari vocauit & naui; deinde ne lapsus in pelagus obrueretur, erigendo continuit: sic remigium tuum inter discrimina marina custodiat, & te cum filijs tuis ad portum
B quietis æternæ perducat, qui viuit & regnat Deus &c.] ista Petrus, qui prudenti moderatione orationem, sese per encomij latum campum dilatantem & diffluentem veluti fræno compescuit, limitibusq. continuit, cum non simpliciter & absolute Venetam ecclesiam ex sancti Marci sepulchro Sedem Apostolicam voluit appellasse, vbi illud ait: Et ipsa quodammodo Sedes Apostolica fieri meruisti] etenim sepultura Apostoli cuiuscumque non id sola conferre satis valet, vt ea ecclesia, in qua est, pleno iure Sedes Apostolica dici possit, cum alia plura requirantur, de quibus non est modo dicendum, cum de his primo Annalium Tomo satis.

S. NICOLAVS TRANENSIS MIGRAT IN CAELVM.

Hoc eodem anno Tranensis in Apulia ecclesia nobilis, magis illustratur sancto Nicolao cognomento Peregrino, dum ex hac vita migrat in cælum quarto Nonas Iunij.
C merito eius cultum propensiori semper studio est prosecuta.

IESV CHRISTI ANNVS 1095. VRBANI II. PAP. ANNVS 8. HENRICI III. IMP. 12. ALEXII COMNENI IMP. 15.

NONAGESIMVS QVINTVS supra millesimum surgit annus, Indictione tertia, quo ab Vrbano Papa hæc esse gesta, sigillatim Bertholdus rerum inspector enarrat: Dominus Papa Vrbanus iamdudum de Roma profectus Natalem Domini in Tuscia glorioſissime celebrauit: in qua prouincia Pisanus Episcopus, nomine
D *Dagobertus, ei studioſissime seruiuit, quem ipse iamdudum Archiepiscopali pallio & potestate sublimauit, quod eatenus Pisanensis Episcopus habere non consueuit] & post aliqua: Dominus Papa, Deo & sancto Petro prosperante, iam pene vbique præualuit, & in media Longobardia in ciuitate Placentina inter ipsos schismaticos, & contra ipsos generalem Synodum condixit, ad quam Episcopos Italiæ, Burgundiæ, Franciæ, Alemanniæ, Baioariæ, aliarumq. prouinciarum canonica & Apostolica auctoritate missis litteris conuocauit. Facta est autem hæc Synodus circa mediam Quadragesimam Placentiæ, ad quam Synodum multitudo tam innumerabilis confluxit, vt nequaquam in qualibet ecclesia illius loci posset comprehendi. vnde & dominus Papa extra Vrbem in campo illam celebrare compulsus est. Hoc tamen non absque probabilis exempli auctoritate: nam primus legislator Moyses populum Dei in campestribus legalibus præceptis, Deo iubente instituit. Et ipse Dominus non in domibus, sed in monte & in campestribus Discipulos suos Euangelicis statutis informauit. Missas quoque nonnumquam extra ecclesiam satis probabiliter, necessitate quidem cogente, celebramus, quamuis ecclesias earum celebrationi specialiter deputatas non ignoramus.

* Daibertus

CONCILIVM PLACENTINVM.

EVERSIONES RES GESTAE IN SYNODO PLACENTINA

In hac Synodo Praxedis Regina iamdudum a Henrico separata super maritum suum domino Apostolico, & sanctæ Synodo coquesta est de inauditis fornicationum spurcitijs, quas apud maritum passa est. Cuius querimoniam dominus Papa cum sancta Synodo satis misericorditer susceptit, eo quod ipsam tantas spurcitias non tam commisisse, quam inuitam pertulisse pro certo cognouerit. Vnde & de pœnitentia pro huiusmodi flagitijs iniungenda illam clementer absoluit, quæ & peccatum suum sponte & publice confiteri non erubuit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ad hanc Synodum Philippus Rex Galliarum legationem suam direxit, seq. ad A
illam iter incepisse, sed legitimis * socijs se impeditum fuisse, mandauit. Vnde inducias sibi vsque ad Pentecosten apud dominum Papam Synodo intercedente, impetrauit. Dominus autem Hugo Lugdunensis Archiepiscopus ad eamdem Synodum vocatus, ab officio suspenditur, eo quod ipse non venerit, nec Legatum cum canonica excusatione illuc pro se direxerit.

* causis

LEGATIO ALEXII IMP. AD CONC. PLACENTINVM.

Item legatio Constantinopolitani in primis ad hanc Synodum peruenit, qui dominum Papam, omnesq. Christifideles suppliciter implorauit, vt aliquod auxilium sibi contra Paganos pro defensione sanctæ Ecclesiæ conferrent, quam Pagani iam pene in illis partibus deleuerant, qui partes illas vsque ad muros Constantinopolitanæ ciuitatis obtinuerant] Sane quidem plures eodem argumento scripsisse litteras Alexiũ Imperatorem ad Vrbanum Papam, implorantem ab eo auxilium, testatur Vrspergensis in Chronico. pergit vero Bertholdus: Ad hoc ergo auxilium dominus Papa multos incitauit, vt etiam iureiurando promitterent, se illuc, Deo annuente, ituros, & eidem Imperatori contra Paganos pro posse suo fidelissimum adiutorium collaturos. B

Hæc autem inter alia in illa Synodo constituta sunt, vt ad pœnitentiam nullo modo reciperentur, qui concubinas & odium ex corde, & quodlibet mortale peccatum dimittere nollent.

Item vt nullus presbyter aliquos ad pœnitentiam reciperet, nisi cui proprius Episcopus hanc curam commisisset.

CANONES CONCILII PLACENTINI.

Item vt quibuslibet rite ad confessionem venientibus Eucharistiam non denegemus, quos solo corpore non mente inter excommunicatos manere, nec tamen eorum sacramentis communicare cognoscimus. C

In hac quoque Synodo hæresis simoniacorum penitus damnata est, vt quidquid in sacris ordinibus & in ecclesiasticis rebus data & promissa pecunia acquisitum simoniace videretur, pro irrito haberetur, nullasq. vires habuisse & habere iudicaretur. His tamen, qui non simoniace & nescienter a simoniacis ordinati sunt, misericordia in seruando ordine concessa est: qui vero scienter ab huiusmodi ordinati sunt, cum suis ordinatoribus irrecuperabiliter damnati sunt.

Item hæresis Nicolaitarum, idest incontinentium subdiaconorum, diaconorum, & præcipue sacerdotum irretractabiliter damnata est, vt deinceps de officio se non intromittant, qui in illa hæresi manere non formidant; nec populus eorum officia vllo modo recipiat, si ipsi Nicolaitæ contra hæc interdicta ministrare præsumant. D

Item hæresis Berengariana iam ab antiquo sæpissime anathematizata, iterum damnata est, & sententia Catholicæ Fidei contra eamdem firmata, videlicet, quod panis & vinum, cum in altari consecrantur, non solum figurate, sed etiam vere & essentialiter in corpus & sanguinem Domini conuertantur.

Item in Guibertum hæresiarcham Sedis Apostolicæ inuasorem, & in omnes eius complices sententia anathematis synodali iudicio cum ardentibus candelis iterum promulgata est. In hac Synodo quatuor millia fere clericorum, & plusquam triginta millia laicorum fuisse perhibentur.

In hac Synodo constitutum est, vt pro chrismate, & baptismo, & sepultura nihil vmquam exigatur.

Item vt ieiunia Quatuor temporũ hoc ordine celebrentur, scilicet primum in *prima* E
hebdomada Quadragesimæ, secundum in hebdomade Pentecostes, tertium vero & quartum in Septembri & Decembri solito more fiant. Huic Synodo reuerendissimi Antistites interfuerunt, de Baioaria quidem Dimo Saltzburgensis Archiepiscopus, & Vdalricus Patauiensis Episcopus eius Suffraganeus: de Alemannia vero Gebehardus Constantiensis Episcopus, qui & Arnulphum Mediolanensem Archiepiscopum, diu quidem electum, sed nondum consecratum, eodem tempore ex concessione domini Papæ, Mediolani consecrauere.

ARNVLPHVS EPISC. MEDIOLANEN. CONSECRATVS.

Ipse quoque dominus Papa Vdalricum Augiensem Abbatem eo tempore consecrauit, qui itidem prædictæ synodo interfuit, cui in præsentia Constantiensis Episcopi omnem Episcopalem potestatem in Clerum & populum Augiensis insulæ interdixit, quã dudum Constantiensi Episcopo concessit. Abbas tamen ille non multo post de illa potestate se intromisit. Vnde querimonia facta ab Episcopo, dominus Papa illum, missis

A missis litteris ab huiusmodi præsumptione iterum compescuit] hucusque de Synodo Placentina Bertholdus. Porro eiusdẽ Concilij quindecim canones continentur in codice scripto Anselmi Lucensis libro septimo decretorũ ab eadem Synodo Placẽtina statuti, his quæ sunt recitata superius consentientes, vt hic ipsos describere non sit opus.

Sed non pigeat audire de tanta Synodo etiam Domnizonem, qui aderat, hæcq. de ipsa metro cecinit licet inculto, veraci tamen:

Tunc Pastor sanctus synodum celebrauit, & annus
Christi millenus nonagenus quoque quintus,
Primus erat mensis, quo nascitur humor in herbis,
Ore sacerdotum damnantur facta malorum.
Affuit his dictis Praxedis atque Mathildis,
B *Catholicos plene benedixit Papa fideles.*
Hanc Synodum sanctam Placentia continet ampla,
Expleta Synodo, dominus quem sape recordor,
Papa vale dixit, clericis comitatus abiuit
Per multas vrbes curans conuertere plures,
Gallia quem patrem suscepit maxima charum.]

CONRADVS REX STRATORIAE MVNVS PAPAE EXHIBET.

Idem vero Bertholdus assectatus vestigia eiusdem Vrbani Pontificis, quo processerit post Placentinum Concilium, & quæ gesserit sic narrat: Conradus Rex filius Henrici domino Papæ Vrbano Cremonam venienti obuiam progreditur, eiq. stratoris officium exhibuit quarto Idus Aprilis. Deinde fecit ei fidelitatem iuramento, de vita, de membris, & de Papatu Romano. Dominus autem Papa in filium sanctæ Romanæ
C Ecclesiæ recepit illum, eiq. consilium & adiutoriũ ad obtinendum regnum & ad coronam Imperij acquirendam coram populo firmissime promisit, salua quidem iustitia illius ecclesiæ & statutis Apostolicis, maxime de inuestituris in spiritualibus officijs a laico non vsurpandis] & inferius: Conradus Rex cum regio apparatu in Tusciam Pisas perrexit, ibiq. sponsam suam, filiam Rogerij Ducis de Sicilia, adhuc admodum paruulã cum inaudita pecunia sibi oblatam recepit. Dominus Papa rebus in Longobardia bene dispositis, in Gallias marino itinere cœpit diuertere, & ad sanctam Mariam ad Podium in Assumptione ipsius peruenit, Synodumq. ad Montem clarum in octauam sancti Martini Apostolica auctoritate condixit, ad quam diuersarum prouinciarum Episcopos missis litteris canonica vocatione inuitauit] hæc de indicta Synodo Claramontensi Bertholdus.

INDICITVR CONCILIVM CLARAMONTENSE.

D Indicta, quam diximus iam Synodo Claramontensi apud Aruernos, statim a Francorum Rege Philippo Legati parantur ad Papam, qui eum emolliant, vt neruos censuræ ecclesiasticæ relaxet, Regem benigne habeat, condescendatq. labili iuuentuti. Hos autem præueniens Iuo Episcopus Carnotensis, has ad eumdem Vrbanum Pontificem litteras de his scripsit, dignas ipsas quidem, quæ Annalibus ecclesiasticis intexantur, quæ sic se habent: [a]

[a] *Iuo ep. 28.*

Vrbano summo Pontifici Iuo sanctitatis suæ filius fidelium orationum munus.

IVONIS EPIST. VRB. PAP. DE CAVENDIS LEGATIS REGIS.

Venturi sunt ad vos in proximo Nuntij ex parte Regis Francorum, per quorum os locuturus est spiritus mendax, qui infatuati adeptione vel promissione honorum ecclesiasticorum infatuare moliuntur sedem iustitiæ. Contra quorum calliditatem
E a paruitate mea vigilantiam vestram volo esse præmunitam, quatenus rigorem vestrum promissiones eorum non emolliant, comminationes non exterreant. Vt quid enim dicent, iam securis ad radicem arborum posita est, nisi vt aut arcum remittatis, aut gladium suspendatis? Qui ergo venturi sunt, in calliditate ingenioli sui & venustate linguæ suæ prædictis de causis impunitatem flagitijs se impetraturos Regi a Sede Apostolica promiserunt, hac ratione ex parte vsuri: Regem cum regno ab obedientia vestra discessurum, nisi coronam restituatis, nisi Regem ab anathemate absoluatis. Si autem impœnitenti venia concedatur, quanta spes impune peccandi peccantibus de cetero relinquetur? Non est meum instituere vestram prudentiam, cuius potissimum interest, delinquentiũ errata non fouere, sed ferire. Si autem alioqui subdoli euidenter ab vnitate matris suæ Ecclesiæ discedunt, qui iam pridem mente discesserunt: consoletur sanctitatẽ vestram diuinum responsum: [b] Reliqui mihi septem millia virorũ. & illud Apostoli: [c] Oportet hæreses esse, vt hi qui probati sunt, manifesti fiant.

[b] *1. Reg. 19.*
[c] *1. Cor. 11.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

TRECENSIS CONVENTVS INDICTVS.

De cetero volo sciat vigilantia vestra, quia ex præcepto Regis, Rhemensis, & Senonensis, & Turonensis Archiepiscopi inuitauerunt suffraganeos Episcopos, vt post responsa vestra apud Trecas prima Dominica post festiuitatem omnium Sanctorum conueniant. Quo inuitatus ire dissimulo, nisi vestro consilio munitus; timens ne quid contra iustitiam & Sedem Apostolicam moliatur ille conuentus. De his itaque & de his, quæ circa vos sunt, quæ libuerit, rescribat mihi vestra paternitas, vt in aduersis compati, & in lætis valeam congratulari. Vale] Quæ autem rescripserit Vrbanus Papa, non liquet, constat tamen omnia ab eo post hæc effecta secundum eiusdem Iuonis consilium, vt aduersus adeo enormiter delinquentem Regem perseuerarit intrepidus, iudicans Regem, & puniens ex sacrarum legum præscripto.

VRBAN. PAP. MONET EPISC.

Post discessionem Legatorum Regis idem Vrbanus Papa litteras scripsit ad omnes Archiepiscopos & Episcopos Galliarum, quibus hortatus est eos, vt Regem hortarentur ad resipiscentiam, alioqui in eum exercerent ecclesiasticam disciplinam. Meminit harum litterarum idem Iuo Episcopus Carnotensis, qui laborauit suis litteris, vt Regem ad meliorem frugem reduceret, vt ex eis apparet. De litteris autem Vrbani sic Iuo: Exemplar litterarum, quas misit mihi dominus Papa de causa Regis, postquam Legati Regis nuper discesserunt, vobis transmitto; vt sciatis quia dominus Papa etsi non antecedit, non tamen retrocedit] & de ijsdem etiam idem Iuo ad Dapiferum Regis Vuillelmum hæc scribit:

Charissime, quia te scio velle laborare, de componenda pace inter me & dominum Regem: multas gratias tibi reddo. sed quia hæc pax non possit esse stabilis, quamdiu voluerit in incepto suo durare: consilium meum est, adhuc expectare, si forte Dominus daret ei mentem bonam, vt vellet consilium suum in melius commutare. quod si facere vellet, scias omnia esse parata, quæ necessaria sunt ad faciendum diuortium inter eum & nouam coniugem suam. Vidi enim litteras quas misit dominus Vrbanus Apostolicus ad omnes Archiepiscopos & Episcopos regni sui, vt eum ad rationem mittant, & nisi resipuerit, ecclesiastica eum disciplina ad emendationem venire constringant. Hæ quidem litteræ iam publicatæ essent, sed pro amore eius feci eas adhuc detineri: quia nolo regnum eius, quantum ex me est, aduersus eum aliqua ratione commoueri. Hæc omnia volo vt dicas domino nostro Regi, & secundum hoc quod apud eum inueneris, mihi facias remandari. Vale.]

EPISC. FRANCIAE LANGVENT.

Verum omnes Francorum Episcopi sic litteris Vrbani Papæ commoti sunt, vt tamen non vere correctionem Regis vrgerent, sed palpando potius indulgerent. queritur de his Iuo ipse Carnotensis Episcopus, & quo ipse sit animo, declarat ita scribens ad Richerium Archiepiscopum Senonesem: [b] Conductum enim a domino meo Rege quæsiui, nec habere potui. Quantum vero ex intentatis minis intelligo, non licet mihi in conuentu vestro impune dicere veritatem, qui pro iam dicta veritate, & Apostolicæ Sedis obedientia tantam iam sentio seueritatem, vt periurium arguar incurrisse, & maiestatem regiam minuisse] hæc in Iuonem languentes Episcopi, in quos hæc ipse: Quod (vt pace vestra dicam) rectius in eos retorqueri potest, qui vulnus fomentis incurabile, tamquam pij medici cauterijs competentibus dissimulant vrere, vel medicinali ferro præcidere. In qua sententia si mecum firmiter fuissetis, iam ægrotum nostrum ad sanitatem perduxissetis. quod quamdiu differtis, videte, si fidelitatem, quam debetis, pleniter exhibetis, si officij vestri munus expletis. Faciat ergo dominus Rex aduersum paruitatem meam, quantum, Deo permittente, libuerit & licuerit, includat, excludat, proscribat: inspirante Dei gratia & prosequente, decreui pati pro lege Dei mei: nec vlla ratione cogente, volo ei consentaneus in culpa esse, qui nolo esse consors in pœna. Angelus magni consilij & spiritus fortitudinis sit vobiscum, vt recta sapiatis & recta faciatis] hæc Iuo ad Episcopos ad prouincialem tunc Synodum conuocatos, ad quam ipse vocatus cur non accesserit, sic se ad Regem scribens excusat: [c]

[b] *Iuo ep.* 109.

[c] *Id. ep.* 105.

IVONIS AD REG. FRANC. EPIST.

Philippo Dei gratia magnifico Francorum Regi Iuo humilis sublimitatis suæ clericus sic se regere vt Regi Regum valeat complacere.

Excellentiæ vestræ litteras nuper accepi, quibus submonebar, vt apud Pontesium, vel Caluum montem cum manu militum vobis die quem statueratis, occurrerem, iturus vobiscum ad Placitum, quod futurum est inter Regem Anglorum & Comitem Northmannorum. Quod facere ad præsens, magnæ & multæ causæ me prohibent.

bent. Prima quia domnus Papa Vrbanus interdicit vobis Apostolica auctoritate thorum mulieris, quam pro vxore habetis. Quia sacramentum de securitate Concilij quod vobis mandauerat, fieri vetuistis. A cuius commixtione si amodo non cessatis, separat vos eadem auctoritas a participatione corporis Dominici & sanguinis. Interdicit etiam omnibus Episcopis, ne capiti illius mulieris coronam imponant. quam (vt vbique pene terrarum dicitur) lateri vestro illicite copulastis. Parcens igitur maiestati vestræ, dissimulo vestram adire præsentiam, ne Sedis Apostolicæ iussione compulsus, cui vice Christi parere me oportet, quod nunc dico in aure, cogar in vestris & multorum auribus publicare. Ego autem nolo vos scandalizare, vel regiam maiestatem vestram minuere, quamdiu possum honesta ratione dissimulare. Præterea Casati ecclesiæ, & reliqui milites pene omnes vel absunt, vel pro pace violata excommunicati sunt, quos sine satisfactione reconciliare non audeo, & excommunicatos in hosten ...ittere non debeo. Postremo nouit vestra serenitas, quia non est mihi in curia vestra plena securitas, in qua ille sexus est mihi suspectus & infestus, qui etiam amicis aliquando non satis est fidus. Expecto igitur, vt aliquando cor vestrum illustrante diuina gratia contra sibilum serpentis auditum obturetis, & monitis salutis aures cordis aperiatis. Hoc desidero, hinc ante Dominum quotidie preces fundo] hactenus ad Regem Iuo Episcopus Carnotensis. Tentauit autem Rex inflectere ferreum Iuonis animum multis promissis, vt sibi liceret saltem ad tempus cum pellice commorari. Sed quid ipse rescripserit ad eum qui ista tentaret, accipe tanto Episcopo, plane decore & ornamento Galliarum sæculi huius dignam epistolam:

[a] *Iuo ep.* 115. IVONIS APOSTOLICVS ANNVNCIATOR.

Iuo humilis Carnotensis Episcopus Vuidoni Dapifero salutem [a].

Quæ mihi mandasti per Landricum presbyterum, iam audieram per Eberardum nepotem tuum, videlicet quod Rex multa mala dimittere, & multa bona se promittat velle facere, si cum pace Sedis Apostolicæ, & communione ecclesiastica, mulierem quam illicite habet, valeat ad tempus retinere. Vnde ex auctoritate diuina hoc charitati tuæ rescribo, quod nulla redemptione vel commutatione quis peccatum suum poterit abolere quamdiu vult in eo permanere; secundum illud Apostoli: [b] Voluntarie peccantibus non relinquitur hostia pro peccato. quod est alijs verbis dicere, quia nemo in peccato suo perdurare volens, peccatum suum poterit aliqua eleemosyna vel oblatione redimere. Vnde & Dominus Cain sua offerenti, & tamen homicidium cogitanti legitur respondisse: [c] Si recte offeras, & non recte diuidas, peccasti, quiesce. quasi dicat, peccas non recte partiendo, qui tua offers, & de homicidio tractans, te ipsum qui tuis melior es, mihi aufers. Hinc etiam dicit beatus Papa Gelasius: Legitur ex quo est religio Christiana, vel certum datur exemplum in Ecclesia a quibuslibet Pontificibus, aut ab ipsis Apostolis, ab ipso denique Saluatore, veniam nisi corrigentibus se fuisse concessam? Auditum autem sub isto cælo ab aliquibus nec legitur omnino, nec dicitur: date nobis veniam, vt tamen nos in errore duremus. Ostendat ergo quibus occasionibus, quibus regulis, qua lectione, vel quo documento siue a maioribus nostris, siue ab ipsis Apostolis, quos potiores fuisse merito, non dubium est, siue ab ipso Domino Saluatore, qui iudicaturus creditur viuos & mortuos, vel si factum est vmquam, vel faciendum esse mandatur. Propter hæc & alia his multa similia scio consilium domini Regis bonum exitum habere non posse, nisi a peccato desistat, & Christi iugo se pœnitendo subijciat, cum Dominus non nostrã, sed nos ad salutem nostram requirat. Dic ergo hæc omnia domno Regi, vt sanius consilium perquirat. quod si ei Dominus ministrarit, me adiutorem in quibuscumque possem, inueniret. Vale.]

[b] *Hebr.* 10.

[c] *Gen.* 4.

Sed quæ post hæc passus sit Iuo, vbi tentatus per omnia inuentus est aduersus Regem pro iustitia immobilis stare, litteræ eiusdem ad Vuillelmum [d] Abbatem his temporibus datæ declarant, quæ sic se habent:

[d] *Id. ep.* 99.

QVAE PASSVS IVO PRO TESTANDA VERITATE.

Magnis honestatis propugnatoribus, & turpitudinis oppugnatoribus Ioanni scilicet & Eliæ assimilare me voluit in litteris vestris vestra fraternitas, quorum sanctitati quamuis longe impares simus, eorum tamen vestigia honorare, mirari & imitari, quantum exoptamus, donante Deo, possumus. Vnde non tantum a Rege, cuius illicito coniugio contradiximus, verum etiam a quibusdam alijs filijs huius sæculi, quorum peruersitatibus, quantum possumus, reluctamur, bonorum ecclesiasticorum grauia damna perpetimur, quorum direptionem lucri maioris compensatione per Dei gratiam

Universidad de Deusto
Biblioteca

gratiam longanimiter sustinemus, & maiora, si necesse sit, subire parati sumus, attendentes illud Apostoli: Quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram A
a Rom. 8. b 2 Tim. 2. c Matth. 24. d Ios. 23. e Sepot. 6. gloriã, quæ reuelabitur in nobis. & illud: [b] Si compatimur & conregnabimus. Et quia iam instant illa tempora periculosa, in quibus impletur quod scriptum est: Ex abundantia iniquitatis [c] refrigescet charitas multorũ; dicendum est petris mõtium: [d] Cadite super nos, & [e] abscondite nos ab ira Agni. quod quid est aliud dicere, nisi in fide robustis & sanctitate sublimibus viris in hac sententia supplicare: nostræ miseriæ misericorditer condescendite, & ne in tentationẽ inducamur, & iram Dei incurramus, vestris orationibus impetrate. De quibus petris quia vos, & in sancta societate vestra plures esse nõ diffidimus, hanc a vobis apud Dominum intercessionẽ obnixe postulamus, quatenus sic per ignem & aquam trãseamus, vt in refrigeriũ diuino ductu educi valeamus. Nos enim publicorum negotiorum tumultibus occupati, cum ipsis compescendis tota die laborando sufficere non possimus, internæ quietis suauitatem vix aliquando admittimus; non canonicum pensum determinatis horis soluere prævalemus. Vos igitur & ceteri serui Dei, qui velut in portu nauigatis: oportet vt nobis orationis manus qua longe potestis, extendatis, & vobiscum ad optatam requiem studeatis &c.] B

Ad Regem vero pro recuperandis ablatis ecclesiæ bonis has tunc idem Iuo litteras scripsit:

f Iuo ep. 102. Philippo [f] pijssimo Francorum Regi domino suo Iuo humilis Carnotensium Episcopus sic gubernare temporale regnum, vt non amittat æternum.

IVO AGIT CVM REGE PRO SVBLATIS BONIS ECCLES. Quoniam præcedente diuina gratia de stercore pauper vsque ad solium Principum per manum vestram eleuatus sum; fateor me post Dominum pro posse meo cuncta C
vobis debere, quæ vestro congruunt honori & saluti. Sed quia exasperatus propter salubres monitus, quos serenitati vestræ ex summa fidelitate & charitate direxi: me diffiduciastis, & bona Episcopalis domus diripienda aduersarijs nostris exposuistis: grauia & grandia inde perpessus incommoda, regali curiæ ad præsens nec secure possum interesse, nec honeste. Supplico itaque maiestati vestræ, vt regia interim mansuetudine supportetis, donec possim aliquantulum respirare, & damna quæ mihi vsque ad penuriam panis inflicta sunt, aliqua ex parte reparare. Expecto etiam per misericordiam Dei cito futurum, vt verum esse cognoscatis illud prouerbium Salomonis:
g Prou. 27. [g] Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula blandientis. De cetero, calumniatoribus meis, quibus me respondere iubetis, cum insinuati fuerint qui sint, & quid expostulant, respondere non subterfugiam, vel in Ecclesia si ecclesiastica sint negotia, vel in Curia si sint curialia. bene valete.] D

At non hic quieuit persecutio, sed eo vsque processit, vt abreptum sanctum Episcopum in carcerem proh scelus! detruserit. Cumq. a suis Carnotensibus se sciret manu
h Iuo ep. 100. violenta educendum parari, ne id facerent, his litteris ad eos datis, exorauit: [h]

Iuo Dei gratia Carnotensis Episcopus clericis & laicis Carnotensibus salutem.

IVO DETRVSVS IN CARCEREM QVID AD IVOI. Audiui primates vrbis vestræ ad inuicem coniurasse, guerram se facturos aduersus Vicecomitem pro mea liberatione. quod nequaquam mea liberatio est, sed inclusionis meæ non solum exasperatio, sed interminata productio. quare ne fiat, prohibeo, interdico. Nec enim incendijs domorum, deprædationibus pauperum potestis Dominum placare, sed vehementer asperare, sine cuius beneplacito, neque vos, neque aliquis poterit me liberare. Nolo ergo vt aduersum me implere faciatis aures Dei pauperum clamoribus, lamentis viduarum. Neque enim decens est, vt qui armis bellicis ad Episcopatum non veni; armis bellicis recuperem: quod non est pastoris, sed inuasoris. Sed manus Domini tetigit me, & adhuc extenta est super me, permittite me solum ebibere miseriam meam, & sustinere iram Dei, donec iustificet causam meam; & nolite tribulationem meam aliena cumulare miseria. Decretũ est enim mihi E
*f. pro me non solum includi, vel ecclesiastico honore priuari, sed etiam magis mori, quam *per me stragem hominum fieri. Moneo igitur vos per supereminentem Christi charitatem, vt neque hoc faciatis, neque fieri permittatis. Quod tamen si feceritis: certum est, quod nihil proderit nobis, cum detentor meus multos habeat adiutores, & nihil
i Act. 12. habeat quod ei auferre possitis. Recordamini quod legitur, [i] quia Petrus seruabatur in carcere; oratio autem sine intermissione fiebat ad Dominum pro eo. Orationibus ergo & seueritate ecclesiastica contenti estote, quam si transgressi fueritis, scio quia me

A me vlterius Episcopum habere non vultis. In eo enim, quod semel recessistis, sicut exitus approbat, non bene mihi & vobis consuluistis. De cetero ergo contenti estote terminis quos posuerunt patres vestri; ne si his contenti non fueritis, quæram liberationem meam eo forsitan modo, qui non placeat vobis. Valete. Deus pacis & dilectionis det vobis in hoc negotio, & in omnibus alijs recta sapere & facere] liberatus autem ista scripsit ad Boellum Episcopum Cenomanensem, cuius ad Deum precibus per sancti Iuliani intercessionem fuerat liberatus e carcere, gratias dignas illi referens hac ad eum perbreui data epistola: [a] a Iuo ep. 103.

Gratias ago primum Deo liberatori meo, in die qua eripuit me de manu omnium inimicorum meorum & de manu Saul: dehinc vigilantissimæ charitati vestræ, qua intensis orationum clamoribus Dominum in naui dormitantem suscitauit, quatenus
B eo increpante ventos, & mare, cessaret nubilosa tempestas, & rediret serena tranquillitas. Vnde me vobis arctioribus charitatis vinculis astrinxistis, & inexcusabilem commodorum executorem acquisistis. Sed in hoc nubilo mentis meæ plenam adhuc consolationem non habui, quod illi sanctæ lætitiæ, quando corpus beati Iuliani translatum est, adhuc in ergastulo clausus interesse non merui. posset autem vestra fraternitas hanc nubem cordis mei in serenitatem cito conuertere, si aliquas illius sancti corporis reliquias paruitati meæ velletis communicare: non enim patrocinium loci vestri minueretur, sed fama & meritum beati Confessoris pro mea occasione in Belgica prouincia, in qua meritum eius minus notum est, publicaretur, & festiuitas eius omni anno celebriter coleretur. Mandate igitur per fratrem istum, cum ad nos redierit, si hoc fieri possit, quatenus vel ad vos mittam, vel ipsemet, si vobis visum fuerit, ve-
C niam. Vale] Sed iam ad Vrbanum Pontificem redeamus, paratam habentem securim ad præcidendum omnem altitudinem, extollentem se aduersus scientiam Dei.

CONCILIVM CLARAMONT. Sic igitur post hæc ipse Vrbanus Pontifex apud Aruernos Concilium tandem celebrandum indixit, de quo Bertholdus: In Gallijs ad Clarum mõte Synodus generalis a domino Papa in octaua S. Martini congregata est, in qua tredecim Archiepiscopi cum eorum Suffraganeis fuerunt, & ducentæ quinque pastorales virgæ numeratæ sunt. In hac Synodo dominus Papa eadem statuta, quæ & in præterita Synodo Placentina, confirmauit. Insuper & Philippum Regem Galliarum excommunicauit, eo quod propria vxore dimissa, militis sui vxorem sibi in coniugium sociauit. Ibi etiam aliam Synodum in tertiam subsequentis Quadragesimæ hebdomadã Turonis celebrandam denuntiauit] hæc ipse. eadem de excommunicato Rege Sigebertus. Sed & Bertradã
D regiam pellicem eadẽ excommunicatione mulctatam, [b] Vuillelmus in rebus Anglicis tradit, canonesq. recenset. Porro ex Concilio Claramontensi trigintaduo canones exscripti reperiuntur in codice Lamberti Episcopi Atrebatensis, ex quo totidem lineis Antonius Augustinus sic descripsit: b Vuill. Malm. lib. 4. c. 2.

Anno Domini Christi millesimo nonagesimo *quarto, mense Decembrio, decreta domini Vrbani Papæ Secundi in Claramõtensi Concilio data] ita titulus præfixus a librario sequentibus canonibus, & primum propter schismaticos fœdere coniungẽdos. * quinto

CANONES CONCILII CLARAMONT. 1 Statutum est, vt omni die & monachi & clerici, & feminæ, & quæ cum eis fuerint, in pace permaneant, tribus autem diebus, scilicet secunda, tertia, & quarta ab aliquo alicui illata non reputabitur pacis fractio, quatuor autem reliquis diebus, si quis
E alicui iniuriam intulerit, fractionis sanctæ pacis reus habeatur, & prout iudicatum fuerit, puniatur.

dist. 6. c. nullus. 2 Quicumque pro sola deuotione, non pro honoris vel pecuniæ adeptione ad liberandam ecclesiam Dei Hierusalem propensus fuerit: iter illud pro omni pœnitentia reputetur.

dist. 6. c. 1. 3 Vt nullus fiat Decanus in ecclesia nisi presbyter, nullus Archidiaconus, nisi leuita.

4 Ne aliquis clericus arma deferat.

* saltem 5 Vt nullus laicus, clericus, vel *tantum subdiaconus in Episcopum eligatur.

6 Vt nullus sibi præbendam emat. quod si quis emerit, vel parentes eius illi emerint, in manum & dispositionem Episcopi se reddat. hoc idem de altari & de omni ecclesiastico beneficio fiat.

7 Vt altaria congregationibus canonicorum vel monachorum per personas data, mortuis

Universidad de Deusto
Biblioteca

mortuis personis, libera redeant in manus Episcoporum, nisi fuerint illis per eorum A
scripta vel priuilegia confirmata.

8 Vt nullus deinceps sepulturam exigat.

9 Vt nullus sacerdos, aut diaconus, aut subdiaconus; sed & nullus qui canonicã habet, fornicationis sibi copulã adiungat. Quod si fecerit, a canonica omnino arceatur.

10 Vt in domibus clericorum nullas liceat habitare mulieres, nisi quas sancti canones permittunt.

11 Vt nulli filij concubinarum ad ordines, vel aliquos honores ecclesiasticos promoueantur, nisi monachaliter, vel canonice vixerint in ecclesia.

12 Vt nulli clericorum liceat deinceps in duabus ciuitatibus duas præbendas obtinere, cum duos titulos non possit habere.

13 Vt omnis clericus ad eum titulum, ad quem primum ordinatus est, semper B
ordinetur.

14 Vt nullus deinceps in vna ecclesia geminos honores habeat.

15 Vt nullus ecclesiasticorum aliquem honorem a manu laicorum accipiat.

16 Interdictum est, ne Reges vel alij Principes aliquam inuestituram de ecclesiasticis honoribus faciant.

17 Ne Episcopus vel sacerdos Regi, vel alicui laico in manibus ligium fidelitatem faciat.

* f. absque confessione. 18 Vt nullus presbyter Capellanus alicuius laici esse possit in * confessione sui Episcopi.

19 Ne laici decimam partem de laboribus suis retineant, & sicut nec debent retinere, ita nec accipere. C

20 Vnde & interdictum est omnibus laicis, ne amplius altaria vel ecclesias sibi retineant.

21 Ne aliquis laicus alterius sibi hereditates vsurpet: quod si quis fecerit, nec reus satisfecerit, nullus sacerdos eum interim ad pœnitentiam admittat.

* al. de perpetrato homicidio cõfessus fuerit; manserit in adulterio. 22 Similiter nec alium quemlibet, nisi perfectam confessionem fecerit. Verbi gratia, vt si * perpetrato homicidio, manserit in adulterio, vel huiusmodi, ad perfectam pœnitentiam minime recipi debere, decretum est. Attamen consilium damus, vt ieiunet, & eleemosynas det, vt ad veritatis viam possit reuerti.

23 Vt nullus Christianus a capite ieiunij vsque ad Pascha carnem comedat.

* ordinationes 24 Ne fiant * ordines, nisi Quatuor certis temporibus, & sabbato mediante Quadragesima: & tunc protrahatur ieiunium vsque ad Vesperas, & si fieri potest vsque ad D
craftinum, vt magis appareat in die Dominico ordines fieri.

25 Ne filij presbyterorum, diaconorum, vel subdiaconorum, canonicorum ad ordines, vel alios honores ecclesiasticos promoueãtur, nisi monachus vel canonicus fuerit.

26 Vt in Sabbato sancto protrahatur ieiunium circa noctem.

27 Vt semper fiat ieiunium Veris in prima hebdomada Quadragesimæ. Ieiunium vero æstatis infra hebdomadam Pentecostes.

28 Ne quis communicet de altari, nisi corpus separatim & sanguinem similiter sumat, nisi per necessitatem, & per cautelam] idq. ob recentem damnatam hæresim Berengarianam, quæ per vnam tantum speciem satis esse impleri figuram, aiebat.

29 Si quis ad aliquam Crucem in via persequentibus inimicis, confugerit: liber ac E
si in ipsa ecclesia permaneat.

30 Quod si quis pro securitate ecclesiæ vel prædictæ Crucis aliquod crimen peregerit; & ad ecclesiam vel Crucem confugerit, accepta securitate vitæ & membrorum, reddatur iustitiæ.

31 Ne aliquis clericus res Episcoporum vel clericorum in vita vel post mortem eorum diripiat, vel in vsus proprios conferat. Quod si quis fecerit: anathema sit; & dictum est ab omnibus. Fiat.

32 Si quis Episcopum ceperit & incarcerauerit: perpetuæ infamiæ subiaceat, vlterius arma non exerceat. & clamatum est ab omnibus. Fiat.] hactenus canones. Qui autem exscripsit, ista adiecit: Hæc sunt inuenta in libro Lamberti Episcopi Atrebatensis, ante quadringentos annos scripto: quæ quia in promptu erant, mittenda putaui.]

a 16. q. 7. c. 2. Apud Gratianum insuper ista leguntur: + Congregato apud Claramontem vrbem multo-

A torum Episcoporum synodali conuentu; proposita est nobis a quibusdam eorum quæstio de ecclesijs, vel de ecclesiasticis possessionibus, a clericis vel monachis vsque ad præsentiarum, inconsultis Episcopis, acquisitis. Nos autem vsi saniori consilio eorumdem Episcoporum, condescendentes pro tempore, prouidentesq. ecclesiasticæ paci, vel quia aliter absque ineuitabili periculo huiusmodi quæstio non poterat procedere: Apostolica auctoritate decreuimus, vt ea quæ a clericis vel monachis, vel a quibuscumque personis prout potuerint, vsque hodie fuerint acquisita, rata perenniter & inconcussa permaneant, hoc tamen tenore, ne in posterum inconsultis Episcopis talia præsumant] excepit ista Gratianus ex collectione Bernardi Papiensis. Porro apud eumdem Gratianum recitati inueniũtur aliquot canones eiusdem Concilij Claramontensis sub titulo [a] Concilij Aruernensis, cum eadem sit ciuitas.

[a] dist. 60. cap. 1. & 1. q. 3. c. 4. & alijs.

B Insuper & hæc sub eodem Concilio Claramontensi leguntur posita: [b] In ecclesijs vbi monachi habitant, populus per monachum non regatur, sed Capellanus qui populum regat, ab Episcopo per consilium monachorum instituatur: ita tamen, vt ex solius Episcopi arbitrio, tam ordinatio, quam depositio, & totius vitæ pendeat conuersatio] hæc ex Concilio Claramontensi. At non ita de regularibus clericis faciendum respondit [c] Iuo his verbis aduersus Lemouicensem Episcopum, talia in Synodo dicecesana statuentem: Quantum intellexi ex litteris ex vestra parte mihi nuper oblatis, grauiter fert vestra fraternitas, quod Lemouicensis Episcopus in Synodo agens, interdixit omnibus regularibus clericis & regimen parochiarum, & confessionem pœnitẽtium. Qui rectius quidem fecisset, si omnes sacerdotes ad regularem vitam inuitasset, quam regulariter viuentes a Dominicarum ouium custodia penitus remouisset, quibus tanto plus displicet aliena malitia, quanto longius discesserunt a sua &c.] suadet tamen Episcopo obedire.

[b] c. 1. de cap. monach. Greg. 9. & c. 2. eod. tit. in prima collect.

[c] Iuo ep. 93.

C Contigit autem, vt alij Collectores in his laborauerint, licet non omnes recensuerint canones, neque eodem ordine, exscripserintque, sed longe minorem numerum, vt inter alios [d] Franciscus Belleforestius, qui profitetur ex scripto codice Abbatiæ sancti Dionysij se descripsisse, sed lingua Gallica, a Serario Iesuita, viro insignis nominis nostri temporis ita Latine reddita:

[d] lib. 4. Annal. Franc.

Primo statutum est, vt nullus Episcopus, vel Abbas, vel alius e Clero quiuis dignitatem vllam ecclesiasticam a Principibus laicis & sæcularibus acciperet] ita quod vigeret eiusmodi controuersia, refragantibus schismaticis Principibus: in singulis quippe Concilijs hoc sæculo celebratis id repetitum sæpe reperies. pergit:

D Eademq. opera omnem simoniacam rerum sacrarum acquisitionem vetuit. Prohibuit omnibus in ordinibus sacris constitutis, ne cum mulieribus vel matrimonio coniunctis, vel non coniunctis consuetudinem haberent, sed in perpetuo degerent cælibatu.

Quod si quis fornicatione pollueretur: omni ecclesiastica priuari dignitate iusserunt.

Vt absoluerentur a simoniæ crimine qui beneficia possiderent, a suis cognatis eorum causa pretio empta, illis tamen inscijs.

Vetitum est etiam laicis a die Cinerum ad festum Paschæ carnibus vesci. Clericis autem & in ecclesia promotis a Quinquagesimæ Dominica ad diem Resurrectionis Domini.

E Neve Sabbati sancti officium diuinum ante horam nonam matutinã celebraretur.

Qui manus inijceret in Episcopum, vel eum in vincula, aut carcerem duceret, impius declaratus est, & legis cognitionisq. Dei penitus expers, & vt anathemate feriretur, atque ab Ecclesiæ communione reijceretur.

Qui parem vim faceret clericis, atque ad ordines sacros promotis: fuerunt, & anathemate percussi, & qui bona morientium Episcoporum vel Abbatum inuaderent, tamquam sacrilegi & excommunicati.

Vt nemo admitteretur, vel consecraretur in Episcopum, nisi presbyter aut diaconus esset, aut subdiaconus, & illustri genere ortus: nisi forte a Pontifice cum illo dispensatum esset.

Nec filios presbyterorũ, aut aliter etiam ex concubinis susceptos liberos ad presbyteratus gradum prouehi liceret, nisi aliquo in monasterio religionem professi essent.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ne parochi & qui præsunt ecclesijs, ob sepulturam defunctorum quidquam accipe- A
rent, vel exigerent.

Mandatum esse etiam omnibus Christianis, vt diebus singulis sabbati officium beatæ virginis recitarent.] hucusque ibi.

Sed præcipuum fuit illud, cuius causa potissimum illud Concilium indictum & collectum fuit, vt in eo indiceretur expeditio in Terram sanctam, de qua dicturi, historiam sui nobilitate insignem, sed iam omnibus notam aggredimur, ob idq. ea tantum monimenta veterum, quæ vel dicta, vel scripta tunc fuisse reperiuntur, hic describturi sumus.

VRBANVS PAPA INDICIT EXPEDITIONEM IN TERRAM SANCTAM.

Vrbanus igitur Papa, quod sciret sæpe a prædecessore suo Gregorio Septimo id esse tentatum, sed schismaticis intercedentibus, variisq. bellis, fuisse impeditum: vrgentibus litteris Alexij Imperatoris, nuper in Placentino Concilio lectis, rem nauiter age- B
re cœpit, vt ex fidelibus Christianis cogeretur exercitus in auxilium periclitantis Orientalis ecclesiæ, potissimum vero Hierosolymorum; a cuius Patriarcha Simeone, deferente Petro eremita natione Gallo, patria Ambianensi, litteras commiseratione dignas acceperat, quibus Christi incunabula, eiusq. Sepulchrum atque reliqua loca sancta, eiusdem Redemptoris nostri memoria consecrata ab infidelibus Turcis profanata, omniq. genere contumeliarum affecta deplorabat. Iste enim, teste [a] Vuillelmo Tyrio Archiepiscopo, qui eam de bello sacro historiam texuit (quem sequimur) cum petijsset Hierosolymam, & litteras ad Vrbanum Papam, & ad Christianos Principes accepisset; a Christo quoque per visum, dum oraret ad sacrosanctum templum Resurrectionis, ad tanti muneris obeundum legationem accepit; non autem per epi- C
stolam de cælo lapsam, vt plures sunt fabulati. Perdifficile inter veritatis septa continetur stylus historicorum, ne ad fabulosa vulgo iactata declinet. quod solum vitat, qui non aliunde, quam ab originarijs fontibus puram curat haurire aquam. Hic igitur ad tantum opus missus a Deo, ad sacrum bellum, afflatus diuino spiritu, classicum potenter intonuit, cuius diuinæ tubæ clangore, ab vniuerso pene orbe Occidentali ad arma concurritur. Attamen primarius dux verbi, atque promotor tantæ molis operis Vrbanus Pontifex erat, qui in hoc ipso Claramontensi Concilio ad fratres eiusmodi, quam recitat [b] Tyrius, habuit concionem:

[a] Vuillelm. de bello sac. lib. 1. c. 11. 12.

[b] Id. ibid. c 15.

SYNODALIS CONCIO VRBANI PAPAE.

Nostis fratres dilectissimi (& vestram nosse id expedit charitatem) quomodo humani generis Reparator pro nostra omnium salute carnem assumens, & homo inter homines conuersatus, terram promissionis, quam pridem Patribus promiserat, propria illustrauit præsentia, & assumptæ dispensationis operibus, & crebra simul miraculorum exhibitione reddidit specialiter insignem. id enim & veteris & noui in omnibus syllabis docet series Testamenti. Quadam sane dilectionis prærogatiua certum est eam dilexisse, ita vt eam orbis partem, immo particulam, hereditatem suam dignatus est appellare, cum eius sit omnis terra & plenitudo eius. vnde per Isaiam ait: [c] Hereditas mea Israel. & item: [d] Vinea Domini Sabaoth domus Israel est. & licet totam in partem præcipuam sibi dedicauerit ab initio; peculiarius tamen Vrbem sanctã sibi adoptauit in propriam, testante Propheta, qui ait: [e] Diligit Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Iacob. De qua gloria Domini . . . . videlicet quod in ea docens, passus & resurgens Saluator, salutem operatus est in medio terræ. Ad hoc a sæculo est præelecta, vt tantorum esset conscia & cella familiaris ministeriorum. E
Electa nimirum, quod ipse qui elegit, testatur dicens: Et de Hierusalem ciuitate, quam elegi, veniet vobis Saluator.

[c] Isai. 19.
[d] Idem 5.
[e] Psal. 86.

Quam etsi peccatis inhabitantium id exigentibus, iusto iudicio suo in manus impiorum sæpius tradi permiserit Dominus, & duræ iugum seruitutis ad tempus eam sustinere passus sit: non tamen arbitrandum est, quod eam quasi a se repudiatã abiecerit, cum scriptum sit: [f] Flagellat Dominus omnem filium quem recipit: illi vero thesaurizat iram, cui dicitur: [g] Recessit zelus meus a te: iam amplius non irascar tibi. Diligit ergo eam, nec intepuit erga eam dilectionis feruor, cui dicit: [h] Eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui, & non vocaberis amplius desolata, sed vocaberis voluntas mea, quia complacuit Dominus in te.

[f] Hebr. 12.
[g] Ezech. 16.
[h] Isai. 28.

DEPLORAT VRBANVS PAP. CALAMITATEI TERRAE SANCTAE.

Hæc igitur salutis nostræ cunabula, Domini patriam, religionis matrem, populus absque Deo, ancillæ filius Aegyptiæ possidet violenter, & captiuatis liberæ filijs, extremas

A tremas imponit conditiones, quibus versa vice merito seruire tenebatur. Sed quid scriptum est? [a] Eijce ancillam & filium eius. Sarracenorum enim gens impia, & mundanarum sectatrix traditionum, loca sancta, in quibus steterunt pedes Domini, iam a multis retro temporibus violenta premit tyrannide: subactis Fidelibus & in seruitutem damnatis; ingressi sunt canes in sancta; profanatum est Sanctuarium, humiliatus est cultor Dei populus, angarias patitur indignas genus electum, seruit in luto & in latere regale sacerdotium: princeps prouinciarũ facta est sub tributo ciuitas Dei. Cuius non liquefiat anima, cuius non tabescant præcordia ijs ad animum recurrentibus? Quis hæc siccis oculis audire potest, fratres charissimi? Templum Domini, de- quo zelans [b] Dominus vendentes eiecit & ementes; ne domus Patris eius fieret spelunca latronum, facta est sedes dæmoniorum. Idipsum enim & Mathathiam sacerdotem B magnum, sanctorum progenitorem Machabæorum ad zelum accendit commendabilem, sicut ipse testatur, dicens: [c] Templum Domini quasi vir ignobilis, vasa gloriæ eius abducta sunt captiua. Ciuitas Regis Regum omnium, quæ alijs regulas intemeratæ tradidit Fidei, Gentium superstitionibus cogitur inuita deseruire. Sanctæ Resurrectionis ecclesia, requies dormientis Domini, eorum sustinet imperia, foedatur spurcitijs eorum, qui Resurrectionis non habebunt participium, sed stipulæ ignis æterni perennibus deputabuntur incendijs. Loca venerabilia diuinis deputata mysterijs, quæ Dominum in carne susceperunt hospitem; signa viderunt, senserunt beneficia, quorum omnium in se plena fide prætendunt argumenta, facta sunt gregum præsepia, fabula iumentorum. Laudabilis populus, cui benedixit Dominus exercituum, sub angarijs & sordidarum patrationum pondere gemit fatigatus, rapiuntur eorum C filij matricis ecclesiæ chara pignora, vt Gentium immunditijs deseruiant, & nomen Dei viui abnegent, vel ore blasphement sacrilego, compelluntur: aut imperia detrectantes cæduntur gladijs more bidentium, sanctis Martyribus sociandi. Non est sacrilegis locorum differentia, non est personarum respectus. In sanctuarijs occiduntur sacerdotes & leuitæ, coguntur virgines fornicari, aut per tormenta perire, nec matronis ætas maturior suffragatur.

[a] Gen. 21.
[b] Luc. 19.
[c] 1. Mach. 2.

Væ nobis, qui in hanc tam periculosi temporis descendimus miseriam, quam in spiritu præuidens electus a Domino Dauid Rex fidelis deplorat, dicens: [d] Deus venerunt Gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum. & item: [e] Populum tuum humiliauerunt, & hereditatem tuam vexauerunt? [f] Vt quid Domine irascceris in finem, accendetur velut ignis ira tua? [g] Vbi sunt misericordiæ tuæ antiquæ Domine? Verum ne est, quod dicitur: Non obliuiscetur misereri Deus: non continebit in D
ira sua misericordias suas? [h] Recordare Domine, quid acciderit nobis: intuere & vide opprobrium nostrum. [i] Væ nobis, vt quid nati sumus videre corruptionem populi nostri, & contritionem ciuitatis sanctæ, & federe illic, cum dantur in manibus inimicorum sanctã?

[d] Psal. 78.
[e] Psal. 93.
[f] Psal. 78.
[g] Psal. 88.
[h] Thren. 5.
[i] 1. Mach. 2.

VRBANVS PAPA HORTATVR FIDELES AD SVBVENIENDVM OPPRESSIS.

Vos igitur, dilectissimi, armamini zelo Dei, accingimini vnusquisque gladio suo super femur suum potentissime. [k] Accingimini, & estote filij potentes: melius est enim nobis mori in bello, quam videre mala gentis nostræ & Sanctorum. Si quis zelum legis Dei habet, adiungat se nobis. Subueniamus fratribus nostris, disrumpamus vincula eorum, & proijciamus a nobis iugum ipsorum. Egredimini, & Dominus erit vobiscum, armaq. cæde mutua illicite * cruentatis, in hostes Fidei & nominis Chri- E
stiani conuertite. Furta, incendia, rapinas, homicidia, & cetera, qualia qui agunt regnum Dei non possidebunt, hoc Deo bene placito redimite obsequio, vt delictorum, quibus Dominum ad iracundiam prouocastis, celerem indulgentiam hæc vobis obtineant pietatis opera, & deprecatio collata Sanctorum. Monemus igitur & exhortamur in Domino, & in remissionem peccatorum iniungimus, vt fratribus nostris & cælestis regni coheredibus (omnes enim inuicem sumus membra, coheredes autem Christi) qui Hierosolymis, & in finibus eius habitant, afflictioni & laboribus compatientes, Infidelium insolentiam, qui sibi regna, principatus & potestates subijcere contendunt, debita compescatis animaduersione, & illis totis viribus occurratis, quibus est propositum nomen delere Christianum. Alioquin futurum est, vt in proximo Ecclesia Dei iugum indebiti perferens seruitutis, Fidei sentiat dispendium, præualente Gentilium superstitione. In quanta autem positi sint afflictione, nouerunt ex vo-

[k] 1. Mach. 3.
* f. cruentata

Universidad de Deusto
Biblioteca

*f. epistola

bis nonnulli, qui hæc quæ loquimur, oculata aspexerunt fide, & præsens illorum, A
per manum Petri viri venerabilis, qui præsens est, ad nos delata docet * ecclesia.

Nos autem misericordia Dei & beatorum Apostolorum Petri & Pauli Apostolorum auctoritate confisi, fidelibus Christianis, qui contra eos arma susceperint, & onus sibi huius peregrinationis assumpserint, immensas pro suis delictis pœnitentias relaxamus. Qui autem in vera pœnitentia decesserint, & peccatorum indulgentiam, & fructum æternæ mercedis se non dubitent habituros. Interim vero eos, qui ardore Fidei ad expugnandos illos laborem istum assumpserint; sub Ecclesiæ defensione, & beatorum Petri & Pauli protectione, tamquam veræ obedientiæ filios recipimus, & ab vniuersis inquietationibus, tam in rebus alienis, quam in proprijs statuimus manere securos. Si vero quispiam molestare eos ausu temerario præsumpserit: per Episcopum loci excommunicatione feriatur, & tamdiu sententia ab omnibus obseruetur, B
donec & ablata reddantur, & de illatis damnis congrue satisfiat. Episcopi vero & presbyteri, qui talibus forsitan non restiterint: officij suspensione mulctentur, donec misericordiam Sedis Apostolicæ obtineant] hactenus Vrbanus in Synodo perorauit. subijcit vero ista Tyrius: His dictis finem dicendi fecit, præcipiens ijs, qui aderant, ecclesiarum Prælatis, vt ad propria reuersi, cum omni instantia & debita sollicitudine plebes suas ad idem hortentur, & inuitent diligentius] & paulo post: Ante omnia iuxta statuta Synodi fideliter laborantes, vt pax quæ verbo vulgari Tregua dicitur, ab omnibus obseruaretur illibata, ne ire volentibus, & ad necessaria discurrere, vllum obijceretur impedimentum] Extat alius adhuc sermo ab hoc plane diuersus, eius-
a Vuill. de reb. Angl. lib. 4. c. 2. dem Vrbani Pontificis, recitatus a Vuillelmo Malmesburiensi in historia rerum Anglicarum: vt non mirum sit in eodem Concilio de re tanta eumdem Pontificem sæpius peroraſſe, vel in alijs Concilijs ab eo eadem ex causa habitis, sermones alios habuisse. Quin etiam inter schedas Vaticanæ bibliothecæ adhuc alium sermonem Vrbani Papæ reperimus, a duobus nominatis plane diuersum, quem hic describendo, ne pereat, perpetuitati consecrandum putauimus. sic se habet: C

Sermo Vrbani Papæ in Concilio Claramontensi.

SERMO ALIVS VRB. PAP. IN CONCILIO.

Audiuimus, fratres dilectissimi, & audistis, quod sine profundis singultibus tractare nequaquam possumus, quãtis calamitatibus, quantis incommoditatibus, quam diris contritionibus in Hierusalem & in Antiochia & in ceteris Orientalis plagæ ciuitatibus, Christiani nostri, fratres nostri, membra Christi flagellantur, opprimuntur, iniuriantur. Germani fratres vestri, contubernales vestri, coverini vestri. Nam & D
eiusdem Christi & eiusdem etiam Dei filij estis, & in ipsis suis domibus hereditarijs ab alienis dominis mancipantur, vel ex ipsis exploduntur, aut inter vos mendicant, aut quod grauius est, in ipsis suis patrimonijs venales exulant, & vapulant. Effunditur sanguis Christianus Christi sanguine redemptus, & caro Christiana carni Christi consanguinea nefandis ineptijs, & seruitutibus nefarijs mancipatur. Illis in vrbibus vbique luctus, vbique miseriæ, vbique gemitus. Suspirio hæc dico, ecclesiæ, in quibus olim diuina celebrata sunt sacrificia, proh dolor! ecce animalibus eorum sunt stabula. Nequaquam homines sanctas occupauerunt ciuitates: Turcæ spurci & immundi nostris fratribus dominantur. Antiochiæ beatus Petrus præsedit Episcopus: ecce in ipsa ecclesia Gentiles suas collocauerunt superstitiones, & religionem Christianam, quam potissimum coluisse debuerant, ab aula Deo dedicata turpiter eliminarunt. Prædia E
Sanctorum stipendijs dedita, & nobilium patrimonia sustentãdis pauperibus contradita Paganæ tyrannidi subijciuntur, eisq. in proprios vsus redactis domini crudeles abutuntur. Sacerdotium Dei humo tenus conculcatum est, Sanctuarium Dei per nefas vbique profanatum est: si qui adhuc ibi latitant Christiani, vbi audistis, exquiruntur tormentis. De sancta Hierusalem fratres, ... loqui dissimulauimus, quod valde de ea loqui pertimescimus, quoniam ipsa ciuitas, in qua (prout omnes nostis) Iesvs Christus pro nobis passus, peccatis nostris exigentibus, sub spurcitiam Paganorum redacta, Deiq. seruituti ad ignominiam nostram dico subducta est. Quod enim superest Imperij nostri, tantillum est. Christianorũ qui ista promeruimus, est dedecus. Cui seruit nunc ecclesia beatæ Mariæ, in qua ipsa pro corpore sepulta fuit in valle Iosaphat? Sed quid templum Salomonis, immo Domini, prætermittimus, in quo simulacra sua barbaræ nationes contra ius & fas modo collocata venerantur? De sepul-

A sepulchro Dominico ideo reminisci supersedemus, quoniam oculis vestris vidistis, quantæ abominationi traditum sit. Inde violenter abstrahunt, quas ibi pro cultu illius multoties intulistis oblationes. Ibi nimirum multas & innumeras religioni nostræ ingerunt irrisiones. Et tamen in illo loco (non ignara loquor) requieuit Deus: ibi pro nobis mortuus est, ibi sepultus est. Neque equidem ibi Deus hoc annuatim prætermittit facere miraculum, cum in diebus passionis suæ, extinctis omnibus, & in sepulchro, & in ecclesia circumcirca luminibus, iubare diuino lampades extinctæ reaccenduntur. Cuius pectus silicinum factum tantum miraculum non emolliat? Credite mihi, bestialis homo & insulsi capitis est, cuius cor virtus diuina tam præsens ad fidem non verberat, & cum Gentiles cum Christianis ista videant communiter, nec emendantur. Perterrentur equidem hi, nec conuertuntur ad fidem, nec mirum, quo-
B niam mentis obcæcatio illis dominatur. Quantis afflictionibus vos, qui adestis, qui redistis, inuaserunt, vos ipsi melius nostis, qui substantias vestras, qui sanguinem vestrum ibi Deo immolastis.

Hæc idcirco fratres diximus, vt vos ipsos sermonis nostri testes habeamus. Plures sunt & fratrum nostrorum miseriæ, & ecclesiarum Dei depopulationes, quæ sigillatim possemus referre, sed instant lacrymæ & gemitus, & instant suspiria & singultus. Ploremus fratres, eia ploremus, & cum a Psalmista medullitus plorantes, inge- a Psal. 78.
miscamus, nos miseri, nos infelices, quorum tempore Dei prophetia ista completa est: Deus venerunt Gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum: posuerunt Hierusalem in pomorum custodiam. Posuerunt morticina seruorum tuorum escas volatilibus cæli, carnes Sanctorum tuorum bestijs terræ. Effuderunt
C sanguinem ipsorum tamquam aquam in circuitu Hierusalem, & non erat qui sepeliret. Væ nobis fratres, nos qui iam facti sumus opprobrium vicinis nostris, subsannatio & illusio his, qui in circuitu nostro sunt. Condoleamus & compatiamur fratribus nostris saltem in lacrymis. Nos abiectio plebis facti, & omnibus deteriores immanissimam sanctissimæ terræ plangamus deuastationem. quam terram merito sanctam diximus, in qua non est etiam passus pedis, quem non illustrauerit, & sanctificauerit vel corpus, vel vmbra Saluatoris, vel gloriosa præsentia sanctæ Dei Genitricis, vel amplectendus Apostolorum commeatus, vel Martyrum ebibendus sanguis effusus. Quam beati, o Stephane protomartyr, qui te laureauerunt lapides? Quam felices, o tunc Baptista Ioannes, qui tibi ad Saluatorem baptizandum seruierunt Iordanici latices? Fi-
D lij Israel ab Aegyptijs educti, qui rubri maris transitu vos præfigurauerunt, terram illam armis suis, Iesu duce, sibi vendicauerunt. Iebusæos, & alios conuenas inde expulerunt, & instar Hierusalem cælestis, Hierusalem terrenam excoluerunt.

Quid dicimus fratres? audite & intelligite. Vos accincti cingulo militiæ magno supercilio fratres vestros dilaniatis, atque inter vos dissecamini. Non est hæc militia Christi, quæ describit ouile Redemptoris. Sancta Ecclesia ad suorum opitulationem sibi reseruauit militiam (vt veritatem fateamur) cuius præcones esse debemus. Non tenetis vere viam, per quam eatis ad salutem, & vitam. Vos pupillorum oppressores, vos viduarum prædatores, vos homicidæ, vos sacrilegi, vos alieni iuris direptores, vos pro effundendo sanguine Christiano expectatis latrocinantium stipendia, & sicut vultures odorantur cadauera, sic longinquorum partium auspicamini & sectamini bella. Certe via ista pessima est, quoniam a Deo omnino remota est.
E Porro si vultis animabus vestris consuli, istiusmodi militiæ cingulum quantocyus deponite, & ad defendendam Orientalem ecclesiam velocius concurrite. Hæc est enim, de qua totius vestræ salutis emanauerunt gaudia, quæ distillauit in os vestrum diuini lactis vbera, quæ nobis propinauit Euangeliorum sacrosancta dogmata. Hæc ideo, fratres, dicimus, vt & manus homicidas a fraterna nece contineatis, & pro fidei domesticis vos externis nationibus opponatis, & sub Iesv Christo duce vestro, acies Christiana, acies inuictissima melius, quam ipsi veteres Israelitæ pro vestra Hierusalem decertetis, & Turcos, qui in ea sunt nefandiores, quam Iebusæi, impugnetis, & expugnetis.

Pulchrum sit vobis in illa ciuitate mori pro Christo, in qua pro vobis Christus mortuus est. Ceterum si vos antea mori contigerit, idipsum autumate mori in via, si tamen Christus in sua vos inuenerit militia. Deus enim denarij retributor est pri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ma & hora sexta. Horrendum est fratres, horrendum est, vos in Christianos rapacem manum extendere. In Sarracenos gladium vibrare, singulare bonum est, quia & charitas est, pro fratribus animas deponere. Ne vero de crastinis euentionibus solliciti sitis, sciatis quia timentibus Deum nihil deest, nec ijs, qui eum diligunt in veritate. Facultates etiam inimicorum nostrorum vestræ erunt, quoniam & illorum thesauros expoliabitis, & vel victorioſi ad propria remeabitis, vel sanguine vestro purpurati perenne brauium adipiscemini. Tali Imperatori militare debetis, cui panis deesse non potest, cui quæ rependat nulla desunt stipendia. Via breuis est, labor permodicus est, qui tamen immarcescibilem vobis rependat coronam. Iam nunc ergo
a Psal. 44. auctoritate loquamur prophetica: [a]Accingere homo vnusquisque gladio tuo super femur tuum potentissime. Accingimini, inquam, [b] & estote filij potentes, quoniam melius est nobis mori in bello, quam videre mala gentis nostræ & Sanctorum. Non vos
b 1. Mac. 3. demulceant illecebrosa blandimenta mulierum, rerumq. vestrarum, quin eatis; nec vos deterreant perferendi labores, quatenus remaneatis. *& conuersus ad Episcopos.*

Vos inquit, fratres & Coepiscopi, consacerdotes & coheredes Christi per ecclesias vobis commissas idipsum annuntiate, & viam in Hierusalē toto ore vniuersaliter prædicate. Confessi peccatorum suorum ignorātiam, securi de Christo celerem impetrent veniam. Vos autem qui ituri estis, habebitis nos pro vobis oratores; nos habeamus vos pro populo Dei pugnatores. nostrum est orare, vestrum est contra Amalechitas pugnare: nos extendemus cum Moyse manus indefessas orantes in cælum; vos exerite & vibrate intrepidi prœliatores in Amalech gladium. Amen.] hactenus ibi.

VRB. PAP. MVLTVS IN EXHORTANDO.

Fuisse autem multum in exhortando suis concionibus Vrbanum Papam, docet etiam Domnizo presbyter in vita Mathildis versibus istis, quibus & plurimum ipsum Christianum populum profecisse testatur.

Vrbani Galli Papæ Petri quasi sancti
Dicta receperunt, & ei bona multa dederunt.
Verba salutis eis dabat hic pastor vice Petri,
Nam docuit summus Pater illos ire Sepulchrum
Ad Domini nostri, locus vt purgetur, & hostis
Inde repellatur populus Paganus amarus.
O fidei semen! bona germina quot modo præbes,
Cum vtiles flores resluunt pastoris ab ore,*
Et pariunt fructus. &c.]

*

Sed ne quid rerum gestarum ac verborum Papæ Vrbani pereat, accipe ad eamdem expeditionem spectantem præsentem canonem:

Item placuit omnia bona eorum, qui Hierosolymas pergunt, semper & vbique esse salua in pace & tregua, quousque redierint.] Recitantur ista ibidem inter canones tunc ab Vrbano Papa editos, inter quos primus est de pace & tregua constiturus.

PRAEDICATVR VBIQVE EXPEDITIO HIEROSOLYMIT.

Vt autem indictam in Synodo expeditionem promoueret Vrbanus Papa, permansit in Gallijs. Episcopi autem ad sua reuersi haud otioſi perstitere, sed in suis diœcesibus singuli singula circumeuntes oppida, Hierosolymitanam expeditionem magno animi feruore litteris pontificijs indicebant. Porro eorum, qui ciusmodi cælesti tuba excitati nomina dabant, infinita erat propemodum multitudo, vt opus fuerit dehortari plurimos, quorum vel ætas, vel sexus, vel valetudo ponderi militari subeundo impar esse, manifestis indicijs videbatur, adeo vt magnus fuerit delectus habendus.

INDVLGENTIA STIPENDIVM. *e Petr. diac. Chron Cass. lib. 4. c. 11.*

Pro stipendio erat Indulgentia peccatorum proposita, atque vt Petrus diaconus ait: Erat pro tessera militari, signum sanctissimæ Crucis. de qua inquit: Ad huius autē rei euidens indicium, communi consilio signum sanctæ Crucis super scapulam dexteram impressere vestibus] at ista anno sequenti, quo ad bellum sacrum delectus est habitus. post Synodum enim absolutam, labente ad finem anno, vrgente hieme, promouendi vlterius rem tantam intercluſus est aditus.

CRVX TESSERA MILITARIS.

OFFICIVM DEI GENITRICIS MARIAE.

Vt autem res difficillima inchoanda, hactenus in Ecclesia Catholica intentata optatum consequi posset effectum, placuit Vrbano Pontifici Dei Genitricis precibus annitendum, vt conciliaret sibi cæleste numen; quod probe sciret experimento, quæque ardua progressura feliciter, quibus beatæ Mariæ Virginis faueret gratia, & aspiraret auxilium. Ad quod promerendum idem Christi Vicarius eodem Claramontensi Concilio,

Concilio, rogata sententia Patrum, egit, vt horariæ illæ preces & laudes, quæ vulgo Dei Genitricis appellari consueuerūt Officium, apud monachos eremitas institutionis Petri Damiani (vt superius vidimus) frequentari cœptæ, ex illis deducerentur ad clericos, a quibus digne ex animo eidem sanctissimæ Virgini persolui deberent, vt ipsa apud Filium precibus ageret, quo fidelis populus in tot & tantis discriminibus subeundis, eius fulciretur auxilio, atque præsidio muniretur. Quod quidem tunc a sancta Synodo, Vrbano agente, ea occasione indictum, & a clericis pie susceptum, ad laicos quoque fuit tam viros quam mulieres propagatum, & quidem cum magno fœnore gratiarum, vt experti sunt omnes iugiterq. experiuntur Fideles, illud ex animo frequentantes: quas preces & Carthusiani diuino monitu haud pridem suscepere dicendas. Qui & eiusdem ipsorum ordinis eamdē Dei Matrem adsciuere sibi patronam, prout in rebus gestis S. [a]Brunonis eius ordinis institutoris apparet: in quibus & de præceptis in dicto Claramontensi Concilio ijsdem precibus, mentio habetur. Ipse autem sanctus Bruno aliquamdiu retentus ab eodem Vrbano Pontifice, celebrato hoc anno Concilio Placentino, ab eodem dimissus, & in eremum abire permissus abijt (vt dictū est) in Calabriam, vbi liberalitate Rogerij Ducis nobile erexit in Squillacensi regione monasterium. sed de sancto Brunone atque Rogerio rursus inferius suo loco dicendum erit.

a Apud Sur. 12. 5. die 6. Oct. in vit. S. Brun. cap. 21. 22.

Cum autem hoc anno post celebrata duo Concilia ab Vrbano Pontifice, Legatus Apostolicæ Sedis aliud adhuc indixisset in proximam Quadragesimam: rumor quidam peruenit ad Regem Francorum, eodem anno aliud generale Concilium celebrandum. Qua de causa de multiplicitate eiusmodi Conciliorum nonnihil offensus ipse Philippus, consuluit Iuonem Carnotensem Episcopum, num liceret & tertium eodem anno per Legatum indictum haberi Concilium. ad quæ breuiter [b]Iuo ista respondit offensus & ipse:

b Iuo ep. 61.

Philippo Dei gratia serenissimo Regi Francorum Iuo humilis presbyter suus salutem, sicut & domino & Regi suo fidele seruitium.

DE MVLTIPLICIBVS CONC. EODEM ANNO INDICTIS.

De eo quod paruitati meæ mandauit vestra sublimitas, post duo Concilia hoc anno a domino Papa celebrata, nunc Legatum eius Lugdunensem Archiepiscopum infra eumdem annum, tertium generale conuocare, & ad hoc regni vestri Episcopos inuitare: serenitati vestræ respondeo, quia cum nuper litteras eiusdem habuerim, nihil tale ibi legi, vel a Misso eius audiui. Quod tamen si faceret, non esset hæc Apostolica institutio, vel ecclesiastica consuetudo. Si autem aliquis pro culpis suis, indulto sibi congruo spacio, a Legatis Apostolicis vocatus fuerit: non potest subterfugere, quin ad diem sibi præscriptum occurrat, nisi eum legitima causa detineat. Quod si quis eos vltra terminos a Patribus constitutos angariare voluerit: vos habito cum eis communi consilio, iniustis oppressionibus pro persona vestra resistite; sic vt quæ sunt Dei, Deo reddant, & quæ Cæsaris sunt, Cæsari reddere non omittant. Valeat multo tempore sublimitas vestra.] Vides quantum obsint Ecclesiæ indiscreti ministri, cum præcipiunt interdum absque consilio dura, quæ præstari vix possint.

CONCILIVM ANGLICANVM IN CAVSA VRBANI PAPAE.

Celebratur hoc item anno & in Anglia generalis Synodus in causa Vrbani Papæ, quem Anselmus vt legitimum Pontificem recepisset, Rex vero inhæreret potius Guiberto, qui & edixisset in Anglia neminem Episcoporum alium aliquem recipere debere Romanum Pontificem, nisi quem Rex ipse pro Pontifice recepisset. Quid actum in Synodo, [c]Edinerus, qui aderat, ita describit: Factum est & tertia septimana Quadragesimæ iuxta edictum conuenerunt omnes Episcopi totius Angliæ & Abbates, causa prædicta in medium adducitur, & Anselmus diuersis querelis hinc inde concutitur. Siquidem multi, & maxime Episcopi regiæ voluntati fauere volentes, spreto æquitatis iudicio id probare nitebantur, quod Anselmus salua fide, quā Regi debebat, nullatenus posset in regno Vrbanum Sedis Apostolicæ Præsulē pro Papa tenere. Quibus cum plura quæ ratio tulerat, obiecta fuissent: & Anselmus ex verbis Domini: [d]Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo, alijsq. nonnullis quæ ratio nulla refellere poterat, penitus infrænasset: illi e contra quid dicerent, non habentes, cum in Regem blasphemare, vno strepitu conclamauere, quandoquidem ausus esset in regno eius, nisi eo concedente, quidquam vel Deo adscribere. Igitur ad vnam regiæ ingno eius, nisi eo concedente, quidquam vel Deo adscribere. Igitur ad vnam regiæ indignationis vocem quidam ex Episcopis Archiepiscopo suo atque Primati, omnem subie-

c Edin. in vita S. Anselmi lib. 2 apud Sur. tom. 2. die 21. April.

d Matth. 22.

Universidad de Deusto
Biblioteca

subiectionem, professam obedientiam vno impetu abnegant, eiq. vnitatem fraternæ societatis pari voto miserandi abiurant. Quidam vero in eis tantum, quæ ex parte Vrbani Papæ præciperet, illi se obedituros negant. Episcopi itaque omnes qui assuerunt, Roffensi solo excepto, aut vno, aut alio modo debitam illi subiectionem & obedientiam abnegant. Rex etiam ipse cunctam ei confidentiam & securitatem sui in omnibus adimit; nec se illum pro Archiepiscopo vel patre amplius habiturum iurat, nisi ipse Vicario beati Petri se vlterius obediturum statim deneget. Tres dies in isto negotio, clamoribus in Anselmum & contumelijs grauidi expensi sunt, & tandem in hoc quem dixi fine conuersi sunt. Tunc Anselmus in suo proposito constans, per internuntium conductum a Rege postulat, quo tutus regno decedat. Quod Principes multi damnosum fore dignoscentes, pro restituenda pace inducias vtrimque vsque ad Pentecosten dari precantur & obtinent; ac sic eum ne de regno decedat, impediunt. Spondet igitur Rex se rebus eius, vsque ad præfixum tempus inducias plenam pacem & tranquillitatem indulturum: & tunc voluntate illius pro sua religione multum in negotio quod emerserat, condescensurum. Verum omnino in contraria lapsus est, & Anselmus, domino Baldueno eius domus præfecto extra regnum depulso, hominibusq. suis captis & expoliatis, terrisq. vastatis, in immensum afflictus est] hactenus Edinerus, sed ista pluribus est prosecutus Vuillelmus, qui & ea quæ ista sunt consecuta, sic enarrat:[a]

[a] *Vuillel. Malmesb. de gest. Pont. Angl. lib. 1*

EPISCOPVS ALBANENSIS DEFERT PALLIVM ANSELMO.

Nuntij duo singulares versutiarum artifices, ipso ignorante, & nihil minus suspicante, Romam missi, vt explorato Vrbis statu, agerent apud Papam, vt Regi pallium mitteret, tradendum cui liberet. Strenue illi & impigre qui missi fuerant, executi, Albanensem Episcopum Vualterum ex præcepto Vrbani Papæ in Angliam adducunt. Is Dofris appulsus, clam Anselmo curiam venit, ingentibusq. promissis animum Vuillelmi *Regis* sitientem expleuit, si Vrbanus in Anglia reciperetur in Papã, fore vt quæcumque Rex petenda existimasset, ille priuilegio Sedis Apostolicæ roboraret. Ceterum ad causam Archiepiscopi nihil suffragij, nisi quod rogatus vt eum expelleret: impossibile factu respondit, vt vir celebratissimæ sanctitatis & scientiæ, & in præsularum introductus legitime, deturbaretur nullius obnoxius culpæ. Continuo igitur edictum per prouinciam promulgatur, Vrbanum Apostolicum debere dici & credi. Eo audito, mirari Anselmus. Cum ecce frequentes Episcopi ad eum missi venerunt, pertentatoq. sensim homine, vtrum ad redimendam Regis amicitiam esset infractior; cum nihilo mutatum experirentur, quod latebat, aperuere: dominum Regem sua opera & impensa pallium a Roma meruisse, suoq. labore transegisse negotiũ, quod illi constaret multis marcis. Par esse vt tanto Principis beneficio digno responderet muneris officio. Ingemuit ille doli machinam in effectum deductam, dicta Episcoporum largis suspirijs excipiens, negauitq. se quidquam propter hoc daturum, quia parui æstimaret beneficium, cuius amplitudinem ipsi tanti penderent. Per hoc Rex edoctus, nullo modo mentis eius robur eneruari posse, vt in amicitiam suam cederet, salua dignitatis suæ magnanimitate, vltro eam expetijt & impetrauit. Dataq. ei publice potestate, vt per totum regnum primatus sui ius exerceret libere, dies præfixa, qua Albanensis Episcopus cum pallio Cantuariam veniret. venienti, & sacrum insigne in vase argenteo deferenti, vulgo applausum, ab Archiepiscopo nudipede, sed sacerdotalibus vestimentis induto occursum. Inde super altare Domini Saluatoris pallium assumptum sacratus pontifex beatis humeris composuit, & ad diuina celebranda processit. Erat tunc dies Dominica, quarto Idus Iunij, fuitq. nonnullis ingenti miraculo, quod idem Euangelium illa die occurrit, quod ante prognosticon eius fuerat:[b] Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos, & misit seruos suos hora cœnæ, &c.]

[b] *Luc. 14.*

Dum dies certa signatur, nempe incidisse diem Dominicum in quartum Idus Iunij, plane præsens annus Redemptoris millesimus nonagesimusquintus ostenditur, quo littera Dominicalis fuit G. ex quo sequitur diem decimam Iunij, idest quartũ Idus Iunij, qui ea littera signatur, fuisse Dominicum diem. Ita pace composita, anno integro eam perdurasse, idem auctor Vuillelmus affirmat. eadem de pallio Edinerus, sed paucis rem agit.

Hoc eodem anno, Gastono Franco viro nobili prouinciæ Viennensis cum Gerino filio

lio eius, auctore, iunctis sibi octo alijs institutus asseritur ordo ministrantium infirmis, qui sacro igne consumpti perpetuo viuerent, truncatis membris calamitate: qui cum laici essent, pro insignibus Thau signum sibi sumpserunt. hæc pluribus in historia Antoniana, dicta, cuius auctor extitit Himarus Fulco eiusdem ordinis Præceptor.

ORDO MINISTRORVM HOSPIT. S. ANTONII.

IESV CHRISTI ANNVS 1096. VRBANI II. PAP. ANNVS 9. HENRICI III. IMP. 13. ALEXII COMNENI IMP. 16.

SEQVITVR annus Redemptoris millesimus nonagesimus sextus, Indictione quarta, quo Vrbanus Papa degens in Gallijs totus in Synodis, complura Romano Pontifice digna peregit, atque inter alia indictam Hierosolymitanam expeditionem promouit. Bertholdus dum eiusdem Pontificis iter relegit, hæc de ipso hoc anno: Dominus Papa Arelati diem Dominicæ Natiuitatis cum diuersarum prouinciarum Episcopis gloriosissime celebrauit. In his locis ex parte schismaticorum Vuirceburgensis Episcopus ad Apostolicum peruenit, eiusq. misericordiam consecutus est, ita tamen vt eadem misericordia a Legatis Papæ in Teutonicis partibus perficeretur eidem. In tertia hebdomada Quadragesimæ dominus Papa Synodum celebrauit cum diuersarum Episcopis prouinciarum in ciuitate Turonensi, vbi iterum suorum prædecessorum statuta Conciliorum generalis Synodi assensione roborauit. Et non multo post Episcopum Strazburgensem de excommunicatione resipiscentem recepit in communionem, ita tamen vt de illatis criminibus se expurgaret] pergit agere de Hierosolymitana expeditione ibi decreta, deq. his qui in Hungaria periclitati sunt militibus, ac deinde de Regis Francorum absolutione his verbis:

CONCILIVM TVRONENSE AB VRBANO PAPA CELEBRATVM.

Philippus Rex Galliarum, iamdudum pro adulterio excommunicatus, tandem domino Papæ, dum adhuc in Gallijs moraretur, satis humiliter ad satisfactionem venit, & abiurata adultera, in gratiam receptus est, seq. in seruitium domino Papæ promptum exhibuit] hæc ipse, reliqua in fine anni huius.

PHILIPPVS REX FRANCORVM ABSOLVTVS A PAPA.

Hic autem duo sunt subijcienda diplomata ab eodem Vrbano Pontifice data, atque primum, Turonis dum esset, quo edita iura ac priuilegia eiusdem ecclesiæ Turonensis cognouit, probauit, ac etiam Apostolica auctoritate firmauit: quod nuper acceptum hic tibi primum describendum curauimus. sic enim se habet:

Vrbanus Episcopus seruus seruorum Dei vniuersis sanctæ Ecclesiæ filijs salutem & & Apostolicam benedictionem.

CONFIRMAT ANTIQVVM PRIVILEGIVM TVRON. ECCL.

Notum fore volumus tam futuris, quam præsentibus, quoniam omnium bonorum largitor Deus deuotionem nostram ad B. Martini tumulum visitandum sua miseratione perduxit. Quia vero in eiusdem beati Confessoris ecclesia quædam inoleuerant, quæ in melius promouenda, salutis falce extirpanda videbantur: nos per septem dies & eo amplius immorati, medicinam animarum, frequentius inter eos intrantes & exeuntes, eis impertiuimus, & nobis in omnibus obedientes & beneuolos, Deo inspirante, & in eis cooperante nobiscum, experti sumus. Sed quoniam ad nostras aures peruenerat, quod Legatos Romanæ Ecclesiæ susciperе cum processionis benignitate superfederant, neque etiam eis, videlicet Legatis, auctoritas huius ecclesiæ per notitiam priuilegiorum eius innotuerat: succensuimus, & grauiter eos increpauimus, cur tantam inobedientiæ offensionem incurrerant. Illis itaque humiliter nobis scripta patrum nostrorum Romanorum Pontificum prætendentibus, diligenter attendimus eorum priuilegia. Et quia præter Apostolicum, & Regem, & Turonensem Archiepiscopum semel in vita sua, neminem ad processionis susceptionem admittebant, studiose notauimus, nostris Cardinalibus Teuzone, Alberto, Gregorio Papiensi, Rausgerio & Hugone Lugdonensi Primate, & alijs tam Episcopis, quam aliarum dignitatum personis præsentibus, Brunone Signiensi Episcopo, & Ingelramo Suessionensis ecclesiæ Archidiacono.

Porro nos tanta auctoritate refecti, eorum antiquam consuetudinem, eorum scriptis suffragantes, auctoritate nostra corroborauimus, in præsentia nostrorum prædictorum fratrum. Et quia filius noster Amatus Burdegalensis Archiepiscopus vnus erat

Universidad de Deusto
Biblioteca

erat de Legatis Romanæ Ecclesiæ, a Gregorio Septimo prædecessore nostro in Galliam A
destinatus, non ab hac ecclesia processionis solemnitate susceptus. Vnde etiam grauiter contra eosdem clericos commotus, in Exuldunensi Concilio eos excommunicatione persoderat: eum in concordiam & pacem eorum reformauimus. neque eos ad vllam satisfactionem, quia auctoritate pollente sese munierant, compulimus, neque qualibet pro tali excessu absolutione purgandos censuimus. Denique quoniam in quibusdam suæ ecclesiæ priuilegijs proprium eis habere Episcopum, concessum est; eius vice nos Romano eos sancimus specialiter adhærere Pontifici, & grauiores eorum causas eius pendere iudicio. Si quis sane in crastinum Cardinalis, aut Legatus, aut Episcopus, aut quilibet a nostro latere missus hanc nostræ confirmationis paginam sciens, contra eam temere venire tentauerit, & nostram perfringens auctoritatem, processionem ab ipsa sancti Confessoris ecclesia expetierit, si commonitus non destiterit, B
potestatis, honorisq. dignitate careat, reumq. se diuino iudicio existere de perpetrata præsumptione cognoscat. Cunctis autem ista seruantibus sit pax Domini nostri IESV Christi Amen, Amen, Amen. Dat. Turonis, castello sancti Martini, per manum Ioannis sanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconi Cardinalis secundo Idus Martij, Indict. quarta, anno Dominicæ Incarnationis * M. XCVII. Pontificatus autem Domini Vrbani Secundi Papæ nono.]

* M. XCVI.

Turonis autem recedens Vrbanus Papa, cum Pictauos se contulisset, ibi dum esset, quod accepit de inolito abusu, vt nonnisi pretio præbendæ, atque canonicatus in ecclesia sancti Martini conferrentur, abolendum curauit sancito decreto, quod sequenti diplomate continetur: reliqua vero Apostolica auctoritate muniuit. diploma autem sic se habet: C

AVFERT AB ECCL. TVRON. SIMONIAM.

Vrbanus Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filijs ecclesiæ beati Martini canonicis tam præsentibus, quam futuris in perpetuum.

Bonorum omnium largitori Deo gratias agimus, qui deuotionem nostram ad beati Martini tumulum visitandum sua miseratione perduxit. Quia vero in eiusdem beati Confessoris ecclesia consuetudo prauitatis eiusmodi inoleuerat, vt honores, seu præbendæ omnes pretio acquirerentur: nos locum illum sanctum emundare ab hac peste exécrabili cupientes, religiosos viros ad præmonitionem nostram decreuimus præmittendos. quibus estis fideliter, Domino inspirante, polliciti, & præceptis nostris omnimodis obedire, & simoniacæ prauitatis inquinamenta deferere. Quod & præsentibus nobis per Dei gratiam perfeciſtis, in nostra, tamquam beati Petri manu firmantes, nihil vos vlterius honorum, nihil præbendarum vendituros aut empturos, nec vt vendantur, aut emantur aliquando consensuros. Adijcientes etiam, nullum deinceps in canonicorum numerum admittendum, nisi eamdem sponsionem iureiurando firmauerit. Quæ videlicet vniuersa nos sanctorum Apostolorum auctoritate firmauimus, & violatores omnes anathematis mucrone confodimus. Et præteritorum igitur gratiæ respondentes, & futurorum spem longe meliorem gerentes, secundum prædecessorum nostrorum Ecclesiæ Romanæ Pontificum priuilegia, vos in spirituales filios Apostolicæ Sedis assumpsimus, & eadem auctoritate statuimus, nullum Pontificum, nullum Regum, nullum cuiusque dignitatis, aut ordinis præter Præpositos vestros in vestra ecclesia, vel eius pertinentijs potestatem aut dominium exercere, vt Romanæ Ecclesiæ præcepta seruantes Romanæ Ecclesiæ libertate perpetua gaudeatis, saluo nimirum iure seu consuetudine, quam hactenus erga vos Turonensis noscitur Archiepiscopus habuisse. D E

Quæcumque igitur venerabilis illa beati Martini Ecclesia legitimo iure, vel Pontificum collatione, vel Regum & Principum liberalitate, vel Fidelium oblatione possidet, seu in futurum præstante Domino, iuste poterit & canonice adipisci, firma vobis semper & illibata permaneant. Nullus in villis, aut mansionibus, siue territorijs, siue ecclesijs, aut pagis, ad vestram ecclesiam pertinentibus, inuitis vobis, iudicia agere, ingenuos, seruosve sæculi potestate constringere, nec teloneum, aut naulum præsumat exigere. Possessionum vero vestrarum decimæ, seu nouæ in pauperum vsus omnino proficiant. Episcopus autem, in cuius diœcesi eædem possessiones sunt, ordinandorum clericorum tantum curam gerat, nihil de cetero grauaminis clericis inferat, nec ecclesiarum altaria, vel alia bona per Regum præcepta vobis antiquitus data & Pontificum

A tificum Romanorum priuilegijs confirmata vel alijs dare, vel venalitate distrahere, vel modo quolibet alienare præsumat. Quidquid præterea libertatis, quidquid immunitatis vel prædecessores nostri Romani Pontifices, vel Turonenses Archiepiscopi, vel Gallicanarum ecclesiarum apud Tussiacum in Tullensi parochia generalis Synodus congregata pro B. & apostolici Confessoris Martini reuerentia vestræ ecclesiæ, vestrisq. prædecessoribus contulerunt: nos præsentis decreti pagina confirmamus. Et quia in quibusdam vestræ ecclesiæ priuilegijs proprium vobis habere Episcopum concessum est: nos eius vice Romano vos sancimus specialiter adhærere Pontifici, & grauiores vestri causas ex eius pendere iudicio. Si quis sane in crastinum Archiepiscopus aut Episcopus, Imperator, aut Rex, Princeps, aut Dux, Comes, Vicecomes, Iudex, aut ecclesiastica quælibet, sæcularisve persona hanc nostræ Constitutionis pa-
B ginam sciens, contra eam temere venire tentauerit, secundo, tertiove commonitus, si non satisfactione congrua emendauerit, potestatis, honorisq. sui dignitate careat, reumq. se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri IESV Christi alienus fiat, atque in extremo examine districtæ vltioni subiaceat. Cunctis autem eidem ecclesiæ iusta seruantibus sit pax Domini nostri IESV Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen, Amen, Amen. Datum Pictauis per manum Ioannis sanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconi Cardinalis quarto Kal. Aprilis, Indictione quarta, anno Dominicæ Incarnationis millesimo * XCVII. Pontificatus autem Domini Vrbani Secundi Papæ IX.] * M. XCVI.

C Antequam autem hinc cum Vrbano Pontifice recedamus, quæ reperimus fragmenta ad dictum Concilium Turonense spectantia, hic describenda, vt quæ spectant ad causam monachorum monasterij sancti Mauri. Etenim testatur [a] Petrus diaconus hæc de monasterio sancti Mauri: In Turonensi Concilio, vbi ipse Vrbanus Papa præsidebat, monasterium sancti Mauri in Glanafolio a Fossatensium monachorum abstractum tyrannide, pristinæ dignitati, libertatiq. restituit, sub magisterio tantum Cassinensis cœnobij perpetuo mansurum] hæc Petrus. At hic recitanda est breuis Iuonis Episcopi Carnotensis epistola, qua expostulat, ad successorem Vrbani Papæ scribens, de iniusta sententia per subreptionem contra Fossatenses monachos in hoc ipso Turonensi Concilio ab Vrbano Papa nesciente lata. epistola sic se habet: [b]

[a] Petr. diac. Chron. Cass. lib. 4. c. 12. DE MONASTERIO S. MAVRI.

[b] Iuo ep. 183.

D Paschali summo Pontifici Iuo humilis ecclesiæ Carnotensis minister per mare huius mundi prospere nauigare, & post superata naufragia nauem in tuto collocare.

Quoniam iudicia Romanæ Ecclesiæ a nemine foris retractari posse, eadem Romana Ecclesia docente, didicimus: si qui aliquando se prægrauatos ipsius Ecclesiæ auctoritate conqueruntur, hoc eis consilium damus, vt non descendant in † Aegyptum propter auxilium, sed ab ipsa ad ipsam confugiant, & inde expectent leuamen, vnde se conqueruntur accepisse grauamen: quia quæ aliquando corripit paterna seueritate, eadem frequenter colligit materna pietate. Quod ideo prælibauimus beatitudini vestræ, vt causam Fossatensium monachorum patienter audiatis: & quantum salua Apostolica reuerentia fieri potest, anxietatem eorum misericorditer releuetis. Conqueruntur enim se in Concilio Turonensi prægrauatos, quoniam ad suggestionem
E Comitis Andegauensis dicunt fuisse subreptum domno Papæ Vrbano, vt monasterium S. Mauri, situm in patria Andegauensi, quod sub iure Fossatensis monasterij antea per trecentos aut eo amplius annos extiterat, de eiusdem monasterij iure auferret, & ordinato ibi Abbate, liberum esse constitueret, quod & factum est, Fossatensibus monachis ius suum reclamantibus, & multis, qui Concilio intererant, aliter sentientibus, cum viderent priuilegium, quo nitebantur Fossatenses monachi, de manibus eorum ab Andegauensibus fuisse ereptum, & in plures partes fuisse conscissum. Adhibitis ergo multorum intercessionibus supplicant prædicti monachi, vt eorum negotium a maiestate vestra legitima discussione retractetur, & vel misericordia flectente, vel iustitia dictante terminetur] hucusque Iuonis epistola.

† hoc est ad Principes sæculares. IVO LABORAT PRO FOSSAT. MONACHIS.

Hoc eodem anno, expeditio Occidentalium pro Orientalium Christianorum sub Turcis periclitantium subuentione, indicta per Vrbanum Papam anno superiori, sub diuersis ducibus, diuerso tempore, diuersis locis in procinctu posita, Constantinopo-

EXPEDITIO OCCIDENTAL. IN ORIENTEM PARATA.

lim

lim versus iter arripit; alijq. ex ipsis, qui primi fuere sub Galtero duce, octaua die mensis Martij, alij paulo post sub Petro eremita proficiscuntur: Godefredus autem Dux Lotharingiæ, cum alijs Ducibus & Comitibus mense Augusti die decimaquinta, alij vero, vt Boamundus Comes Apuliæ, anno sequenti, vt suo loco dicemus. Hæc autem pluribus prosecutus est [a] Tyrius, quem cõsulat qui ista cupit addiscere: commentarius enim eo argumento elaborauit lectione dignum. Nobis autem in proposito est, ista tantum nota temporum consignare, non autem singula prosequi, quia iam notissima cunctis Scriptorum copia facta sunt. Ante profectionem autem hoc anno magnam ab eis pluribus in locis stragem factam esse Iudæorum, Bertholdus atque alij horum temporis Scriptores affirmant. Qui enim diuino instinctu aduersus Christiani nominis hostes dedere sacræ militiæ nomen, in quos primos incidunt Christi hostes Iudæos infelices, animi impetu, legum habenis excussis, feruntur, eosq. trucidant, fugant, vel obsident, atque ex desperatione ad conscifcendam sibi mortem impellunt: datur tantum illis venia, qui Christianam Fidem, abiurato Iudaismo, profiteri vellent.

[a] Vuill. Tyr. de bell. sac. lib. 1. c. 18. lib. 2. c. 1.

IVDAEI A MILITIBVS CHRISTIANIS TRVCIDATI.

Profectiq. sunt cum militibus Christianis Episcopi, inter quos Ademarus Podiensis, Anicij Vellunnorum Episcopus eminuit Apostolica legatione sublimis, insuper cum illis Vuillelmus Aurasij. Hi primi Cruce signati alios eodem sacro signo nobilitarunt. Eodem Vrbani Papæ classico excitatus Bernardus Toletanus Archiepiscopus, iterum in Terram sanctam hac Cruce signatus, est peregrinationem aggressus, sed primo ob clericos Toletanos, qui eo absente, quasi numquam amplius reuersuro, alium subrogandum putarunt Archiepiscopum, reuerti coactus, sed pulsis illis, monachis sancti Facundi in eamdem ecclesiam introductis, iterum se ad iter illud capessendum accinxit; peruenitq. ad Vrbanum Papam, qui miseratus eius ecclesiæ tunc coalescentis, nondum adultæ, iussit illum redire Toletum. Qui parens Pontifici, rediens, quos potuit ex Gallia secum duxit viros, quos eruditione & moribus ad regendas ecclesias putauit idoneos, sed (quod humanum est) iudicio errauit in electione Burdini, quem Lemouicis secum duxit Toletum, & Archidiaconi dignitate nobilitauit, atque inde in Coimbricensem, postea in Bacharensem Archiepiscopum extulit, hominem versipellem, astutum, ad decipiendum quemlibet licet sapientem optime comparatum, de quo inferius sæpe dicendum. hæc ex [b] Roderico eiusdem Toletanæ ecclesiæ Archiepiscopo.

[b] Rod. Tol. lib. 6. c. 17. & 18.

Demum vero, vt Vrbani Papæ Romam ex Gallijs redeuntis vestigia assectemur: hæc de ipso qui tunc ea scribebat Bertholdus Constantiensis hoc anno: Dominus Papa bene dispositis rebus in Gallia, post reconciliationem Regis Galliarum, & post multa Concilia tandem in Longobardiam cum magno triumpho & gloria repedauit, & exaltationem S. Crucis apud Hortarium prope Papiam solemniter celebrauit; multosq. Episcopos & Principes in suo comitatu habuit] & inferius de reditu Romam: Dominus Papa tandem ad Apostolicam Sedem cum magna gloria & tripudio reuersus Natiuitatem Domini Romæ cum suis Cardinalibus gloriosissime celebrauit, quippe tota Romana Vrbe pene sibi subiugata, præter turrim Crescentij, in qua adhuc latitabant Guibertini] hæc ipse exordio sequentis anni, incipiens more suo anni cuiuslibet exordium a Natali die Domini numerare: iuxta autem a nobis more maiorum initam rationem, in fine præsentis anni sunt collocanda.

IESV CHRISTI ANNVS 1097. VRBANI II. PAP. ANNVS 10. HENRICI III. IMP. 14. ALEXII COMNENI IMP. 17.

CONCILIVM BARENSE INDICITVR.

SEQVITVR annus Redemptoris millesimus nonagesimus septimus, Indictione quinta, quo Vrbanus Papa, cum (vt vidimus) anno superiori, expeditionem Hierosolymitanam in Gallijs promouisset: ne Græcorum ecclesiæ schismate offici posset, vt eos cum Latinis vniret, sollicite curauit, Romæ dum esset. Quamobrem ea de causa conuocatis Græcis, Bari in Apulia Concilium celebrandum indixit ad Kalendas Octobris, cui contigit, Deo ita disponente, interfuisse sanctum Anselmum Cantuariensem Archiepiscopum. Quomodo autem id acciderit, ex Edinero comite eius peregri-

A peregrinationis addiscimus, cum alioqui adsit Vuillelmus Malmesburiensis bibliothecarius his temporibus proximus, res ab Anselmo tunc gestas fusius prosecutus. Sed præstat audire Edinerum, quem ijsdem interfuisse, tractasse, & vidisse certo comperimus, qui vix annum in pace cum Rege sanctum Anselmum transegisse testatur; inde vero Regem persecutorem fuisse expertum, adeo vt desperatione iuuandi suos victus, vnum illud remedium esse reliquum senserit, Principem pastorum Vrbanum adire, penesq. eum vel deponere sarcinam, vel per eum apud Regem iuuari, quo securus, quod sui esset muneris, libere exerceret. Anno enim superiori, mense Octobris, Vuintoniam vocatus a Rege, vix tandem post plurimam contentionem, profectionem hanc extorsit ab eo. Sed quis tunc inter eos sermo contentionis extiterit, & quæ transacta fuerint inter vtrumque, alibi se scripsisse testatur Edinerus, quæ quidem a Vuillelmo

B descripta hic tibi legenda proponimus, Annalibus digna: sic enim se habent:

S. ANSELMI CVM REGE ANG. CONFLICTVS.

Sæuiebat, credo, instinctu diaboli contra pontificem fortuna, parabanturq. in proximam curiam contra eum machinamenta, quæ omnia, petendo licentiam eundi Romam, quassauit & depulit, cum prius multis molimínibus voluntatem eius super ecclesiarum statum attentasset. Quocirca hæc communicaturus cum Papa, rogauit (vt dixi) licentiam pergendi Romam, bis terq. frustra. Intelligo enim (aiebat Rex) licentiam interdicendam, cum eum nullo graui peccato sciam onerari, cuius a Roma potat absolutionem, nec egere illius loci consilio, cum ei nullius scientiæ desit copia. Magis certe dixerim Vrbanum Anselmi cedere sapientiæ, quam Anselmum Vrbano indigere. Quod si pertinacius cœptis institerit; omnem Archiepiscopatum in meum Fiscum redigam: transgreditur enim promissa sua, quibus fidem suam astrinxit, omnes consuetudines seruaturum regni mei. Insolitum est quippe mihi, vt quisquam

C procerum meorum eat Romam, nisi meo potissimum *missu. Ideo vel iuret mihi, se numquam deinceps pro qualibet oppressione Sedem Apostolicam appellaturum, vel euacuet regnum. Hæc, inquit, vos fideles mei dicite sibi. Et si videritis eum velle desistere itinere: tunc vigorem curialis iudicij experiatur, quod me toties inquietare non timuerit de re, quam ad summam perducere nolit. Contra hæc per nuntios Anselmus agendum non ratus, ipse ad Regem ingressus, pro more, dexteræ illius assedit, habuitq. orationem in hanc sententiam:

*al. permissu

Quod dicis me non debere ire Romam, quod graui peccato caream, & scientia affluam: quamuis neutrum pro vero arrogem; tamen Dei libræ committo examinanda. Quod dicis me promisisse, vt consuetudines tuas seruarem: amplector, sed

D conditiones requiro. Cum exceptione enim dixi, me seruaturum illas dumtaxat, quæ legibus Dei consentaneæ cum honestate essent constitutæ. Quod dicis me fidem excedere, quod præuaricatis consuetudinibus tuis, Sedem appello Apostolicam, custodita reuerentia principatus tui, non verum esse, alter diceret. Fidelitatem enim, quam tibi, Rex, debeo, ex Dei fide habeo, cuius Vicarius est sanctus Petrus, cuius Sedem appello.

APPELLATIONEM NEGARE ESSE CHRISTVM ABIVRARE.

Quod dicis, debere me iurare, ne vlterius pro quauis causa Romam appellem: publice pronuntio: Quod Christianus Princeps ab Archiepiscopo suo tale sacramentum exigit iniuste. Si enim sanctum Petrum iureiurando abiurarem: negarem Christum. Quando vero pro vlla re Christum negauero: tunc tibi de petitæ licentiæ peccato sa-

E tisfacere non tardabo. Forsitan autem, me discedente, procurabit Deus, vt non diu res ecclesiasticæ, sicut minaris, tuis famulentur compendijs.

Obstrepunt dicenti Rex & proceres, illud maxime obiurgantes, numquam in consuetudinibus seruandis mentionem Dei fuisse, vel honesti, rectique. Tum ille comi vultu, & pene in risum resoluto, dixit hæc verba eadem: Pape! Si nec Dei, nec rectitudinis mentio, vt dicis, facta fuit, cuius tunc? Absit ab omni Christiano, leges vel consuetudines tenere, & tueri, quæ Deo & rectitudini noscuntur esse contrariæ.

Hoc illi dicto, quasi malleo frontes impudentes reperculsi, demissione capitum & vocis silentio iniustitiam suam testati sunt. Nihil enim ille turbabatur, sed quandocumque illi succlamarent, tacens rursus ad caput sententiæ impermotus reuertebatur. Verumtamen non continuit Rex animum, quin crudeles minas intorquens diceret: Non illum quidquam de regno suo *exoptaturum. At ille impauidus: pedes, inquit, & nudus pergam, si equitaturas meas, & vestes, vestrum esse quis affirmauerit.

*f. exportaturum

Universidad de Deusto
Biblioteca

mauerit. Puduit Principem dicti, & rubore tinctus ora: Non ita, inquit, volo, sed A
vndecimo ab hinc die, cum ad portum veneris, Nuntio meo in portandis, vel dimittendis parebis. Irasceretur alius, sed Anselmus imperturbatus manens, benedictionem suam Regi non abnuenti obtulit, prælocutus, molestè se quidem & ægre iram regiam ferre: sed si dignaretur intelligere, ad commodum eius animæ viam inchoatam spectare] Quomodo autem antequam recederet, ex omnibus Episcopis, quos contrarios expertus fuerat, duos pœnitentes recepit ad veniam; & quomodo Nuntius Regis conscensuri nauim Archiepiscopi cunctas sarcinulas indigne sit perscrutatus, sed nihil pecuniarum inueniens, cum tandem abire permiserit, idem pluribus narrat. Hæc (vt accepisti) in fine anni superioris fieri contigerunt: reliqua peregrinationis, siue miracula, siue sacræ functiones sanctissimi viri, & singulæ mansiones atque superata pericula, moraq. Lugduni apud Hugonem eius ciuitatis Archiepiscopum, Sedis B
Apostolicæ Legatum, per singula ab eodem Edinero, necnon ab ipso Vuillelmo pluribus describuntur, quæ breuitatis causa præterimus. Quæ vero tantum ad eius Romæ aduentum spectant: ab Edinero eius peregrinationis comite narrantur; sic tu accipe:

VRB. PAPA EXCIPIT HONORIFICE S. ANSELMVM.

Celebratis dehinc in cœnobio sancti Michaelis Archangeli, quod in monte situm, Cluſa vocatur, Passionis & Resurrectionis Dominicæ solemnijs, in iter reuerti Romam festinauimus. Mirum dictu, pauci atque ignoti per loca peregrini ibamus, neminem agnoscentes, nemini, qui & vnde essemus, innotescentes, & ecce solus Anselmi aspectus in admirationem sui populos excitabat, eumq. esse virum vitæ designabat. Vnde cum iam hospitati etiam inter eos, quorum insidias metuebamus, fuissemus: nonnumquam viri cum mulieribus hospitium intrauere, & vt hominem videre, eiusq. mererentur benedictione potiri, obnixe precabantur. Tali ergo vulgi fauore Romam C
vsque prosequutus, Lateranis, vbi tunc temporis summus Pontifex morabatur, aduenit. Nuntiatur Pontifici Patris aduentus, & ouans iubet illum in parte sui palatij hospitari, & die illo indulgere quieti. Mane confluit ad Papam Romana nobilitas, & de noui hospitis aduentu sermo conseritur. Adducitur cum reuerentia vir in medium, & in qua coram Papa sedeat, sella profertur. Ingressus humiliat se pro more ad pedes summi Pontificis, sed statim ab ipso erigitur ad osculũ eius, sedet, ac pro aduentu illius lætari se Apostolicus cum Romana Curia dicit. Acclamat Curia tertio.

LAVDAT VRBANVS ANSELMVM.

Postremo, silentio facto, multa in laudem hominis Papa locutus est, virum illum virtutis ac totius religionis esse contestans, & quidem, inquit, ita est. Cumq. illum vtpote hominem cunctis liberalium artium disciplinis innutritum, pro magistro teneamus, & quasi comparem velut alterius orbis Apostolicum & Patriarcham, iure venerandum censeamus: ita tamen excellens menti eius humilitatis constantia præsidet, D
vt nec marinis periculis, nec longissimis peregrinæ terræ spacijs terreri potuerit, quin vestigijs beati Petri, nostræ paruitatis ministerio se præsentare, nosq. magis illius, quam illum nostro egentem consilio super causis suis consulendos adire studuerit. Quapropter considerate quo amore, quo honore suscipiendus sit & amplectendus. Hæc cum Anselmus de se, & multo his plura pro sui laude dici audiret (sicut ipsemet sæpe fateri solebat) non parum erubuit, quoniam se talem apud se, qualem a tanto viro prædicabatur, minime cognouit. Verumtamen erat inter verba tacens, decentius fore perpendens ad huiusmodi silere, quam loqui. Post hæc de sui aduentus causa percunctatus a Papa: eo sibi modo narrauit omnia, quo veritatis & discretionis ratio poposcit. Ille audita miratur, & subuentionem plenam pollicetur. Præcepit itaque, vt subuentionis ipsius effectum circa se Anselmus præstolaretur] hæc de Anselmi in Vrbem aduentu Edinerus.

Quod autem Barense Concilium nonnisi ad Kalendas Octobris celebrandum indictum fuit, quid inter hæc sanctus Anselmus egerit, ex eodem Edinero dicendum erit: non enim transegit tot mensium tempus otiosus, siquidem nihil otio Sanctorum operosius. Quonam secesserit æstiuo tempore, ita narrat Edinerus: Verum quia calor æstatis in partibus illis cuncta vrebat, & habitatio Vrbis nimium insalubris, sed præcipue peregrinis hominibus erat, Ioannes quidam nomine, olim monachus Becci, vbi Anselmus fuerat Abbas, tunc autem Abbas cœnobij sancti Saluatoris Telesini, annuente Papa, susceptit eum, vt proprium patrem amice, & duxit in suam villam, Sclauiam nomi-

A nomine, quæ in montis vertice sita, sano iugiter aere, atque tepente, conuersantibus illic habilis extat. Igitur habitatio nostra in montis erat summitate collocata, a turbarum tumultu, instar solitudinis vacua. Quod Anselmus aduertens, & spe futuræ quietis exhilaratus ait: Hic requies mea, hic habitabo. Ad primum igitur conuersationis ordinem, quem antequam Abbas esset, habebat, quemq. se in pontificatu positum maxime perdidisse deflebat, vitam instituit, sanctis operibus, diuinæ contemplationi, mysticarum rerum enodationi die noctuq. mentem intendens. Vnde Chri- ANSELMVS EDIT COMMENTARIVM CVR DEVS HOMO.
stianæ Fidei amore permotus, insigne volumen edidit, quod, cur Deus homo? titulauit, quod opus (sicut in prologo eius ipse testatur) in Anglia cœpit, sed hic in Capuana videlicet prouincia constitutus absoluit] contra Infideles elaboratum esse libruum illum, idem Anselmus in præfatione docet. Quamplurimos ibi fuisse Infideles
B stipendia merentes sub Rogerio Siciliæ Comite in obsidione Capuana, idem qui supra Edinerus, qui videbat, ostendit, eosq. plurimum coluisse Anselmum testatur. Mahometi cultores erant isti, qui nihil auditu magis horrent quam Deum factum hominẽ dici; quos ad Fidem amplexandam ab eo suasos, quominus impleuerint, sæuitia Principis esse prohibitos, idem testatus est Edinerus.

OBSIDIO CAPVANA.

De Capuana obsidione acturus, primo quod ad tempus spectat, Gaufredus monachus, qui tunc temporis res gestas eiusdem Rogerij Comitis scribebat, æque hoc anno millesimo nonagesimoseptimo cõtigisse tradit ipsam obsidionem Capuæ per Rogeriũ Comitem factam; deq. aduentu Vrbani Papæ, ad ipsum componendarũ rerum causa illuc Roma proficiscentis hæc habet: [a] Cum ista aguntur, *de obsidione scilicet Capuæ*, Papa *a Gaufr. lib. 4. cap. 27.*
Vrbanus colloquium Ducis & Comitis desiderans, a Roma progrediens, apud Capuã,
C vbi obsessionem tenebat, venit: Comesq. sex tentoria illi deliberans ad hospitandum, sumptus necessarios abundantissime ministrauit. Porro ille sciens scriptum: [b] Beati pedes euangelizantium pacem. &: [c] Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabũtur. & alibi *b Rom. 10.* *c Matth. 5.*
scriptum est: [d] Pacem habete, & Deus pacis & dilectionis erit vobiscum; & maxime *d 2. Cor. 13.*
quia sciebat, totius Christianitatis curam suæ prouisioni delegatam: de pace inter ipsos reformanda, primo Ducem & Comitem, Principemq. pariter conueniens, attentare cœpit. Qui consilio Comitis, prudenti responsione vsi, in præsentia Apostolici, copia beati Petri, dicunt se ius inire, si a Capuanis pari discrimine idem exequatur, concedũt. Papa infra vrbem idem de Capuanis rescitum vadens, dum ab vtrisque partibus conceditur, spe conficiendæ pacis frustra gaudens, renuntiat: dies disputandi statuitur. His opponentibus, & illis prout sese res habebat, respondentibus, graui syllogismo Ca-
D puanis a iudicibus legaliter cõclusio determinatur. Capuani audientes, se iudicio præuisos grauari: vel oppositione, vel rationabili contradictione contra iudices vsi, publice se iniuriosos ostentantes, exequi vel nolle, vel non posse, denuntiant. Quod audiens vir Apostolicus, & quia hæc ab illis exequendi internuntius fuerat: aliquantulum erubescens, gladio B. Petri animaduertens, interminatur. parti nostrorum ex toto fauendo se contulit; constantiam Comitis in fortia exercendo perplurimũ laudans, vitamq. eius omni cura Romæ & Italiæ perneceſſariam asserens. Nam timor eius plures ab insolentia plusquam zelus honestatis compescebat. Apostolicus itaque ecclesiasticis negotijs, plusquam expeditionalibus exercitijs intentus, totalibus tumultibus mente declinatis, his tribus Principibus, sed & omni exercitui Apostolica benedictione concessa, Beneuentum secessit] pergit auctor de obsidione & deditione reliqua re-
E censere.

S. ANSELMVS IN CASTRIS LABORAT PRO INFIDELIVM CONVERSIONE.

Nos Sanctorum facta prosequamur, quæ tunc contigerunt. narrat ea [e] Edinerus qui *e Edin. in Anselm. lib. 2. apud Sur. die 21. Apr.*
& ipse aderat, in Vita sancti Anselmi, quem tunc contigit vna cum Vrbano Papa in castris versari, de quo ista: Humanitas sancti Anselmi sine personarum acceptione suscipiebat omnes. & quos omnes? Paganos etiam, vt de Christianis taceam. Siquidem nonnulli talium fama bonitatis eius inter suos exciti, mansionem nostram frequentabant, & sumptis ab Anselmo corporalibus cibis, gratiosi reuertebantur, admirandam viri benignitatem suis prædicantes, quam experiebantur. Vnde in tanta deinceps veneratione apud eos habitus est, vt cum per castra illorum, quæ in vnum collocata erant, transiremus, ingens multitudo eorum, eleuatis in cælum manibus, ei prospera imprecarentur, & osculatis pro ritu suo manibus proprijs, etiam coram

Universidad de Deusto
Biblioteca

eo genibus flexis,pro sua benigna largitate grates agendo venerarẽtur. Quorum etiam A
plurimi, velut comperimus, se libenter eius doctrinæ submisissent instruendos, ac
Christianæ Fidei iugo sua per eum colla iniecissent, si crudelitatẽ Comitis sui per hoc
in se sæuituram non formidassent. Nam reuera nullum eorum pati volebat Chri-
stianum impune fieri. Quod qua industria (vt ita dicam) faciebat: nihil mea inter-
est. Deus ipse viderit] hucusque Edinerus.

Sed quomodo ipse Rogerius Comes, dum ad Capuanam persisteret obsidionem,
per sanctum Brunonem Carthusianorum auctorem ei per visum apparentem, a Ser-
gij ducis militum sit liberatus insidijs,cuius rei erga ipsum munificentia factum est,vt
eadem Carthusianorum familia propagaretur latioribus spacijs in Calabria,eiusmodi
[a] Ext. Apud Sur. die 6. Oct. 10.5. tunc scripto [a] diplomate, videamus. sic se habet:

DIPLOMA ROGERII COMITIS DE PERICVLO LIBERATI.

Ego Rogerius diuina misericordia Comes Calabriæ & Siciliæ, nota esse volo omni- B
bus fidelibus Christianis beneficia, quæ mihi peccatori concessit Deus orationibus re-
uerendi mei fratris Brunonis pijssimi patris Fratrum qui habitant in ecclesijs sanctæ
Mariæ de Eremo, & sancti Stephani protomartyris, quæ sitæ sunt in terra mea, inter
oppidum quod dicitur, Stillum & Arenam. Cum essem in obsidione Capuæ Kalen-
dis * Martij, & præfecissem Sergium, natione Græcum principem super ducentos
armigeros nationis suæ,& exercitus excubiarum Magistrum: qui satanica persuasione
præuentus,prius ipsi Principi Capuæ promittenti auri non modicam quantitatem, ad
inuadendum me, meumq. exercitum, noctu aditum pollicitus est se præbere. Nox
proditionis aduenit, Princeps Capuæ eiusq. exercitus iuxta promissum est paratus
ad arma. Dumq. me sopori dedissem, interiecto aliquanto noctis spacio, astitit cubi-
li meo quidam senex reuerendi vultus, vestibus sciissis, non valens lacrymas continere. C
Cui cum in visu dicerem, quæ causa ploratus & lacrymarum esset: visus est mihi du-
rius lacrymari. Iterato quærenti mihi, quis esset ploratus,sic ait: Fleo animas Chri-
stianorum,teq. cum illis simul: Exurge quamprimum, sume arma,si liberare te Deus
permiserit tuorumq.animas pugnatorum.Hic mihi per totum videbatur,velut si esset
per omnia venerabilis pater Bruno. Expergefactus sum cum terrore grandi,pro visio-
ne paueſcens. Ilico sumpsi arma, clamans militibus, vt armati equos conscende-
rent, visionem si vera esset,satagens comprobare. Ad quem strepitum & clangorem
fugientes impius Sergius eiusq. sequaces, subsecuti sunt Principem Capuæ,sperãtes se
in dictam ciuitatem confugium habuisse. Ceperunt autem milites inter vulneratos
& sanos centum sexagintaduos, a quibus visionem fore veram comprobauimus. Re-
uersus sum, Deo volente, vigesimanona Iulij mensis Squillacium, perhabita Capua D
ciuitate, vbi fui per quindenam continuam infirmatus. Venit vero iam dictus ve-
nerabilis Bruno cum quatuor de Fratribus suis, qui me suis sanctis deuotisq. collo-
quijs consolati sunt. Cui reuerendo viro visionem retuli,& humiles gratias egi,qui de
me etiam absente suis in orationibus curam habuisset. qui se humiliter asseruit, non
ipsum fuisse, quem vidi, sed Dei Angelum, qui astat Principi tempore belli. Ro-
gaui quoque ipsum humiliter, vt propterea de rebus meis in terra Squillacensi su-
mere dignaretur largos redditus, quos donabam. Renuens ille, recipere nolle dice-
bat, quod ad hoc domum sui patris, meamq. dimiserat, vt omnino de rebus extra-
neis liber deseruiret Deo suo. Hic fuerat in domo mea quasi primus & magnus.
Tandem vix ab eo impetrare potui, vt gratis acquiesceret sumere modicum munus
meum. Donaui enim eidem patri Brunoni eiusq. successoribus ad habendum in per- E
petuum absque temporali seruitio monasterium sancti Iacobi cum castro, & quam-
plura res & bona alia cum ampliſſimis libertatibus in dictis litteris specifice declara-
tis] hæc Siciliæ Comes Rogerius.

VRBANVS SALERNVM SE CONFERT AD ROGERIVM COMITEM.

Qui non post multos dies ad deditionem Capuanam ciuitatem coegit, prout idem
qui supra Gaufredus enarrat. Interea vero sanctus Anselmus de missione sua ardenti
studio cum Vrbano Papa egit, sed frustra. de eo enim hæc Edinerus: Deinde soluta
obsidione, multa prece Anselmus Papam ad hoc flectere conatus est, quatenus ab
onere pontificali eum absolueret, & quieti liberum vacare concederet. Verum cum
quantum ad effectum, ad nihilum laborasset, fretus benedictione eius Sclauiam re-
uersus est, opperiens tempus Concilij,quod idem Papa apud Barum, Kalendis Octo-
bris

A bris erat celebraturus] quæ autem, dum ibi maneret, digna Apostolico viro ediderit
miracula,& illud præcipuum,cum sitienti populo e rupe aquam eduxit, idem auctor
pluribus narrat. nos vero ex instituto Vrbani Papæ vestigia assectemur.

CONGRESSVS VRB. PAPAE CVM ROGER. COMITE.

Gaufredus monachus,qui tunc ista quæ inspiciebat,& scribebat, his subijcit, Roge-
rium Comitem Siciliæ vna cum Rogerio Duce Guiscardi filio post deditionem Ca-
puæ mox perrexisse Salernum,illucq. ad eum aduenisse Vrbanũ Papam, qui hactenus
Beneuenti rerum euentũ expectans sese continuisset. Quomodo autem ab eo ipse Pon-
tifex acceptus fuerit,ita narrat: Papa vrbem redditam,& pacem inter ipsos factã au- [a] Gaufr. lib. 4. cap. 20.
diens,& gauder de fraude compressa,& de pace confecta. Sed quia Ducẽ & Comitem
Salernum secessisse audiuit, nolens Comitem, donec sibi loquatur, versus Siciliam re-
meare: illorsum accelerat. Veniensq. cum Archiepiscopis apud sanctum Matthæum,
B vt cum debito honore eum acciperet,cum processione præstolatur. Et tamen propter
amicabilem venerationem,quam versus Comitem habebat, primum ad eius hospitiũ
eum amabiliter visum vadit; diuq. eius colloquio vsus, ad processionem quæ præsto-
labatur, suscipiendus accessit. In crastinumq. conuenientes, alter alterius colloquio
cum maxima * dilectione fruuntur] hæc de aduentu Vrbani Papæ Salernum, & de * delectatione
congressu cum Rogerio Siciliæ Comite Gaufredus, qui tunc ibi potuit esse præsens.

Hic Auctor aggreditur serio admodum tractare de male instituta Monarchia Siciliæ occasione diplomatis Vrbani Papæ hoc anno dati Rogerio Siciliæ Comiti.

DE DIPLOMATE AB VRB. PAPA DATO ROGERIO.

C AST quæ sequuntur de priuilegio ab eodem Vrbano Papa ipsi Rogerio Comiti
concesso atque filijs eius heredibus, maxima indigent peruestigatione atque
discussione, quo veritas ipsa elucidata perspicua omnibus fiat,nec amplius
mendacijs circumtecta celetur. Rem plane aggredimur, quæ multipliciter
parere nobis possit inuidiam,atque in nos odium concitare multorũ.Sed summa inde
nobis parta est dicendi fiducia,quod is,ad quem spectat ista corrigere,Rex sit veritatis
amantissimus,iustitiæ obseruantissimus,& in omnibus animo tranquillissimus. Atque
insuper ex eo augetur magis alacritas cum libertate dicendi, quod non contra ipsum
Regem,sed pro ipso (ita dixerim cum [b] S. Ambrosio ad Theodosium) sint a nobis ista [b] Paulin. in Ambros.
tractanda. Pro Rege namque agimus,immo & cum Rege,dum pro veritate, cuius est
cultor,& pro iustitia,cuius est rector,atque pro religione,cuius est custos & defensor,
nos laboramus. Quod & cum a nobis id exigat institutum, tacere non liceat: nos si-
lentes arguerent iure multi, ac objcerent,esse passos aureã anginam Demosthenis.
Qui enim elucidandæ historicæ veritatis ex instituto prouinciam subierimus, atque
D hactenus, quantum nostræ fuit facultatis, indefesso studio, non pœnitendo labore,
pro viribus præstiterimus: quonam modo quæ maximi ponderis esse noscuntur, abs-
que culpa graui præterijsse poterimus intentata,relinquere indiscussa,vel omittere in-
soluta? Aggredimur igitur, Christo præuio, qui est Veritas, veritatem exulantem
postliminio restituere, & obscuratam tenebris in lucem apertissimam vendicare. Ae-
quo,rogo,patiatur animo Lector,si nos in his diutius necessitas detinuerit.

INCONSVLTA NIMIS EDITIO DIPLOMATIS VRB. PAPAE.

In isto quem diximus,Salernitano congressu ab Vrbano Papa datum asseritur diplo-
ma illud amplissimum, super quod, veluti fundamentum immobile, recentem Siciliæ
Monarchiã esse fundatam,atque firmiter stabilitam,asserunt omnes,qui eius sunt pu-
gnacissimi defensores, & inter alios Fazellus Siculus, qui illud ipsum diploma in sua
historia de rebus Siculis,veluti emblema pretiosum intexuit,quod & fecit rerũ Hispa-
E niarum recens historicus; sicq. quod latebat in angulo, perstrepentibus hisce tubis sa-
cerdotalibus in Sicilia altera,altera in Hispania,est diuulgatũ in orbe,quarum clango-
ribus non destruantur mœnia Hierichuntina,sed magis qui in bona voluntate [c] Domini [c] Psal. 50.
sunt ædificati muri Hierusalem: cum bellicum insonuerint, quo excitati sunt plures
pugnare aduersus Ecclesiam,eius expugnare iura,& adimere libertatem, captiuamq.
pati cogere miseram seruitutem. Par erat, prius de ipso,antequam ederent, inuestiga-
re,& a quo sic primum editum,intelligere,& in quam fidem acceptum,cognoscere,&
an integrum, examinare, originem petere, & prototypum, si posset reperiri, consu-
lere: denique vero illud ipsum erroribus purgatum, in candorem pristinum reuoca-
tum, scholijsq. illustratum proferre, atque ita bene mereri de ecclesiastica antiquita-
te. Ista vero prætermisisse, & inemendatum, immo & deprauatum penitus edidis-
se, nec commonuisse Lectorem, quam graue peccatum sit, iudicet ipse Lector, qui
eorum fidem secutus, in Scylleos se delatum vortices non cognouerit, cum ita naui-

Universidad de Deusto
Biblioteca

garit in tenebris, nec nisi admota veritatis face, in quod periclitandus discrimen inductus fuerit, postremo vix sentiat. A

QVOMODO DIPLOMA IN IVDICIVM PRODIIT.

De ipso igitur diplomate nos acturi, quo tempore ipsum, vti scriptum legitur, & quo auctore editum fuerit, primo dicendum; ac deinde, in quam tunc auctoritatem atque fidem acceptum. Rem haud ignotam prodimus, sed iam ore fere omnium perualgatam, ac veram, atque monimentis etiam publicis comprobatam. Tempore siquidem Ferdinandi Regis cognomento Catholici, Siculus quidam, Ioannes Lucas Barberius dictus, anno Domini millesimo quingentesimo decimotertio, egit cum eodem Rege, vt eius auctoritate perquisita vndique antiqua diplomata, eadem in vnum volumen, quod Caput Breuium appellaret, ad regni iura noscenda colligeret. In quo præter alia multa illud, de quo agitur, Vrbani Papæ diploma, vti editum legitur, pariter scripsit; sed sicut cetera, vnde acceperit, verbum nullum. In quem talium inuentorem, vt impostorem, publice conclamatum ab ijs, quorum antiquæ possessiones recens inuentis hisce diplomatibus turbarentur. A quibus & eidem Ferdinando Regi fuit libellus oblatus, quo regia implorabatur clementia, ne in præiudicium plurimorum Barberianæ collectioni fides aliqua adhiberi deberet, nisi de singulis doceretur autographum, quod quisque cum opus esset, consulere posset. quorum iustissimæ petitioni Princeps iustissimus annuit. Porro autem rerum gestarum fides, ne quis de his dubitare aliquo modo possit, expressa habetur, & descripta legitur in libro Capitulorum regni Siciliæ, capite centesimonono, pagina ducentesima vigesimaprima, eademq. per eumdem Ferdinandum Regem confirmata die vigesimaquarta Iunij, tertia Indictione, anno Domini millesimo quingentesimo decimoquinto. Qui enim ista diligenter explorauit & vidit testis fidelis, scriptis nobis tradidit quam fidelissime. Sic igitur, vt euidenter apparet, nullam penitus conciliat diploma editum sibi fidem, nec auctoritatem aliquam sibi vendicat, nisi ex autographo accipiat eam. Prouocandum igitur ad prototypum, ex cuius fide pendet huius auctoritas atque veritas: quod cum numquam hactenus factum sciatur, vt ei credatur in rebus præsertim magni momenti, nihil prorsus est quod cogat, vel aliquo modo suadeat. B C

DIPLOMA QVOD VRBANI ASSERITVR INCOGNITVM MAIORIBVS.

Vis videre, Lector, atque perspicue intelligere, istud ipsum quod est editum Vrbani diploma, aliud omnino atque diuersum esse ab eo, quod datum est Salerni ab eodē Vrbano Papa Rogerio Siciliæ Comiti? accipe perspicuam de his rationē. Cum sæpe contigerit, aduersus Apostolicam Sedem Siciliæ Reges de Ecclesiæ & Regum iuribus altercari: vtique ex eodem diplomate facessere negotium ipsi, si ita vt se habet, extitisset, minime prætermisissent; vsiq. eo fuissent, vt nunc vtuntur, tamquā potentissimo telo. Sed cum nusquā vel leuis sit mentio, ipsum citatum, vel nominatum aliquando, plurimis, vt id facerent, occasionibus exigentibus: vtique dici posse videtur, ipsum haud eiusmodi fuisse, vt nunc describitur, Ecclesiæ Romanæ iuribus aduersarium. Cur, inquam, non eo vsus Rogerius Rogerij huius filius, cum aduersus Innocentium & Eugenium ageret de iuribus Romanæ Ecclesiæ in regno Siciliæ? Cur non huius nepos, Guillelmus, cum aduersus Hadrianum Quartum de ijsdem iuribus misceret litigia & contentiones? Cur non alij horum successores regni eiusdem? Cur nec ipsi tyranni prætensionum audacissimi ac pertinacissimi defensores? omittimus de reliquis dicere, quorum nec vnus quidem vsque ad Carolum Quintum ostendi poterit citasse illud vti causæ suæ proficuum testimonium. Sed iam istud ipsum diploma quale sit, vti nunc cusum legitur, hic describamus. sic se habet: D E

VRBANI PAPÆ ASSERTVM DIPLOMA.

Vrbanus Episcopus seruus seruorum Dei charissimo filio Rogerio Comiti Calabriæ & Siciliæ salutem & Apostolicam benedictionem.

Quia prudentiam tuam supernæ Maiestatis dignatio multis triumphis & honoribus exaltauit, & probitas tua in Sarracenorum finibus Ecclesiam Dei plurimum dilatauit, * & sanctæ Sedi Apostolicæ deuotam se multimodis semper exhibuit: nos in specialem atque charissimum filium eiusdem vniuersalis Ecclesiæ te assumpsimus. Idcirco de tuæ probitatis sinceritate plurimum confidentes, sicut verbis promisimus, ita litterarum auctoritate firmamus: Quod omni vitæ tuæ tempore, vel filij tui Simonis, vel alterius, qui legitimus tui heres extiterit, nullum in terra potestatis vestræ, præter voluntatem aut consilium vestrum, Legatum Romanæ Ecclesiæ statuemus. Quinimmo quæ per Legatum acturi sumus, per vestram industriam, Legati vice, cohiberi volumus. quando ad vos ex latere nostro * mitteremus ad salutem * sanctarum eccle-

* *al.* sanctæq.

* *al.* misterimus
* *al.* videlicet

A siarum, quæ sub vestra potestate * consistunt, ad honorem beati Petri, sanctæq. eius Apostolicæ Sedis, cui deuote hactenus obedisti, quamq. in necessitatibus suis strenue & fideliter adiuuisti. Si vero * celebratur Concilium, & tibi mandauero, quatenus Episcopos & Abbates tuæ terræ mihi mittas: quos & quot volueris * mittes; alios vero ad seruitium ecclesiarum tuarum * retineas. Omnipotens Deus actus tuos in beneplacito suo dirigat, & te a peccatis absolutum in vitam æternam perducat. Datum Salerni per manus Ioannis sanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconi, tertio Nonas Iulij, Indictionis septimæ, anno Pontificatus nostri vndecimo] hactenus diploma.

* *al.* existunt
* celebrabitur
* mittas
* & ad tutelam

DIPLOMA DEPRAVATVM IN TEMPORIS CONSIGNATO

Quod quidem toties abrogatum fuisse oportuit, quoties inter ipsos Romanos Pontifices atque Siciliæ Reges de his constat fuisse transactum; vt cum inter Rogerium atque Eugenium Papam ita est concordatum, quod nullum Legatum mitteret in Siciliā B Pontifex, nisi quem Rex ipse peteret; non autem vt Rex ipse Legati Apostolici vicem teneret, quod ab Vrbano fuisse concessum, asseritur. quod constat ex Romani Senatus epistola ad Conradum Regem Romanorum, quam recitat Otto [a] Frisingensis Episcopus eius temporis auctor. At de alijs transactionibus initis in fauorem Romanæ Ecclesiæ, inferius dicturi sumus.

[a] *Otto Frising. in Friderie. lib. 1. c 28.*

Sed antequā vlterius procedamus: corrigamus primo errorē illapsum in tempus. Nā cum constet diploma datum esse Salerni, & aduentum Vrbani illuc hoc ipso anno contigisse, exploratissimum sit testificationibus eius temporis Scriptorum omnium, quos recensuimus: vtique signatū ipsum oportuit Indictione nō septima, sed quinta, neque anno vndecimo Vrbani Papæ, sed decimo. confirmantur ista eo validius, quod nō anno sequenti, quo annus vndecimus Vrbani Pontificis numeratur, qui in diplomate scribi- C tur, potuit datum esse diploma. nam eo tempore, anno sequenti scilicet, non Salerni, vbi datum legitur, sed Romæ constitit Vrbanus ad celebrandum Concilium, vt suo loco patebit: neque post sequentem annum, quo signata in diplomate septima currit Indictio: nam eodem pariter anno, eo tempore non Salernum, sed Roma Vrbanum tenuit pariter in alio celebrando Concilio, vt intelliges suo loco. Sic igitur quæ depraua ostendimus, sunt in diplomate corrigenda. cum tamen non adeo scueri exactores simus, vt ob eiusmodi librariorum vitia illapsa, velimus idem diploma reijcere.

QVANDO ET A QVO DIPLOMA IN AVCTORITATEM ACCEPTVM.

At istud ipsum, quidquid sit, & quale sit, a nobis nuper recitatum diploma scias, vti oraculū cælitus lapsum, in plenissimam fidem acceptum atque in fundatione Monarchicæ molis fundamentū positum esse. Horrescit auditus, vt explosum sententia Ferdinandi, cuius nullū extaret quod ostendi posset autographum, nullius esset auctoritatis assertum Vrbani Papæ diploma. illud ipsum sub eius successore Carolo Quinto Imperatore bellicis rebus intento, Principe inuictissimo, tūc in regno Siciliæ opera Aduocati Fiscalis, vti quidpiā diuinum in sublime attolleretur, præconijs laudaretur, summoq. plausu exciperetur, & vt lapis angularis faciens vtraque vnum, temporali simul & spirituali iuncta auctoritate, noua, hactenus in Ecclesia Catholica inaudita constituta fuerit Monarchia. Sic itaque cum de his est agitatū consilium, Consiliarios fefellit iniquitas religionis obducta velo, dum seruandum proponitur, quod Papa sanctissimus, Vrbanus Secundus sacro diplomate statuisset; cui aduersari nefas duceretur, diceretur & impium. Prætensa igitur Apostolica auctoritate, contra Apostolicam ipsam Sedē grande piaculū perpetratur, dum ipsa inconsulta Apostolica Sede, eius in regno Siciliæ potestas labefactatur, auctoritas abrogatur, læditur iurisdictio, & cum ea leges E violantur ecclesiasticæ, patiturq. dispendiū antiqua traditio, atque demum, vt ipsa erigatur in Sicilia Monarchia, iura omnia Ecclesiæ dissipantur. Nomen hactenus inauditū tunc proclamatur infaustum, adscribitur chartis, & memoriæ perpetuæ consecratur iam regijs cusum typis, & Imperatorio promulgatum edicto. ita abusi ministri illi nomine tanti Imperatoris, vt tantum nefas auderent. Siquidem anno Redemptoris millesimo quingentesimo vigesimosexto die septima mensis Decembris datum legitur edictum Caroli Quinti nomine potius quam voluntate, de confirmatione Pandectarū impressi voluminis, in quo asseritur Monarchia, atque ipse seorsum scriptus legitur liber, qui inscribitur, Monarchia, omnium regni Consiliariorum subscriptione munitus, cuius autographum asseruatur in Siciliæ Cancellaria, ex quo exemplaria duo describta dicuntur, quorum alterum fertur ad Regem missum, alterum vero ad Aragonense Consilium datum. Qui se vidisse testatur, vir pius, scriptis retulit ista: D

QVAM CONTINEAT MONARCHIA.

Sed & quæ sibi iura eadem vendicet Monarchia, dicendum. Quod enim auctoritate

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vrbani Papæ diplomatis ipsum Rogerium Siciliæ Comitē atque eius heredes Legatos A
a latere constitutos omnino velint: omnes pariter successores Reges in Siciliæ regno
Legatos natos esse contendunt, eosdemq. omnia, quæ sunt Legatorum a latere, efficere posse confirmant: immo & substituendi potestatem habere cum eadem auctoritate, nimirum, vt iudicare & punire possint, absoluere & excommunicare quos velint, laicos, monachos, clericos, etiam ecclesiastica dignitate Prælatos, Abbates, Episcopos, & Archiepiscopos, immo & S. R. E. Cardinales ibi degentes eidem Monarchiæ subditos esse velint. Eiusdem quoque Monarchicæ esse facultatis, appellationes ad sanctā Sedem Apostolicam impedire, Nuntios eiusdem sanctæ Sedis non admittere, atque demum respectu ecclesiasticæ iurisdictionis, neque ipsam Apostolicam Sedem recognoscere & habere superiorem, nisi in casu præuentionis. ista sunt quæ Vrbani auctoritate diplomatis Reges in Sicilia velint sibi licere. Quid tu ad ista dixeris Lector, nisi B
sub vocabulo Monarchiæ, præter monarcham vnum, quod vnicum caput visibile in Ecclesia a Fidelibus omnibus semper est cognitum atque cultum, aliud in monarcha Siciliæ obortum, aliud superinductum, pro monstro & ostento caput Ecclesiæ, in qua non amplius, vt semper antea vnus, sed duo audiantur, scribantur, legantur esse monarchæ, ac duo insuper in ea deformiter ostentari capita?

DE IPSO NOMINE MONARCHIAE.

At quod ad ipsum in primis nomen spectat: quomodo post quadringentos triginta annos a tempore dati ab Vrbano Papa diplomatis, quod numquam a pijs Regibus, nec a tyrannis ipsis Romanæ Ecclesiæ perduellibus, neque ipsis acerbissimis Romanæ Ecclesiæ persecutoribus Friderico, filio, atque nepotibus eiusmodi Monarchiæ nomen vsurpatum vllatenus reperitur: recens natum inuenitur superinductum? potuitne tot sæculis intra viscera latuisse parentis, vt nonnisi hoc postremo tempore tantum pareretur ostentum? Exhorruit semper Catholica Ecclesia, assueta seruare quod antiquitus traditum, voces nouas, nisi cum ad nouas profligandas hæreses, noua ipsam oportuit excogitasse remedia, custodiens in Timotheo Pauli depositum, ita scribentis ad C
eum: a [O Timothee, depositum custodi, deuitans profanas vocum nouitates] hinc inquam, vt serpentis sibilos, consueuit Ecclesia Catholica nouas huiusce modi audire, atque horrescere voces, & execrari. Et quomodo ipsa patietur istam, quæ aduersatur custoditæ mordicus in Ecclesia vnitati? Si vna est consensu Fidelium omnium in Ecclesia a tempore Euangelij promulgati monarchia, nec alteram superinduci ab illa, quæ Christi ore nosci tur stabilita, ad Petrum tantum, non ad alium quempiam, Apostolorum ista dicentis: b [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam] & ad eumdem post resurrectionem: c [Pasce agnos meos, pasce oues meas] D
vmquam passi sunt Orthodoxi: quomodo hodie infaustum nomen, vox infelix, altera auditur in Ecclesia monarchia?

a 1. Tim. 6.

b Matth. 16.

c Ioan. 21.

ABOLENDVM OMNINO NOMEN MONARCHIAE.

Quod si dixerint, non est dicenda ista altera monarchia, eum pendere istam dicamus ab illa, dum eam auctoritate diplomatis Pontificij vēdicamus: & nos hoc ipsum dicimus, si non est altera, sed vna cum ea; vtique non altera dicenda est monarchia, sed vnicum relinquendum, seruandum, & custodiendum Monarchiæ nomen est illi, quod ipsi impertitum a Christo, in ea solum semper sunt venerati Fideles. Si igitur auctoritate diplomatis Pontificij id vobis iuris quæsitum contenditis (ministros illos Regios compello) cur plusquā concessum sit illo, vobis sumitis in nouitate vocabuli? Demus, quod dicitis, Vrbanus voluit Reges Siciliæ esse Legatos natos a latere: numquid diplomate sanxit, eos dicendos esse monarchas? nequaquam. Magna quidem inter E
vtramque vocem est differentia. Cum autē plures sint hodie in Ecclesia Catholica nobilissimarum ecclesiarū Antistites, qui ex vero certoq. priuilegio Apostolicæ Sedis Legati nati obtinēt dignitatem: num ex eo aliquis eorum ausus est aliquando sese appellare monarcham? minime gentium. Quamobrem etsi non alia ex causa, vel ex hac saltem succidendum est nomen adulterinū, ne tali exemplo propagetur in alios: alioqui in Ecclesia Dei, in qua nonnisi vnus possit esse monarcha, monarcharum silua (horrendum dictu) succresceret infamia sempiterna primatus Romanæ ipsius Ecclesiæ. At hæc, quod ad nomen ipsum, dicta satis, res autem ipsas ad examen modo reuocemus.

Quonam iure, qua ratione ex eodem Vrbani Papæ superius recitato diplomate tanta vobis sumpsistis, vt ex eo, Legatos a latere, itemq. natos, atque demum monarchas effectos Reges omnes Siciliæ dicere præsumpseritis? Esto, concesserit ista Rogerio eiusq. filijs Vrbanus Papa: numquid heredibus cunctis, & successoribus omnibus esse

concessa, affirmare poteritis? nullo modo. recitentur eadem verba Pontificis: sic se habent:

A

Quod omni vitæ tuæ tēpore, vel filij tui Simonis, vel alterius, qui legitimus tui heres extiterit, nullū in terra potestatis vestræ &c.] En quam cautissime Papa voluit expressisse personas, quibus illud concederet priuilegium. expressit enim Rogerium patrem, Simonem filium, & alterum filium, si extiterit ipse heres. Duo namque Rogerio Comiti erant filij, Simon maior natu, atque Rogerius, quem voluit expressisse voce illa, alterius; quod quidem nomen non de pluribus, sed de vno ex duobus dumtaxat dici, sciunt omnes, qui Latinas litteras didicerunt. Sic igitur cautum, vt filios illos duos Rogerij priuilegiū non excederet. Quomodo ergo deducitis ad heredes omnes? quomodo adhuc insuper, cum heredes Rogerij omnino defecerint, trahitis etiam ad successores omnes? Vbi de heredibus omnibus, & successoribus aliqua inest mentio in diplomate? quod quidem, cum id præstari voluerint Romani Pontifices, expresse conscribi, exacte notari, dilucide poni, minime prætermisisse noscuntur.

VRB. DIPLOMA NON EXCEDIT FILIOS ROGERII COM.

B

At quid amplius? etiam si expresse Vrbanus Pontifex ea concessisset omnibus heredibus atque etiam successoribus omnibus Rogerij Comitis: adhuc tamen ea ipsa nullo modo deduci potuisse ad Carolū Quintum, hac apertissima ratione firmamus. Quod cum plurima extent Pontificum Romanorum diplomata, quibus sunt collatæ Inuestituræ de regno Siciliæ diuersis Regibus, atque in eis disertis verbis reuocentur cuncta sigillatim, quæ aduersus ecclesiasticam immunitatem quoquo modo sint præsumpta: plane nihil est, vt aduersus tot Pontificum documenta, de quibus sigillatim inferius fiet mentio, istiusmodi diploma aliquid sibi vendicare possit auctoritatis.

VRBANI PAP. DIPLOMA SAB PIVS REVOCATVM.

C

At nec quod prætenditur, vllo pacto concesserim, per Vrbani diploma creatum Legatum a latere fuisse Rogerium ipsum, atque filios eius. hæc vt plenius cognoscantur, eiusdem hic Papæ diplomatis verba sunt reperenda, quæ sic se habent: Nullum in terra potestatis vestræ, præter voluntatem aut consilium vestrum Legatum Romanæ Ecclesiæ statuemus. Quinimmo, quæ per Legatum acturi sumus, per vestram industriam Legati vice cohiberi volumus] quis ista perlegens, non percipiat ex verbis eius, non legationem a latere concessam esse Rogerio, sed eum vicem Legati implere voluisse, & in his tantum cohibendis, quæ per Legatum Apostolicæ Sedis cohibenda forent? Alijs namque formulis, ijsdemq. plenioribus, atque adeo specificis consueuisse concedi ab ipsis Romanis Pontificibus legationes a latere, nemo ignorat, qui eiusmodi lectionibus assueuit.

VICES LEG. AGERE ROGERIVM IVSSVM, AB VRB. PAPA.

D

Præterea non perpendunt, quanta ab ipsis irrogetur iniuria Vrbano Pontifici, cum velint ea cōcessisse ipsum Vrbanum Rogerio, quæ per Reges huius temporis male aduersus ecclesiastica iura, vniuersa Ecclesia Catholica scandalum patiente, exercentur: cum in vendicandis Ecclesiæ iuribus ab vsurpatione laicorum, idem sanctissimus Pontifex nulli reperiatur fuisse secundus, sed inter primos eiusmodi zelo exæstuātes claros Romanos Pontifices numerandus; quiq. ijs ipsis temporibus vixerit, quibus iugiter certandum erat pro his ipsis aduersus inuasores Romanæ Ecclesiæ iurium. In quibus laboribus obeundis, quæ eiusdem Vrbani Pontificis partes fuerint, docent quæ de eo sunt enarrata per annos singulos Pontificatus eius, quorum causa Concilia adeo frequentia indicenda, peregrinationes assidue ab ipso obeundæ fuere, scribiq. ad diuersos epistolas frequenter oportuit; ne vel latum vnguem præiudicium inferri sineret
E ecclesiasticæ immunitati. Potuitne tanta concessisse Rogerio, quorum partem aliquam tantum si Imperatori Henrico ferocissimo Ecclesiæ persecutori cessisset, pacem proculdubio vniuersalis Ecclesiæ redemisset, & tot tantisq. cladibus afflictam diutius Ecclesiam liberasset? Si quid igitur vulneris fuisset infligendum Ecclesiæ: plane pacis vniuersalis causa comparandæ, & pseudopontificis propulsandi tolerandum vtique fuisset illud: sed prius cuncta pati, quam quid minimum Ecclesiæ iurium imminui decreuit animo Vrbanus Papa, quod & dum vixit, effectu ipso egregie præstitit, nihil magis sollicite curans tota ipsa sui Pontificatus functione, nihil studiosius tractans, vel cupidius satagens, quam ne quid minimum Ecclesiæ iurium sibi sæculares Principes vendicarent. Nam audi, quæ de Vrbano ipso eiusdem temporis Scriptor dicat Domnizo.

VENDICATVR VRB. PAPA AB IRROGATA INIVRIA.

Numquam decreuit libertas denique Sedis

Roma-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Romanæ per eum] hæc ipse in vita Mathildis, citata sæpe superius. Immo audi Vrbanum ipsum ita rescribentem ad Rudolphum Comitem: [a] Nosse te volumus, quia nulli sæcularium domino potestatem in clericos habere licet: sed omnes clerici Episcopo soli esse debent subiecti. Quicumque vero aliter præsumpserit: canonicæ proculdubio sententiæ subiacebit] sed & eodem argumento scriptam ab eo ad Salernitanum Clerum & populum breuem epistolam legito. sic se habet: A

[a] *Tuo. part. 6. cap. 408.*

VRBANVS IN OMNIBVS DEFENSOR ECCL. IMMVNITATIS.

Vrbanus Episcopus seruus seruorum Dei dilectis filijs Clero & populo Salernitano salutem & Apostolicam benedictionem.

Lanzonem presbyterum, qui ecclesiam sanctæ Mariæ per manum laicam inuasit, expulso eo qui legitime possidebat: noueritis sententia nostra officio & beneficio interdictum. Omnes præterea, qui ecclesias, vel ecclesiastica beneficia, aut capellanias sine Episcopi sui consensu, per manum laicam obtinuerint; donec satisfaciant suo Episcopo secundum sanctorum canonum constituta, ab officio & beneficio interdicimus] hæc ex monimentis Salernitanæ ecclesiæ, quæ in Vaticana bibliotheca asseruantur. quæ quod certo careat anno quo data sunt, hic voluimus descripsisse, cum ceteris ferme annis singulis Pontificatus eius res gestæ ab ipso hæc de eo latius prædicent. B

PROCVL AB VRBANO PRODITIO ECCLESIAE IVRIVM.

An potuit, quæ tanto labore ædificauit tot annis, vna hora in congressu illo Salernitano cum Rogerio Vrbanus Pontifex destruxisse, vt secundum illud Apostoli: [b] Si quæ destruxi, iterum hæc ædifico; præuaricatorem me constituo] ipse turpiter præuaricationis nomine fuerit arguendus, si tanta diplomate illo, quanta isti proferunt renouata per recentes Reges Siciliæ, Rogerio ac posteris concessisset? Absit, absit, longe longius, inquam, proculq. absit, vt Monarchiæ illius dicatur Vrbanus erector, ædificatorq. turris Babel in contumeliam Dei, & opprobrium Apostolicæ Sedis; cuius plane non ædificatorem sed destructorē se dum vixit, semper Vrbanus exhibuit, qui & nunc de cælo in ipsam Fidelibus clamet illud Dauidicum: [c] Exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea] vtpote quæ ipsis eam erigentibus, atque tuentibus æternum exitium pariat, in cuius tantum ruina spes sit eorum ad salutem erectionis. Sed & in Concilio vniuersali Romæ sub eius successore Paschali Pontifice celebrato, ab vniuersa Synodo acclamatum est eidem Vrbano Pontifici, vti iurium Ecclesiæ acerrimo vindici defensori atque propagatori; idq. sæpius factitatum, prout suo loco, hoc Tomo dicetur; quod profecto fieri minime potuisset, si erectorem Monarchiæ Siculæ posse dici modo aliquo contigisset. C

[b] *Gal. 2.*

[c] *Psal. 130.*

DETEGITVR DIPLOMATIS DEPRAVATIO.

Sed quid detineo vltra Lectorem, & non cito detego aduersantium malas artes, qui non vt se habuit, ipsum verum, germanum, legitimum, in omnibus integrum ediderunt diploma; sed mutilatum, decurtatum, atque corruptum in omnibus, quibus iura Romanæ Ecclesiæ salua essent, exhibuerunt ipsum? Agimus immensas Deo gratias, quia cæcitate percutiens illos, qui manu sacrilega sacrum diploma Pontificis in pluribus mutilarunt, non fuit eos videre illa, quibus istiusmodi per eos patratum scelus aperta luce, certa probatione, atque euidentissimo argumento probari posset. si enim vidissent, atque considerassent; quis dubitet, idipsum ab eis, eadem falce adhibita falsitatis, fuisse peractum? Quemnam putas, ad hæc probanda adhibituri simus testem? illum ipsum ex aduersantium domo petitum, ab ipsis iure laudatum, receptum, probatum, cui nec sit quod obijci possit, quippe qui hoc eodem tempore vixit, & scripsit historiam Siculam, eodem ipso (vt profiterur) expostente Rogerio Comite, de quo agitur. nominatus est iste Gaufredus, professione monachus Benedictinus, cuius opus antiquitate ipsa plane venerandum delituit pene sepultum inter vetera monimenta Regum Aragonum ad nostram vsque ætatem; cum illud ipsum Hieronymus Surita, vir celebris, de rerum antiquitate bene merens in lucem protulit, ediditq. Cæsaraugustæ typis Dominici a Portonarijs, anno salutis millesimo quingentesimo septuagesimooctauo, idemq. munitum adhuc & laudatum Regio priuilegio (ne quid ad absolutissimam fidem eius deesse posset) dedicatum vero Antonio Augustino tunc Archiepiscopo Tarraconensi, eruditione legum sacrarum suæ ætatis in Hispania facile principi. D

OCCASIO APERTVR CONCEDENDI PRIVILEGII.

Hic ipse auctor a nobis superius citatus eadem occasione congressus Vrbani Papæ cum Rogerio Siciliæ Comite, acturus de eiusmodi priuilegij cōcessione, facta ab Vrbano Pontifice ipsi Rogerio, ista petendi eiusmodi præcessisse sic narrat [d] occasionem: E

[d] *Gaufr. lib. 4. cap. 19.*

Sed

Sed quia ipse Apostolicus iam dudum Robertum Episcopum Trainensem, Comite inconsulto, Legatum in Sicilia ad exequendum ius sanctæ Romanæ Ecclesiæ posuerat, perpendens hoc Comitem graue ferre, & nullo modo, vt stabile permaneat, assentire: cognoscens etiam, ipsum Comitem in omnibus negotijs ecclesiasticis exequendis zelo diuini ardoris exferuescere: cassato quod de Episcopo Trainensi fecerat, legationē beati Petri super Comitem per totam Siciliam, vel habendam hereditaliter ponit, ea discretione, vt dum ipse Comes aduixerit, vel aliquis heredum suorum zeli paterni ecclesiastici executor superstes fuerit, Legatus alius a Romana Sede, ipsis inuitis, nullus superponatur] hæc ipse. quæ plane integra vt vidisti, in ipso recitato superius diplomate continentur. A

QVAE EX DIPLOMATE SINT DOLOSE SVBLATA.

Sed quæ malis artibus, & dolo malo de eo sint dempta, quæ in eo contineri, idem ipse testatur, iam demonstremus, atque nos hic, honoris causa redditæ postliminio diu exulis veritatis, grandiusculis litteris describamus, sic se habent: B

SED SI QVA ROMANAE ECCLESIAE IVRIS EXEQVENDA FVERINT, †CHARTVLIS A ROMANA SEDE IN SICILIAM VEL CALABRIAM DIRECTIS, PER IPSOS CONSILIO EPISCOPORVM EARVMDEM PROVINCIARVM AVTHENTICE DEFINIANTVR.] ista sunt quæ manus audax ad sacrilegium prompta abstulit a recitato Papæ diplomate. quæ tanti noscuntur esse momenti, vt si ista restituantur in ipsum, nullum penitus videas irrogatum damnum per eam concessionem priuilegij Rogerio factam iuribus Apostolicæ Sedis, cum sit his verbis illi integrum reseruatum, vt cum opus esse iudicauerit Papa, ministros suos in Siciliā mittat causas vrgentes cognoscere; qui, & si ita placuerit ipsis, Episcopos ad Synodum congregent, quorum consilio ipsorum sententia expectetur. Talia igitur, tantaq. e diplomate subduxisse, quanti reatus fuerit, iudicent omnes. C

† Chartularijs, necessario legendum, cum paulo post dicat, per ipsos

Porro istud ipsum, vt pro tuendis iuribus Romanæ Sedis post huiuscemodi priuilegium ab Vrbano Rogerio impertitum, vsu frequentauerint Romani Pontifices mittere in Siciliam ministros, cum opus fuerit, certum esse: certo exemplo monstratur de Vrbani ipsius successore Paschali Papa, qui legitur misisse Apocrisarios in Siciliam ad exigenda Apostolicæ Sedis iura, dum ab Archiepiscopo Panormitano præstari iubetur iuramentum fidelitatis sanctæ Apostolicæ Sedi. extant de his eiusdem Paschalis Pontificis litteræ, quas Gregorius Nonus intexuit inter [a] Decretales a se collectas epistolas. habes ex his igitur, & quod ex diplomate demptum fuerat restitutum, & quod fuit in eo declaratum eiusdem Vrbani Papæ successoris exemplo, vt nihil sit, quod de his desiderari vlterius possit. D

[a] *c. significasti. extr. de elect.*

ALIA ADHVC EX DIPLOMATE SVBLATA.

At non hic finis latrocinij expilati diplomatis. aperiantur cetera, vt restituatur in integrum tantopere passa damnum veritas ipsa. subijcit idem Gaufredus auctor, de his dicere, quæ post hæc eodē ipso diplomate continerentur, sic pergens: Quod si Episcopi ad Concilii inuitati fuerint: quot & quos ipsi Comiti vel suis futuris heredibus visum fuerit, illuc dirigant] hæc integra sunt conseruata in textu, sed quæ fuit addita limitatio ab Vrbano, penitus sublata noscitur, quæ mox ab eodem Gaufredo fide sincera ita subijcitur: NISI FORTE DE ALIQVO IPSORVM IN CONCILIO AGENDVM SIT IN SICILIA VEL CALABRIA *IN PRAESENTIA SVA AVTHENTICE DEFINIRI NEQVIVERIT] En quanta istā, quæ dolosus artifex in gratiā Principum abstulit, similis illi de quo in Psalmo: [b] Sicut nouacula acuta fecisti dolum] abradens a diplomate, quæ sibi ad concinnandam quam moliretur fraudem, viderentur esse contraria. Qui enim visus est indulsisse Vrbanus Papa Rogerio, vt vocatos ad Concilium Episcopos, quos vellet retineret vel mitteret, cum superaddidit: Nisi forte de aliquo ipsorum in Concilio agendum sit] plane significauit, quod ipsi esset liberum, cum vellet, Siculos & Calabros Episcopos ad dicendam causam vocare ad Apostolicam Sedem, cum videlicet (vt subdit) ipsorum causa in Sicilia vel Calabria authentice in præsentia sua definiri nequiuerit] nam quid est quod ait: Authentice definiti non posse? nisi canonice, secundum leges ecclesiasticas terminari? quæ prohibent Principes cognoscere & iudicare causas Episcoporum, quibus quidem casibus causæ Episcoporum, quæ agitari authentice, vt ait, coram Principe sæculari non possunt, ad Sedem Apostolicam sint deferendæ. En vi- E

* VT

[b] *Psal. 51.*

des

Universidad de Deusto
Biblioteca

des Lector, quanta subtraxerit,& quanti momenti veterator(quisquis fuerit ille) quæ A
si in locum suum restituantur; fient etiam integra vna cum diplomate Sedis Apostolicæ iura, & Vrbani Papæ laudanda prudentia erit, quod ita indulserit roganti Comiti, vt tamen voluerit Romanæ Ecclesiæ iuribus in omnibus esse consultum.

DETESTATIO FACTI SCELERIS.

Quis ista considerans,non exclamet. O fraudem solemnem, Cornelia lege plectendam! quam non timuit,in quam peccauit qui ista adeo enormia ad conciliandam sibi Principum gratiam perpetrauit,cum descriptum mox ab eodem auctore ac redditum ipsum integrum Vrbani Papæ diploma, vt profitetur, cum ijsdem haud dubium per ipsum assertis sententijs, turpiter mutilauit, dum in ipso diplomate apud Gaufredum edito desiderentur eædem ipsæ sententiæ, paulo ante ab eodem auctore,qui vidit & descripsit, integre, vt vidimus, recitatæ. Quando autem admissum portentosum adeo scelus,& a quo fuerit perpetratum adeo pudendum facinus, haud adeo exploratum B
habemus vt possimus asserere: verum illos minime vacare culpa, libere dicimus, qui ex eodem Gaufredo illud ipsum diploma describentes, atque edentes, sententias illas ab eodem superius recitatas describere penitus prætermiserint,quarum vel saltem meminisse debuerãt. Siccine bona fide res acta,vt ad Monarchiam construendam oportuerit prius ita destruere Vrbani Papæ diploma, & ita ipsum reddere mutilatum? cum in promptu esset resarcire iacturam, & sublata fragmenta coniungere, ab eodem Gaufredo suppeditata,deq. his monere Lectorem,atque ita bene mereri de prodita veritate? quo nomine ab vnoquoque legentium immortales gratiæ fuissent agendæ. Agimus vero nos iterum Deo gratias, qui sic, cum ipse sit Veritas, patrocinium suscipit veritatis,vt dementet fraudulentos, nec permittat facere cuncta, quæ velint, C
cum voluit Vrbani Papæ diploma illibatum & integrum in Gaufredo mansisse, dum ab eo ipsius describitur argumentum, atque sententiæ recitantur: quod postea, vt vidisti, eo modo manus fraudulenta corrupit, & malus artifex mutilauit.

QVOMODO RECIPIENDVM VRBANI DIPLOMA.

Quod si integrum ipsum reddatur, prout ab ipso Pontifice noscitur esse datum, restitutis in ipsum clausulis illis atque sententijs per Gaufredum verbis totidem recitatis: tantum abest, vt a nobis reijciatur, vt exosculemur illud, vtpote sanctissimi Pontificis monumentum, quo magna cautela ita Principi voluerit satisfactum, vt tamen Apostolicæ Sedis immunitati nihil passus sit esse detractum. Tantum,inquam, abest, vt restitutum ipsum integrum, esse Vrbani genuinum, negare velimus; quin potius parati simus ostendere aliud id genus priuilegium ab alio Romano Pontifice, eodemq. Vrbano non impare, alij Christiano Principi esse concessum; sed nec per ipsum Apostolicæ Sedis iura esse sublata,vt aliqua super ipsum erecta fuerit Monarchia, D
sicut super ipsum Vrbani datum Rogerio factum apparet. Qui enim post Vrbanum Secundum successit tertio loco Callistus Papa Secundus; quiq. in vendicandis, & extorquẽdis de manu Imperatoris abreptis ecclesiasticis iuribus,summã præ omnibus suis antecessoribus sibi gloriam comparauit: post celebratum ab ipso Rhemense generale Concilium,congressu habito cum Henrico Anglorum Rege, quid petierit Rex ab eo, & quid concesserit ipsi Callistus, sic in Annalibus Anglorum Rogerius narrat, quod & nos inferius suo loco ponimus: Rex a Papa impetrauit, vt omnes consuetudines, quas pater suus in Anglia & Northmannia habuerat, sibi concederet, & maxime, Vt neminem aliquando Legati officio in Anglia fungi permitteret, si non ipse, aliqua præcipua querela exigente, quæ ab Episcopis regni sui terminari non posset, E
hoc fieri, a Papa postularet] hæc ipse. Quibus plane nihil derogatum scitur Apostolicæ Sedis iuribus, quia maioribus exigentibus causis, ab Ecclesia Romana legationes in Angliam fuerint frequentatæ, eædemq. decenti cultu a Regibus Anglorum exceptæ, prout declararunt euenta. At sicut his non contradicimus, ita nec reijcimus Vrbani diploma, si reddatur integrum, & non,vt est demonstratum, tot sententijs mutilatum.

Sed nec est, quod verba Gaufredi, quæ in diplomate scripta fuisse docet, aliquis in alium sensum conuertere iure possit, vt nullum eidem concessioni afferat præiudicium: nam vel ex eo tantum, quod e textu ablata noscuntur; ipsum delictum arguit malam fidem,& contrariam ipsis veritatem magis insinuat. Sed & ipsa narrata nuper Paschalis Papæ legatio in Siciliam missa, quæ sunt dicta, declarat eo modo esse intelligenda; nempe vt cum in Sicilia de iuribus Apostolicæ Sedis agitur conser-

A conseruandis; tunc esse liberum Romano Pontifici Carthularios, quos ipse Paschalis nominat Apocrisarios, illuc pro arbitrio mittere. Quænam verborum interpretatio poterit esse verior, certiorq. probari ea, quam ipso vsu experientia comprobauit? nimirum dum mox post Vrbanum a successore Paschali vidimus factitatum, quod faciendum eius diplomate cautum erat.

Iam igitur patefacta fraude, & ostenso ipso diplomate vitiato, adulterato, deprauato,atque corrupto;& quod ita vt est editum corruat penitus & non subsistat: plane necesse est, vt ingens ista moles erectæ desuper Monarchiæ magno fragore ruat, si res iure agitur & non violentia. Quod existimare nefas de Rege Catholico maxime pio, Christianæ religionis cultore studiosissimo, Fidei orthodoxæ custode vigilantissimo, atque potentissimo defensore; quem & libentissime scriptionis huius nostræ arbitrum B
constituimus, probe scientes,a iustissimo Principe non nisi iusta fore præstanda.

QVAE ALIA AD PROBANDAM MONARCHIAM INDVCANTVR.

Quod vero præter eamdem Vrbani asserram epistolam adhuc alia quædam eademq. leuissima pro Monarchiæ Siciliæ firmitate in medium afferuntur: hic eadem sunt conuellenda. Dicunt enim, reperiri nonnulla Siciliæ Regum diplomata, in quibus ab ijsdem Regibus legatur anathematis sententia promulgata aduersus eos, qui ea quæ ipsi iussissent, non implerent, sed euerterent. Siquidem in Cancellaria regni Siciliæ de omnibus regijs patronatibus liber collectus est, qui continet donationes ab ijsdem Regibus in diuersas ecclesias, atque monasteria collatas: ad quarum finem hæ vel his similes formulæ legantur appositæ, quæ excommunicationem videantur inferre, videlicet: Si quis hanc nostram donationem infregerit, anathemate condemnetur, vel auctoritate Apostolica anathemate damnetur, itemque: cum Iuda C
traditore partem habeat, & alia his similia, quæ velint isti ab eis appositæ auctoritate legationis Apostolicæ Sedis, qua Reges Siciliæ (vt nugantur) Vrbani Papæ fungerentur auctoritate.

EXECRATIONES APPONI SOLITAE AB VNOQVOQVE.

Potuissent fortasse isti eiusmodi exemplis suadere simplicibus quod conantur; verum qui antiquarum formularum ex inspectione eiusmodi a diuersis solitarum fieri donationum notitiam habet, ridebit ista, cum vix aliquod sit reperiri instrumentum eiusmodi donationum, quæ siue a Principibus, siue a priuatis vtriusque sexus fieri solerent hominibus, in quibus eædem formulæ non legantur, & interdum atrociores: quæ quidem non sententiam continent (vt putant) excommunicationis ecclesiasticæ, quæ ab Episcopis infligi solet in subditos,sed imprecationes potius ad deterrendũ eos, qui aliquid contra præscripta moliri tentarent. Sunt de his superius diuersis in locis in D
recitatis eiusmodi diplomatibus exempla parentia: quin etiam in eodẽ ab illis scripto codice aliæ diuersorum priuatorũ, quæ ibi sunt scriptæ,locis pijs factæ donationes cõtinent easdem omnino imprecationes:vt liberum fuisse quibuscumque,videatur, eiusmodi apponere formulas imprecatorias anathematis aduersus eos, qui moliri aliquid aduersus ea, quæ illi statuerent, conarentur. Adde his insuper,non solum in eiusmodi scribi solitis diplomatibus asseri ista, sed etiam a nonnullis consueta fuisse apponi sepulchris, vt violatores absterrerent. quorum exempla habes superius recitata, vt inter alia sepulturæ Theodini subdiaconi: SI QVIS PRAESVMPSERIT HVNC TVMVLVM VIOLARE, ERIT ANATHEMATIS VINCVLIS INNODATVS] & in ecclesia sancti Gregorij Romæ ad Cliuum Scauri erat in absside, fracto tamen lapide, cuiusdam Anastasij Lectoris epitaphium, in cuius fine E
habetur: SI QVIS HINC ABSTVLERIT SEPVLCHRVM, SIT EXCOMMVNICATVS ET DAMNATVS IN INFERNVM, ET HABEAT PATREM CVM CAIN ET IVDA TRADITORE. Et in principio Tomi huius in epitaphio sepulchri cuiusdam Ioannis in fine: NEMO SVVM, NEC ALIENVM CORPVS SVPER ME MITTAT. QVOD SI HOC PRAESVMPSERIT, SIT MALEDICTVS, ET IN PERPETVVM ANATHEMATE CONSTRICTVS] En vides, an ista ex functione legationis Apostolicæ ponerentur a Regibus vt anathema, vel potius imprecationes ad terrorem ab vnoquoque pro arbitrio in qua vellent prohibitione vsurpari solerent.

ABBAS PANORM. IN AVCTORITATEM ADDVCITVR.

Sed inspiciamus cetera, quæ ad roborandam iam sua sponte collabentem Monarchiam afferunt. Abbatis Panormitani celebris canonici Iuris interpretis sententiam

Universidad de Deusto
Biblioteca

descriptam proferunt in suo ipsorum Monarchiæ libro, quæ est: Liceat Regi ex longa A
consuetudine appellationes eorum, qui ad Sedem Apostolicam prouocant, impedire] Quam tamen postea dicitur declarasse, vt intelligi debeat, quando non esset tutus accessus ad Apostolicam Sedem, vel tempore schismatis, tunc Regi licere de appellationibus ad Apostolicam Sedem cognoscere: sicq. respondisse Abbatem tempore Alphonsi Regis sub Martino Papa Quinto, cui Rex valde esset infensus. cuius declarationis exemplũ non scribitur in dicto Monarchiæ libro, sed reperitur in Abbatia dicta Nouæ lucis in eodem regno posita, & in aliquibus alijs monasterijs.

At tanti æstimantur responsa prudentis, vt illa in legem accipiantur, qualiacumque sint? eo præsertim tempore, cum idem Abbas Panormitanus colligeret cum schismaticis aduersus Catholicæ Sedis Antistitem? quis vmquam aduersus Ecclesiam testimonium accepit hostis Ecclesiæ? Si ista sapuit, immo si sic desipuit Abbas; B
quomodo in commentarijs, quos elaborauit, & edidit, ista non defendit, atque probauit?

REX ALPHON. MONARCHIAE INSTITVTOR.

Addunt præterea Alphonsi Regis eiusdem exempla, quod eiusmodi ad Papam impediret appellationes. at quid? Num erunt accipienda pro lege, quæ Rex contra id quod iurasset periurus, percitus furore facere aliquando voluisset? dum & perentibus, & rogantibus Siculis, ne appellationes ad Apostolicam Sedem eiusmodi (quod Rex facere cœperat) per magistratus laicos cognoscerentur, sed per ecclesiasticos Prælatos potius: Rex eorum petitionibus annuit, datis anno Domini millesimo quadringentesimo quadragesimosexto de hoc litteris. Cuius petitionis extat exemplum, & legitur ibidem Rescriptum Regis periuri. At quænam fortiora contra Alphonsum Regem afferri possunt, quam diplomata eiusdem Regis, cum inuestituram accepit ab Eugenio Papa Quarto, data anno superiori a dicto Rescripto, nempe millesimo C
quadringentesimo quadragesimoquinto? Extat in Vaticana bibliotheca inuestituræ ei ab Eugenio Papa Quarto factæ exemplar in libro priuilegiorum Romanæ Ecclesiæ, & alio codice, qui apud nos existit, quod sic incipit: Cum sanctissimus dominus noster Eugenius diuina prouidentia Papa Quartus, anno a Natiuitate Domini nostri IESV Christi millesimo quadringentesimo quadragesimotertio Idibus Iulij, Pontificatus sui anno tertiodecimo &c.] vbi inferius ista habet de appellationibus libere dimittendis ad Apostolicam Sedem, præter alia multa de immunitate ecclesiastica libera conseruanda:

Omnesq. etiam causæ ad forum ecclesiasticum in regno, & terra prædictis pertinentes, libere & absque vllo impedimento agitabuntur, tractabuntur, & ventilabuntur coram Ordinarijs, & alijs ecclesiasticis iudicibus, & terminabuntur per eos. Et si ad Sedem Apostolicam super huiusmodi causis appellari contigerit; tam appellantes, quam appellati ad eamdem venire Sedem pro appellationum prosecutionibus libere & absque inhibitione aliqua permittentur] hæc ibi de appellationibus ad Sedem Apostolicam libere deferendis, per eumdem Regem solemni iuramento firmatis. & quidem in Inuestitura facta de ipsa Sicilia & terra citra Pharum, ratificata ab eodem Alphonso: cuius ratificationis hoc est exordium:

Ego Alphonsus Dei gratia Rex Siciliæ plenum homagium ligium & vassallagium faciens vobis domino meo Eugenio Papæ Quarto & Ecclesiæ Romanæ pro regno Siciliæ, & tota terra ipsius, quæ est citra Pharum vsque ad confinia &c.] In fine vero bullæ aureæ eiusdem Alponsi Regis hæc de tempore dati diplomatis E
atque loco: Datum Neapoli apud maiorem ecclesiam per manus nostri prædicti Regis Alphonsi, anno a Natiuitate Domini millesimo quadringentesimo quadragesimoquinto, die vero secunda mensis Iunij, octauæ Indictionis, regnorum nostrorum trigesimo, huius vero Siciliæ & terræ citra Pharum, anno regni vndecimo] hæc ibi. Quid igitur his aduersans citatur Rescriptum Alphonsi, datum anno sequenti, contentum capitulo trecentesimo nonagesimoseptimo, pag. cxxviij.? Nam ore suo periurus esse conuincitur atque præuaricator, vt qui ea ipsa, quæ iuramento promiserat, rata habuerat, firmauerat que, peierando destruxerit, atque præuaricando impie dissiparit. En quale instituendæ principium Monarchiæ. Quod quidem nomen, quo significatur, sub vno eodemq. dominio Regum Siciliæ iunctam simul spiritualem, ac sæcularem auctoritatem & potestatem, vt insolitum, nec vsurpatum fuisse a tyran-

nis,

A nis, manifestis Romanæ Ecclesiæ perduellibus, vt Friderico & eius filijs, nec ab inuasoribus eiusdem regni, vt Petro vel alijs, satis constat; cum tamen res ipsa sæpius per tyrannidem atque inuasionem fuerit pertentata, vt ex his quæ sumus dicturi, patebit.

QVIS FVERIT PRIMVS AVCTOR MONARCHATVS SICILIAE.

Si quis enim antiquiora abolenda vestigia eiusmodi Monarchatus curiosius indaganda putauerit; plane inueniet, non Vrbani, vel alterius alicuius Catholici Antistitis inuentum esse, sed (si coniecturæ aliquid deferendum) primum auctorem fuisse schismaticum Papam, non Christi, sed Antichristi Vicarium, Petrum, Leonis, non Columbæ filium, eumdemq. contra Innocentium Secundum legitimum Ecclesiæ Romanæ Pontificem ex aduerso sedentem, dictum pulchro nomine (vt sic deciperet populum) Anacletum. Iste enim, vbi Pontificatum arripuit violenter, vt contra legitimum Pontificem, eiusq. fautores prævalere aliquo modo posset, quo minus iusta cau-
B sa polleret, eo amplius potentia sæculari sese studuit roborare, communireq. aduersus Romanos præsertim, quos erga Innocentium sciret esse procliues: magnoq. sibi fore existimans adiumento, si Northmannos, Northmannorumq, Principem sibi coniungeret; nihil prætermisit officij vel obsequij, quibus Rogerium, Rogerij superioris filium, qui tunc non Siciliæ tantum, sed dominaretur Apuliæ, atque Calabriæ, conciliaret sibi amicum, & constitueret defensorem. Quamobrem vbi Sedem inuasit, nihil antiquius habuit, quam vt ad demerendum hominem eidem quæcumque præstaret; sicq. eum ex Comite Regem constituit: cui & inter alia illud quoque concessit, vt si-
cut laicis, ita & clericis, Abbatibus, Episcopis, & Archiepiscopis, qui in eius ditionis prouincijs essent, dominaretur, ac sic esset re ipsa, si non nomine, Monarcha vnus Chri-
C stianorum, vtriusque ordinis, laicalis, & clericalis. Id quidem eiusdem temporis auctor, quiq. ea videbat quæ scripsit, testatur Petrus diaconus Cassinensis: qui tamen intentus rebus eiusdem monasterij conscribendis, cetera obiter tantum attigit, non tamen incognita prætermisit: deq. his agens, hæc breuiter habet: Defuncto Honorio, electi sunt Gregorius diaconus Cardinalis sancti Angeli in Papam Innocentium, & Petrus presbyter Cardinalis sancti Callisti in Anacletum. Anacletus autem aliquantulum tempus in Vrbe permanens cum Episcopis & Cardinalibus, qui sibi parti fauebant, ad ciuitatem Pisanam perrexit, Conradum Sabinensem Episcopum vicarium in Vrbe relinquens.

[a] Petr. diac. Chron. Cass. lib. 4. c. 99.

ANTIPAPA ARCHITECTVS MONARCHIAE

Petrus autem Cardinalis Rogerio Duci Apuliæ coronam tribuens, & per priuile-
D gium Capuanum principatum & Ducatum Neapolitanum cum Apulia, & Calabria, & Sicilia illi confirmans, Regemq, constituens, ad se attraxit, præcipiens vt Episcopi, & Abbates, qui in suæ ditionis solo manebant, ei obtemperarent] hæc tantum de his Petrus, ad res Cassinates stylum reuocans. Qui quidem cum ista tantum ex omnibus, quæ in diplomate essent, expresserit: aliquid specialius indicasse voluit per ea verba, præter communem ex Apostolicis iussis debitam Regibus obseruantiam; quod tacuit auctor æque schismaticus, nullam eumdem laudandi Rogerium prætermittens occasionem, quem tamen S. Bernardus, cum opus fuit eius meminisse, absque regio titulo nominat tantum [a] Ducem Apuliæ, [b] tyrannum Siculum, atque vsurpatorem coronæ regiæ. Sed & quænam fuerint ista singula, quibus Anacletus subiecit Rogerio vniuersum ordinem ecclesiasticum, plane intelliges, cum ea reuocata a Romanæ Ecclesiæ Pontificibus, recitanda inferius audies. Mercimonio igitur possidendæ Sedis, quam inuaserat Anacletus, ingressus in ouile ouium nonnisi vt fur, qui mactet & perdat, quælibet cuique petenti concedere consueuit, si promitteret, quod sibi
E in schismate inhæreret. quod sancti Bernardi testantur epistolæ, [c] qui etiam de Rogerij nundinaria Monarchia hæc ad Guillermum Comitem Pictauiensem Aquitaniæ Ducem nomine Ducissæ Burgundiæ: [d] Habet tamen, *Anacletus scilicet*, Ducem Apuliæ, sed solum ex Principibus, ipsumq. vsurpatæ coronæ mercede ridicula comparatum.]

[a] Bern. ep. 127. 129. [b] Id. epist. 130. 139. 140.

[c] Idem ep. 126.

[d] Id. 127.

FAZELLVS NOLVIT VERVM MONARCHIAE SICILIAE AVCTOREM DETEGERE.

At ista adeo verisimilia eiusdem temporis Scriptoribus consignata vel non nouit, vel nosse dissimulauit ipse Fazellus, ne Monarchiæ auctorem (vt erat) pseudopapam assereret; qui vt ista sibi adeo aduersa vitaret, inextricabiles plane mendaciorum quæsiuit anfractus. Nam non solum ista de collata Rogerio ab Anacleto in ecclesiasticos potestate penitus tacuit; sed etiam ad ista vitanda, nequaquam vna cum Innocentij creatione simul ortum schisma Petri Leonis ponit (quod omnes absque controuersia

Universidad de Deusto
Biblioteca

siue veteres, siue recentiores affirmant) ipsumq. schismaticum Papam Anacletum A
obortum, sed longe postea, nec antea, nisi vbi est auditus ipse Innocentius ab eodem
Rogerio detineri captiuus. hos sinuosos oportuit lubricum anguem excogitasse re-
flexus, ne si recta via serperet, in Antipapam ipsum offenderet, atque quod nollet, co-
geretur asserere, Anacletum ipsi auctorem fuisse regni Monarchici, ex laicis, clericisq.
compacti. Vides, Lector, quam male meritus inueniatur de historica veritate Fazel-
lus, nihil magis conatus, quam Monarchiæ vanæ fauendo ecclesiasticam libertatem
alta scrobe relinquere sepultam, dum in eius fauorem non solum quod non esset om-
nino, Vrbanum Papam vitiato diplomate eius demonstrauit auctorem, sed qui reuera
dici potuisset eius inuentor Antipapa ille, Antichristi successor, minister satanæ, caput
schismatis Anacletus, ne proderetur, ipse adeo prodidit veritatem? Vt exhorrescere
quisque Catholicus debeat sub huius capitis membrum annumerari. B

At quid post hæc actum? nisi quod male ortum, malum accepit occasum, ex ad-
uerso sententia illa Christi vigente, & in perpetuum feriente: [a] Omnis plantatio, quam
non plantauit Pater meus, eradicabitur] & insuper quod præconio diuinæ sapientiæ
in Ecclesia iugiter intonatum Fidelium omnium aures pulsat: [b] Adulterinæ planta-
tiones, siue spuria vitulamina non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum
collocabunt. & si in ramis in tempore germinauerint, infirmiter posita a vento com-
mouebuntur, & a nimietate ventorum eradicabuntur: confringentur enim rami in-
consummati, & fructus illorum inutiles & acerbi ad manducandum, & ad nihilum
apti] ita plane accidit, vt per falsum agricolam male plantata arbor infelix nequa-
quam altas radices emiserit, licet patrocinio Regum aliquantisper frondescere visa sit.
Etenim etsi peculiare Regibus sit, vt per fas & nefas semel parta amittere nolint, sed
tueri velint; tamen non eo vsque contentio est progressa, vt non cesserint iussionibus
Romanorum Pontificum, sed sicut Rogerius, qui accepit, ita Vuillelmus filius eius
successor, licet ad tempus restiterit Hadriano Quarto Romano Pontifici, tamen ei-
dem sunt in omnibus obsecuti. Testes omnium istorum adducimus publica moni-
menta, hæc ipsa testantia, diplomata inquam Innocentij Papæ Tertij, sæculi sequen-
tis fine conscripta, quibus cuncta, quæ facta sunt in illam vsque diem, quam fidelissi-
me elucidantur. Atque in primis satis aperte, fide integra intelligitur, quid in prima
inuestitura, facta Vuillelmo Rogerij filio, post eius obitum ab Hadriano Papa fuerit
concessum in destructionem vanæ Monarchiæ, inani studio per Antipapam Anacle-
tum erectæ. Nam etsi illa ipsa facta ab Hadriano Vuillelmo inuestitura non reperia-
tur, sed tantum, quæ petijt ab eo præstari Vuillelmus; tamen quod extet inuestitura
Innocentij Papæ ad instar illius facta, idem plane est, ac si ipsa Hadriani inuestitura
integra haberetur. D

Hæc vt, Lector, accipias, scire debes, Rogerium, qui talem Monarchiam accepit ab
Anacleto, anno Redemptoris millesimo centesimo trigesimo, peruenisse ætate vsque
ad annum millesimum cētesimum quinquagesimumquartum, ipsoq. mortuo, filium
ipsius Vuillelmum successisse in paternum regnum, atque inuestituram quæsisse ab
ipso Hadriano eius nominis Quarto Romano Pontifice: cuius causa haud fuit leuiter
altercatum, expetente illo litteris suis ab Hadriano inuestituram conditionibus val-
de iniquis, ac fortasse ijsdem, quibus Rogerius pater regnum accepisset ab Anacleto.
At licet Legati ab Hadriano ad eum pacis causa missi visi sint ex parte aliqua his, E
quæ petierat, concessisse: Hadrianus tamen omnino resilijt, nec inuestituram conce-
dere voluit cum infamibus conditionibus illis, quibus Monarchia illa male composi-
ta per schismaticum Papam subsisteret, sed alijs plane contrarijs. qualis autem ista
fuerit, mox auditurus eris. Siquidem post tumultuarios Reges, absque inuestitura
regnantes, anno Redemptoris millesimo centesimo nonagesimonono, cum Constan-
tia Imperatrix atque Regina Siciliæ, defuncto viro Henrico Imperatore, sibi, filioq.
paruulo Friderico inuestituram quæreret ab Innocentio eius nominis Tertio nuper
creato Pontifice, concessit ille ipsis eam ad instar illius, quam Vuillelmo Regi concef-
serat Hadrianus. quod idem ipse Innocentius testatur in ipsius inuestituræ diploma-
te. Adeo vt qui legerit idem Innocentij Papæ diploma, quale illud fuerit olim ab Ha-
driano Vuillelmo Regi concessum, intelligat, & lectione vnius noscat vtrumque.

Quam-

[a] *Matth. 15.*

[b] *Sap. 4.*

CITO DEFECIT MALE PLANTATA MONARCHIA SICILIAE.

DE HADRIANI PAPAE INVESTITVRA CONCESSA VVILLELMO REGI.

A Quamobrem hic ipsum tibi describendum operæ pretium existimauimus. Extat ip-
sum in Registri epistolarum Innocentij tomo primo, Romæ cuso anno Redemptoris
millesimo quingentesimo quadragesimotertio apud Priscianum Florentinum. sic
enim se habet: [a]

[a] *To. 1. Regist. Innoc. ep. 412. lib. 1. pag. 203. a*

Constantiæ Imperatrici gloriosæ Reginæ Siciliæ ac charissimo filio Friderico illu-
stri Regi Siciliæ, eorumq. heredibus in perpetuum.

INVESTITVRA CONCESSA AB INNOC. PAPA CONSTANTIAE ET FILIO.

Super gentes, & super regna diuina prouidentia constituti, vt euellamus noxia, &
salubria cum Propheta plantemus; sic ad vniuersas prouincias nostræ considerationis
aciem extendere volumus, & circa eas piæ sollicitudinis studium exercere, vt sopitis
turbinibus tempestatum, quas parit mater diuersitas, seruent ad inuicem mutuæ cha-
ritatis affectum. Porro specialiter, & præcipue specialem ac præcipuam sollicitudi-
B nem circa regnum Siciliæ nos conuenit adhibere, quod in Apostolicæ Sedis seruentius
hactenus deuotione permansit. Ad quod etiam inclytæ recordationis Rogerij quon-
dam patris Vuillelmi, fratris, & Vuillelmi nepotis tuorum Regum Siciliæ, filia Impe-
ratrix, grata memoria nos inducit, qui in Apostolicæ Sedis, ac prædecessorum nostro-
rum dilectione firmius persistentes, ab eius non potuerunt vnitatis firmitate dinelli;
quin tanto fortius in ipsius obsequio permanerent, quanto aduersus eam se amplius
impetus extolleret tempestatis. Hac igitur consideratione diligenter inducti, ac cre-
dentes, quod prædictorum Regum vestigia regia serenitas in deuotione ac obsequijs
imitetur: vobis & heredibus vestris (qui, sicut dictus Rex Vuillelmus quondam frater
tuus felicis memoriæ Hadriano Papæ prædecessori nostro exhibuit; nobis & succesio
ribus, & Ecclesiæ Romanæ fidelitatem & hominium exhibere, ac quæ subscribuntur
C voluerint obseruare) concedimus regnum Siciliæ, Ducatum Apuliæ, principatum
Capuæ cum omnibus pertinentijs suis, Neapolim, Salernum, Amalphiam cum perti-
nentijs suis, & alia quæ vltra Marsiam habere debetis, & reliqua tenimenta, quæ te-
netis, a prædecessoribus vestris, hominibus sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ iure deten-
ta, & contra omnes homines adiuuabimus honorifice manu tenere.

Pro quibus omnibus coram venerabili fratre nostro Ottone Episcopo Ostiensi, Apo-
stolicæ Sedis Legato, quem ad iuramentum tuum, filia Imperatrix, recipiendum trans-
misimus, fidelitatem nobis, nostrisq. successoribus, & Ecclesiæ Romanæ iurasti, sicut
continetur in duobus similibus Capitularibus, quorum vnum penes te sigillo nostro,
alterum penes nos sigillo tuo signatum habetur, firmiter repromittens, quod quia CAPITVLARIA MVTVO CONSIGNATA.
D præsens præsenti hominium debet exhibere: quandocumque nos & successores nostri
te in aliqua parte regni, quam secure possis adire, ad nostram præsentiam vocaueri-
mus, reuerenter accedes hominium præstatura, nisi certum impedimentum, aut ne-
cessitas euidens interueniat, quibus cessantibus, sine fraude venias ad ligium homi-
nium faciendum. Cum autem tu, fili Rex, fauente Domino, ad legitimam ætatem
peruenieris: nobis ac successoribus nostris, ac Ecclesiæ Romanæ fidelitatem, & ligium
hominium exhibebitis. Censum vero sexcentorum squifatorum de Apulia & Cala-
bria, quadringentorum vero de Marsia, vel æquialens in auro, vel argento vos ac he-
redes vestros statuistis Ecclesiæ Romanæ soluturos, nisi forte impedimentum aliquod
interueniat, quo cessante census integer persoluetur.

Electiones autem secundum Deum per totum regnum canonice fiant de talibus
E quidem personis, quibus vos ac heredes vestri requisitum a nobis præbere debeatis
assensum.

Vt autem hæc quæ supra diximus, tam nostro, quam successorum nostrorum tem-
pore perpetuam obtineant firmitatem, nec vestris, nec heredum vestrorum tempori-
bus alicuius valeant præsumptione turbari: nos ea de consilio & voluntate fratrum
nostrorum auctoritate Apostolica confirmamus, & valitura in perpetuum præsenti
pagina communimus, & tam a nobis, quam a successoribus nostris, perpetuis tempo-
ribus statuimus obseruanda. Nulli ergo &c.] vsque ad verbum, Indignationem in-
currat: ream se diuino Iudicio de perpetrata iniquitate cognoscat &c.] in modum
priuilegij: Cunctis autem prædicta seruantibus &c.] ita in codice edito, sicq. nulla
prorsus mentio, vt concesserit Regi, quæ reuera ab Antipapa Rogerius obtinuisset,
vel ab Vrbano Papa per mutilatum illud diploma asseritur consecutus. Sed ista
sunt reuera (vt audisti) quæ Innocentius Constantiæ & Friderico filio concessit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

præter hæc autem nihil. Quænam autem in duobus illis, quorum meminit Innocentius Papa, Capitularibus continerentur, proxime auditurus eris, vbi prius dixerimus, quomodo his (vt vidisti) firmiter constitutis, nouæ petitioni Constantiæ idem Innocentius adhuc satisfaciendum putauit, nimirum, vt quæ ieiune nimis de electionibus faciendis in diplomate recitato continerentur, paulo fusius ab eodem Pontifice explicarentur. Cum ei annuens idem Pontifex, diploma, quod ordine sequitur, scripsit, quod incipit: Nec nouum, nec iniustum existit &c.] vbi inferius hæc de electionibus continet:

a Innoc. lib. 1. ep. 413. pag. 204. 2. DE ELECTIONIBVS FACIENDIS.

Quantum cum Deo, & nostra possumus honestate, deferre velimus, salua iustitia & ecclesiarum canonica libertate, petitionibus vestris assensum facilem exhibere. Ne igitur vlla de cetero inter nos & successores nostros, & vos & heredes vestros super electionibus dissensio suscitetur, modum faciendæ in posterum electionis præsentibus curauimus litteris explicare: in quibus sic in multis regiæ serenitati deferimus, vt libertatem Ecclesiæ non lædamus.

Sede vacante, Capitulum significabit vobis & vestris heredibus obitum decessoris: deinde conuenientes in vnum, inuocata Spiritus sancti gratia, secundum Deum eligent canonice personam idoneam, cui requisitum a vobis præbere debeatis assensum, & electionem factam non different publicare. Electionem vero factam, & publicatam denuntiabunt vobis, & vestrum requirent assensum. Sed antequam assensus regius requiratur, non inthronizetur electus, nec decantetur laudis solemnitas, quæ inthronizationi videtur annexa. Nec, antequam auctoritate Pontificali fuerit confirmatus, administrationi se vllatenus immiscebit. Sic enim honori vestro volumus condescendere, vt libertatem canonicam obseruemus, nullo prorsus obstante Rescripto, quod a Sede Apostolica fuerit impetratum] hæc de electionibus faciendis. Quæ omnia seorsum, datis litteris Apostolicis, idem Innocentius Papa innotescenda curauit omnibus Archiepiscopis, & Episcopis, atque vniuerso denique inferiori Clero Siciliæ regni. quas litteras, quod contineant illa etiam, quæ in assertis superius Capitularibus scripta erant, hic tibi verbatim curauimus describendas. sic se habent:

INNOCENTII PAP. LITTERAE APOST. AD SICILIAE EPISCOPOS.

Archiepiscopis, Episcopis, & alijs ecclesiarum Prælatis, & vniuerso Clero in Sicilia constituris.

Si charissimæ in Christo filiæ nostræ Constantiæ Imperatrici Reginæ vna cum charissimo filio illustri Rege Siciliæ in multis gratiam fecimus specialem: non est ab aliquibus in admiratione ducendum, cum regnum Siciliæ ad ius & proprietatem Ecclesiæ Romanæ pertineat, & in eius fidelitate perstiterit, ac permanserit vnitate. Nostis enim, qualiter inclytæ recordationis Rogerius, Vuillelmus, & Vuillelmus Siciliæ Reges illustres in Apostolicæ deuotionis fere semper permanserint firmitate; qualiter prædecessores nostros fuerint humiliter venerati; qualiter etiam in Ecclesia Romana post Deum suæ spei posuerint & gaudij fundamentum, & in ea, & per eam se crediderint exaltari. Nostis etiam, qualiter prædecessores nostri Romani Pontifices Reges ipsos, ac regnum Siciliæ quadam semper prærogatiua dilexerint, & ad augmentum ipsius, vtpote quod peculiare, sicut est, & proprium reputabant, intenderint & quietem. Quia vero quantumcumque velimus eorum honori deferre; libertatem canonicam & honestatem ecclesiasticam intendimus obseruare. Ne igitur vlla de cetero inter nos, & successores nostros, & prædictam Imperatricem & eius filium, Siciliæ Regem illustrem, vel heredes eorum super electiones denuo dissensio suscitetur, quæ hactenus inter Ecclesiam & regnum rancoris cuiusdam & indignationis fomitem ministrabant: modum faciendæ in posterum electionis, præsentibus curauimus litteris explicare; in quibus sic regiæ serenitati deferimus, vt libertatem ecclesiasticam non lædamus. Sede vacante Capitulum &c.] prout in superioribus litteris, ad Constantiam & filium datis sunt descripta de electionibus faciendis. quibus recitatis, vel ex parte, quæ ad rem spectarent, sic pergit describere quæ superius nominauit Capitularia.

Ideoq. vniuersitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, & districte præcipimus, quatenus cum aliquam ecclesiarum vestrarum pastore vacare contigerit, secundum præscriptam electionis formam, omni gratia & timore postpositis faciatis, nec contra eam aliqua præsumptionis occasione venire. Alioquin electione taliter facta, dili-

diligenti discussione præhabita, dante Domino infirmare curabimus, & eligentium transgressionem animaduersione debita castigare.

Volumus etiam nihilominus, & mandamus, vt de cetero ad Romanam Ecclesiam libere, cum opus fuerit, appelletis, & interpositis ad nos appellationibus, curetis humiliter & deuote deferre. CAPITVLARIA CONTRA MONARCHIAM SICILIAE.

Nos etiam quoties necessitas postulauerit, Apostolicæ Sedis Legatos ad vos curabimus destinare, qui, quæ plantanda sunt plantent, & euellant quæ fuerint euellenda: quorum obediatis monitis & præceptis: nullo prorsus in omnibus præscriptis capitulis obstante priuilegio, quod a Sede Apostolica fuerit impetratum.

Vt autem quæ præscripta sunt, apud vos nulla possint obliuione deleri, mandamus atque præcipimus, quatenus formæ litterarum ipsarum ad perpetuam memoriam in maioribus ecclesijs transcripta seruetur] posthæc in codice ista subduntur:

In eumdem modum Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus & vniuerso Clero in Apulia constituto] scriptum est scilicet. atque hactenus Capitularia, primū (vt audisti) ab Hadriano Papa præscripta Vuillelmo Rogerij filio, deinde ad instar illius concessionis ab Innocētio repetita in inuestitura facta Constantiæ & filio Friderico, quibus quæ concessisset Vrbanus de non mittendis Legatis, & alijs, audisti sublata. Atque quis putet, eumdem Fridericum adhuc puerum inuitum his consensisse, puberem vero factum resiliisse: hic describendam putamus Auream bullam, quam post annos quatuordecim, nempe Redemptoris millesimo ducentesimo decimotertio dedit, acceptam ipsam ex libro priuilegiorum Romanæ Ecclesiæ, quam etiam scriptam inuenimus in alio codice, qui inscribitur liber Censuum, hisce verbis: BVLLA AVREA FRIDERICI CONTRA MONARCHIAM.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Amen. Fridericus diuina fauente clementia Romanorum Rex & semper Augustus & Rex Siciliæ.

Regnum nostrum tunc stabiliri confidimus, cum Altissimum, de cuius manu ea quæ possidemus, bona recepimus, honoramus. Tanto enim Domino, qui bona tribuit nobis, ad offerendas hostias operis & deuotionis astringimur, quanto ipsum misericordem in nobis & mirabilem experimur. Cognoscentes igitur gratiam, quæ data est nobis ab ipso: habentes quoque præ oculis immensa & innumera beneficia veta est nobis ab ipso: habentes quoque præ oculis immensa & innumera beneficia vetera nostra felicis memoriæ Constantia Imperatrix & Siciliæ Regina ex ipso quasi vtero nos iactauit: vobis, beatissime pater, & omnibus successoribus vestris Catholicis, sanctæq. Romanæ Ecclesiæ speciali matri nostræ omnem obedientiam, honorificentiam, atque reuerentiam semper humili corde, ac deuoto spiritu impendimus, quam prædecessores nostri Reges & Imperatores Catholici vestris antecessoribus impēdisse noscūtur: nihil exinde volentes diminui, sed magis augeri, vt maior deuotio enitescat.

Illum igitur volentes abolere abusum, quem quidam prædecessorum nostrorum exercuisse dignoscuntur, decretum in electionibus Prælatorum: concedimus, & sancimus, vt electiones Prælatorum libere & canonice fiant, quatenus ille præficiatur ecclesiæ viduatæ, quem totum Capitulum, vel maior & sanior pars ipsius duxerit eligendum, dummodo nihil desit ei de canonicis institutis.

Appellationes autem in negotijs & causis ecclesiasticis ad Sedem Apostolicam libere fiant; earum persecutionem siue processum nullus impedire præsumat.

Illum quoque dimittimus & refutamus abusum, quem in occupandis bonis decedentium Prælatorum, aut etiam ecclesiarum vacantium nostri consueuerunt antecessores committere pro motu propriæ voluntatis. Omnia nos spiritualia vobis & alijs ecclesiarum Prælatis reliquimus libere disponenda, vt quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ Dei Deo recta distributione reddantur.

Super eradicando autem hæreticæ prauitatis errores auxilium dabimus & operam efficacem.

Possessiones etiam, quas Ecclesia Romana recuperauit, ab antecessoribus nostris, seu quibuslibet alijs ante detentas, liberas & quietas sibi dimittimus, & ipsam ad eas obtinendas bona fide promittimus adiuuare. Quas vero nondum recuperauit, ad recuperandum erimus pro viribus adiutores: & quæcumque ad manus nostras deue-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nient, sine difficultate ac mora eas restituere satagemus. Ad has pertinet tota terra, A
quæ est a Radicosano vsque Ceperanum, Marchia Anconitana, Ducatus Spoletanus,
terra Comitissæ Mathildis, Comitatus Bertinorij, Exarchatus Rauennæ, Pentapolis,
Massa Trebaria cum adiacentibus terris, & omnibus alijs ad Romanam Ecclesiam
pertinentibus cum omni iurisdictione, districtu, & honore suo.

Verumtamen cum ad recipiendum coronam Imperij, vel pro necessitatibus Eccle-
siæ ab Apostolica Sede vocati venerimus, de mandato summi Pontificis recipiemus
procurationes siue * Fodrum ab ipsis. Omnia igitur supradicta, & quæcumque alia * f. feudum
pertinent ad Romanam Ecclesiam, de voluntate & conscientia, consilio & consensu
Principum Imperij libere illi dimittimus, renuntiamus & restituimus; necnon ad om-
nem scrupulum remouendum, prout melius valet & efficacius intelligi, concedimus,
conferimus, donamus, vt sublata omnis contentionis & dissensionis materia, firma B
pax & plena concordia in perpetuum inter Ecclesiam & Imperium perseuerent.

Adiutores etiam erimus ad retinendum, & ad defendendum Ecclesiæ Romanæ re-
gnum Siciliæ, cum omnibus ad ipsum spectantibus tam citra Pharum, quam vltra,
necnon Corsicam & Sardiniam; ac cetera iura, quæ ad eam pertinere noscuntur, tam-
quam deuotus filius & Catholicus Princeps.

Vt autem hæc omnia memorato sanctissimo patri nostro domino Innocentio, sa-
crosanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici, eiusq. successoribus per nos & nostros
successores Romanorum Reges & Imperatores obseruentur, firma & inconuulsa sem-
per permaneant; præsens priuilegium conscriptum, maiestatis nostræ aurea bulla
iussimus communiri. testes autem sunt hi.

Sigefridus Moguntinus Archiepiscopus, Sedis Apostolicæ Legatus. C
Eberhardus Salisburgensis Archiepiscopus.
Conradus Ratisponensis Episcopus.
Otto Vuirzburgensis Episcopus.
Manegoldus Potauiensis Episcopus.
Engerardus Zisensis Episcopus.
Giadiacus Bohemorum Rex.
Ludouicus Dux Bauariæ.
Leopoldus Dux Austriæ & Stiriæ.
Hermannus Lanthgrauius Turingiæ.
Comes Albertus de Eberstein.
Comes Adolphus de Sonneberch D
Comes Burchardus de Manneſuedel.
Berardus Bers Comes.
Ludouicus de Vuirtemberg.
Gebehardus Busclauius Magdeburgensis.
Henricus de Strahenuuerch.
Vualterus de Langenberg.
Henricus de Calandina.
Marescalcus Imperij Vualterus, & Sepf. pincerna Imperij, & alij quamplures.

Signum domini Friderici Secundi Romanorum Regis inuictissimi, & Regis Si-
ciliæ. + Loco sigilli.

Ego Conradus Dei gratia & Apostolicæ Sedis Metensis & Spirensis Episcopus, Im- E
perialis aulæ Cancellarius vice domini Sigefridi Moguntini Archiepiscopi, & Apos-
tolicæ Sedis Legati, ac totius Germaniæ Archicancellarius recognoui.

Acta sunt hæc anno Domini nostri Iesv Christi millesimo ducentesimo decimo-
tertio, Indictione prima, regnante domino Friderico Secundo Romanorum Rege glo-
rioso, & Rege Siciliæ, anno regni eius Romani primo, regni vero eius Siciliæ deci-
mosexto.

Datum apud Egram per manus Bertholdi de Nise, regalis aulæ Protonotarij, quar-
to Idus Iulij.]

Rursum vero post annos sex huic per omnia similem Auream bullam dedisse repe-
ritur Honorio Papæ Tertio, totidem verbis conceptam, quæ in nominatis codicibus
extat: in qua post testes descriptos hæc leguntur:

Acta

A Acta sunt hæc anno Incarnationis Domini millesimo ducentesimo decimonono, FRIDERICI CONFIRMATIO FACTA HONORIO III.
mense Septembris, Indictione octaua, regnante domino Friderico Secundo Romano-
rum Rege glorioso, regni ipsius in Germania sexto, & in Sicilia vigesimosecundo fe-
liciter. Amen.

Datum apud Agnou. per manus Henrici regalis aulæ Protonotarij, anno, mense &
Indict. præscriptis] Idemq. in edicto, quod promulgandum curauit die, qua ab eodem
Honorio coronatus est Imperator, hæc primo loco seruanda præcepit his verbis:

Nos Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator & semper Augustus hac edictali
lege irritamus, & præcipimus irritari omnia statuta, & cõsuetudines, quæ ciuitates, vel
loca, potestates, Cõsules, vel quæcumque aliæ personæ contra libertatem Ecclesiæ, vel
personas ecclesiasticas edere, vel seruare tẽtauerint aduersus canonicas, vel Imperiales
B sanctiones. & ea de Capitularibus suis infra duos menses post huiusmodi publicatio-
nem edicti penitus aboleri &c.] plura alia eodem edicto sanciens in fauorem eccle-
siasticæ libertatis. est inter Honorij Papæ epistolas libro quinto epistola quadringente-
sima octogesimatertia. Hæc quidem Fridericus in destructionem male erectæ a Roge-
rio, vel eius filio Vuillelmo cognomento, Malo, Monarchiæ Siciliæ.

Verum non tantum hæc in regno Siciliæ, sed quidquid per vniuersam Italiam per
dominos & magistratus præsumptum esset contra ecclesiasticam libertatem, idem
Fridericus anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo abrogandum curauit, Con-
stitutione hac edita:

Fridericus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, & Rex Siciliæ, Potesta- ALIA CONST. FRID. PRO ECCL. LIBERTATE.
tibus, Consulibus ac Comitibus vniuersorum Comitatuum, & Castrorum Italiæ.

C Cum diuæ memoriæ Imperatores Romani sacrosanctam Ecclesiam multiplici li-
bertate dotarint: nos disponente Deo, a quo est omnis potestas, ad fastigium culmi-
nis Imperialis electi, quæ pie ab illis, & a sanctissimæ Sedis Præsulibus pro statu eccle-
siarum, & ecclesiasticorum virorum sunt edita, conseruare volumus inconcussa; &
illis contraria, sicut ad nos spectare dignoscitur, amputare. Cum igitur ad aures cel-
situdinis nostræ peruenerit, nonnullos vestrum cupidine cæca seductos quædam de-
testanda edidisse statuta, præiudicantia ecclesiasticæ libertati, ac diuino & humano
iuri obuiantia: manifeste nos ea, tamquam de radice prauitatis hæreticæ prouenien-
tia, auctoritate præsentium cassamus sub pœna mille marcharum, districtius inhiben-
tes, ne quis vestrum illis de cetero inhærere præsumat, aut eorum prætextu eccle-
& ecclesiasticos viros contra sanctiones canonicas & legitimas molestare. Quinim-
D mo ea de nostris Capitularibus, seu breuiarijs condemnata penitus abolentes, eccle-
sias & ecclesiasticas personas permittatis indulta sibi libertate gaudere, si vultis pœ-
nam effugere prænotatam, & indignationem regiam euitare. Datum in castris apud
sanctum Leonem, anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo, Indictione octaua,
Kalendis Octobris] hæc in libro collectionis Nicolai de Aragonia, qui in Vaticana bi-
bliotheca seruatur sub numero CCCCXCVIII.

At dicet aliquis, eumdem Fridericum post hæc in acerbissimum tyrannum conuer-
sum Ecclesiam oppugnasse, hæcq. omnia operibus destruxisse. Attamen certum est,
nullius fuisse roboris, quæ sibi absque consensu Romanæ Sedis Pontificis tyrannice
vendicauit. Cum enim quid sibi iuris Rex arrogat in ecclesias non concedente Ponti-
fice, nullatenus id posse subsistere, & nullius penitus esse momenti, quis ignorat? Cum
E alioquin idem Fridericus conuersus in arcum prauum, effectus præuaricator eorum,
quæ tot publicis monimentis sancte pieq. statuerat, primum sub Gregorio Nono, vt
ab excommunicatione absolueretur, scriptis publicis iteratis omnino correxit. extant
ipsa in Registro eiusdem Gregorij Noni, data anno Domini millesimo ducentesimo
trigesimo, mense Iulij, Indictione tertia, apud sanctum Germanum. Inde vero eum-
dem iterum rerum Ecclesiæ statum in Sicilia perturbantem, his ad eum litteris datis
compescuit idem Gregorius:

Ascendit ad nos clamor, vlulatus & stridor, miserabilis, validus & horrendus ec- GREG. IX. VINDEX ACERRIMVS VIOLATAE ECCLES. LIBERTATIS IN SICILIA.
clesiarum & clericorum regni Siciliæ & Apuliæ, quod in eos vltra quam de facili ex-
primi valeat, inique desæuiens, ipsos affligis cruciatibus infinitis, bona eorum diri-
piens & extorquens, in manifestam contumeliam Redemptoris, & atrocem iniuriam
Ecclesiæ generaliter, vt taceamus Apostolicæ Sedis contemptum; in quam cadunt

ex hoc

Universidad de Deusto
Biblioteca

ex hoc opprobria exprobrantium. Cum igitur hæc nequeamus sine periculo sustinere, qui Christi Vicarij licet immeriti constituti pro tuenda iustitia, & defendenda ecclesiastica libertate tenemur; & volumus impendere nosmetipsos, ab eo nobis digna vicissitudine rependenda, qui beatificat tribulationem propter iustitiam patientes. Imperialem celsitudinem tuã monemus & hortamur attente, quatenus ecclesijs & personis ecclesiasticis ablata restituens integrè vniuersa, ab illorum molestatione penitus conquiescas, famæ tuæ consulens & saluti. Alioqui ne contra Deum homini deferamus, super hoc procedemus, dante Domino, sicut fuerit procedendum. Ad hoc autem dilectos filios B. & R. fratres minores ad te mittimus, si forsitan saltem fero salubriter monitionibus nostris aures aperias, quas hactenus nimium inconsulte clausisti. Datum Reate Nonis Maij, Pontificatus nostri anno secundo] fuit autem ex his, & alijs ab eo perperam factis idem Fridericus ab eodem Pontifice excommunicatus, absolutus autem, cum ea omnia emendare promisit, vltore existente non solum, quæ in Ecclesiam & personas, iuraq. ecclesiastica deliquisset; sed & in laicos ipsos, miserabiles personas, pupillos & viduas, immo & omnes homines nobiles siue ignobiles perpetrasset: vt apparet ex capitibus, quæ, vt absolueretur idem Fridericus, est pollicitus obseruare. scripta illa anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo, Indictione tertia, mense Iulij.

[a] *Greg. ix. anno Pont. x. ep. 253.* Rursum vero longe prolixiori [a] epistola in eum inuehitur, cum iura Ecclesiæ sibi inique impieq. vsurpat. Vt plane intelligas, exhorruisse Romanos Pontifices, vindicare sibi Reges quæ essent Ecclesiæ, in eosdemq. vigore sacerdotali insurrexisse, pariterq. damnasse.

At Fridericus ipse, licet aliquamdiu auersione contentiosa restiterit monenti Pontifici, tandem vltimo elogio, testamento condito, nullius decreuit esse momenti, quæcumque contra libertatem, ecclesiasticã statuisset. habentur autẽ eius testamenti præcipua capita recitata a Matthæo Paris in Annalibus sui temporis, in quibus hæc inter alia: Item relinquo totam terram Ecclesiæ liberam, & volo quod iura Ecclesiæ restituantur &c.] sicq. iuxta illud [b] propheticum de inimicis Ecclesiæ: Sanctifica illos in die occisionis] hoc impio tyranno magna Dei misericordia concessum, vt nouissimo elogio, quæ pij Principis essent, præstare posset.

[b] *Ierem. 12.*

MONARCHIA SICILIAE PENITVS DISSIPATA.

Vidisti Lector ex his, omnem illam molem aeream Monarchiæ penitus corruisse, quæ non, vt fingunt, concedente Vrbano Papa, sed pseudopontifice Anaclero, Rogerio, absque fundamento super arenam, nullo sibi glutino cohærens, male composita fuit, cuius hic ex parte quamdam repræsentamus imaginem.

Reperitur, quod Rogerij huius primi Regis temporibus non in Sicilia modo, sed etiam in Apulia, cererisq. eius regni prouincijs Episcopatus per regios codicillos cõferebantur, vt declarat Roberti eiusdem Regis Cancellarij exemplum apud Ioannem Sarisberiensem. [c] Narrat enim, Robertum hunc ecclesiam Auellanam, tunc forte vacantem tribus diuersis, qui oblato pretio eam expetebant, per simulatam speciem addixisse, ac deinde quartum quemdam nec opinantem, illis reiectis, consecrandum curasse. quæ quidem per successores legitimos Romanos Pontifices, præsertim vero per Innocentium Tertium, cuius de horum abrogatione extant diplomata, abroganda fuerunt. Sed per Hadrianum Papam ista postea fuisse sublata, cum concessit inuestituram Guillelmo Regi Rogerij filio, ita declarat Robertus [d] Abbas in additamento ad Sigebertum his verbis: Cum Papa Hadriano pacem fecit, concedendo ei consecrationes Episcoporum regni sui & Ducatus, sicut antiquitus eas habuit Ecclesia Romana, vnde discordia fuerat inter patrem suum Rogerium & Innocentium & Eugenium Romanos Pontifices. Idem vero Apostolicus concessit ei regnum Siciliæ & Ducatum Apuliæ & Principatum Capuæ] porro ista cum alijs ab Antipapa Anaclero fuisse concessa Rogerio, quis poterit dubitare, cum aliunde accepisse, dici non possit, laborantibus in contrarium omnibus antecessoribus Pontificibus Romanis, & in hoc ipsum vsque ad mortem insistentibus, vt ista a laicis Principibus male vsurpata in pristinum vsum atque libertatem ecclesiasticam reuocarent?

[c] *Lib. 7. Polier. cap. 19.*

[d] *In add. ad Sigeber. an. 1157.*

Verum liquet tot Romanorum Pontificum, potissimum viro Innocentij, immo & contrarijs edictis Siciliæ Regum; eamdem iam solo æquatam iacuisse prostratam, immo potius veluti absorptam terræ chasmate, nullarenus vel in ruinis aliqua eius

eius superfuisse vestigia; sed & in anathema obliuionis sub dira illa maledictionis sententia constitutam: [a] Maledictus vir coram Domino, qui suscitauerit & ædificauerit ciuitatem Hiericho] cuius muri in altum erecti, Arca Domini circumducta, intonantibus tubis sacerdotalibus, corruerunt. Vbi ergo quod posuerunt recentiores Siculæ Monarchiæ fundamentum, Vrbani Papæ diploma? nonne oportuit, si ita fuisset aliquando, ea tanta totius eius molis ruina, tam Pontificia auctoritate, quam regia potestate remansisse sepultum, tot contrarijs editis scriptis tum ab ipso Pontifice, tum etiam a dominantibus Principibus ipsis aduersus omnes quascumque ecclesiasticorum iurium oppressiones? Quid si alijs adhuc pluribus ostendemus, & Pontificijs atque regijs publicis documentis eadem ipsa contra ecclesiasticam immunitatem rediuiua funesta decreta, fuisse mox sui ortus principio condemnata, penitusq. rescissa; vt nihil fuerit in Ecclesia adeo vigilantissimo studio pertractatum, vel propensissima solertia agitatum, curatumque, quam hoc ipsum, ne quid iniuria Principum, præter ius fasq. cuncta sibi sumentium, aduersus antiquam a Patribus acceptam, legibus custoditam ecclesiasticam libertatem emergeret?

[a] *Ios. 6.*

Quod igitur rem semel aggressi, ingressiq. latissimum campum, qui finibus suis tempora nostra pertingat, quibus sæpe deiecta, penitusq. dissecta eiusmodi Monarchia, auctoritate prætensa eiusdem Vrbani Papæ diplomatis reuocatur in vsum: eo vsque progredi, licet inuiti compellimur: ita tamen, vt compendiaria via prolixum nimis congressum iter, per quod simus maiori otio, longiori mora, commodioribus mansionibus, ipsa scriptione Annalium annos singulos singulis stationibus metientes, iterum transituri. Attingemus enim tantum ea, & quam breuissime possumus, quæ ad institutum semel susceptum spectare noscuntur, nimirum quoties istiusmodi perosam Monarchiam restituere sint aggressi Siciliæ Reges, eamq. dissecerint sacris legibus Romani Pontifices, ac Reges ipsi, dum singulis concessis inuestituris, voluerunt in omnibus esse consultum ecclesiasticæ immunitati, inferemusq. ipsum rerum vsum: quibus perspicua luce perspectis, Lector cuncta quæ ad hæc spectant, habeat explorata.

STVDIVM ROMAN. PONTIF. IN CONSERVANDIS ECCL. IVRIBVS.

Primum vero summatim illud sciendum, omnes Romanos Pontifices, vsque ad tempora Caroli Quinti, inuestituras consueuisse conferre, tam Siciliæ regni positi vltra Pharum, quam etiam Siciliæ (sic eam libuit appellare) citra Pharum, sæpe coniunctæ aliquando vero distinctæ ab inuicem. In omnibus vero inuestituris istis, magna consideratione consultum in primis ecclesiasticæ immunitati, quibusdam semper præscriptis capitibus ad ista spectantibus, ijsdemq. per Reges accipientes eaſdem inuestituras subscriptis, atque iuramento firmatis: quorum omnium gestorum adhuc instituras subscriptis, atque iuramento firmatis: quorum omnium gestorum adhuc integra apud nos extant vetera monimenta, eademq. omni fide probata. Vt plane integra apud nos extant vetera monimenta, eademq. omni fide probata. Vt plane in singulis ipsorum appareat, nihil magis omnes Romanos cauisse Pontifices, quam vt singulis ipsorum appareat, nihil magis omnes Romanos cauisse Pontifices, quam vt in omnibus sartam tectam inuiolatamq. libertatem ecclesiasticam conseruarent; ea in omnibus sartam tectam inuiolatamq. libertatem ecclesiasticam conseruarent; ea enim polliceri renuentibus, denegasse, vel pollicita præstare detrectantes, censuris enim polliceri renuentibus, denegasse, vel pollicita præstare detrectantes, censuris ecclesiasticis exagitasse. Sed cum omnes impense adeo in his perseuerarint: admiratione quidem haud mediocri dignum videri potest, vnde emerserit, vt falcæ Apostolicæ succisi radicitus Monarchiæ infelices palmites, ijdem sæpe densiori atque altiori germine pullulauerint, & excreuerint; & quæ Christi damnata sententia infructuosa arbor aruerit, rursum maiori bonorum fructuum sterilitate, & malorum fertilitate viruerit, iam ab Ecclesiæ terra, quam male occupat, penitus euellenda.

A TYRANNIS TYRANNICE SECVNDO RESTITVTA MONARCHIA.

Ita vero causam roganti: Vnde in bene fato atque culto agro zizania? nihil proprius respondendum, quam illud Euangelici patrisfamilias, dicentis: [b] Inimicus homo hoc fecit] Sed non cum dormirent homines, tantum scelus præsumptum; immo ipsis vigilantibus, reclamantibus etiam, & exclamantibus, damnantibus pariter, atque auctoritate Apostolica, quantum licuit, tyrannos istos, Fridericum, Conradum, atque Manfredum, cum id violenter agerent, cohibentibus. Præualuit tamen ad tempus vis tyrannica, grassatio violenta, Principum latrocinium. Sic dixerim, secundum lustini martyris sententiam ad Antoninum Pium scribentis, atque libere profitentis: Tantum valent Principes, opinionem veritati præferentes, quantum prædones in solitudine] dum sicut isti, ita illi grassantur, sed maiori isti potentia, minori tamen verecundia, cum quod nefas est, id iure factum velint; & quod per vim tyrannicam imperant,

[b] *Matth. 13.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

perant, & extorquent, hoc veluti ratione ſumma ſancitum iubeant, pariter vt ſacroſanctum ab omnibus cuſtodiri, atque tranſmitti curent ad poſteros. Ita plane accidit, vt cum Monarchia illa priſtina exciſa penitus atque extincta fuerit Romanæ Eccleſiæ iuribus; rurſus tyrannorum Principum viribus ſit nefarius reſtituta, ſed Romanis ſemper Pontificibus obnitentibus, atque fortiſſime reſiſtentibus. A

Fuerunt primi, qui iſta tentarunt, poſt Rogerij Regis & eius filij Vuillelmi auſus temerarios condemnatos atque reſciſſos, Fridericus Imperator, idemq. maxime impius, & infeſtiſſimus omnium Romanæ Eccleſiæ perſecutor, itemq. patri filius non diſſimilis Conradus, atque Manfredus frater, qui eoſdem ſuperauit impietate. Hi tres in primis iurato bello aduerſus Romanos Pontifices, in ſeruitutem deduxere eccleſias omnes, & cum eccleſijs etiam viros eccleſiaſticos ſumma tyrannide compreſſerunt, cum Pharaone dicentes ſuperbo faſtu: [a] Neſcio Dominum, & Iſrael non dimittam. Hi tres igitur euerſæ penitus Siculæ Monarchiæ reſtitutores fuere, atque propagatores ampliſſimi; quos tandem ab ipſis Romanis Pontificibus condemnatos atque magno prodigio, Dei dira vindicta ſublatos, erubeſcant, atque ſimul horreſcant imitari Principes orthodoxi. imitantur plane atque ſectantur, qui ijſdem quibus illi legibus Siculam reuocãt atque renouant Monarchiam. Ad quam euertendam ab his temporibus quotquot fuere Romani Pontifices, ad quos pertinuit inueſtituras conferre Siciliæ Regibus, omnes vno conſenſu, ſicut vno ſpiritu laborarunt, vt inter alias expreſſas conditiones præſcriptas ipſis ſeruandas, illæ eſſent potiſſimæ, quibus abrogarent quaſcumque ab his ſancitas leges aduerſus eccleſiaſticam libertatem. hæc vt oſtendamus, agendum de ſingulis.

a Exod. 5.

B

Atque primum quod ſpectat ad tres hos tyrannos, Fridericum, Conradum, atque Manfredum, ob violata iura eccleſiaſtica Fridericus a Gregorio Nono primum excommunicatus fuit, deinde in Concilio Lugdunenſi ab Innocentio Quarto Regno ſimul & Imperio ſpoliatus eſt. Inter alias vero cauſas eius abdicationis hæc allata eſt, quod electiones ſacrorum Antiſtitum in Sicilja, atque in Imperio turbaſſet, eccleſiaſticoſq. coram laicis conueniri permiſiſſet. Huius exemplum ſecuti Conradus atque Manfredus non legitimi Reges, ſed tyranni, quippe qui Siciliam abſque inueſtitura accepta, inuitis Pontificibus occupaſſent, cum multa contra Sedis Apoſtolicæ auctoritatem & iuriſdictionem impijs legibus ſuis ſancire conati eſſent: ſucceſſores Pontifices ipſis damnatis, in ſingulis ab eis traditis inueſtituris, de abrogandis ijſdem legibus ab ipſis promulgatis egerunt, hoc adiecto ab Alexandro Papa Quarto magna conſideratione: vt quoniam inuadendæ eccleſiaſticæ libertatis in Friderico occaſio fuerat auctum Imperio regnum Siciliæ, quo munitus deſpexit parere Pontifici: non liceret in poſterum vlla penitus ratione iungi regnum Siciliæ cum Imperio. quæ quidem tunc præſcripta conditio, conſueuit in omnibus poſtea conceſſis Siciliæ Regibus a ſucceſſoribus Romanis Pontificibus inueſtituris apponi, atque verbis totidem innouari. Sicq. procul abfuit, vt ex Eccleſiæ iuribus paſſi ſint Monarchiam Siciliæ innouari, qui & additamento ſæcularis potentiæ eam conflari penitus vetuere: tantum abeſt, vt ex ſpiritualibus eam augeri voluerint. ſed de ipſis agamus inueſtituris. C

D

Viuente adhuc Manfredo tyranno Siciliæ, dum primo Innocentius Papa Quartus, & poſt eum Alexander Papa item Quartus, anno Redemptoris milleſimo ducenteſimo quinquageſimoquinto, Indictione decimatertia, die ſexta Nouembris inueſtirent de regno Siciliæ Eadmundum filium Henrici Regis Anglorum, inter alias pro libertate Eccleſiæ in Sicilia reſtituenda, conditiones ſeruandas propoſuere, quæ in bulla aurea ita leguntur expreſſæ: E

OMNE PRIVILEGIVM SVBLATVM CONTRA ECCL. LIBERTATEM

Omnes quoque eccleſiæ de regno & terra prædictis, tam Cathedrales, quam aliæ Regulares & ſæculares, nec non & vniuerſæ eccleſiaſticæ perſonæ illis libertatibus, & immunitatibus omnino gaudebunt, quæ ipſis competunt ſecundum canonicas ſanctiones. Iraque circa eaſdem eccleſias, & perſonas, tam in faciendis prouiſionibus, & electionibus confirmandis, quam in omnibus alijs Romanus Pontifex, & Romana Eccleſia, iuriſdictionem, & auctoritatem omnimodam libere exercebunt, ſaluo debito Regi, & ſuis heredibus iure patronatus, ſi quod Reges Siciliæ, ſeu eiuſdem regni, & terræ domini hactenus in aliqua, vel aliquibus eccleſiarum ipſarum conſueuerunt habere; in tantum tamen, in quantum eccleſiarum patronis canonica inſtituta concedunt]

A dunt] hæc in aurea bulla inueſtituræ. extat apud nos vna cum alijs ad hæc ſpectantibus documentis ſiue ex Vaticana bibliotheca, ſiue ex archiuo munitionis ſancti Angeli, ſiue ex Regiſtris Cameræ Apoſtolicæ, aut aliunde petitis. Ex quibus vides ſolo æquari turres illas exaltatas a tyrannis illis ſuper omnem eccleſiaſticam libertatem, cum nullum relinquitur contra eam Regibus priuilegium: dum tam res omnes, quam perſonas eccleſiaſticas in libertatem illam vendicatas voluit, quæ ſacris legibus debetur ipſis; nec in iure patronatus Regibus tributum aliquid amplius, quam ceteri omnes patroni iure debitum poſſidere ſolerent.

TRANSLATVM REGNVM IN ANDEGAVOS.

Cum autem dicta inueſtitura facta Anglorum Regi, ipſo nõ curante, effectu caruit, & Carolus Andegauenſis Comes, ſancti Ludouici Regis Francorum frater inueſtituram a Clemente Papa Quarto accepit: occiſo in bello Manfredo Siciliæ regni inuaſore, liberiori diſpoſitione idem Siciliæ regnum ad iura Romanæ Eccleſiæ reuerſum eſt. B ſicq. poſt hæc ampliori forma in ipſis inueſtituris per Sedem Apoſtolicam factis libertas eccleſiaſtica eſt declarata, atque munita, cum prohibitione ſemper, ac deteſtatione legum dictorum Principum tyrannorum, quæ fuerant ab eis promulgatæ pro Monarchia contra eccleſiaſticam libertatem. nam audi quæ in aurea bulla continentur Caroli Andegauenſis Siciliæ Regis, qui auctoritate Apoſtolica ibi regnauit. Ipſe enim, cum regni inueſtituram accepiſſet a Clemente Papa Quarto, anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimoquinto, Indictione ſeptima, hæc inter alia ſe fore ſeruaturum promiſit, quæ his ipſis verbis in eodem diplomate ſcripta leguntur:

BVLLA CAROLI REGIS AD CLEMENT. PP. IV. DESTRVIT VR MONARCHIA SICIL.

Omnes inſuper eccleſiæ, tam cathedrales, quam aliæ regulares, & ſæculares, nec C non & omnes Prælati, & clerici, ac omnes perſonæ eccleſiaſticæ, ſæculares, & religioſæ, ac quæcumque religionis loca cum omnibus bonis ſuis in electionibus, poſtulationibus, nominationibus prouiſionibus, & omnibus alijs plena libertate gaudebunt. Nec ante electionem, ſiue in electione, ſiue poſt, regius aſſenſus, vel conſilium aliquod requiretur. Quam vtique libertatem promitto ego, & mei in regno heredes ſemper manutenebimus, & conſeruabimus, & manuteneri, & conſeruari faciemus ab omnibus ſubditis noſtris; & quod dictæ eccleſiæ, atque perſonæ vti poſſint libere omnibus bonis, & iuribus ſuis, ſaluo mihi, meiſq. in regno heredibus iure patronatus in eccleſijs, in tantum, quantum in hac parte patronis eccleſiarum canonica inſtituta concedunt, vbi antiqui Reges Siciliæ huiuſmodi ius patronatus in ipſis eccleſijs habuerunt.

D Omnes etiam cauſæ ad forum eccleſiaſticum pertinentes, libere, & abſque vllo impedimento agitabuntur, tractabuntur, & ventilabuntur coram Ordinarijs, & alijs eccleſiaſticis iudicibus, & terminabuntur per eos. Et ſi ad Sedem Apoſtolicam ſuper huiuſmodi cauſis appellari contigerit: tam appellantes, quam appellati ad eam venire Sedem pro appellationum proſecutionibus libere, & abſque inhibitione aliqua permittantur. & promitto tam me, quam heredes meos facturos, curaturos, & permiſſuros, quod ſic agitari, tractari, & ventilari, ac terminari poſſint, & ſic quod poſſit appellari, & libere venire Romam.

Sacramenta vero fidelitatis præſtabuntur ſecundum antiquam & rationabilem conſuetudinem, prout canonica inſtituta permittunt, ab illis eccleſiarum Prælatis, quorum prædeceſſores antiquis illa Siciliæ Regibus præſtiterunt. Ab illis autem E Prælatis, & eccleſijs, qui regalia, ſiue temporalia bona tenent, ſi qui tamen ſunt, qui huiuſmodi bona teneant a domino regni, & alijs dominis temporalibus, & qui ratione huiuſmodi bonorum ab antiquo conſueuerunt Regibus, & ipſis dominis temporalibus ſeruitia exhibere, eiuſmodi honeſta & antiqua ſeruitia eis ſecundum rationabilem & antiquam conſuetudinem, prout ſtatuta patiuntur canonica, impendantur, ſalua ſemper circa eccleſias cathedrales, & alias regulares, ac perſonas, ac loca eccleſiaſtica tam in faciendis prouiſionibus, & electionibus confirmandis, quam in alijs quibuſcumque, Romani Pontificis, & Eccleſiæ Romanæ iuriſdictione, ac auctoritate plenaria, & libera poteſtate.

Reuocabo quoque omnes Conſtitutiones, ſeu leges, per prædictum Fridericum, vel per Reges Siciliæ, ſiue per Conradum, ipſius Friderici filium, aut Manfredum quondam Principem Tarentinum, qui de facto regnum ipſum detinuit occupatum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

editas contra ecclesiasticam libertatem. Nec statuta, vel Constitutiones aliquas edã, A
aut etiam promulgabo, per quæ iuri, vel libertati ecclesiasticæ derogetur] quænam autem fuerint Friderici eiusmodi Constitutiones contra ecclesiasticam libertatem, possumus intelligere ex bulla anathematis, qua Innocẽtius Quartus in Concilio Lugdunensi excommunicauit eumdem Fridericum Imperatorem, ex his scilicet causis, quod in regno Siciliæ Prælatorũ electiones perturbabat, tributa, quæ talliam vocant, eis soluenda præscribebat; quodq. clericos coram iudice sæculari conueniri permittebat &c.] pergit vero:

Promitto etiam, quod tam ego, quam mei heredes non patiemur, quod aliquis clericus, vel persona ecclesiastica eorumdem regni & terræ, in ciuili, vel criminali causa conueniatur coram iudice sæculari, nisi super feudis iudicio petitorio conueniatur ciuiliter: ita quod omnes ecclesiæ, ac personæ ecclesiasticæ omnimodo erunt liberæ, & B
etiam in nullo Regi, vel Principi subiacebunt.

Et quod nullas tallias, vel collectas imponemus ecclesijs, monasterijs, clericis, & viris ecclesiasticis, vel rebus eorum. & quod in ecclesijs vacantibus nos, vel nostri in regno meo heredes nulla habebimus regalia, nullosq. fructus, redditus, & prouentus, nullas etiam obuentiones, ac nulla prorsus alia percipiemus ex ijsdem, custodia earumdem ecclesiarum interim libera remanente penes personas ecclesiasticas, iuxta canonicas sanctiones &c.] plura alia addit facienda in fauorem Romanæ Ecclesiæ, a qua regnum acceperat. Repetitæ sunt autem hæ in diplomate inuestituræ, factæ eidem Carolo ab eodem Clemente Pontifice, cuius est exordium: Constituti ab eo, per quem Reges regnant &c.] in fine autem ipsius ista: Actum apud Lateranum in basilica sancti Saluatoris, quæ appellatur Constantiniana, ante sanctissimum al- C
tare ipsius basilicæ quarto Kalendas Iulij, anno Domini MCCLXV. Pontificatus Clementis Quarti anno primo.]

Tenuit Carolus regnum Siciliæ vltra Pharum vsque ad annum Redemptoris millesimum ducentesimum octogesimum secundum, quo cæsis Francis, eam occupauit Rex Aragonum Petrus, de quo inferius dicturi sumus: modo cœptam semel Andegauorum successionẽ suo ordine prosequemur, qui singulas a successoribus Romanis Pontificibus de vtraque Sicilia inuestituras sunt consecuti ijsdem conditionibus, quibus a Clemente Quarto Carolus Primus acceperat, licet re ipsa possessores tantum essent Siciliæ citra Pharum.

CAROLVS II. PROPAGATOR MONARCHIAE

Carolo Primo successit anno salutis millesimo ducentesimo octogesimonono, deci- D
moquarto Kal. Iulij, Carolus Secundus Rex Siciliæ, exhibens iuramentum fidelitatis Nicolao Papæ Quarto. idemq. inter alia, quæ breuitatis causa recensere omittimus, eadẽ seruanda promisit, quæ pollicitus fuerat Rex Carolus prædecessor Clemẽti Papæ Quarto, ijsdem capitibus, totidem verbis superius recitatis, atque ex eadem bulla descriptis, cum abrogatione omnium legum trium tyrannorum, contra libertatem ecclesiasticam sancitarum: quæ omnia repetita habentur atque descripta in bulla eiusdem Nicolai Papæ. in fine autem ipsius Caroli promissionis ista de eius tempore scripta leguntur: Actum Reate in maiori palatio iuxta cathedralem ecclesiam Reatinam decimoquarto Kal. Iulij, anno Domini millesimo ducentesimo octogesimonono, Indictione secunda, regni Siciliæ anno quarto.]

A BONIFACIO PAP. DESTRVITVR MONARCHIA.

Anno vero millesimo ducentesimo nonagesimoquinto idem Carolus inuestituram E
accipiens a Bonifacio Papa Octauo, die decimaseptima mensis Februarij, Indictionis octauæ, anno vndecimo regni eius, parem in omnibus eidem bullam auream fecit, in qua per singula quæque verba, in ijs, quæ spectant ad libertatem ecclesiasticam sartam tectam in omnibus custoditam, eadem quæ superius sunt recitata in diplomate Clementis Papæ Quarti, & aurea bulla Caroli Regis, sunt repetita; itidemq. abrogatio legum tyrannorum, contra ecclesiasticam libertatem sancitarum, æque descripta totidem syllabis reperitur. Quibus plane omnibus omnes Monarchiæ nerui succisi penitus sunt, vt stare nullatenus possit. extat ipsum diploma in ijsdem tribus codicibus superius nominatis, quod qui voluerit, inspicere poterit.

BVLLA AVREA ROBERTI REGIS DESTRVITVR MONAR. ETC.

Nepos vero Caroli Robertus Rex vtriusque Siciliæ regni inuestituram accepit a Clemente Papa Quinto, salutis anno millesimo trecentesimonono, Indictione septima, die vigesimosexto mensis Augusti, primo ipsius regni anno, vt in eius aurea bulla si-

A la signatur, eadem q. promissiones præstitit pro conseruandis libere iuribus ecclesiasticis, ita vt ex Clementis Quarti inuestitura per apices singulos esse descriptæ apparent, cum eadem detestatione legum trium tyrannorum contra ecclesiasticam libertatem in Sicilia editarum, ita vt sic per suos intonante desuper Sancto de cælo: [a] Succidite a Dan. 4.
arborem] vna omnium tam Romanorum Pontificum, quam Regum Siciliæ, eademq. fuisse conspiratio videatur destruendæ male plantatæ ab initio Monarchiæ. extat ipsa bulla aurea in ijsdem citatis superius libris.

ALIA BVLLA AVREA ROBERTI EIVSDEM ARGVMENTI AD BENEDICTVM PAPAM XII.

Rursum vero idem Robertus Siciliæ Rex cum præstitissetiuramentũ fidelitatis Benedicto Duodecimo Romano Pontifici, bullam auream pariter scribendam curauit de his, quæ ab eo obseruanda essent, cuius exordio tempus ita exacte describitur, scilicet: Anno Domini millesimo trecẽtesimo trigesimoquinto, Indictione tertia, die vige- B
simaquinta mensis Iunij, Pontificatus sanctissimi patris & domini nostri domini Benedicti, diuina prouidentia Papæ Duodecimi, anno primo &c.] Vbi inferius inter alias obligationes, quas a se fore seruandas expressit, de libertate ecclesiastica, in regno Siciliæ iugiter retinenda, eadem totidem verbis sunt expressa, quæ in regio diplomate aui sui Caroli Regis sunt superius recitata; specialisq. pariter facta habetur abrogatio legum tyrannorum illorum Friderici, Conradi, atque Manfredi, qua videri possit conuulsa penitus Monarchia.

Quæ huic successit Ioanna, anno Redemptoris millesimo trecentesimo quadragesimoquarto, a Clemente Papa Sexto inuestiturã accepit de vtraque Sicilia ijsdem prorsus conditionibus de libertate ecclesiastica conseruanda, quibus Carolus Primus atque alij successores superius nominati a Romanis Pontificibus accepissent. Sed & an- C
no millesimo trecentesimo septuagesimosecũdo, nouo Pontifici Gregorio Vndecimo fidelitatis iuramentum exhibens, omnia quæ supra, seruare promisit, quæ tum ipsa tũ prædecessores promiserãt de ecclesiastica immunitate tuenda. hæc Auenione anno secundo Pontificatus eius, die quarta Ianuarij. extant de his tunc scripta diplomata. Hi omnes igitur Andegaui Caroli Primi successores inuestituras ijsdem supra narratis conditionibus pro Ecclesiæ libertate præscriptis a dictis Romanis Pontificibus accepere de vtraque Sicilia, quamuis Siciliam vltra Pharum minime possiderent, quã occuparant Aragonenses, Petrus Primus, & successores.

Ita quidem Romani Pontifices, cum Petrus & successores non peterent (vt par erat) ab Ecclesia Romana inuestituras, damnatis illis, vt iniustis occupatoribus, iura vt sibi illæsa seruarent, quæ a tempore Roberti Guiscardi Sedes Apostolica possedis- D
set: perseuerarunt de eodem regno vltra Pharum, vt prius, conferre petentibus Regibus Andegauensibus more solito inuestituras, ijsdem, vt dictum est, conditionibus, quibus a tribus tyrannis Monarchia restituta atque collapsa restitui vltra non posset: quæ tamen ab Aragonensibus in Sicilia vltra Pharum regnantibus interea pararetur tyrannica potestate, ita dixerim, prout contra eos lata sæpe sententia a Romanis Pontificibus atque Concilijs comprobauit, scriptis de his publicis monimentis, quæ extant adhuc.

REGES ARAGONEN. MONARCHIAE SICVLAE RESTITVTORES.

Petrus enim Aragonum Rex, qui cæsis Francis Siciliam insulam occupauit, cum antiqua iura hactenus possessa ab Ecclesia Romana super ipso regno recognoscere nollet, nec ab ea vellet inuestituram accipere, ipsiq. censum pendere, iuramentum E
fidelitatis præstare, & homagium exhibere, a Martino Papa Quarto excommunicatur, ipsumq. regnum interdicto subijcitur. extant de his litteræ Apostolicæ apud Eberardum in Chronico. Duxerat hic Constantiam filiam Manfredi nothi filij Friderici, in matrimonium, quo putauit coniugio ad se iure regnum Siciliæ pertinere. at quid? Non enim propterea solutus, qui non accipere deberet inuestituram ab Apostolica Sede: nam & Guillelmus quantumlibet Malus, accepit eam ab Hadriano, ipsaq. Constantia maior Friderici mater, ipseq. Fridericus, ac denique præter tyrannum Manfredum inuestituram omnes acceperunt.

Quantum autem fuerit iste a prædecessorum pietate degener, & ingratus in Apostolicam Sedem, ex eo poteris intelligere, quod ipse feudatarius antea esset Romanæ Ecclesiæ ratione regni Aragonum, regiumq. titulum regni eius beneficio Sedis Apostolicæ possideret, cum auus eius pater Iacobi, cuius filius erat, itidem Petrus dictus, Aragonum Rex regnum Romanæ Ecclesiæ obtulisset. quod apparet ex eiusdem pri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mi Aragonum Regis diplomate, quod hic tibi (quod perbreue sit) describendum curauimus. sic se habet: A

Cum corde credam & ore confitear, quod Romanus Pontifex, qui est beati Petri successor, Vicarius sit illius, per quem Reges regnant & Principes principantur, qui dominatur in regno hominum, & cui vult, dat illud: Ego Petrus Dei gratia Rex Aragonum, Comes Barchinonensis, & dominus Montispessulani, cupiens principali post Deum beati Petri & Apostolicæ Sedis protectione muniri: Tibi, reuerendissime pater & domine summe Pontifex Innocenti, & per te sacrosanctæ Romanæ Apostolicæ Sedi offero regnum meum, illudq. tibi & successoribus tuis in perpetuum diuini amoris intuitu, & pro remedio animæ meæ & progenitorum meorum constituo censuale, vt annuatim de Camera Regis ducentæ quinquaginta massemutinæ Apostolicæ Sedi reddantur, & ego & successores mei specialiter ei fideles & obnoxij teneamur. Hoc autem lege perpetua seruandum fore decerno; quia spero firmiter & confido, quod tu & successores tui, me ac successores meos, & regnum prædictum Apostolica auctoritate defendetis: præsertim cum ex multo deuotionis affectu me ad Sedem Apostolicam accedentem tuis, quasi beati Petri manibus, in Regem solemniter coronandum voluisti. Vt autem hæc regalis concessio inuiolabilem obtineat firmitatem: de consilio procerum Curiæ meæ, præsente venerabili patre meo Arelatensi Archiepiscopo, & Sancio patruo meo, & Hugone de Baucio, & Arnaldo de Fociano Baronibus meis, sigilli mei feci munimine roborari. Actum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo ducentesimoquarto, quarto Idus Nouembris, anno regni mei octauo] fuit idem annus Innocentij Papæ Tertij septimus. Bernardus eius temporis scriptor in Chronico, dum de his agit, elucidat summam polliciti census, nempe fuisse ducentas quinquaginta vncias auri. extat in codice priuilegiorum Romanæ Ecclesiæ. B C

REGNVM ARAGONIAE FEVDATARIVM ROM. ECCLESIAE.

Qui igitur feudatarius Romanæ Ecclesiæ erat, atque iuramentum fidelitatis præstiterat eidem, inuadens regnum Siciliæ feudatarium Romanæ Ecclesiæ, aduersus eam rebellis extitit, & contumax aduersarius, rursum erigens Monarchatum: quam ob causam (vt audisti) sententia excommunicationis affectus, in ea dum vixit, perseuerauit impœnitens, regnum relinquens Iacobo filio anno millesimo ducentesimo octogesimoquarto, qui eadem cum patre est sententia condemnatus, ipso regno per annos septuaginta (vt Gregorius Vndecimus Papa testatur) interdicti pœnam subeunte. Dixerisne tu Lector, si bona fide rem agis, eos omnes, qui eo temporis spacio Reges Aragonum in Sicilia, qui inuita contradicente atque irrogante pœnas Sede Apostolica, regnauere; legitimos fuisse Reges, an potius iure censueris nominandos fuisse tyrannos? Dixerisne, si æquitatis es arbiter, ipsos Romanos Pontifices eodem tempore consulentes Romanæ Ecclesiæ iuribus in Sicilia collabentibus, non legitime inuestisse de eodem Siciliæ regno a tyrannis eo modo occupato atque detento Andegauenses, quousque Aragonenses in ea contumacia perstitere, & pulsando ostium Romanæ Ecclesiæ, ea aperiente ingredientes, legitimi facti sunt regni Siciliæ possessores? D

PETRVS ARAGONIAE ROMANAE REBELLIS ECCLESIAE.

Qui primi ostium pulsauere, fuere duo Friderici, Secundus & Tertius dicti, ijdem Siciliæ Reges, quorum prior fuit Petri filius, qui post Iacobum fratrem regnauit; posterior vero idemq. Sextus numeratus Aragonensium Siciliæ Rex Friderici prioris nepos, filius vero Petri Secundi. Senior Fridericus inita concordia cum Andegauensibus Carolo Secundo & Roberto nepote Siciliæ Regibus legitimis, qui inuestituram acceperant a Romano Pontifice, iunctoq. fœdere nuptiarum inter eos cum Elionora Caroli filia in coniugem accepisset, sic pactus est cum illis, vt ipse dum viueret Fridericus, dominus Siciliæ vltra Pharum esset; ita tamen, vt non Siciliæ, sed Rex Trinacriæ diceretur, & post eius obitum regnum illud rediret ad Carolum siue heredes eius: recognosceret vero Romanam Ecclesiam eiusdem Trinacriæ regni dominam, cui censum more maiorum persolueret, & præscriptas conditiones impleret, & inter alias eas, quæ libertatem & immunitatem ecclesiasticam in omnibus in statum pristinum reuocarent, atque plenissime restituerent, extat de his Bonifacij Papæ VIII. diploma, quod incipit: Rex pacificus, cuius locus factus est in pace &c. Ita & paulo post hæc de Aragonensibus, qui regnū Siciliæ occupassent, & hactenus tyrannice possedissent: Sane post commotionis amaræ dissidium, & proteruæ rebellionis insultum in insula Siciliæ E

FRIDERICVS SECVNDVS ARAGON. PRIMVS RECOGNOVIT DOMINVM APOST. SEDIS.

A ciliæ ex fauore reprobæ præsumptionis exortam, ac subsecutam inuasionem & occupationem ipsius, per Petrum olim Regem Aragonum attentatas, eiusq. posteros cum accessione vitij continuatas, in culpam rebellionis ex eodem & inuasionis excessu, & illicita continuatione protracta, prout sana iudicia supponunt &c.] Datum habetur Anagniæ duodecimo Kalendas Iunij, anno nono eius Pontificatus, qui est Redemptoris millesimus trecentesimus secundus. Sic igitur Monarchia per Petrum restituta, eiusq. filium primogenitū Iacobum successorem propagata, demum per Fridericum eius filium, huius fratrem est penitus fracta, libertas vero Ecclesiæ reuocata, cum se dictis conditionibus obligauit, quibus Romanam Ecclesiam, cui eo nomine censum solueret, dominam recognosceret, eamq. potiri iuribus omnibus immunitatis in Sicilia, vt prius ex præscripto sacrorum canonum possedisset, promisit, atque iuramento

MONARCHIA RENOVATA ITERVM RECISA.

B firmauit. Quæ hæc omnia ad tempus vitæ suæ seruanda a Friderico Secundo promissa, Fridericus Tertius cumulatius præstitit, dum se suosq. in perpetuum successores, ad ea cuncta implenda, quæ innouatam violentam Monarchiam destruerent, voluit quam firmissime obligasse.

Porro Fridericus Secundus bellum cum Roberto aggreditur anno Redemptoris millesimo trecentesimo decimotertio, quod & prosecutus est Petrus Secūdus & Ludouicus, per quos increbrescētibus prœlijs religio vbique coli neglecta est, & Monarchiæ aconitum in necem miserorum hominum Ecclesiæ perduellium creuit. Tandem vero cum post diuturna bella, quæ per septuaginta, eoq. plures annos inter Andegauenses legitimos Siciliæ Reges, & Aragonios, Petri Regis, qui Insulam aduersus Carolum Primum occuparat, successores gesta fuerant, pax & concordia a Ioanna Regina, Ca-

ITERVM MONARCHIA INSTAVRATA.

C roli abnepte, cum Friderico Tertio, Petri eiusdem pronepote, his conditionibus inita fuisset, vt Fridericus eiusq. heredes Siciliæ Insulam, seu regnum Trinacriæ (sic enim nuncupari placuerat) possiderent, ita tamen, vt eam a Regina eiusq. posteris se tenere agnoscerent, ac pro ea fidelitatem & homagium illis iurarent, & quotannis infesto Apostolorum Petri & Pauli Reginæ eiusq. successoribus auri vnciarum tria millia Neapoli persoluerent; quæ congruentem Insulæ partem cōficiebant octo millium, quæ a Siciliæ Regibus, totius regni nomine quotannis Sedi Apostolicæ debebantur: cum his, inquam, alijsq. de mutua inter vtrosque confœderatione & auxilio legibus, sub Pontificis Ecclesiæq. Romanæ, ad quam directum eius regni dominium spectabat, beneplacito & assensu conueniissent; Gregorius Vndecimus, qui Ecclesiam tum

D regebat, etsi animaduertebat diuisionem hanc regni a Clementis Quarti constitutione, qui in Caroli Primi inuestitura Siciliam a terra, quæ est citra Pharum, seiungi vetuerat, alienam esse; permotus tamen tot stragium & deprædationum, quæ ex bellis prodierant, consideratione, & quod propter interdictum, cui Sicilia per multos annos subiacuerat, diuini cultus ratio, populiq. pietas vsque adeo decreuerant, vt periclitari in ea Fides Catholica videretur; exemplo Bonifacij, de quo dictum, relaxandam hac ex parte prædictam constitutionem (quam in ceteris, quæ huius concordiæ articulis non cōtinerentur, integram atque intactam manere iubebat) quoad regni partes iterum aliquando coalescerent, conuentionisq. inter Ioannam & Fridericum tabulas approbandas censuit: nonnullis tamen adiectis & explicatis, quæ desiderari iudicarat, ac tribus maxime capitulis, quæ vt in omnibus olim Regum Siciliæ inuestituris proponi consuerant, ita in posterum a Regibus Trinacriæ pari studio seruari oporteret.

E Primum quidem ad homagium, sacramentumq. fidelitatis pertinebat, quod Romano Pontifici præstare, suisq. temporibus renouare, ac regijs quoque litteris testari iubebantur. deinde ad successores, vt descendentes dumtaxat a Friderico, ijq. legitimi in Trinacriæ regno succederent. his autem deficientibus, regnum ad Ioannæ heredes, si qui essent, aut his quoque sublatis, ad Romanam Ecclesiam deuolueretur.

CONDITIONES PRAESCRIPTAE FRID. III. ET SVCC.

Alterum ad ecclesiasticorum iura, eorumq. conseruationem; de bonis scilicet ipsorum restituendis, omnibusq. priuilegijs a iure concessis conseruandis: De tuendo electionum & nominationum iure ac libertate, sine vlla regij consensus necessitate: De causis clericorum per Ordinarios, aut Pontificis delegatos terminandis; appellationibusq. ad Sedem Apostolicam non inhibendis: De reuocādis statutis & legibus, si quæ a Friderico ipso, prædecessoribusq. edita essent contra ecclesiasticam libertatē; alijsq. in posterum non sanciendis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tertium, ne regnum Trinacriæ cum Imperio Romano, vel regno Teutoniæ, seu A
dominio Lombardiæ, vel Tusciæ sine expressa Pontificis voluntate coniungi vmquam
posset: si secus fieret, regno exciderent Reges, & ad Ecclesiam Romanam deuolu-
tum censeretur.

His ergo adiectis conditionibus Gregorius, cum Ioannæ & Friderici concordiæ ca-
pitula apud Villam nouam Auenionensis diœcesis oppidum vj. Kalendas Septembris
Pontificatus sui anno secundo confirmasset: Ioanna eadem omnia postmodum cum
Friderici Legatis, Regis sui nomine acceptantibus coram Ioanne Episcopo Sarlatensi,
Sedis Apostolicæ Nuntio, in eam rem delegato, ratificauit Auersæ die vltima mensis
Martij decimæ Indictionis, anno Domini M.C.LXXIII. Deinde Fridericus ipse in eiusdē
Episcopi manibus homagium pro Trinacriæ regno Pontifici iurauit Messanæ anno
M.C.LXXIV. die decimaseptima Ianuarij Indictione vndecima, Pontificatus Gregorij B
anno quarto, vt ex publicis instrumentis constat, quæ omnia in omnibus integerrima
tum Vaticana bibliotheca, tum Apostolicæ Sedis archiua conseruant. porro autem
ex huius cōcordiæ auctoritate in regno Trinacriæ successuri erāt Friderici posteri.

REVOCATA RVRSVS TYRANNIS. Verum is vnicam filiam reliquit, qua sine liberis defuncta, Aragonij Siciliam oc-
cuparunt, non vt Friderici huius, sed quod profitentur, vt Petri primi tyranni he-
redes. & homagium, vtpote qui sine inuestitura regnabant, nullum præstiterunt.
Sicq. ex consueta atque sæpe iterata tyrannide parta est violenta iterum Monarchia,
profitentes successores se, vt Petri primi inuasoris heredes, Siciliam possidere, vt-
pote quos necessario fateri oporteat, se heredes esse tyrannidis, inuasionis, cum in-
heredes vitia transeant hereditatis, quos sequatur & pœna excommunicationis, quæ
Petrum, cuius se iactant heredes, affecerat; sicq. in hoc vocati sint omnes, ijsdem non- C
dico iuribus, sed iniurijs innitentes, vt maledictionem hereditate possideant; quorum
adeo fuit deplorata conditio, vt eos non a sacrilegijs his reuocauerit timor ille, qui to-
a *Matth. 16.* nitru summi Tonantis mortales cōcutit verbis illis: Et quid prodest homini si vniuer-
sum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit ho-
mo commutationem pro anima sua? &c.]

HEREDES PETRI QVOT MALA SEQVANTVR. Quod autem religiosiores omnino existimemus esse recentiores Siciliæ Reges, pro-
cul abest, vt credere vel opinari velimus, eos in Siciliæ vltra Pharum regni possessio-
ne inniti Petro, manifesta tyrannide iura Ecclesiæ inuadenti ac pessumdanti, ob idq.
ad interitum vsque execrationibus diris affecto: quin potius quod pietas & ratio per-
suadent, eorum se Siciliæ Regum successores esse legitimos glorientur, qui legitime
illud ab habente eius verum dominium, ab ipsa eius domina Sede Apostolica obtinue- D
runt, vt Friderici Tertij, de quo diximus, qui recensitis superius pro immunitate ac li-
bertate ecclesiastica conditionibus obseruandis, illud ad successores omnes posteros
voluit propagari. Cuius si qui dedignantur heredes haberi; sed magis Petri succesſo-
res voluerint nominari: plane (quod horresco dicere) cum illo dici tyranni, & ijsdem
cum illo infamari probrosis titulis in bullis a Romanis Pontificibus irrogatis, & eo-
rum percelli sententijs anathematis velint. quod Deus prorsus auertat. Cum præser-
tim eiusmodi professione, omni se penitus eius adipiscendi regni iure priuarent, cum
nullus penitus asserere legitime possit, eum fuisse vere Siciliæ dominum, quam non
ab Ecclesia Romana, habente eius directum dominium, accepisset. Nam esto quod
Carolus eodem regno priuari valuerit: numquid aliquam de ipso pati iacturam Ro-
mana Ecclesia potuit, & sic suis iuribus spoliari? quod nemo certe diuinarum & hu- E
manarum legum peritus vel somnians poterit affirmare.

DE INVESTITVRA AB EVGENIO PAP. IV. ALPHONSO REGI. Sed prosequamur posteriores Siciliæ Reges, atque rerum euenta quam breuiter per-
stringamus, acturi rursum de singulis suo tēpore, si Deus concesserit, locupletius. De-
ficiente Andegauensiū stirpe in Ioanna Secunda, cū Martinus Quintus anno Redem-
ptoris millesimo quadringentesimo vigesimo eam abdicasset, Ludouicumq. Tertium
Ducem Andegauensium eius loco Regem designasset: illa Alphonsum Regem Ara-
gonum & Siciliæ insulæ, deinde mutato consilio, Ludouicum eumdem, reiecto Al-
phonso, adoptauit anno millesimo quadringentesimo vigesimotertio. Ceterum
prælijs rem agentibus, post varia bella victor Alphonsus, vt stabiliret sua, inuestitu-
ram Siciliæ & terræ citra Pharum ab Eugenio Papa Quarto tandem obtinuit, anno
Christi millesimo quadringentesimo quadragesimotertio, atque ita vtriusque Siciliæ,
siue

A siue Siciliæ citra & vltra Pharum, partibus regni post tot annos coniunctis, factus est
Rex. Ita dicto anno, concedente Eugenio, Id. Iulij. Cuius diplomate iuberetur
vtraque Sicilia indiuisa ab inuicem semper in posterum permanere. Extat ratificatio
eiusdem Alphonsi, facta post ferme biennium, nempe anno Salutis millesimo quadrin-
gentesimo quadragesimoquinto, die secunda mensis Iunij, qua & continetur homa-
gium ab ipso Romæ præstitum istis verbis:

ALPHONSI IVRAMENTVM FIDEI EXHIBITVM EVGEN. PAP. Ego Alphonsus Dei gratia Rex Siciliæ plenum homagium ligium & vassallagium
faciens vobis domino meo Eugenio Papæ Quarto & Ecclesiæ Romanæ pro REGNO
SICILIAE ET TOTA TERRA IPSIVS, quæ est citra Pharum vsque ad confinium
terrarum ipsius Ecclesiæ, excepta ciuitate Beneuentana cum toto territorio ac omni-
bus districtibus ac pertinentijs suis secundum antiquos fines territorij pertinētiarum,
B & districtus ciuitatis eiusdem, per Romanum Pontificem distinctos, vel in posterum
distinguendos: ab hac hora in antea fidelis & obediens ero beato Petro, & vobis domi-
no meo domino Eugenio Papæ Quarto, vestrisq. successoribus Romanis Pontificibus
canonice intrantibus, sanctæq. Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ. Non ero in consilio, vel
consensu, seu facto, vt vitam perdatis seu perdant, aut membrum, siue capiamini,
vel capiantur mala captione. Consilium quod mihi credituri estis per vos aut Nun-
tios vestros, vel per litteras, ad vestrum, vel eorum damnum scienter nemini pandam.
Et si sciuero fieri aut procurari, seu tractari aliquid, quod sit in vestrum, aut ipsorum
damnum: illud pro posse impediam. Et si hoc impedire non possum, illud vobis vel
eis significare curabo. Papatum Romanum, Regalia sancti Petri tam in REGNO
SICILIAE ET TERRA prædictis quam alibi consistentia adiutor vobis, & eis ero
C ad retinendum, defendendum & recuperandum, ac recuperata manu tenendum con-
tra omnes homines. Vniuersas & singulas conditiones suprascripras & contenras in
præsentibus litteris Apostolicis, super IPSORVM REGNI ET TERRAE concess-
sione confectis, & omnia & singula quæ continentur in eisdem litteris, plenarie ad-
implebo, & nullo vmquam tempore veniam contra illa; & maxime, quod ego num-
quam per me, vel alium, seu alios quoquo modo procurabo vt eligar, vel nominer in
Regem vel Imperatorem Romanorum, seu Regem Teutoniæ, aut dominū Longobar-
diæ, vel Tusciæ, seu maioris partis earumdem; & si electio de me celebrari contigerit:
nullum huiusmodi electioni, seu nominationi assensum præstabo, nec intromittam me
modo aliquo de eorum, vel alicuius ipsorum regimine, neque etiam de ciuitate Bene-
uentana & suis pertinentijs, seu Campania, vel Maritima, Ducatu Spoletano, Mar-
uentana & suis pertinentijs, seu Campania, vel Maritima, Ducatu Spoletano, Mar-
D chia Anconitana, Patrimonio beati Petri in Tuscia, Massa Trebaria, Romandiola,
alma Vrbe, in ciuitatibus Perusina, Ciuitate castelli, Bononiensi, Ferrariensi & Aue-
nionensi, Comitatu Venassini, seu in alijs terris quibuscumque vestris & demanijs,
seu feudis ipsius Ecclesiæ vbilibet constitutis ex successione vel legato, aut venditione,
seu donatione, seu alio quouis titulo, vel contractu: nihil vmquam mihi acquiram
seu vendicabo, seu potero acquirere, vel quomodolibet vendicare; & nihil vmquam
recipiam vel habebo, vel potero recipere, habere vel retinere in illis; neque vllam po-
testariam, capitaniam, vel rectoriam, nullumq. aliud officium recipiam, seu accipere
potero, habebo, vel retinebo, aut habere, seu retinere potero in eisdem, aut ipsorum
aliquo; nec etiam occupabo, aut occupare permittam, seu faciam præmissa, vel par-
tem aliquam eorumdem; nec illa offendam vel molestabo; nec etiam Romanam Ec-
E clesiā quoquo modo sub censuris, pœnisq. spiritualibus & temporalibus in suprascri-
ptis conditionibus & in feudationibus contentis, quas hic haberi volo in singulis par-
tibus alias pro specifice repetitis etiam & expressis. Item perditionis alumno Amo-
deo hæretico & schismatico, a fide deuio, & ab ipsa Ecclesia præciso & sententialiter
condemnato, eiusq. sequacibus & dantibus ei auxilium, consilium vel fauorem non
dabo quouis modo per me, seu alium, seu alios directe vel indirecte, publice vel occul-
te auxilium, consilium, vel fauorem; nec ab alijs quantum in me fuerit, si impedire
potero, dari permittam, sed eos iuxta posse meum, donec conuertantur, persequar &
inuadam. Sic me Deus adiuuet & hæc sancta Euangelia] hactenus homagium & iu-
ramentum intextum in ipsa Alphonsi ratificatione, vbi in fine: Datum Neapoli apud
maiorem ecclesiam per manus mei prædicti Regis Alphonsi, anno a Natiuitate Do-
mini millesimo quadringentesimo quadragesimoquinto, die secunda mensis Iunij

fuit iste Antipapa dictus Felix Quartus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

octauæ Indictionis, regnorum nostrorum anno trigesimo, huius vero Siciliæ citra Pharum regni vndecimo.] hæc ibi. Qui cauillantur, ex eo quod semel eius ratificationis exordio scriptum inuenitur, inuestituram Eugenij esse de regno Siciliæ citra Pharum.] nonnisi pro eo ratificationem factam esse contendunt. Verum cum ipsum ibi ab eo integrum Eugenij diploma recitetur verbatim, in quo centies reperitur, dari ab eo inuestituram de vtraque Sicilia, sicq. formandum homagium & iuramẽtum, quod ibi cum Eugenij bulla recensuerit atque descripserit in ipsa sua ratificatione: quomodo ex ipsomet non conuincitur mendacium, vt amplius dubitandi locus reliquus esse non possit, cum præsertim decreto Eugenij ibidem descripto iunctum sic fuerit ab eo vtrumque regnum, vt non licuerit ipsa ab inuicem separari? A

REVOCATA ECCLESIAE IVRA.

Recitantur autem in ratificatione facta ab eodem Alphonso omnes conditiones ab Eugenio propositæ, a se autem acceptæ atque ratæ habitæ, iuratæ, atque subscriptæ, & ipsæ quidem, quibus omnia Ecclesiæ iura collapsa, a Regibus vsurpata reuocantur in pristinum vsum, quæ vendicarent ipsam Ecclesiam in pristinam libertatem, præcisis vinculis omnibus tyrannicæ Monarchiæ, ijsdem plane & amplioribus appositis conditionibus, quas superius recitatas legisti ex diplomate Clementis Papæ Quarti de inuestitura facta Carolo Regi: vt non sit, quod possit desiderari ad perfectam extinctionem infaustæ Monarchiæ, & absolutissimam restitutionem ecclesiasticæ libertatis. B

Vt autem prosequamur de reliquis dicere. Ex nouo accidente, noua rursus regni diuisio facta est. Sicilia enim insula cum regno Aragoniæ ad Ioannem eius fratrem, quod Alphonsus legitima prole careret, transijt, cuius filius & successor fuit postea Rex Catholicus. Qui quidem Ioannes cum absque inuestitura ab Apostolica Sede accepta regnaret, nec peteret: Pius Papa Secundus concessit inuestituram Ferdinando Alphonsi filio naturali de vtraque Sicilia, anno millesimo quadringentesimo quinquagesimooctauo. extat ipsum Pontificium diploma de inuestitura vtriusque Siciliæ facta eidem Ferdinando, quod incipit: Diuina disponente clementia, per quam Reges regnant & Principes imperant &c.] C

FERDINANDI ALPHON. FILII INVESTIT.

In quo primum mentio habetur de inuestitura, facta ab Eugenio Papa Quarto eius patri Alphõso expressissime de regno vtriusque Siciliæ, deq. alia itidem de vtroque regno facta ab Eugenij successore Nicolao Papa Quinto eidem Ferdinando post obitum patris sui, quem habilitasset ad vtriusque regni successionem, simulq. posteros omnes. In eodem pariter omnes & singulæ recensitæ habentur inter alias multas conditiones illæ, quibus detestabilis Monarchia proscriberetur omnino, & sancta libertas Ecclesiæ in omnibus restitueretur, atque conseruaretur illæsa in suis omnibus iuribus & priuilegijs, cum ijsdem plane conditionibus & capitulis, quæ superius sunt recitata in Caroli Regis inuestitura per Clementem Quartum facta. Nam in ea sigillatim sunt posita, ad verbumq. repetita omnia illa, cum solita detestatione & prohibitione omnium legum, quæ a tribus illis tyrannis, siue a Ioanna Regina, siue ab alijs promulgatæ fuissent. Extat ipsum diploma vna cum subscriptione testium, datum anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimooctauo, quarto Idus Nouemb. Pontificatus Pij Secundi Papæ anno primo. Cui mox subijcitur ratificatio ipsius Ferdinandi, habita sæpius expressissima mentione de facta & ratificata inuestitura Siciliæ vtriusque vltra & citra Pharum. vt nihil penitus sit, quod in ijs desiderari possit. D

SIXTI PAP. IV. CONFIRMATIO

Sed & Sixtum Papam Quartum eamdem inuestituram, a Pio Secundo factam de Sicilia, & terra quoque citra Pharum, eidem Ferdinando ijsdem conditionibus confirmasse: ex eius apparet diplomate, dato anno primo sui Pontificatus, Redemptoris vero anno millesimo quadringentesimo septuagesimoprimo. E

DE INVESTITVRA FACTA FERD. FILIO, ET NEPOTI AB INNOC. PAP. VIII.

Ipse etiam Ferdinandus Rex prospiciens in futurum, egit apud Innocẽtium Papam Octauum, vt inuestiret de regno Siciliæ, & terra citra Pharum filium suum primogenitum Alphonsum, tunc Ducem Calabriæ, nec non eiusdem Alphonsi filium primogenitum Ferdinandum tunc Capuæ Principem itidem de regno Siciliæ & terra citra Pharum, in qua solemniter facta inuestitura omnes illæ positæ & descriptæ fuerunt conditiones pro libertate & immunitate ecclesiastica tam locorum, quam personarum, quas conscriptas superius legisti in inuestitura a Clemente Papa Carolo Regi facta, continentes libera iura appellandi ad Apostolicam Sedem, & abrogationes legũ

Fride-

A Friderici, siue aliorum quorumcumque contra libertatem ecclesiasticam editarum: ita vt ne vel minimum quidpiam prætermissum, vel diminutum a recitatis superius ijsdem conditionibus inueniatur.

Facta est eiusmodi inuestitura, datumq. diploma Romæ, anno Redemptoris millesimo quadringentesimo nonagesimosecundo, pridie Nonas Iunij, anno eiusdem Innocentij Pontificatus octauo. cuius est exordium: Romanus Põtifex inter curas multiplices &c.] habemus exemplaria eiusdem inuestituræ in Vaticana bibliotheca; authentica vero originalia in archiuo in castello sancti Angeli asseruantur.

DE IVLII PAP. II. INVESTITVRA FACTA FERDINANDO CATHOL. REG.

Sed modo dicendum de alio Ferdinando, cognomento, Catholico, qui de Sicilia citra Pharum a Iulio Secundo Papa inuestituram accepit, cum tamen Siciliæ vltra Pharum regnum, quod succedens (vt dictum est) Ioanni patri acceperat, absque inB uestitura aliqua possideret. Sed quæ ratio, vt Siciliæ citra Pharum peteret inuestituram ab Apostolica Sede, Siciliæ vero vltra Pharum minime? cum æque vtriusque Siciliæ dominium penes eamdem Apostolicam Sedem esset, & sicut illius, ita & istius inuestituram conferre consueuerint Romani Pontifices a primis temporibus, cum ea, Sarracenis expulsis, sunt potiti Northmanni, & Robertus Guiscardus, qui primus inuasit, & frater eius Rogerius, qui plene possedit (vt pluribus de singulis dictum est superius suis locis) sicut & posteri, vsque ad tyrannos Conradum, atque Manfredum, & Corradinum, de Sicilia vltra Pharum, sicut de Sicilia citra Pharum, quam vocant, æque ab Apostolica Sede acceperunt inuestituram.

Sed num quiã non accepit Petrus, de quo superius dictum, bene factum probari potuit, cum quantumlibet iuste, vt sibi visum est, eam vendicasset a Carolo? numquid ab C ipsa Sede Apostolica potuit abstulisse dominium, quod & posteriores, ijdemq. prudentiores Reges sunt venerati, Fridericus Secundus, Tertius, & alij superius recensiti, qui ab ipsa Sede Apostolica non alterius, sed vtriusque Siciliæ inuestituram ab Apostolica Sede petierunt, & acceperunt? Sed numquid Iulius, qui Siciliæ citra Pharum tantum inuestituram petenti tradidit Ferdinando, voluit Ecclesiæ Romanæ iuribus super Siciliam vltra Pharum aliquid derogatum contra omnia prædecessorum diplomata? vel eius successores Romani Pontifices, qui ad instar Iulij successoribus Regibus inuestituram concessere Siciliæ citra Pharum, demptum & abrogatum voluerunt dominium directum, quod semper habuit eadem Romana Ecclesia in regno Siciliæ vltra Pharum? minime gẽtium. Siquidem de ea re priuilegia per singulas inuestituras diuersis collatas vsu recepta, probata, confirmata, atque adeo stabilita fuere, D vt ad abrogationem eorum, specialem mentionem requirerent, & causam magnam expoſcerent. Cum igitur a nullo penitus Romanorum Pontificum ijsdem vel in minimo derogatum possit ostendi: eadem Ecclesiæ Romanæ iura suo robore integra permanere quis est qui negare præsumat? Ceterum ipsi Romani Pontifices vti patres ista interdum toleranda, pro temporum ratione, & dissimulanda putarunt ad tempus, timentes ad iracundiam prouocare filios suos. Sed numquid dormiet vel dormitabit, qui custodit Israel, vt non sit de his exacturus rationem? non puto. An patietur ipse cuius sunt ista, Petrus, qui de suo ipsorum vendito agro exigens seuerus exactor a dominis rationem, eosdem partem pretij occultantes, obtegentes fraudem mendacio, interfecit spiritu oris sui? non certe.

a Psal. 120.

b Act. 5.

Quod vero magnopere admiramur illud est; quomodo in inuestitura, facta Ferdinando Catholico a Iulio Papa, vsurpata adeo reperitur inuersio nominum, vt per Siciliam & terram citra Pharum, non vtraque Sicilia intelligatur, cum semper a maioribus, ex quo etiam facta est ante Carolum Primum inuestitura Henrico Anglorum Regi, & per eum eius filio Eadmundo, & sic in ceteris omnibus vsque ad hæc tempora Iulij, in omnibus inuestituris, & earum per Reges exhibitas ratihabitiones, in illis verbis frequenter adhiberi solitis, Sicilia cum terra vltra Pharum, seu Sicilia, & terra vltra Pharum, semper, inquam, per hæc verba intelligi voluerunt vtramque Siciliam, vltra Pharum videlicet, & citra Pharum? At in dicta Iulij inuestitura per eadem verba, Sicilia & terra citra Pharum, seu, Sicilia cum tota terra citra Pharum, nisi Siciliam citra Pharum intelligi debere, de qua facta legitur inuestitura contendunt. Ceterum si verba illa more maiorum sunt intelligenda, haud dubium devtraque Sicilia Ferdinandum dixeris accepisse, dum sic ipse iurat:

Ego

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ego Ferdinandus Dei gratia Rex Siciliæ citra Pharum,& Hierusalem, plenum homagium ligium & vassallagium faciens vobis domino nostro domino Iulio Papæ Secundo & Ecclesiæ Romanæ pro regno Siciliæ & Hierusalem,atque tota terra,quæ est citra Pharum,vsque ad confinium terrarum ipsius Ecclesiæ,excepta ciuitate Beneuentana &c.] & inferius, ex parte heredum & successorum: In proprio, inquit, iuramento fatebuntur, & recognoscent expresse, regnum Siciliæ & Hierusalem ac totam terram eorum, quæ est citra Pharum vsque ad confinia, vt supra] pergit:Et mera liberalitate Sedis Apostolicæ, & nostra sibi suisq. heredibus & successoribus fuisse concessa,ipsosq. recepisse & tenere regnum Siciliæ & terram huiusmodi a nobis, & dicta Romana Ecclesia. &c.] Quæ inquam verba, si posita sint eo sensu, quo poni vsque ad ea tempora consueuerunt in omnibus inuestituris: res pie ac religiose confecta est, vt facta dicatur inuestitura de vtraque Sicilia, etiam si de Sicilia citra Pharum tantum factam inuestiturã,sit dictum superius: si vero alio sensu quam sonant sint posita,ecce in verbis captio, & deceptio. Ceterum Iulius Papa, qui rebellione Alphonsi Ferrariæ Ducis, & aliorum magnopere vrgebatur, egebatq. auxilio (vt ipse ibi testatur) eiusdem Ferdinandi contra rebelles, atque tyrannos: haud de inuestitura Siciliæ vltra Pharum explicatius agendum existimauit; cum tamen nequidquam iura Apostolicæ Sedis super idem regnum Siciliæ vltra Pharum dimisisse eo diplomate, vel alio, neque aliquis successorum, qui eadem verborum forma conceperit inuestituras a se factas siue Carolo Quinto, siue Philippis Regibus, dici possit, ita vt in omnibus penitus remaneant integra necesse sit iura Apostolicæ Sedis in regno Siciliæ vltra Pharum, sicut & citra Pharum,quæ possidet. Quibus a Nicolai Papæ Secundi tempore; per spacium quingentorum fere annorum possessis per inuestituram ab eo factam Roberto Guiscardo, & per successores Romanorum Pontificum successoribus Northmãnis Comitibus, Ducibus atque Regibus,& post eos Constantiæ & eius filio Friderico, inde Anglorum Regi, deinde Carolo & successoribus Andegauensibus, postea Fridericis, Secundo, & Tertio Aragonensibus, inde Alphonso, & eius filio Ferdinando nothio atque nepotibus: & his omnibus exhibitis semper inuestituris cum conditionibus omnibus, quibus sunt iura ecclesiasticæ immunitatis semper conseruata in omnibus integra & illæsa, ijsdemq. a nemine Romanorum Pontificum reuocatis speciali aliqua, quæ exigebatur, abrogatione, derogatione, abrenuntiatione, & sic alteri facta expressa cõcessione: quomodo absque speciali facta inuestitura ab ipsa Apostolica Sede vere domina, de regno Siciliæ vltra Pharum,illud ab eis dici potest legitime possideri, & non potius occupari,& præter omne ius fasq. violentia detineri? Cum ostendendum sit, quando vel quomodo semel ab eius directo dominio excidit Apostolica Sedes, vt absque inuestitura per eum facienda possit a quopiam illud regnum legitime possideri. At hæc cursim modo, suis autem temporibus agendum pluribus.

VSVS RERVM IN POSSESSIONE IVRIVM APOST. SEDIS.

Sed quod polliciti sumus ea etiam, licet breuiter, de his quæ spectant ad rerum vsum,insinuare: de his acturi, incipiamus ab eo tempore, quo sub Innocentio Papa Tertio ipsa male cœpta extincta est Monarchia,perueniamusq.vsque ad Carolũ Quintum, quo restituta ponitur, per quæque sæcula, ætates omnes, in quibus ostendamus iugem continuatamq. possessionem omnium iurium Romanæ Ecclesiæ in omnem ecclesiam Siciliæ etiam vltra Pharum. Ecce Innocentius ipse Visitatorem mittit illuc plenissima facultate, ea quæ opus essent agendi, Cardinalem Episcopum Ostiensem. extant adhuc datæ litteræ Apostolicæ ad Archiepiscopos,Episcopos,Abbates,& alios. Innoc.Registr.tom. 1.lib.1.epist.415.Insuper misisse reperitur rursus Legatum presbyterum Cardinalem sancti Laurentij in Lucina,vt apparet in 2.& 3.cap.sub tit. de offic. deleg. extr. Adhuc etiam constituisse Legatum Syracusanum Episcopum, vt habet epist. 511. lib.1. postea vero alia occasione misisse item Legatum a latere Gerardum diaconum Cardinalem sanctæ Mariæ in Porticu,vt patet ex litteris ipsi datis pluribus eiusdem argumenti lib. eod. epist. 571. 572. 574. Rursus post hæc Legatos misit a latere Iulium presbyterum Cardinalem tituli sancti Stephani in monte Cælio,& Gerardum diaconum Cardinalem sancti Hadriani,vt apparet ex litteris illis datis epist. 573. lib.1. Causas insuper deferri solitas ad Sedem Apostolicam, & ab illa delegatas diuersis eiusdem Insulæ Episcopis, docent aliæ eiusdem Pontificis litteræ. epist. 180. 310. 576. lib.1. & lib.2. epist.14. hæc quæ cursim legendo inuenimus in cuso primo tomo epi-

epistolarum eiusdem Innocentij Papæ Tertij, cum alioqui nec omnes datæ ab eo epistolæ inueniantur, plurimas ex eis excidisse constet: aliæ vero in alijs voluminibus antiquitus scriptæ in Vaticana bibliotheca asseruantur, ex quibus aliqua ad rem spectantia voluimus deprompsisse; hicq. non eas descripsisse, sed indicasse tantum, signasseq. loca, vt si velit Lector, consulere ipsas possit.

Post alia namque habetur in ijsdem, quod idem Pontifex anno quinto sui Pontificatus misit in Siciliam R. sancti Marcelli presbyterum Cardinalem, & cum eo consobrinum suum Iacobum Mareschalcũ amplissima facultate. extant de his litteræ Apostolicæ tomo tertio epistolarum eiusdem Pontificis. incipiunt: Opera testimoniũ perhibent veritati &c.] Rursus anno septimo sui Pontificatus misisse reperitur Legatum in Siciliam G. diaconum Cardinalem sancti Hadriani, cui suas vices tribuit tam in spiritualibus, quam temporalibus. datæ de his litteræ incipiunt: Egressus satan &c.] extant libro septimo. & ad Regem Siciliæ Fridericum, vt eiusdem Legati monitis, & consilijs acquiescat. incipit epistola: Regiæ excellentiæ litteras &c.] & ad eumdem Legatum litteræ de optimo statu regni instituendo.

CONTINVATA POSSESSIO SVB HONORIO TERTIO.

Eius vero successor Honorius Papa Tertius, cuius epistolarum adhuc extant volumina, nihil magis curasse videtur, quam vt iura Romanæ Ecclesiæ in Sicilia integra seruarentur: sicq. cum concedit priuilegia Archimandritæ Messanensi,saluis Ecclesiæ Romanæ iuribus id se facere contestatur epistola 43. libro primo, data Kalendis Nouembris anno Domini millesimo ducentesimo vigesimosexto, Pontificatus anno primo. Litteris quoque sæpe redarguit Regem ipsum, quod se immiscerat electionibus, & alijs iuribus ecclesiasticis: cum ipse Rex Fridericus se id nec cogitasse facere excusset. Extant de his litteræ 527. libro tertio, & 531. Regis vero epistola 572. ad eumdem Honorium Papam, quibus excusans, hæc inter alia ipse Rex ait: An forte nos ignorare creditis, quia qui præsumunt offendere sanctam matrem Ecclesiam, ipsi bibunt in calice Babylonis? &c.] Cuius Friderici Regis tempore quamuis idem Honorius Papa eum experiretur aduersum, nihilominus liberam in regno Siciliæ iurisdictionem exercuisse reperitur, nimirum indixisse collectam de persoluenda vigesima omnium ecclesiasticorum reddituum, pro subsidio Terræ sanctæ. cuius causa legationem instituit ad ipsum Siciliæ regnum. extant de his litteræ Apostolicæ 104. 359. datæ anno primo Pontificatus. Rursus de alia collecta indicta pro Templarijs epistola 131. libro tertio, data anno tertio sui Pontificatus. Insuper de appellationibus ad Sedem Apostolicam extat epistola eiusdem Honorij Papæ sexcentesima, data anno secundo sui Pontificatus ad Syracusanum Episcopum, cum tempore Innocentij Papæ ad Sedem Apostolicam appellasset: cuius causæ iuribus inspectis idem Honorius aduersarijs perpetuum silentium indixit.

SVB INNOCENTIO PAPA QVARTO.

Successor Honorij post Gregorium & Cælestinum Innocẽtius Papa Quartus duos Legatos in Siciliam misisse reperitur anno tertio sui Pontificatus, nempe S. presbyterum Cardinalem sanctæ Mariæ trans Tiberim, & R. sanctæ Mariæ in Cosmedin diaconum Cardinalem, amplissima concessa eisdem facultate. extant de his eiusdem Pontificis litteræ ad Archiepiscopos, Episcopos, & Abbates, atque Barones eius regni. est vndecima eius anni tertij epistolarum, quæ incipit: Nostra feruenter in hoc aspirat affectio &c.] alia rursum ad eosdem Legatos, cum tribuit eis facultatem beneficia conferendi. est 14. ordine. incipit: Si circumspector Dominus &c.] Insuper idem Pontifex post hæc reperitur misisse Nuntios in Siciliam. extãt de his litteræ Apostolicæ,datæ Lugduni anno eius Pontificatus octauo,mense Februarij. est earum exordium: Lætentur cæli &c.] & ternæ aliæ quæ sequuntur,eiusdẽ sunt argumenti.aliæ insuper, quibus continentur collationes beneficiorũ eiusdem regni Siciliæ factæ diuersis.

Sed quod tædio putamus fore Lectori, si successorum singulorum Pontificum Romanorum hic nimia prolixitate describere velimus singula, siue de appellationibus ad Apostolicam Sedem ex eodem Siciliæ regno delatis, siue de legationibus ab eadem Sede in Siciliam missis;alijsq. iuribus libere iugiter administratis: satis esse putamus,si missis ceteris,cõiungamus postrema prioribus,quibus significetur,eadẽ ipsa,quæ actitata videmus,etiã vsque ad dicta tempora Caroli Quinti Imperatoris perseueraſſe,nec vmquam penitus desijsse. Progredientes igitur ex Vaticanæ bibliothecæ epistolarum voluminibus antiquorum Romanorum Pontificum,diuertamus aliquantisper ad Tabula-

Universidad de Deusto
Biblioteca

bularium Camerale, ex cuius aliquibus scriptis libris, ista in exemplum perseuerantis A
vsus adduxisse sufficiat.

NVNTII PRO DIVERSIS NEGOTIIS IN SICILIA SOLITI COMMORARI.

In libro bullarum primo Bonifacij Papæ Noni, qui in dicto Tabulario, siue archiuo Camerali vsque hodie asseruatur, in primis bulla habetur, qua mandatur Nuntio Sedis Apostolicæ in regno Siciliæ restitutio rebellium. Data Romæ quarto Kalendas Februarij anno primo Pontificatus. hæc fol. cxv.

Alia bulla insuper, qua datur facultas eidem Nuntio absoluendi excommunicatos ob violentas manus iniectas in clericos. Data Romæ vt supra, fol. cxvij. & fol. cxix. habentur insuper litteræ Apostolicæ, quibus datur facultas Nuntio Apostolico in regno Siciliæ colligendi decimas. Datæ habentur Romæ tertio Kal. Februarij anno primo.

NVNTII EXACTORES.

Rursum alia bulla, qua datur facultas eidem Nuntio in Sicilia consistenti, exigendi charitatiuum subsidium ab omnibus bona ecclesiastica possidentibus, pro supportandis Apostolicæ Sedis oneribus. B
Data Romæ tertio Kalen. Februarij anno itidem primo Pontificatus eiusdem. ibid. fol. cxxv. Eidem Nuntio facultas mittitur concedendi commeatum octo nauibus Alexandria soluentibus. ibid. fol. cxxix. & cxxxi. Facultas eidem Nuntio datur dispensandi super defectum natalium. fol. cxxxi.

Anno vero secundo ipsius missus reperitur in Siciliam ab eodem Pontifice Nicolaus de Summa ripa ad componendas controuersias eiusdem Siciliæ regni. extat de his bulla data Romæ quarto Nonas Iulij. fol. cxxxv. & sequenti folio cxxxvj. facultas cõcessa componendi cum proceribus, de censibus non solutis Romanæ Ecclesiæ debitis. Quo pariter anno deputatur ab eodem ad regnum Siciliæ Raymundus de Baucio de Vrsinis Confalonerius Papæ. est de his bulla data Idibus Augusti. fol. clxi.

Anno autem Pontificatus quarto aliæ datæ habentur litteræ Apostolicæ quarto C
Kalendas Decembris ad Apostolicæ Sedis Nuntium, cum ei tribuuntur pro expensis quotidianis decem floreni aurei a Clero eiusdem regni exigendis. extant fol. ccxxij. libro secundo.

NVNTII DEFENSORES REVM ECCLESIAE.

Libro vero tertio bullarum eiusdem Bonifacij Papæ Noni est bulla de Commissario deputato in Siciliam contra occupantes bona ecclesiæ Panormitanæ. Data Romæ Idibus Nouembris anno septimo, ibid. fol. x. qua die etiam habetur data alia bulla de simili commissione contra occupatores bonorum Sedis Apostolicæ in Sicilia.

Libro vltimo Clementis Papæ Sexti diploma extat, quo Guillelmus Episcopus Nazarenus deputatur Nuntius Apostolicæ Sedis, & Collector in regno Siciliæ vltra Pharũ
loco Theobaldi Archiepiscopi Panormitani defuncti. Datum habetur Auenione tertio Kalendas Februarij anno primo. ibid. fol. DXXXII. D

EXACTORES SPOLIORVM CONSTITVTI IN SICILIA.

In eodem Camerali Tabulario inter monimẽta Innocentij Papæ Sexti habetur bulla, qua committitur Apostolicæ Sedis Nuntio in regno Siciliæ commoranti exactio spoliorum defuncti Episcopi Agrigentini. Data vndecima Kalendas Februarij anno quarto Pontificatus eius. ibid. fol. CXCII. & duodecimo Kalendas Martij. Eodem anno quarto Pontificatus eius habetur data bulla, qua committitur Episcopo Catanensi exactio omnium spoliorum Siciliæ.

Eiusdem vero Innocentij Papæ Sexti tempore Nicolaus de Aragonia S. R. E. Cardinalis, commentarium scripsit de iurisdictione quadruplici demonstrata Romanæ Ecclesiæ in regnum Siciliæ. extat volumen antiquitus scriptum in Vaticana bibliotheca vna cum alijs eiusdem auctoris commentarijs.

Successor Innocentij Vrbanus Quintus reperitur misisse Nuntium & Collectorem E
decimarum in Siciliã vltra Pharum Dominicum de Sassonorio canonicum Beneuentanum. extant de his eius litteræ datæ anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimooctauo, Pontificatus eius anno sexto, die decimasexta Maij.

REFORMATORES MISSI IN SICILIAM.

Ex libro tertio Apostolicarum litterarum Ioannis Papæ Vigesimitertij extant litteræ Apostolicæ, quibus Arago de Malaspina decernitur Reformator in regno Siciliæ in rebus temporalibus, cui pro expensis persoluantur vigintiquinque floreni a Clero Siciliæ qualibet die. conceditur eidem facultas conferendi canonicatus & alia beneficia ecclesiastica. Datæ habentur litteræ decimaquinta Kalendas Nouembris anno secundo eius Pontificatus. fol. CXVI.

COLLECTORES MISSI A ROMANIS PONT. IN SICILIAM.

Insuper etiam cõsueuisse frequenter Apostolicam Sedẽ in Siciliã Collectores mittere, cum vetera recensita, tũ recentia sunt exempla. Extant enim in eodem Tabulario Camerali

merali Martini V. litteræ Apostolicæ, quibus quidam Cypressus Balauerius deputatur A
in Sicilia Collector reddituum & fructuum quorumcumque Cameræ Apostolicæ debitorum. Datæ habentur Constantiæ, decimo Kal. Octobris, anno primo Pontificatus eius. ibid. fol. II. Nouissime vero reperitur, quod Paulus Papa Tertius misit etiam specialim in Siciliam Collectores Tobiam Palauicinum, & Lucam Iustinianum deputatos ad colligendum subsidium medietatis veri annui valoris (vt verbis vtar litterarum Apostolicarum) omnium fructuum beneficiorum ecclesiasticorum. Missi sunt autem ijdem idipsum præstare per vniuersam Italiam: adeo vt nihil minus iuris in Sicilia, quam in ceteris Italiæ prouincijs vsque ad nostra tempora sibi Pontifex vendicaret. quod quidem de his scriptum diploma extat in libro impositionum Cameræ Apostolicæ, datum in eadem Camera Apostolica, vltima Februarij, anno Domini millesiB
mo quingentesimo quadragesimotertio, Pontificatus vero ipsius anno nono. ibid. fol. CLIV. ista sunt quæ spectant ad ipsum rerũ vsum, quæ cursim rẽ agenti licuit reperisse.

AVCTORIS IVSTAE QVERELAE PROMOVENDAE.

Si autem Deus concesserit, vt in Annalium prosecutione futura tempora disquiramus, locupletiorem de his tractationem pollicemur ex vberiori messe colligendam, quibus appareat, quantam scriptis omnibus reclamantibus, iuribus omnibus contradicentibus, cælo terraq. testantibus, Apostolica Sedes in regno Siciliæ patiatur iniuriam, & sentiat suorum iurium detrimentum, & inauditam hactenus inter Catholicos ignominiam subire cogatur, rebus ipsis (quod est grauius) in deterius prolabentibus. Nam quæ est in his graue passa dispendium, & adhuc grauiori indies in eodem regno afficiatur opprobrio, iamq. a tempore Caroli V. experta plane intolerabile in spiritualibus & temporalibus damnum, cum in temporali dominio domina ignoretur, & inC
spirituali esse nesciatur, quod est, Vniuersalis Ecclesia; cum in his quæ sunt diuini, humaniq. iuris, exercendis in Sicilia careat facultate, vt quæ recensita sunt superius, manifestant: lugubre cum Propheta lamentum occinit: [a] Super dolorem vulnerum meorum addiderunt] Quot enim oportuisset tanta ista quæ audent, diplomatibus esse concessa, quot specificis asserta sententijs, definita clausulis, elucidata periodis, obsignata sigillis, subscriptionibusq. munita, vt vim aliquam obtinerent, si tamen vel sic obtinere potuissent? vt non leuissimo prætextu diplomatis Vrbani Papæ, nihil huiusmodi (vt ostensum est) concedentis, omniq. ex parte nutantis, penitusq. ruentis, ea seruanda sancirent, vsu rerum inducerent, retinerent, defenderent, indiesq. deterius propagarent, quibus desciscant a matre, dissideant ab Ecclesia, cui renuant vel in ijs quæ iuris diuini, naturalis, canonici, communisq. sint, parere.

[a] Psal. 68.

CONCESSA CONTRA ECCLESIAE IVRA NON TENENT.

D Quæ quidem etsi authentico, obsignato, subscripto, omniq. ex parte fide constante diplomate alicuius Romani Pontificis concessa monstrari possent: nec sic subsisterent, quæ contra præcipua Ecclesiæ Romanæ iura inuenirentur esse disposita. Nam audi quæ mascula voce, energia virili, vigore sacerdotali in Henricum Imperatorem, istiusmodi iura ecclesiastica inuadentem Desiderius, idemq. Victor Papa Tertius, cum ei in faciem restitit, verba protulit: [b] Sedes enim, inquit, Apostolica domina est nostra, non ancilla, nec alicui subdita, sed omnibus prælata; & ideo nulla omnino ratione sub iugum a quoquam mitti potest. Quod si a Nicolao Papa factum est: *scilicet vt arbitrium expectaretur Imperatoris in electione Romani Pontificis, quod vt dictumest, falso prætendebatur*: iniuste profecto & temere præsumptum est: non tamen cuiusquam stultitia vel temeritate amittit Ecclesia dignitatem suam] hæc ipse. Quæ etiam eodẽ tem-

[b] Chron. Cass. lib. 3. c. 49.

E pore Deus dedit Cardinalis tituli Eudoxiæ (de quo suo loco dictum) scripto insigni volumine ad eumdem Victorem Tertium Papam, pluribus argumentis asseruit. Sed & sanctus Brunus Episcopus Signiæ, & cum eo plurimi alij Episcopi & Cardinales in Concilio Romano coegerũt Paschalem Papam reuocare, quæ contra Romanæ Ecclesiæ iura promisisset Henrico Imperatori, vt suo loco inferius dicturi sumus.

Cum alioqui in confesso sit apud omnes, priuilegia ab Apostolica Sede collata, non debere contra eamdem Ecclesiam militare. In quam sententiã Nicolaus Papa, idemq. Sanctus, eius nominis Primus, in decretali epistola, quam scripsit ad Henricũ Archiepiscopum Turonensem, quam superius suo loco reddidimus, vbi agit de priuilegio ab Apostolica Sede concesso Rhemensi ecclesiæ, quo eius Archiepiscopus Hincmarus contra ipsam abuteretur, hæc inter alia habet: Sic Apostolica Sedes aliena iura custo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dit, vt sua non minuat; sic honorem debitum dat, vt suum non tribuat alienis. Nam & arma illi a nobis collata, ita volumus vt pro eo sint valida, vt potius pro nobis, vbi necesse est, non contra nos firmitatem obtineant] hæc ipse, qui de priuilegio Apostolicæ Sedis agens, quo ipsa præsideat ecclesijs omnibus, & ab omnibus exigat obedientiam, hæc habet, scribens ad Carolum Francorum Regem: Quæ tanta Sedis Apostolicæ priuilegia vsque ad mortem, ope freti diuina, prædecessorum meorum vestigia sequendo, cassari taliter minime patiemur] & quod ad eam omnes appellandi, nullius obice priuilegij, habeant facultatem, subijcit ista: Priuilegia namque Romanæ Ecclesiæ, totius sunt Christi (vt ita dicamus) remedia Ecclesiæ Catholicæ: priuilegia, inquam, Petri arma sunt contra omnes impetus prauitatum, & munimenta & documenta domini sacerdotum, & omnium prorsus qui in sublimitate consistunt, immo cunctorum qui ab ijsdem potestatibus diuersis afficiuntur incommodis] At tanta ista Deo accepta, qui eorum est auctor, Angelis & hominibus reuerenda, qui in eorum semper custodiam vigilarūt, ab ipso exordio nascentis Ecclesiæ vsu recepta atque probata, vnius, sed mutilati, nihilq. huiusmodi concedentis, diplomatis occasione adducenda sunt in discrimen, exponenda ludibrio, atque penitus abolenda? At aboleri non possunt quæ viuunt in radice sua; sed qui præciditur ex eis ramus aresçit.

Quæ rursum ratio postulat, vt contra tot Romanorum Pontificum antea & postea data diplomata vnum proponatur, deprauatum, omnino concisum, numquam a successorum aliquo confirmatum diploma Vrbani Papæ, idemq. etiam si germanum, legitimumq. fuisset, iam in Rogerij heredibus desinens, nullius alterius Romanorum Pontificum confirmatione roboratum, immo contrarijs penitus constitutionibus rescissum & abolitum, post tot sæcula obliuione sepultum, a nemine Regum, qui contra Sedem Apostolicam pugnauerūt, nec nomine tenus cognitum, nedum exhibitum vel citatum: hoc ipsum, inquam, hoc sæculo nostro sub Carolo Quinto, ad erigendā contra Romanam Ecclesiam Monarchiam emersérit rediuiuum? Cuius occasione flamma semel incensa in dies magis magisq. maioribus incrementis Siculam depascat ecclesiam, de qua illud propheticum iure occini possit: [a] Oliuam vberem, pulchram, fructiferam, speciosam vocauit Dominus nomen tuum: ad vocem loquelæ grandis exarsit ignis in ea, & combusta sunt fruteta eius] At quæ loquela grandis? vtique male vsurpatum Monarchiæ infaustum nomen, quo eadem infelix ecclesia veluti igne consumpta, redacta suspiret in cinerem. Vnica nobis reliqua spes in nostro Zorobabel, in Philippo Tertio, qui incensum restituat templum, & efficiat, vt [b] maior sit gloria domus huius nouissimæ quam prioris, qui [c] & exæquet magnum superbiæ montem in planum. Quod vtique æquum est me sentire de tanto Catholico Rege, pietate insigni, virtutum omnium corona fulgente. Cui in his explendis faueat, rogemus iugiter, Spiritus sanctus. Hæc nobis occasione Vrbani Papæ diplomatis dicta sunto simplici stylo, candore animi, ex [d] corde puro (Deum testem inuoco) conscientia bona, & fide non ficta] Ceterum sciat Lector, nos ista hic obiter occasione Vrbani Papæ diplomatis pertractasse: verum de his, quæ ad inuestituras Romanorum Pontificum de regno Siciliæ vltra citraq. Pharum posita spectant, prolixior atque lucubratior tractatio erit, cum ad ipsa earum tempora, quibus datæ noscuntur, peruenerimus, simulq. reliqua omnia, quæ siue per Legatos vel Nuntios, aut per epistolas cum Regibus, vel Episcopis, Abbatibus alijsve religiosis personis vel laicis ab ipsis Romanis Pontificibus sunt transacta, maiori otio, opportunioriq. occasione, reddentes cuncta temporibus suis, ex instituto, omni fide constantia in medium afferemus. Iam vero canentes receptui, quæ post Vrbani Papæ datum diploma Salerni, sunt secuta, narremus.

Accepta Capua in deditionem, Boamundus frater Rogerij Ducis ad militiam sacram accingitur, parat expeditionem, Hierosolymam profecturus, de quo ista [e] Petrus diaconus Cassinensis: Interea Boamundus Roberti Ducis filius, qui primum cum patre, & per se postmodum multa cum Constantinopolitano Imperatore eiusq. exercitibus prœlia prospere gesserat, cum esset in expeditione vna cum Duce Rogerio in Campaniæ partibus, & hæc omnia confecisset (maximum hoc ipsum negotium) cælesti instinctu protinus iussit afferri pannum sericum, totumq. in frusta concidi, vt tam sibi, quam

a Ierem. 11.
b Agg. 2.
c Zach. 4.
d 1. Tim. 1.
e Chron. Cass. lib. 4. c. 11.

quam suis & alijs ad se confluentibus, cruces inde confectas superponeret humeris; omnesq. itidem DEVS LO VOLT, clamare magnis vocibus iussit. Hac fama excita Rogerij milites, tam multi repente confluxere, vt vix paucis cum Comite Rogerio scilicet relictis, in Siciliam solus ferme redierit] hæc Petrus de expeditionis exordio. De cuius procinctu & progressu, de litteris ab Alexio Imperatore ad eum missis, deq. aduentu Constantinopolim, & cum eodem Imperatore congressu, atque rebus ab eo præclare gestis agit diffuse Tyrius de bello sacro, quem tu, si his plura cupis, pro arbitrio consulas. Mirum dictu, quanto animi ardore susceperint in Occidente vbique locorum Christiani milites sacram tesseram, sanctissimæ crucis signo decoram: cum Vrbanus Papa siue voce, siue litteris ad omnes promouendos ardentissimus promotor accederet. Cuius hic modo recitandæ sunt litteræ ad Alexium Imperatorem datæ, vbi ex hac peregrinatione reuersus est Romam. sic se habent:

Vrbanus Secundus Romanus Pontifex Alexio Constantinopolitano Imperatori, &c.

VRBANI AD ALEXIVM IMP. EPIST.

Cum statutum fuisset ad Clarum montem Aruerniæ, vt communibus votis bellum aduersus Sarracenos gereretur: tanta hominum multitudo cruce signata est, vt ad trecenta hominum millia censa fuerint. Ducum autem fortissimorum tantus ardor, vt de recuperanda Hierosolyma multum sperare debeamus. Primus omnium Petrus eremita innumerabilibus se ducem præbuit, cui Godefredus, Eustachius & Balduinus fratres Bolionij Comites se addiderunt, maiores etiam copias parauerunt. Hinc Podiensis Episcopus belli dux, & Raymundus sancti Aegidij Comes, inde Hugo Magnus Philippi Francorum Regis frater, & Robertus Northmanniæ, & alter Robertus Flandriæ, & Stephanus Corneli Comites. Quid dicam de Boamundo ipso, qui ingenti animi magnanimitate ijs se comitem adiunxit cum septem millibus delectæ iuuentutis Italicæ, relicta fratri rerum omnium cura, quocum diu bello contenderat? Ad hos belli maximos apparatus, vnum illud in primis est necessarium, vt tuo præsidio, commeatuq. tantæ copiæ iuuentur. Quare abs te pero maiorem in modum, vt quibuscumque rebus poteris, iustissimo bello, glorioso q. faueas. Illud autem, tametsi non dubitem abs te curatum iri, volui tamen te per litteras nostras scire, id mihi & vniuersæ Christianæ Reipublicæ iucundissimum fore. Vale Romæ &c.] Cusæ extant eiusmodi Vrbani litteræ in volumine litterarum diuersorum Principum, sed vt apparet, ab eo qui edidit redditæ cultiores.

Ad postremum autem, hoc eodem anno ab eodem Vrbano Papa celebratur Barense Concilium, indictum ad Kalendas Octobris, quo in primis inter Græcos illue vocatos & Latinos agitatæ sunt controuersiæ inter eos diutius ventilatæ, potissimum vero de processione Spiritus sancti. Porro nobilissimi Concilij huius perierunt Acta, quorum ea dumtaxat nota facta sunt nobis, quæ ad Græcorum confutationem a sancto Anselmo, qui interfuit, sunt scripta, & quæ familiaris eius qui aderat Edinerus, itidem scriptorum monimentis posteris tradidit, qui ait: Cui Concilio dum Anselmus se præsentasset, & persuasus a Papa, Græcos in processione Spiritus sancti, vtpote quem a Patre & non a Filio procedere Græci astruant errātes, rationabili & Catholica disputatione confutasset: magni apud omnes est habitus, & veneratione dignissimus comprobatus. Finito Concilio cum Apostolico profecti sumus] hæc tantum de his Edinerus. Apud [a] Vuillelmum autem Malmesburiensem sua paulo gloriosius ostentantem, hæc scriptis mandata legimus: Vt ergo ventum ad Concilium, Apostolicus ante corpus S. Nicolai constratus, tapetibus & pallijs, ipse casula cum pallio amictus tribunal ascendit, ceteri cum cappis sedebant. Omnibus ergo suum locum ex antiquo vendicantibus, Anselmus humilitate summus, quo poterat, assedit. Exciderat animo summi Pontificis ingruente tumultu, vt ei locum delegaret. Sed erroris admonitus est quæstionis necessitate, a Grecis propositæ, probare volentibus Spiritum sanctum non nisi a Patre procedere.

a Willelm. de Gest. pont. Angl. lib. 3.

Hanc ergo quæstionem dum expedire tentans magis inuolueret, Græcis contra non improbabiliter occurrentibus: Anselmi recordatus exclamat: viuidæ vocis tonitruum ædis capacitas, & turbæ multiplicitas ingeminant: Pater & magister Anselme Anglorum Archiepiscope vbi es? Ille vbi se vocari audiuit, in pedes constitit. Quem Apostolicus compellans: Nunc, inquit, magister, opus est scientia, opus elo-

QVID PRIMA DIE.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quentiæ tuæ opera. Veni ascende huc, & defende matrem tuam Ecclesiam, quam A
Græci labefactare conantur. Succurre ergo quasi a Deo huc missus. Continuo cuncti astantes & assidentes, oculos & ora in eum conuersi, percunctari quis esset: annitentibusq. proximis ad consessum Apostolici leuatus, sedere iussus iuxta Romanum Archidiaconum, cui ante Papam sedere moris est: Includamus, inquit, hunc in orbe nostro, quasi alterius orbis Papam. Nec morantibus, omnibus exposuit palam qui genus, vnde domo, cuius scientiæ, cuius facundiæ, quam religiosus, quanta pro fidelitate Romanæ Sedis passus esset. Dilatusq. in posteram diem quæstionis tractatus, quamuis Anselmus statim respondere non dubitaret.

QVID SECVNDA DIE.

Sed sequenti die solito maturius cœtu coacto promotus in editū, ita tractauit quæstionis latera, ita penetrauit & enubilauit intima, vt Latini clamore testarentur gaudium, Græci de se præberi dolerent ridiculum: nullus porro inops & inanis scientiæ B
discederet. Sensus illius sermonis procedente tempore luculenter digessit in libro de Processione Spiritus sancti facto. Tunc vbi verbum absoluit, omnes in eum oculos & ora conuersi, hic laudare fidem, ille scientiam, omnes eloquentiam. Sedato fragore, quem laus eius suscitauerat; intendens in eum summus Pontifex, ait: Benedictum sit cor tuum, & spiritus tuus, os & sermo oris tui benedictus. Nec mora, cum consensu omnium roboratus in aliter sentientes fulmen excommunicationis intorsisset: ventilari de Rege Anglorum sermo cœpit. Proferuntur in medium scelera dictu horrenda, adijcitur contemptui humano cælestis iniuria, quod scilicet bis terq. admonitus, nihil correctionis exhibuerit. Quocirca cum suffragio & clamore omnium Papa ad excommunicandum iam paratus esset: Anselmus genibus affusus eius, orat dilationem, & vix impetrat. quæ res ei non mediocrem apud cunctos videntes peperit C
gratiam, eo quod ostensione veræ sanctitatis vicisset famæ suæ gloriam. Quam pulchrum erat, vt ille oraret veniam, a quo tantam acceperat contumeliam?] hucusque de Barensi Concilio apud Vuillelmum.

Certum est autem in hoc Concilio sanctum Anselmum in confutandis Græcis primas tulisse, cui & ea ex parte plurimum Ecclesia Catholica debet, quod cum ipsius Synodi Acta perierint, ipse tamen pulsatus precibus amicorum, quod in controuersia illa tractauit, scriptorum monimentis perpetuæ memoriæ commendauit. Inter alios qui hoc ab eo exegit, fuit Hildebertus Cenomanensis Episcopus, ipse quidem hac ætate inter celebres doctrina & sanctitate viros annumerandus, cuius adhuc extat absque titulo tamen in codice exarata [a] epistola istis verbis ad eum postquam in Angliam D
est reuersus:

[a] Hild. ep. 2. lib. 3. bibliot. sanctorum Patrū. 2. HILDEBERTVS EXIGIT A S. ANSELMO LIBRVM DE SPIRITV SANCTO.

Familiare est sapienti, tolerare nescientem. Hinc est, quod inscitiam meam aperire non timui, quia erat cum sapiente colloquium. eam ni fallor & scientia vestra eruditet, & charitas supportabit. Felicem me inquam, si meruissem vel præsens instrui, vel tamquam familiaris epistolam suscipere destinatam. Hoc autem inuidet mihi locus, nec aliter salutationis indulsit obsequia, nisi prius orbis dimidium consultarem. Oportet enim maris & aeris explorare clementiam, si quem in Anglia iudicamus salutandum. Ceterum incommoda separationis, charitatis copula supplentur, quæ neminem patitur esse nobis absentem, neminem non familiarem. ea enim nihil est diffusius: par enim est latitudo charitatis & mundi. Charitas amplectitur quidquid oceanus; charitas in sacrario dilectionis & amicum colligit in Deum, & inimicum propter Deum: eadem diligere non desinit, cum diligi definitur. suos habet præsentes, omnes affines; quibus non potest obsequio, subuenit affectu. Absit igitur, vt publicum charitatis beneficium maris fluctibus auferatur, cum scriptum sit: Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem. facile enim est, vt diuersi litoris cultores charitas vniat, quæ vnam Rempublicam terrā facit & cælum. Huius itaque fiducia iniecta est mihi præsumptio inquirendi atque postulandi id quod impensum nō minuet erogantem. si votorum summa quæritur, sequens illam pagina declarat. E

A proborum relationibus didici, vos in Concilio Barensi sermonem habuisse de Spiritu sancto, quem calumniosa Græcorum versutia a Filio minime procedere fabulatur. quod igitur aduersus hanc illorum dementiam in præfato promulgastis Cōcilio, succincto tractatu deprecor annotari. Et quia ipsi Latinorum Patrum testimonia non suscipiunt: his auctoritatibus opus flagitatum munire non tædebit, quas Græca callidi-

A ditas & suas fateatur & nostras. Magna quidem beate pater, postulo; sed quæ pariter suscipienti proficient & danti. Nobilis enim est possessio scientia, quæ distributa susceptit incrementum, & auarum dedignata possessorem, nisi publicetur, elabitur. Conseruet nobis Dominus sanctitatem vestram, & videant vos oculi mei, antequam moriar] hæc Hildebertus, etsi ad quem scribat, exciderit titulus; tamen quod ad Anglicanum Antistitem scripserit, & eum, qui interfuerit Barensi Concilio, ibiq. de Spiritu sancto aduersus Græcos sermonem habuerit, alium quem dicamus præter Anselmum, inuenimus neminem, cum nonnisi vnus ex Anglia Episcopus illic interfuisse inueniatur sanctus Anselmus.

SCRIPSIT S. ANSELMVS LIBRVM DE PROCES. SPIR. SANCTI.

Rescripsit sanctus Anselmus quæsitus epistolam (ita enim librum illum de Processione Spiritus sancti contra Græcos inscripsit) sed ad quem illam scripserit, pariter re-
B ticetur: quam quidem post Barense Concilium esse scriptam ipsemet testatur. Sed non vt Hildebertus postulauerat, ex doctoribus Græcis testimonia accersiuit, sicut nec ex Latinis, prout in eodem Concilio Barensi fecisse videtur, eo quod Latinorum testimonia Græci illi non esse fidelia, sed vt testes domesticos suspicione non vacuos dicerent; quodq. Græcorum Patrum assertiones non absque calumnia illata de codicibus deprauatis solerent excipere: sanctus Anselmus iustæ causæ fidens, abstinens se ab omnibus his tam Latinis quam Græcis, ex diuinæ tantum Scripturæ pharetra petitas sagittas in hostes, quos confecit, emisit, vt ex eodem commentario ipse Lector satis intelliget.

Insuper nonnisi aduersus eosdem Græcos post hæc librum siue epistolam illam scripsit de Fermentato & Azymo ad Vualramum Episcopum, quem quoniam suspica-
C batur esse ex classe schismaticorum Episcoporum, quibus præsens sæculum abundabat, in titulo epistolæ a salutatione abstinet ita scribens:

Anselmus seruus ecclesiæ Cantuariensis Vualramo Episcopo *Hurrenburgensi.] At quod salutationem non sit impertitus, exordiens, sic excusat. Scienti breuiter loquor, si certus essem prudentiam vestram non fauere successori Iulij Cæsaris & Neronis, & Iuliani Apostatæ (*ita iure legit Dodechinus, non vt habet editio Parisiensis Andœni, quæ deprauate legit, loco Apostatæ, potestati*) contra successorem & Vicarium Petri Apostoli, libentissime vos & amicissimum & reuerendum Episcopum salutarem &c.] Vidisti
D quibus laudibus Henricum Imperatorem schismaticum ornet: nempe cum post Iulium Cesarem, a quo dimanauit nomen Imperatoris in posteros, Neronis & Iuliani Apostatæ eum nominet successorem, a quorum altero crudelitatem, ab altero impietatem & fraudulentiam hereditate possederit. vt & hic meminisse Lector debeat, quotquot hoc sæculo vixere viri sancti atque scientia clari, eosdem absque aliqua dubitatione in hæsisse Ecclesiæ Catholicæ, ipsiq. Romano Pontifici aduersus schismaticū Imperatorem & pseudopontificem Guibertum. Anselmus vero, vbi certo nouit, eumdem Vualramum Episcopum communionis esse Catholicæ, scribens ad ipsum postea librum de diuersitate sacramentorum, en qua eum salutatione voluit honestasse. Domino & amico Vualramo venerabili Episcopo Anselmus seruus, ecclesiæ
E Cantuariensis Archiepiscopus, salutem, seruitium, orationis, dilectionis affectum] cur autē tanta mutatio, sic exordio verbis hisce significat: Gaudeo & gratias ago Deo, quia sicut scribitis; Glorificat eum in vobis Catholica Ecclesia: quoniam in vestra mutatione diuinæ voluntatis apparet gratia, & domini Papæ Paschalis amicitiam habetis & familiaritatem, vt iam mihi liceat vestram amicabiliter salutare sanctitatem, &c.] quibus & apparet, eam esse scriptam epistolam post Vrbani Papæ obitum, cum ipsi Paschalis successit.

*Numburgensi

a Dodechin. in Chron. anno Domini 1094.

HENRICVS IMP. SCHISM. QVIBVS COMPARETVR AVGVSTIS.

Eodem anno decima Iunij ab Occidentalium exercitu, post plura aduersus Turcas confecta certamina, capta est Nicæa in Bithynia, quomodo vero ista se habuerint, consule Tyrium. [b]

b Villelm. Tyr. de bello sac. lib. 3. cap. 11.

OBITVS S. MARGARITAE REGINAE SCOTORVM.

Hunc insuper annum suo ad Deum illustrauit transitu (vt Rogerius notat) S. Margarita Regina Scotiæ, quæ collapsam illic infeliciter ecclesiasticam disciplinam restituendam curauit, adeo vt Scotorum ecclesiam iam siluescentem defectu culturæ, redderit speciosam: ista pluribus, qui eius vitā scripsit Adelredus Abbas. Huius etiam viget mētio apud rerum Anglicanarum historicos huius temporis Vuillelmum Malmesburiensem & alios.

Universidad de Deusto
Biblioteca

VRBANI IN MELIOREM STATVM COLLOCATAE.

ANNVS Redemptoris milleſimus nonageſimusoctauus ordine ſequitur, Indictione ſexta, quo (inquit Bertholdus dominus) Papa Romæ Natalem Domini celebrauit, maximamq. pacem in ipſa Vrbe & eius finibus firmiſſime compoſuit, ibidemq. Paſchalem ſolemnitatem cum magna gloria itidem celebrauit, ſed æmulus eius Guibertus in partibus Rauennæ eo tempore demoratus, quamdam munitionem perdidit, in qua ipſe ſpem ſuam maxime habuit, videlicet Caſtellum, nomine Argentum, quod Pado imminet, & omnes Padum tranſeuntes diſtringere poteſt]

A

Conſtat inſuper hoc eodem anno poſt Paſcha ab eodem Vrbano Pontifice Romæ fuiſſe Synodum celebratam, cui voluit intereſſe ſanctum Anſelmum Archiepiſcopum Cantuarienſem, quem diſcedere properantem, ea de cauſa Romæ Papa detinuit. de quo Edinerus, qui aderat, iſta ſcribit:[a]

B

a *Edin. in vit. S. Anſel. lib. 2. apud Sur. tom. 2. die 21. Aprił.*

CONCILIVM ROM. AD S. PETRVM, CVI INTERFVIT S. ANSELMVS.

Finito (inquit) Concilio Barenſi, Romam cum Apoſtolico profecti ſumus. tranſactis autem aliquantis diebus, venit Romam Vuillelmus ille, cuius in exitu Angliæ memoriam fecimus. Inter alia hoc effecit apud Apoſtolicum, vt inducias Regi Angliæ daret vſque ad feſtum S. Michaelis Archangeli. Quod Anſelmus agnoſcens: illico Lugdunum redire volebat, ſed prohibitus a Papa eſt propter Cõcilium, quod ſe tertia hebdomada Paſchæ Romæ habiturum ſtatuerat] Quæ autem conſtituta fuerint in Concilio, præterijt Edinerus, ſed Vuillelmus Malmesburienſis in hiſtoria rerum geſtarum Pontificum Anglorum de his agens, fugillat Vrbanum Papam ac ſuos, quod pecuniæ mercimonio inducias Regi conceſſiſſet vſque ad feſtum S. Michaelis Archangeli.

C

EXCVSATVR VRB. PAPA.

Verum idem auctor meminiſſe debuit, a ſe paulo ſuperius dictum, anno ſuperiori in Concilio Barenſi, quod idem Vrbanus Pontifex iam ſententiam excommunicationis in Regem ibi laturus ſtatim: interceſſione ſancti Anſelmi, ne faceret, cohibitus eſſet. Accuſarine potuit tarditatis Vrbanus, qui ab Anſelmo actore, ne in eum dicat ſententiam, continetur? Quod ſi petenti Regi per nuntium inducias vſque ad feſtum ſancti Michaelis Archangeli conceſſit Vrbanus: potuitne vel iſtas ipſe negaſſe, non dico Regi, ſed cuilibet homuncioni petenti, vt acturus cauſam Romæ, ex Anglia teſtes & teſtimonia perduceret, atque produceret, ex tanto terrarum ſpacio? An & vitio dari potuit ſummo Pontifici, aliquid indulſiſſe Regi, quem vidimus haud pridem a ſchiſmaticis defeciſſe, atque ad communicationem Vrbani Catholici Antiſtitis conuolaſſe? Vbi illud de [b] Domino dictum, & repetitum (vt omittamus externa) Arundinem conquaſſatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, donec eijciat ad victoriam iudicium?] Vel illud Apoſtoli: [c] Vos patres nolite ad iracundiam prouocare filios veſtros] de qua dictum: [d] Sicut fremitus Leonis, ita & Regis ira] Attamen declamatas eſſe per Lucenſem Epiſcopum has inducias, ita idem Vuillelmus enarrat:

D

b *Matth.* 12. *ex Iſa.* 42.

c *Eph.* 6.

d *Prou.* 19.

QVID PRO ANSELMO LVCENSIS EPISC.

In eccleſia S. Petri erat Concilium, ingens ſtrepitus aſtantium, multus concurſus venientium. Ideoq. cum decreta minus audirent, præcepit Papa Reingerio Lucenſi Epiſcopo, vt vocali ſonoritate cuncta enuntiaret in vulgus. Aſſurgit ille imperato muneri, nec clamor inceptus ſuſtrabatur hiantem, ſed etiam longe poſitorum pulſabat & penetrabat auditum. Multaq. parte decretorum ediſſerta, repente, quaſi animo excuſſus, aliena, & quæ a negotio diſſidere videbantur, verba intulit; *iſta ſcilicet*: Sed væ. quid faciemus? præceptis ſubditos oneramus, & auxilium a nobis quærentibus nullum afferimus. Dolet hinc & conqueritur totus mundus, quod caput omnium membris ſuis non conqueritur. Ecce quidam inter nos modeſte ſedet & tacite, cuius ſilentium clamor magnus eſt apud Deum, qui iam ſecundo anno Apoſtolicæ Sedis vigorem opperiens, de omnibus ſuis iniuſte ablatis, quid quæſo excepit auxilij? Anſelmus eſt, de quo dico, Archiepiſcopus Angliæ. Hæc dicens, virgæ quam tenebat, graui ad pauimentum illiſione indignitatem rei exaggerare viſus eſt. Hic Papa in eum tendens: Abſiſte, inquit, moueri, frater Reingeri: procurabitur huic rei correctio. At Reingerius feruore ſpiritus actus, cum dixiſſet: Ita expedit, aut: Iuſtum iudicem res non tranſibit, rurſus interruptam ſeriem decretorum contexuit. Horum

E

A rum dictorum ſtupor affecit Anſelmum, cum ſciret nec ſuorum, nec ſuis querelis Reingerium ad hæc commemoranda inductum fuiſſe. In hoc Concilio Papa cum omnibus ſententiam excommunicationis vibrauit in laicos inueſtitores eccleſiarum, & inueſtitos a laicis, & in taliter inueſtitos conſecrantes, & in illos, qui pro eccleſiaſticis honoribus laicorum homines fiunt] hæc de Concilio tunc in baſilica Vaticana celebrato Vuillelmus, moxq. de diſceſſione Anſelmi ab Vrbe narrationem aggreditur.

Sed quibus tunc, diebus illis morarum in Vrbe Anſelmi, Vrbanus Papa eum officijs ac beneficijs frequentauerit, ſic accipe ab Edinero teſte fideli, qui aderat illis fruens: Morati itaque Romæ ſumus ferme per dimidium annum, huius ſcilicet anni ferme ſex menſibus, continue circa Papam degentes, & quaſi in commune viuentes. Vnde & ipſe Papa nonnumquam ad Anſelmum veniebat, læte cum eo ſeſe agendo, & cu-

VRBANI ERGA ANSELMVM OFFICIA.

B riam ei faciendo. Dedit ei quoque hoſpitium, in quo conuerſabatur eo iure, vt ſi aliquando Romam rediret, contra omnes homines illud ſibi vendicaret. Ipſe in conuentu nobilium, in proceſſionibus, ſemper & vbique a Papa Secundus erat, præ cunctis honoratus, præ cunctis acceptus, & ipſe omnibus ſimplici humilitate ſubmiſſus. Præterea Angli illo tempore Romam venientes, pedes eius ad inſtar pedum Romani Pontificis ſua oblatione honorare deſiderabant; quibus ille nequaquam acquieſcens, in ſecretiorem domus partem fugiebat, & eos pro tali re nullo patiebatur ad ſe pacto accedere. Quod vbi Papæ relatum eſt, admiratus in homine humilitatem, mundiq. contemptum, iuſſit ſeſe in ſe tenere, & nullum benefacere volentem prohibere, ſed omnes pro tali cauſa aduentantes patienter admittere. At ille modeſta quadam verecundia actus, iuſſa profecto poſtponeret, ſi non inobedientiæ næuo corrumpi timeret.

C Quid referam nonnullos ciues Vrbis, quorum ingens multitudo propter fidelitatem Imperatoris ipſi Papæ erat infeſta, nonnumquam in vnum conglobatos, Anſelmum a Lateranis ad ſanctum Petrum euntem cum ſuis, propter odium Papæ capere volentes; ſed mox viſo vultu eius territos, proiectis armis terra procumbere, & ſe illius benedictione deposcere inſigniri? Hi honores, & horum ſimiles vbique illum comitabantur, quia mores eius in cunctis Deo famulabantur. Hinc etiam erat, quod non facile a quoquam Romæ ſimpliciter homo, vel Archiepiſcopus, ſed quaſi a proprio nomine, Sanctus homo, vocabatur. Quicumque igitur ei ſeruiebamus, amori & honori cunctis eramus] hæc Edinerus, pergens dicere de eius receſſu ab Vrbe Lugdunum, vbi ad biennium quoque permanſit, cum audita morte Regis eſt reuerſus in Angliam. ſed hæc modo nobis ſatis ad inſtitutum.

S. ANSELMVM VENERATE HOSTES.

D Verum quid ante receſſum petierit ab Vrbano, non prætereundum, ſed in exemplũ omnium Chriſtianam modeſtiam profitentium, in tanti viri commendationem eſt enarrandum: Antequam ab Vrbe recederet, inquit Vuillelmus in rebus geſtis Pontificum [a] Anglorum, ipſe Anſelmus obedientiæ pertinax cuſtos, cum Archiepiſcopus liberæ poteſtatis eſſet, rogauit Papam Vrbanum, vt ſibi aliquem præponeret, cuius iuſſis vitam diſponeret. is Edmerum (quem alij Edinerum vocant) exhibuit, cuius Anſelmus tanti iuſſa faciebat, vt cum eum cubili locaſſet, non ſolum ſine præcepto eius non ſurgeret, ſed nec latus inuerteret] erat iſte famulus eius a ſecretis, qui (vt dictum eſt) eius res geſtas conſcripſit. At his plane conſentientia ſunt; quæ idem ipſe Anſelmus rogatus ſcribit de ſeipſo ad [b] Falconem Epiſcopum Bellouacenſem, cum excuſat ſe non teneri amore honoris & gloriæ in Archiepiſcopatu, ſicut apud quoſdam in ſuſpicionem adductus fuerat, poſt multa iſta ſubiungens:

a *Vuillel. Malmesbur. lib. 1.* OBEDIENDI SVO FAMVLO AB VRB. S. ANSELMVS EXTORQVET IVSTIONEM.

b *Anſel. Epiſc. epiſt. 9.*

E Sciant ergo omnes, ſicut mea conſcientia mihi dicit coram Deo, quem inuocare teſtem mendacij nefas eſſe ſcio: quia non me rapit, aut alligat ad Archiepiſcoparum Anglorum cupiditas alicuius rei, quam ſeruus Dei contemptor mundi contemnere debet, ſed timor Dei me cogit pati, vt quamuis dolens & timens, ab Eccleſia Dei trahar. Et quia ſi mihi liceret, ſeruata obedientia & charitate, quas Deo debeo & Eccleſiæ eius matri meæ; propter eum potius ac libentius eligerem ſub Abbate & regulari diſciplina in monaſtica paupertate & humilitate eſſe, & obedire & ſeruire, quam regnare in hoc mundo ſæculariter, aut dominari, aut Archiepiſcopatum, ſiue Epiſcopatum poſſidere, vel Abbatiam, aut hominibus quibuſlibet præeſſe ad animarum gubernationem, ſiue ad corporum ſuſtentationem in magna terrarum & rerum terrenarum poſſeſſione & opulentia. Quod ego ipſe non imputo mihi ad tantum, quan-

ANSELMI INGENS ANIMI MODESTIA.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tum ad hoc, quia talem me scio, tam parum vtilem, tam parum fortem, parum A
strenuum, parum prudentem, parum iustum, vt potius mihi congruat & expediat subesse Prælato, quam præesse alijs; obedire, quam præcipere; seruire, quam dominari; ministrare quam ministrari. Cogor hæc de me confiteri; sed malo hæc in simplicitate mea, vt puto, sine duplicitate dicere, quam pati, vt alij homines peccent in me, aut malum exemplum sumant per ignorantiam & errorem suum de me &c.] At de S. Anselmo modo hactenus: inferius nobis occurret sæpe de præclaris eius actionibus agere. Iam vero quæ anni huius sunt reliqua, prosequamur. Conueniendi sunt nobis ipsi schismatici, eorumq. opera propalanda. Ita plane in via ista omnibus, bonis, scilicet & malis, vsu communi contigit, vt occurramus.

CONCILIABVLVM SCHISMATICORVM ROMAE HABITVM.

Quod enim mali æmulatione bonorum, quæ ab ipsis pie sancteq. fieri vident, facere æque nitantur, ne quid minus ab ipsis habere viriũ & facultatis cessando demonstrent: B
cum scirent per Catholicos assidue cogi Concilia, legitimosq. agitari conuentus: ipsa quoque æmula factio schismaticorum cogit Romæ suos, non ad Concilium, sed conciliabulum, & conuenticulum celebrat, at nequaquam in Spiritu sancto legitime congregatum. Imitari possunt & vespæ apes, & fauum & ipsæ fabricant, sed repleri ipsum melle non æque præstare valent, cum extra Catholicæ Ecclesiæ aluearij vna conueniant. Qui igitur gregarij erant pseudopontificis Cardinales Romæ, conueniunt aduersus Catholicos, contra quos synodalem conflant epistolam, quæ ad calcem commẽtarij Bennonis vnius ex illis extra cardinem Cardinalis, his verbis scripta legitur:

EPIST. SCHISMATICORVM.

Adalbertus Episcopus sanctæ Rufinæ Siluæcandidæ, Ioannes Episcopus Ostiensis, C
Hugo Episcopus Præneſtinus, Albertus Episcopus Nepesinus, Benno Cardinalis presbyter Vrbis Romæ, Romanus Cardinalis presbyter Vrbis Romæ, Guido Cardinalis presbyter Vrbis Romæ, Octauianus Cardinalis presbyter designatus, Paulus Primicerius Romanæ Ecclesiæ, Nicolaus electus Abbas sancti Silueſtri Vrbis Romæ, N. Abbas sancti Pancratij Vrbis Romæ, & Clerus, & clarissimi Principes laici Theobaldus Chinebij, & Vdalricus de S. Eustathio, & Populus Romanus, omnibus Deum timentibus, & salutem Romanæ Reipublicæ diligentibus] Vidisti ex titulo acephalum conuenticulum, carens capite conciliabulum: Guibertus enim (vt audisti anni huius exordio) in Longobardia commorabatur ipsorũ auctor pseudopontifex. epistola sic se habet:

Nolumus ignorare prudentiam vestram, quod ad destruendas hæreses, nouiter ab Hildebrando inuentas, & antiquas sub nomine pietatis impie ab ipso renouatas, & D
ad defensionem Fidei Catholicæ, & ad exterminandam impietatem eorum, qui nouiter ipsam Fidem Catholicam (quantum in ipsis erat) scindere non timuerunt, Deo auctore, Nonis .... apud sanctum Blasium conuenimus, octauo Idus apud sanctum Celsum, septimo Idus apud sanctam Mariam in ecclesia quæ vocatur Rotunda; confedimus, ipsas hæreses damnatas, sicut maiores nostri, & nos damnamus omnes sectatores, communicatores, complices semel damnatæ prauitatis pari sorte censemus, ne si vel paululum taceamus, consentire videamur. Eos vero qui auctoribus eorũ communicant, data securitate libere veniendi & abeundi vocamus, vt permaiores suos dominum Rainerium & Ioannem Burgundionem causam suam agant, admonemus: securitatem integram, in quantum possumus, vsque ad festum omnium Sanctorum proponimus; etiam cum in causa sua defecerint, neminem circumuenientes, E
nullius sanguinem, sed omnium vitam & honorem sitientes, nec seditiones in populo commouentes. De causa enim sua diffidere videtur, quisquis auctor est seditionis. Pacem vero & dilectionem sinceram proponimus omnibus, pacem, & veritatẽ, & vnitatẽ Catholicæ Ecclesiæ amplectentibus, vt simus filij Patris nostri qui in cælis est: qui enim ex patre diabolo sunt, opera patris sui faciunt, conspirationibus, seditionibus, & cuius filij sint, manifeste ostendũt. Nos vero illius discipuli esse desideramus, cuius doctrina etiam inimicis sane est intelligenda. Orent pro nobis Ecclesiæ filij, vt crescat sermo Domini &c. Data Romæ contra schismaticos in sacro conuentu anno ab Incarnatione Domini millesimo nonagesimooctauo, Indictione sexta, septimo Idus Augusti.

His litteris vocati sunt. Declinarunt autem audientiam schismatici per sexdecim annos, per obsides potentes & clarissimos, etsi per sacramenta inuitati, ne caperentur suis mendacijs, ne suis libellis conuincerentur, quibus auctores eorum corruperunt

A perunt terram hæresibus varijs, longe lateq. disseminatis per apostolos multiplicis erroris. Sacer etiam conuentus toties deprehensa eorum astutia, in conspectu Ecclesiæ, coram multitudine Romanorum ait: Eos qui sanctam Ecclesiam scindere non timuerunt, iterum vocamus ad Synodum, quam Deo auctore, celebrare disposuimus circa Kalendas Nouembris. In præsenti tamen, quia venire renuunt, testes inuocamus contra eos cælum & terram, quod nullum consensum adhibemus eorum peruersitati. Et in testimonium illius, in medio Ecclesiæ, in conspectu Angelorum & hominum incendio tradimus decreta eorum hæretica, quibus orbem terræ peruerterunt, verbum Dei adulterantes, sub ementito colore pietatis quærentes plus se quam Fidem Catholicam amari. qui per sexdecim annos nullum dederunt locum veritati, fugientes lucem examinationis, tenebris errorum assueti, falsis expositionibus violen-
B ter intorquentes Scripturas in adiumentum nefandissimi schismatis. Hildebrandus in extremis suis vocauit ad se vnum de Cardinalibus duodecim, quem multum diligebat præ ceteris, & confessus est omnipotenti Deo, & toti Ecclesiæ, se valde peccasse in pastorali cura, quæ ei ad regendum erat commissa. Atque hunc confessorem suum misit ad Imperatorem, & ad totam Ecclesiam, vt optarent illi veniam] hucusque Acta pseudosynodi apud Bennonem in vita Gregorij Papæ Septimi edita, quorum partem postremam, de Gregorij Papæ pœnitentia tempore mortis, iam sæpe superius apertissimis demonstrationibus confutatam audisti, vt non sit opus, eamdem rursus erroris conuincere.

Inter hæc autem cum prospera nuntiarentur de Orientali expeditione, visum est Vrbano Papæ Apostolicum Legatum in partes illas decernere. de qua legatione ha-
C bet ista Bertholdus horum inspector hoc anno: Dominus Papa ad eamdem multitudinem suam legationem direxit, videlicet venerabilem Theobertum Pisanæ Ecclesiæ Archiepiscopum, qui & illis in omnibus Apostolica vice adesset, & ecclesias in locis, vnde Pagani expulsi sunt, instauraret. Sed Constantinopolitanus Rex huic dispositioni impedimento fuit, qui se omnimode a nostrorum adiutorio subtraxit. nam ciuitates illas, quas nostris de manibus eripuerunt, ille penitus incendio deuastare, & Paganis reddere non timuit, iterq. Hierosolymitanum per suam potestatem omnibus peregrinis omnino prohibuit] hæc ipse. Post Nicæam vero captam has reperimus cusas iam datas litteras a Boamundo:

Boamundus Rogerio Northmanno fratri.

Posteaquam Nicæam vrbem per deditionem accepimus, copiæ commeatus inopia
D in duo diuisæ sunt: erat inde nobis iter per inculta, & deserta loca: demum cum ad flumen quoddam deuenissemus, oportunitate loci aquari, & instaurari exercitus cœpit. Vix datum fuerat momentum temporis quieti, cum Sarraceni vna cum Solimanno Principe innumerabilibus copijs castra inuadunt. Pugnatum est aliquantisper nostro aliquo incommodo, cum Godefredus, & Hugo Bolionij fratres quadraginta millibus equitum opem tulerunt. Magna cædes edita est hostium: videre erat strues, & montes Sarracenorum, qui maxima ex parte deleti sunt. Fuere in castris hostium Medi, Syri, Chaldæi, Turcæ, Sarraceni, Arabes, quorum spiritus compressi sunt. Nos hac satis insigni victoria futurum speramus, vt Christianorum armis omnia cedant. Tancredus filius plurimam tibi salutem dicit in castris.] edita est epistola inter cusas litteras Principum.

CAPTA ANTIOCHIA SYRIAE AB OCCIDENTALIVM EXERCITV. *a Vuill. Tyr. de bell. sac. lib. 5. c. 23. in fin. et lib. 6. c. 14. & 22.*

E Porro non Nicæa tantum, & plures aliæ ciuitates captæ sunt a Christianis Occidentalibus aduersus Turcas bellantibus, sed hoc ipso anno Antiochia in Syria capta est die tertia mensis Iunij. quomodo autem ista contigerint, [a] Tyrium consule. Sed & quonam pacto ijdem, qui vrbe illa potiti sunt, ab hostium immensa multitudine obsessi, fame ac morbo consumpti, inuentione lanceæ illius, quæ Christi latus perforauit, animosiores effecti, in hostes irrumpentes, ingenti sunt potiti victoria, idem pluribus narrat: quod factum affirmat hoc anno vigesimooctauo die mensis eiusdem Iunij. Sed & quomodo alijs Syriæ ciuitatibus sint potiti, & plures sint consecuti victorias, eumdem copiosissime res gestas prosequentem adeas, istorum nobis tantum meminisse, eademq. certa nota temporis consignasse pro instituto, sat erit.

Hoc ipso anno, Sedis Apostolicæ auctoritate iacta sunt prima fundamenta Cisterciensis ordinis, ex quo tamquam e fonte riui vniuersum Occidentalem orbem donis

cælesti-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ORIGO CISTERCIENSIVM INSTITVTI.

cælestibus irrigarunt: cum construendi monasterij Cistercienſis ſanctus Robertus Abbas Molismenſis monasterij, quod ſitum est in Episcopatu Lingonienſi, auctor extitit, qui vna cum vigintiduobus ſuis monachis illuc profectus habitauit: ſed vbi ipſe redire coactus est ad ſuos Molismenſes, Albericum illis præpoſitum Abbatem reliquit: cui defuncto ſucceſſit Stephanus, omnes viri ſanctiſſimi, ſub quibus Cistercium monachorum ſanctorum frequentia mirifice est propagatum. Quod totum factum Sedis Apoſtolicæ auctoritate, hoc ipſo anno, Legato Apoſtolico annuente, & adiuuante, Sigebertus ita teſtatur his verbis: Hoc igitur anno ab Incarnatione, ſcilicet Domini milleſimo nonageſimooctauo venerabilis Hugonis Lugdunenſis eccleſiæ Archiepiſcopi Sedis Apoſtolicæ tunc Legati, & religioſi viri Vualterij Cabillonenſis Epiſcopi *licentia & aſſenſu*, necnon & clariſſimi principis Odonis Burgundiæ Ducis freti conſilio, auctoritate roborati, inuentam eremum in Abbatiam conſtruere cœperunt, præfato Abbate Roberto ab illius diœceſis Epiſcopo, videlicet Cabillonenſi ſuſcipiente curã, virgamq. paſtoralem, ceteris ſub ipſo in eodem loco firmantibus ſtabilitatem. At vero poſt non multum temporis factum est, vt idem Abbas Robertus, requirentibus eum monachis Moliſmenſibus, Papæ Vrbani Secundi iuſſu, Vualterij Cabillonẽſis Epiſcopi licentia & aſſenſu Moliſmũ reduceretur, & Albericus vir religioſus & ſanctus in ipſius loco ſubſtitueretur, hoc ſane inter vtramque eccleſiam ſequeſtro, pacis gratia, retento, & Apoſtolica auctoritate confirmato, vt ex eo iam tempore, neutra earum vtriuſlibet monachum ad habitandum ſine commendatione regulari ſuſciperent. Quo facto nouum monaſterium noui patris ſollicitudine, & induſtria in breui, & non mediocriter, Deo cooperante, in ſancta conuerſatione profecit, opinione claruit, rebus neceſſarijs creuit] hucuſque Sigebertus. Sed iſta locupletius in vita ſancti Roberti [a] Abbatis narrantur.

a Ext. apud Sur. tom. 2. die 29. Aprilis.

IESV CHRISTI ANNVS 1099. VRBANI II. PAP. ANNVS 12. HENRICI III. IMP. 16. ALEXII COMNENI IMP. 19.

DE GRAVI CONTROVERSIA INTER IVONEM ET LEGATVM APOST. SEDIS.

ANNVS agitur ſalutis humanæ milleſimus vndeceteſimus, Indictione ſeptima, quo perdifficilis controuerſia agitatur inter Hugonem Archiepiſcopum Lugdunenſem Apoſtolicæ Sedis Legatum, atque Iuonem Epiſcopum Carnotenſem, cuius cauſa Vrbanus Papa querelarum plenam ad eumdem Iuonem epiſtolam ſcripſit. Quoniam quidem in ea pertractata est magni momenti controuerſia par est, vt eam (quod aiunt) ab ouo exordiamur, atque primum tempora conſignemus ex more. Præſentem quidem annum eius fuiſſe controuerſiæ certum tempus, ipſe Iuo in vltima [b] epiſtola ad Vrbanum Papam euidenter oſtendit, dum ſeptem numerat expletos annos a ſua ad Carnotenſem Epiſcopatum promotione in illum diem. dico illam eſſe vltimam ad Vrbanum epiſtolam, quoniam illa in codice edito epiſtolarum Iuonis poſita numero centeſima decimaſexta extrauagatur, nec ſuo loco collocata est: ſed non ſic in codice Vaticano, vbi inter epiſtolas ad Vrbanum ab Iuone ſcriptas ponitur ordine. Cum ergo ex his, quæ ſuperius dicta ſunt, conſtet, Iuonem creatum ab Vrbano Epiſcopum anno Redemptoris milleſimo nonageſimoſecundo, poſt illud præſignatum tempus ſi addes ſeptem, hunc oportet intelligas annum conſignatum eſſe. hæc de tempore.

b Iuo ep. 62.

Quod autem ad rem geſtam pertinet, ſic habeto. Mortuo Richerio Senonenſi Archiepiſcopo in die Purificationis Mariæ, electus est in locũ ipſius Daimbertus, & vt ſequẽti Dominica conſecraretur, inſtabat Senonenſis eccleſia apud Iuonẽ, qui negans id fieri poſſe, niſi temporibus proximi ieiunij, facere diſtulit. Inter hæc afferũtur litteræ Legati conſecrationẽ impedientis ad eumdem Iuonem, quibus deberet impertire omnes cõprouinciales Epiſcopos. His acceptis Iuo, quid de his ſentiret Vrbanus Papa, explorandum putauit, data ad eum [d] epiſtola, in qua hæc de Senonenſi electo, quem conſecrandum Legatus Apoſtolicus impediret: De Senonenſi electo, cuius conſecratio a Legato veſtro Lugdunenſi Archiepiſcopo ob hæc impeditur, quia ei iure primatus ſui ante conſecrationem ſuam obedientiam non profitetur: quid nobis agendum ſit, reſcribat

c Ep. 63.

d Ep. 58.

QVAE PRAEIVDICAT LEGATVS CONTRA CONSVETVDINEM.

bat veſtra paternitas. Cum enim nulla, aliquo accuſante, alia cauſa prætenderetur, propter quam eius conſecratio differretur, eo tamen iubente, propter reuerentiam veſtram manus ab eius conſecratione continuimus: cum de profeſſione a Metropolitanis primatibus facienda nihil legamus cõſuetudine firmatum, vel legibus inſtitutum: vltra quas metas nihil conceſſum eſſe Primatibus, teſtatur Papa Nicolaus, ita ſcribens inter alia Radulpho Biturienſi Archiepiſcopo: Primates vel Patriarchas nihil priuilegij habere præ ceteris Epiſcopis, niſi quantum ſacri canones concedunt, & priſca conſuetudo illis antiquitus contulit, definimus] hæc ad Vrbanum Papam Iuo Epiſcopus.

LEGATVS ABVTITVR AVCTORITATE.

Ad Archiepiſcopum autem Lugdunenſem, qui hæc exigeret nimis audacter & importune magno cum imperio, & cum Petri vteretur auctoritate, Petri tamen immemor doctrinæ dicentis: [a] Neque vt dominantes in Cleris, ſed forma facti gregis ex animo] aculeatam ſatis ſcripſit epiſtolam, cum tamen eius parere mandato, differendo conſecrationem electi, minime prætermiſerit. Reddenda hic est igitur Iuonis ad Legatum epiſtola, cuius cauſa Vrbanus Papa in eumdem Iuonem est valde commotus. ſic enim ſe habet: [b]

a 1. Petr. 5.

b Iuo ep. 65.

Hugoni Lugdunenſi Archiepiſcopo, Sedis Apoſtolicæ Legato Iuo humilis eccleſiæ Carnotenſis miniſter ſalutem & ſeruitium.

QVAE IVO AD LEGATVM DE ANTIQVITATE SERVANDA

Factum est, vt imperaſtis, & manus a conſecratione Senonenſis electi continuimus, & litteras veſtras per comprouinciales Epiſcopos pro Apoſtolicæ auctoritatis obedientia direximus. Petendo itaque conſulimus, & conſulendo petimus diſcretionem veſtram, vt parcius de cetero nos Apoſtolicæ obedientiæ vinculis aſtringatis, ne humeris noſtris importabilia imponendo, in inobedientiam labi, prohibente aliqua impoſſibilitate, vel imperante aliqua neceſſitate, faciatis. quia facile est vobis, comminante arcu de longinquo pugnare: nobis autem nimis periculoſum, aduerſante gladio de præſenti ferire. Nos tamen interdicta ſeu mandata pro fidei defenſione, pro Fidelium correctione, pro ſceleratorum emendatione, pro imminentium vel futurorum malorum interdictione promulgata a Sede Apoſtolica ſic volumus obſeruare, vt parati ſimus, Deo cooperante, quælibet aduerſa pro eorum defenſione tolerare. Cum vero ea, quæ indifferenter ſe habent, in quibus non obſeruatis minime ſalus periclitatur, vel obſeruatis minime iuuaturi; tam obnixe ſeruanda ſancitis, vel cum ea, quæ antiquitas ſanxit, conſuetudo ſeruauit, & venerabilium auctoritas Patrum ſacrata firmauit, prout vultis, minuitis, aut mutatis: attendere debet prudentia veſtra, quid ſaluti eorum, quibus per omnia prodeſſe debetis, conferatis: vel quorum inſtitutio ſit potius tenenda, vel quibus obedientia potius ſit exhibenda, an illis ſanctis Patribus, *Romanis ſcilicet Pontificibus*, qui adhuc nobis in ſcriptis ſuis loquuntur; an vobis, quibus nihil est aliud propoſitum, niſi priorum ſequi & honorare veſtigia.

PROFESSIO SOLITA FIERI A ROM. PONT.

Neque hæc dico, quod contra nouos exceſſus non liceat noua promulgare mandata; ſed hoc dico, quod dicit Papa Zoſimus Narbonenſibus: Contra ſtatuta Patrum concedere aliquid vel immutare, nec huius quidem Sedis poteſt auctoritas: apud nos enim inconuulſis radicibus viuit antiquitas, cui decrera Patrum ſanxere reuerentiam. In libro quoque Pontificum, qui dicitur Diurnus, ita continetur de profeſſione Romani Pontificis: Nihil de traditione, quam a probatiſſimis prædeceſſoribus meis traditam & ſeruatam reperi, diminuere, vel mutare, aut aliquam nouitatem admittere; ſed feruenter vt eorum diſcipulus & ſequipeda, totis mentis meæ conatibus, quæ tradita canonice comperio, obſeruare, ac venerari profiteor. Beatus quoque Gregorius Maurentio magiſtro pro cauſa Theodori: Graue nimis est, contra veterem vſum ſacerdotes ſibi quidquam arripere. item idem: Omnia quæ vſus antiquitatis ſtatuit, intemerata ſeruentur. Inde Leo Quartus ſcribit Iudici Sardiniæ: Nec mos, nec nouiter introducta conſuetudo noſtræ Eccleſiæ noſtris prædeceſſoribus fuit, contra canonum ſtatuta noua vel inuſitata præſumere. Item Gregorius vniuerſis Epiſcopis Numidiæ: Conſuetudinem, quæ contra Fidem nihil vſurpare dignoſcitur, immotam permanere concedimus, ſiue de Primatibus conſtituendis, ſiue de ceteris Capitulis. item Leo Quartus Lothario: Quod iuſta ac ſedula conſuetudo nos imitari non præcepit; ita ab hoc velut a magno præcipitio nos cuſtodire oportet. Nicolaus quoque inter cetera ſic ſcribit Hincmaro Rhemenſi Archiepiſcopo: Ridiculum eſt, & ſatis abominabile dedecus, vt traditiones, quas antiquitus a Patribus ſuſcepimus, infringi

Universidad de Deusto
Biblioteca

RELIN QVENDA ECCLESIIS SVA PRIVIL.

fringi patiamur. Gelasius quoque vniuersis Episcopis per Dardaniam de hac eadem A
re ita scribit: Quia per ambitiones illicitas non pudet quosdam ecclesiarum iura turbare,& priuilegia,quæ Metropolitanis vel comprouincialibus Episcopis decreuit antiquitas, auida præsumptione peruadere, non respicientes, quoniam æterno iudici rationem tam de Catholicæ sinceritatis iniuria,quam de traditionum præiudicijs paternarum, non sine perpetuo damnationis interitu sint reddituri: si in hac obstinatione permanserint, charitatem vestram duximus instruendam, vt vos omnes in commu-ne fratres per Dardaniam, siue per contiguam quamque prouinciam constituti, qui vos sub Metropolitanis vestris esse meministis,& ab ijsdem subsitui decedentes, sicut vetus consuetudo deposcit, vnanimiter studeatis Antistites: & vicissim si Metropolitanus humanæ conditionis sorte recesserit,a comprouincialibus Episcopis, sicut vetus forma transmisit,sacrari modis omnibus constituatis. Cum ergo tam ista, quam B
alia generalia institura absolute consecrationem Metropolitani contineant: miramur, cur priuatis legibus, & nouis traditionibus veteres traditiones & consuetudines remouere contenditis, præcipiendo, vt Senonensis electus ante consecrationem suam vobis præsentetur, & iure primatus vestri subiectionem & obedientiam profiteatur. quod hactenus nec in Senonensi prouincia,nec in alijs prouincijs antiquitas instituit, nec consuetudo seruauit.

Vnde Papa Nicolaus inter cetera sic scribit Radulpho Archiepiscopo Bituricensi, aliqua vltra ius sibi vsurpanti: Primates vel Patriarchas nihil priuilegij habere præ ceteris Episcopis, nisi quantum sacri canones concedunt, & prisca illis consuetudo contulit, ita definimus, vt secundum regulas Nicænas sua priuilegia seruentur ecclesijs. Quod si priuilegio vestræ legationis eum vobis contenditis præsentari, qui nec C
apud nos, nec apud vos ab aliquo est accusatus: non ita Papa Leo Anastasio instituit Thessalonicensi Episcopo vicario suo, sed vt tantum de nomine electi ad notitiam eius prouinciales referant sacerdotes: ipse autem nullis difficultatibus, nullis dilationibus iustas fatigaret electiones.

Quantum enim audiuimus, persona nobiliter nata, competenter erudita, boni testimonij inter nostros,cum in ecclesia sua diaconatus fungeretur officio, sine vlla dissonantia gratuitam habuit electionem. Sed si his actionibus cederet, diceretur, munere linguæ vel officij suam comparasse consecrationem] hæc Iuo de his, quæ spectant ad iura male vsurpata per Archiepiscopum Lugdunensem, contra antiquam consuetudinem, atque sancita decreta Patrum, sanctorum Romanorum Pontificum,eo magis temere agentem, cum ex priuilegijs, concessis a Gregorio Papa Septimo ecclesiæ D
Lugdunensi,vt super quatuor prouincias primatum gereret,nempe super Lugdunensem,Rothomagensem,Turonensem,& Senonensem; nihil amplius tribuit ipsi,quam quod antiquitus ab alijs Romanis Pontificibus eidem concessum esset. extat ipsum priuilegium inter eiusdem Gregorij [a] epistolas editum,& ipsum continens [b] epistolam ab eodem data ad quatuor illarum prouinciarum Archiepiscopos.

[a] Greg. lib.6. ep.24. [b] Id. ep.35.

At quæ eiusdem Iuonis epistolæ reliqua sunt,scabrosiora plane esse noscuntur,cum de inuestituris vetitis nimis abiecte loquatur, immo despecte multa ingerat, quæ nisi corrigerentur ab alijs eiusdem auctoris epistolis, famam suam,& nomen glorioſum, quod ex defensione Apostolicæ Sedis & Catholicæ veritatis sibi dignissime comparauerat,in discrimen maximum adduxisset. Audi igitur quæ sint ista. sic enim habet:

DE INVESTITVRIS QVAE SVO. Quod autem scripsisti,prædictum electum inuestituram Episcopatus de manu Re- E
gis accepisse: nec relatum nobis ab aliquo, qui vidit, nec cognitum. Quod tamen si factum esset, cum hoc nullam vim sacramenti gerat in constituendo Episcopo, vel admissum, vel omissum, quid fidei, quid sacræ religioni officiat, ignoramus: Cum post canonicam electionem Reges ipsos Apostolica auctoritate a concessione Episcopatuum prohibitos minime videamus. Legimus enim sanctæ recordationis summos Pontifices aliquando apud Reges pro electis ecclesiarum, vt eis ab ipsis Regibus concederentur Episcopatus, ad quos electi erant,interfuisse aliquorum, quia concessiones Regum nondum consecuti fuerant, consecrationes distulisse. quorum exempla suppositissemus, nisi prolixitatem epistolæ vitassemus. Domnus quoque Papa Vrbanus Reges tantum a corporali inuestitura excludit, quantum intelleximus, non ab electione, in quantum sunt caput populi, vel concessione, quamuis Octaua Synodus solum

A solum prohibebat eos interesse electioni, non concessioni. Quæ concessio siue fiat manu, siue nutu, siue lingua, siue virga, quid refert? cum Reges nihil spirituale se dare intendant, sed tantum aut votis petentium annuere, aut villas ecclesiasticas, & alia bona exteriora, quæ de munificentia Regum obtinent ecclesiæ, ipsis electis concedere. Vnde Augustinus super Ioannem prima parte tractatu sexto: Quo iure defendis villas ecclesiæ,diuino an humano? diuinum ius in Scripturis habemus,humanum in legibus Regum: Vnde quisque quod possidet nonne iure humano? nam iure diuino,Domini est terra,& plenitudo eius:iure humano dicitur,hæc villa mea est, hæc domus mea est,hic seruus meus est. Tolle iura Imperatorum, quis audet dicere, hæc villa mea est,meus est iste seruus, mea est ista domus? Item noli dicere: Quid mihi & Regi? Quid tibi ergo & possessioni? per iura Regum possidentur possessiones.
B Dixisti: Quid mihi & Regi? Noli dicere possessiones tuas,quia ad ipsa iura renuntiasti humana, quibus possessiones possidentur. Quod si hæc & æterna lege sancita essent, non esset in manu præsidentium, vt ea in quibusdam districte iudicarent, in quibusdam misericorditer relaxarent, ipsis in honore acceptо permanentibus, contra quos ista loquuntur. Nunc vero quia ea illicita maxime facit præsidentium prohibitio, licita quoque eorumdem pro sua æstimatione remissio; videmus nullos, aut pene nullos pro huiusmodi transgressione damnatos, plurimos autem vexatos, plurimas ecclesias spoliatas, plurima scandala exorta, diuisum regnum & sacerdotium, sine quorum concordia res humanæ nec incolumes esse possunt, nec tutæ. Videmus quoque miseros Episcopos & Abbates, nec ruinis morum, nec murorum reficiendis velle vel posse vacare, solum ad hoc intentos, vt possint sibi aliquam linguam magniloquã
C amicam facere, cuius nundinis se possint vtcumque defensare. Multi quoque electi, qui gratuitam & canonicam habent electionem,quia huiusmodi dilationibus vel fatigationibus impediuntur,comparatis sibi pecunia mediatoribus & prolocutoribus, ne turpem patiantur repulsam, in simoniacam offendunt aliquando consecrationem. Cum ergo omnis institutio ecclesiasticarum legum ad salutem referenda sit animarũ, istarum institutionum transgressiones, aut districtius essent corrigendæ, vt saluti prodessent,aut interim silentio premendæ ne spiritualia vel temporalia commoda suprадictis modis impedirent] hæc autem Iuonis,quod in deteriorem partem accepta nonnihil videri poterant virus habere, ijs mox apponens antidotum, ista subiungit:

Non ista dico tamquam velim aduersus Sedem Apostolicam caput erigere, vel eius salutaribus dispositionibus obuiare,vel meliorũ sententijs præiudicium facere, si viuis
D nitantur rationibus, & euidentioribus veterum Patrum auctoritatibus: sed hæc vellẽ cum multis mecum pie sentientibus,vt Romanæ Ecclesiæ ministri tamquam probati medici maioribus morbis sanandis intenderent, & non ab irrisoribus suis audirent: [a] Culicem excolantes,& camelum glutientes, mentam, rutam, cyminum, & anethum decimatis; grauiora autem legis prætermittitis, cum per totum pene mundum fallacia & facinora videamus publice perpetrari, nec ea a vobis aliqua iustitiæ falce resecari. quorum exempla, quia vel a vobis non sunt remota, vel vobis non ignota, non est meum ea speciali sermone taxare. Vos videritis, quid de his, & similibus agere debeatis. Nunc vero specialiter ad hoc intendit stylus meus, vt electum Senonensis ecclesiæ, si nihil in eo quod sacris canonibus obuiet, repertum fuerit: secundum morem antiquum consecrari permittatis. Quia de tantillo iure, quod habent eccle-
E siæ nostræ, nec volumus, nec debemus cedere, cum beatus dicat Cyprianus: Quam periculosum sit in diuinis rebus, vt quis cedat iure suo & potestate: [b] Scriptura sacra declarat, cum Esau primatus suos inde perdiderit,nec recipere id postmodũ potuerit, quod semel cessit. Quod si huic petitioni nostræ acquieueritis: consecrato omni studio persuadebimus, vt primatum Lugdunensis ecclesiæ recognoscat, vobis sicut Primati suo deferat, & omnem debitam reuerentiam secundum traditiones Patrum exhibeat. Qui si acquiescere noluerit nostris persuasionibus; nos tamen ab his, quæ præceperit Apostolica Sedes, non recedemus. Si autem petitionibus nostris non acquieueritis, & aliquod schisma inde fuerit exortum contra votum nostrum: securo dicam: [c] Neque iniquitas mea,neque peccatum meum. Neque vos poteritis dicere vobis non fuisse prædictum] Audisti periculum imminens, vt non adeo mireris, si luo ita commotus appareat. qui tamen ruituram domum contemplatus,se in tutum

[a] Matth. 23. & Luc. 11.

[b] Gen. 25.

IMMINENS SCHISMA CAVENDVM MONET.

[c] Psal. 58.

Universidad de Deusto
Biblioteca

recipit locũ, dum se ab Apostolicæ Sedis iussionibus non recessurũ aliquando, nuper, A
vt accepisti, consulto professus est. Ad postremum vero has in eum querelas ingerit:

De cetero prædam, a Puteacensibus in me, & in Carnotensem ecclesiam factam iure possem a vobis repetere, si reuerentiam vestram in ius vocare possem, qui ad suggestionem æmulorum meorum prædictos sacrilegos a me, & Coepiscopis meis communione priuatos, me nescience, communioni reddidistis, ac per hoc scelerum suorum impunitate ad perpetranda maiora sacrilegia relaxastis. Quod vtrum faciendum fuerit, vel post factum, cognita veritate corrigendum: iudicet iustitia vestra, cum iusta vincula non soluat, nisi vera pœnitentia. Si ad hæc omnia respondere non licet, vel non placet, ad hæc saltem duo vltima respondeat sanctitas vestra. Bene Vale.]

QVANTVM OBSINT MINISTRI IMPRVDENTES ECCLES. ROMAN. a *Rom.* 8.

Vidisti Lector, in quot quantaq. discrimina minister improuidus coniecerit Ecclesiæ statũ? Si enim quæ sua sunt [a] quærere, vt charitati Christianæ repugnãs, vetat Apostolus: quomodo Apostolicæ Sedis Legatus, quæ sua non erant, cũ tanta iactura ecclesiæ Gallicanæ præsumpsit? Sed quoniam prudentia carnis & non spiritus perperã facta a ministris defendi soleãt ab eorũ dominis, cum legibus diuinis atque humanis quẽque peccantem pœna consequi debeat, Vrbanus Papa humani quid passus, his Iuonis acceptis litteris a Legato, vehementer in Iuonem ipsum commotus est, cuius iræ pondus ipse Iuo non ferens, eo desperationis adactus est, vt se ab Episcopatu abdicare statuerit, licentiamq. id peragendi ab eodẽ Vrbano petierit, has ad eum litteras scribens: [b]

b *Iuo ep. 62.*

Vrbano summo Pontifici Iuo minimus sanctitatis suæ filius, misericordiam & iudicium.

IVONIS POSTREMA EPISTOLA AD VRBANVM PAP.

Audiui dulcedinem vestram in me amaricatam, serenitatem vestram aduersum me turbatam. Audiui & conturbatus est venter meus, & ossa mea conturbata sunt. Et C
diligenter consului memoriam meam, quid dixerim, quid fecerim, vnde mansuetudinem vestram exasperauerim. Nec occurrit mihi, nisi quod dixerunt quidam mihi, quasdam litteras me composuisse aduersus Romanam disceptantes Ecclesiam, quas miseram Legato vestro Lugdunensi Archiepiscopo pro causa Senonensis electi. Sed cum has apud me reperiens diligenter perlegissem: multa ibi pro Romana Ecclesia, nihil contra Romanam Ecclesiam in his scriptum intellexi, nisi quis forte ad voluntatem Scriptoris non accedens, & vnam faciem castorum eloquiorum non attendens, dicat (quod absit) authentica scripta sibi inuicem aduersari, & auctoritatem auctoritate impugnari, cum multa dissona ibi legantur, nisi suo modo intelligantur, & ad sententiam Scriptoris accommodentur.

In his enim litteris, sicut mihi testis est conscientia mea, & ipsarum tenor litterarum, D
nihil aliud intendi, nisi quod propter crebras inuectiones ac murmurationes aduersus Romanam Ecclesiam, quibus quotidie tinniunt aures meæ, per dominum Archiepiscopum Lugdunensem, cui consilia vestra committitis, sollicitudinem vestram volui esse præmonitam, quatenus Conuicarijs vestris sic vestra decreta libraretis, vt Ecclesia non grauaretur, & eorumdẽ transgressor sua sententia mulctatus, alijs se corrigendi exemplum præberetur, & fama vestra illibata seruaretur. Hinc simplex oculus totum defendit corpus illarum litterarum. Sed quia domino Lugdunensi Archiepiscopo quædam sibi verba aduersa, secus quam vellet, sonuerunt, maxime de primatu Lugdunensi, postposita contemplatione Scriptoris, secundum quod tunc affectus fuit, participem vos suæ amaritudinis fieri voluit. Liceat cuique dicere, quod sentit: E
Ego de me sentio, quod non est aliqua persona Transmontana, quæ pro fidelitate vestra, pro assertione præceptorum vestrorum tot contumelias pertulerit, tot iniurias acceperit.

IVO PETIT MISSIONEM AB EPISCOP.

Sed quia illa verba quacumque occasione animum vestrum exacerbauerint: non est meum aduersum vos intrare in iudicium. Malo enim Episcopatui renuntiare, quam iram vestram iustam vel iniustam sustinere. Hæc satisfactio si placuerit vestræ paternitati, placet & meæ paruitati. Hanc si placet, accipite: si plus placet, plus addite. Si desisto vester esse seruus, non desistam vester esse filius; & sicut expertus sum ante Episcopatum: plus potero prodesse in Ecclesia Dei exemplo priuatus, quã verbo Prælatus. Gratissimum enim mihi est nudum nudam Christi Crucem portare, vt in illo vbertimo & amplissimo prædio contendam, in quo amor paupertatis copiosos, amor diuitiarum facit ærumnosos. Ecce iam hoc transacto septennio vineã mihi commissam

A missam pro posse meo excolui, stercora etiam circumposui: fructum autem quærebam, & non inueni. Detur ergo mihi libertas octauo anno, vt hoc principium veræ octauæ aggrediar, vt possim mihi sabbatizare, dulces fructus contemplationis carpere, & octauæ illius gaudia prælibare. Quod si vestra permissione id modo non facio: necessitate tamen me oportet id facere propter nouatas in me veteri de causa Regis inimicitias, & propter parochianos meos contemptores verbi Dei, qui proni sunt solis terrenis inhiare, numquam autem parati sursum cor leuare, qui neque propter timorem Dei, neque propter ruborem temporalis excommunicationis, sacrilegia, quæ perpetrant in ecclesijs, volunt dimittere, nec iustitiam Dei recognoscere.

Per portitorem ergo præsentium, quod vobis placet, mihi rescribite, & si petitioni meæ acquiescitis; in vestra manu me retinete, ne possint me pseudoepiscopi pro libi-
B tu suo fatigare. De cetero quidquid de me fiat: obsecro vos per charitatem Christi, vt si Turonensis Archiepiscopus, vel aliquis Aurelianensis clericus pro electione pueri sui ad vos venerit: non ei aurem præbeatis. Cuius dores vt vobis breuiter amplectar: persona est ignominiosa, & de inhonesta familiaritate Turonensis Archiepiscopi, & fratris eius defuncti, multorumq. aliorum inhoneste viuentium, per vrbes Franciæ turpissime diffamata. Quidam enim concubij sui appellantes cum Floram, multas rhythmicas cantilenas de eo composuerunt, quæ a sœdis adolescentibus (sicut nostis miseriam terræ illius) per vrbes Franciæ in plateis & compitis cantitantur, quas & ipse cantitare, & coram se cantitari non erubuit. Harum vnam domino Lugdunensi in testimonium misi, quam cuidam eam cantanti violenter abstuli. Prouidẽdo itaque vestræ honestati & Ecclesiæ vtilitati, numquam cum consecrari permittatis, ne ec-

DE PROMOTIONE TVRPISSIMI PVERI ADMONITIO.

C clesiam Dei prostibulum publicum, & spelunca latronum faciatis. Sciatis etiam quia Turonensis Archiepiscopus contra interdictum Legati vestri in Natale Regi coronam imposuit, & vt iste Episcopus fieret, hanc mercedem promeruit. Et vt sciatis puerilem fuisse electionem, quidam etiam de eligentibus in natale innocentium in eligendo ita iocatus est:

Eligimus pueros, puerorum festa colentes,
Non nostrum morem, sed Regis iussa sequentes.]

hucusque Iuonis epistola ad Vrbanum, eademq. nouissima ex ijs, quæ ab eodem ad ipsum sunt datæ: intercedente enim hoc anno eiusdem Vrbani obitu (vt in fine suo loco dicetur) scribendi rursus ad eum est omnis occasio intercisa.

Extat, quam citat idem Iuo, epistola de turpitudine pueri electi in Aurelianensem
D Episcopum, inter eiusdem epistolas editas sexagesimaseprima ordine posita, in qua turpia dictu, horrenda cogitatu, opere vero nefanda de Turonensi Archiepiscopo promouente, & promoto puero Aurelianensi, & Rege assentiente narrantur. ibidemq. de corona imposita Regi contra interdictum ipsius Vrbani Papæ ab ipso Turonensi Præsule, qui ab eo in præmium Aurelianensem Episcopatum acceperat pro puero illo probroso, mentio habetur. Obstitisse autem Iuonem, ne impudicus ille puer eligeretur Ioannes nomine, Archidiaconus illius ecclesiæ, sed ordinaretur legitime Decanus, idem ipse in alia ad eumdem [a] Hugonem Lugdunensem Archiepiscopum Le- a *Iuo ep. 122.*
gatum significat, in qua totius rei gestæ narratur historia, cuius etiam argumenti extant aliæ eiusdem Iuonis epistolæ. [b] b *Id. ep. 64. 119 & 126.*

Quod vero ad impositionem coronæ Regi factam in die Natalis Domini pertinet,
E scias idem ipsum postea etiam præsumptum anno sequenti in die Pentecostes ab alijs Episcopis, vt eiusdem [c] Iuonis aliæ litteræ docent, de quibus suo loco dicendum. Ad c *Id. ep. 34.*
postremum, ne qua suspicio præuaricationis ex recitatis litteris Iuonis ad Hugonem Legatum, quibus inuestiturarum prohibitionem incessit, in legentis animum aliquo modo irrepere possit: sequenti Tomo suo loco ponenda erit alia eiusdem Iuonis sub Paschalis Papæ naufragio data epistola, [d] qua docetur quantum Iuo ipse fuerit asser- d *Id. ep. 235.*
tor & prædicator decretorum Gregorij & Vrbani, prohibentium inuestituras.

HVGO LEGATVS QVANTA CONATVS IN EPISC. SENON. PROVINCIAE.

Præter hæc autem idem Hugo Sedis Apostolicæ Legatus, alia quoque occasione in se prouocauit Iuonem & alios Episcopos prouinciæ Senonensis, dum electum Niuernensem Episcopum absque aliqua necessitate consecrandum extra prouinciam Augustodunũ vocauit præter omnem antiquum morem, omnemq. Ecclesiæ Catholi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cæ consuetudinem. Ad quem cohibendum idem Iuo egregiam plane epistolam scripsit, & inter alia de comprimendo Apostolicæ legationis fastu hæc habet: [a] Licet enim prudentia vestra velit, & debeat ministerium suum honorare; reminiscí tamen debet, quia cum Petrus Paulo esset prælatus, dederunt tamen sibi inuicem dexteras societatis, vt alter in Gentibus, alter in Circumcisione prædicaret. Attendat ergo discretio vestra, vtrum hoc fieri liceat: & si liceat, vtrum expediat; ne forte odisse & detractare incipiant iugum vestrum, quos vultis habere subiectos, dum hoc exemplo suo intellexerint esse iure priuandos &c.] Idemq. imperium aduersus Bellouacensem electum importune nimis idem Legatus exercuit, prout idem Iuo in alijs ad eum datis litteris docet.[b]

A

[a] Iuo ep. 66.

[b] Id. ep. 60. & 106.

RES GESTAE VRB. PAPAE ANNI HVIVS.

Hæc in Gallijs. quænam autem Romæ reliquæ fuerint eiusdem Pontificis res gestæ ad obitum vsque, eius temporis scriptor Bertholdus, incipiens annum a Natiuitate Domini, sic aggreditur enarrare: Hoc anno millesimo nonagesimonono dominus Papa Natalem Domini Romæ cum magna pace celebrauit: nam & castellum sancti Angeli cum alijs munitionibus in sua potestate detinuit, omnesq. æmulos suos in ciuitate cum Dei adiutorio satis viriliter, aut placauit, aut vi perdomuit. Synodum quoque suam in tertia hebdomade Romæ celebrandā post Pascha, missis litteris vsquequaque denuntiauit] hæc de Synodi indictione. de celebratione autem ipsius ita inferius:

B

CONCIL. ROM. SVB VRB. PAP.

Romæ dominus Papa generalem Synodum centum quinquaginta Episcoporum, Abbatum, & clericorū innumerabilium tertia hebdomada post Pascha collegit, in qua Synodo confirmatis suorum antecessorum statutis, etiam sententiam anathematis super Guibertum hæresiarcham, & omnes eius complices iterauit. Statuit quoque ibi, ne communicare præsumerent ijs, qui concubinas haberent, nisi prius eas dimitterent. De Hierosolymitano itinere multum rogauit vt irent, & fratribus suis laborantibus succurrerent] hucusque de Concilio Romano Bertholdus.

C

OBITVS VRB. PAPAE II.

Idemq. & inferius, hoc quoque anno, quarto Kal. Augusti, eumdem Vrbanum Papam esse defunctum affirmat, rebus iam sedatis, munitionibus vendicatis, Romanis omnibus sibi conciliatis, paceq. diu exule restituta, ipsaq. Ecclesia Catholica in statum tranquilliorem vendicāta. Cum igitur sedisset annos vndecim, menses quatuor, dies decem & octo, S. R. E. Pontificatu bene perfuncto, vltimum spiritum Deo reddidit dicta die, in ædibus Petri Leonis, apud S. Nicolaum in carcere Tulliano positis. ab eodem enim nobilissimo Romano. eiue hospitio semper exceptum, cum tot tantisq. premeretur angustijs, defensumq. in insula Tiberina inter duos pontes, in eodem Vaticano codice legitur, in quo vita ipsius, vt audisti, describitur ab eius temporis auctore: vbi etiam asseritur, corpus eius per Transtiberinam regionem fuisse delatum in basilicam Vaticanam, atque ibidem honorifice sepultum.

D

Porro de obitus tempore, eiusq. laudibus Domnizo in Mathilde instar epitaphij sepulchralis habet hos versus: musa rudi, vt ætas illa ferebat, ex quibus tu sensum potius, quam verba capies, sic se habent:

LAVDES VRB. PAPAE.

Non erat hic Rector tremulus quasi cannula vento,
Sed veluti ferrum truncabat noxia verbo.
Vt cernum serpens, haresum sic turba timet quem:
Cuncta sibi praua subduntur dogmata falsa.
Nunquam decreuit libertas denique Sedis
Romanæ per eum, sanctum peramat quia Petrum
Aureus Antistes, color optimus extitit ipse
Scilicet Vrbanus, Sanctis merito sociatus.
Talem vt Romæ cum perdidit Vpilionem.
Mortuus est Romæ, digno conditus honore,
Iulius ipse dies binos cum dat prope finem,
Anno milleno, nonagenoq. noueno
A nato celso de prima Virgine Verbo.] hucusque Domnizo. Sed non prætereat, quod ad triumphum pertinet Vrbani Papæ, nimirum eodem tempore contigisse capi Hierosolymā ciuitatē ab exercitu Christiano sub Godefredo Duce, cuius sanctæ expeditionis (vt vidistis) idē Vrbanus promotor fuit. Sic igitur in cælo meruit sanctissimus trium-

E

A triumphare, cui non erat in terris par laboribus honor. Res gestas memoria dignas omni scriptorum genere illustratas, & ab eorumdem temporum auctoribus fidelissimis cuiuslibet propemodum nationis monimentis perpetuis consignatas, adeo constat esse vulgatas, vt non indigeant stylo nostro. Tu autem Lector, si ista cupis, habes [a] Vuillelmum Tyri Archiepiscopum, qui colligens in vnum volumen plura diuersorum volumina, ista locupletius fide sincera pertractat.

[a] Vuill. Tyr. de bell. sac. lib. 8. c. 1. vsque ad 13.

At vero antequam præsentem Tomum cum Vrbano claudamus, quæ in manus nostras deuenerint scriptorum eiusdem Pontificis, hic describamus. Cuius quot apices, tot gemmas existimamus: perijsse autem epistolarum Registrum, doluimus. apud Anselmum Lucensem in volumine, quod magno labore collegit ex Conciliorum canonibus atque decretis summorum Pontificum, nonnulla reperies. Sed & Iuo pariter

DE VRB. PAP. EPISTOLIS DECRETAL.

B Carnotensis Episcopus, qui item his temporibus doctrina clarus enituit, nonnulla etiam ex epistolis eiusdem Vrbani Papæ accepit, atque in Corpus canonum, quod elaborauit, inferens, suis locis apte disposuit. Nouissime vero Gratianus idipsum abundantius præstitit. quæ cum iam edita habeantur, haud nobis laborandum, vt hic singula describantur. Illa vero hic integra est reddenda eiusdem Pontificis decretalis epistola, quæ data habetur Præposito sancti [*] Iuuentij Papiensis ciuitatis, quam necdum cusam reperimus. extat enim ipsa apud Anselmum Lucensem, cuius librum collectionis canonum adhuc scriptum tantum, nondum editum scimus, qui & incrementum ab aliquo huius temporis Scriptore accepisse videtur. Etenim quæ ex Vrbano Papa desumpta decreta continet, oportet ab aliquo esse addita: siquidem ipsum ante Vrbanum Papam esse defunctum, superius satis est demonstratum. Porro quam

VRB. DIVERSAE EPISTOLAE.

[*] al. Inuentij

C etiam apud Gratianum diuersis in locis sub diuersis titulis per fragmenta positam habes epistolam, hic vt scripta fuit, simul integram leges, quæ sic se habet:

Vrbanus Episcopus seruus seruorum Dei dilecto filio Lucio Præposito ecclesiæ S. Iuuentij apud Ticinum salutem & Apostolicam benedictionem.

VRB. EPIST. DECRETALIS.

Saluator prædicit in Euangelio, circa finem sæculi pseudochristos, & pseudoprophetas surgere, & multos seducere; & Fideles suos in mundo multas habituros pressuras; sed tamen portas inferi aduersus Ecclesiam non præualituras. Proin quia, vt ait Apostolus, oportet hæreses esse, vt qui probati sunt, manifesti fiant; oportet nos cum Propheta ex aduerso ascendere, & murum opponere pro domo Israel, & cum eodem Apostolo per multas tribulationes intrare in regnum Dei. Vnde non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Igitur quia

D innotuisti nobis, quod tibi obijcitur, Vtrum vendere ecclesiasticam rem, simoniacum sit: Hoc simoniacum esse, patenter colligitur ex hoc, quod beatus Petrus Apostolus ait Simoni: [b] Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia existimasti donum Dei pecunia possideri. Donum quippe Dei est Spiritus sanctus, & donum Dei est res ipsius ecclesiæ oblata. Et si bene aduertis, Simon magus, qui ficte ad fidem accessit, non Spiritum sanctum propter Spiritum sanctum, quo ipse indignus erat (quoniam vt scriptum est: [c] Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum) sed ideo, quantum in ipso erat, emere voluit, vt ex venditione signorum, quæ per eumdem fiebant, multiplicatam pecuniam, quam obtulerat, lucraretur. Nec Apostolus emptionem Spiritus sancti, quam bene nouerat fieri non posse, sed ambitionem talis quæstus, ideſt auaritiam, quod est idolorum seruitus, in eodem Simone exhorruit, & maledictionis iaculo perculit.

[b] Act. 8.

[c] Sap. 1.

E Quisquis itaque res ecclesiasticas, quæ Dei dona sunt, quoniam a Deo Fidelibus, & a Fidelibus Deo donantur, quæq. ab eodem gratis accipiuntur, & ideo gratis dari debent, propter sua lucra vendit, vel emit: cum eodē Simone donum Dei pecunia possideri existimat. Ideo, qui easdem res non ad hoc, ad quod institutæ sunt; sed ad propria lucra, munere linguæ, vel indebiti obsequij, vel pecunia largitur, vel adipiscitur, simoniacus est: cum principalis intentio Simonis fuerit sola pecuniæ auaritia, ideſt, idololatria, vt ait Apostolus Paulus. Alioquin cur Synodus Chalcedonensis sexcentorum triginta Episcoporum, procuratorem, vel defensorem ecclesiæ, vel quemquam regulæ subiectum, adeo per pecuniam ordinari prohibet, vt interuentores quoque tanti sceleris anathematizet, nisi quod eosdem simoniacos iudicet? Quod si præfati milites ecclesiæ ob huius scelus taliter percelluntur: nemo sapiens negabit non mili-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tantes ecclesiæ multo damnabilius hanc ob causam, ideſt venditionis vel emptionis, A
debere percelli.

*Paſch. Primus Sed & beatus prædeceſſor noſter *Paſchalis de conſecratione, & de rebus, quæ proueniunt ex conſecratione, affirmat, quod quiſquis alterum eorum vendit, ſine quo alterum habere non poteſt, neutrum non venditum derelinquit. Ac per hoc eum, qui rem eccleſiæ vendit, vel emit, ſimoniacum intelligit. In nomine vero Procuratoris intelligit præfata Synodus quemlibet eccleſiaſticarum rerum adminiſtratorem, vt verbi gratia Præpoſitum, Oeconomum, Vicedominum: Defenſoris nomine Aduocatum ſiue Caſtaldum, & Iudicem: In Subiecto regulæ Archipresbyterum, Archidiaconum, canonicum, monachum, vel quemlibet eccleſiaſtico mancipatum officio. Quod vero Spiritum ſanctum, quantum in ſe eſt, vendat, vel emat, qui Præpoſituram vel huiuſmodi vendit, vel emit, audi Auguſtinum ſuper Ioannem: O quot propoſita fecerunt? Alterum propoſitum habet Carthagine Primianus, alterum habet Maximianus, alterum habet in Mauritania Rogatus, alterum habent in Numidia illi & illi, quos iam nec nominare ſufficimus. Circumit ergo aliquis emere columbam? vnuſquiſque propoſitum ſuum laudat, quod vendit &c. B

Ecce venerabilis Auguſtinus de Præpoſituræ diſtractione agens, in nomine columbæ ſancti Spiritus venditionem vel emptionem accipit, ſicut & omnes huius Euangelici capituli tractatores. Penſandum vero eſt, qua pœna mulctentur, qui iam Deo, & Eccleſiæ ſuæ oblata vendunt, vel emunt, ſi cum flagellis a Dei templo eiecti ſunt, qui quæ Deo erant offerenda vendebant, vel emebant. Si de offerendorum venditoribus, vel emptoribus dictum eſt: *a Vos feciſtis domum Patris mei domum negotiationis, & ſpeluncam latronum: quid dicetur iam de Eccleſiæ oblatorum venditoribus, vel emptoribus? Et ne quis inſanus obijciat, merito hos Dominum tam acerbe vindicaſſe, quia tunc illa in Dei templo, eccleſiaſticæ vero res modo extra templum diſtrahantur: attendat ſuper his Auguſtini non determinantem locum venditionis, vel emptionis propoſitorum, ſed tantum indefinite dicentem: Circumit aliquis emere columbam? vnuſquiſque propoſitum ſuum laudat, quod vendit, non adijciens in templo, vel extra templum. hæc contra venditores, vel emptores ſacrarum rerum. C

Ad hoc vero, quod in epiſtola tua ſequitur, ideſt, Vtrum obedire his tentantibus ad mortem nefas ſit, & circa finem eiuſdem epiſtolæ hoc idem iterum inculcatur: illud beati Petri reſpõdemus: *b Obedire Deo oportet magis quam hominibus. In quo exemplo notandum eſt, hominibus interdum obediri debere, ſed magis Deo: hominibus quidem in his, quæ contra fidem & religionem non ſunt. Quoniam ciues Hieruſalem legimus Babylonis ciuibus militaſſe, vt ſanctum Ioſeph, & ſocios Danielis: quorum primus ſtuprum dominæ, ſequentes vero idololatriam perhorrentes, rem publicam & alienigenarum Principum ſtrenue gubernauerunt. Et in Euangelio habes: *c Cum eo qui te angariauerit vno milliario, alia duo ambulare debere: & reddere quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. Item Hieronymus ſuper epiſtola ad Philippenſes: *d Si dominus ea iubet, quæ non ſunt aduerſa Scripturis ſanctis, ſubijciatur domino ſeruus: ſi vero contraria præcipit, magis obediat ſpiritus, quam corporis domino. & infra: Si bonum eſt, quod præcipit Imperator, iubentis exequere voluntatem; ſi malum, reſponde: Obedire oportet Deo magis quam hominibus. D

*e 6. diſt. 3 a. c. 6. in add. Ad hoc vero, *e quod ſubiungitur in eadem epiſtola, ideſt, Vtrum ſit vtendum ordinationibus & reliquis ſacramentis, a criminoſis exhibitis, vt ab adulteris, vel ſanctimonialium violatoribus, vel huiuſmodi: ad hoc inquam ita reſpondemus: Si ſchiſmate, vel hæreſi ab Eccleſia non ſeparantur, eorumdem ordinationes, & reliqua ſacramenta ſancta, & veneranda non negamus, ſequentes beatum Auguſtinum, qui ſuper Ioannem de huiuſmodi tam copioſe, quam veraciter diſſeruit, ait enim: Baptizer ſeruus bonus, ſiue ſeruus malus, non ſciat ſe ille, qui baptizatur, baptizari non ab eo qui ſibi tenuit baptizandi poteſtatem. & paulo poſt: Non horreat columba miniſterium malorum, reſpiciat Domini poteſtatem. Si fuerit ſuperbus miniſter, cum Zabulo computatur, ſed per illum Chriſti ſacramẽtum non contaminatur. Quod per illum fluit, purum eſt, quod per illum tranſit, liquidum eſt. item: Spiritualis vero virtus ſacramenti ita eſt, vt lux, quæ & ab illuminandis pura excipitur, & ſi per immunda E

munda tranſeat, non inquinatur. Quos baptizat ebrioſus, quos baptizat homicida, quos baptizat adulter, Chriſtus baptizat, & cetera huiuſmodi. Attamen deceſſores noſtri Nicolaus & Gregorius a Miſſis ſacerdotum, quos tales reuera eſſe conſtiterit, Fideles abſtinere decreuerunt, vt & peccandi licentiam ceteris auferrent, & huiuſmodi ad dignæ pœnitentiæ lamenta reuocarent. Scribit hoc prædeceſſor noſter *a Gregorius Rudolpho & Bertholdo Ducibus inter cetera: Officium ſimoniacorum, & in fornicatione iacentium ſcientes nullo modo recipiatis, & quantum poteſtis, tales ſanctis deſeruire myſterijs vi, ſi oportuerit, prohibeatis, &c. A

*a Greg. vij. lib. 2. ep. 45.

Porro ad hæc, quæ tibi ſyllogiſtice in eadem epiſtola obijciuntur, ideſt, Si corpus & ſanguis Chriſti non ſunt, & alia quæ prædiximus, proprias non habent virtutis dignitates, quid agentibus obſunt: quod ſi habent, cur ſpernũtur, ſicubi ab indigno præſumuntur? Ad hæc, inquam, ita reſpondemus: Proprias quidem habent virtutis dignitates, vt præfatus Auguſtinus ait ſuper Ioannem contra Donatiſtas; ſed agentibus, vel ſuſcipientibus eadem ſacramenta contra præfatorum Pontificum inſtituta, niſi forte ſola † morte interueniente, vtpote ne ſine baptiſmate, vel communione quilibet humanis rebus excedat: eis, inquam, in tantum obſunt, vt veri idololatræ ſint, cũ talibus & ordinationum & ſacramentorum confectio, & aliter quam præmiſſum eſt, ſcienter ſuſceptio vehementer a ſanctis canonibus prohibeatur. Ait namque Samuel propheta: *b Quoniam peccatũ ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere. Hæc de malis Catholicis, qui intra Eccleſiam ſunt. Ceterum ſchiſmaticorum & hæreticorum ſacramenta, quoniam extra Eccleſiam ſunt, iuxta ſanctorum Patrum traditiones, ſcilicet Pelagij, Gregorij, Cypriani, Auguſtini, Hieronymi, formam quidem ſacramentorum, non autem virtutis effectum habere profitemur, niſi cum ipſi, vel eorum ſacramentis initiati per manus impoſitionem ad Catholicam redierint vnitatem. B C

† niſi in caſu neceſſitatis: qui a præſbo accepit ſacramentum extra caſum neceſſitatis, peccat, non ité qui a malo. Tho. p. 3. q. 6. ar. 6. ad 2. & q. 67. art. 1.

*b 1. Reg. 15.

Sciendum vero eſt, quod canones Apoſtolorum, quorum auctoritate Orientalis, & ex parte Romana vtitur Eccleſia, & inſignis martyr Cyprianus, & LXXX. Epiſcopi, cum eodem baptiſmum hæreticorum lauacrum diaboli appellant. Stephanus vero & Cornelius martyres & Pontifices Romani, & venerabilis Auguſtinus in libro de baptiſmate eumdem Cyprianum & præfatos Epiſcopos hanc ob cauſam vehementer redarguunt, affirmantes, baptiſmum ſiue ab hæretico, ſiue ſchiſmatico eccleſiaſtico more celebratum ratum eſſe, & merito, quia alia in baptiſmo, & alia in reliquis ſacramentis conſideratio eſt: quippe cum & ordine prior, & neceſſarior ſit: ſubito enim morituro prius baptiſmate, quam Dominici corporis communione vel alijs ſacramentis conſulitur: Et dum forte Catholicus non inuenitur, ſatius eſt ab hæretico baptiſmi ſacramentum ſumere, quam in æternum perire. Et hanc ſententiam præſcriptorum Pontificum, Cornelij, Stephani, & Auguſtini, ſecuti ſunt Innocentius, Siricius, Leo, Anaſtaſius, & Magnus Gregorius, & omnis Eccleſia Catholica. Et quoniam epiſtolaris breuitas propoſitis tibi quæſtionibus fortaſſe non ſufficit, eorumdem temeritatem ad Sedem Apoſtolicam inſtruendam mitte, aut iuxta *c Apoſtolum veluti ſanæ doctrinæ aduerſarium poſt ſecundam & tertiam correctionem deuita. Tu vero eſto fidelis vſque ad mortem, vt percipias coronam vitæ. Data Romæ.] D

*c Tit. 3.

DE CONCVBINARIIS SACERDOTIBVS.

Ex his autem illud infertur, quod apud Gratianũm apponitur iſtis verbis: Prohibetur ergo de manibus talium ſacerdotũ ſacramenta ſuſcipi, non quia non ſint vera quo ad formam & effectum; ſed quia dum huiuſmodi ſacerdotes ſe a populo contemptos viderint, rubore verecundiæ facilius ad pœnitentiam prouocentur. Porro eadem in diuerſis orbis partibus agitata, & in controuerſiam deducta, ſed præſcripto decreti Vrbani Papæ correcta definita eſſe inueniuntur. eſt inter alia de his ſcripta epiſtola ſancti *d Anſelmi Cantuarienſis Epiſcopi ad Guillelmum Abbatem, in qua eiuſmodi Vrbani Papæ decreti mentionem feciſſe videtur his verbis: De presbyteris vero, qui ſe aperta reprobæ libidinis conuerſatione Deo reprobabiles exhibent, omnino tenendum eſt, quod Apoſtolica prouidentia eccleſiaſtico iuſtoq. rigore conſtituit, nempe: Nullatenus conuenit, vt ibi reuerenter aſtetur, vbi pertinaciter aperta & impudenti libidine fœtentes, Dei & Sanctorum prohibitionem contemnendo, ſacris altaribus deſeruiunt, immo non deſeruiunt, ſed quantum ad ipſos, conculcant, non quo quis E

*d Anſel. ep. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ea quæ tractant, contemnenda, sed tractantes execratos existimet. Vt qui Dei & A
Angelorum præsentiam non reuerentur, vel hominum detestatione repulsi sacra contaminare desistant. Nec vllatenus oportet, vt illi sint consortes de altari participantium, qui per immunditiam se faciunt exortes altari seruientium] hucusque sanctus Anselmus. sed & hæc ipsa rursus actitata reperies in Concilio Pictauiensi sub Paschali Papa anno sequenti celebrato, de quo suo loco Tomo sequēti pluribus dicendum erit.

VRB. PAPAE VLTIMAE LITTERAE DATAE AD ARCHIEPISC. SALERNITANVM

Sed quæ sunt reliqua Vrbani Papæ scriptorum videamus. extat ad Alphanum Salernitanum Archiepiscopum eiusdem Pontificis data epistola, qua collatum illi ecclesiæ priuilegium continetur, quam quidem eiusdem sancti Pontificis vltimum fuisse elogium satis apparet, cum data habeatur hoc anno decimotertio Kalendas Augusti. accepimus eam ex scripto codice bibliothecæ Cardinalis Sirleti, modo autem Cardi- B
nalis Columnæ, sed non integram, amputatis scilicet ijs quæ ad priuilegia spectare videbantur eius ecclesiæ: quæ vero nos habuimus, sic se habent:

Vrbanus seruus seruorum Dei dilecto fratri Alphano Salernitano Episcopo, eiusq. successoribus canonice promouendis in perpetuum.

Singulare semper Sedis Apostolicæ priuilegium claruit, subiectas sibi per orbem terrarum ecclesias & auctoritate disponere & benignitate clementius confouere. Quibus autem supernæ maiestatis dignatio suæ gratiæ pleniorem cōtulit largitatem, ipsis etiam consueuit excellentiorem contribuere dignitatem. Vnde non immerito existimamus, Salernitanam ecclesiam amplioribus nostræ benignitatis muneribus honorandam, quam omnipotens Dominus eximia suæ benignitatis prærogatiua per misericordiam gratuitam sublimauit. Ex nouissimis namque terrarum finibus beati Mat- C
thæi Euangelistæ corpus ad hanc deferri, apud hanc haberi, clementissima suæ dispositionis * dignitate permisit. Cuius scilicet Apostoli quanta sit in Deo & Ecclesia gloria excellentia, collatorum diuinorum munerum gratia cumulata demonstrat. Hic enim primus inter ceteros Euangelij seriem scribere inspiratione diuina exorsus est: hic in diuini seminis fructu trium ordinum coronam centesimam reportauit, vt simul Apostolus, & Euangelista, & Martyr existeret. Adiecit ad hæc omnipotens Deus, vt eamdem ecclesiam glorioſorum martyrum Fortunati, Gaij, & Anthes triumphis simul & corporibus honoraret. Apposuit etiam tertij muneris claritatem, vt eam nostris temporibus Gregorij Apostolicæ memoriæ Septimi Papæ tam exilio, quam tumulo illustraret. Cuius quam egregia iura, quam præclara doctrina, quam miranda constantia fuerit, Romana Ecclesia prædicat, Occidens vniuersus agnoscit, tyrannorum pertinacia tolerat, & conculcata testatur] hucusque in codice Sirleti. D

* *f.* dignatione

Ad postremum, quod pertinet ad eiusdem Vrbani Pontificis sepulturam, non prætermittamus, quod breuiter Manlius attigit in libro de antiquis monimentis Ecclesiæ sancti Petri in Vaticano, nimirum eiusdem Vrbani Papæ sepulturā satis pulchro schemate fuisse constructam in memoriam tanti Pontificis, adeo de vniuersa sancta Ecclesia bene meriti, iuxta Oratorium Hadriani Papæ Primi in eadem basilica Vaticana, quam Fideles frequentantes, quisque intimo cordis affectu bene precaretur animæ eius, & laudaret nomen eius; sicq. eius vigens memoria semper aucto fœnore benedictionum sit summa gloria ad posteros propagata.

Sed transferat se rursus oratio in Orientem in enarrandis quæ memoria digna post Hierosolymas expugnatas fieri contigerunt, & inter alia illud celebre de certitudine E
venerandæ imaginis IESV Christi Redemptoris nostri Crucifixi schemate regio pictura antiquitus ad similitudinem eius expressæ, curante id scilicet (vt vetus traditio delapsa ad posteros firmiter testabatur) Nicodemo nocturno Christi discipulo, prout didicit, & retulit inde pius valde vir Stephanus nomine, patria Lucanus, qui religionis causa vna cum alijs anno superiori peregrinationem susceperat ad Terram sanctam, quam acceperat a Gregorio quodam Syro homine, eaq. insigniter esse illustratam Lucanam in Tuscia ciuitatem, vbi hactenus religiosissime conseruatur, apud quam & totius rei gestæ historia antiquitus scripta seruatur. Cur autem regio cultu, non vt passus est nudus, idem Redemptor noster fuerit expressus, a pluribus quæri scimus: quibus aliquando respondimus, id præstitum olim ab eo ad euacuandum scandalum Crucis, & illustrandam magis gloriam Christi, vt quem inter latrones audierint Crucifixum,

A cifixum, scirent reuera fuisse Regem Iudæorum vnctum a Deo, [a] eumdemq. Regem [b] Regum ac Dominum dominantium; ita, inquam, IESVM Christum Crucifixum Iudæis scandalum, Gentibus stultitiam, ea de causa pietas Nicodemi effigiandum curauit, & non honestatis causa tantum. Nam qui eius rationem habendam censuerunt, ipsum Dominum nostrum Redemptorem indutum solum interula siue indusio Cruci affixum, siue sculptura siue pictura repræsentare consueuerunt. sed de his alias nos dixisse meminimus. Stet ergo veneranda sacrosancta Imago Christi Regis in Cruce pendentis aduersus infelicissimos Iconoclastas semper loquens perpetuum ab exordio nascentis Ecclesiæ monimentum transmissum ad posteros. sed iam de his hactenus, cetera prosequamur.

a *Act.* 10.
b *Apoc.* 19.

Quid autem tunc temporis, hoc, inquam, ipso anno, memoria dignum, Hierosolymis S. PETRVS DIVINITVS MONETVR AD ECCLESIAM REGREDI.
B receptis, acciderit S. Petro Episcopo Anagniæ, qui suos pertæsus, a quibus plurima indigna passus esset, cum Boamundi exercitu nauigauit in Orientem: hic describendum ex sancto Bruno Signiæ Episcopo, huius temporis scriptore celebri, qui in vita eiusdem Petri, quam scripsit, hæc habet: Petro in proposito manente, non amplius scilicet ad Anagninam ecclesiam redeundi, sed permanendi Hierosolymis vsque ad mortem; beatus Magnus eiusdem ecclesiæ Anagninæ patronus ei astitit in habitu peregrini. Qui a beato Petro, quis esset, & vnde veniret, interrogatus: Peregrinus, respondit, Italus ego sum, iugalis consortia fugiens, huc salutationis meæ causa, quoad vixero, moraturus accessi, fugiens debitum ipsi reddere postulatum. tuum peto consilium: Ne saluabor? Petrus inquit: In obscenitate criminalis propositi saluationem hic expetis contra vinculum coniugale? Quod Deus coniunxit, homo non se- c *Matth.* 19.
C paret, originaliter Domino statuente. Cur ergo (beatus Magnus intulit) ecclesiam iugaliter tibi meis interuentionibus desponsatam, contra propriæ salutis consilium & Dei voluntatem temerarius abdicasti? Vbi iam vota tuæ peregrinationis implesti: tuam in Dei nutu ecclesiam repetens, regredi non moreris. his dictis euanuit. Cum Petrus his acceptis monitis, dicto tempore ad suam est reuersus ecclesiam] hucusque Brunus.

In fine autem anni huius itidem Hierosolymis, post celebratum solemnē diem Natalis Domini, habito generali conuentu Principum, & eorum qui aderant Episcoporum, Daibertus Pisanus Archiepiscopus, idemq. Apostolicæ Sedis Legatus eligitur in Patriarcham Hierosolymitanum, pulso nefario homine, qui thronū illum inuaserat, Arnulpho, qui sequebatur Principem Northmannorum. Cum interea throno An- CONCILIVM HIEROSOLYM.
D tiocheno Bernardus Patriarcha electus esset. A quibus religiose admodum Christiani Principes accipere voluerunt singuli suorum principatuum inuestituras, Godefredus regni Hierosolymorum a suo Patriarcha eam accipiens, Boamundus principatus Antiochiæ ab Antiocheno Patriarcha. Quo facto ab ijsdem constitutæ sunt dotes ijsdem ecclesijs, quales antecessores Patriarchæ habuisse scirentur: licet horū occasione multæ sint postea obortæ contentiones, de quibus dicendum erit inferius suis locis. ista omnia pluribus narrat [d] Vuillelmus Tyrius quem tu consulas pro arbitrio.

d *Vuill. lib.* 8. *c.* 11. *lib* 9. *c* 1. *&* 18. 19.

Quæ autem hoc item anno dicenda essent de Vrbani successoris electione, in se- AVCTORIS DIGNA CONSIDERATIO.
E quentem Tomum reijcimus, ne eiusdem Pontificis electio a reliquis ab eo rebus gestis ex diuisione Tomorum magno Lectoris incommodo diiuncta ponatur.

Hic modo mecum post diuturnum laborem fessus, sicut ego scribendo, tu legendo, Lector considero, & vna pariter admiremur Dei prouidentiam in sancta Ecclesia Catholica moderanda: memores, in quot quantaq. discrimina sæpe vidimus incidisse Petri nauiculam, quanta subijsse pericula, disiectam ventis, absorptam fluctibus, sed iterum ex insperato emergentem ex abyssi profundo, rursum vero notis flatibus repercussam conspeximus obruendam, ad momenta singula periclitantem, borealibus rabidis ventis magno impetu debacchantibus; insanientibus, inquam, & sæuientibus ab Aquilone aduersus Ecclesiam Germanorum Imperatoribus, miscētibus omnia, atque turbantibus, intrudēntibus tot potentissimos schismaticos pseudopapas in Romanæ Ecclesiæ extremum exitium atque perditionem. Qui enim magnæ moli suffultas columnas auferat, & stupea fulcimenta earum loco sufficiat: quid senseris de isto, nisi hoc vnum agere, vt totum simul erectum miro opere ædificium penitus demoliatur? Quid vero si tanta passam sæpius adhuc tamen subsistere inconcussam, sibiq. ipsi firmiter

Universidad de Deusto
Biblioteca

miter inhærentem perſpexeris celſam domum: quid ſenſeris, niſi inuiſibili Dei potentia eam ſic ſubſiſtere, ſuſpendiq. diuino præſidio, ne ſic ſubruta machina ruat? A

Ita plane recte cenſueris, eius tantum ope factum, vt talia tantaq. paſſa ſancta Eccleſia damna ſubſiſtere potuerit, eamq. nonniſi inuiſibili Dei manu, omni columna potentiori, quæ [a] terræ molem appendit tribus digitis, ſuſtentari. Sicq. firmiter aſſerueris adhuc inhabitare perpetuo in eadem Eccleſia Chriſtum, qui migraturus e terra in cælum, hoc ſuis firmatum teſtamento reliquit, dicens: [b] Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi] pariterq. etiam affirmaueris, in nauicula illa, quæ nullo ventorum impetu & maris violentia iactata potuerit vnquam pati naufragium: ipſum adhuc exiſtere, & aſſiſtere, qui [c] facit ventis pondus, & aquas appendit in menſura] Qui [d] clauſit oſtijs mare & dixit: Hucuſque venies, & nõ procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos] idem ipſe Dominus noſter IESVS Chriſtus, qui olim in eadem Petri nauicula conſtitutus, periclitantibus vna cum ipſa Diſcipulis, e ſomno ſurgens [e] imperauit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna] Quod ſi ita eſt: [f] intelligite Reges, & erudimini qui iudicatis terram] intelligite vos contra Eccleſiam, cui præeſt Deus, fruſtra pugnare. erudimini, dum hoc facitis, contra vos ipſos magna veſtri iactura laceſſere Deum bello. B

a Iſai. 40.
b Matth. 28.
c Iob 28.
d Iob 38.
e Matth. 8.
f Pſal. 2.

PERORATIO CVM GRATIARVM ACTIONE.

IAM ad litus rete. Inſtar enim ſagenæ miſſæ in mare, [g] ex omni genere piſciũ congregantis Annalium ſcriptio ſe habet, quæ ſui amplitudine in collectione rerum geſtarũ in vaſto pelago ſæculi huius, quot continet Tomos, tot tu Lector, veluti retis iactus enumeres. Sed vbi ductum eſt rete, non Iudaico more ſecus litus ſedendum ad delectum piſcium; quin potius vna cum Paulo [h] in litore poſitis genibus nobis orandum, & gratiæ agendæ Deo, cuius totum id muneris eſſe cognoſcimus; ſicq. cui cuncta acceptа ferimus, eidem dignas laudes pariter referamus; procul abhorrentes ab illorum arrogantia, qui ſibi omnia tribuentes, immolant [i] ſagenæ ſuæ, & ſacrificant reti ſuo. Petri namque nobis potius proponimus imitandum exemplum, a quo & rete accepimus ad piſcandum: [k] qui ſtupens ad inſperatam copioſiſſimam capturam piſcium, procidit ad genua IESV, a quo ſe totum intelligeret conſecutum. Sed cum omnem gratiarum actionem tanto beneficio imparem eſſe ſciret: ſeſe ad humilem peccatorũ confeſſionem conuertit, ex abundantia cordis in illud erumpens admirandum humilitatis elogium: Exi a me, quia homo peccator ſum, Domine. Procido & ipſe, ſed eo humilius, quo grauius peccans, ad pedes eius; vt humi ſtratus, non os tantum, ſed omnia oſſa mea dicant: [l] Domine, quis ſimilis tibi? qui tot tantaq. confers in immeritum beneficia, quorum excreſcente diluuio propemodum obruendus, æque cum Petro exclamare compellar: Exi a me, quia homo peccator ſum, Domine, propriæ conſcius infirmitatis, longe impar ad tanti ponderis beneficia ſubeunda. C D E

Quod inſuper ex tanta ac toties repetita piſcatione nec ſit hactenus rete conſciſſum, ſed & ad iactus alios adhuc integrum perſeueret; quod, inquam, nec defecerint ex laboribus in ſenio vires, ſed vireſcant ad opus: totum id gratiæ eſt Abiſag [m] Sunamitidis noſtræ, ſenilia membra fouentis, ipſius videlicet ſanctiſſimæ atque puriſſimæ Virginis operi cœpto fauẽtis, cunctaq. noſtra curantis, atque feliciter promouentis. Cui pro meritis, quot huius ſcriptionis ſunt apices, tot fluant gratiarum actionum imbres, quot ſyllabæ, tot laudum fontes erumpant, fluxu perenni ad vaſtum illud pelagus confluentes, ex quo omnia prodierunt, ad ipſum dico bonorum omnium copioſiſſimum largitorem Deum optimum maximum. cui ſemper laus, honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

g Matth. 13.
h Act. 21.
i Habac. 1.
k Luc. 5.
l Pſal. 34.
m 3. Reg. 1.



Universidad de Deusto
Biblioteca

APPENDIX.

Quod autem polliciti sumus, pie Lector, adijcere ad calcem Tomi huius disputationem illam Humberti S. R. E. Episcopi Cardinalis, quam Constantinopoli habuisse vidimus aduersus Græcos schismaticos de Azymo & Fermentato: ecce edimus eam ex bibliotheca Vaticana depromptam, ne nobile antiquitatis monimentum diutius lateat, & fortasse pereat.

Incipit Responsio Fratris Humberti sanctæ ecclesiæ Siluæcandidæ dicti Episcopi, instar Dialogi ab ipso Latine conscripta Apocrisariatus sui tempore Constantinopoli, & iussu Imperatoris religiosi & orthodoxi Constantini Monomachi Græce edita sub nominibus Constantinopolitani & Romani. Anno Domini millesimo quinquagesimoquarto.

Romanus.

OCCASIO DISPVTANDI.

PRAEFVLGENTE gratia sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, in cuius manu nos, & sermones nostri, hinc iam aggredimur responsum in litteris & cauillationibus vestris, vt palam sit, nos illius summi Petri disciplina eruditos, qui dixit: [a] Sitis parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe, cum modestia & timore conscientiam habentes bonam, vt in eo quod detrahunt vobis, confundantur, qui calumniantur vestram bonam in Christo conuersationem. Quod figurate per Moysen [b] Dominus innuit, vbi vectes, quibus Arca portaretur, circulis ipsius semper inesse præcepit, nec vmquam extrahi ab eis, ne qua mora fieret, quotiescumque Arcam eleuari necesse esset. Arca siquidem sanctam Ecclesiam, circuli eius diuinam Scripturam, vectes autem Præpositos Ecclesiæ significât, quos semper expedit sacræ Scripturæ insistere, ne pudenter tunc velint discere, quando iam ad exaltationem sanctæ Ecclesiæ debent quæstiones quorumlibet enodare. Vnde calumniam vestram seriatim discussuri, ab ipsius initio non pigritamur ordiri. Insuper vt manifestius vestra dicta a nostris secernantur, vestra obelis, nostra autem astericis prænotantur. Sed tandem videamus quale sit illud vestræ calumniæ proœmium, quo laborastis auditorem vestrum efficere benevolum, ita dicendo.

[a] 1. Petr. 3.

[b] Exod. 25.

Dilucidius autem loco asterici & obeli, duo nomina sunt apposita in Latina translatione, Romanus scilicet, & Constantinopolitanus, quo Lector facilius admoneatur.

Constantinopolitanus.

CALVMNIA EX AZYMIS

Dei magna dilectio, & iucunda compassionis viscera flexere nos scribere ad tuam sanctitatem, & per te ad vniuersos principes sacerdotum, & sacerdotes Francorum, & monachos, & populos, & ad ipsum reuerentissimum Papam, & memorari de azymis & sabbatis, quæ mystice indecenter custoditis & communicatis Iudæis. Etenim azyma & sabbata ipsi custodire a Moyse iussi sunt.

Romanus.

GRAECORVM IN LATINOS AFFECTVS.

Ex hac vestra præfatione, sicut profitemini, crederemus vos salutem totius Latinæ seu Occidentalis Ecclesiæ pro sola magna Dei dilectione quærere, si sciremus vos vestram vestrorumq. non negligere. Cum vero vos ipsos & vobis commissos negligatis, vt nefandos Iacobitas, immo Theopaschitas, seu alias hæreticorum pestes inter vos & penes vos habeatis, neque eorum consortia, neque colloquia, neque conuiuia, seu pariter orare deuitetis: quomodo saltem suspicabimur, vos aliqua dilectione Dei aut proximi præmonitos, compati nostræ perditioni, sicut putatis? Et quare ad præceptum glorioſi Pauli [c] sic aures præcordiorum obturastis, vt dicentem non aduertatis: Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem, deuita? Vnde ipse Paulus [d] sciens, quod nulla pars esset Fideli cum Infideli, Hymenæũ, [e] & Philetum deuitauit, & Timotheo [f] Alexandrum Aerarium deuitare præcepit. Cum etiam non animaduertitis, beatum Ioannem, [g] contestantem Fidelibus: Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite eum recipere in domum, nec aue ei dixeritis; qui enim dicit ei, Aue, communicat operibus illius malignis. Ast vos, quasi omnia munda sint vobis, oculis contra vos & vestra clausis, sanctam Romanam & omnem Occidentalem Ecclesiam pollutam hæresi & Iudaismo proclamatis, & velut quamdam abominationem deuitatis.

[c] Tit. 3.

[d] 2. Cor. 1.

[e] 1. Tim. 1.

[f] 2. Tim. 4.

[g] 2. Ioan.

Ex qua tam cæca, & hactenus inaudita audacia ad hoc prorupistis, vt cuncto-

Universidad de Deusto
Biblioteca

GRAECI OMNES TEMERITATE EXCEDVNT QVAERETICOS.

rum hæreticorum, quos adhuc deprehendere valuimus, temeritatem transcendatis. A Quamuis enim singulæ hæreses suis adinuentionibus aliqua Ecclesiæ membra fatigarint; nulla tamen adhuc ad tantam vesaniam erupit, vt opinionem suam primæ & Apostolicæ Sedi ingerere præsumpsisset cum interpositione anathematis. Recensete (si placet) ab initio Christianitatis vsque ad nostra tempora cunctarum hæreseon molimina, & videbitis, an aliqua earum præsumpserit talia. Et cum non inueneritis, saltem nunc resipiscite, ne (quod absit) permaneatis vicinfores præcursores illius Antichristi, [a] qui aduersatur, & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. In cuius arrogantiæ monte consistentes, & ex supercilio ipsius omnia subter vos iacere reputantes, dicitis, vos flexos visceribus compassionis, scribere cunctis sacerdotibus Francorum, & reuerentissimo Papæ. Sed non solum Romani & Francorum sacerdotes, verum etiam omnis Latina Ecclesia de monte domus Domini clamat vobis contradicens: [b] In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem sicut passer? Tamen eum, quem Papam reuerentissimum dixistis, reuereri & non detestari debuistis.

a 2. Thess. 2.

b Psal. 10.

B

DILVITVR CALVMNIA DE AZYMIS.

Quod autem impudenter calumniamini nos communicare Iudæis, obseruando typice azyma, & sabbatum: phreneti inueterata arbitramur adeo vos perdidisse sensum, vt nec factum vestrum respiciatis, nec dictum. Quapropter suademus vobis, vt ad cor redeatis & animaduertatis, quod in Exodo xij. c. Moyses iubeat de azymis: Primo mense, quartadecima die mensis ad vesperam comederis azyma vsque ad diem vigesimamprimam ejusdem mensis ad vesperam. Septem diebus fermentum non inuenietur in domibus vestris: qui comederit fermentatum, peribit anima eius de cœtu Israel, tam de aduenis, quam de indigenis terræ. Omne fermentatum non comedetis, in cunctis habitationibus vestris edetis azyma. Item vnde superius: Septem diebus azyma comedetis. In die prima non erit fermentum in domibus vestris: quicumque comederit fermentatum, peribit anima illa de Israel, a primo die vsque ad diem septimum. Dies prima erit sancta atque solemnis, & dies septima eadem festiuitate venerabilis. Nihil operis facietis in eis exceptis his, quæ ad vescendum pertinent, & obseruabitis azyma. Item in sequentibus, scilicet in cap. xiij. eiusdem Exodi dicitur: Septem diebus vesceris azymis, & in die septimo erit solemnitas Domini. Azyma comedes, septem diebus non apparebit apud te aliquid fermentatum, nec in cunctis finibus tuis. Item solemnitatem azymorum custodies: Septem diebus comedes azyma, sicut præcepi tibi in tempore messis nouorum. Et in Leuitico cap. xxiij. Mense primo, quartadecima die mensis ad vesperum Phase Domini est, & quintadecima die mensis huius solemnitas azymorum Domini est. Septem diebus azyma comedetis, dies primus erit vobis celeberrimus, sanctusque: omne opus seruile non facietis in eo, sed offeretis sacrificium in igne septem diebus; dies autem septimus erit celebrior & sanctior, nullumq. opus seruile fiet in eo. & in Numero: [c] Mense primo xiiij. die mensis Phase Domini erit, & xv. die solemnitas: Septem diebus comedetis azyma, quarum dies prima venerabilis & sancta erit: omne opus seruile non facietis in ea, offeretisq. holocaustum Domino vitulos de armento duos, arietem vnum, agnos anniculos immaculatos septem, & sacrificia singulorum ex simila, quæ conspersa sit oleo. Tres decimas per singulos vitulos, & duas decimas per arietem, & decimam decimæ per agnos singulos, ideſt per septem agnos. Et hircum pro peccato vnum, vt expietur pro vobis. Et in Deuteronomio: [d] Obserua mensem nouarum frugum, & verni primum temporis, vt facias Phase Domino Deo tuo, quoniam in isto mense eduxit te Dominus Deus tuus de Aegypto nocte. Immolabisq. Phase Domino Deo tuo de ouibus, & de bobus in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habiter nomen eius ibi. Non comedes in eo panem fermentatum, septem diebus comedes absque fermento afflictionis panem, quoniam in pauore egressus es de Aegypto, vt memineris diei egressionis tuæ de Aegypto, omnibus diebus vitæ tuæ. Non apparebit fermentum in omnibus terminis tuis septem diebus, & non remanebit de carnibus eius, quod immolatum est vespere, in die primo vsque mane.

C

c Num. 28.

D

d Deut. 16.

E

Hæc omnia si ita Iudæis carnalibus carnaliter obseruanda vetus Legislator cælitus censuit, constat hæc secundum carnalem obseruationem omnino aliena a nobis: quia in illis septem diebus quotidie fermentatum in omnibus finibus & terminis nostris

A nostris & domibus inuenitur, apparet, atque comeditur; nec ipsos septem dies aliter quam reliquos totius anni in azymis obseruamus; nec apud nos perit de cœtu nostro anima illius, quicumque tam de aduenis, quã & de indigenis terræ comederit fermentatum in supradictis diebus. Sed nec velut ipsi, a decima die mensis primi supradictum agnum masculum anniculum ex pecoribus vsque ad xiiij. seruamus, nec ad vesperum immolamus, vt sanguine eius postes signemus, nec carnes eius assas accincti & calceati tenendo baculos in manibus, nocte comedimus festinanter cum azymis panibus & lactucis agrestibus. Insuper non offerimus incensum holocaustum Domino in his diebus quotidie vitulos duos de armento, arietem vnum, agnos anniculos immaculatos septem, & sacrificia singulorum, & similam consperſam oleo; neque hircum pro peccato, vt expietur pro nobis. In quo ergo communicamus Iudæis? & in
B quo solemnitatem azymorum custodimus? An forsan quia solemnes eosdem dies & feriatos habemus, & a decimaquarta Luna vsque ad vigesimam primam obseruamus? Et cur eadem vos obseruatis; nisi quia vobis aliud innuunt, aliud illis? Illis enim data sunt in memoriam egressionis suæ de Aegypto; nobis autem in memoriam spiritualis egressionis nostræ ex hoc mundo, vt vacemus, & videamus, quoniam ipse est Deus, qui nos de tenebris vocauit in admirabile lumen suum, consurgere, & considere secum faciens in cælestibus, & vt instar lunaris globi incipiamus lumen cordis, ideſt, mentis rationem a terrenis auertere, & ad cælestia conuertere, sicq. capiendo, & quærendo, quæ sursum sunt, reuiuiscamus Deo, & moriamur mundo. Sic quoque omnia, quæ superius nos carnaliter obseruare negauimus, Deo annuente spiritualiter, & obseruamus, & cupimus omnimode obseruare, procul dubio credentes, quæcumque
C scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta esse, beato Paulo sic protestante: [a] Hæc omnia in figura contingebant illis, scripta sunt autem ad correctionem nostram, in quos fines sæculorum deuenere.

a 1. Cor. 10.

Hinc ad obseruantiam sabbati veniatur, de quo ita in Exodo præcipitur: [b] Memento vt diem sabbati sanctifices: sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua; septima autem die sabbati Domini Dei tui non facies omne opus tu, & filius tuus, & filia tua, seruus tuus, & ancilla tua, iumentum tuum, & aduena, qui est intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Dominus cælum & terram, & mare, & omnia, quæ in eis sunt, & requieuit die septimo. Idcirco benedixit Dominus diem sabbati, & sanctificauit eum. Item in eodem. Sex diebus operaberis, die septima cessabis arare & metere. Igitur in huiusmodi obseruatione sabbati vbi, & qualiter communicamus Iudæis? Illi enim in
D sabbato otiosi, & feriati, nec arant, nec metunt; nullumq. opus ex more faciunt, sed festum habent & conuiuium, & requiescunt serui, & ancillæ eorum, boues, & iumenta. Nos vero nihil horum obseruamus, sed omne opus facimus, sicut & in præcedentibus quinque diebus, & ieiunamus, sicut & in proxima sibi feria sexta ieiunauimus.

b Exod. 20.

LATINI SABBATVM NON COLVNT CVM IVDAEIS.

Vos vero, si non Iudaizatis, dicite cur Iudæis in simili obseruantia sabbati communicetis? Sabbatum ipsi certe celebrant, & vos celebratis: epulantur ipsi, & soluunt semper in sabbato ieiunium, & vos epulamini, & soluitis semper in sabbato ieiunium: illi in sua Quadragesima soluunt a ieiunio omne sabbatum præter vnum, & vos in vestra Quadragesima soluitis a ieiunio omne sabbatum præter vnum. Illis duplex causa est sabbatum celebrandi, scilicet ex præcepto Moysi, & quod contristatis Discipulis, ipsi fuere de morte Domini quem non credebant resurrecturum, in hac die gauisi. Vnde quia cum Iudæis sabbatum, & nobiscum celebratis diem Dominicum, vidimini in tali obseruatione imitari sectam Nazarenorum, qui sic recipiunt Christianismum, vt non dimittant Iudaismum. Latina autem Ecclesia compatiens passo & sepulto Domino, congaudet resurgenti in die Dominica, quando Iudæos nimia occupauit mœstitia, & custodes sepulchri conati sunt corrumpere pecunia.

GRAECI CVM IVDAEIS SABBATVM COLVNT.

E

Vnde nos traditionem Apostolicam vsque in hodiernum diem de sabbato retinentes, & vsque in finem retinere cupientes, hic subscribere curauimus, quid super hoc senserint & confirmauerint nostri antiqui & venerabiles Patres. Ex quorum numero beatissimus Papa Siluester, magni Constantini Augusti spiritualis pater inter alia dixit: Si omnis Dominicus dies Resurrectionis gratia est colendus in gaudio Christianorum: omnis ergo sabbati dies sepulturæ deputandus est in execratione Iudæorum. Omnes enim Discipuli Domini sabbato fletum habuerunt sepultum Dominum su-

TRADITIONEM APOST. LATINI TENENT.

Universidad de Deusto
Biblioteca

spirantes, & Iudæis epulantibus lætitia inerat, Apostolis autem ieiunantibus tristitia imperabat. Tristemur itaque cum tristantibus de sepultura Domini, si volumus cum ijsdem de Domini Resurrectione gaudere. Neque enim fas est, vt distinctiones ciborum, & cerimonias Iudæorum more Iudaico obseruemus. Hæc & his similia dicente sancto Siluestro, non placuit quibusdam Orientalibus ista traditio Apostolicæ Sedis, sed magis elegerunt celebrare sabbatum cum Iudæis. Cuius sententiæ concordans sanctus Papa Innocentius ait: Sabbato ieiunandum esse ratio euidentissima demonstrat. Nam si diem Dominicum ob venerationem Resurrectionis Domini nostri IESV Christi non solum in Pascha celebramus, verum etiam per singulas hebdomadas ipsius diei imaginem frequentamus, ac sexta feria propter passionem Domini ieiunamus, sabbatum prætermittere non debemus, quod inter tristitiam & lætitiam temporis illius videtur inclusum. Nam vtique constat Apostolos biduo isto & in mœrore fuisse, & propter metum Iudæorum se occuluisse: quod vtique non dubium est, & in tantum eos ieiunasse biduo memoratur, vt traditio Ecclesiæ habeat, isto biduo sacramenta penitus non celebrari. Quæ forma vtique per singulas hebdomadas est tenenda, propter quod commemoratio diei illius semper est celebranda. Quod si putatis semel atque vno sabbato ieiunandum, ergo & dies Dominica & sexta feria semel in Pascha erit vtique celebranda. Si autem Dominicæ diei ac sextæ feriæ per singulas hebdomadas reparanda imago est: dementius est bidui agere consuetudinem sabbato prætermisso, cum non disparem habeat causam a sexta videlicet feria, in qua Dominus passus est, quando & apud inferos fuit, vt die tertia resurgens redderet lætitiam post biduanam præcedentem tristitiam. Non ergo nos negamus sextam feria ieiunandum, sed dicimus in sabbato hoc agendum, quia ambo dies tristitiam Apostolis in his, qui Christum secuti sunt, indixerunt, qui die Dominica exhilarati non solum ipsum festiuissimum esse voluerunt, verum etiam per omnes hebdomadas frequentandum esse duxerunt. hinc iam reliqua vestra dicta discutiamus.

A B C

Constantinopolitanus.

Nostrum vero Pascha Christus est, qui vt non iuxta legem inueniretur Deo aduersarius, & circumcisus est, & legale pascha celebrauit primitus. Sic illo discedente, nostrum nouum operatus est.

Romanus.

Quod Christus vestrum Pascha sit, sciatis nos ita concedere, si eum asseritis etiam nostrum, immo totius Catholicæ Ecclesiæ Pascha esse. Quod si (quod absit) pertinaciter contradixeritis, auscultabimus ipsum Dominum nostrum IESVM Christum sic suos præmonentem de pseudochristis, & pseudoprophetis: [a] Si quis vobis dixerit, ecce hic est Christus, aut ecce illic, nolite ire, neque sectemini. Quod vero dicitis, Dominum IESVM celebrato vetere pascha, nouum Discipulis suis celebrandum tradidisse: quis sanum sapiens negat? Sed illud quod dicitis, Dominum nostrum ideo circumcisum, & vetus pascha celebrasse, ne iuxta legem inueniretur Deo contrarius: quis vmquam ausus erit asserere nisi manifestus hæreticus? In hoc enim videmini peruerse cum Marcionitis & Manichæis sentire; alium Deum veterem legem, alium nouam dedisse; & vt apertius dicatur, Deum malum & Deum bonum vultis introducere: & ne illi malo, hoc est Deo tenebrarum, bonus iste Deus lucis inueniretur aduersarius, & circumcisus fuit, & celebrauit pascha vetus, & quasi deuitans illius tyranni velut fortioris se iram incurrere, ad tempus simulauit se legem eius obseruare. Sed absit tam pestiferum virus a Fidelium auribus, & cordibus, vt vel suspicetur aliquis aliquid aliquando simulasse omnipotentem, & simplicissimam veritatem, quæ est Christus Deus noster; aut alium esse veteris legis, alium nouæ auctorem, cum ipsa Veritas protestetur dicens: [b] Nolite putare, quoniam veni soluere legem, aut Prophetas, non veni soluere, sed adimplere. & Psalmista dicat: [c] Etenim benedictionem dabit legis dator. deinde subiunxistis:

D E

[a] *Matth.* 24.

GRAECI AFFINES HAERETICORVM.

[b] *Idem* 5.
[c] *Psal.* 83.

Constantinopolitanus.

Et hoc manifestum est, sicut in Euangelio secundum Matthæum, de mystica cœna loquens Euangelista, sic quoque inquit: [d] Prima aut die azymorum accesserunt Discipuli ad IESVM, dicentes: Vbi vis paremus tibi comedere Pascha? qui ait: Ite in ciuitatem ad quemdam, & dicite ei: Tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum

[d] *Marc.* 14.

A cum Discipulis meis. & post pusillum: [a] Vespere autem facto discumbebat cum duodecim Discipulis suis, & edentibus illis dixit: Amen dico vobis, quia vnus vestrum me traditurus est. Et post pusillum: Dicente Iuda, numquid ego sum Rabbi? dicit ei, Tu dixisti. Hucusque Dei homines, vniuersa legalis paschæ sunt. Deinde ea quæ mystici, & nostri sunt, addidit Euangelista, & dixit: Edentibus autem illis, accepit IESVS panem, fregit, & dedit Discipulis suis, & dixit: Accipite, & comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit eis, dicens: Bibite ex eo omnes, hic est sanguis meus noui Testamenti. Dicendo enim, Noui, ostendit quoniam ea, quæ veteris fuerunt Testamenti, cessauerunt.

[a] *Matth.* 26.

Romanus.

Hæc omnia non a vobis, sed a veracibus Euangelistis conscripta, & ab omnibus
B Orthodoxis Patribus constanter prædicata credimus, & ipsum Dominum nostrum IESVM Christum quartadecima Luna ad vesperum pascha vetus perfeciisse, & mox nouum inchoasse prædicamus. quapropter sequentia videamus.

Constantinopolitanus.

Aspicite quomodo panem corpus suum sub nouo Testamento vocauit, sicut viuificum, & plenum spiritu, & sicut caloris demonstratiuum. Vos quidem panem, nos arton dicimus. Artos autem interpretatur eleuatus & sursum portatus a fermento & sale, calorem, & eleuationem habens. Azyma autem nihil distant a lapide sine anima, & luto lateris deorsum coniuncta terræ, & sicco luto comparata, quæ cum amaritudinibus Moyses comedere miseris, semel in diuina lege constituit, dicens: [b] Se-
C ptem diebus comedes absque fermento afflictionis panem, quoniam cum pauore egressus es de Aegypto, vt memineris diei egressionis tuæ de Aegypto omnibus diebus vitæ tuæ. Quoniam malæ passionis, & tribulationis symbola sunt significatiua.

[b] *Deut.* 16.

Romanus.

In hac vestra disputatione illud tantum approbamus, quod Dominus IESVS panem benedictum, & fractum in memoriam sui sub nouo Testamento corpus suum vocauit, & quod omnis panis huiusmodi viuificet, atque det vitam mundo, vtpote plenus spiritu, & calore Dei viui, & quod nos panem, vos arton dicitis. Reliqua vero vehementer detestamur, & velut hæreticam vanitatem, & audaciam olentia atque resonantia anathematizamus. Quis enim audebit panem quemlibet absque mysterio, quod supra diximus, asserere plenum spiritu, & animatum, nisi discipulus Manichæorum? Ipsi enim delirando sicut vere pleni mania, impudenter asserunt, pa-
D nem, & vinum, lignum, lapidem, & vestem, ceteraq. talia animam habere. Illud quoque, quod azymum negantes panem esse, per etymologiam eius nominis, quod est artos, conamini nos vincere; sciatis omnino vanum, & puerile, quia & a linguarum peritis diuersæ etymologiæ dantur ex vno nomine secundum humanum placitũ, magis quam secundum naturam rerum, & in omnibus scripturis inuenimus panẽ indifferenter dici, siue fuerit azymus, siue fermẽtatus. quod hinc demonstrare incipimus.

QVAE PROBENTVR VEL EM PROBENTVR.

Primo omnium ecce manna, tam in lege & Prophetis, & Psalmis, quam in Euangelicis, & Apostolicis litteris panis, ideſt artos vocatur, sicut in Psalmo: [c] Ἄρτον οὐρανοῦ
E ἔδωκεν αὐτοῖς. ἄρτον ἀγγέλων ἔφαγε ἄνθρωπος. Quod Latine dicitur, panem cæli dedit eis. panem Angelorum manducauit homo. Et in Euangelio: [d] κύριε δὸς ἡμῖν τὸν ἄρτον τοῦτον. & in Exodo: [e] οὗτός ἐστιν ὁ ἄρτος, ὃν ἔδωκεν ὑμῖν κύριος. Si ergo manna, quod erat album, & minutum, sicut semen coriandri, & quasi pilo tusum, in similitudinem pruinæ, gustusq. eius quasi similæ cum melle, auctoritate diuina dicitur panis, siue artos, quod vtique nullam similitudinem, aut verum saporem panis habet: quomodo azymo possit tolli nomen panis, non videmus, qui vtique natura, forma, & sapore omnimodis panis est, & dicitur, præsertim cum Angeli apud [f] Abraham, & [g] Loth subcinericios panes, ideſt ἄρτους ἐντεφρίτας dicantur comedisse, Angelusq. [h] Eliæ legatur eosdem in desertum attulisse. Sed quid multa? in lege, & in Euangelio inuenimus, πίτας ἄρτους ἀζύμους, ideſt panes propositionis, quos azymos fuisse nemo dubitat, qui legis Mosaicæ aliquam notitiam retentat, vbi dicitur: [i] Omnis oblatio, quæ offertur Domino, absque fermento fiet, nec quidquam fermenti ac mellis adolebitur in sacrificio Domini. & in Deuteronomio [k] Moyses azymum vocauit ἄρτον ταπεινώσεως, ideſt panem afflictionis. Sermo quoque Domini ad Ezechielem factus dixit: [l] Et tu fili hominis,

PANIS NOMEN GENERICVM.

[c] *Psal.* 77.
[d] *Ioan.* 6.
[e] *Exod.* 16.
[f] *Gen.* 18.
[g] *Ibid.* 19.
[h] 3. *Reg.* 18.
[i] *Leuit.* 2.
[k] *Deut.* 16.
[l] *Ezech.* 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

minis, sume tibi frumentum, hordeum, fabam, lentem, milium, & vitiam, & mitte in vas vnum, & facies tibi panes. Ecce tam hic, quam in subsequentibus panes dicuntur, vbi nulla fermenti mentio habetur, in tantum, vt subcinericeus hordeaceus ibidem vocetur. Verumtamen vt de vestris aliquid dicamus, audite, quid Ioannes monachus Damascenus in laude Dei Genitricis dicit: ῥύπεται τῶν βροτῶν οὐσία ἀμόλ' οὐ * ὁμοιάζουσα θείῳ πυρὶ ὡς ἔγκυθα πάναγνε παρθένε ἐξ οὗ ἐξοπληθίσατο καὶ σε ἐλέσθαι ἄμωμον ἀμφυλάξαι. Quin etiã volumus vt dicatis, fermentatusne an azymus sit, de quo Salomon ait: [a] Suauis est homini panis mendacij. [b] & panis absconditus suauior est, scilicet, quem mulier stulta repromittit. & hic enim, & illic non azymus, sed artos dicitur.

a Prou. 20.
b Prou. 9.

SENTENTIA GRAECORVM INANIS.

Et quia nos ad hoc trahere nititur tota vestra disputatio, vt pro eo tantum, quod Matthæus dixit: [c] λαβὼν Ιησοῦς τὸν ἄρτον, ideſt: Accepit IESVS panem, incipiamus credere fermentatum & non azymum Discipulis suis in memoriam suæ passionis Dominum dedisse: sciatis istam sententiam vestram satis infirmam esse, si aliud non habetis, quod possit vestræ parti fauere. omnis enim sententia ex opinione procedens est dubia, quæ autem ex scientia procedit, certa omnimode & rata. Vnde si aliam sententiam firmiorem non habetis, hac sola tam ambigua nostrum consensum vobis non vendicabitis, quia vt superius copiose monstrauimus, azymus sicut fermentatus, artos, dicitur. Quin etiam Matthæus, qui Hebraice scripsit Euangelium, non dixit λαβὼν Ιησοῦς τὸν ἄρτον, sicut Græcus, sed vt Hebræus Hebræis Lacach IESVS Lechem. Lechem autem Hebraice azymum vocari, in Deuteronomio cognoscite, vbi sic habetur: [d] Lechem oni, ideſt panẽ afflictionis, atque panes propositionis lechem panim dicuntur. Vnde in Psalmo [e] manna quoque similiter vocatur, vt lechem abbirim achal is. quod interpretatur: Panem Angelorum manducauit homo. Tam copiosis ergo trium principalium linguarum exemplis eneruatam etymologiam vestram ex nomine, quod est artos, sapienter considerate, & azymo nostro fermentatum vestrum præferre cauete.

c Matth. 26.
d Deut. 16.
e Psal. 77.

QVOD IN AZYMO CHRISTVS CONFECIT.

Quia si non obstinata mente manifeste veritati resistitis, & si vetus, & nouum Testamentum aperte non impugnatis, nobiscum sentire, & profiteri habetis, azymum panem fuisse, quem ipse Dominus IESVS in cœna primis Ecclesiæ suæ fundatoribus distribuit in memoriam suæ sacratissimæ passionis. Nam sicut sufficienter supra ostendimus, in septem Paschæ diebus fermentatum nec inueniebatur, nec apparebat in cunctis domibus, seu finibus Israel: & apud quemeumque fuisset inuentum, iusta animaduersione velut diuinæ legis transgressor absque procrastinatione peribat de cœtu Israelitarum. Quod si credimus verbis Veritatis dicentis: Non veni legem soluere, sed adimplere; credendum etiam & prædicandum est, Dominum IESVM nec vnum Iota, aut vnum apicem legis præterijsse. & vt totius transgressionis expertem insidiatoribus suis dixisse: [f] Quis ex vobis arguet me de peccato? Alioquin nec ipse peccata multorum tulit, nec pro transgressoribus orauit, vt nõ perirent, nec pro nobis passus, sed pro sua præuaricatione iuste punitus, præsertim qui nec solus legis transgressor inuentus est, fermentato apud se tunc reperto; sed insuper multos Discipulos reos mortis effecit, cibans illos fermẽtato. Videte quorsum euadat hæc vestra disputatio, nempe si in solemnitate Azymorũ dicitur quolibet vsus fermentato, vere mortuus asseritur in peccato suo, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore ipsius.

f Ioan. 8.

GRAECI CALVMNIAM CHRISTO STRVVNT.

Insuper administratis Iudæis magnam materiam sibi placendi super interfectione Domini, & permanendi in errore suo, & Fidem nostram euacuandi, si gloriantes nomine Christiano obiecerint Christo, quod Iudæorum nemo obijcere præsumpsit, nec tunc nec modo, nisi forte vestro edoctus magisterio. Quamuis enim Principes sacerdotum, & omne Concilium quæsissent falsum testimonium contra IESVM, vt eum morti traderent, & nec in verbis eius inuenissent, tamen tale aliquid, quale vos obijcitis, nullus eorum obiecit. Quod si fuisset obiectum, solum vnum sufficeret ad perdẽdum illum, nec iam Pilato dicenti, [g] accipite eum vos, & secundum legem vestram iudicate eum, dicerent, Nobis non licet interficere quemquam: quia ipsi præcepto legis interfecissent fermentati participem. Denique tota in IESVM calumnia ex interrogatione Pilati, & responsione Iudæorum facillime poterit aduerti iuxta Euangelium Matthæi, & Marci, vbi interroganti Pilato: [h] Quid enim mali fecit? clamauerunt, crucifigatur. Porro Luca attestante: [i] Omnis multitudo tradentes IESVM Pilato dixerunt: [k] Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tribu-

g Ioan. 18.
h Matth. & Marc. 15.
i Luc. 23.
k Ibidem.

tributa dari Cæsari, & dicentem se Christum Regem esse. Quibus paulo post ait Pilatus: Nihil inuenio causæ in hoc homine. Et illi: Commouet populum, docens per vniuersam Iudæam, incipiens a Galilæa vsque huc. Deinde post aliqua dixit eis Pilatus: [a] Obtulistis mihi hominem quasi auertentem populum, & ecce ego coram vobis interrogans nullam causam mortis inuenio in homine isto ex his, in quibus eum accusatis: sed neque Herodes. Corripiam ergo illum, & dimittam. At illi postulabant vt crucifigeretur. Ioannes autem refert sic Pilatum dixisse Iudæis: [b] Quam accusationem affertis aduersus hominem hunc? qui dixere ei: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. & post aliqua, dicenti eis Pilato: Accipite eum vos, & crucifigite, responderunt: [c] Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit. Nonne tot testibus iniquis in Dominum insurgentibus, & iniquitati mentienti sibi sufficeret hoc vnum vestrum mendacium, si constaret eis saltem hoc solum? Nonne instarent Pilato, & dicerent: Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia fermentatum in Pascha comedit: aut certe apud eum apparuit? & forte dicetis, eum clam egisse hoc. Absit, quia non solum de factis suis, verum & de dictis ait ipse pontifici percunctanti: [d] Ego palam loquutus sum mundo, ego semper docui in synagoga, & in templo, quo omnes Iudæi conueniunt, & in occulto loquutus sum nihil; quid me interrogas? Interroga eos, qui audierunt quid locutus sim ipsis: ecce ij sciunt, quæ dixerim ego. Numquid etiam dominum domus, in qua pascha celebrabat, tanta sanctæ legis præuaricatio posset latere, quem constat paternarum traditionum æmulatorem apprime fuisse? Quod si forte & hunc latere potuit, aut certe ipse consensit, numquid & Iudam complicem malignorum Iudæorum latere potuit? Qui iuxta Psalmistam [e] vnanimis eius dux, & notus, & præsertim dispensator fuit. Quem ipse Dominus dilecto suo Ioanni demonstrans, ait: [f] Ipse est, cui intinctum panem porrexero. & cum intinxisset panem, dedit Simoni Scariotis. Ecce hic bis dixit arton, quem vos nonnisi fermentatum accipitis. Quod si ita est, quæ res prohibuit infelicem Iudam, demonstrato ipso fermentato, prodere sanguinem magistri palam, quem omnimode quærebat prodere clam? aut quid necesse habuit, desperando dicere: Peccaui tradens sanguinem iustum, cum tradendo transgressorem legis, auerterit a se, & a populo furorem Domini, & gratiam promeruerit?

a Luc. 23.
CHRISTVS IN AZYMO NON IN FERM. CONFECIT.
b Ioan. 18.
c Ibid. 19.
d Ibid. 18.
e Psal. 54.
f Ioan. 13.

Vt enim præceptum legis diuinæ super hoc breuiter tangamus, perpendite quid in Deuteronomio latius dicatur: [g] Si Propheta quilibet, siue frater tuus, filius, aut filia, seu vxor, vel amicus, quem diligis, vt animam tuam, voluerit clam persuadere tibi, vt auertaris a cerimonijs legis, non acquiescas ei, nec audias, neque parcat ei oculus tuus, vt miserearis, & occultes eum, sed statim proditum populo interficies, vt auertatur Dominus ab ira furoris sui, & misereatur tibi, multiplicetq. te sicut iurauit patribus tuis. Hinc, ne quid minus factum videatur, etiam vestratium ridiculæ opinioni obuiamus.

g Deut. 13.

Qui non inuenientes, quonam sanctarum Scripturarum funiculo scapham assertionis suæ pertrahant ad alicuius stabilitatis litus, fluctuando retrahuntur in illud diuinæ omnipotentiæ pelagus. Namque scisitantibus nobis: Vnde Dominus IESVS fermentatum in cœna habuerit, cum in omnibus finibus Israel non inueniretur: respondent: Si creditur omnipotens, potuit subito vndecumque fermentatum exhibere, aut certe ipsum azymum benedicendo fermentare. Quod quam sit friuolum, nemo non intelligit. Quia quocumque modo apud eum in ipsa solemnitate fermentatum apparuisset, legis transgressor fieret, plane dignus puniri, qui in sanctæ legis contumeliam fermentatum tractasset. Sed & si quolibet modo id fuisset factum, aliquis Euangelistarum tantum narraret miraculum, non inferius illo, quo aqua narratur conuersa in vinum. Et cum tam subtiliter gesta, siue dicta in ipsa cœna describant, vt etiam aliqua velut minus necessaria videantur recitare, sicut illud est de contentione prioratus inter Discipulos facta, siue quod Dominus [h] ipse præcepit, vendi tunicam, & emi gladium: quomodo tam obstinato silentio reticuerunt tam necessarij sacramenti initium, & vt ita dicamus, omnimodam metamorphosim, & qualem vos somniatis? Neque enim fuerat negligenter commemorandum, quod totius Ecclesiæ extat fundamentum, & vsque secundum Christi aduentum retinebit Christianitatis statum, per quod in Christo manemus, & ipse in nobis. Vnde vos assertionis vestræ difficultatem Passi, laboratis nobis præiudicium facere ex omnipotentia Christi. Sed vobis fideli-

CRAECORVM PATVITAS DE FERMENTATO CHRISTI.

h Luc. 22.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ter & constanter respondemus. Quamuis omnia quæcumque voluit fecerit, & faciat A
Dominus IESVS, hoc facere non potuit: sicut quondam de lapidibus panem facere
non potuit. Si quæritur, cur? breuiter respondetur, quia noluit. Sed vnde scitur quia
noluit? quia nec transgredi potuit, neque transgressus est legem, quam non venit solu-
ere, sed adimplere. Itaque vnum e duobus eligatis necesse est: Aut enim fermento
abiecto in solemnitate azymorum legem adimpleuit; aut suscepto fermento, legem
soluit, propter quam adimplendam se venisse mentitus inueniretur, quod absit. Por-
a Ioan. 5. ro de omnipotentis Dei coomnipotente Filio ita habetur in Ioannis [a] Euangelio: Non
b Marc. 6. potest Filius a se facere quidquam. Qui etiam secundum Marcum [b] in patria sua non
poterat virtutes multas facere.

OBIECTIO EX EVANG. IOAN. Hinc nil tergiuersationum vestrarum prætermittentes, quia consideratis vestro fer-
mentato secundum legem & Euangelium iuste contradici, astruere conamini, Do- B
minũ non celebrasse Pascha cum Iudæis quartadecima Luna mensis primi, sed priusquam fieret legalis abiectio fermentati, & hoc probare contenditis ex Euangelio Ioan-
c Ioan. 18. nis, qui ait: [c] Et ipsi non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, sed vt
manducarent pascha. Quod quanta absurditate dicatur, saltem ex hoc perpendite,
d Luc. 22. quod Christum transgressorem legis non cauetis denuo pronuntiare, si Paschæ noluit
tempus obseruare, præsertim cum [d] Lucas referat, quia cum esset facta hora, discubuit. Quamuis enim bis posse celebrari Pascha lex concedat, tamen quartamdecimam Lunam omnimodis obseruandam denuntiat. Et mundis quidem quartamdecimam Lunam primi mensis; immundis autem quartamdecimam secundi. Et quicumque aliter præsumpsisset, de medio populi sui periret.

AZYMA ET PASCHA IDEM Quod si quæritur, quare Ioannes quartamdecimam Lunam, id est a pascha secundũ C
dixerit pascha, cũ videatur dicere debuisse, & ipsi non introierunt in prætorium, vt nõ
c Ioan. 18. contaminarentur, sed vt manducarent azyma, quorũ prima erat dies ipsa: sciatis indifferẽter ab Euangelistis dici pascha & azyma. Nam licet Dominus Discipulis dixerit: [e]
f Matth. 26. Scitis quia post biduũ pascha fiet: Matthæus tamen ipsius diei, in cuius vespere fiebat
g Marc. 14. pascha, mentionem faciens, inquit: [f] Prima autẽ die azymorum accesserunt Discipuli ad IESVM, dicentes: Vbi vis paremus tibi comedere Pascha? Cui concordans Marcus, ait: [g] Erat pascha & azyma post biduum. & post pauca: Et primo die azymorũ, quando pascha immolabant. Vbi si indifferẽter non accipiuntur pascha & azyma, vt modo pascha pro festo azymorum, modo festum azymorum intelligatur pro pascha, quomodo stabit: Erat Pascha & azyma post biduum? Nam iuxta opinionem vestram debuit sic scribi: Erat pascha post biduum, & azyma post triduum. Sed beatus Lu- D
h Luc. 22. cas omnem huiusmodi dissoluens controuersiã, inquit: [h] Appropinquabat dies azymorum, qui dicitur pascha. Et quia cum eo, qui proprie dicebatur pascha, subsequentes quoque septem dies azymorum abusiue nuncupabantur paschæ, quam diem
i Ibid. vellet specialiter intelligi, in sequentibus luce clarius ostendit, dicens: [i] Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi pascha. Quod plane in decimaquarta Luna fiebat ad vesperum, quando agnus occidebatur. quem etiam pascha dici, sic Euangelista perhibuit, vt ipsum pascha occidendum diceret. Idem quoque in Actibus
k Act. 12. Apostolorum narrat, [k] quod Herodes captum Petrum misit in carcerem, volens post
l Exod. 12. 13. 23. pascha producere eum populo: qui quod pascha dicat, mox subiungens declarat: Erant autem dies azymorum. nec mirum, cum etiam in Exodo [l] Dominus tria festa E
præcipua haberi præcipiens, pascha tacuit, solemnitatem azymorum tantum custodiri iussit, quæ prætermisso pascha, obseruari nequit. Porro Ioannes qualiter intelligi vellet, quod ait, vt non contaminarentur, sed vt manducarent pascha, paulo post
m Ioan. 19. ait: [m] Erat autem parasceue paschæ hora quasi sexta. Parasceue Paschæ, præparatio paschæ interpretatur, quando iam præparabatur, vel instabat celebritas magni diei sabbati; qui celebrior reliquis paschalibus diebus apud Iudæos habebatur: adeo vt ob reuerentiam eius gentilis hominis cohabitatione vel introitu prætorij pollui verentur, & insuper ne in cruce remanerent corpora in sabbato, precarentur.

DIES FESTI LATITVDO. Nec repugnat vero, quod pascha solemnitas azymorum dicitur; quandoquidem ip-
n Exod. 12. sum pascha cum azymis edebatur, nec per totũ diem illum, sicut scriptum est, [n] apparebat fermentatum in finibus videlicet illis vsque ad vesperũ octauæ diei, quam habebant celeberrimã. Insuper harum trium principalium solemnitatum continuati octo dies

A dies pro vno die sunt habiti, sicuti de Scenopegiæ diebus Dominus dixit: [a] Vos ascen- a Ioan. 7.
dite ad diem festum hunc, ego autem non ascendam ad diem festum hunc. Qui tamen
postea iam die festo mediante dicitur ascendisse, & in nouissimo magnæ festiuitatis
die stetisse & clamasse: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Ecce vestris opinionibus reluctati, forsan plus necessario fuimus verbosi. Sed hinc minime debemus reprehendi, quia causam humano generi super omnia necessariam doluimus euacuari, Si
Dominus IESVS legem potuisset transgredi. [b] Inanis enim esset fides nostra, inanis b 1. Cor. 15.
& prædicatio nostra, quia posset doceri, peccatum Adæ obfuisse humano generi, mortem autem Christi nihil profuisse. Nunc sequentia videamus, vbi postquam vanis declamationibus, vt supra monstratur, ἄρτον interpretati fuistis eleuatum, & sursum portatum a fermento & sale, calorem & eleuationem habentem, horrenda cæcitate
B abominati azyma dixistis:

Constantinopolitanus.

Azyma autem nihil distant a lapide sine anima, & luto lateris deorsum coniuncta terræ, & ficco luto comparata.

Romanus.

Heu, heu, Domine Deus, ecce compleri videmus Principis Apostolorum præsagium nostris temporibus: [c] Ex vobis, inquit, erunt magistri mendaces, qui inducent c 2. Petr. 2.
sectas perditionis, & eum qui emit eos, Dominum negant, superducentes sibi celerem perditionem. Et multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur, & in auaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur: quibus iudicium iam olim non cessat, & perditio eorum non dormitat. Cuius sententiæ concordans Gentium GRAECORVM DICTERIA REFELLVNTVR.
C Doctor ait Timotheo: [d] Hoc scito, quod in nouissimis diebus instabunt tempora pe- d 2. Tim. 3.
riculosa, & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi & cetera. Et post pauca: Quemadmodum Ioannes & Mambres restiterunt Moysi: ita & isti resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem, sed vltra non proficient. Insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut & illorum fuit. Vnde & vos impudenter detrahentes azymis, & illi viuifico mysterio Redemptionis nostræ inauditas iniurias irrogare non timetis. Nec mirum si in secretis cælestibus acies mentis vestræ caligat, quandoquidem in terrenis tam peruerse errat, vt azymum, quod visu & tactu, atque gustu simul, & vsu quotidiano panem comprobat, lapidem seu siccum lutum lateris credat. Et o quam dignam erroris sui mercedem vestra vesania reciperet, si vobis retrusis, & omni consolatione humani victus fraudatis, lapidem
D seu siccum lutum lateris apponeret aliquis pro azymis. Ibi proculdubio in summo discrimine vestro discereris plurimum distare lapidem siue laterẽ ab azymis, & quod lapidibus seu lateribus paries, azymis autem confirmetur cor hominis. Quæ quamuis humanam vitam temporaliter sustentent, tamẽ sine anima esse sicut & fermentũ, nullus negare audet, nisi Manichæus demens. Nam in corporis Christi mysterio indubitanter vitalis esca fiunt perpetuo. Sed dum nitimini Apostolicæ Sedi derogare super azymis, putredine inueteratæ hæresis vos scatere monstratis, asserendo animam inesse panibus fermentatis, etiam absque mysterio Dominicæ passionis.

DIVERSVM A COMMVNI AZYMVM QVOD CONSECRAVIT. Quod autẽ calumniamini azyma deorsum terræ coniuncta, non negamus vulgo hæc eadem sic parari lapidibus, aut argillæ superposita, non sicut dicitis terræ coniuncta. Verum hæc ad communes vsus hominum & ceterorum animalium trãseunt. Nam ad
E magnam Christi mensam non accedunt, sed illud solum, quod diaconi cum subdiaconis, seu ipsi sacerdotes sacris amicti vestibus cum melodia Psalmorum conspersum, & in ferro paratum ex secretario proferunt. Nempe sicut Apostolici Actus indicant, diaconi specialiter constituti sunt super hoc opus, Petro dicente: [e] Non est æquum e Act. 6.
relinquere nos verbũ Dei, & ministrare mensis. Vos autem, quia sicut facere nos reprehenditis, nec in lapide, aut argilla, seu aliquo metallo vestrum fermentatum paratis: ergo aut in aqua paratis, aut de cælo manna venit vobis, quod ad humanos & diuinos vsus habetis. Sed ad reliqua friuola vestra veniatur. Non inuenitur [f] Moyses di- f Deut. 16.
xisse azyma malæ passionis & tribulationis symbola esse, sed lachem oni, id est panem afflictionis, non quod naturaliter aliquid afflictionis in se habeat, sed quod Hebræis ad memoriam reuocet, quia ab Aegyptijs exire compulsi consperſam farinam, antequam fermentaretur, apportarint in humeris. Quæ vt superius sufficienter disse-

ruimus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ruimus, nil nos tangunt iuxta carnalis obseruantiæ ritus. Idèo discutiamus quod sequitur. A

Constantinopolitanus.

IACTANTIA GRAECORVM. Nostrum vero Pascha gaudium & lætitia totum est, & extollit nos ab humo propter gaudium ad cælum, sicut & fermentum propter proprium calorem panem, qui panis omni suauitate repletus est. Azymum vero neque sal, neque fermentum habens lutum est aridum. aut non audistis IESVM dicentem [a] Discipulis suis, quia vos estis sal terræ, & [b] quoniam simile est regnum cælorum fermento, quod accipiens mulier abscondit in farinæ satis tribus donec fermentaretur totum? Mulierem sanctam Ecclesiam vocat, satis vero tribus, hoc est, tribus modijs repletis, Patrem & Filium & Spiritum sanctum, quorum nequaquam lutulentum azymum est particeps. B

a Matth. 5.
b Id. 13.

Romanus.

QVALE PASCHA IN HAC VITA. Optamus vobiscum celebrare Pascha, quod totum sit lætitia, & plenum gaudium, in terra scilicet viuentium, quia hoc nemini concessum est in terra morientium, vbi & de præteritis scandalis subest gemitus, & de futuris metus. Vnde si cupitis de continuo Pascha postmodum gaudere, in isto annuo non sitis interim sine timore, sed sicut Psalmista monet: [c] Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore: atque instanter cum Apostolis [d] petite; vt gaudium vestrum sit plenum. Illud etiam quod asseritis, idest, vestrum Pascha vos ab humo sustollere ad cælum præ gaudio: ita agere debet omnino: [e] Quia si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Sin alias, iam non leuatur anima vestra ad Deum, sed contra Deum. Sane quoniam vestrum gaudium comparatis fermento, quod suo calore panem extollit: ambigimus iam quale illud gaudium sit, quia fermentum in bono accipi vix inuenimus, nec fermentatus panis absque consecratione est aliqua suauitate plenior azymis panibus, quos plerique sibi salubriores & sapidiores arbitrantur. Sed qualis fuerit propositio, aperit hæc vestra conclusio. C

c Psal. 2.
d Ioan. 16.
e Colos. 3.

Constantinopolitanus.

Azymum vero neque sal, neque fermentum habens lutum est aridum.

Romanus.

DETRAHENTES AZYMIS GRAECI CONVVNTVR. Iteratis contumelijs in tantum azyma lacessitis, vt pene omnibus visibilibus & inuisibilibus naturis iniuriam irrogetis. Si enim (vt definistis) lutum aridum est, quidquid neque sal, neque fermentum habet: ergo beati spiritus & animæ iustorum, siue ipsa quatuor elementa, ex quibus omnia visibilia existunt, lutum aridum sunt, quoniam neque sal, neque fermentum habent. Nec sufficit vobis tantum nefas euomuisse, nisi insuper Dominum testem vestræ opinionis produceretis, quasi pro sola commendatione & confectione vestri fermentati dixerit Discipulis: [f] Vos estis sal terræ. & [g] Simile est regnum cælorum fermento. Ergo quia verba, quæ sunt spiritus & vita, ad litteram placet vobis intelligere: placeat etiam fermentato vestro aliquid palmitum, & sinapi adiungere. Nam idem Dominus dicit Discipulis: [h] Vos estis palmites. & [i] Simile est regnum cælorum grano sinapis, quod scilicet calorem administrat, quem tantopere vestra calumnia in fermento collaudat. Noueritis tamen ipsam de fermento absconso expositionem vestram Catholico dogmati contrariam. Si enim mulier illa Ecclesiam signat, & tria sata sanctam Trinitatem, vbi & quando, & ad quod Ecclesia in ipsa beata Trinitate fermentum abscondit? An forte quisquam summo & incommutabili bono Deo quidquam augmenti aliquando conferre potuit, aut poterit? Quapropter conuenientius parabolam hanc exposuissetis, Si regnum cælorum sanctam Ecclesiam significare dixissetis; fermentum autem doctrinam Apostolicam, tria sata, tres filios Noe, quibus post diluuium mensuratur farina, id est totius humani generis massa. In qua vtique mulier, idest cœterna Deo Patri sapientia facta ex muliere, doctrinam Apostolicam quasi fermentum recondidit, & regnum cælorum, idest præsentem Ecclesiam ex diuersis nationibus coadunauit. D

Iam quia post multiplices azymorũ obtrectationes ad hoc prorupit vestra insolẽtia, vt in ipsa terribilia & viuifica sacramẽta Redemptionis nostræ apertis cõtumelijs irreuerenter insurgat, & azymum exclamet lutulentum, & nequaquam S. Trinitatis particeps E

f Matth. 5.
g Id. 13.
h Ioan. 15.
i Luc. 13.

ticeps esse: respondere cogimur deinceps vobis stultis iuxta stultitiam vestram, ne vobis sapientes videamini. A

Certissime sciatis, quod gloriatio vestra stercus est, & vermis. Hodie enim extollimini, & cras non inueniemini, & secundum Psalmistam, [a] vt puluis ante faciem venti comminuemini, & vt lutum laterum delebimini, iuxta Prouerbia Sapientis [b] De stercore boum lapidandi, & velut stercus in via conculcandi, sicut & antecessores vestri hæretici, ac præcursores Antichristi. Vt enim in libro beati Iob dicitur: [c] Ex quo posuit Deus hominem super terram, cognoscitur laus impiorum breuis esse, & gaudium hypocritæ ad instar puncti. Vnde quia in eo putatis vos sapientes, si aliorum institutionibus detrahatis: hinc par pari referemus, quod vestram impudentiam mordebit, vt retrahat a reuerendorum sacramentorum iniurijs. Salua ergo, vt dignum est, reB uerentia corporis Domini nostri IESV Christi, & in fermentato, & in azymo, perquiramus, an fermentatum ad humanas mensas præparatum sincerius ac mundius sit plebeio azymo: & primo omnium ab origine fermentatum repetamus, vt perspecta diligenter eius scaturigine verax iudicium de puritate fermentati habeamus. Necesse est enim, vt riuus fontis sui qualitatem, & naturam sequatur. Ita enim originem fermenti inuenire cupimus, sicut hominis cuiuslibet originẽ ipsam matrem omnium terram inuenimus. Nam si hominis originem alium hominem dixerimus, iam propago, non origo erit; quomodo nec fermentum fermenti origo esse poterit. Sicut enim sententia vulgi extat, fermenti origo fit, cum aut spuma musti, seu fæx cuiusdam rusticæ potionis, quæ apud Gallos ceruisa dicitur, vel certe ius elixati hordei, aut ciceris, siue lac ficulneæ, vel pecorum corruptum inijcitur conspersæ farinæ. Cum C ergo spuma, fæx, elixatura leguminum, & lac ficus vel pecorum corruptum apud homines computentur inter sordida, constat fermentum sordibus non carere per omnia. Massa autem, cuicumque fermentum inijcitur, necesse est corrumpatur. Sicut ait sapientissimus Paulus: [d] Modicum fermentum totam massam corrumpit. Vbicumque autem corruptio, tam in diuinis, quam & in humanis litteris dicitur, ibi etiam deterioratio, seu vitiositas aliqua substantiæ accidisse comprobatur. Vnde si non potest aliquando corruptio in bonam partem intelligi, nulli dubium est, quin fermentato azymum mundius sit, quod nullam corruptionem fermenti admittens, ex munda farina tamen, & pura aqua conficitur. Fermentum quoque si aliquamdiu in massa negligitur, tanto acrore eam corrumpit, vt vltra humanis vsibus non prosit.

a Psal. 34.
b Eccli. 22.
c Iob 20.

DE FERMENTI ORIGINE.

d 1. Cor. 5.

Deinde panis fermentatus paruo situ efficitur mucidus, quod rarissime incurrit azyD mus, vtpote planus, & solidus, non tumidus, & cauernosus vti fermentatus. Qui licet magna ex parte impar sit vestris laudibus, tamẽ per omnia par est vestris moribus. Ipse enim fermento veteri corruptus deprehenditur acidus, cauernosus, & tumidus; & vos haud secus humana opinione corrupti loquacitate, apparetis acidi, calliditate cauernosi, & vt diuinæ scientiæ vacui. Humana scientia inceditis inflati, iuxta illud dictum Apostoli: [e] Scientia inflat. Cui etiam supradicta vitia inesse idem Apostolus attestatur, Timotheo dicens: [f] Si quis aliter docet, & non acquieuerit sanis sermonibus Domini nostri IESV Christi, & ei quæ secundum pietatem est doctrinæ, superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones, & pugnas verborum, ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, & qui veritate priuati sunt. Quod vero fermentum sicut prædicti sumus, in diuinis, & humanis litteris in malum ponatur, Dominus ipse in Euangelio E testatur: [g] Cauete, inquiens, a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis. & Paulus: [h] Expurgate, inquit, vetus fermentum. & paulo post: Epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ. In sæcularibus quoque litteris Satyricus effeminationem, & corruptos mores Romanorum redarguens ait: Quid didicisse nisi hoc fermentum, & quæ semel intus innata est rupto iecore exierit caprificus. Et si omnes scripturas perscrutati fueritis, numquam & nusquam fermentum in bonam significationem poni inuenietis, nisi in vno loco Euangelij, vbi regnum cælorum fermento simile Dominus dicit: doctrinam videlicet Apostolicam significans. Si vero omnes reuoluatis scripturas, numquam & nusquam inuenietis azyma poni in significatione contraria, sed aut sinceritatem, aut veritatem significare, sicut Apostolus dicit: Epulemur in azymis sinceritatis, & veritatis. Vnde vestra duplicitas suo

CVI SIMILES GRAECI.

e 1. Cor. 8.
f 1. Tim. 6.

g Matth. 16.
h 1. Cor. 5.

fermen-

Universidad de Deusto
Biblioteca

fermentato contenta, Romanæ & Latinæ simplicitati azymum extorquere desinat, A
ne si pertinax fuerit, anathema maranatha cum suo fermentato fiat, & Prophetam
a Amos 4. sibi exprobrantem audiat: [a] Ite ad Bethel, & impie agite & sacrificate de fermentato
laudem. Nunc videatur, quænam Ecclesiarum maiori diligentia, & subtiliori signi-
ficatione Dominici corporis proprietatem vel veritatem imitetur.

AZYMA CONFECTA IN SECRETARIO OFFERVNTVR. Romana quippe & Occidentalis Ecclesia a ministris sacri altaris in secretario con-
fectum offert azymum, quod ex grano frumenti, & limpida lympha per ignem fue-
rit præparatum, significans, se in vna Mediatoris Dei & hominum hominis Dei IESV
Christi persona tres perfectas credere & venerari substantias, humanam scilicet car-
nem, animam rationalem, & Verbum Dei Deum: & granum quidem assimilari car-
ni, quam de sola virginis carne, quasi ex gremio matris terræ sola virtute cælesti, non
autem aliqua commixtione virili factam omnipotens diuinitas animauit, puriorem B
substantiam, idest, animam, quasi aquam præclaram & mobilem ei infundens. Quas
geminas substantias ab ipsius virginalis conceptionis exordio Verbum Dei rite susce-
pit, & mediante suæ diuinitatis calore tamquam igne sibi constrinxit, & consolidauit.
Taliter præparatus azymus fideli inuocatione totius Trinitatis fit verum & singulare
corpus Christi, non sicut Theopaschitæ volunt, corpus Patris, & Filij, & Spiritus san-
cti, quod & vos videmini sentire, dicentes Patris, & Filij, & Spiritus sancti particeps
non esse azymum, vt subaudiatur, sicut fermentatum est particeps eorum.

ERROR GRAECORVM. Ex qua praua sententia, si non vultis cum Theopaschitis damnari, nolite in ipsa com-
memoratione Dominicæ passionis aliquod participium, seu communionem præter so-
lam consecrationem, vel cooperationē concedere sanctæ & impassibili Trinitati, quia
mors solius humanitatis Filij Dei annuntiatur in illo sacramento visibili, vt Apos- C
b 1. Cor. 11. tolus ait: [b] Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Do-
mini annuntiabitis donec veniat. Ipse quoque Dominus IESVS in speciali com-
c Marc. 14. memorationis suæ priuilegio Discipulis distribuēs panem, ait: [c] Hoc est corpus meum,
quod pro vobis tradetur: Meum, inquam, quod Spiritus sancti septemplici gratia sub-
nixum ipsa sapientia Dei Patris æterni ædificaui mihi templum quadraginta & sex
diebus in vtero, & ex vtero intactæ Virginis, quodq. mox pro vobis, & pro multis per
passionem crucis in mortem resoluendum omnipotens Trinitas post triduum susci-
tabit, non permittens Sanctum suum videre corruptionem. Meum, inquam, hoc est
Filij Dei, & filij hominis, qui vadit, sicut scriptum de illo. Quapropter sicut prædi-
ximus, tota beata Trinitas in consecratione Eucharistiæ cooperatur, sed sola mors
Christi in fractione eius, & in esu annuntiatur. D

PER MENTATVM GRAECORVM QVALE. Hinc iam quæ apud vos habeatur disciplina, & cautela super tanto mysterio, ani-
maduertamus. Vos aliquando pretio fermentatum a quocumque viro, seu femina,
præparatum habetis, in tantum, vt nonnumquam ab ipsis publicis negotiatorum
tabernis emptum panem ad Dominicam mensam transferatis; quem tractatum illo-
tis, & sordidis quorumlibet manibus negare non potestis. Qui sane iuxta vestram
narrationem quinque substantiarum particeps est, ideſt, fermenti, farinæ, salis, aquæ,
& ignis. Quarum omnium significationes congruas in illa simplici, & sincera carne
Saluatoris si habetis, date nobis. Par est enim, vt de fermentato nobis rationem po-
natis, quemadmodum nos de azymis vobis, ne forte, quod absit, peruersitas Mani-
chæorum ad fulciendum errorem suum asserat has quinque substantias in sacrificium
Christianorum assumi propter quinque antra tenebrarum, quæ fingunt, mentiendo E
sibi. Date quoque euidentem causam illius circumcisionis, qua coronulam panis ad
sanctum sacrificium ferro leuatis, cum immaculata hostia immaculatum corpus Do-
mini aptius videatur significare, & integritas panis, integritatem Ecclesiæ; quæ cor-
pus Domini fit participatione eius integerrimi corporis. Quod qualiter fieri debeat,
d 1. Cor. 10. Paulus Corinthijs ita prædicat: [d] Panis quem frangimus, nonne participatio corporis
Domini est? quoniam vnus panis, vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane,
& vno calice participamur. Vnde & Dominus panem accepisse, benedixisse, & fre-
gisse, non autem legitur ante vel postea incidisse.

Deinde quod sanctum panem vitæ æternæ in calice intritum cum cochleari sumere
consuestis, quid opponitis? neque enim ipse Dominus panem in calice vini intriuit,
& sic Apostolis dedit, dicens: Accipite, & cum cochleari comedite, hoc est enim cor-
pus

A pus meum. Sed sicut sancta Romana Ecclesia vsque nunc obseruat, panem integrum
benedixit, & fractum singulis particulatim distribuit, dicens: [a] Accipite, & comedite, a Matth. 26.
hoc est corpus meum. Quibus, postquam cœnatum est, calicem porrexit, dicens:
Bibite ex eo omnes.

VSVS ECCLES. HIEROSOLYMITANAE LATINAE SIMILIS. Quam reuerendam Angelis & hominibus institutionem etiam sancta Sion, prima, scilicet Ecclesia, vsque ad hæc moderna tempora, sicut ab Apostolis recepit, fideliter retinuit. Adeo vt quidam Hierosolymitanorum pontificum, datis epistolis, significa-
uerint, quantum illorum institutio discrepet a Græcis. Sic enim scriptum reliquerunt: Ex ipsa sancta ciuitate Hierusalem, quæ & sancta Hierosolyma, exijt Fides Christiana; In ipsa quoque sancta Sion, & sancta Resurrectio primæ Ecclesiæ dicuntur, & veraciter habentur. In ipso sancto & venerabili loco adimpletur diuina & immaculata oblatio Domini nostri IESV Christi, sicut decet per ordinem. Et puto quia be-
B ne faciunt ibi, quod nonnisi integras & sanas ponunt ipsas oblationes in sanctas patinas, nec quomodo Græci habent lanceam ferream, qua scindant in modum crucis ipsam oblationem, ideſt * pro sancto Missæ. Porro in præfatis sanctis ecclesijs cum ipsa sancta patina sanctam anaphoram, ideſt oblationem exaltant. Etenim veræ, & aptæ sunt ipsæ oblationes, tenuesq. ex simila, lanceam vero ferream nescium, nisi quæ latus Domini nostri IESV aperuit. Cochlear autem, cum quo communicent, sicut in ecclesia Græcorum, minime habent, quia non ita commiscent sanctam communionem in calice, sed sola communione communicant populum. Itaque & in magnis, & in paruis ecclesijs hunc morem traditum sibi a sanctis Apostolis habent omnes Christiani ipsius prouinciæ. Græci autem cohabitantes eis, alij sic, alij qualiter a suis acceperunt.
C Ad hæc, si quid ex sancta & venerabili Eucharistia in Hierosolymitanis ecclesijs superfuerit, nec incendūt, nec in foueam mittunt, sed in pyxidem mundam recondunt, & sequenti die communicant ex ea populum, quia quotidie communicant ibi, eo quod conueniunt illuc ex diuersis prouincijs Christiani, qui propter Fidem & maximum amorem Filij Dei communicari ibidem desiderant, quia, & locus ipse venerabilior, & sanctior est omnibus locis in omni terra; & ibi est Sepulchrum sanctum & honorabile Domini nostri IESV Christi, & sanctus Caluariæ locus.

DETESTATIO PRAVI VSVS. Subterrare autem, vel infodere sanctam Eucharistiam in terra, sicut quidam dicuntur agere, aut in lagenam mittere, aut effundere illam, negligentia magna est, & nullus timor Dei. Etenim Fides Christianorum ipsa impolluta, & diuina mysteria sunt, sicut quod Christus dixit: [b] Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, b Ioan. 6.
D vita viuet in æternum. Sed de his hactenus, præcipue cum vos ipsi possitis hæc colligere subtilius ex tenore epistolæ illius, quam istic ex Græca Latinam pene fecimus. Vbi luce clarius intelligi datur, eumdem ritum diuini sacrificij sanctam Hierosolymitanam ecclesiam obseruasse antiquitus, quem sacrosancta Romana Ecclesia obseruare non cessat hactenus. Siquidem tenues oblatas ex simila præparatas integras & sanas sacris altaribus nos quoque superponimus, & ex ipsis post consecrationem fractis cum populo communicamur, & tunc demum calice meri & liquidi cruoris potamur: quandoquidem nemini Discipulorum nisi Iudæ [c] proditori intinctum panem a c Ibid. 13.
Domino porrectum inuenimus, significante, quod eum esset traditurus. Pari modo etiam residuum Dominicæ oblationis reponimus.

CHRISTI EXEMPLO FACTVM QVOD FIT. Iam quia sufficienti auctoritate noui & veteris Testamenti constat, Dominum no-
E strum IESVM Christum commemorationem suæ passionis recolendam in azymo Discipulis sub ipsa cœna commendasse, sicut hodieq. sancta Romana, & Latina Ecclesia noscitur recolere: dicere debetis cuius institutionem in fermentato tam obstinate defenditis. Nempe quicumque seu qualiscumque ille fuerit, iuxta beatum Iob [d] com- d Iob 9.
positus Deo, qui est ipsa Iustitia, & Sapientia, nec iustus, nec sapiens erit. Nec potest fieri vt quilibet conuenientius aut verius commendare præualuisset sacrosanctum mysterium Fidei, quam ipse, qui tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suauitatis, Agnus immaculatus, qui tollit peccata mundi. Cui comparata etiam perfecta cuiusuis scientia summa est ignorantia. Quapropter cuentilemus reliqua dicta vestra.

Constantinopolitanus.

Dicit autem & Dauid de Christo: [e] Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem e Psal. 109.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DE AZYMIS RVRSVM OBIECTIO.

Melchisedech. Qui ante Moysem & Abraham, cæli, & terræ, & ceterarum creaturarum agnoscens Deum exurgens obtulit illi panē & vinum. Ideo dicit diuinus Apostolus: [a] Quoniam si consummatio per Leuiticum sacerdotium erat, non secundum ordinem Melchisedech sacerdos Christus diceretur. Et quia translato sacerdotio necesse est, vt legis translatio fiat. Quæ lex lutulenta constituit azyma Iudæis custodire. Idem ipse magnus [b] Paulus ad Corinthios prima Epistola de his loquens, inquit: Fratres, ego accepi a Domino, quod & tradidi vobis. Quoniam Dominus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite & comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & de calice: Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine. Hoc facite quotiescumque bibetis in meam commemorationem. Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortē Domini annuntiabitis. B

a *Hebr.* 7.

b 1. *Cor.* 11.

Romanus.

CONFVTATIO OBIECT. DE AZYMIS.

Quamdiu vestigia doctiloqui Pauli fideliter tenuistis, omnino irreprehensibiliter cucurristis; sed mox vt præcurrere tentastis, miserabiliter deuiastis. Quibus non sufficit aberrasse, nisi insuper Doctorem Gentium in fide & veritate maluissetis post vos reluctantem trahere, quam illius vestigia repetendo errorem vestrum euadere. Insuper inauditum præiudicium eidem facitis, quando suis dictis eum impugnādo azyma lutulenta pronuntiatis, quæ tam ipse, [c] quam omnis Catholicus esse sinceritatis & veritatis asserit. Illam deinde etymologiam vestram super pane contra nos defensando complicem vestrum tantum Apostolum laboratis efficere, quasi in eo quod veraces Euangelistas secutus ait: Acceipit panem, nonnisi fermentatum voluisset insinuare. Quod si fieri potuit, inanis prædicatio, & labor tanti Apostoli erit, euacuabitur mors Christi, quia iam non tradidit semetipsum pro nobis, sed iuste interijt, sicut transgressor legis. Verum quam sit hæc vestra etymologia friuola, satis abundeq. ostenditur supra. Iam videamus quorsum pertrahere conemini tantum Apostolum suæ assertionis funibus. C

c *Ibid.* 5.

Constantinopolitanus.

DETESTATIO AZYMORVM.

Azyma vero neque commemorationem habent Domini, neque mortem annuntiant, sicut Mosaica, & ante mille quadringentos annos ex lege constituta, & per nouum Testamentum, hoc est, per sanctum Euangelium, & per Christum maledicta, & derelicta.

Romanus.

OBIVRGATIO ET DILVTIO OBIECT. DE AZYMIS.

O sacrilega temeritas! o virosa & maniosa Manichæorum dicacitas! o ab hominū auribus & cordibus procul abigenda impietas! Eone pertraxistis Apostolum, vt in tantæ perfidiæ barathrū præcipitaretis vobiscum? Ecce illud pestiferum ouum, quod tamdiu parturistis, repente peperistis. Ex quo qui comederit morietur (vt [d] Isaias propheta dicit) & quod fuerit confotum, erumpet in regulum. Ecce, vt claret, dolorem concepistis, iniustitiam parturistis, iniquitatem peperistis, & contra ipsam veritatem & omnes diuinas paginas mentiti impudenter latratis, ipsum Filium Dei legē, & azyma quæ constituerat, maledixisse. Sed o sancta, o bona, o venerabilis lex cum vniuersis mandatis & obseruationibus tuis! quicumque te, & tua vsque ad vnum iota maledixit, maledicit, aut maledicet, sit ille maledictus. Potuitne, aut debuit Dominus noster sic ingratus esse, vt tam fidelem & deuotum præconem, & constantissimum testem suum aliqua maledictione confunderet, qui non cessauit tota sua intentione signis, mandatis, sacrificijs, cerimonijs atque verbis gloriam eius conclamare? Et vbi didicistis, quod Dominus legi vel azymis maledixerit? forsan dicturi estis, vbi nouum Pascha tradidit Discipulis, aut vbi surrexit a mortuis. Sed vt superius liquido cognoscitur, ex ipsis benedictis, & fractis nouum Pascha instituit, & ipsa suæ Resurrectionis die a duobus inuitatus in Emaus [e] castello accepit panem, benedixit, & mox cognouerunt eum in fractione panis. Quem omnimodis azymum fuisse constat, quia vsque ad octauas Paschæ nullo modo fermentum in omnibus finibus Israel apparebat. Sane quod ipse factus sub lege, legis testimonium habuerit, dicit Iudæis: [f] Scrutamini Scripturas, in quibus vos putatis vitam æternam habere, & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me. & iterum: [g] Si crederetis Moysi, crederetis & mihi, de me enim ille scripsit. Vnde in alio [h] loco protestatur, se non venisse soluere legem, D E

d *Isai.* 59.

e *Luc.* 24.

f *Ioan.* 5.

g *Ibidem.*

h *Matth.* 5.

A legem, sed adimplere. Cuius quodlibet minimum mandatum quisquis solueret, etiā in regno cælorum, ideſt præsente Ecclesia minimus foret, ne dum illam futuram aliquo modo introiret, in qua factor & doctor legis magnus vocaretur, & esset. Ipsa quoque suæ Resurrectionis die duobus suprādictis Discipulis, [a] incipiēs a Moyse & omnibus Prophetis, interpretabatur Scripturas, quæ de ipso erant. Deinde vndecim congregatis dixit: [b] Oportebat impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi & Prophetis, & Psalmis de me. Et quia oportebat pati Christum, & resurgere a mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorū per omnes Gentes. Ecce breuiter Saluator innotuit Incarnationis ac Passionis suæ humilitatem, atque Resurrectionis gloriam, omniumq. Gentium vocationem, & per baptismum saluationem in veteri Testamento præmonstrata, & in nouo fuisse exhibita, vt merito

a *Luc.* 24.

b *Idem.*

B Euangelium nihil aliud sit dicendum quam legis expositio.

LEX PROPICVA.

Quæ lex velut baiula, & nutrix Christi & Ecclesiæ, ideſt sponsi & sponsæ, capitis & corporis in plenitudine temporum præuia Euangelicæ gratiæ & veritatis lucerna publicis visibus pariter reuelauit, quos diu in secretis cubiculi occultauit. Tunc repente illius speciosi forma præ filijs hominū omni creaturæ resplenduit, vbi per sanctos Apostolos, quibus aperuit sensum, vt intelligerent Scripturas, mysterium cunctis retro sæculis absconditum in omnem terrā, & vlque in fines orbis transmisit. Maledicendusne est ergo vterus ille, qui spiritu Dei grauidatus ab initio parturiuit omnia sacramenta Christi, & Ecclesiæ, tandemq. in fine sæculorum peperit ipsum Euangelium prædicandum vbique? Siquidem vetus Testamentum efficit, vt per nouum libera fronte prædicetur partus Virginis, & credatur resurrectio ex mortuis, atque per lignum, aquam, &

C spiritum reparatio humani generis. Alioquin deleto veteri Testamento, nouum euaneſceret, fabulaq. putabitur omnino, nec retineri poterit absque charactere suo; quoniam nec paries stabit sine fundamento. Quod ipse Dominus suis factis & dictis supposuit, & Apostolis seu prædicatoribus suis inspirauit, narrationis suæ cursum firmare anchora Testamenti veteris, cuius auctoritatē primus magister Ecclesiæ profitetur certiorem esse illa voce, [c] quam super Dominum transfiguratum factam audiuit.

c 2. *Petr.* 1.

LEX FVNDAMENTVM.

Vnde firmissime credendum est, & liberrime profitendum, quod quicumque veteri Testamēto contradicit, etiam noui aduersarius existit, quod velut rota in medio rotæ inesse veteri sanctus Ezechiel [d] vidit. Deinde quasi subiectum, vel fundamentum est vetus Testamentum, cuius ædificium, vel superior pars constat nouum, quod necesse est deficiat, vel corruat, deficiente, vel corruente subiecto cui insidebat: & subiecto quidē

d *Ezech.* 10.

D seu fundamento permanente, permittantur supersidentia sæpe: intereunte autem vel ruente nequeunt pariter non interire vel ruere. Hoc vtique Dominus vtriusque Testamenti lator intelligi volens, cum posset omnipotenti voluntate vacuas sex hydrias [e] in nuptijs vino de nihilo repente creato implere: maluit tamen certi mysterij gratia prius aqua easdem hydrias a sessis ministris vsque ad summum impleri, & post solo nutu suo mirabile vinum fieri. In quo prouido Redemptoris nostri facto discimus aquam non substantiam suam, sed qualitates, ideſt saporem & colorem, & si quæ sunt huiusmodi, permutasse, vt animaduertamus ipsum Dominum vetus Testamentum, quo sex mundi ætates per ministerium priorum Patrum repleuerat, non euacuasse, sed innouasse: nec inde quidquam reprobando minuisse, sed quod ei inerat, & latebat, approbando exhibuisse. In quibusdam enim sola pronuntiatione temporum

e *Ioan.* 2.

E seu varietate excepta, lex, & Euangelium idem concorditer clamant. Verbi gratia, lex prædicit: [f] Prophetam suscitabit vobis Dominus de fratribus vestris. & [g] Ecce Virgo concipiet & pariet filium: Euangelium prædicat: Propheta [h] magnus surrexit in nobis, & Virgo concepit, & peperit filium. In quibusdam etiam tempore & themate saluo, commemorant voces pietatis & impietatis, [i] vt est: Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me? &: [k] Sperauit in Domino, eripiat eum, saluum faciat eum, quoniam vult eum.

f *Deut.* 18.

g *Isai.* 7.

h *Luc.* 7.

i *Matth.* 27.

k *Psal.* 21.

CVI LEX NON SAPIT.

Porro si alicui insipida videtur talis lympha, nouerit nullo vitio lymphæ istud sibi contingere, sed nimio palati sui stupore. Animalis enim homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei: stultitia siquidem est illi lex Dei, nec nouit ex ea mentis ventrem salubriter replere, sed pernicioſe distendere. Spiritualis autem qui iudicat, & discernit omnia, debriatus ea cum nostro architriclino Paulo fideliter decantat:

Universidad de Deusto
Biblioteca

[a] 1. Tim. 1. [b] Rom. 7. [a] Scimus quia bona est lex, si quis ea legitime vtatur. Et illud: [b] Scimus, quoniam lex spiritualis est. Quod si lex spiritualis est, ministratio spiritus fit spiritualiter examinata, & ministratio mortis carnaliter discussa. Quamuis enim lex suapte natura sit vita, vitio tamen hominum mors fit, sicut idem Apostolus dicit: Quid ergo dicemus: [c] Lex peccatum est? Absit, sed peccatum non cognoui nisi per legem. Et post pauca: Itaque lex quidem sancta, & mandatum sanctum & iustum & bonum: quod ergo bonum est mihi factum est mors? Absit. Sed peccatum vt appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem. & rursus: [d] Inuenio igitur legem nolentem mihi bonum facere, quoniam mihi malum adiacet. Tandem si sapienter audistis, quæ præmisimus, resipiscite ab iniurijs legis, quam sanctam, & mandatum sanctum & iustum, & bonum affirmat Apostolus, ne medicum demonstrantem morbos, & curare volentem videamini obruere lapidibus, tamquam phreneticus.

[c] Ibidem. [d] Ibidem.

QVAEDAM PRO TEMPORE TANTVM DATA.

Porro numerosa Patrum coniugia, & ex tribu sua, atque carnalia sacrificia, & circũcisionis, seu variarum purificationũ cerimonias, ciborumq. differentias noueritis temporaliter carnalibus aut promissa, aut iussa, vt eos talium iugo, vel licentia mandatorũ retineret, ne ad idololatriam, seu ad cetera flagitia corruerent: spirituales autem significatione futurorum bonorum, quæ in his repromittebantur, iugiter subleuaret, vt ad uenientia a longe conspicerent, & deuote salutarent. Quod licet huiusmodi obseruationibus pro loco & tempore viderentur nimium dediti, vt sua condescensione paulatim brutas plebes per signa traherent ad res, tamen quid in his senserint, ex his beati Dauid [e] dictis liquet: Si voluisses sacrificium dedissem, vtique holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus. Vnde rursus ait: [f] In me sunt Deus vota tua. Cuius personam suscipiens carnali populo contestatur dicens: [g] Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua. Nonne huic, & reliquis Patribus aqua legis colorem & saporem mutauerat, quæ pallida & insipida carnalibus apparebat? Quippe his frigebat, quæ illis sic calebat, vt iam tunc cum Discipulis IESV dicere possent: [h] Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in via, & aperiret Scripturas?

[e] Psal. 50. [f] Ibid. 55. [g] Ibid. 49. [h] Luc. 24.

IN CHARITATE LEX PERFECTA.

Littera enim legis per Moysem datæ carnales occidebat, cuius spiritus gratia & veritate per IESVM Christum facta spirituales viuificabat: vt illi timore temporalis mortis, ac si frigore contracti inde pallerent, vnde isti amore æternæ vitæ quasi calore vegetati rubebant, & cum Paulo libere proclamabant: [i] Plenitudo legis est dilectio, in cuius duobus præceptis charitatis pendere legẽ vniuersam, Veritas perhibuit. [k] Quod si Deus charitas est, Deo proculdubio aduersatur, quisquis aliquid legi Moysi subtrahere conatur, quam ipse totam in charitate pendere testatur. Quæ charitas gemina carnalibus & terrenis cerimonijs contecta velut quidam bisulcus hamus vermiculis seu volaticis plumis insertus, & in pelagus humanæ captiuationis cælitus demissus vagos & vacuos cælestium homines inescatos visibilibus, & inuisibili mucrone traiecit, & traiectos ad sinum Angelicæ libertatis retraxit, dicentes Deo in [l] Canticorum canticis: Trahe me post te. & : Vulnerata charitate ego sum. Sic dum homo adhæret Deo & homini proximus, decentissima linea, & tamquam aurea mandatorum diuinorum catena pariter ad paradisum retrahuntur.

[i] Rom. 13. [k] 1. Ioan. 4. [l] Cant. 1.

EVPHRASION CONTRA SEVER. PRO VET. TEST.

Deinde quanta instantia Euphrasion Rhodiorum Episcopus legem veterem contra Seuerianos hæreticos defenderit, ex subiectis verbis ipsius liquet, vbi intra nonnulla alia dixit: Fundamenta domus præclaræ circa squalida loca sunt posita, vt ea quæ sunt superius, nullas contumelias stercorum patiantur. Superiora ergo domus laquearibus auratis, parietibus pictis, & vario marmorum metallo sunt edita: inferiora vero humori terreno vicina digesta etiam superiorum vniuersa suscipiunt. Quid ergo nunc faciemus? si auferimus inferiora superiora corruunt. Tamen si destruenda erant inferiora, non hoc alius poterat nisi Dei Filius facere. Videamus ergo vtrum ipse destruxerit hoc quod nos dicimus permanere: Putatis inquit, [m] quia veni legem soluere, aut Prophetas? non veni legem soluere, sed adimplere. Et vos ergo saltem his & alijs proprij Doctoris vestri vocibus reuocati, ab iniurijs sacratissimæ legis cessate, ne ab eodem & ab omnibus Catholicis anathema cum Seuerianis sitis.

[m] Matth. 5.

Sed ne forte adhuc vobis nimium placeatis ex opinationibus vestris, cum nihil teneatis

neatis diligẽtius, recapitulamus dictum Apostoli, quem supra ad vestrum suffragium violenter attrahere tentastis, quia ait: [a] Si consummatio per sacerdotium Leuiticum erat, populus enim sub ipso legem accepit, quid adhuc necessarium fuit secundum ordinem Melchisedech alium surgere sacerdotem, & non secundum Aaron dici? Translato enim sacerdotio, necesse est vt legis quoque translatio fiat. In quibus verbis sicut superius ostenditur, nil aliud intelligitis consummationem, nisi consumptionem, ideſt, abolitionem, & finem, non qui perficit, sed qui interimit. Quod longe aliter esse idem Apostolus edocet, dicens: [b] Finis legis Christus ad iustitiam omni credenti. Vnde quoniam aliter dicitur finiui panem, aliter finiui telam, accipiamus necesse est Christum finem legis consummantem, non consumentem, perficientem, non annihilantem, complentem, non euacuantem. Qui finis ab initio sæculi promissus, & in fine exhibitus dum penderet in cruce, pro nobis sacrificium vespertinum, & vltimum factus, [c] sciens quia iam omnia consummata sunt, vt consummaretur Scriptura, dixit: Sitio. Qui cum accepisset acetum, dixit, consummatum est, & inclinato capite tradidit spiritum. Vbi certe nec Euangelista dixit, vt consumeretur, sed vt consummaretur Scriptura; nec ipse Dominus, consumptum est, sed consummatum est.

[a] Hebr. 7. [b] Rom. 10. [c] Ioan. 19.

LEX CONSVMMATA NON CONSVMPTA.

Ad quam morientis [d] vocem velũ templi scissum est vsque deorsum, vt iuxta Apostolum [e] accedentibus ad Christum velamen vsque tunc positum in lectione veteris Testamenti, significaretur ablatum. Quæ consummatio non per Leuiticum sacerdotium fuit, quia attestante Apostolo, [f] nihil ad perfectum adduxit lex. Ex quibus Apostoli verbis ne forte resumatis ansam calumniandi, attendite quia non dixit, nil boni fecit lex, sed nil perfecit. Habuit enim (vt idem [g] Apostolus ait) iustificationes culturæ, & sanctum sæculare, & tabernaculum manu factum, & pontifices præsentium bonorum, qui per alienum sanguinem semel in anno introeuntes sancta sanctorum sanctificabant inquinatos ad emundationem carnis, a quibus munera & hostiæ offerebantur, quæ non possunt iuxta conscientiam perfectum facere seruientem solummodo in cibis, & potibus, & varijs baptismatibus, & iustitijs carnis, vsque ad tempus correctionis impositis. Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manu factum, ideſt, non huius creationis, neque per sanguinem hircorum & vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta, quando per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, & mundauit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad seruiendum Deo viuenti. Equidem secundum legem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere. Hic autem & quod maneat in æternũ, sempiternum habet sacerdotium, qui solus proprio semel æternam redemptionem perfecit, quam illi alieno sanguine incessanter imitãtes imperfectam retentabant. Quæ vt accessit, omnis ille sacrificiorum seu cerimoniarum carnalium cursus iure conquieuit.

[d] Matth. 27. [e] 2. Cor. 3. [f] Hebr. 7. [g] Ibidem 9.

VETERA INNOVITATEM TRANSLATA.

Neque enim deinceps pluribus sacrificijs indigemus, quia in vno æternam redemptionem inuenimus, quæ per Leuiticum sacerdotium incœpta per Pontificatum Domini IESV constat perfecta. Qui non secundum Aaron, sed secundum ordinem Melchisedech ideo sacerdos dicitur, [h] quia panem & vinum offerendum atque sumendum in veritate carnis & sanguinis sui constituit Fidelibus. Cuius generatio inenarrabilis de patre sine matre, de matre sine patre, nec initium dierum, nec finem habens, solus verus Rex iustitiæ & pacis. Cui quia conuenientius assimilatur Melchisedech, non solum ex vno sacrificio, & genealogia, sed etiam ex prænomine, quam Aaron, dicitur sacerdos Christus secundum ordinem Melchisedech, non secundum Aaron. Denique Melchisedech ille nec corpus, & sanguinem suum in pane & vino diuinitati obtulit, nec sine parentibus, aut initio, & fine fuit, neque substantialiter Rex Iustitiæ & pacis: sed quod hæc omnia Scripturæ de illo homine aut tacuerunt, aut dixerunt in manifestiori significatione nostri Melchisedech, cuius ille, sicut & Aaron, vmbra non veritas extitit. Ad quem translato sacerdotio, necesse est, vt legis quoque fiat translatio, a littera scilicet occidente ad Spiritum viuificantem, a vetustate ad nouitatem, ab imperfectione ad perfectionem, a seruitute ad libertatem, & filiorum Dei adoptionem, a Iudæis ad Gentes, quibus Apostolus ait: [i] Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus abba pater. Qua vtique translatione lex est alterata, non facta alia, immutata non

[h] Gen. 14.

SACERDOTIVM CHRISTI.

[i] Gal. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

non commutata, accessu gratiæ cumulata, non recessu suo exinanita. Sicut Dominus suis inquit : [a] Nisi abundauerit iustitia vestra plus quam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Numquid dixit, nisi reprobaueritis, aut omnino reliqueritis iustitiam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum? Sed quoniam iustitia illorum erat tantum a malo opere abstinere, voluit Dominus in hoc suorum iustitias superabundare, vt non solum malum ab opere, sed insuper a cogitatione satagerent resecare. Nam illis ex lege bonum erat non occidere, nec mœchari: [b] istis autem super hoc ex gratia optimum & perfectum non irasci, [c] nec concupiscere. Ideo lex ramos malitiæ succidit, gratia vero etiam radices eius euellit.

a Matth. 5.

b Exod. 20.
c Matth. 5.

PERFECTIONEM ACCIPIT IMPERFECTVM.

Et sicut in Resurrectione hoc ipsum corpus humilitatis nostræ, & non aliud reformabitur; sic & lex ipsa per Euangeliũ reformata in toto mundo prædicatur. In qua vtique reformatione quamuis plurimum decus augeatur, naturæ tamen integritas in nullo aufertur, quando ad similitudinem grani seminatum corpus animale surget corpus spirituale, & seminatum in infirmitate, surget in virtute. Hac quoque reformatione cælum, & terra transibunt, non interibunt, transferentur non auferentur. Nec moueamur a nostro sensu, nec terreamur, si nonnulla legis sacramenta exhorret animalis sensus, quandoquidem ipsius sancti Euangelij nonnulla mysteria exhorruit hactenus in tantũ, vt Domino dicente: [d] Amen amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis: etiam maxima pars Discipulorũ eius ab eo discessissent, dicẽdo. Durus est hic sermo, quis potest eum audire? Præterea nouum Testamẽtum, ideo æternum dicitur, quia proculdubio æterna sunt, quæ pollicetur, sicut malis supplicium æternum, bonis vero vitam æternam. Nam quantum ad recitationem, seu conscriptionem, ipsum Euangelium in nouissimo die omnino *præteribit, vbi deinceps, nec scriptura aliqua necessaria erit.

d Ioan. 6.

*al. peribit.

Ceterum si ad rem pertineret, monstrarem non mille quadringentos tantum sicut scripsistis, sed mille quingentos & amplius annos ab institutione azymorum per Moysem vsque ad Passionem Christi decurrisse. Sed cum nostræ intentionis sit Romani ritum sacrificij approbare: Chronographis relinquimus opinionem vestram de præfato azymorum annorum numero reprobare. Itaque si azyma, quemadmodum astruere conamini, per Christum & eius Euangelium fuerunt maledicta, reprobata, & derelicta, & ideo deinceps non debere offerri in sacrificio Domini, quia per Moysem constituta sunt Iudæis: sciatis fermentatum quoque per Moysem constitutum Iudæis, sicut in Leuitico dicit: [e] Hæc est lex hostiæ pacificorum: Offeret panes fermentatos cum hostia gratiarum, quæ offertur pro pacificis. Idem Moyses in eodem: [f] In Pentecoste offeretis panes primitiarum de duabus decimis similæ fermentatæ, quos coquetis in primitias Domino, offeretisq. cum panibus septem agnos. Sal quoque, quem tantopere prædicatis in fermento, per Moysem ita constituitur Iudæis in Leuitico: [g] Quidquid obtuleris sacrificij, sale condies, nec auferes sal fœderis Domini Dei tui de sacrificio tuo. In omni oblatione offeres sal. Quapropter si a nobis non debent offerri azyma, quia Mosaica sunt: nec a vobis debent offerri fermentatum, & sal, quia æque Mosaica sunt. Et quia ab Apostolo [h] audientes, vetera transierunt, ecce facta sunt noua, insipienter putatis omnia veteris Testamenti reprobata, & penitus destructa, & ad nihilum redacta sacramenta: hinc iam perpendatis necesse est, ad quantas difficultates properet hæc opinio vestra.

IN FERMENTATO CONVINCVNTVR GRAECI IVDAIZARE.

e Leuit. 7.
f Ibidem 23.

g Ibid.

h 2. Cor. 5.

Denique si vetera non proficiendo, sed deficiendo transierunt, vnde vobis templum, altare, sacrificium, candelabrum, cortinæ, sanctum chrisma, & thymiama, aspersionis aqua, thuribulum, & cetera sancti ministerij vasa seu ornamenta, aut vestimenta sacerdotalia? Vnde vobis Encænia, Pentecoste, & Pascha, seu Quadragesima? Vnde vobis pontifices, sacerdotes, & leuitæ, ac reliqui ecclesiastici gradus ex ordine? Vnde primitiæ & decimæ? Postremo vnde vobis dilectio Dei, & proximi, ac reliqua mandata Decalogi? Quia ergo secundum vos sic noua facta sunt, vt vetera omnino sint relicta, & per Christum maledicta: abijciamus procul ab eius Ecclesia, quæ supra diximus, omnia, & plura quæ reticuimus, alia, & veteribus contraria, iam fiant noua. Odio habeatur Deus, & proximus, pater & mater inhonoretur, homo occidatur, omnes mœchentur, furentur, mentiantur, concupiscant, adulterent, coniugia nulla sint, omnis homo ad proximam sanguinis sui, & quæ ei affinitate iungitur, accedat.

QVOMODO VETERA VIVRENTVR.

cedat. Ad summam quoque nec comedatur, nec bibatur, aut dormiatur, sed relinquatur quidquid vetus Testamentũ exhibuit, & exercuit, tam in cultu diuino, quam in vsu humano: & videbitis, quia nec bestiæ eritis, nedum homines; immo ab eo, quod est aliquid, transibitis ad nihil. Nos potius Catholica aure intendentes tanto Apostolo dicenti: [a] Si qua ergo noua creatura, vetera transierunt, ecce facta sunt noua: corde credimus, & ore confitemur, vetera a vetere homine transeundo ad nouum hominem IESVM Christum noua facta esse, quemadmodum idem Apostolus mox sequutus curauit declarare: Omnia autem ex Deo, qui reconciliauit nos sibi per Christum. Cuius singulari nouitate innouantur omnia cælestia, atque terrestria. Quoniam quidquid ad cultum Dei seu ad commodũ sui vetus ille populus cælitus acceperat, ad nouũ transtulit. qui ideo nouus dicitur, quia ab vmbra, ad veritatem, a signis ad res, a timore ad amorem, a seruiture ad libertatem, a filijs iræ ad filios gratiæ, a carne ad spiritum est translatus. Vnde dicit Apostolus: [b] Vos non estis in carne, sed in spiritu, si tamen spiritus Dei habitat in vobis. & quomodo in carne non erant, quos epistolis instruebat? nisi secundum quod ipse ait: [c] In carne ambulantes non secundum carnem militamus. Hinc rursus inquit: [d] Nemo nostrum sibi viuit, & nemo sibi moritur. & [e]: Viuo iam non ego, sed viuit in me Christus.

a 2. Cor. 5.

b Rom. 8.
c 2. Cor. 10.
d Rom. 14.
e Gal. 2.

Sic itaque nobis & omnibus in nouitate spiritus ambulare satagentibus, noua facta sunt omnia, templa scilicet & altaria, sacerdotes, sacrificia, candelabra, thuribula, cibus, & potus, & quæcumque carnalis Israel tam in supellectile, quam in mandatis retinebat vetera, vt eadem, & non eadem sint omnia, instar vtique aquilæ, quæ dum naturaliter renouatur, iuuentus eidem accedit, & senectus, non substantia ab ea recedit. Pari tenore prædicamus azymum Christianorum longe distare ab azymo carnalium Iudæorum, quos ad vmbram veritatis obseruandam, & captandam sola promissio, & desiderium terrenæ felicitatis incitabat, vt est longæuitas, abundantia frugum, successio filiorum, perditio inimicorum, & cetera. Nos vero corpus Veritatis ex azymo & in azymo rite venerantes atque retinẽtes, ore & corde prægustamus iam, quam suauis est Dominus, vnum petentes ab ipso, & hoc requirentes, vt maneamus in eo, & ipse in nobis in æternum. Sane si mutare vultis fermentato azymum, mutate quolibet alio liquore vinum, quo, sicut & azymo, Christus & vetus pascha finiuit, & nouum inchoauit. Si enim vinum recipitis, azymum cur abijcitis? Quod vero passio & mors Christi conuenientius annuntietur azymo quam fermentato, & ex hoc comprobatur, quod Dominus ipse azymo Discipulis memoriam sui agẽdam tradidit, & quod in lege panis afflictionis dicitur: vt per hoc præmoneamur affligere animas nostras, & pariter offerre Deo spiritum contribulatum, cor contritum & humiliatum, illud Apostoli recolentes: [f] Cum timore, & tremore vestram ipsorum salutem operaminj. &: [g] Si compatimur, & conregnabimus.

VETERA NOVA REDDITA.

f 2. Cor. 7.
g 2. Tim. 2.

Porro quæ per legem fuerunt vsque ad tempus correctionis imposita carnalibus Iudæis, Paulus breuiter colligens, inquit: [h] Munera & hostiæ offeruntur, quæ non possunt iuxta conscientiam perfectum facere seruientem solũmodo in cibis, & potibus, & varijs baptismatibus, & iustitijs carnis. Carnales ergo victimæ, atque purificationes variæ in lege, in quibus maxima & prima erat circumcisio, & ceteræ iustitiæ carnis, vt est differentia ciborum, festiuitas tabernaculorum, non arare in boue simul & asino, nec serere agrum diuerso semine, & his similia, quæ nil sanctitatis conferebant conscientijs, excepta deuotione obedientiæ, & admonitione spiritualis munditiæ, data sunt vsque ad præfinitum tempus a Patre, quando per Filium suum factum sub lege redemit eos, qui erant sub lege, cuius carnales iustitias euadens idem Apostolus ait: [i] Quæ aliquando fuerant mihi lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta, & non solum detrimenta, sed etiam stercora, vt inueniar in illo non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed quæ ex Fide IESV Christi. Quod Colossensibus quoque denuntiat, dicens: [k] Nemo vos iudicet in cibo aut potu, aut in parte diei festi, aut Neomeniæ, aut sabbatorum, quæ sunt vmbra futurorum. Hactenus defendisse legem Moysi, & azymum Eucharistiæ Christi sufficiat: iam discutiamus vestra quæ restant.

LEGALIA DESERVNT.

h Hebr. 8.

i Philip. 3.

k Colos. 2.

Constantinopolitanus.

Sabbata vero quomodo in Quadragesima Iudaice obseruatis? aut non audistis in Euangelio dicentẽ: [l] Quia transeuntes Discipuli in sabbatis, cœperunt iter agere, euel-

l Luc. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CALVMNIA GRAECORVM IN LATINOS.

lentes spicas & comedentes. Dicebant autem Iudæi ad Christum: Vides quid isti faciunt in sabbatis? Qui dixit, etiam. An nescitis quid egerit Dauid cum esurierit ipse, & qui cum eo erant, quomodo intrauit in templum, & panes propositionis comedit? & cetera. Et quia sabbatum propter homines factum est, non homo propter sabbatum. Qui & dicebant: [a] Quoniam homo iste non est ex Deo, qui sabbatum non custodit. & iterum. [b] Loquente Christo in sabbato ei, qui manum aridam habebat: similiter & ei qui dæmonis spiritum habebat, in sabbato mundato, & murmurantibus Iudæis & similia dicentibus, dicit Christus: [c] Hypocritæ, vnusquisque vestrum non soluit asinum a præsepe, aut bouem suum in sabbato, & ducit adaquare? Et paralytico similia, quem sanum fecit. Et ideo qui sabbata cum azymis custodiunt, neque Iudæi, neque Christiani sunt, sed similes sunt leopardo, sicut magnus dicit Basilius, cuius capilli nec nigri sunt, nec albi omnino.

a *Ioan. 9.*
b *Matth. 12.*
c *Luc. 13.*

Romanus.

Quod nos sabbata nec intra nec extra Quadragesimam Iudaice obseruemus, sufficienter monstratur superius: Vos autem si non Iudaizatis, cur saltem Quadragesimæ non parcitis, ne cum Iudæis feriati, & epulantes, ieiunium Christi in sabbato dissoluatis? Vnde testimonia Euangelica, quæ posuistis, omnino refragantur vobis, suffragantur vero nobis. Denique nos vt discipuli IESV non solum iter agimus in sabbato, & spicas euellimus, sed insuper piscamur, & quidquid oportet, operamur, & hora competenti comedimus. Vos quia legitis Discipulos spicas transeundo comedisse, a luce prima in vesperum studetis varijs delicijs, & multo mero crapulam continuare. Nec mirum, cum istic quoque obliti etymologiæ vestræ, ex nomine quod est artos, dixistis Dauid comedisse panes propositionis, idest τους ἄρτους τῆς προθέσεως, quos negare non potestis fuisse azymos, si qua scientia veteris legis remansit apud vos.

DILVTIO ELATAE CALVMNIAE.

Deinde quoniam sabbatum propter hominem factum est, non homo propter sabbatum, nullo conuiuio, aut otio honoratur apud nos tamquam dominus, sed oneratur ieiunio, & labore, velut deuotus seruus Dominica sepultura occupatus. Mox succedente die quam specialiter fecit Dominus, solemniter exultamus, & lætamur, quia in ea Christus resurgens a mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Quin etiam pro custodia sabbati non timemus a Christo notari hypocrisi, quoniam in eo non tantum manum aridam, sed & totum corpus curandum offerimus Deo, & medicis. Nec tantum bouem, & asinum soluimus a præsepio, & ducimus adaquare, sed etiam arare. Ast vos volentes esse legis doctores, nec intelligentes, quæ loquimini, neque de quibus affirmatis, assertionem vestræ opinionis sic concluditis:

Constantinopolitanus.

Et ideo qui sabbata cum azymis custodiunt, neque Iudæi, neque Christiani sunt, sed similes sunt leopardo, sicut magnus dicit Basilius, cuius capilli nec nigri sunt, nec albi omnino.

Romanus.

O mirabilis Græcorum philosophia! o ars Pelasga! o Athenienſis & Academica perspicacia! Vnde tibi tantus stupor & vertigo repentina? Vere triplici fune lingua tua diuinitus est ligata. Nam Græci sapientiam quærunt, quam simplex prædicatio Christianæ Fidei stultã effecit, sicut Dominus repromisit: [d] Perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentũ reprobabo. Vbi sapiens? vbi Scriba? vbi conquisitor huius sæculi? nonne stultam fecit sapientiam huius sæculi? qua stultitia vos repleti, nec secundum diuinas paginas definistis aliquid, & magnum Basilium secundum humanas monstratis definisse nihil. Falsissimum enim est, vt qui sabbata & azyma custodiunt, nec Iudæi, nec Christiani sint: quia verissime Iudæi sunt, qui sabbata & azyma custodiunt carnaliter. Sed & illud in infinitam dubietatem recidit, nec vllo modo consequens erit, vt leopardus sit tantum, cuius capilli nec nigri, nec albi sunt, quia præter hunc, innumerabilia animalia existunt, quorum pili nec nigri, nec albi sunt. O egregij scrutatores diuini eloquij! O dociles discipuli magni Basilij! ex cuius præclaro fonte nihil nisi lutum haurire præualuistis, cum hinc inde vobis resonaret riuus ille cælestis lactis æterni mellis, Romanam & omnem Occidẽtalem Ecclesiam vocans dominam, & obsecrans succurrere perditioni Orientis. Nunc gratis subuertere Latinam Ecclesiam molientes, armamini contra nos quasi Basilij sententia, quæ multo vecordior

d *1. Cor. 1.*

REDARGVVNTVR MVLTIPLICITER GRAECI.

cordior inuenitur illa ridicula Tiresiæ prophetia, Quidquid dicam, aut erit, aut non. Nempe accidit vobis illud Satyrici prouerbium: Parturiunt montes nascetur ridiculus mus. Atque [a] vtinam tacuissetis, vt puraremini sapientes, ceu Sapientia dicit: [b] Stultus si tacuerit, sapiens reputabitur; modo autem stultitia vestra omnibus nota est. hinc reliqua perspiciamus.

a *Iob. 13.*
b *Prou. 17.*

Constantinopolitanus.

Quomodo autem & suffocata hi tales comedunt, in quibus sanguis tenetur: aut nescitis, [c] vt omnis animalis sanguis anima ipsius sit, & qui comederit sanguinem, animam comedit? Et idcirco secundum hoc nec Gentiles ex toto sunt: illi occidunt, aut * plagantes comedunt.

DE SVFFOCATIS OBIECTIO.

c *Leuit. 17.*

*

Romanus.

Cur ex lege istud secundum vos per Christum maledicta & derelicta mandatum vobis opponitis? Numquid vobis solis licet quidquid libet, vt modo ad legis patrocinium humiliter recurratis, & modo ab ea superbe tamquam anathematizata resiliatis? Nonne vetus lex, & non Euangelium interdicit, [d] vt omne suffocatum, & captum a bestia non comedatur, quia anima omnis animalis in sanguine est? Constat vtique hoc mandatum ex illis esse, quæ carnali populo ad qualemcumque munditiã, seu iustitiam carnis, non ad aliquam sanctitatem mentis data sunt ad tempus. Est enim de cibo vnde Apostolus [e] dicit: Nemo vos iudicet in cibo, ac si aperte diceret: Nemo vos velut Iudæos discernat ab his, inter quos habitatis, in differentia scilicet ciborum, & in reliquis quæ idem Apostolus adiecit. Quod autem hic iudicare dixerit discernere, in Epistola ad Romanos liquet, vbi de diuerso ieiunio quorumdam loquẽs, ait: [f] Alius iudicat diem inter diem: alius iudicat omnem diem. Quapropter quia sicut idem ait, [g] Alius credit se manducare omnia: is qui manducat quædam, obseruans morem suæ prouinciæ, & præcepta maiorum suorum, manducantem non iudicet. Tu enim quis es, qui iudicas alienum seruum, qui salua fide, & pura conscientia comedit quidquid a maioribus suis comedendum accepit? vt enim Dominus ait, [h] Non quod intrat in os coinquinat hominem, & secundum Apostolum, [i] omnia munda mundis, coinquinatis autem & Infidelibus nihil est mundum, sed inquinata sunt eorum mens & conscientia. Quod Romanis denuntians ait: [k] Scio & confido in Domino IESV, quod nihil commune per ipsum, nisi ei, qui existimat quid commune esse, illi commune est. & post pauca: Qui discernit, si manducauerit, condemnatus est, quia non ex fide. Omne autem quod non ex fide, peccatum est.

d *Ibidem.*
QVAE DE CIBIS SENTENTIA PAVLI.
e *Colos. 2.*
f *Rom. 14.*
g *Ibidem.*
h *Matth. 15.*
i *Tit. 1.*
k *Rom. 14.*

Sed quamuis omnia munda sint, tamen secundũ eumdem Apostolum, [l] malum est homini, qui per offendiculum manducat aliquid, quod frater modicæ fidei, & adhuc infirmus in fide credit immundum, & propter hoc non comedendum. Cui condescendere debemus in abstinentia escarum huiusmodi, vt possimus eum Domino lucrari, ne religionem Christianam pro aliqua esca incipiat abominari; & cibo nostro perdatur frater, pro quo Christus mortuus est. Nos ergo, quamuis a Domino & ab Apostolis licentiam habeamus manducare omnia, quæ nec nostræ, nec fraternæ saluti officiunt; consuetudine tamen prouinciarũ, & præceptis maiorum nostrorum hactenus detenti, deuitamus comedere nonnulla, non quia mala aut immunda sunt, sed quia aut nobis aliquo modo non expediunt, aut longo vsu in naturam iam versa horrent. Nonne draco [m] populis Aethiopum esca datus dicitur, & nonnullæ nationes quibusdam vescuntur, quæ aliæ penitus abominantur? Cur hoc, nisi quia vnaquæque gens in suo sensu abundans, quædam sibi assumpsit, quædam reiecit? Vnde nos quoque absque culpa in antidotis plurima percipimus, quæ ex serpentibus, & ex alijs quæ execramur, animantibus assumpta esse non dubitamus. Quod ergo infirmo qualiscumque medicina, hoc fame pereunti qualiscumque esca. Et sicut abominandus non est infirmus artificiali refectus sanguine & cadauere aliquorum reptilium; sic nec fame tabidus, si sanguine & suffocato naturaliter sustentat miserabiles artus, potens etiam ad litteram cum beato Iob [n] dicere: Quæ prius tangere nolebat anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt. [o] Omnis enim creatura Dei bona, & nihil reijciendum quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.

OB SCANDALVM NON OB IMMVNDITIAM ILLICITA.
l *Ibidem.*
m *Psal. 73.*
n *Iob 6.*
o *1. Tim. 4.*

Et vos peregrinos egenos, & pauperes Christi nec inter Gentiles computatis, quibus nihil

Universidad de Deusto
Biblioteca

nihil est mundum, quia aliquando qualicumque cibo retinent a Deo sibi datum præ- A
sentis vitæ munus. Quare non potius signatas arcas pecuniæ, & promptuaria eructan-
tia, ex hoc in illud aperitis, & dispergitis pauperibus, vt iustitia vestra maneat in æter-
num, & iam non sit eis necessitas præsumere cibum insolitum? Nunc autem vsuris &
VIVE IN CIBO DIVERSO. oppressionibus miserorum ditati & elati calumniamini, si egens omnium sustentetur
aliquo, quod vos impinguati & crapulati abominamini, non attendētes Dominum [a]
a Matth. 9. misericordiam malle quam sacrificium. Qui primo mensis hominum post cataclys-
mum admouit omnia, deinde certæ significationis gratia vsque ad tempus remouit
aliqua, quasi immunda, cum vtique cuncta fecerit valde bona, & rationalis creaturæ
vitium abominabile sit apud eum, non quælibet irrationalium creatura rerum. Volun-
tas quoque hominum aliquando sibi quædam vendicat, aliquando alienat, ceu Ro-
mani paucis annis ante magnum Constantinum porcinæ carnis esum per Aureliа- B
num Imperatorem sibi vendicarunt. Et Græci nunc vsque vrsinam alienarunt. Et
certe si humanum iudicium super his interrogetis, immundior erit porcus reptilibus,
sordibus atque olido consuetus viuere cœno, quam vrsus saginatus glande, & reliquo
suo pabulo. Sed siue vos, siue nos, quod a maioribus nostris accepimus, aut vsu te-
b Rom. 14. nemus, comedendum sic obseruemus, [b] vt is qui non manducat, manducantem non
spernat, & qui manducat non manducantem non iudicet.

Considerate tamen ad quantam stultitiā deuoluta sit vestra sapientia, quæ cum ab
c 1. Tim. 1. hominibus exquirere deberet finē præceptorum Dei, [c] id est charitatem de corde puro,
& conscientia bona, & fide non ficta; hoc solum exquirendum putat, an aliquādo co-
mederunt carnem vrsinam. Cuius vsum quamuis nō admittatis, admittentibus tamen
pro crimine reputare non debetis, quibus Euangelica & Apostolica auctoritas omnia C
edenda constituit. Nec hoc dicentes suffocatum, & sanguinem nobis contra vos de-
SVFFOCATA HAVD PASSIM CONCESSA. fendimus. Antiquam enim consuetudinem, seu traditionem maiorum nostrorum dili-
genter retinentes, nos quoque hæc abominamur, adeo vt sanguine vel quocumque
morticino, aut aquis, seu quacumque negligentia humana præfocato apud nos ali-
quando vescentibus absque extremo periculo vitæ huius, pœnitentia grauis impona-
tur: pro eo maxime, quia antiquas consuetudines & traditiones maiorum, quæ non
sunt contra fidem, leges Apostolicas arbitramur. Nam de ceteris, quæ aucupio, aut
d 1. Cor. 19. canibus, seu laqueo venantium moriuntur, Apostoli [d] præceptum sequimur: Omne
quod in macellum venit manducate, nihil interrogantes propter conscientiam: Do-
mini est terra, & plenitudo eius. Quod etiam ad conuiuium Gentilium vocatis con-
e Id. 10. cessit dicens: [e] Si quis vocat vos Infidelium ad cœnam, & vultis ire, omne quod vo- D
bis apponitur manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Dominus quo-
f Marc. 10. que pro mercede prædicatoribus suis prouidens alimoniam dixit eis: [f] In domo reci-
pientium vos manete edentes & bibentes quæ apud illos sunt: Ecce Dominus non
dixit, quædam apud illos comedite, sed indifferenter quæ apud illos sunt.

NON CIBVS SED SCANDALVM VETITVM. Quapropter omnis homo, scientiam habens, si simpliciter edit & bibit, quidquid
in macellum venit, aut quod sibi apponitur, nullatenus est culpandus, quasi inde ali-
quam immunditiam conscientiæ suæ contrahat, quia non quod intrat in os, sed quod
procedit de ore, coinquinat hominē, nec esca aliqua est in vitio, sed immoderatus ap-
petitus. Verum ne scandalizetur frater infirmus in fide, qui putat aliquid commune
vel immundum esse, si quis dixerit, hoc suffocatum est, vel morticinum, non est co- E
g 1. Cor. 10. medendum, vt Apostolus de Idolothyto ait: [g] Si quis dixerit, hoc immolatum est
idolis, nolite manducare propter eum qui indicauit, & propter conscientiam. Con-
scientiam autem dico non tuam, sed alterius. Multa siquidem vsu, aut traditione
maiorum ita obseruamus, vt aliter facientes omnino abhorreamus, sicut est non lo-
b Matth. 15. tis manibus manducare. Quod quamuis iuxta sententiam [h] Veritatis non coinquinet
hominem, tamen velut immundum exhorrere solet homo hominem non lotis mani-
bus manducantem.

Sed forsan dicturi estis, non solum in veteri, sed & in nouo Testamento ab Apostо-
i Act. 15. 21. lis [i] traditum Gentibus, vt abstineant a sanguine, & suffocato. Nec nos nescimus:
tamen pro loco & tempore nonnulla carnalia veteris legis mandata Apostolos obser-
uasse scimus; quando adhuc quasi in quodam matutino crepusculo tenebræ & lux con-

A confligebant, & intuentium oculos nunc huc nunc illuc reducebant.

Sic Apostoli in Iudæa commorati aliquādo claritate Euangelij expergefacti ab vm-
bra legis recedebant; aliquando necessitate vel consuetudine torpentes in eam recide-
bant. Denique [a] sorte associarunt sibi Matthiam, & templum, in quo adhuc sanguis a Act. 1.
animalium offerebatur, orationis gratia frequentabant. Ipse quoque vertex Apostolo-
rum Petrus [b] modo cum Gentibus edebat, modo ab eis timens Iudæos se subtrahebat. b Gal. 2.
Cuius coapostolus Paulus quamuis dixerit Galatis, [c] si circumcidamini, Christus vo- c Ibid. 5.
bis nihil proderit; tamen dilectum discipulū propter subintroductos falsos fratres cir-
cumcidit, [d] & cum alijs purificatus in templo [e] sacrificium legis exhibuit. Sed vbi ab d Act. 16.
angustijs Iudææ exclusi amplitudine Gentiū fuere potiti, mox quasi catenis seruitutis e Ibid. 21.
palam erepti, quotquot ad spiritualem gratiam attrahebant, a carnalibus cerimonijs
B legis auertere non cessabant. Quod proculdubio ex præcedentibus & subsequentibus
verbis Pauli intelligitur, vbi sic protestatur: Spiritus [f] manifeste dicit, quia in nouis- f 1. Tim. 4.
simis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis
dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam
conscientiam, prohibentium nubere & abstinere a cibis quos Deus creauit ad perci-
piendum cum gratiarum actione Fidelibus, & his qui cognouerunt veritatem, quo-
niam omnis creatura Dei bona, & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione
percipitur: Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.

Ecce tantus Apostolus raptus vsque ad tertium cælum, & in ipsum Paradisum [g] ait g Tit. 1.
omnia munda mundis, & nihil reijciēdum quod cum gratiarū actione percipitur, quia
per verbum Dei & orationem sanctificatur: & vos qui estis, qui attendentes spiritibus
C erroris & doctrinis dæmoniorū in hypocrisi loquimini mendaciū, scripta Latinis po-
pulis destinantes, vt relinquant mandata Dei, & quæ grauiora sunt legis, iudicium sci-
licet & misericordiam, & fidem, & sequantur traditiones, & opiniones vestras, quasi
vsque nunc nullos habuerint prædicatores ac patres, & necesse habeant a vobis doce-
ri, quæ sint elementa sermonum Dei? Nempe inter alia velut ignaros omnium cona-
mini instruere quid & qualiter præparatum comedāt, & eos asseritis nec Gentiles esse
nisi obaudiant, quia vt dicitis Gentiles occidunt, aut plagantes comedūt, quasi Latini
soliti sint animalia viua, aut integra comedere. Numquid archimagiri omnibus na-
tionibus delegati estis? Etsi forte alicui fame deficienti omne obsonium, vel victus desit,
auis autem aut ouis adsit, sed ferrum absit, satius erit eum inedia deficere, quam quo-
uis ingenio ea mactare & comedere? Itaque doctrinis varijs & peregrinis nolentes
D abduci scimus & confidimus in Domino IESV, quia nihil commune per ipsum nisi
ei, qui existimat, quod commune esse illi commune est, sicut Paulus docet [h] dicens: h Hebr. 13.
Optimum est gratia stabiliri cor, non escis; quæ non profuerunt ambulantibus in eis.
sed iam insistamus reliquis.

Constantinopolitanus.

Etenim Alleluia in Quadragesima non psallitis, sed semel in Pascha tantummodo,
quod interpretatur Dominus venit, laudate, hymnum dicite, & benedicite eum.
Ergo secundum hoc, neque Laudate, neque, Benedictus qui venit, psallitis. Et istud
vero Alleluia Hebraice dictum est.

Romanus.

Scimus Alleluia Hebraice dictum, & Latine interpretari Laudate Deum, sed quod
E etiam, Dominus venit, aut, Benedictus qui venit, interpretetur, nescimus, nec nisi a
vobis hactenus audiuimus. Porro ipsum Alleluia non sicut calumniamini, solummo-
do in Pascha cantamus, sed omnibus totius anni diebus, exceptis nouem hebdomadi-
bus, quibus id intermittere a Patribus nostris accepimus, scilicet quibus negligentias
aliorum temporum diluere attentius debemus. Sicut enim quondam populus Israel
in eremo peccatum idololatriæ in seipso puniturus, & Niniuitæ pœnitentiam in præ-
dicatione Ionæ acturi omnem ornatum suum, & delitias deposuerunt, & saccum, &
cinerem sibi imposuerunt, nec tam peregrinis verbis ac exquisitis seu dulcisonis me-
lodijs, sed propriis sermonibus & incompositis, siue amaris ciulatibus ad Dominum
clamauerunt: sic & venerabiles Patres nostri agere consueuerunt, & nobis agen-
dum censuerunt. Vnde ornamenta & diuitias linguæ tempore quadragesimali de-
ponentes, paupertinum habitum nostræ linguæ nobis imponimus, & stulti facti

pro-

Universidad de Deusto
Biblioteca

propter Christum, nihil nos scire iudicamus nisi ipsum crucifixum. Cuius districtum A
præ oculis habentes Iudicium, vinculati, & grauati peccatis, tamquam idiotæ vix au-
a Eccles. 15. demus vel in nostro idiomate interpellare Deum. Nam ex libro Sapientis [a] didicimus,
quia non est speciosa laus in ore peccatoris. Et tamen tunc iugiter hymnum dicimus
Domino, atque Benedictus qui venit, psallimus, & omnem creaturam ad laudem
eius die noctuq. inuitamus, dicentes: Laudate Dominum, sed vt prædiximus patria
voce. Tunc quoque alium angelicum hymnum intermittimus, ideſt, Gloria in ex-
celsis Deo. Denique hi duo solummodo hymni ab Angelis in nouo Testamento in-
b Apoc. 19. ueniuntur decantati, Alleluia scilicet, [b] atque Gloria [c] in excelsis Deo. Quos pariter in
c Luc. 2. Septuagesima intermittimus, quia peccato veteris hominis a conuentu angelicæ iu-
d Psal. 136. bilationis expulsi, in huius miseræ vitæ Babylone super flumina [d] eius sedemus, & fle-
mus dum recordamur illius Sion, in qua Deum decet hymnus, dicentes aduersarijs B
nostris: Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Siquidem vetus
homo, vetus & nouum canticum cantare potest, donec post hanc laboriosam vitam,
quæ significatur per Quadragesimam, renouetur in agnitione secundum imaginem
eius, qui creauit eum per resurrectionem IESV Christi ex mortuis.

Nec tamen Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, in Quadragesima
omittimus, quam iussit hymnus angelicus, & in nouo Testamento decantatus: quia
& in veteri prius fuit dictus, fidem videlicet perfectam Patrum humiliter Deo offerés,
nullum autem meritum bonæ operationis eorum attollens. Sic & nos interim in hac
nostræ peregrinationis Quadragesima scientes nos per fidem, & non per speciem am-
bulare, de sola fide apud Deum præsumimus simplici confessione dicentes, Sanctus,
Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, cui de operibus diffidentes cum Psalmista C
e Ibid. 142. proclamamus: [e] Non intres in iudicium cum seruis tuis, quia non iustificabitur in
conspectu tuo omnis viuens.

RATIO REDDITVR DE TVNC OMISSI ALLELVIA.

Quod autem nouem hebdomadibus Alleluia intermittimus, non incongrue per
nouem hebdomadas nouem ordines Angelorum accipimus, quorum decimus or-
do per superbiam corruens angelicum numerum imminuit, & felicitatem perturba-
uit. Qui condolentes suæ diminutioni, & parem ruinam timentes sibi, a perfecta
laude Creatoris fuere præpediti. Quorum recuperationi, & consolationi consu-
lens omnipotens Creator, primum hominem de limo terræ formauit; qui sui gene-
ris multiplicatione damna cælestis patriæ resarciret, atque Angelorum gaudia sup-
pleret. Qua spe angelicus chorus admodum exhilaratus, nec mora ex lapsu ipsius
hominis fuit conturbatus, vnde ille nouem ordinum concentus in laude Creatoris re-
mansit imperfectus, donec in Christo resurgente resurrexit prolapsus ille Protopla- D
stus, ille augmento sui collegij, & meliori spe angelicus exercitus gauisus in nouum
Alleluia consurrexit totus, & in eo perstat deuotus. Quem & nos pro modulo nostro
imitantes, a Septuagesima, quando lapsus Protoplasti in Ecclesia recitatur, Alleluia
nouem hebdomadibus intermittimus, scilicet in Pascha, vbi Christus resurgens a mor-
tuis tristitiam nostram in gaudium vertit, & Alleluia reddit. Quod vtique si non ali-
quando Latina Ecclesia decantaret, reprehendi a vobis non deberet, cum tamen in
sua lingua laudem Domini personaret. Nunc quæ sit ista vestra superbia miramur,
quæ latrat Latinos non pertinere ad Deum; si Hebraice aut Græce non persoluant ei
hymnum & debitum officium, cum etiam Latina lingua principaliter confiteatur, E
quia Dominus IESVS Christus in gloria est Dei Patris. Ipsa quidem cum Hebræa &
Græca titulum crucifixi Domini compleuit, & quæ erat nouissima, facta est prima,
ferro & fide vsque ad aduentum maligni Antichristi, & benigni IESV Christi, defen-
dens sibi terrenam & cælestem potestatem. Hinc iam diu calumnijs vestris reluctari
breuiter attingimus intentionem vestri epilogi.

Constantinopolitanus.

VTILIS INCREPATIO.

Cur tantam deceptionem horum talium non aspicitis, nec intelligitis, neque cor-
rigitis populos, & vosmetipsos, sicuti qui debent iudicari a Deo? Non derelinquitis,
quod dicitur, quoniam hoc Petrus, & Benedictus, & Paulus & ceteri docuerunt?
Decipitis vosipsos, & populum in istis. quæ vero scripsi, ea sunt quæ Petrus, & Pau-
lus, & ceteri Apostoli, & Christus docuit, & sancta atque Catholica Ecclesia suscepit,
& custodit religiose, quæ & vos correcti custoditc.

Romanus.

A *Romanus.*

Sicut sufficienter monstratur superius, conuerso ordine, & versa vice procederent
hæc rectius, scilicet si vos seductos, & seductores mature iudicandos a Domino dice-
remus; quia volentes esse doctores, nec intelligentes quæ loquimini, neque de qui-
bus affirmatis, sanctorum Apostolorum & Catholicorum puram doctrinam humana
præsumptione fermentatis, omnino decipientes vos, & alios in istis. Quæ autem
nunc vobis scripsimus, Christus docuit, & Apostoli ipsius, quæ ab eis, & a sanctis Pa-
tribus sancta & Catholica Ecclesia suscipiens, religiose obseruat hactenus, quæ & vos
correcti obseruate, si non vultis a Christo anathema esse.

S. BENEDICT. DEFENDITVR A GRAECORVM CALVMNIA.

Porro Benedictus monachorum pater egregius in nullo a vobis est detrahendus;
quia fide, doctrina, & vita præcipuus, nec ad dexteram, nec ad sinistram aliquando
B declinauit a recta via, nec terminos, quos patres posuerunt, est transgressus, nec leo-
pardum curauit definire, sed regulam discretione præcipuam cœnobitis tradere. In
qua etsi constituit esum carnium infirmis, & semoralia in itinere positis: absit tamen
vt arbitraretur hæc duo peccata esse fornicationē, quam quidam vestratium adeo sibi
defendunt, vt publice profiteri nec erubescant, nec metuant tale esse fornicari, quale
est, quolibet pomo refici. Vnde & fornicantes Sarabaitas venerantur, semoralibus ve-
ro & carnibus in necessitate vtentes cœnobitas omnino detestantur. Sed quod dicit
Propheta: [a] Væ his, qui dicunt bonum malum, & malum bonum. Numquid vas ele- a Isai. 5.
ctionis beatus Paulus alicubi infit; neque carnibus aut semoralibus vtentes regnum
Dei possidebunt, qui tamen plerisque locis vehementer inculcat, dicens: [b] Nolite er- b 1. Cor. 6.
rare, neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque ma-
C sculorum concubitores regnum Dei possidebunt, ideſt, fornicatores, & adulteros iu-
dicabit Deus. Et omne peccatum quodcumque fecerit homo extra corpus est; qui
autem fornicatur, in corpus suum peccat. sequitur.

Constantinopolitanus.

RVRSVM DE EADEM.

Azyma vero, & custodias sabbatorum proijcite miseris Iudæis, similiter & suffoca-
ta barbaris Gentibus, vt fiamus puri omnes in immaculata & recta Fide, & vnus
grex vnius Pastoris Christi. Cuius in cruce diuino sanguine inebriati, laudamus puri
pure Patrem & Filium & Spiritum sanctum, vniuersa Mosaicæ legis, & ab eo custo-
dira derelinquentes sine Deo Iudæis, qui velut cæci perquirentes Christum, lumen
amiserunt, permanentes in vmbra sicut insipientes perpetuo.

Romanus.

REDARGVTIO EX ANTEDICTIS.

D Superius monstrauimus copiose nec sabbata, vel azyma nos Iudaice obseruare, nec
suffocata gentiliter manducare, sed Apostolicam Catholicamq. Fidem principaliter
retinere, nec procaciter refugere, sed humiliter confugere ad vnum vnius summe boni
pastoris ouile, qui posuit animam suam pro ouibus suis; quas vocem suam non alie-
norum recognoscentes, & sequentes, carne sua instanter cibat, & sanguine potat, vt
corde, ore, & opere collaudent sanctam & indiuiduam Trinitatem. Vnde super om-
nia dolemus veteres auras vestro de pulmone hactenus non potuisse reuelli, de quibus
in Actibus Apostolorum dicitur: [c] Athenienses ad nihil aliud vacant, nisi ad dicere c Act. 17.
aut audire aliquid noui. Sed iam profanas vocum nouitates deuitando, veterem pel-
liculam quantocyus abijcite; ne quod absit, dicatur vobis sponsi voce: [d] Si ignoras te, d Cant. 1.
egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hœdos tuos. Illos scilicet quos ipse
E Pastor in fine a sorte humilium ouium separat, quia lasciui & petulci hic se in super-
bia exaltare non cessant.

Deinde si vniuersa Mosaicæ legis relinquimus Iudæis, nulla honestas, aut sanctitas
remanebit nobis, ceu ex superioribus recolere potestis. Relinquantur ergo eis sola car-
nalia mandata, & sanctum sæculare, in quibus cæci quærunt, quod inuenire nequeunt,
dum vmbram sectantes, exulant a luce, in qua vmbra numeratur & sabbatum vestrū,
Apostolo dicente: [e] Nemo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut e Coloss. 1.
Neomeniæ, aut sabbatorum: quæ sunt vmbra futurorum. Porro sicut sine Deo sunt
Iudæi, sic & omnes hæretici. Verum ne quid sit minus, quod sequitur attendamus.

Constantinopolitanus.

Hæc autem, homo Dei, multories & ipse cum populo agnoscens docuisti eos, &
correctus scripsisti multis talem consuetudinem habentibus; & vt habeas salutem

Universidad de Deusto
Biblioteca

ADMONITIO AD EPISC. TRANEN.

animæ tuæ, mitte principibus sacerdotum & sacerdotibus; & adiura, vt per hæc seipsos corrigant, & populum, vt mercedem & in istis habeant: & si hoc feceris, propono & per secundam scriptionem maiora & perfectiora his scribere tibi fidei veraꝝ ostensione, & firmamento animarum, pro quibus Christus posuit animam suam. A

Romanus.

O viri cordati, perpendite hic, & cauete hæreticorum callidam subreptionem, qui per benedictiones, & dulces sermones seducunt corda innocentium. Ecce hic specialiter Tranensem Episcopum Ioannem, cui talia scripsistis, alloquentes, oleo peccatoris caput eius impinguare satagitis, dicentes: Hæc autem, homo Dei, multoties cum populo agnoscens, docuisti eos, & correctus scripsisti multis similem consuetudinem habentibus. Sed nos e contrario per Salomonem dicimus vobis: [a] Os quod mentitur occidit animam. Neque enim præfatus Episcopus correctus a vobis aliquando talia populum docuit, aut cuiquam super his scripsit. Quod si fecisset, correctus a nobis fuisset, cum corruptus non autem correctus a vobis talia præsumpsisset. Sed ille qualiscumque sit in opere, sanus tamen extitit in orthodoxa Fide iuxta capacitatem suæ intelligentiæ. Vnde nullis vestris susurrationibus acquiescens adhuc, persuaderi non potuit, vt alicui sacerdotum has vestras nænias pro correctione illorum & populi cum adiurationibus mitteret, & ipse non solum nullam mercedem in his haberet, sed insuper gradus sui periculum incurreret. Cui etiam, si vobis in vestris nugis obediat, aliud mercedis repromittitis, scilicet vos secundo scriptum ire maiora & perfectiora his vera fidei ostensione, ac firmamento animarum, pro quibus Christus posuit animam suam. B

a Sap. 1. REDARGVITVR MENDACIVM SCRIBENTIS.

HAERETICIS PERSIMILES ARGVVNTVR.

In quibus plane promissis antiquum ritum hæreticorum retinetis, quorum sermo sicut cancer serpendo pollicetur curiosis fastigium perfectæ scientiæ, vt pertrahat ad barathrum extremæ stultitiæ. Quorum vanitatem sapientia Dei per Salomonem proprie demonstrans, dicit: [b] Mulier stulta & clamosa, plenaq. illecebris, & nihil omnino sciens sedet in foribus domus suæ in excelso vrbis loco, vt vocet transeuntes per viam, & pergentes itinere suo: Qui est paruulus, declinet ad meꝝ. Et vecordi loquuta est: Aquæ furtiuæ dulciores sunt, & panis absconditus suauior. Et ignorauit quod gigantes ibi sint, & in profundis inferni conuiuæ eius. Hic plane hic efficax depictor vestri: qui maiora, & perfectiora ad ostensionem fidei, & firmamentum animarum pollicemini, inuitando paruulos & vecordes ad aquæ furtiuæ dulcedinem, & panis absconditi suauitatem. Vere omnino aqua furtiua est, in quaꝝ rebaptizatis Latinos Catholice baptizatos, quod nullus Catholicus adhuc præsumpsit, scilicet, vt rebaptizaret aliquos in nomine sanctæ Trinitatis ab ipsis etiã hæreticis baptizatos. C D

b Prou. 9.

GRAECORVM REI REPREHENSIONE MAXIME DIGNAE.

Vere omnino nescio, ad quem panẽ absconditum inuitatis, quando viuifica & terribilia sacramenta corporis & sanguinis IESV Christi profanis pedibus cõculcatis. Hæccine sunt illa maiora, & perfectiora, vt si tãta oblatio imponatur altari, quãta nequeat a ministris, vel a populo sumi: idcirco debeat subterrari, aut in puteum ad hoc præparatum proijci? Hæccine quoque sunt illa maiora, & perfectiora, vt nouus maritus, & recenti carnis voluptate reuolutus, & totus marcidus Christi ministret altaribus; & ab eius immaculato corpore sanctificatas manus confestim ad muliebres transferat amplexus? Hæccine sunt illa perfectiora, vt mulieribus Christianis in partu, vel in menstruo periclitantibus communio denegetur? Aut paganis baptismus interdicatur? Et paruulis morituris ante octo dies regeneratio per aquam & Spiritum sanctũ subtrahatur? In quo vtique crudeliores Herode, non tantum in corpore, sed & in anima quotidie trucidatis paruulorum innumerabilem populum, & destinatis ad ignem æternum. Numquid etiam inde est, quod hominis morituri imaginem affigitis crucifixæ imagini Christi, ita vt quasi quidam Antichristus in cruce Christus sedeat, ostendens se adorandum tamquam sit Deus? Numquid & illud inde est, quod peius sit monachos femoralibus indui, & carnibus vesci, quam fornicari? Ideone clauditis ecclesias Latinorum, & dirigitis scripta per totum mundum, vt ad hæc maiora & perfectioraꝝ pertrahatis omnem Christianum populum? Non sunt hæc talia ostensio veræ fidei, sed adinuentio diaboli, nec sunt firmamentum, sed destructio animarum. Pro quibus omnibus, & alijs, quos longum est scripto prosequi, erroribus, nisi resipueritis, & digne satisfe- E

A satisfeceritis, irreuocabile anathema hic & in futuro eritis a Deo, & ab omnibus Catholicis, pro quibus Christus animam suam posuit.

Incipit Niceta cognomento Pectorati magni tunc nominis viri apud suos, presbyteri & monachi monasterij Studij libellus contra Latinos editus, & oblatus Apocrisarijs Apostolicæ Sedis Constantinopoli, sed confutatus ab eodem Humberto Cardinali Legato.

NICETA monachus & presbyter monasterij Studiorum, qui prænominatur Pectoratus, Romanis de azymis, & sabbatorum ieiunijs, & nuptijs sacerdotum.

Bona est dilectio ad proximum, o omnium gentium sapientissimi & nobilissimi Romani. Ex habitudine enim dilectionis ad proximum, & humilitas abundat ad
B eum qui habet illam. Ipsa autem abundans effecit participem sui omnia diligereꝝ, omnia sustinere, vt ait diuinus Apostolus, [a] & non inflari aduersus proximum suumꝝ aliquando, neque ea quæ ipsius solius sunt quærere, aut zelum habere aduersus eum, & altercationem, & æmulationem: omnia enim hæc dilectionem persequuntur, & humilitatem, & faciunt hominem non secundum Deum ambulare, sed secundumꝝ hominum libitum. Quod & Paulus arguit, dicens: [b] Cum sit inter vos zelus, & contentio, & discordia, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis? Propter quod rogo vestram charitatem humiliari vos propter Dei præceptum, & audire a nobis indignis & minimis. Requirentes enim sæpissime ab illis, qui ex diuersis prouincijs Romanorum peregrinantur huc. De azymis quid dicemus? De his in dilectione Christi hæc ad vos:

a 1. Cor. 4.

CHARITATEM COMMENDAT.

b Ibid. 3.

C Qui azymorum adhuc participant, sub vmbra legis sunt, & Hebræorum mensam comedunt, nõ autem rationalem & viuam Dei mensam, & nobis, qui credidimus, supersubstantialem, quemadmodũ superius exigere supersubstantiale docti sumus panem. Quid enim est supersubstantialis, nisi quia nobis est consubstantialis? Alter autemꝝ nullus est nobis consubstantialis panis, sed corpus Christi, quod consimile nobis est secundum carnem humanitatis ipsius. Si autem animata est nostræ massæ subsantia, qua Verbum induit se: ergo non consubstantialem nobis panem comeditis, quia azymorum participamini. Azyma enim inanimata sunt, sicut ipsa rerum natura declarat, atque liquidius edocet. Intermixtum enim modicum fermentum in farinaꝝ, & commixta sibi ipsa vnam efficit seipsam propter fermentum viuifica quadam virtute, & calefacit eam, & mobilem quasi viuam operatur, quod in azymo fermento
D Pharisæorum, quod effugere nos sermo admoneat, [c] neque effectum est aliquãdo, neque fiet omnino. Diuinæ enim effecti sumus participes naturæ, cuius & participamur quotidie, qui communitatem habemus cum Christo, sicut dicit & Petrus vertex: [d] Gratia vobis & pax multiplicetur in cognitione Dei, & IESV Domini nostri. & post pauca: Vt per eam efficiamini diuinæ participes naturæ, non autem fermento azymo interfectorum Dei. Diuinam autem naturam quis qui rationis est dominus, dicet aliquando azymum & mortuum fermentatum Iudæorum, quod in sacrificio vos Deo offertis, quod in figura viuæ carnis Domini comeditis? Quomodo communitatem habebitis cum Christo viuente Deo, mortuum, vt dictum est, & infermentatum fermentum comedentes legis vmbræ non noui Testamenti? Si enim & hoc dixeritis, sed non sic se habet. Inquit enim dilectus Christi Discipulus: [e] Si dixerimus quia
E communitatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus: mentimur, & non facimus veritatem; si autem in lumine ambulamus, sicut ipse est in lumine, communitatem habemus ad inuicem, & sanguis IESV Christi purificat nos ab omni peccato. Qui ergo azyma comedit, in tenebris legis ambulat, & quomodo habebit societatem cum Christo, qui est in lumine noui sui Testamenti, & gratiæ? Nam qui in luminеꝝ ambulant, gratiæ panem comedunt, qui est corpus Christi, & bibunt sanguinem immaculatum eius, & ita habent ad inuicem, & cum Christo societatem, purificati, sicut dictum est, ab omni inquinamento. Azymum autem non est panis, neque enim compositus, neque per seipsum perfectus est, sed indigens, semiq. perfectus, indigens plenitudine fermenti. Panis autem compositus per seipsum perfectus est, & plenissimus, sicut ille, qui totum habet in se ipso plenitudinis. Animaduertite, & attendite, quia in azymis nulla est viuens virtus, mortua enim sunt. In pane autem, hoc est,

ADVERSVS LATINORVM AZYMA.

c Matth. 16.

d 1. Petr. 1.

e 1. Ioan. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

corpore Christi, tria sunt viuentia, & vitam præbentia eis, qui ea digne comedunt: A
spiritus, aqua, & sanguis, ceu & ipse qui super pectus Christi in cœna recubuit Ioan-
a 1.Ioan.5. nes cotestificatur in eo verbo: [a] Tres sunt qui testimonium dant, spiritus, aqua, & san-
guis, & hi tres in vno sunt, videlicet in corpore Christi, quod & secũdum tempus Do-
minicæ crucifixionis declaratum est, cum aqua & sanguis ex immaculata costa ipsius
b Ioan.19. effluxit lancea percussa carne ipsius, [b] sanctus autem Spiritus viuificusq. in deificata
carne eius permansit. Quam comedentes in pane, qui immutatus est per spiritum,
& effectus corpus Christi, viuimus in ipso, tamquam viuam, & deificatam carnem
edentes. Sic autem & sanguinem viuum & calidissimum eius bibentes cum effluente
aqua ex immaculata costa eius, mundamur ab omni delicto, feruẽti replemur spiritu.
Calidum enim, vt videtis, velut ex latere Domini calicem bibimus, quia ex viua car-
ne & calida spiritu Christi calidissimus nobis sanguis & aqua emanauit: quod in eis B
qui azyma comedunt, nequit fieri. Si autem mortuum infermentatum comeditis, o
sapientissimi, vt sermo declarauit: cuius rei gratia gloriamini, dicentes, quia non sicut
vos, sale & fermento, & aqua farinam temperamus, & sic facimus oblationem
azymorum nostrorum, sed aqua sola & farina, & igni azymum conficimus, & in tri-
bus his puram facimus nostram oblationem?

ABVTITVR VERBIS IOANNIS. c 1.Ioan.5. Percunctamur igitur vos, hæc tria, aquam, & farinam, & ignem ad quid accipitis,
& cuius effigiem esse hæc æstimatis? Carnis Domini? sed non inquit dilectus Christo
Ioannes: [c] Tres sunt, qui testimonium perhibent, aqua, & farina & ignis. Sed quid?
spiritus, & aqua, & sanguis, & hi tres in vno sunt videlicet corpore Christi, vt dictum
est, quod nos comedentes vnimur incarnato propter nos & immolato Christo, con-
corporati ei, velut caro eius sumus ex carne ipsius, & os ex ossibus eius, sicut scriptum C
est. Si autem ad increatam & incorpoream naturam sanctæ Trinitatis assumitis, er-
ratis, cadentes in hæresim eorum, qui asserunt Deum passum, qui dicunt compassum
fuisse carni, & eamdem ipsam deitatem sustinuisse passionẽ. Non enim pariter Tri-
nitas incarnata est, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, vt conspiciantur in ea hæc tria,
aqua, vt dicitur, & farina, & ignis, & vt in figura ipsius faciatis azymum, & sacrificium
offeratis, sed vnus ex Trinitate Filius & Verbum Dei incarnatum est, ex castissimis
sanctæ Virginis carnibus homo effectus, & omnia ordinationis suæ perficiens crucifi-
xus est carne, non passa diuinitate ipsius. Carne igitur crucifixus, tradidit nobis ede-
d Matth.26. re per panem carnem suam, quam in Spiritu sancto ita viuam dicimus: [d] Accipite co-
medite, hoc est corpus meum, quod pro vobis fractum est in remissionem peccatorũ. D

MALE PVTAT ABVTI SCRIPTIS PAVLI LATINOS. e 2.Cor.5. Quid ergo vobis in Christo fratribus nostris, & legi, quæ maledicta est in Christo, quo-
niam adhuc azymum infermẽtatum eius comeditis? noua creatura sumus in Christo,
vetera transierunt. Paulum audite dicentem: [e] Ecce facta sunt omnia noua. si autem
hæc comedere decernitis iustum: cur non & circumcidimini? Christus circumcisus
est. Cur non & purificamini? Paulus etiam & hoc fecit. Et alia omnia similiter ser-
uate veterum, sicut & ij qui ea quæ legis sunt faciunt, per quos nomen Dei in Genti-
f 1.Cor.5. bus blasphematur, sicut scriptum est: [f] Non bona est gloriatio vestra. Vt & ego ea
g Ibidem. quæ Pauli sunt, loquar ad vos: Nescitis, inquit, [g] quia modicum fermentum totam
massam corrumpit? & panis tandem non azymum efficitur? Sed quid hoc dicens
h Ibidem. Apostolus, scribit ad Corinthios: [h] Nescitis quia modicum fermentum totam massam
corrumpit? Numquid vt vos, æstimatis dicere de celebratione, quam vos in azymis
celebratis? nequaquam. Sed quoniam illi hoc quidem despiciebant; quod aliquis E
nouercam acceperat, & in antiquis consuetudinibus falsæ scientiæ suæ gloriabantur.
Volens autem eos conuerti Paulus, & ex vetere renouare malitia, velut per simili-
tudinem hanc fermenti, dico, & massæ ostendit eis, quoniam vnum malum tam-
quam modicum contemptum, magnam in toto corpore Eccleſiæ faciat læsionem.
i Ibidem. Propter quod, inquit, adijciens: [i] Et non luctum habuistis, vt auferatur de medio
vestri, qui hoc opus operatus est. Potest enim, inquit, iniquitas ista ad omnes vestras
vrbes transire, & tamquam modicum fermentum totam massam fermentat, sic omnes
apprehendere & fermentare, & vnam massam maioris iniquitatis operari. Expurgate
k Ibidem. inquit, [k] vetus fermentum peccati, tollite hunc ex medio vestri, vt efficiamini Christo
noua conspersio, sicut estis baptizati, idest azymi, & puri mortificati mundo, & de-
siderijs carnis. etenim Pascha nostrum hoc est. quoniam, vt eriperet nos ex iniqui-
tate

A tate ac morte, immolatus est Christus. Qua de re inquit: [a] Epulemur, non in fermen- a 1.Cor.7.
to veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & verita-
tis, hoc est puræ vitæ & fidei, qua in Deum credimus, & veraces oratores eius efficia-
mur. Sic & magnus Gregorius Theologus hoc verbum accepit, & ita est.

APOCRYPHIS ABVSI CANONIBVS. O sapientissimi, ea quæ mentis Apostolicæ locutionis sunt intelligite, & non quem-
admodum hoc vos accipitis de azymorum festiuitate & participatione. Si enim de
azymis, & de celebratione eorũ Corinthijs Paulus [b] præcepisset, & eos in azymis epu- b Ibidem.
lari iussisset, non promulgasset cum vndecim, & omnem reducẽs Ecclesiam Fidelium
in ordinẽ in septuagesimo canone cum excõmunicatione præcepisset omnibus, huius-
modi causam a Iudæis nullatenus accipi: Si quis Episcopus, aut presbyter, aut diaco-
nus, aut omnino ex numero clericorum ieiunauerit cum Hebræis, aut epulatus fuerit
B cum eis, & acceperit festiuitatum eorum munera, vt sunt azyma, aut aliquid huius-
modi, deponatur: si autem laicus, sequestretur. Si autem dicitis, quia ab Hebræis non
accipimus, sed domi facere consueuimus. cur hoc? Siue ab illis accipiatis, siue domi fa-
ciatis, azyma sunt. Et iuxta hoc grauiorem pœnam habebitis, quoniam relinquitis
agere quæ iussa sunt vobis a Christo & ab Apostolis ipsius, facientes velut illi, qui sub
seruitute legis sunt, qualia Iudæi faciunt, in vmbra & tenebris legis sedentes, nullate- c Ibidem.
nus dicenti Paulo credentes: [c] Fratres vnusquisque in eo ordine, in quo vocatus est, in
ipso permaneat. Non enim inuenietis omnino in diuina Scriptura, quoniam azymũ
dictum sit a Christo, aut Apostolis eius cum administraretur ab illo noui Testamen- d Ibid.10.
ti mysterium. Paulus enim Corinthijs scribens dixit: [d] Discernere vos oportet calicẽ
benedictionis, quem benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Pa-
C nem quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est? Quoniam vnus pa- e Ibid.11.
nis, vnum corpus multi sumus: etenim omnes ex vno pane participamur. & iterum: [e]
Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis. Quoniam Dominus IESVS in
qua nocte tradebatur accepit panem: accepit panem & non azymum, & benedicens
fregit & dixit: Accipite & comedite, Hoc est corpus meum, quod pro vobis frange-
tur, Hoc facite in meam commemorationem. Et non semel dixit panem, sed etiam
sæpe.

Et non hic solus dixit, sed & ceteri Apostolorum. Et Matthæus quidem ait: f Matth.26.
ERROR GRAECORVM IN CALCVLO PASCHAE. Cœnantibus autem illis, atque comedentibus accipiens IESVS panem. Accipiens panẽ,
& hic inquit, & benedicens fregit, & dedit Discipulis suis, & dixit: Sumite & come-
dite hoc est corpus meum. Similiter autem & hoc Marcus [g] inquit, & reliqui, & ne- g Marc.14.
D quaquam azymum ab eis commemoratur. Quoniam quidem oportebat pati Chri-
stum secundum diem legalis paschæ, in qua & agnus ab Hebræis immolabatur. Opor-
tuit enim fieri pascha ab interfectoribus Dei in sexta feria, in qua tandem & quarta-
decima Luna erat iuxta primum mensem, in quo contigit euenire in DXXXIIIJ. annos.
Cyclus enim solis erat XVIIJ. & V. Lunæ, vt non adhuc traditus præueniisset proprium
pascha Discipulis tradere, recumbens in cœna secundum vesperum quinti diei, post-
quam cœnauit, accepit panem & fregit, tradidit Apostolis mysterium noui Testa-
menti, & nocte quintæ feriæ, in qua traditus est a Iuda, sicut scriptum est. Sed quid
dicit Apostolus? [h] Accepit panem, & benedicens fregit. Ecce & Lucas [i] panem accipe- h 1.Cor.11.
re Christum dixit, & non azymum. Non enim adhuc erat sextæ feriæ dies. Tertia- i Luc.22.
decima erat Luna in illa quinta feria, & non erat azymum, neque adhuc ablatio fer-
E mentati. Azyma enim in quintadecima Luna promulgata erant in lege, vt in quar-
tadecima die ad vesperum agnus immolaretur, & in quartadecima die Lunæ primi
mensis pascha appellaret, lex quartamdecimam diem primam azymorum, & Sabba-
tum nominaret.

NON ITA SED VERE LEGITIMVM PASCHA EGIT CHRISTVS. Pro dolor ob insipientiam illitteratorum. non erat azyma in quinta feria, cum
esset Luna tertiadecima, & non quartadecima. Secundum quintamdecimam Lu-
nam fuerat institutum azyma fieri sicut & agnus ad vesperum quartædecimæ diei
iussum est immolari, secundum quam immolatus est Christus Agnus Dei, qui tol-
lit peccata mundi. Si autem Christus immolatus est & crucifixus in quartadecima
die Lunæ feriæ sextæ; in Sabbato autem erat festum azymorum, quando azyma co-
medit, & Apostolis suis facere in nouo Testamento tradidit: quomodo dicitis ab Apo
stolis accepisse vos facere azyma iam post resurrectionem a mortuis? Nõ videtis, quia

Universidad de Deusto
Biblioteca

manifeſte ex rebus arguimini, quoniam nõ tunc erant azyma, cum myſteria noui Teſtamenti traderet Apoſtolis Chriſtus. Oſtendam vobis hoc ex legislatione Moyſi. Ioquitur enim: Hæ ſunt feſtiuitates Domini, & ipſæ ſanctæ, quas vocabitis in tẽporibus ſuis. In primo menſe in quartadecima die menſis inter medium veſperum erit paſcha Domino, & in quintadecima die menſis huius feſtum azymorum Domino. Septem enim diebus azyma comedetis. Ecce enim & ex legislatione Moyſi didiciſtis, quoniam non tunc azyma, quando poſt cœnam, ſecundum diem quintæ feriæ Chriſtus tradidit per fractionem panis noui Teſtamenti myſterium. Ante feſtum autem azymorum hoc fecit, cum eſſet tertiadecima dies menſis. Quintadecima enim die menſis, vt legislatio habet Moyſi, erat feſtum azymorum, & Chriſtus in feria ſexta crucifixus ſecundum quartamdecimam diem menſis, quando debebant Iudæi immolare agnum. Sabbato autem ſecundum quintamdecimam diem menſis, cum eſſet feſtum azymorum, in ſepulchro iacuit ſepultus. Azyma ergo nondum erant ante feſtum azymorum in toto anno ipſo. Septem enim diebus comedebant azyma Iudæi, ceu inſtituit Moyſes, in quintadecima die primi menſis incipientes feſtum horum. vbi reperta ſunt azyma, quando cum Diſcipulis ſuis cœnam comederet Chriſtus?

A

a *Exod.* 12, *Leuit.* 23. & *Num.* 9.

ERROR GRAECORVM DE TEMPORE PASCHAE.

Si enim ſicut dicitis, a Domino Apoſtoli acceperunt azyma, & illi iterũ tradiderunt vobis hæc in figuram corporis Chriſti, in myſterium noui Teſtamenti, dum nec oblatio panis fieret ſecundum conſtitutionem Moyſi, neque erant tunc azyma: vbi reperta ſunt? Quomodo autem obliuiſcimini legislationis Moſaicæ, ſeptem namque ſolis diebus facere tradidit vobis. Sed vos in toto anno conculcatis inſtituta Moyſi. Et Chriſtus non venerat ſoluere legem, ſed adimplere. Vacue enim veritati obſiſtitis fratres. Si enim traditum vobis fuit ab Apoſtolis comedere azyma, quomodo Agathon ſanctiſſimus Papa, veſter præceſſor, cum præeſſet ſanctæ Sextæ Synodo ſub Conſtantino Imp. & diuinus Gregorius Agrigentinorum Epiſcopus non obſtitere, cum ſanctæ huius Synodi diuini Patres aduerſum azyma legem conſtituiſſent, a nemine Fidelium hoc fieri? Et vt oſtendam vobis horum legislationem contra azyma, adijcio rationi & canonem ipſorum ſic habentem in vndecimo capitulo: Nemo in ſacerdotali conſtitutus ordine aut laicus ea, quæ apud Iudæos ſunt, azyma comedat, aut cum eis cohabitet, aut in infirmitatibus eos inuitet, aut medicinam ab eis accipiat, vel in balneis cum eis lauetur: ſi quis hoc agere tentauerit, ſi quidem clericus fuerit, deponatur; ſi autem laicus, ſequeſtretur. Qui azymum conficit & comedit, etſi non acceperit hoc a Iudæis, ſed imitator fuerit in hoc, vt Iudæus intelligit, & extra legem eſt, quemadmodum, etſi circumciderit quis ſeipſum, aut a Iudæis circumciditur, ſimilis inſcientia eſt illis, canoneſq. & inſtituta Apoſtolorum ſanctorumq. Patrum tranſgrediens, irrita omnia facit, vt ratio noſtra demonſtrauit. Sed de azymo ſufficienter vobis, quod prohibitum ſit ab omni ſcriptura diuina, demonſtrauimus.

B

C

PROVOCANT AD FALSVM CAN. SEXTAE SYNODI.

D

Age nunc, quia cuncta demonſtrauimus vobis, & ſubito memoriæ ſuggeſtum eſt nobis de ieiunio ſabbatorum, quoniam inſultatis nobis. Vnde ieiunatis ſabbata? ex qua ſancta ſcriptura accepiſtis? Ab Apoſtolis? nequaquam. Apoſtolorum vertices inquinto quidem libro ordinationum, qui de Martyribus inſcribitur iuxta Clementem, quartam feriam & ſextam præceperunt nobis ieiunare, vnam quidem propter traditionem, alteram propter paſſionem. Ipſum autem ſabbatum non tradiderunt ieiunare, quoniam non oportet præter illud ſolum, eo quod Creator omnium ſub terra fuit. Vnde iuxta calcem libri iterum ſic loquitur. Omne quidem ſabbatum, & omnem Dominicam celebrandam eſſe dicimus. Gaudere enim oportet in his, & non lugere. Septimo quidem libro earum conſtitutionum iuxta vigeſimumquartum capitulum hoc inquiunt: Sabbatum namque & Dominicam celebremus, quia illud quidem diuinæ operationis eſt, hæc vero Reſurrectionis. Vnum vero tantum ſabbatum cuſtodiendum eſt in toto anno ſepultura Domini, quo ieiunare oportet. Quando enim Chriſtus in ſepulchro iacuit, Diſcipuli potentiorem circa eum fletum habebant, quam gaudium ex memoria diuinæ operationis. Verumtamen hoc myſtice per Clementem Papam conſtituentes, nõ ſteterunt hic, ſed ſcientes magnam damnationem eſſe ieiunare ſabbata, excõmunicatione valida ligant ex hoc Eccleſiam. Dicit enim in ſexageſimoquarto canone: Si quis clericus inuentus fuerit Dominicam diem ieiunans, aut ſabbatum præter vnum ſolum, deponatur; ſi autem laicus, ſequeſtretur.

DE IEIVNIO SABBATI VERVS QVAESTIO.

E

Hoc

A Hoc autem exequentes, & qui in Sexta Synodo Patres conuenerunt hinc ſic promulgant: Sanctæ præſidente Synodo Agathone Papa Romæ, & Gregorio cum eis Agrigentinorum Epiſcopo præſente: Quoniam quidem dicimus eos, qui in Romanorum Vrbe ſunt, in ſanctis Quadrageſimæ ieiunijs eadem ſabbata ieiunare extra traditam ſibi Eccleſiæ conſequentiam: placuit ſanctæ Synodo, obſeruare Romanorum Eccleſiam immobilem canonem, dicentem: Si quis clericus fuerit inuentus, & cetera, quæ deinde ſcribit. Hæc igitur ſi conueniunt Apoſtolicis conſtitutionibus & canonibus, fidelium Eccleſiam ligant cum Papa Romæ Agathone: vos vnde aliter, & ex quo ieiunare ſabbata accepiſtis?

Quin etiam oblationem perfectæ Miſſæ per omnem diem facere in ſacris diebus ieiuniorum ſicut ſabbato, & Dominico die, vnde aſſueuiſtis; & a quo doctore accepiſtis? Ex Apoſtolis? nullatenus. Apoſtoli enim ex hoc poſuerunt canonem ſic loquentem: Si quis Epiſcopus, aut presbyter, vel diaconus, aut lector, aut cantor ſanctam non ieiunauerit Quadrageſimam, quartamq. & ſextam feriam, deponatur, niſi infirmitate corporis impediatur. Miniſtrantes ergo atque complentes miniſtrationem ſacræ Miſſæ ſecus tertiam horam diei, in qua & promulgatum eſt offerri ſacrificium: quomodo ieiunium vſque ad horam diei nonam obſeruatis, ſoluentes hoc in tempore miniſtrationis Miſſæ? Nequaquam. Si autem hoc impoſſibile eſt, maledictione plectemini. Qui in Gangreno fuerunt Patres Concilio in xviiij. cap. talia effantur: Si quis continentium ſine corporali neceſſitate elatus fuerit, & conſtituta ieiunia in commune, & obſeruata ab Eccleſia diſſoluerit, præſumendo ſibi perfectam rationem, anathema ſit. Similiter Patres, qui in Laodicenſi fuere Concilio ſecundum quinquageſimum canonem ſic effati ſunt: Quia non oportet in Quadrageſima Martyrum natalitia celebrari, ſed Sanctorum commemorationem facere in ſabbatis & Dominicis diebus. & iuxta quadrageſimumoctauum canonem item aiunt ipſi, quod non decet in Quadrageſima panem offerri niſi in ſabbato, & Dominico ſolo.

B

CVR DIE IEIVNII NON SACRIFICENT.

C

Et qui in Sexto vniuerſali Concilio conuenerunt Patres, ſimiliter iuxta quinquageſimum ſecundum canonem ſanciunt cum ſanctiſſimo Agathone Papa, dicente ſic: In omnibus ſanctis Quadrageſimæ ieiuniorum diebus ſine ſabbato & Dominico die, & ſine ſanctæ Annuntiationis die fiat Miſſa ex ante ſanctificatis oblationibus. Sic ergo accipientes nos ſabbato & Dominica die ſecus tertiam diei horam, in qua & Spiritus ſanctus deſcendit ſuper Diſcipulos immolantes, in ipſis ſanctificamus munera, ex quibus ſufficientia in tota hebdomada conſeruamus. In alijs autem diebus hebdomadis iuxta tempus horæ nonæ diei concludentes omnem miniſtrationem in conſummationem completorij, agimus nos ſacerdotes cum diaconibus ingreſſum, thuribulum ſolum ferentes: & poſt lectionem Prophetarum conſtitutas orationes a magno Baſilio facientes appoſitionis altario, & orantes cum ipſis. Inſuper autem & traditam nobis a Domino orationem dicentes exaltamus præſanctificatum panem, & dicimus per ſanctificata: Sancta ſanctis. & vniti communicamur pane, & calice myſteriorum Chriſti. Et ita agentes gratias Deo, relinquimus eos atque dimittimus ex congregatione, ſumentes nos communem menſam per folia & legumina, & calidam aquam, qui voluerint. Sunt autem & alij, qui ſola communione, & benedictione per totam perſeuerant hebdomadam. Vos autem referentes per vnumquemque diem perfectam in Quadrageſima miniſtrationem, quæ congrua eſt iuxta canones Eccleſiæ, & in hoc maledictioni Patrum ſubiacetis, ſicut dictum eſt.

D

RVRSVM FALSIS NITVNTVR CAN. SEXTAE SYNODI.

E

Quis ille eſt, qui tradidit vobis prohibere, & abſcindere nuptias ſacerdotum? quis ex Doctoribus Eccleſiæ hanc vobis tradidit prauitatem? Si quidem non nupſerit, manum impoſitionis accipiet, & ita ad nuptias ruit, qui ordinatus eſt, innuptus legitime, hoc eſt ſecundum canones facitis huiuſmodi nuptias prohibentes. Si autem ante habuerit vxorem ille, qui ordinatus eſt ſacerdos, perſeueraueritq. in caſtitate, magnaq. vita, nuptias eius ſoluitis, tranſgredimini, & ex præcepto Apoſtolicorum canonum oſtendam vobis. In ſexto enim libro Clementis ordinationum, quæ ab eo conſcriptæ ſunt, iuxta ſeptimumdecimum capitulum Apoſtoli hæc dicũt: Epiſcopum & presbyterum & diaconum dicimus, qui vnam habent vxorem, ordinari, quamuis viuant eorum coniuges, quamuis defunctæ, non licet eos poſt manuum impoſitionem innuptos eſſe, nec inſuper ad nuptias ire. Aut ſi nupſerint, alteras amplecti, ſed ſuffi-

DE VETITIS NVP. SACERDOTVM VANA REPREHENSIO.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cere quas habent cum ad ordinationem vēnerunt. In quinto ſanctorum canonum ita A
fatur in ſecundo capitulo: Epiſcopus aut presbyter, aut diaconus vxorem ſuam non
abijciat obtentu religionis, ſi autem abiecerit, ſequeſtretur, perſeuerans autem
deponatur. In Quadrageſimo vero canone inquiunt palam: Propriæ Epiſcopi res.
Et poſt pauca. Nec occaſione eccleſiarum rerum cadere Epiſcopum ab eis, quæ ſunt
Epiſcopi, in mulierem, & pueros, & propinquos: nec per occaſionem eorum, ea quæ
eccleſiæ ſunt, ſubtrahat. Et deinde: Si quidem ſunt, qui prohibeant ſacerdotes legi-
timis conuiuere coniugibus. Non ita vertices Apoſtolorum expoſuerunt eccleſiaſti-
cos canones. Si autem dixeris, eccleſiam non recipere, de muliere Apoſtolos dixiſſe:
tunc infidelis apparebit ſermo tuus ac vacuus, cum ſacris canonibus ipſorum, qui a
nobis prædicti ſunt, non abijcere Epiſcopos ac presbyteros occaſione religionis vxores,
ſanxerint, & vt non caderent res Epiſcoporum ex poteſtatibus eorum propter filios & B
mulieres ipſorum.

† Alle tu commiſta Græcorum deteſta vide ſuperius ſub loco Annalium, ubi de Sexta Synodo prolixior habita eſt tractatio.

Si autem aliquis dixerit de ſancta & vniuerſali Sexta Synodo, quod non Papā Romæ
ſanctiſſimum Agathonem, †vt ſæpiſſime diximus, præceſſorem habuit ipſa CLXX. Pa-
trum ſub Conſtantino Imperatore, nepote Heraclij, & patre Iuſtiniani: quomodo
obſtitit diuinus Agathon ſanctæ Synodo ſancienti aduerſus hos impios, quos vſque
nunc habetis? Si vero ab Apoſtolis has haberetis traditiones, obſiſteret forſitan, &
non ſuſcepiſſet hæc, quæ apud nos ab ea promulgata ſunt, Papa cum eſſet, videtur
quoniam adulteras cognoſcebat traditiones ipſas & extraneas ab Apoſtolorum do-
ctrina, propterea pariter cum Patribus ſacræ Sextæ Synodi ſicut de azymis, & ieiunijs
ſabbatorum, & ſacræ Miſſæ myſterijs, ſic & de nuptijs ſacerdotum promulgauit di-
cens in tertiodecimo cap. Quia in Romanorum Eccleſia in Ordine canonis tradi co- C
gnouimus, coniugati diaconi aut presbyteri dignas manuum impoſitiones non fie-
ri: vt non amplius a ſuis diſiungantur coniugibus nos antiquum exequentes cano-
nem Apoſtolicæ diligentiæ & ordinationis ſanctorum virorum copulationes ſecun-
dum legem, & a modo valere volumus, nullatenus a coniugum copulatione diſſol-
uentes, aut priuantes eos ab inuicem ſecundum tempus congruum locutionis, quia
vere ſi quis dignus inuentus fuerit manus impoſitione ſubdiaconus & diaconus, aut
presbyter, hic nullatenus prohibeatur ad huiuſmodi gradum aſcendere coniugi coha-
bitans legitime, neque in tempore ordinationis exigatur confiteri ad legem propriæ
locutionis propter propriam vxorem. Et poſt pauca: Si quis ergo præſumpſerit ex-
tra Apoſtolicos ordines motus quemdam ſacrorum presbyterorum, & diaconorum
priuare a copulatione legitimarum mulierum, a communione ſequeſtretur. Similiter D
ſi quis presbyter, aut diaconus collectaneam ſuam occaſione religionis proiecerit, ſe-
paretur, perſeuerans autem deponatur.

CARENTES VERITATE CONVERTVNTVR AD CALVMNIAS.

Vnde igitur vobis, & ex quibus hæ horribiles infirmitates ſuperuenerunt, o vi-
ri Romanorum ſapientiſſimi, & omnium aliarum gentium nobiliſſimi? Aeſtimo
quod quidam ex Iudæis in tempore Apoſtolorum credentes, vana lucra cupien-
tes, & pecuniarum amatores reperti volentes multos Fidelium abſtrahere ex Euan-
gelio, hoc eſt ex Fidei prædicatione, corruptis, dum prædixiſſent eis. In hoc & Chri-
ſtianitas, & Iudaiſmus corrupta ſunt. De quibus Ioannes fatus eſt: [a] Si enim fuiſ-
ſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum. de his, dicens, qui circa Simonem &
* Cleobolum Deman, Nicolaumq. & * Cleobium ſe ſubtraxerunt. Reliqui autem verticum in-
ſeptimo libro Inſtitutionum iuxta ſextumdecimum caput liquidius dixerunt: Sci- E
mus enim, inquiunt, quia hi, qui circa Simonem & Cleobium, & Iudam conſcri-
pſerunt libros in nomine Chriſti, & Diſcipulorum eius, circumferunt ad ſeductio-
nem veſtram, & eorum qui diligunt Chriſtum, & nos ſeruos ipſius; & in veteribus
quidam conſcripſerunt libros apocryphos Moyſi, & Enoch, & Adam, Iſaiæ, & Dauid,
& Heliæ, & trium Patriarcharum, corruptiones facientes atque veritatis inimicos li-
bros. Sed & Paulum Domini Apoſtolum hæc præſcientem, vt æſtimo, ad vos aſcen-
diſſe huiuſmodi ſeductores, dolum texentes vobis, Philippenſibus ſcribere: [b] Videte ca-
nes, videte malos operarios, videte abſciſſionem. Et Timotheo iterum: [c] In vltimis
temporibus diſcedent quidam a fide, attendentes ſpiritibus errorum, & doctrinis
dæmonum in hypocriſi loquentium mendacia, & incedentium propria conſcientia,
impedientium nubere, & abſtinere a cibis, quos Deus creauit. Et ea quæ exinde: Pro-

[a] 1. Ioan. 2.
[b] Philip. 3.
[c] 1. Tim. 4.

pter

A pter quod & Tito præcepit: [a] Argue eos, inquit, duriter, vt ſani ſint in Fide, non atten- [a] Tit. 2.
dentes Iudaicis fabulis, & præceptis hominum ſubuertentium veritatem, quam ob
rem diligentiſſime inquiſiuimus. De cetero circa hæc, o fratres, ne aliquando ex his
quæ dicta ſunt, & redarguta a nobis mēdacia, dico ne adhuc azyma, ſabbatorū ieiunia,
nuptias ſacerdotum, & in ieiunijs oblationē accipiatis: ſed ſcientes nunc, quod prauus
eſt eorum vſus ex omni a Deo inſpirata ſcriptura: fugite quæ huiuſmodi ſunt actitare,
cum ſitis Eccleſiæ Dei, & totius orbis ſemper ſplendidus oculus, aut vniti nobis ve-
ſtris confratribus, quos per iam dicta ſcidiſtis, cum ſitis corpus Chriſti, reuelata facie
gloriam Domini in concentu, & vnitate cum orthodoxa Fide conſpeculemur, & ima-
ginem eius transformemus in nobis demonſtratione vna & ipſius ad gloriam ſempi-
ternam, ſicut a Domini ſpiritu, quoniam ipſe eſt caput noſtræ Eccleſiæ corporis, &
B in eo ſicut in vno corpore omnes nos coniungimur. Hæc vobis Romanis.

Si ergo poſſumus vos, qui eſtis homines, ad credulitatem nobiſcum reducere per ea,
quæ diximus, & docendo vos ex diuina Scriptura arguimus: gratiæ Deo & vobis ſcien-
tibus bene Spiritui ſancto credere, & proſequi rationem iam dictam ex ſcripturis. Si ve- CONCLVSIO.
ro aliter tenetis: date nobis teſtimonia ex diuina Scriptura conſiſtentia. In quibus vo-
lo beneuolos vos eſſe, vt ſupra ſedes intelligentiæ requieſcatis, & nos, ſcientes obedire
inenarrabili rationi ſpiritus, tacere omnia quæ ad vos ſcripſimus. Salutamus vos in
Chriſto IESV Domino noſtro, cui eſt gloria & potentia cum Patre & Spiritu ſancto
nunc & ſemper in ſæcula ſæculorum. Amen. *Explicit libellus.*

C *Incipit reſponſio ſiue contradictio a fratre Humberto Epiſcopo Siluæcandidæ conſcripta Conſtantinopoli aduerſus Nicetam cognomento Pectoratum.*

SI diligenter ſanctæ Chalcedonenſis Synodi quartum conſideraſſes caput, quiete
monaſtica, & ieiunijs atque orationibus in monaſterio tuo contentus, nequaquā
eccleſiaſticis rebus communicaſſes, nec importunitatem intuliſſes. Quapropter ſex-
centorum xxx. Patrum concordi decreto a communione es ſuſpenſus, ne per te nomē
Domini blaſphemetur. Decet enim vnamquamque profeſſionem ſe ſub menſura ſui ACRIS SED IVSTA REPREHENSIO.
habitus, & gradus cohibere, ne conturbet Eccleſiæ dignitatis ordinem totum, dum
non ſuo contentus officio, præripere quærit alienum. Sed væ tibi Sarabaita, qui nulla
cœnobitali es animatus diſciplina, voluntate atque voluptate ductus propria contra
ſanctam Romanam & Apoſtolicam Eccleſiam, & omnium ſanctorum Patrum Con-
D cilia horribiliter latraſti, & ſtultior aſino, frontem leonis, & murum adamantinum
frangere tentaſti. In quo vtique conatu non es victor erroris, ſed victus errore, nec
presbyter, ſed inueteratus dierum malorum, & puer centum annorum maledictus, po-
tius dicendus Epicurus, quam monachus: nec credendus es degere in monaſterio
Studij, ſed in amphitheatro aut lupanari, quo (ſicut quidam Patrum dixit) quicum-
que vult, intrat, & ſoluit aſinum. Qui etiam vere prænominaris Pectoratus, quo-
niam cum ſerpente antiquo ſuper pectus tuum graderis. Ex abundantia enim cordis
os loquitur.

Deinde deteſtabilior omni veneficio, labia mortiferi poculi melle charitatis & bo-
no odore humilitatis imbuens, ex prædictis virtutibus delectabile exhibuiſti proœ-
mium, vt præguſtata dulcedo faceret incunctanter abſorberi fel draconum & reliquū
E veneficium. Sed væ ei qui potat amicum ſuum potione turbulenta. Quam ideo ne- QVAE REDARGVAT.
ceſſarium duximus ſubtiliori linteo colatum iri, vt modus concinnationis eius, & po-
tentia aliquatenus poſſit deprehendi, & deinceps caueri; quia ingreditur blande, ſed
in nouiſſimo mordebit vt coluber, & ſicut regulus venena diffundet. Ecce in ipſo la-
tratus tui veſtibulo tria propoſuiſti, de azymo ſcilicet, de ſabbato, de ſacerdotum nu-
ptijs. Ex quibus tot & tanta euomuiſti, vt in peruertendo diuinas ſententias non in-
ferior videaris peruerſis & rabioſis canibus Iuliano & Porphyrio. Denique diuini elo-
quij ſcalam ad cælos ſubiectam, quantum in te fuit, retorſiſti ad inferos, ne cum An-
gelis ſcanderes ad Catholicos, ſed cum apoſtatis deſcenderes ad hæreticos. Inde eſt
quod S. Romanæ & Apoſtolicæ Sedis ſacrificio detrahēs falſiſſime definiſti, nos men-
ſam Iudæorū comedere. Quod ſatis oſtenditur in ſuperiori noſtra narratione, vbi com-
mentis complicum tuorum, Michaelis ſcilicet Conſtantinopolitani, & Leonis Acri-

diani

Universidad de Deusto
Biblioteca

diani voluimus obuiare. Nec est necesse eadem nos toties repetere; quia stupæ collectæ, & paleæ congestæ zizaniisq. colligatis vna potest flamma sufficere. Vnde eatantum decreuimus leuiter succendere, quæ solus videris plus illis congessisse. A

Itaque quod dixisti consubstantialem & supersubstantialem idem esse, omnino est futile, quia Dominus IESVS quamuis nobis humanitate sit consubstantialis, diuinitate tamen qua est Patri cōsubstantialis, est nobis supersubstantialis. Sic & humanæ mensæ panes, licet sint consubstantiales sibi, mensæ tamen diuinæ panis supersubstantialis est eis. Et o mentite Deo, & aperte impugnator sancti Euangelij, vbi & quando dixit Veritas veracis Patris Filius: Cauete ab azymo ferméto Pharisæorum? Numquid azymum quolibet modo potest dici fermentum, quando azymum dicatur, eo quod absque fermento sit? & vbicumque fermentum fuerit, necesse est, vt aut fermentum efficiat, aut fermentum permaneat. Cum ergo fermentatum non sit sine fermento, B nec fermentum aliquando possit esse sine ipso, quomodo saltem somniare ausus es azymum fermentum? Sed quamuis talia dicendo telas araneæ texueris: muscas, & culices, seu vermiculos aberrantes his irretire poteris, non autem columbas simplices & oues recognoscentes vocem sui auctoris.

CONVINCIT ERROREM.

Deinde o subuerse subuersor, subuertere conatus sententiam Apostoli Ioannis, dicentis: [a] Si dixerimus quia societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus: mentimur, & non facimus veritatē. & quod est nequius, vsus es hoc eius optimo testimonio, tamquam adulter oculo, & latro ferro, quæ vtique bona sunt. Illi enim lædere tentant aliquos, tu perdere cunctos. Vnde & sic concludis: Qui ergo azyma comedit, in tenebris legis ambulat. Sed idem Ioannes intentionem tuam eneruans, luce clarius demonstrat quid dixerit, subiungens: [b] Qui odit fratrem suū in tenebris est, & in tenebris ambulat. Hic plane liquet, quod non ab Apostolo sancto, sed ab apostata angelo accepisti, vt diceres: Qui ergo azyma comedit, in tenebris legis ambulat, quia tota epistola illa nec fermentatum, nec azymum commemorat, sed solam charitatem commendat. C

a 1. Ioan. 1.

b Ibid. 2.

Post hæc non minori sacrilegio abusus alio testimonio eiusdem Apostoli dicentis: [c] Tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis, & hi tres vnum sunt: peruerse conaris, ad panem mensæ Christi transferre, quod ille de baptismo eius voluit intimare. In baptismo siquidem hæc tria sunt, & vnum baptisma efficiunt.

c Ibid. 5.

REDDIT VERVM SENSVM VERBORVM IOANNIS.

Et spiritus quidem sanctificat, aqua abluit, sanguis redimit. Si quodlibet horum defuerit, baptismus non erit, sicut venerabilis pater Augustinus ait: Tolle aquam, non est baptismus. Tolle verbum, non est baptismus, sed accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum. Tu autem nequam Pectorate, nequiter interpretando & depraua ndo sententiam recumbentis super pectus IESV, dixisti: Et hi tres in vno sunt, scilicet corpore Christi. Quod Dilectus eius nec sensit, nec scripsit, sed hi tres vnum sunt, secundum superiorem de baptismo sensum. D

NOVAM HAERESIM NICETA ASTRVIT.

Parua sunt hæc, & pene nulla ad comparationem sequentis blasphemiæ, qua asserere laboras, quod tempore Dominicæ crucifixionis, quando aqua & sanguis de latere eius exiuit, sanctus & viuificus spiritus in deificata eius carne remansit. Quod si constiterit, mortuus non fuit: si mortuus non fuit, neque resurrexit: si non resurrexit, inanis est fides & prædicatio nostra, quia nec nos resurgemus. Et sicut Apostolus ait: [d] Si ad bestias pugnaui Ephesi, quid mihi prodest si mortui non resurgunt? Vt quid enim quotidie tanta patimur? Comedamus, & bibamus, immo bestialiter viuamus: cras enim vt bestiæ moriemur. Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores omnibus sumus hominibus. Sed absit hoc ab omni humano genere. Nam idem præclarus Euangelista, qui hoc ipsum præsens vidit, attestatur carnem Christi vere exanimatam in cruce fuisse, dicens: [e] Et inclinato capite tradidit spiritum, vel sicut Matthæus narrat, [f] emisit spiritum. Porro [g] Marcus [h] & Lucas dicunt eum expirasse, vnde & in Symbolo confitemur mortuum, & sepultum. Alioquin sepeliri non debuit, qui mortuus non fuit. Obmutesce canis: linguam, canis, improbe morde. Christus enim vere mortuus est propter delicta nostra, & propter iustificationem nostram resurrexit a mortuis primitiæ dormientium. Ecce pestifera doctrina, ecce suggestio diabolica, cuius tu signifer effectus, conaris opiniones, & adinuentiones tuorum contra traditionem Apostolicam, & contra manifestam veritatem defendere dicendo: Aquam calidam, & sanguinem de viuo & ca-

d 1. Cor. 15.

e Ioan. 19.

f Matth. 27.

g Marc. 15.

h Luc. 23.

A & calido Christi corpore exisse, & ideo Græcos aquam feruentem sanguini eius iure miscere. Quod totum longe aliter est. Nam veraces Euangelistæ [a] concorditer narrant Dominum nostrum hora nona in cruce mortuum, & sero a Ioseph postulatum depositum de ligno & sepultum. Ipso enim emittente spiritu, velum templi, [b] & petræ scissæ sunt, & multa corpora Sanctorum resurrexerunt. In tanta itaque perturbatione, & quasi naufragio totius creaturæ non solum latus Domini non fuit apertum lancea, sed etiam hi, qui prius ei insultauerant, & ad spectaculum illud conuenerant, viso terræmotu & his, quæ fiebant, [c] percutientes pectora sua reuertebantur, adeo vt ipse Centurio, cui traditus fuerat ad puniendum, diceret: [d] Vere Dei filius erat iste. At vbi tumultus mundi conquieuit, & securitas aliqua redijt, cum iam sero esset; [e] Pharisæi rogauerunt Pilatum, vt propter solemnem diem sabbati frangerentur crucifixorum crura & deponerentur. Tunc quoque Ioseph rogauit Pilatum, vt tolleret corpus IESV. Pilatus vero mirabatur si iam obijsset. Et accersito Centurione vbi cognouit IESVM iam mortuum, donauit corpus Ioseph. B

a Matth. 27. Marc. 15. & Luc. 23.

b Matth. 27.

DE AQVA CALIDA REDARGVTIO.

c Luc. 23.

d Matth. 7.

e Ioan. 19.

Porro milites ad præceptum Pilati fregerunt [f] crura prioris & alterius latronis: ad IESVM autem cum venissent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, sed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit sanguis & aqua, quibus formaretur Ecclesia, quemadmodum ex costa Adæ dormientis formata est Eua. Ecce si hora nona obijt, & sero iam de cruce deponendus lancea percussus fuit, sanguis ille naturaliter calidus nō fuit, toto corpore iam præmortuo & frigido. Quod si aliquo modo caluit, Euangelium quare tantum miraculum, & sacramētum tacuit?

f Ibidem.

Vnde vos noui symmystæ, volumus dicatis, An sanguis tantum aut aqua tantum, an simul vtrumque caluerit? Si sanguis tantum, quare aquam calefacitis? Si aqua tantū, quare ex ea calefacitis sanguinem Christi? Si vtrumque simul, quare vtrumque simul non calefit? Sed cuius visu vel tactu potuit discerni quodlibet horum duorum ex vno vulnere simul erumpentium calidum, aut frigidum fuisse? Præterea si aqua illa caluit, quare & aqua baptismatis non calefit? cum præcipue ipsa baptismum præfigurauerit, sicut sanguis redemptionem? Volumus autem scire, qua intentione costam Christi immaculatam dixeris? si pro sanctitate & innocentia: optime; si autem pro eo quod impenetrabilis ferro fuerit: pessime, quia de vero vulnere verum non phantasticum sanguinem pro nobis fudit. Et non de costa sicut tu scribis, sed de latere, quia os sanguinem non solet emittere, nec os comminutum fuit ex Dominico corpore. C

Ceterum quod panis sit, & dicatur etiam azymus; & quod non cum Theopaschitis in sacra oblatione erremus; & quod non azymum veteris legis, sed sinceritatis, & veritatis comedamus; quodq. vetera transierint, & facta sint noua, explicatur in alia nostra epistola. Tu vero, maledicte, & maledictus sermo oris tui, sanctam legem sicut Seuerianus maledictam dixisti. Nec mirum, cum etiam panem tuum laudare supramodum cupiens, nimium vituperasti illum, dicens, modicum fermentum totam massam corrumpit; & panis tandem non azymum efficitur. Deo gratias, quia azymum non efficitur de massa fermento corrupta, sicut tuus panis. Nam corruptio nusquam & numquam in bonum accipitur, quia vbicumque corruptio, ibi etiam substantiæ deterioratio. Quin etiam cum exponeres sententiam beati Pauli, quam post tot orthodoxos Patres nolumus ab hæreticis exponi, quamuis nolens, azymum laudasti, dicens: Sicut estis baptizati, ideſt azymi & puri. Si ergo secundum tuam confessionem baptizati sunt azymi, quid sunt non baptizati, nisi fermentati, ideſt corrupti? D

REDARGVITVR EX FERMENTATO.

Dic tamen, vbi & quando Paulus cum vndecim Apostolis canones illos cum excommunicatione exposuit, quorū tu nobis septuagesimum caput obijcis, omnino nesciens, quid loquaris? Si quis, inquiens, Episcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut omnino ex numero clericorum ieiunauerit cum Hebræis, aut epulatus fuerit cum eis, & acceperit festiuitatum eorum munera, vt sunt azyma, aut aliquid huiusmodi, deponatur, laicus autem sequestretur. Etiam si hoc capitulum ex libris authenticis prolatum esset, nullo modo nos tangeret, quia nec cum Hebræis ieiunamus, nec cum eis epulamur, aut festiuitatum eorum munera aliqua accipimus. Quod autem tu vesane subiungis: Siue ab illis accipiatis, siue domi faciatis, azyma sunt. Id & iaculum tibi re- E

VERVS CANONIS SENSVS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bi retorquemus, dicentes: Siue cum Hebræis ſabbato epulemini, ſiue domi epulatio A
eſt. Sane hoc dignius contra vos erigeretur; quia vos nihil aliud in ſabbato quam ſolemnitatem Iudæorum, nos autem in azymo longe aliud ſacramentum retinemus & amplectimur. Si enim interrogemus Iudæos quid celebrent in ſabbato, reſpondebunt: Requiem Domini. Si Græcos, idem, & non aliud dicent. Ergo ſub ſeruitute legis ſunt, in cuius vmbra, & tenebris conſidunt.

QVOD VERE IVDAEORVM PASCHA CHRISTVS CELEBRAVIT.

Deinde poſt inanes latratus ſuper vocabulo panis reduxiſti nobis annos ab initio mundi vſque ad paſſionem Chriſti, quando ſecundum te cyclus ſolaris erat xviij. & Luna v. vt hoc ſaltim figmento poſſes euadere cum fermentato tuo, quaſi iuxta hanc ſupputationem tuam occurrat in ipſa cœna Domini Luna xiij. in qua nondũ fermentum abiecerat plebs Hebræa. Sed nos Chronographis & calculatoribus talia relinquentes, maxime cum apud Græcos & Latinos, atque Hebræos diuerſæ de temporibus habeantur rationes; hoc tantum dicimus, quia Chriſtus nec vnum iota, aut apicem veteris legis reſoluit. Vnde & xiiij. Luna ad veſperum quinta ſabbati paſcha celebrauit, & mox eadem nocte comprehenſus crucifixus eſt quintadecima Luna, ideſt vj. ſabbati, quæ ſpecialiter dicebatur prima dies azymorum, quamuis & in tota præcedenti die, ideſt xiiij. Luna fermentatum non appareret in omnibus finibus Iſrael. Nam & agnus cum azymis comedebatur. Quod ſi iuxta tuam aſſertionem Chriſtus paſcha fecit xiij. Luna, & cum fermentato, duplicĩter reus fuit, iuſte puniendus ſecundum legem, quia paſcha fecit in tempore non ſuo, & quia cum fermentato. Quapropter mors eius nil omnino nobis conferret, quia non pro noſtris, ſed pro ſuis peccatis interijt, ſicut ſanctæ tranſgreſſor legis. ſed de his alias copioſe diſſeruimus. B

RESPONSIO AD OBIECTOS CANONES.

Tandem ſi exceptis ſeptem diebus Iudæi toto anno fermentatum (vt aſſeris) comedunt: quis conuenientius debet argui, ille qui minimo tempore eos imitatur in azymis, an ille qui toto anno in fermentatis? Abſit tamen vt eorum carnalem ritum in aliquo imitemur. Verum quoniam Labyrintheo errore duceris, vt nunc qua exibas intres, nunc qua intrabas, exeas, iterum eamdem viam teris, dicens: Si traditum vobis fuit ab Apoſtolis comedere azyma, quomodo Agatho Papa veſter præceſſor ſanctæ Sextæ Synodi cum Gregorio Agrigentinorum Epiſcopo, & alijs Patribus contra azyma, ne fierent, legem ſtatuit? Audi ſtulte, vane. Non tantum ab Apoſtolis, quantum ab ipſo Domino noſtro IESV Chriſto traditum eſt nobis azyma nõ de phaſe Iudaico comedere, ſed de Paſcha Chriſtiano percipere; nec rei tenemur illo quod obieciſti xj. cap. ex vj. Synodo dicens: Nemo in ſacerdotali conſtitutus ordine, aut laicus, ea quæ apud Iudæos ſunt, azyma comedat, aut cum eis habitet, aut in infirmitatibus eos inuiret, aut medicinã ab eis accipiat, vel in balneis cum eis lauetur. Si quis hæc egerit, ſiquidem clericus fuerit deponatur, ſi autem laicus, ſequeſtretur. Quis noſtrum rogo azyma, quæ apud Iudæos ſunt, comedit? Quamuis enim etiam reliqua capituli huius obſeruemus, illud tamen ſuper omnia de azymis obſeruamus. Sed quid dices? Nonne Magnus Baſilius a Ioſeph Iudæo medicinam multoties accepit? Tu autem, ſicut diabolus Pſalmum, ita exponendo capitulum ſubiunxiſti: Qui ergo azymum conficit, & comedit, quamuis hoc non acceperit a Iudæis, imitator tamen Iudæorum eſt, ſicut & qui circumciditur. Perdes Domine omnes qui loquuntur mendacium. Numquid omnibus omnino Chriſtianis interdicitur, ne aliquando alicubi azyma comedant, ſicut interdicitur, ne ſe aliquando circumcidant? Quare hoc? quia in his imitatur Iudæos. Concedimus quidem circumciſionem tantum fuiſſe Iudæorum; verumtamen azyma eſſe omnium Gentium; quæ tu manioſe non ſolum a diuina, ſed ab humana menſa omnino repellis. Sed quid facies o fermentate? Iudæi, ceu ſuperius aſſeruiſti, exceptis ſeptem diebus toto anno fermentatum comedebant, & aliquando offerebant, numquid & hoc tolles hominibus? C D E

DE SABBATI IEIVNIO RVRVM.

Hinc videamus ſi non eſtis Sabbatiani, quos cõmemorant Patres S. Quintæ Synodi. Reprehendens enim nos cur ieiunemus ſabbatis, dicis: Quarta & ſexta ferijs iugiter ieiunandum, vna propter traditionem, altera propter paſſionem Domini: ſabbato autẽ nũquam niſi vno. Et hoc aſſerere conaris ex apocryphis libris & canonibus pari ſententia ſanctorum Patrũ repudiatis. Nam Clementis librum, ideſt Petri Apoſtoli itinerariũ, & canones Apoſtolorũ numerauere inter apocrypha exceptis capitulis quinquaginta, quæ

A quæ decreuerunt regulis orthodoxiæ adiũgenda. Vnde nos quoque omnem apocryphum abijcientes, dedignamur audire eorum fabuloſas traditiones, quia non ſunt vt lex Domini. Quapropter his omiſſis, in altera epiſtola vide quid ſenſerint de ſabbato B. & antiqui Pontifices Romani Silueſter, & Innocẽtius; quorum ſententiæ ſententia Agathonis quamuis ſanctiſſimi nullatenus præfertur. Sed abſit, vt aliquando contraria eis beatus Agatho ſenſiſſet. Et tamen in hoc ſicut & in alijs falleris, quod eum præſeſſorem illius Synodi fuiſſe dicis, cum tantũ Legati eius eidem Synodo præſederint. Cuius geſta hic ſummatim placuit inſeri. Tempore Conſtantini filij Conſtantini Imperatoris, anno Imperij eius ſeptimo decimo, Agatho Papa ex rogatu Cõſtantini Heraclij, & Tiberij Principum pijſſimorum miſit in regiam vrbem Legatos ſuos, in quibus erat Ioannes Romanæ Eccleſiæ tunc diaconus, longe poſt Epiſcopus, pro
B adunatione facienda ſanctarum Dei eccleſiarum. Qui benigniſſime ſuſcepti a reuerendiſſimo Fidei Catholicæ defenſore Conſtantino, iuſſi ſunt, remiſſis diſputationibus philoſophicis, pacifico colloquio de Fide vera perquirere, datis eis de bibliotheca Conſtantinopolitana cunctis antiquorum Patrum, quos petebant, libellis. Affuerunt autem & Epiſcopi centum quinquaginta, præſidente Georgio Præſule regiæ vrbis, & Antiochiæ Macario. Et conuicti ſunt, qui vnam voluntatem & operationem aſſtruebant in Chriſto, falſaſſe Patrum Catholicorum dicta perplurima.

Finito autem conflictu ea hora tantæ araneorum telæ ceciderunt, vt omnes mirarentur, ac per hoc ſignificatum eſt, quod ſordes hæreticæ prauitatis depulſæ eſſent. & Georgius quidem correctus eſt; Macarius vero cum ſuis ſequacibus ſimul & prædeceſſoribus Cyro, Sergio, Honorio, Pyrrho, Paulo & Petro anathematizatus, & in
C loco eius Theophanius Abbas de Sicilia Epiſcopus factus. Tantaq. gratia Legatos Catholicæ pacis comitata eſt, vt Ioannes Portuenſis Epiſcopus, qui erat vnus ex ipſis, Dominica octauis Paſchæ Miſſas publicas in eccleſia ſanctæ Sophiæ coram Principe & Epiſcopo ipſius vrbis Latine celebraret. Eo tempore Damianus Ticinenſis eccleſiæ Epiſcopus ſub nomine Manſueti Epiſcopi eccleſiæ ſancti Michaelis ſatis vtilem reſtæq. Fidei epiſtolam compoſuit, quæ in prædicta Synodo non mediocre ſuffragium tulit. Recta autem & vera Fides hæc eſt: Vt in Domino noſtro IESV Chriſto ſicut duæ ſunt naturæ, hoc eſt Dei & hominis, ſic etiam duæ credantur eſſe voluntates, ſiue operationes. Vis audire quod deitatis eſt? Ego, inquit, [a] & Pater vnum ſumus. Vis audire quod humanitatis? [b] Pater maior me eſt. Cerne ſecundum humanitatem eum
D in naui dormientem: cerne eius diuinitatem, cum Euangeliſta ait: [c] Tunc ſurgens imperauit ventis, & mari, & facta eſt tranquillitas magna. Hæc eſt Sexta Synodus vniuerſalis Conſtantinopoli celebrata, & Græco ſermone conſcripta temporibus Papæ Agathonis, exequente ac reſidente pijſſimo Principe Conſtantino intra palatium ſuum, ſimulq. Legatis Apoſtolicæ Sedis, & Epiſcopis CL. reſidentibus, qui omnes eamdem hæreſim damnauerunt.

a Ioan. 10. *b Ibid. 14.* *c Marc. 8.*

Tunc pijſſimus Princeps Conſtantinus interrogauit eos, qualiter Romana Eccleſia de ſacrificio corporis & ſanguinis Domini noſtri IESV Chriſti ordinem teneret. Illi reſponderunt. In calice Domini non debet offerri ſolum vinũ, ſed aqua mixtum. Nam ſi ſolum vinum offertur, ſanguis Chriſti incipitur eſſe ſine nobis. Et ſi aqua pura offeratur, ſola plebs incipit eſſe ſine Chriſto. Quando vtrumque admiſcetur, id eſt vinum
E & aqua, tunc ſacramentum ſpirituale perficitur. Oblatio vero quæ in ſacrificium altaris offertur, nullam commixtionem, aut corruptionem fermenti debet habere, ſicut beata Virgo Maria abſque omni corruptione Chriſtum concepit & peperit. Hinc in Eccleſia mos obtinuit, vt ſacrificium altaris non in ſerico, aut in panno tincto, ſed in lino terreno celebretur, ſicut corpus Domini fuit in ſindone munda ſepultum. Sic & oblatio munda debet eſſe a fermento, iuxta quod in geſtis Pontificalibus a beato Silueſtro legimus eſſe ſtatutum. Tunc placuit pijſſimo Principi Conſtantino hæc traditio Apoſtolicæ Sedis. Ecce iſtius, & ceterarum ſex Synodorum omnibus ſanctis Patribus & orthodoxis Imperatoribus per omnia placuit fides & traditio Apoſtolicæ Sedis. Et tu quis es, cui diſplicent?

Sed volumus dicas: Videturne tibi congruum, vt omni quarta & ſexta feria ieiunes propter traditionẽ, ſeu paſſionẽ Chriſti, & propter ſepulturã nullo ſabbato niſi vno? Cũ ergo omni Dominica celebres Reſurrectionẽ, omniq. iiij. & vj. feria ieiunes propter

Universidad de Deusto
Biblioteca

traditionem, & crucem: cur non & omni ſabbato propter ſepulturam, cum de celebrando ſabbatũ nullam rationem reneas, niſi quam Iudæi, ſcilicet, quia in eo requieuit Deus? Qui vtique fatigatus non eſt, verbo creans quidquid voluit, ſed in hoc noſtram futuram requiem præfigurauit. Quod ſi vno ſabbato in toto anno ieiunandum eſt propter ſepulturam Chriſti, ergo & vna iiij. feria propter traditionem, & vna feria vj. propter paſſionem in toto anno eſt ieiunanda, vna quoque Dominica propter Reſurrectionem celebranda. Non autem mirum, ſi Agathoni Papæ, & ſanctis Patribus vj. Synodi veſtra imputatis deliramenta, & quæ aut corrupiſtis, aut finxiſtis capitula, cum etiam ipſi Domino IESV & Apoſtolis eius imputetis figmenta. A

Vnde nos ſcientes vj. Synodum ad deſtruendam hæreſim Græcorum Monothelitarum, non autem ad tradendum Romanis nouas inſtitutiones congregatam, capitula quæ nobis ſub eius auctoritate opponitis, omnino refutamus: quia prima & Apoſtolica Sedes nec aliquando ea accepit, nec obſeruat hactenus: & quia aut ſunt nulla, aut vt vobis libuit, deprauata, ſicut deprauaſtis Ioãnis Chryſoſtomi, atque Gregorij Theologi, aliorumq. orthodoxorum Patrum dicta, & exhibuiſtis in eadem Synodo Sexta. Nempe a prima Synodo Nicæna vſque ad hanc vj. trecenti & amplius anni dicuntur euoluti, & quomodo in Nicæna & reliquis iiij. Synodis vniuerſalibus nulla mentio fit de tam neceſſarijs rebus? Numquid vſque ad Sextam Synodũ Græci & Latini rationẽ Miſſæ ac ieiuniorum ignorauerunt, & per ſexcentos & amplius a Paſſione Chriſti annos in talibus errarunt? An forſan Græci hæc nouerunt, & Romani ignorauerunt? Sed ex Miſſalibus Romanorum libris ab omni Eccleſia Occidẽtali antiquitus receptis euidenter cognoſcitur, quam rationem ieiunij & Miſſæ habuerint ſub reuerendis ſuis Pontificibus, Silueſtro ſcilicet auctore Nicænæ Synodi, Gelaſio damnatore veſtri Acacij, maximeq. Gregorio Dialogo compatre Imperatoris Mauritij. In cuius libris Miſſalibus omnes dies Quadrageſimæ habẽt ſpecialis Miſſæ plenarium officium; & exceptа Dominica, nullus dies eius ſoluit ſuſceptum ieiunium. Quam traditionem ſi tentaſſet Papa Agatho aliquatenus remouere Romanis, non audiretur ab eis: quia licet ipſe magnus extiterit, præfatis tamen deceſſoribus ſuis, ſicut tempore, ita ſcientia & ætate minor fuit. Quamobrem capitulum, quo aſſeritis eum promulgaſſe, vt ſi quis clericus ieiunaret ſabbatum præter vnum, deponeretur: magis dicendum eſt Nazarenorum eſſe, quam Apoſtolorum, Cherinthi & Ebionis, quam Sextæ Synodi & Papæ Agathonis. Cui ſane capitulo Epiſtola Pauli aperte contradicit, vbi ait: Nemo vos iudicet in cibo, aut potu, aut in parte diei feſti, & Neomeniæ & ſabbatorum, quæ ſunt vmbra futurorum. Vnde Romani proprio auctori & magiſtro Gentium in fide & veritate obedientes, nulli ſabbato feſtum vel otiũ dependunt, ſicut nec Neomeniæ, quia profecto Iudaica ſunt, & vtraque vmbra futurorum. B

Porro vnde acceperimus omni die ieiuniorum perfectam Miſſam facere, ſupra curauimus oſtendere. Nec timemus cap. quod dicitis Apoſtolorum de his qui ieiunauerint in Quadrageſima quoque & vj. feria: quia excepta grauiſſima infirmitate, cuncti ſollicite ieiunamus diebus Quadrageſimæ, adeo vt interdum decennes pueros nobiſcum faciamus ieiunare. Nec ſoluimus per ſabbata Quadrageſimalem abſtinentiam, quam Dominus noſter non ſoluit in quadraginta ieiunij ſui diebus. Nec ſolueremus etiam in die Dominica, quemadmodum nec ipſe, niſi pro gaudio Reſurrectionis eius hoc interdixiſſet ab initio omnium Catholicorum Patrum ſententia, etiam cum anathemate. Quos ſequuti ſancti Patres Gangrenſis Concilij, dixerunt: Si quis non dijudicans diem Dominicam ieiunauerit tamquam in eius contemptum, anathema ſit. Vbi certe, ſicut eis atteſtantur omnes authentici libri, non contradicunt ieiunio ſabbati, ſed Dominicæ diei. C

Sed o perfide Stercorianiſta, qui putas fideli participatione corporis & ſanguinis Domini Quadrageſimalia atque eccleſiaſtica diſſolui ieiunia, omnino credens cæleſtem eſcam velut terrenam per aqualiculi fetidam & ſordidam egeſtionem in ſeceſſum demitti: plane ſentis cum Arrio, qui cum pro alijs blaſphemijs in Filium Dei, tum etiam pro iſta foueam delapſus in atram viſceribus fuſis vacuus quoque ventre remanſit. Et vbi eſt Saluator, qui dans Diſcipulis panem a ſe benedictum & fractum, dixit: [a] Accipite & comedite: Hoc eſt corpus meum? In quo quid traderet, alibi dicit: [b] Panis quẽ ego dedero, caro mea eſt pro mundi vita. &: [c] Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt D E

a Matth. 26. *b Ioan. 6.* *c Ibid.*

potus. Quomodo verus? Quia qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, habet vitam æternam. Et quæ eſt vita æterna? nempe Chriſtus IESVS, ſicut ipſe dicit: [a] Ego ſum via veritas & vita. Qui ergo panem Dei manducat, carnem Dei Chriſti manducat. Qui autem carnem eius manducat, Chriſtum manducat. Qui Chriſtum manducat, proculdubio vitam æternam manducat. Ergo, o peſtifer leno antiqui ſerpentis, qui conaris aſtutia tua corrumpere ſenſus Sponſæ Chriſti, quæ eſt Eccleſia, vt excidatur a charitate tanti & talis ſponſi, credis nos vitam incorruptibilem comedentes, corrumpere integritatem ieiuniorum, velut aliquo cibo corruptibili? Horremus quidem dicere, ſed compellimur a tua impudenti improbitate. Conaris Chriſtum, immo ipſam Vitam, per digeſtionem, ſicut cœnum olidum demittere in latrinam. Et vbi eſt quod dixit: Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum in me manet, & ego in eo? Sine qua refectione, quia non haberetur vita ipſa, quæ eſt Chriſtus, quaſi quodam iureiurando proteſtatur, dicens: [b] Amen amen dico vobis, niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Numquid hic dixit: Si manducaueritis carnem meam, & biberitis ſanguinem meum, diſſoluetis ieiunium? Et vtinam hoc ſolo ſacramento non ad iudicium noſtrum omni hora reficeremur. Sed quia corpore corruptibili & nimia miſeria conſcientiæ noſtræ grauati etiam bonum noſtrum nequimus ſufferre: a ſanctis Patribus certe ad percipiendum tantum ſacramentum præfixæ ſunt horæ. A B

a Ioan. 14. *b Ibid. 6.*

Quod ne vileſcat carnalibus, & in percipiendo eſcam ſpiritus ſubmurmuret aliquis canis appetitum, cum ſumma parcitate præguſtamus, videre tantummodo cupientes quam ſuauis eſt Dominus, cuius panis non det ſicuti tunc manna faſtidium. Nec dubitandum in quantulacumque portione eius Fideles manducare ſibi totã vitam, ideſt Chriſtum, Infideles autẽ mortem, ideſt iudicium ſuum, vtpote qui rei fuerint corporis & ſanguinis Domini. Deinde quotidie ſiue tertia, ſiue nona, ſiue quacumque hora fiat a nobis Miſſa, non fit niſi perfecta, nec reſeruatur ex oblatione eius pars aliqua, vt per dies quinque agatur inde Miſſa imperfecta: quia nec ſancti Apoſtoli leguntur quidquam ex illo primo corporis & ſanguinis Chriſti myſterio ſub ipſa cœna diſtributo reſeruaſſe, nec Actus eorum indicant, eos aliquando tale quid egiſſe, aut præcepiſſe, quinimmo ſicut Lucas [c] narrat, erant Fideles perſeuerãtes in doctrina Apoſtolorum & communicatione fractionis panis. Quæ communicatio qualiter & quibus diebus fieret, poſt pauca demonſtrat dicens: Quotidie perſeuerantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panem ſumebant. Ecce verax Euangeliſta teſtatur, ſub Apoſtolis Fideles quotidie oraſſe, & panem fregiſſe. Et vos qui eſtis, qui dicitis, duobus tantum diebus Miſſam perfectam fieri debere, reliquis vero quinque imperfectam? Nempe hic in panis fractione & communicatione, nonniſi perfectam actionem Miſſæ debemus accipere, quemadmodum & ipſum Dominum legimus non imperfectam, ſed perfectam commemorationem ſui Diſcipulis tradidiſſe in pane a ſe benedicto, & mox ab eo diſtributo. Non enim benedixit tantum, & ſeruauit frangendum in craſtinum, nec fregit tantum, & repoſuit, ſed fractum ſtatim diſtribuit. Vnde beatus Alexander martyr & Papa quintus ab Apoſtolo Petro paſſionem Domini inſerens canoni Miſſæ, non ait: Hoc quotieſcumque feceritis, ideſt benedixeritis, fregeritis, & diſtribueritis, in mei memoriam facietis, quia quodlibet horum trium ſine reliquis fiat, ſcilicet aut benedictio ſine diſtributione, aut fractio ſine benedictione & diſtributione, perfectam memoriam Chriſti non repræſentat, ſicut diſtributio nulla ſine benedictione & fractione. C D E

c Act. 1.

Quod autem quotidie, & quotacumque hora diei, non autem ſola tertia, perfectam Miſſam agimus; auctoritatem tenemus ex verbis ipſis Domini, iuxta beatum Paulum dicentis: [d] Hoc facite quotieſcumque ſumitis, in meam commemorationem. Vnde mox idem Apoſtolus ſequutus, adiecit: Quotieſcumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis. & quamdiu? donec veniat ſcilicet iudicare viuos & mortuos. Putasne alicubi dixerit Dominus: Hoc facite hora tertia in meam commemorationem? Non vtique, ſed nullam horam, aut tempora excipiens dixit, Quotieſcumque. Nec ipſe Paulus ieiunia aliqua, aut certã quamlibet euolutionem annorum attendens ait: Quotieſcumque per tot annos hora nona manducabitis

d 1. Cor. 11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis: sed indifferenter, quo- A
tiescumque, & donec veniat. Nec nescimus, sanctos Patres diei Dominicæ & præcipuarum solemnitatum Missas hora tertia celebrare solitos propter Spiritus sancti effusionem hora tertia in discipulos, & hoc mandasse ad posteros, quatenus illa vnius actio Missæ gemino priuilegio insigniretur, resurrectione videlicet Christi, & aduentu Paracleti, vtq. propter gaudium festi temporis relaxarentur cunctis fræna ieiunij. Verumtamen alia causa est Dominicæ diei, ac solemnitatum, alia ieiuniorum. Si ergo hora nona, aut vespertina diebus ieiuniorum perfecta agitur Missa, nulla procul dubio inde contrahitur noxa, quia & Dominus in cœna ad vesperum primam & perfectam administrationem tanti sacramenti Discipulis instituit, & hora nona spiritum tradens sacrificium vespertinum expansis manibus in cruce, & præmissa oratione ad Patrem, consummauit. Propterea quamuis hora tertia, & nona propter supradictas B
rationes sint aptiores Missarum actioni: quotiescumque tamen alijs horis fiunt occupatione itineris, aut gratia cuiusliber necessariæ rei, in memoriam fiunt Christi, nec violatur inde integritas ieiunij. Quod vtique beatus Telesphorus Papa a Petro septimus sentiens, nocte Natiuitatis Domini Missas celebrari instituit, nec vllam resolutionem ieiunij ante horam tertiam, & diurnam Missam inde fieri, sicut vos peruerse putatis, timuit. Dicite autem si potestis: Cur sabbatum & cæteræ extra Dominicam feriæ hora tertia Missam debeant habere, cum in eis Spiritus sanctus non legatur descendisse? Itaque nos (sicut supra ostenditur) diuina auctoritate subnixi, nec ieiunia resoluimus in celebratione Missæ, quotacumque hora dici sit, nec in aliquo natalitio Martyrum, sed nec in Annuntiatione beatissimæ Mariæ; & ideo nullius vniuersalis Synodi percellimur anathemate. Ceteri autem quiuis sanctorum Patrum conuen- C
tus, etsi potuerunt de vtilitate, & conuersatione ecclesiarum suarum tractare, nullas tamen traditiones vniuersali Ecclesiæ præfigere. De Papa quoque Agathone omnino scimus, quia nec Sextæ Synodo per se ipsum præsedit, nec aliquibus capitulis eius subscripsit, nisi quæ promulgata fuerunt aduersus Monothelitarum hæresim. Vos videte, vnde hæc quæ proponitis habeatis, quia Ecclesia Romana talia hactenus ignorauit. Nec credi potest post tot annos Romanum Pontificem Græcis promulgasse aliquas de Missa obseruationes.

Deinde ritum vestræ Missæ discere non curamus, quia minimam cautelam, & maximam negligentiam ei inesse cognoscimus, dum sanctum panem frangentes, & sumentes, hinc inde decidentes micas non curatis. Quod etiam solet contingere, dum patinas sanctas foliis palmarum, aut porcorum setis fricatis inhoneste. Nonnulli D
quoque vestrum tam irreuerenter corpus Christi reponũt, vt pyxides inde cumulent, & ne decidat, aut superefluat, manu inculcant. Reliquias quoque oblationis velut communes panes nonnumquam vsque ad fastidium sumunt, & si sumere non sufficiunt, subterrant, aut in puteum proijciunt. Si autem, vt dicis, panem iam pridem oblatum, & sanctificatum exaltatis altera die: vnam oblationem videmini bis offerre. Et cur non attendistis in epistola Papæ Clementis, cuius traditiones (vt putatis) contra nos defenditis, quod ibi promulgasse putatur? Certe inquit, tanta in altario holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant. Quod si remanserint, in crastinũ non reseruentur, sed cum timore & tremore clericorum cautela & diligentia consumãtur.

Ad hæc quod asseris, vos ab ipsa sancta communione statim ad communes cibos transire: non sic sensisse idem Clemens inuenitur in prædicta epistola, vbi de his, qui E
residua sacrificij consumpserint, subiecit: Qui autem, inquiens, residua corporis Domini, quæ in sacrario relicta sunt consumunt: non statim ad accipiendum communes cibos conueniant, ne putent sanctæ portioni esse commiscendos cibos, qui per aqualiculi egestus in secessum funduntur. Si igitur mane Dominica portio in sacrario edatur, vsque in sextam ieiunent ministri, qui hæc consumpserint, & si tertia, aut quarta, ieiunent vsque in vesperum. In quibus sane verbis liquet, quod non solum hora tertia, sed etiam mane, & hora quarta Missas fieri licet, quodq. ex sacrificio ieiunium non soluitur, dum illic dicitur, Vt qui consumpserint, ieiunent vsque sextam vel vesperum. Alioquin quomodo ieiunabunt, si ex sacrificio ieiunium soluerunt?

Deinde abstinentiam paucissimorum nobis prædicantes, tacetis ingluuiem multorum,

A rum, qui aut parum, aut nihil quadragesimalis ieiunij Deo offerunt, dum a primo mane vsque vesperum crapulari non metuunt, nec erubescunt. Aliqui etiam ad ecclesiam legumina, & alia obsonia deferentes, inibi comedunt, nec Paulum [a] dicentem attendunt: Qui esurit, domi manducet. &: Numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum, aut ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos, qui non habent? At nos quadragesimam vnius septimanæ, quam dicitis sancti Theodori, nescientes, solam Quadragesimam Domini nostri IESV Christi XL. diebus diligenter obseruare contendimus, quam, vt aliquis excepta graui infirmitate, in aliquo infringat, sufferre nequimus. Nec licet cuiquam apud nos, sicut apud vos, post vnam refectionem quidquam pomorum aut herbarum diebus ieiuniorum percipere. [a] 1. Cor. 11.

Hinc perpendentes, a te tam peruerse defendi adulteria potius quam nuptias sa-
B cerdotum; arbitramur ab inferis emersisse principem huius hæreseos nefandum diaconum Nicolaum, de quo Epiphanius vester sic scripsit: Quarta Nicolaitarum a Nicolao hæresis est adinuenta, vno ex septem diaconibus, ab Apostolis ordinatis. Iste cum zelo pulcherrimæ coniugis culparetur, docere cœpit indifferenter debere vti coniugibus non solum laicos, sed etiam qui sacerdotij fungerentur officio. Hos damnauit sanctus Euangelista & Apostolus Ioannes, & iussit, vt quicumque cum eis vel sermonem colloquij miscuissent, ex hoc ipso communione priuandos, docens, rationabiliter a mundi origine Deo castitatem plurimum placuisse, tunc etiam in seipso Christum Dei Filium castitatis gloriam dedicasse, cum Virginem possidens matrem virgo mansurus nullum Discipulorum suorum commixtione etiam legitima coniugij vti permisit, dicens: [b] Si quis vult post me venire, abneget semetipsum sibi, & b Luc. 9.
C tollat crucem suam, & sequatur me. Vnde idem Dominus IESVS in Apocalypsi præcipiés Apostolo Ioanni scribere Angelo Ephesi, inter alia inquit: [c] Hoc habes, quia c Apoc. 2.
odisti facta Nicolaitarum; quæ & ego odi. Hinc etiam Angelo Pergami inquit: Habeo aduersum te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandala coram filijs Israel, edere, & fornicari: ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum. Suffecerant quidem hæc, o Nicolaita Niceta, ad conuincendum errorem tuum, sed quia canonibus sub nomine Apostolorum editis nos vrgere videris, exponere tibi tua Capitula decreuimus, quamuis ea inter apocrypha vsque nunc magna ex parte cõputauerimus, vt aperte cognoscatur, nec apocryphis, nec authenticis vos vestras ineptias posse defendere. Ante omnia autem comprobamus te mentitum ipsi veritati, in eo quod dixisti nostros prius ordinari, deinde vxores
D sortiri: quia apud nos, nec ad subdiaconatus gradus quisquam admittitur, nisi perpetuam continẽtiam etiam a propria coniuge profiteatur, nec post gradum cuiquam vxorem ducere conceditur. Sed tu Ecclesiam Dei volens efficere synagogam satanæ, & prostibulum Balaam & Iezabel, cum Nicolao dicis, Episcopum & presbyterum, & diaconem dicimus, qui vnam habet vxorẽ, ordinari, quamuis viuant eorum coniuges, quamuis defunctæ: nec licet eos post manus impositionem innuptos esse, nec insuper ad nuptias ire, aut si nupserint, alteras amplecti, sed sufficere eis quas habent, cum ad ordinationem venerunt. O abominabilis Cynice, quomodo non erubuisti tantum nefas euomere? Ergo non licet aliquem post manus impositionem sine vxore esse. Si ita est, ipse Ioannes Apostolus, & Paulus, & Barnabas, & omnis continens in gradu ecclesiastico in culpa est procul dubio: vnde necesse est, vt futurus
E Episcopus, presbyter, diaconus, & subdiaconus prius vxorem sortiatur, quæ sibi sufficere debeat ad carnales amplexus. Numquid laicis non sufficit vna, nisi forte discipuli maligni Mahomed, cuius farinæ totus es, tu quoque, quia presbyter es, sine vxore esse non debes, secundum tuas assertiones.

Sed iam videamus Capitula, quibus putas posse defendi adulteria sacerdotum, non coniugia. Episcopus inquam, presbyter, aut diaconus vxorem suam non abijciat obtentu Religionis. Si autem abiecerit, sequestretur; perseuerans autem, deponatur. Omnino confitemur non licere Episcopum, presbyterum, diaconem, aut subdiaconem vxorem propriam causa Religionis abijcere a cura sua, scilicet, vt ei victum & vestitũ non prouideat, nõ vt cum illa ex more carnaliter iaceat. Sic & sanctos Apostolos legimus egisse, beato Paulo dicente: [d] Numquid non habemus potestatem sororem d 1. Cor. 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mulierem circumducendi, sicut fratres Domini,& Cephas? Vide insipiens,quia non dixit, Numquid non habemus potestatem sororem mulierem amplectendi, sed circumducendi, scilicet,vt de mercede prædicationis sustentaretur ab eis, nec tamen foret deinceps inter eos carnale coniugium. Præterea,cur aliquis laicus vxoratus dubitabit ad ecclesiasticos gradus ascendere, cum ei vna,sine qua esse non debet, possit ad carnales amplexus sufficere? & quare tu,qui tantopere Clementis Capitula proponis,epistolam eius,de qua superius dicimus,non attendis; ibi enim ita dicitur: Tribus gradibus diuinorum commissa secretorum sunt sacramenta, ideſt, presbyteris, diaconibus,& subdiaconibus. Et post nonnulla: Ministri altaris ad Dominica tales eligantur officia, qui ante ordinationem coniuges nouerint,scilicet si semper continere noluerint. Quod si post ordinationem contigerit ministrum propriæ inuadere cubile vxoris, secretarij non terat limina, nec sacrificij portitor fiat, nec altare contingat, nec ab offerentibus holocausta, vel oblationes suscipiat, nec ad Dominici corporis portionem accedat: aquam sacerdotum porrigat manibus, ostia forinsecus claudat, minora tantum gerat officia, vrceum sane ad altare non suggerat.

Porro Synodus Nicæna omnino venerabilis & authentica sic definit Actis,ideſt,subductis,habet: Omnimodis interdicit sancta Synodus, & neque Episcopo, neque presbytero, neque diacono, neque vlli omnino clericorum permittit habere secum mulierem extraneam, nisi forte mater sit, aut soror, aut amita: in his namque personis,& horum similibus omnis suspicio declinatur.Qui autē præter hæc agit,periclitabitur de ordine suo. Beatus quoque Papa Innocentius latius hinc scribens Exuperio Episcopo Tolosano,dicit: Proposuisti quid de his obseruari debeat,quos in diaconij ministerio, aut in officio positos incontinentes esse, aut fuisse generati filij prodiderunt. De his & diuinarum legum est disciplina; & beatæ recordationis viri Siricij Episcopi monita euidentia commonuerūt, vt incontinentes in officijs talibus positi, omni honore ecclesiastico priuarentur,nec admitterentur accedere ad ministeriū; quod sola continentia oportet impleri. Idem ad Victricium Episcopum: Præterea quod dignum, & pudicum, & honestum est, tenere Ecclesia omnimodo debet, vt sacerdotes & leuitæ cum vxoribus suis non coeant, quia ministerij quotidiani necessitatibus occupantur. Scriptum est enim: [a] Sancti estote, quoniam ego sanctus sum, dicit Dominus Deus vester. Nam priscis temporibus de templo Dei sacerdotes anno vicis suæ non discedebant, sicut de Zacharia legimus, nec domum suam omnino tangebant, quibus vtique propter sobolis successionem vxorius vsus fuerat relaxatus, quia ex alia tribu, & præter semen Aaron ad sacerdotium nullus fuerat permissus accedere: quanto magis ij sacerdotes vel leuitæ pudicitiam ex die ordinationis suæ seruare debent, quibus sacerdotium, vel ministerium sine successione est, nec præterit dies qua vel a sacrificijs diuinis, aut baptismatis officio vacent? Nam si Paulus ad Corinthios scribit,dicens: [b] Abstinete vos ad tempus, vt vacetis orationi,& hoc vtique laicis præcepit: multo magis sacerdotes, quibus & orandi & sacrificandi iuge officium est, semper debebunt ab huiusmodi consortio abstinere; quibus si contaminati fuerint carnali concupiscentia,exaudiri posse se credunt, cum dictū sit: [c] Omnia mūda mundis,coinquinatis autem & infidelibus nihil mundum? Sed fortasse hoc licere credit, quia [d] scriptum est: Vnius vxoris virum: nō propter permanentiam in concupiscentia generandi hoc dixit, sed propter continentiam futuram. Neque enim in regnos corpore non admisit,qui ait: [e] Vellem autem omnes sic esse sicut & ego. & apertius declarat, dicens: Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem iam non estis in carne,sed in spiritu. Et habentem filium,non generantem dixit. Et venerabilis Papa Siricius: Feminas non alias patimur esse in domibus clericorum, nisi eas tantum quas propter solas necessitudinum causas habitare cum iisdem Synodus Nicæna permisit. Sanctus deinde Leo Papa mirabilis doctor,& sanctæ Chalcedonensis Synodi auctor omnem ambiguitatem huius rei abscidens ait: Lex continentiæ eadem est altaris ministris, quæ Episcopis atque presbyteris. Qui cum essent laici, siue lectores, licito & vxores ducere, & filios procreare potuerunt: sed cum ad prædictos peruenerunt gradus, cœpit eis non licere quod licuit. Vnde vt de carnali fiat spirituale coniugium, oportet eos nec dimittere vxores, & quasi non habeant, sic habere, quo & salua

[a] Leuit.11.
[b] 1.Cor.7.
[c] Tit.1.
[d] 1.Tim.3.
[e] 1.Cor.7.

A salua sit charitas connubiorum, & cessent opera nuptiarum.

Eece isti cum Petro & per Petrum effecti clauigeri regni cælorū ita confringunt omnes clauiculas infernalium portarum, vt nulla iam supersit hæresis Nicolaitarum.Sed ne quid minus factum dicas,seriatim, & aperte prosequemur,quid Romana Ecclesia in gradibus clericorum agat.Clericos tantū ostiarios,lectores,exorcistas & acolytos,si extra votum & habitum monachi inueniuntur, & continētiam profiteri nolunt, vxorem virginem ducere cum benedictione sacerdotali permittit;non autem viduam aut repudiatam: quia propter hoc solum deinceps, nec ad subdiaconatum prouehi poterunt,nec laicus non virginem sortitus vxorem, aut bigamus ad clericatum. Quod si quis præfatorum ordinū desiderat ad subdiaconatum ascēdere,nequibit hoc sine consensu vxoris suæ, vt de carnali fiat deinceps coniugium spirituale, nemine eos ad hoc
B cogente. Nec permittitur postea vxor iungi eidem suo marito carnaliter, nec cuiquā nubere in vita, aut post mortem illius; alioquin anathematizanda est. Sicut & subdiaconus, & diaconus,& presbyter, aut Episcopus deponendus suam repetens, aut extraneam ducēs, iuxta quod in Neocæsarienſi Concilio orthodoxi sanxerunt Patres.

Talibus ergo traditionibus vsque nunc sancta Romana & Apostolica Sedes omni mundo refulsit, nec aliquando Iudaicis fabulis,& apocryphis scripturis acquieuit,sed per primos Apostolorum in ipso summo angulari lapide Christo IESV fundata nullis hæresibus cessit, nec prohibuit a coniugio laicos, sed sacri altaris ministros, & Apostolicam perfectionem professos monachos. Illa tamen ecclesia, quam Arrius corrupit, Macedonius prostituit; quæ genimina viperarum, ideſt Nestorium, Eutychen, Monothelitas, & Theopaschitas, & reliquas hæreticorum pestes peperit, & aluit:
C adhuc a Nicolai hæresiarchæ complexibus abstrahi non potuit. Adeo vt ad sacri altaris ministerium ordinandos interroget,an habeant vxores. Qui si responderint,se non habere; compelluntur primum ducere, & sic impositionis manum accipere, vt noui mariti & recenti carnis voluptate toti resoluti & marcidi, & inter sancta sacrificia cogitantes quomodo placeant vxoribus,immaculatum Christi corpus tractent, atque populo distribuant; indeq. sanctificatas manus ad tractandum membra muliebria, mox referāt, & sit sicut [a] populus,sic sacerdos, & tandem [b] ruina populi sint sacerdotes mali. Quapropter parcite iam vobis, & nolite attendere spiritibus erroris, & dæmoniorum doctrinis, vt nobiscum de vera pace, quæ Christus est, hic & in futuro gaudeatis.

[a] Ose.4.
[b] Ibid, 9.

Tu vero miserrime Niceta, donec resipiscas, sis anathema ab omni Christi Ecclesia cum omnibus qui tibi acquiescunt in tam peruersa doctrina. Nam volens esse legis diuinæ doctor, non intelligis quæ loqueris,neque de quibus affirmas, & stultus ipse sapientior tibi videris septem viris loquentibus parabolas. Sed saltem aliquando disce tacere, qui numquam loqui didicisti.
D

Explicatur Responsio, reliqua suo loco superius in Annalibus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

APPENDIX

Ex additionibus & correctionibus.

Auctor Lectori.

DIVINA eloquia propter incomparabilem sui sinceritatem argento septies igne probato, comparat diuinus [a] Psaltes. Humana autem siue eloquia, siue scripta, vt sint omnino pura, non septies tantum, sed (vt ita dixerim) septuagies septies, tamquam in fornace metalla, erunt prudentiori examinanda iudicio. Non ergo mireris, Lector, si ad finem vniuscuiusque Annalium Tomi, correctionum atque additionum appendicem soleamus affigere: magis autem gaude, ita tibi sollicitius vigilare studium nostrum; atque lauda, si sic ex correctionibus istis sæpe reuocatam in conflatorium, ad purum excoctam, perpurgatam, ac ita colatam habere contingat historicam veritatem. Sed & si ex antiquarum rerum recens inuentarum auctario eamdem magis magisq. locupletatam accipias: etiam gratias age. Vale.

[a] *Psal.* 11.

Quæ in hoc Vndecimo Annalium Tomo addenda, vel corrigenda ab eodem Auctore ponuntur, signata annorum numero, apposita nota paragraphi. §.

ANno Christi 1002. §. Aderat Comes — *ibi* — haberi contingat — *hæc adde* — sed iam hic cuncta quæ de eo reperimus digna memoria, describamus. At primum scias, ex ijs, quæ ex Petro Damiani dicturi sumus, quod ista quæ modo ex Sigeberto sunt narrata, fide minuuntur. siquidē ante Ottonis obitum, Hugonem esse defunctū, ab eodem Petro, qui hoc ipso sæculo vixit, asseritur. Quod & perspicue ex antiqua inscriptione ad eius sepulchrum posita demonstratur, dum nō hoc anno, quo posuimus secuti Sigebertum, eumdē Hugonem mori contigit, sed superiori, qui est Redemptoris millesimus primus. sicq. ex Petri scriptis, quæ post hæc cusa ad nos peruenerūt, ista corrigimus. Sed & ex eodē probatæ fidei auctore, quæ de hoc ipso Hugone memoriæ prodidit, hic describamus. Ipse quidem in epistola, quam scripsit ad Godefredum Tusciæ Marchionem, eiusdem Hugonis postea successorem, hæc de eodem Hugone habet, dum ad eius sequenda vestigia sic cohortatus est eum: Vt autem domesticum tibi, vel (vt ita loquar) vernaculum præbeamus exemplum: nemo melius occurrit, quā glorioſæ memoriæ Hugo Dux & Marchio, qui eum, quo tu fungeris, obtinuit Principatum; obtinuit, inquam, vtramque Marchiam, & quæ Tyrrhenum videlicet, & quam mare Adriaticum alluit. Sed cum perpenderet, quia propter improbitatem iniuste viuentium strenue regere vtramque non posset, cessit Imperatori Marchiam Camerini cum Spoletano Ducatu; iuri vero proprio Tusciam reseruauit. Huius tempore Capuanus Princeps (si rite rem teneo) dum manibus chirothecas vellet abducere, hi qui aduersum eum conspirauerant, ei protinus quasi subuenientes occurrunt, manus eius vtrasque complodunt, & mox euaginatis gladijs eum confodientes interimunt. Quod mox vt incomparabilium virtutum viro, Hugoni videlicet Marchioni, delictum istud patenter innotuit: nihil moratus, Capuanam vrbem numerosis exercituum legionibus circumsedit, eamq. tamdiu bellicis armatorum copijs oppugnare non destitit, donec ex ea victoriam caperet, & interfectores domini sui digno necis supplicio trucidaret.] consentiunt his quæ habet [b] Leo Ostiensis in Chronicis Casinatibus. pergit vero Petrus:

[b] *Leo Ost. lib. 2. cap. 10.*

De quo nimirum & alia tot virtutum insignia referuntur, vt prolixitate temporum splendida nominis eius fama aboleri nullatenus valeat, sed quasi virēs semper & florens in ore hominum solemniter viuat. E quibus & nos scribere nonnulla possemus, quæ forent ædificationi procerum profutura; sed quia dum nobis dicerentur, singula gestorum verba notare negleximus: ne, quod absit, aliquo fallamur in verbo, describenda hæc alijs delegamus. Breue tamen quod audiui de pueri eius ætate non taceo.

* Obertus

* Obertus Marchio pater eius Hugonis Regis naturalis filius extitit, qui nimirum * Vuillam Bonifacij Marchionis filiam coniugali sibi fœdere copulauit] Habes hic Lector genus Hugonis exacte declaratum, nempe filium fuisse Alberti, Hugonis Italiæ Regis filij, de quo superiori Tomo ex Luitprando Ticinensi est dictum. pergit vero Petrus:

* *al.* Adalbertus aut Albertus vel Vbertus dictus inuenitur.
* *al.* Guillam.

Hic pater scilicet Hugonis non multo post indignationem Primi Ottonis incurrit, ac subinde relicta nesciens coniuge grauida, in Pannoniam profugus exulauit. Qui longo post tempore resumptus in gratiam, redijt: matrem autem grandiuscula cum prole reperiens, admiratus expauit. Negat homo se genuisse quem conspicit, & zelotypiæ permotus inuidia, fetæ mulieri obscenum crimen intendit; nequaquam se tam insperatæ rei perhibet conscium; diffitetur se conceptionis huius nosse mysteriū; nec posse fieri, vt se asserat patrem, qui prægnantem non reliquit vxorem. Ad hoc tandem, re diutius ventilata pertrahitur, vt non aliter quam peractæ purificationis indicio, tam grauis obiectio sopiatur. Hoc igitur ex vtraque parte conuenit, vt in vasta quadam amplissimæ domus area conuentus religiosarum fieret personarum, quibus nimirum in subsellijs suis vndique considentibus, puer solus in medio poneretur, vt si patrem quem numquam antea viderat, adiens peteret, ab omni procul dubio matrem suspicione purgaret.

Quid plura? Conueniunt pontifices, adsunt cum monachis & Abbatibus inferioris etiam ordinis sacerdotes. Fletur, gemitur, suspiratur. Ad cælos oculos erigunt, pugnis pectora mæsta contundunt, profluentibus lacrymis tristia ora perfundunt. Dimissus itaque puer in medio sine pappate, vel gerula, cœpit ire. & cum pater sederet inter vulgus, nec ab alijs videretur vlla subsellij varietate distinctus, contemptis omnibus, puer ad eum signanter accessit; eiq. tamquam notissima familiaritate blanditus, adhæsit. Sic itaque liberauit matrem, dum diuino prouocatus instinctu petijt genitorem. Hoc igitur modo matris confusio tollitur, & patri filius redditur; & vtriusque parentis affectus erga se inuicem in communi sobole reformatur. Omnes ergo qui aderant, tanto stupefacti miraculo, votiua mentis iubilatione . . . . & dignas auctori Deo gratias referentes exultant.

Hic persæpe dum equitaret, comitum cuneos post se dimittere consueuerat, & vel solus, vel vno contentus assecla, longius præcedebat. Et tunc agricolas vel opiliones his compellabat affatibus: Quid vobis, inquit, videtur de Marchione isto? quem dicunt? Numquid non crudelis & impius & pauperes opprimit, terram dissipat, & cuncta ditionis suæ bona profligat? Ad quæ ipsi. Absit, aiunt, Absit. falsum est penitus, o homo, quod loqueris. Non est enim potestas talis super terram, quæ scilicet violentijs & rapinis abstineat, quæ in tanta pace & securitate populum sibi subditum regat. Viuat, optamus, viuat ista potestas ad refugium pauperū, & prospere floreat ad omnem custodiam subditorum. Quod ille audiens, exultabat in Domino. Vnde sæpe dicebat: In tanta volo semper erga subditos, & præcipue erga rusticos mansuetudine viuere: vt . . . . . quæ caballi mei rodentis ore dilabitur, a rusticorum porcellis e vestigio colligatur. Porro autem, cum de se quid diceretur inquireret: quid aliud quam nostri [a] Redemptoris imitabatur exemplum? Qui nimirum cum omnia proculdubio nosset: illud tamen veluti nescius a Discipulis inquirebat: Quem dicunt homines, esse Filium hominis? Cui cum illi diuersas hominum opiniones exprimerent, addidit: Vos autem quem me esse dicitis? Scilicet vt Rex Angelorum formam daret rectoribus hominum, non quid per os assentatorum suorum dicatur, attendant, sed quod testimonium apud absentes habeatur, inquirant; sicq. quod reprehensibile ex eorum fama deprehenderint, corrigant; ad exequenda vero bona, quæ de se dici cognouerint, auidius inualescant.

[a] *Matth.* 16.

Vt autem præfati Marchionis etiam finem breuiter perstringamus. Cum in extremæ valetudinis languore decumberet, & totius regni lucem extingui, non parua diuersorum hominum multitudo defleret: venerabilis quidam Episcopus, cuius me ad præsens vocabulū fugit, hoc in ligno, quod in igne tunc ardebat, expressum per quædam litterarum vestigia deprehendit: HVGO MARCHIO QVINQVAGINTA ANNIS VIXIT. Cumq. hoc, quasi faustum omen, hi qui aderant, crederent, signumq. hoc esse recuperandæ valetudinis, erectis in spem cordibus, autumarent:

Universidad de Deusto
Biblioteca

* al. sex

rent: paulo post ipse defunctus est. Hic præterea* septem monasteria in sui iuris possessione construxit, quæ non modo prædijs ac mancipijs, sed aureis & argenteis vasis, diuersis etiam ecclesiasticis ornamentis copiosa liberalitate ditauit. In quorum vno, venerabili videlicet ac religioso, quod in honorem Dei Genitricis in Florentina ciuitate constructum, iacet cadauer eius humatum.

Cuius obitum cum Augustus, qui tum habenas regebat Imperij, Otto videlicet Tertius agnouisset, quia quodam aduersus eum stimulo mordebatur inuidiæ: protinus in hanc vocem gratulabūdus erupit: Laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Sed paulo post, eodem scilicet anno, & ipse defunctus est. Sic itaque suam improuidus pertulit, qui de morte alterius nequiter exultauit. non attendens id, quod vir sa-
a Eccli. 8. piens ait: [a] Noli de mortuo inimico gaudere, sciens quoniam omnes morimur.] hucusque Petrus Damiani de rebus Hugonis vsque ad obitum eius. quem esse defunctum in fine anni superioris, indicat nota temporis tunc sepulchro eius incisa his verbis: OBIIT ANNO SALVTIS MILLESIMO PRIMO. XII. KALENDAS IANVARII. In quo etiam litteræ istæ habentur incisæ H. M. H. N. S. Quæ nihil præterea quā hæc significare putamus, HVGONIS MARCHIONIS HVGONIS NEPOTIS SEPVLCHRVM. hæcq. ex recitatis Petri Damiani scriptis, quibus asseritur, Hugonem hunc nepotem fuisse Hugonis Regis Italiæ magni nominis viri, cuius nomen potius quam patris positum est in sepulchro tum ob claritudinem aui, tum etiam ob patris obscuritatem, quod non legitimus Hugonis Regis filius esset, sed nothus. Erat sarcophagum eius porphyreticum, quod hodie cernitur in atrio eiusdem monasterij (vt accepi) ad ministerium aquæ nimis ingrate redactum. Sic infelix mortalium conditio fert, vt nec sedes sepulchri sit stabilis, sed diuersis occasionibus pereat, vel mutetur & minuatur: vt huic de quo est sermo Hugoni accidit, dū mutatione sepulchri, insigniori parte eius, labro diminutus fuerit porphyretico, & nobili tunc scripto (vt ea ferebat conditio sæculi) epitaphio sepulturæ priuatus omnino, quod Dei beneficio contigit reperiri. Siccine didicerunt æditui de benefactore adeo insigni benemereri? & quod deterius, eiusdem Hugonis vitam locupletatam mendacijs edere? quæ piget enumerare. & in primis deforme illud, quod vestibulum ingredienti Lectori fit obuiam, non inuitans ipsum, sed verberans & expellens; dum ibi asseritur Hugo iste fuisse Princeps Magdeburgensis, Etruriæ vero ab Ottone Tertio Imp. præfectus, quibus aduersentur Petrus Damiani, Luitprandus, Glaber, & alij eiusdem temporis Scriptores, dum ostendunt hunc non Germanum, sed Italum, auitaq. hereditate possedisse Principatum Etruriæ. At non est nostri instituti hic errores reliquos numerare, ac confutare fabulas ibi inani studio concinnatas. Præstat tanti Principis vitam e purioribus deducere fontibus, nempe e Petro Damiani & alijs, ex quibus nobilissima Florentinorum ingenia panegyricas orationes dici solitas, dum eidem parentatur, annis singulis, die anniuersaria obitus eius, feliciori Minerua depromant. Iam vero inditum veteri sepulturæ, sed perditum & repertum, hic ——

Anno Christi 1003. §. Ad hæc tempora spectant — *ibi* — Quod enim anno — *vsque ad illud* — subijcit istis — *sunt delenda cum citationibus in margine positis.*

Anno Christi 1054. §. Leo Papa inquit — *post illa verba* — dies octo — *adde ista* —— Porro in eius sepultura duo versus isti legebantur inscripti.

Victrix Roma dolet Nono viduata Leone,
Ex multis talem vix habitura patrem.]

Anno Christi 1061. §. In principio — *post illa verba* — & menses sex — *adde quæ sequuntur.* — Petrus Damiani in epistola ad Mainardum Vrbinatem Episcopum, de eodem Nicolao Secundo Papa hæc præclara admodum narrat: Porro Mainardus Siluæcandidæ Episcopus mihi retulit, quia Nicolaus Papa piæ memoriæ, qui ante triennium ex hac in Domino luce quieuit, numquam in toto anno prætermittebat diem, quin pedes duodecim pauperibus semper ablueret. quod si facere, per totum non occurreret diem, lucidum pietatis opus explebat in nocte.] hæc Petrus. Porro post tres ferme menses vacationis ——

Anno Christi 1062. §. Sic igitur mentis — *in fine post illa verba postrema* — sexagesimo nono — *adde* — Ex ratione autem computi Lamberti dicendum esset, eam non ante annos sexagintasex post millesimum esse profectam in Vrbem. Cum enim anno Do-

no Domini 1072. agens de eius reditu in Germaniam, dicat illum contigisse post annos sex ab eius in Vrbem aduentu: vtique illuc profectam esse dicere opus erit, dicto anno millesimo sexagesimosexto.

Quod exciderat, hic reponendum est. Anno Christi 1038. §. Ceterum etsi — *in fine post illa postrema verba* — animo reuoluentes — *adde quæ sequuntur* — Quod spectat ad res boreales, hoc ipso anno, nobilis ecclesia Polonorum magnopere fluctuauit, immo dirum est passa naufragium inuasione finitimorum Bohemorum sub Brzetislao ipsorum Duce. Immanem tragœdiam hanc accurate descripsit ex antiquioribus Annalibus Longinus, cuius cum nobis fides magis probata reddatur: hic totius facti seriem eiusdem verbis totidem describemus. sic se habet:

Ciuili & plus quam ciuili nobilium videlicet & popularium furore regnum Poloniæ Brzetislaus Bohemiæ Dux intelligens dilaceratum & collisum & suo Rege atque Principe destitutum, inuadere illud velut paratam prædam & amplioribus incommodis afficere, nullam illic sciens se resistentiam habiturum, constituit. Ad quod illum non solum acceptæ in excæcatione aui sui Boleslai Ducis Bohemiæ per Boleslaum Poloniæ Regem iniuriæ factæ memoria, sed & liuor & odium simulq. occupandi alieni regni, aut saltem exterminandi stimulabat ambitio, & praua voluntas. Collecta itaque nobilium & agrestium multitudine Poloniam ingressus, ciuitates eius magis opulentas & insignes, Vuratislauiam videlicet & Posnaniam, oppidaque, vicos, & villas, quæ ciuilis stridor nondum deleuerat, diripit & exurit. Ad Gnesnam tandem Polonorum metropolim perueniens, illam, quoniam nec situ nec arte munita erat, sed neque defensores habebat, facile capit. Et quoniam in vrbe tam vulgata & famosa nobilem prædam suæ auaritiæ, prout rebatur, sufficeturam non reperit (neque enim illic nisi vilia mancipia relicta erant) ad prædanda diripiendaq. sacra templa animum ambitione æstuantem conuertit. Sed ilico omnipotens Dei dignatio potentiæ suæ virtutem ostendens, mirabili prodigio, ne sacer locus maximo & præcipuo suo prædaretur thesauro, prouidit, & quantum sacrilegij facinus profanus & impius Brzetislaus esset admissurus monstrauit. Dum enim Dux ipse Brzetislaus ecclesiam sanctæ Mariæ metropolicam Gnesnen. spoliaturus aduenisset, in ipso limine & aditu, tam ipse quam omnes milites sui, & vniuersa plebs cæcitate & morbo lethargico, qui illos amplius quam triduo detinuit, quoties ecclesiam irrumpere & sacra dirumpere tentabāt, fuere percussi. Interea autem dierum illorum trium pietate Agni cælestis, quæ Polonos verbere suæ plagæ mulctari, non ad extremum tamen consumi permisit, procuratas inducias, pauci ex ministris ecclesiæ Gnesnen. qui ceteris meru belli perculsis diffugientibus remanserant, corpus sancti Adalberti pontificis & martyris in ea conditum, quod verisimiliter Bohemos existimabant sublaturos e loco, in quo annis pluribus vniuersali deuotione quieuerat, abstrahunt, & in loco vili fabulo obrutū recondunt. Sub illis quoque diebus Brzetislaus Bohemiæ Dux in quæque propinqua vastationem iusserat extendi, & agrestes capi, in eam spem adductus, quod discordia Polonorum intestina sua quoque vastatione infesta Resp. Polonorum dissoluta Bohemica fieret angustior. Iam Bohemos & Ducem eorum Brzetislaum examinatio lethargica & cæcitas a spolio in sacra perpetrādo trium dierum continuatione deterruerat, resq. apud eos prout dignum erat, in prodigium & religionem versa, futuri sacrilegij facinus, eiusq. magnitudinem demonstrans, conceptum furorem dissoluebat. Seuerus tamen Pragensis Episcopus, qui bello iniusto huiusmodi se miscuerat, & Gnesnæ præsens aderat, Bohemorum animos, suapte in prædam & spolia proclines, ad prosequendum cœptum scelus animat & accendit: asserens lethargiæ & excæcationis incommodum non propter in sacra ecclesiæ Gnesnen. per eos committendum spolium, sed propter veteres Bohemorum præuaricationes & scelera in Catholicam religionem, aburendo illicitis connubijs, perpetrando homicidia, committendo adulteria, sectando ebrietates, sabbata diesq. festos operibus seruilibus violando, inceste viuendo, sepulturas mortuorum in locis profanis, neglectis ædibus & cœmeterijs sacris, faciendo, & templis spolia inferendo, pauperes opprimendo, iniusta iudicia exercendo, commissa accidisse. Ad quorum expiationem Seuerus pontifex Pragensis, Duci & Bohemis triduanum ieiunium indicit. Quo expleto, iurisiurandi execratione se astringunt, ab omnibus enormibus facinoribus, quibus hactenus se inqui-

Universidad de Deusto
Biblioteca

quinauerant ceſſaturos. Poſt hæc eccleſiam Gneſnen. ingreſſi, dum ſolita non ferirentur celeritate, ad diripienda ſingula ſacra, & omnem eccleſiæ ſupellectilem rapacem animorum & manuum ingluuiem, fauere eorum diuinitatem credentes propoſito, intendunt. Correptis autem eccleſiæ Gneſnen. qui remanſerant miniſtris, non probris ſolum & cruciatibus, ſed etiam ampliſſimis promiſſis illos ſollicitant, vt vbinam corpus beati Adalberti pontificis & martyris depoſitum ſit oſtendant. Et illi quidem prudenti & induſtrioſa vafricie vſi, corpus Gaudentij Gneſnen. Archiepiſcopi, & beati Adalberti germani oſtendunt: illudq. eſſe corpus beati Adalberti mentiuntur. Creditum eſt ilico a Bohemis. Nam & ſarcophagi, lociq. & ornamentorum pontificalium, quibus veſtitum erat corpus Gaudentij, qualitas fidem figmentis faciebat. Tollunt itaque Bohemi corpus Gaudentij, & immenſa lætitia, putantes ſe corpus beati Adalberti martyris adeptos eſſe, exultant, & vulgaribus canticis eccleſiam Gneſnen. replent. Deinde illud magna ſolemnitatis pompa de eccleſia efferunt, & in caſtra ſua traducunt. Quæ quidem ludificatio iuſtiſſima Dei lege & prouidentia euenisſe Bohemis credenda eſt. Qui enim verum Dei & ſuum tunc pontificem, pluribus probris, contumelijs & iniurijs viuentem affecerant, qui eum geminata vice de ſede ſua ignominioſe eiecerant, quiq. ſæuiſſima cæde fratres ſuos & vniuerſum genus ſuum odio & liuore necauerant, eius ſacrum corpus Polonis, qui eum ſuſceperant, honorificauerant, eius monitis ſalutaribus paruerant, eius corpus ex Pruſſia tranſtulerant, auferre diuinitate decernente iudicati ſunt indigni. Sed nec Sanctus ipſe paſſus eſt oſſa ſua ad gentem apoſtatricem referri, quæ, quantum in ea erat, & in præſentem in ſe, & in abſentem in ſuos ſæuiens, ſui nominis memoriam conata eſt e rerum natura pertinaci animo tollere & abolere: & quorum viuens conſortia ſolebat fugiẽdo aſpernari, ab eiſdem non tulit corpus ſuum contingi, neque in Bohemiam ex Polonia auferri. Conuertit poſt præmiſſa Brzetiſlaus Bohemiæ Dux animum ad cetera ſacra diripienda, & quinque fratrum & martyrum corpora, videlicet Ioannis, Benedicti, Iſaac, Matthæi, & Chriſtini, quos ſub Boleſlao Primo Polonorum Rege, in loco vbi nunc eſt oppidum Cazimierz, eremiticam vitam in arctiſſima conuerſatione agentes, monſtrauimus martyrium paſſos, quæq. Boleſlaus Rex Primus ex loco paſſionis eorum Gneſnam tranſtulerat. Imaginem inſuper Crucifixi ex puro auro per Boleſlaum Primum Polonorum Regem fabrefactam, & trecentas habentem libras, triplici pondere corpus eius appendentem: item tres tabulas, quibus altare maius adornatum fuerat, auro puro & varijs pretioſisq. lapidibus & gemmis ſuperbas, per eumdem Boleſlaum Poloniæ Regem donatas, ceteraq. eccleſiæ Gneſnen. vaſa & elenodia rapit, & ſacrilego facinore eccleſiam Gneſnen. pluribus ſuis ſacris ornamentis & decoris ſpoliat. Neque his contentus, campanas nobiles & in magnitudine, valore, atque ſono raras aufert, & cum his omnibus, & populi ruſticani vtriuſque ſexus multitudine, quam captam tenebat, in Bohemiam reuerſus eſt: & Pragam in vigilia ſancti Bartholomæi ingreſſus, ſacras prædas in eccleſia maiori Pragen. collocat, & deponit. Captiuos vero ruſticos Polonorum, inter quos ſacerdotes miniſtriq. Dei videbantur (tanta enim erat Bohemorum crudelitas, vt nec a chriſtis Domini manum continerent) in colonias deduci diſtribuiq. ordinauit; corpus ſancti Chriſtini vnius ex quinque fratribus, Morauis inſtantius petentibus, Olomucenſi eccleſiæ, quæ nondum cathedrali tunc fungebatur honore, donauit: quod apud illam in eam vſque diem ſub tabulis argenteis auro tinctis requieſcit, ſuoq. titulo & nomini cathedra Olomucẽſis extat dicata.] hucuſque Longinus. Quomodo autem de tot tantisq. ſacrilegijs anno ſequenti delatæ ſunt per Legatos ad hoc miſſos ad Romanum Pontificem accuſationes, & quid aduerſus ſacrilegos fuerit iudicatum; ſuo loco ex eodem auctore auditurus eris. — Hoc eodem anno defunctum —

Eodem anno 1062. prope finem. §. Subiacet his ſigillum — *in fine poſt illa verba* — anno ſexto — *hæc addas* — Porro corrigendus eſt error in notam Indictionis illapſus, vt non duodecima, ſed decimaquinta ſit ponenda. Sed & annus item primus Alexandri Papæ ponendus eſſet, dum data ponitur decimoquinto Kalendas Aprilis, ſiquidem annus ſecundus incipit ab ipſis Kalendis Octobris; niſi ex his magis affirmare libuerit, datam anno ſequenti.

Anno Chriſti 1063. §. Porro ipſum Petrum — *poſt illa verba* — inde cœnobitam — *hæc adde*

quem vos ita deſpicitis, eiq. nullam honoris reuerentiam exhibetis? Ad quod Imperator corde compunctus erubuit & ex ore gentilis hominis Euangelicam prodire ſententiam, vehementer expauit] hæc ibi Petrus —

Anno Chriſti 780. §. Eodem quoque menſe — *ibi* — & diebus ſex — *corrige* — minus diebus ſex —

Anno Chriſti 783. §. hoc item anno Silo — *ibi* — quod dictum eſt — *dele*.

Anno Chriſti 785. in principio ipſius — ibi — extant litteræ tum Imperatorum — *ſic corrige* — extant litteræ tantum Imperatorum, ſed vt apparet datæ anno ſuperiori, & ante creationem Taraſij. recitat eas —

Anno Chriſti 786. in fine ipſius hæc adde — Hoc eodem anno moritur Hildegardis Regina vxor Caroli Magni, cum vixiſſet cum ipſo annos duodecim, vt eius ſepulturæ epitaphium ſcriptum docet, quod ex ruinis monaſterij S. Arnulphi Metenſis erutum ad nos miſſum vna cum alijs Caroli ipſius filiorũ inſcriptionibus, hic tibi, vt piæ valde feminæ, & ſæculi huius omnium clariſſimæ deſcribendum curauimus. ſic ſe habet:

Aurea quæ fuluis rutilant elementa figuris,
Quam clara extiterint membra ſepulta docent.
Hic Regina iacet Regi præcelſa potenti
Hildegard Karolo quæ bene nupta fuit.
Quæ tantum claræ tranſcendit ſtirpis alumnos,
Quantum quæ genita eſt Indica gemma, ſolum.
Huic tam clara fuit florentis gratia formæ,
Qua non Occiduo pulchrior vlla foret.
Cuius haud tenerum poſſunt æquare decorem
Sardonix Pario, lilia mixta roſis.
Attamen hanc ſpeciem ſuperabant lumina cordis,
Simplicitasq. animæ, interiorq. decor.
Tu mitis, ſapiens, ſolers, iucunda fuiſti,
Dapſilis, & cunctis condecorata bonis.
Sed quid plura feram, cum non ſit grandior vlla
Laus tibi, quam tanto complacuiſſe viro?
Cumq. vir armipotens ſceptris iunxiſſet auitis
Liniferumq. Padum, Romuleumq. Tibrim:
Tu ſola inuenta es, fueris quæ digna tenere
Multiplicis regni aurea ſceptra manu.
Alter ab vndecimo rurſum te ſuſtulit annus,
Heu genitrix Regum! Heu decus, atque dolor!
Te Francus, Sueuus, Germanus, & ipſe Britannus,
Cumq. Getis duris plangit Ibera cohors.
Accola te Ligeris, te deflet & Itala tellus,
Ipſaq. morte tua anxia Roma gemit.
Mouiſti ad fletus & fortia corda virorum,
En lacrymæ clypeos inter & arma cadunt.
Heu quantum ſapiens & firmum robore ſemper
Vſiſti flammis pectus herile viri.
Solatur cunctos ſpes hæc ſed certa dolentes,
Pro dignis factis quod ſacra regna tenes.] hucuſque Hildegardis Reginæ epitaphium —

Sed & eius filiæ in cunis defunctæ, quæ ibidem inuenta eſt, accipe ſepulchro inditam inſcriptionem.

Hildegard rapuit ſubito te funus acerbum,
Ceu raptat Boreas vere liguſtra nouo.
Expleuit necdum vitæ tibi circulus annum
Annua nec venit lux geminata tibi.
Parvula non paruum linquis virguncula luctum,
Confodiens iaculo regia corda patris.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Matris habens nomen, renouas de morte dolorem,
Postquam vixisti vix quadraginta dies.
Pectore nos mæsto lacrymarum fundimus amnes,
Tu nimium felix gaudia longa petis.] Hæc ibi, quorum si quis me rogaret auctorem, responderem (quod opinor ex musa consimili) Albinum Flaccum, dictum aliter Alcuinum, sicut & sequentis quod scriptum, cum primogenita filia eiusdem, eodem ferme tempore obijt, sic vt eius epitaphium ibidem inuentum habet versibus istis:

Hoc tumulata iacet pusilla puellula busto,
Adeleid amne sacro quæ vocitata fuit.
Huic fator est Karolus, gemino diademate pollens,
Nobilis ingenio, fortis ad arma satis.
Sumpserat hæc ortum prope mœnia celsa Papiæ,
Cum caperet genitor Itala regna petens.
Sed Rhodanum properans rapta de lumine vitæ,
Ictaq. sunt matris corda dolore procul.
Excessit patrios non conspectura triumphos;
Nunc Patris æterni regna beata tenet.] Duxit autem post obitum Hildegardis Luitgardem & alias, decedentibus ipsis, idem Carolus Magnus, in hoc plane seipso minor inuentus, cum nec his contentus, introduxerit concubinas —

Anno Christi 795. §. Probat quidem — aut audiatur digna — *adde* — quæ alij (vt dictum est superius) affigunt Leoni Magno. ita inconstans mendacium inuenitur vbique —

Anno Christi 804. vltimo versu anni eius post illa postrema verba — hæc Lupus Abbas — *hæc adde* — Ceterum quod ad tempus eius obitus spectat, ipsum Albinum adhuc post hæc tempora fuisse superstitem, quæ de eo inferius asseruntur, affirmare nos cogunt contra ipsum Oderannum. Verum de ipsius Albini ætate maximæ insurgunt difficultates, quandoquidem si ipse idem est, de quo Beda meminit, plane centenariam ætatem longe excesisse, dicendum esset. Quamobrem illud potius asseruerim, aut illum Albinum cuius meminit Beda, alium omnino diuersum esse ab eo qui vixit sub Carolo Magno, eiusq. hunc posteriorem fortasse fuisse discipulum; aut certe fatēdum, non omnia, quæ tribuuntur Albino, eius esse. nos autem bona fide quæ accepimus, cusa illa damus —

Anno Christi 806. §. Quod rursum spectat ad commentum — *vsque ibi* — Vrgentibus autem — *dele.*

Anno eodem §. Super omnia autem iubemus — *ibi* — S. Papæ — *corrige* — sancti Petri —

Ibi in margine, vbi dicitur PONTIFICVM — *corrige* — ROMANAE ECCLESIAE —

Anno Christi 811. in fine ipsius hæc adde — Quod autem Adelaidis, siue Adeleidis Pipini filiæ nuper mentio facta est, hic reddamus eius sepulchri epitaphium in monasterio S. Arnulphi Metis existentis.

Perpetualis amor capiendæ & causa salutis
Pectore quem vigili huc properare facit.
Nosse cupis cur buſta sacer numerosa retentet
Hic locus, astrigeri qua patet aula poli?
Iste sacer domini qui post seruauit ouile
Legitimi fuerat germinis ante pater.
Cuius posteritas abauo confisa patrono
Hoc cupit in sancto ponere membra loco.
Pipini hic proles Adeleid pia virgo quiescit,
Quam simul & reliquas S. tuere pater.]

Ibidem & secundi Pipini huius aui filia Rothaides sepulta hoc claret epitaphio, quo & genus texitur maiorum eius. sic se habet:

Hic ego qua taceo Rothaidis nomine dicor,
Qui genus excelso nimium de germine duco.
Nam mihi germanus gentes qui subdidit armis
Ausonias, fretus Karolus virtute Tonantis.
Pipinus est pater, Carolo de Principe cretus,
Aggarenum strauit magna qui clade tyrannum.
Pipinus proauus, quamquam audactior vllus.
Ast abauus Anchise potens, qui ducis ab illo
Troiano Anchise longo post tempore nomen.
Hunc genuit pater iste sacer Præsulq. beatus
Arnulphus, miris gestis qui fulget vbique,
Hic me spe cuius freti posuere parentes.] Porro sancti

sancti Arnulphi causa, facta est eius ecclesia sepultura eius generis Regum Francorum, eorumq. filiorum. —

Anno Christi 812. §. Ponitur hoc anno perperam — *vsque ibi* — Ad hæc vltima tempora — *dele.*

Anno Christi 813. §. Eodem quoque anno (vt dictum est) — *in fine ipsius post illa verba* — & laude Dei — *hæc adde* — Quod autem errore factum est in priori editione, vt positum fuerit Concilium habitum ad Villam Theodonis, ante duo ista Concilia Moguntinum & Rhemense: hic corrigendum est, atque dicendum, primum quidem oportuisse celebrata esse dicta duo Concilia, deinde vero illud ad Villam Theodonis, eo quod Archiepiscopi Moguntinus & Rhemensis Aistulphus & Ebbo, qui interfuerunt Concilio celebrato in Villa Theodonis, post Hildebaldum Moguntinū & Vualferium Rhemensem, qui interfuerunt dictis duobus Concilijs, sediisse legantur. Quod ex eo redditur exploratum, quod ambo hi, Aistulphus & Ebbo, nominati reperiuntur in quadam constitutione Ludouici Caroli Magni filij, quæ suo loco inferius recitatur, quam editam esse post duo illa dicta Concilia, nullum est dubium. —

Anno Christi 817. §. Ceterum querela — *ibi* — non solum sub Leone — *corrige* — non sub Leone —

Eodem §. *vbi dicitur* — egregie martyrium consummarunt — *corrige* — glorioſa claruerunt confessione. —

Ex Tomo Decimo.

Anno Christi 844. in principio ibi — Petrum nominauerat — *adde* — Verum id factum primum ab Octauiano, qui vocatus est Ioannes xij. alij tradunt, vt suo loco inferius dicetur. —

Eodem anno. §. His omnibus finitis — *in fine ibi* — diuinitus allatum miraculum — *his hæc adde* — Drogo autem Metensis Archiepiscopus reuersus ad suos, diem obijt, sepultusq. est in monasterio sancti Arnulphi, vbi & in eius sepulchro huiusmodi fuit epitaphium exaratum:

Conditur hoc busto Præsul Drogo marmore sculpto.
Spiritus in requie lætus ouat Abrahæ.
Filius hic Magni Karoli fuit Imperatoris,
Vir pius & prudens, vel probitate cluens.
Aulæ regalis moderator, pastor ouilis
Metis, & Ecclesiæ iure pater patriæ.
Hic Præsul, præses, dominus, primasq. eis Alpes,
Eius iudicio pace fuit regio.* *f. &*
Iste Glodesindis solemniter ossa leuauit,
Condigneq. loco condidit eximio.] Sed redeamus in Vrbem, ad res gestas ipsius Romani Pontificis. — Pergit rursum Anastasius. —

Anno Christi 845. §. Hodie Imperatores — *ibi* — illatum est — *adde* — sed quod ad tempus spectat, — *corrige* — vt loco annorum decem & nouem, ponas decem & septem: tot enim numerabis ex eodem auctore superius, cui consentiunt alij. —

Anno Christi 847. §. Cum iam satis — *ibi* — celebrandus — *adde* — At ex his quæ superius de eo dicta sunt, reperies eum sedisse annos quinque & menses quatuor —

Anno Christi 853. in principio — *ibi* — per annos sexdecim — *corrige* — per annos tredecim —

Ibidem vbi dicitur — sexagesimumnonum — *corrige* — sexagesimumsextum —

Anno Christi 853. §. Prope finem — *ibi* — tres Legati — *corrige* — quatuor Legati —

Anno Christi 865. in principio — *ibi* — mense Februarij — *corrige* — mense Ianuarij —

Anno Christi 866. §. Hoc eodem anno Nicol. — *ibi* — ad Henricum — *corrige* — ad Herardum — *& post sequentem versum* — *ibi* — Henrico — *corrige* — Herardo —

Eodem anno §. Remigius Lugdunensis — *ibi* — Hildegarius Met. Episcopus — *corrige* — Meldensis Episcopus —

Anno Christi 867. §. Porro manus — *ibi* — vndecima Nouembris — *corrige* — vndecima Decembris, & quidem secundum Frodoardum biduo ante obitum Nicolai: nam ipsum defunctum affirmat die decimatertia Decembris — *vsque ibi* — sicq. redditæ sunt succes —

Eodem anno §. Porro Ioannes diaconus — *ibi* — suis datis litteris ad Orientales — *corrige* — suo colloquio habito cum Orientalibus —

Anno Christi 870. §. Astitit huic Synodo — *adde* — seu potius Synodo Duziacensi, celebratæ anno sequenti Hincmarus iunior —

Universidad de Deusto
Biblioteca

Anno Christi 873. §. Hoc pariter anno a Ioanne — *ibi* — Indictione quinta — *adde* — (alias sexta) Idibus Septembris —

Anno Christi 876. §. Petentibus autem Episcopis — *ibi* — Prothasius — *adde* — (alias Erotarius) vt supra Burdegal —

Anno Christi 882. §. Cum vero post Ioannis obitum — *ibi* — diebus tribus — *corrige* — diebus tredecim — exæstuans —

Eodem anno paulo inferius. §. Porro decepit plures — *ibi in fine* — assertio — *corrige* — negatio — Stephani —

Anno Christi 891. in principio. §. De hoc autem — *ibi* — Pontifice Stephano — *adde* — nisi intelligat de Stephano illo nequissimo, numero, septimo, dicto sexto — Marianus —

Anno Christi 901. §. Cum autē Princeps — *in fine ipsius post illa verba* — ita diutius permanentis — *hæc adde* — At ex epistola eiusdem Nicolai ad Romanum Pontificem scripta, cum ab exilio est reuocatus in suam sedem, quæ vna cum alijs eiusdem Patriarchæ epistolis ad nos ab Aloysio Lolino Episcopo Bellunensi missa est ex sua bibliotheca Græcis libris opulenta, multa narrantur, quæ in recitatis desuper monimentis desiderantur, nimirum, antea a Zoe genitum filium, quam de matrimonio cū ea contrahendo, ea fuerint actitata. Insuper quod cum mirum in modum ijsdem nuptijs idem Patriarcha fuerit refragatus, ab eodem Imperatore fuisse legationem missam ad Romanum Pontificem, qui super eiusmodi matrimonium dispensaret; inuentumq. tunc sedere Sergium, qui missa ea de causa legatione Constantinopolim, per eam idem quartum Imperatoris contractum cum Zoe matrimonium ratum haberi voluit; curauitq. vt eidem contradicens idem Patriarcha Nicolaus in exilium mitteretur; quod & factum est statim. leges ista locupletius scripta in dicta eiusdem Nicolai Patriarchæ epistola ad Romanum Pontificem data, describenda inferius suo loco, eo tempore, quo ipsa reperitur fuisse conscripta, anno videlicet Redemptoris nongentesimo duodecimo — Quod vero ad Theophanonem —

Anno Christi 912. §. Defuncto itaque Alex — *ibi* — quem cum — *dele* — cum — *sequenti versu ab illis verbis* — omnino errasse noscuntur — *vsque ad illa verba* — inter tutores — *dele.*

Eodem anno §. In hunc vsque annum — *ibi* — duobus illis annis computatis — *corrige* — vltra quatuor illos annos —

Eodem anno §. Defuncto itaque Alexandro — *in fine ipsius post illa verba* — est numeratus — *adde quæ sequuntur* — Qui tunc quidem non sede tantum potens, in quam anno superiori (vt vidimus) fuerat reuocatus, sed adhuc etiam administratione pollens Imperij ipse tutor Imperatoris, memor iniuriarum antiquarum, quas passus fuerat sub Leone, a quo, suadentibus Sedis Apostolicæ Legatis, e throno depositus & in exilium missus fuerat: querelis plenam ad Romanum Pontificem scripsit epistolam, qua cum exacte admodum rei tunc gestæ historiam narret, pluribus disserit aduersus quadrigamiam admittentes Romanos Pontifices, cuius causa, quod ipse eam non probaret, solum vertere coactus fuisset. Nacti nos ipsam ab Aloysio Lolino Episcopo Bellunensi rerum nostrarum studiosissimo vna cum alijs memoria dignis eiusdem Patriarchæ epistolis, hic describendam curauimus, sic se habet:

Sanctissimo Papæ veteris Romæ Nicolaus Patriarcha C P. de Tetragamia a Romanis recepta.

Inde principium scribendi sumam, beatissime Pater, vnde nobis tot mala promanarunt. Post tertiæ vxoris obitum subijt optimi atque dilecti nobis Imperatoris animum quartum quoque connubium experiri velle: quod nemo ante nedum priuatus, verum etiam amplioris gradus sub ditione Romana ausus fuerat. quæ enim tam effuse petulans libido refragantibus sanctorum canonum sancitis non coliberetur, nisi summo imperio suffulta, licere sibi censeret, quidquid concupisset? Vicit ergo ad extremum amor, quartaq. iam vxor expetita est: puer autem obtentui assumptus, qui pridem ab ea genitus, successioni Imperij nullo prolis adhuc subsidio innixi destinabatur. quod quidē fieri minime debuerat: neque enim quartus subsecutus illegitimā coniunctionem ratam effecit. alioquin obuium vnicuique & in promptu foret legibus illudere. Hunc Imperatoris conatum Ecclesia Orientalis, pro eo ac grauitas rei postulabat, tam molestē tulit, vt conspiranti Antistitum consensu solemnem illam pom-

pompam Augustorum filijs exhiberi solitam, (id enim pater flagrantissime cupierat) in baptizando puero vetuerit: nisi prius a se mulieris missionem iuraret Imperator. quod & ore præstitit promptissime, quamuis aliud animo occulte volueret. Nondum enim triduum a baptismo filij effluxerat, cum pueri mater in palatium, vt Principis decet nuptam, apparatu regifico accitur: cærimoniæ expediuntur nuptiales, nullius sacerdotis interuentu, Imperatore ipso & sponsi, & auspicis munus exequente. Quod quidem non aliter ac si fundamenta totius fidei conuellerentur, non Præsules modo, clericosq. cuiuscumque ordinis commouit, verum etiam totam simul ciuitatem perculit. Me autem quid aliud tunc agere oportuit, quam quod amico, Antistiti, excubitori, de ecclesiæ dignitate, Principisq. salute dies noctesq. cogitanti agere par erat? Primum quidem ad genua ipsius, immo ad pedes vsque prouolutus & monebam eum vt errantem, & vt Imperatorem obsecrabam: vereretur fastigium dignitatis Augustæ, in qua non secus ac in facie vel tātillum quidem maculæ occuli vix potest: agnosceret longe se sublimiorem Regem tam inauditum facinus cælitus vlturum: non ideo Principes legibus exolui, vt vitam per omne scelus impunes ac infrænes agant, sed vt sibi leges ipsi sint, virtutis præscripto mores componentes. Postremum conditionem asserebam lacrymis obortis, vt saltem secubaret a muliere tantisper, donec acciti Romæ veteris, ceterarumq. Patriarchalium sedium Legati nobiscum, quid facto opus esset, disceptarent.

His ego tunc verbis nihil profuturis (obstruxerat enim eius aures amor) Regem fatigabam; cum interim Roma aduenium Legati, quos ille (sic enim publice sermonibus diuulgabatur) connubio firmando euocarat. Res sane, si quæris, hominibus nostris indignissima est visa, summoq. cum dedecore coniuncta: quippe quæ procurationem mihi debitam alijs deferret, prouincias Patriarchales, iam pridem inter se Patrum sanctionibus discretas, turpiter confunderet: nefarium scelus olim ab Ecclesia dira execratione vetitum, in ius denuo nullo seruato iure reuocaret. Non ignoro a calumniatoribus iactatum, me per superbiam, Legatorum conspectum atque colloquium spreuisse: quasi vero mihi integrum fuerit, aut palam adire viros summa passim inuidia flagrantes ob rumorem, quem plerique sparserant, adesse reprobatarum a nobis nuptiarum assertores: aut ipse Imperatori non suaserim, secretum nobis in palatio cum Legatis congrediendi locum daret, vbi remotis arbitris de quæstione ista nuptiali disceptaremus. quod ille facere neglexit, in meam vnius perniciem animo intentus, quam quidem ita consutis dolis est aggressus. Primum omnium nonnullos nostrorum Præsulum partim donis, partim pollicitationibus illectos, quasi suas peculiares aduersus me copias conscripsit: deinde me iussit in Regiam accersiri ad conuiuium, quod illi instruere quotannis in beati Tryphonis festo moris erat.

Accedo imperterrita comite fretus conscientia, solemni cœtui interfum, epulis accumbo: inter sacra mensæ denique abripior, atque nauigio impositus in exilium agor immitissimum, non amico, nō famulo, non libro denique, cuius lectione me solari possem, fugam comitante: vbi non tam hiemis rigore, rerumq. omnium egestate pressus, quam custodum violentia pene enectus diu mansi. pari inclementia in reliquos sanioris consilij sæuitum est, carcere, relegatione, vinculis afflicti omnes, deliquisse pœna tantummodo creduntur. Accessit, ne quid plane nobis deesset mali, aut superesset præsidij, Legatorum asperitas, qui non secus ac si Roma ad indicendum nobis bellum huc delati essent, nos indignissimis modis oppugnarunt. tantum miserorum odium, tantus contemptus ordinis homines incesserat. Et quidem decebat, primatum ecclesiasticum sibi vendicantes, rem totam serio inquirere, atque ad summum Pontificem referre, non autem per summam iniuriam atque ludibrium eorum damnationi assentiri, qui nullius affines culpæ, Principis indignationem incurrerunt ob id solum, quia fornicationis labem sunt abominati. Verum esto, duos, aut tres viros delatorum hinc calumnijs, inde potentiorum prece, seu pretio expugnatos, humani aliquid, cum homines sint, pati potuisse: Occidentales Præsules meris inimicorum mendacijs inductos innocentium exilium suo confirmasse suffragio, quis ferat? præsertim cum indicta causa aliquem damnare ne barbari quidem, nedum Romani moris vsquam fuerit.

At facto dispensationis nomen, vt audio, prætenditur; quasi vero per vllā dispensationem liceat fidei dignitatem, Ecclesiæ disciplinam imminuere, effractisq. canonum

Universidad de Deusto
Biblioteca

repagulis fornicationem introducere in sancta: aut non inter nascentis Euangelij initia huiusmodi crimen Apostolorum sanctionibus vna cum immolaticijs, & suffocato vetitum non fuerit. Dispensatio, ni fallor, cum sibi imitandam proponat Dei miseratione, quæ delictum aufert, non fouet, salutaris quædam condescensio censenda est, peccatori quidem manum, vt se humo attollat, porrigens, non autem iacere permittens lapso. Non exscribo, quæ in hanc sententiam retulit Vas electionis, cum sint nota omnibus: miror magis, cur nos eo potissimũ relegamur nomine, quod vestigijs inhærentes Patrum, damnata ab illis non permittimus: Ecclesiæ decreta, animarumq. nobis a Deo creditarum salutem, Principis gratia, seu indignatione potiora ducimus.

Non deerunt fortasse, qui obijcient, errori suo latebram quærentes, hoc de quo lis est, matrimonium esse merum, non autem fornicationem. Itane vero matrimonium vocatur immunda cum quarta muliere coniunctio? & quid aliud est vim inferre verbis, si dira lasciuientis animi libido tam honesto nomine prætenditur? Honorabile connubium Paulus [a] appellat, & genialem thorum impollutum. cur igitur eos, qui huiusce modi culpæ succubuere, sacri canones ab Ecclesia eijciunt? cur brutalem hanc luxuriam, & fines humanos supergressam vocant? At Romanis id in more positum (non enim desunt, qui id dicant, laudi ne id vobis, an vitio vertentes, non sat scio) nam apud vos, si famæ credimus, non modo quarta vxor, verum quinta, & sexta, & super hanc alia, atque alia permittitur, vsque ad orci fauces inexhausta illa dispensatione omnes prosequente, illudq. subinde Apostoli verbum [b] ingerente: Satius esse nubere, quam vri. Quasi vero ille intemperantiæ patronus induci debeat, qui nec omnibus quidem secundas nuptias suasit, dum ait: [c] Dico autẽ innuptis & viduis, bonum esse illis sic permanere; quod si continere nequeunt, nubant: viduis quidem mulieribus permittens secundum connubium ob sexus imbecillitatem; viris autem non item, nisi his tantum, qui matrimonij iugum nondum sunt experti: his enim nubere satius, quam vri. alioquin si cum quarta muliere concubitus coniugium est, cur illud Clemens tam aperte damnat? † Clemens inquam ille alumnus atque auditor Petri? Sic enim apud eum legitur: Monogamia quidem naturæ, atque legi consentanea est: Digamia vero post promissionem illegitima, non ob coniunctionem, verum propter mendacium: Trigamia intemperantiæ indicium; quæ autẽ Trigamiæ additur, aperta fornicatio est, & indubia incontinentia.

At non vnus e plebe, sed Imperator est, qui id aggreditur, cuius voluntati refragari nefas. Præclare sane: an quia omnes ille dignitate supereminet, ideo nobis eniendum, vt inquinatior quoque reliquis appareat? eadem ratione pedum, ne luto respergantur, summam curam adhibebimus, capitis prorsus nullam? Apage, nonne vides ad Principis vitam tamquam ad exemplum populorum conformari mores? pronumq. magis esse praua imitari, naturali quadam ad deteriora humani ingenij inclinatione? Quod si principibus viris, quia potestas a Deo maior eis attributur, ideo nequam agere plus licet: quid inter eos, & iumenta differet, quæ copia reddit efferaciora, contumeliosioraque? potentes potenter examinabuntur, magis hoc illum disciplina puniet castrensis: adeo dignitas non mitigat, sed incendit pœnam. Neque vero a me in eum sensum hæc dicuntur, vt velim diris a vobis impeti Imperatorem, tale nefas ausum, ipsumq Sergium Pontificem prædecessorem vestrum. Non ea mens animo, nec tantus vindictæ amor Dei seruos decet. ambo hac vita excessere pridem, supremi omnium Iudicis tribunal adituri: ille vero etiam antequam hinc emigraret, agnouit flebiliter errorem suum, veniamq. a Deo petijt, me inter primos hortatore, ac deprecatore (aderam enim tunc forte ab exilio reuersus, ab eoq. Ecclesiæ gubernationi restitutus) In eos animaduertendum beatissime Pater, qui supersunt, qui tot in me, tantasq. turbas criminationibus falsis excitarunt. Hæ tuæ erunt partes, id a te dignitas primum tua, Romanæq. Sedis decus exigit; id qui nunc rerum potitur Imperator, misso ad te palatij magistro, nosq. omnes obnixe petimus atque obsecramus. Deus sanctitatem tuam incolumem seruet] hactenus Nicolai Patriarchæ epistola: aliam vero de ineunda plena concordia idem scripsit, quam inferius suo loco subijciemus — Quod ad res pertinet Occidentales —

Anno Christi 916. in fine ipsius post illa verba — ecclesias restaurauit, describitur — *adde quæ*

[a] *Hebr. 13.*

[b] *1. Cor. 7.*

[c] *Ibidem.*

† Ex apocrypho Græci decepti in his aberrat.

[d] *Sap. 6.*

quæ sequuntur — Quod ad res pertinet Orientis, hoc anno qui numeratur decimusquintus ab exilio Nicolai Constantinopolitani Patriarchæ, idem ipse vna cum Imperatore Legatos misit ad Ioannem Papam pro ineunda perfecta concordia cum Romana Ecclesia, deditq. eis epistolam ad eumdem Pontificem, quam acceptam vna cum alijs ab Aloysio Lolino Episcopo Bellunensi amico nostro, hic describimus:

Ioanni beatissimo Papæ, &c.

Quot, quantisq. ærumnarum fluctibus per xv. annos iactati simus (tot enim plus minus effluxere, ex quo primum scandala ecclesiam * CP. peruagata, omnia turbarunt) & meminisse mihi permolestum est, beatissime Pater, & memorare scienti tibi superuacuum. læta potius amicis, & coexcubitoribus impartiri iuuat, Ecclesiæ nempe pacem subsecutam, conspirantemq. omnium ordinum in his, quæ sunt fidei, consensum. Cum enim in eo esset res, vt nulla amplius spes humanis experimentis nostra metientibus superesse videretur: affulsit subito illa captum omnis intellectus supergressa pax, Dominus scilicet & Deus noster IESVS Christus, qui sæuam illam hiemem atque tempestatem communis hostis opera coortam, in ipsa Halcyonia mutauit: adeo vt nullum penitus dissensionis vestigium remanserit, nulla odij cicatrix: omnes velut ex condicto veterum obliti idem plane sentiunt; omnes sanctæ matris Ecclesiæ, quæ eos obuijs vlnis diu expectarat, optatissimum eunt in amplexum. & nostræ quidem ita se res habent. Verum quia & vestram fraternam dilectionem, cuius erga nos officia temporum difficultatibus intermissa sunt, expetimus, & consuetam Ecclesijs vnionem exoptamus: ideo has ad vos dare litteras decreuimus, vt omnis offensionis memoria deposita S. V. * ad sinceram amicitiam, atque coniunctionem animorum, pastoribus populorum debitam prouocaremus; quæ tum demum missis hinc inde Legatis coalesceret, cum iudicatum fuerit concorditer, quartum connubium, quod dissensiones & scandala in Ecclesiam inuexit, non rei ipsius, sed personæ causa permissum esse; suadente tunc occasione lenitatem atque affectum erga Principem indulgentiorem, ne repulsa ipsius animus offensus, deteriora moliretur. Sic enim & Sanctitatis tuæ nomen ex sacro ecclesiæ CP. * albo, vt mos olim erat, vna cum nostro rursus celebrabitur; & nos omni ex parte gaudio repleti, iucunditate pacis perfruemur. Enimuero vt huic curæ sedulo incumbas, te iterum atque iterum rogat Deo dilectus Imperator, oratore Romam ad Sanctitatem tuã destinato Cl. V. Basilio Protospathario, & aurei triclinij præfecto, cui nos comitem itineris, curarumq. conscium adiunximus Eulogium honorabilem presbyterum. Hos tu, beatissime Pater, & excipies (vti spero) fronte hilari, & nos mutuis legationis officijs remunerabis: Ioanni venerabili Episcopo, cuius apud nos iam experta virtus, id munus[1], si expedire videbitur, iniungens, aut alicui alij moribus illi non absimili, qui, si qua sunt adhuc correctionis indiga, doctrina, atque consilio emendare valeat nobiscum, iuxta ecclesiasticas constitutiones. Vale in Domino beatissime Pater] hactenus Nicolaus Patriarcha de pace Orientalis Ecclesiæ cum Apostolica Sede. —

* Constãtinopolitanam.

* Sanctitatem vestram.

* Constãtinopolitanæ.

Anno Christi 917. §. Eodem anno Indictione quinta — *in fine post illa verba* — in fugam vertitur ipse cum suis — *adde quæ sequuntur* — At quæ ista præcesserunt, vtique magna consideratione atque admiratione pariter digna; quippe quod Legatos a Ioanne Romano Pontifice missos pacis firmiter ineundæ causa non audierit, contempserit potius cupiditate regnandi, qui semper vincere solitus, victus cum ignominia fugit. de qua tunc missa a Ioanne Pontifice legatione extat epistola Nicolai Patriarchæ Constantinopolitani ad eumdem Simeonem Regem Bulgarorum, quam ex prædiuite promptuario rerum Græcarũ nostri Aloysij Lolini Bellunensis Episcopi acceptam, Latine primum ab ipso redditam, inde vero vt se habet in codice Græce scriptam, subrude vt tempus ferebat, ad pleniorem fidem hic tibi describendam curauimus. sic se habet:

Simeoni Principi Bulgariæ.

Es tu mihi quidem filij adhuc loco, dilectissime Princeps, licet omnem iam pridem obedientiam patri a filio debitam exueris. Hinc fit, vt cum priscus ille, quo te sum prosecutus, amor, tum etiam sanctissimi Romani Papæ, cui minime parere, nefas, grauis apud bonos omnes auctoritas, me in lacrymas & preces ire, iterum impellat. Is cum a fama rerum nostrarum vniuersum iam orbem peruagata accepisset Christiani populi

Universidad de Deusto
Biblioteca

puli clades, direptiones, fugas, vaſtitatem, & reliqua belli, quibus affligimur, incommoda, quæ pietas eius eſt in gregem Domini ſanguine redemptum, & noſtris ex animo indoluit malis, & eis, ne proſerpant latius, ire obuiam decreuit. Legatos itaque miſit Theophylactum primum inter eius Epiſcopos locum obtinentem, & Carum eiuſdem ordinis, præſtantiſſimos viros, qui te ſuis adhortationibus aut inducerent ad pacem, fœdusq. nobiſcum feriendum, aut ſi iuſſa detrectares, Spiritus ſancti nomine inſolubili anathematis vinculo obſtringerent. Hos ego (nam id mihi beatiſſimus Pontifex iniunxerat) vt tuto & commode ad te peruenire poſſent, addito commeatu, & itineris duce ſedulo curaſſem, ni me deterruiſſet ab incepto malus quidam rumor, qui de te pridem inoleuit.

Diceris enim, fili mi, ſolere Legatos ad te venientes in vincula coniectos aſſeruare, immani plane & omnem ſupergreſſo barbariem exemplo. Quæ enim eſt tam effera, tam ab omni humanitatis ſenſu remota natio, quæ tale facinus non inter nefaria ſcelera recenſeat? Quapropter cum & ſanctiſſimi Papæ exequi mandata valde cuperem, & Legatorum incolumitati conſultum vellem, illos quidem ſummis induxi precibus, vt hic apud nos conſiſterent, veritus ne a te poſt longæ peregrinationis tædium ac laborem aliquid paterentur mali: Apoſtolicas vero litteras ad te perferendas dedi. quibus exhibebis te facilem, & obſequentem, ſi me audies, immo ſi rationem habueris dignitatis, ſalutisq. tuæ. Caue enim putes, idem tibi plane licere in ſanctiſſimum Pontificem Romanum, quod in me olim licuit, quem ludibrio habuiſti tam diu. Si quid in eum commiſeris, non impune feres. Apoſtolorum primores, quorum ille ad aras quotidie litat, iratos in te oculos conijcientes quaſi propriam iniuriam contemptum illius vltum ibunt. Subeat animum Ananiæ, & Saphiræ [a] caſus, quos obiurgatio Petri neci dedit: menti obuerſetur Elymæ magi [b] Paulo contradicentis cæcitas. Hæc Apoſtolicæ indignationis monimenta cogitantem excipiet te, certo ſcio, horror quidam, & pauor ſalutaris, nec permittet, vt beatiſſimi Papæ monita deſpicias. præſertim ſi vera ſunt, quæ de te narrantur a tuis, præcipua quadam veneratione proſequi Principes illos diuos: quos ſi vere ſuſpicis, ac colis, eorum inſidentem throno minime contemnes. Hæc de legatione Romana, cuius aduentu (cur enim tibi ſub Chriſti ſignis quâuis aduerſus Chriſtianos diaboli fraude pugnanti commune gaudium inuideam?) ſcandalis, quæ ob tetragamiam apud nos omnia turbarant, impoſitus eſt finis, pax Clero reddita, cœtus ſacri mira animorum conſpiratione habiti, & vt verbo dicam, Romana ac Conſtantinopolitana Eccleſia ita in vnã eamdemq. coalita eſt fidem, ac conſenſionem, vt nihil amplius vetet, quo minus nos optatiſſima illorum communione, & ſanctificatione perfruamur.

Reliquum eſt, vt te poſtremo admoneam loco, ne poſthac cum ab his, qui rerum potiuntur, litteras acceperis, Senatui potius reſcribas, quam illis ipſis. Ridiculum enim eſt, & tua prudentia plane indignum adire ſeruos, poſthabito eo cuius ipſi capeſſunt iuſſa: niſi te ludere delectat in re haud quidem ludicra. Quin tu potius, ſi te ſerio pœnitet bellorum, ſi cladium non tam acceptarum, quam illatarum piget, ſenſum animi tui Imperatoribus exprome, conditiones offer, diem, locumq. colloquio præſcribe, ſiue tu ipſe ad nos accedere, ſiue alios mittere malueris, nulla in me mora eſt, adero, quocumque vocaueris, cum delectis ex Senatu viris, rem fortaſſe confecturus ex voto, ſi Deus annuet. Quod ſi longe alia tibi mens eſt, niſi hominibus noſtris ludibrium debes, poſthac ab huiuſmodi irriſionibus, quæ te minime decent, abſtinebis. Deus te eo validiore ope tueatur, quo grauius regendi alios onus ſuſcepiſti, ne quod plerumque principibus viris accidit, oneri ſuccumbas.] *Græce autem ſic.*

Συμεὼν ἄρχοντι βυλγαρέων.

Ἐπὶ μὲν ὡς υἱὸς ἀγαπώμενος παρ' ἡμῶν πατρὸς φιλέεται ἄρχων, εἰ καὶ οὐκ ἀλογιζόμεθα τοῦτο τοῦ υἱοῦ, ἀλλὰ χράομεν πρὸς τὸν ἀγαπῶν μᾶλλον τὸν κεχρεωστημένον τοῖς πατράσι πρὸς τὰ τέκνα ἀποβλέποντες. τὸ μέντοι κινούμενοι παρ' αὐτῆς, τὸ δέ τι καὶ οὐκ ἀπὸ τοῦ ἁγιωτάτου πάπα Ρώμης, ᾧ ἀπεῖχεν ἀφίκμενον κέλομεν. οὕτως γὰρ ἐπὶ δὴ πρὸς πάντα ἐξηπλώθη τὸν γῆν τὰ ἡμέτερα ἐλεεινὰ πράγματα, αἱ συμφοραὶ, αἱ αἰχμαλωσίαι, ἡ ἀπώλεια, ὡς ἐὰν εὐαγγχνος πρὸς τὸν λελυτρωμένον τῷ ἡμῶν τοῦ χριστοῦ αἵματι ἀγγέλων, ὀξέως φέρων ἐν τῇ καρδίᾳ τὸν πληγὴν, ἵνα μὴ τὸ κακὸν πλατύτερον ἔρπῃ, ἀπέχαλεν ληστὰς ἱεροφύλακον πρῶτον κατ' ἀρχοντα τῶν ἑαυτοῦ θρισκόπων, ἕτερον δὲ καὶ αὐτὸν θρίσκοπον καίρον, καὶ πάντα ἄνδρας ἀνθρώπους ὀρθῇ ὑπερέχοντας. ἀλλὰ γὰ πύπυς ἀπέχαλε πρὸς σε ἐντολὰς κομίζοντας,

τας, ὧν ὁ σκοπὸς εἰρήνη μεθ' ἡμῶν βεβαιοῦσθαι, ἢ δεσμῶται ἀλύτῳ ἐν ὀνόματι ἀγίᾳ πνεύματος δεσμῆσαι. τύπους οὖν δὴ τούτῳ πρὸς σε ἀπεσταλμένους ἠβουλήθημεν καὶ ἡμεῖς πρὸς σὲ ἀποστεῖλαι, καὶ τὸ καὶ πρὸς ἡμᾶς ὁ ἁγιώτατος πάπας ἀπέστειλε, γράφων πανὶ τρόπῳ ἀσφαλέσθαι σὲ τροφῆς καὶ ὁδηγῆς ἐν ἡμῶν ἐκπεμφθῆναι πρὸς βασιλέα. ἀλλ' ἐκεῖνο ἐνθυμηθέντες, ὡς οὐκ οἶδα πόθεν τινὲς ἠκηκοότες καὶ τοῦτο πιεῖν διέγνως ἀ καλῶς τὸ τοὺς ἀποστολικοὺς ἐν δεσμοῖς κατέχειν. ὅπερ ἐν ἀδεεῖ τῶν ἄλλων ἐθνῶν, ἀδ' ἐν τοῖς ἀπίστοις ὀρᾶται γινόμενον, κατεσκάλημεν ὥστε μὴ τοὺς ἀνδρας μῆ τῆς ἄλλης παλαιπωρίας, λῦ κατέσσαι τοσοῦτον μήκος ὁδοῦ ἐκπονήσαντες, καὶ εἰς τῶν ὧδε οὐ ἐτοιμοτέραν ἐμπεσεῖν. Διὸ τοῦτο τὸ μὲν γράφειν πρὸς σὲ γράμμα ὧδε τοῦ ἁγιωτάτου πάπα ἐξεπέμφθη, τῶν δ' ἀνθρώπων φοβούμενοι τῆς πρὸς σὲ ἀφίξεως ἐπέχομεν αὐτοὺς, καὶ ἐντεῦθα μένειν ἠξιοῦμεν. ἐαὶ ἄρα δόμῆς, εἰ ἡμῖν πρόσεχοις, & τὴν ἑαυτοῦ σωτηρίαν φροντίδος ἀξίᾳς. καὶ μὴ βουληθῇς ὥσπερ ἡμῶν καταφρονῆσαι οὕτω καὶ τοῦ νῦν πρὸς σὲ γράψαντος τοῦ ῥωμαίων δεσπότου, ἀλλ' εἰ καὶ ἡμᾶς ἐν δεῖ εἶθυ, ἡμῖν ἐκεῖνα τὰ νοῆσαι, μή πατὶ ἀτιμαζομένην αὐτοῦ εἰκόνα οἱ κορυφαῖοι τῶν ἀποστόλων τῷ ἀτιμίαν ποιούμενοι, ὡς ὁσημέραι τύποις καλλιεροῦντες, ἁρμὸν ὑπιβλέψωσιν ὑπὸ σέ. αἰαλόγιστοι Πέτροι ὅπως αἰανίαν & τὸν ἐκείνῳ σύζυγον τῷ θανάτῳ παρέδωκεν ἐκ μόνης ἀγνωμοσύνης. ἐνθυμηθῆ Παῦλον, ὅπως Ελύμα τοῦ μάγου τοὺς ὀφθαλμοὺς ἠμαύρωσεν. ἐπὸν ἐδόξε πρὸς ἑαυτὸν τὰ Φερεσθαι τοῦ ἀποστόλου. τοῦτα οὖν ἐνθυμηθῆ, & φείσῃ ἡμῶν ἀλαλαβοῦς εἰς τὸ μὴ τὸν διδασκαλίαν τοῦ μακαριωτάτου πάπα ὧδε βλασφημεῖσθαι. μᾶλιστα ὅτι καὶ αὐτὸς σὺ, ὡς γε μανθάνομεν, πρὸ πολλοῦ πῆ τοῦ ἡμᾶν τοὺς κορυφαίους ἐκείνους τῶν ἁγίων, οὓς εἰ ἀληθῶς ἡμᾶς, πάντως οὐκ ἀτιμάσῃς τὸν ἐν τῷ θρόνῳ τούτων καθήμενον. ταυτὰ σοι πρὸ τῆς τῶν λεγάτων ἀφίξεως. εἰ & τὶ σκανδάλα τὰ ἐκ τοῦ πατρὸς γαμὰ συμβεβηκῶτα ἐπαυσαν, & ἀρλιῶν τῷ κλήρῳ παρέδωκαν. καινῇ γὰ τῆς ἀχρέντος μυσηρείας, καὶ σωτηροβύτῳ ὁμονοίᾳ κατηρτίσαμεν. & λοιπὸν, ὡς ἐν κεφαλαίοις εἰπῖν, οὕτως ἡ Ρωμαίων καὶ ἡ Κωνσταντινοπολιτῶν ἐκκλησία μιᾶς γένοιτο συμπνοίας καὶ ὁμονοίας, ὥστε μηδὲν ἐπὶ κωλύειν ἡμᾶς μεταχεῖν τοῦ αὐτῶν ἁγιασμοῦ καὶ τῆς κοινωνίας. ἐρᾶμεν οὖν καὶ σὲ τοῦτο ἵνα καὶ αὐτὸς καιπερ τοῦ ἀληθείας ἁπτόμενος πλείους τῶν χριστιανῶν, ἀλλ' ὅμως ὡς τοῦ χριστοῦ λατρεύτης χαίρεις ὅτι τῇ κοινῇ ἀγαλλιάσῃ.]

Vidiſtine Lector, quomodo ipſa neceſſitas extorqueat veritatem, & det vexatio intellectum? quibuſnam elogijs prædicet Apoſtolicæ Sedis auctoritatem tantus Patriarcha, alias olim, vt vidiſti, in eam infenſus, ac parum æquus? cum præſertim hoc tempore ſederit in ea, qui flagitioſiſſimis vitæ moribus contemptibilis omnibus videri poſſet ipſe Ioannes. At non qui ſederet, ſed quo nomine ſederet, & cuius locum vtcumque teneret, Patriarcha conſiderans, nempe principis eorum Petri: ea ita certa aſſertione comminando conſcripſit, in quibus haud falſus vates extitit, vindice exurgente Petro aduerſus Regem barbarum, arrogantia & faſtu tumentem, humana atque diuina pariter contemnentem: cum (vt audiſti) eo ipſo tempore, quo ciuitate Conſtantinopolitana potiri putaret, ipſe turpi fuga ſuæ conſulere ſaluti coactus fuerit, vix euadens. Hic vero reliquas eiuſdem Nicolai epiſtolas ad diuerſos Principes ſcriptas ab eodem Lolino Epiſcopo miſſas hactenus numquam viſas, pariter deſcribere, ne pereant, operæpretium exiſtimauimus: cum & ad hiſtoriam rerum geſtarum huius temporis ſpectare noſcantur, quæ ijſdem continentur, vt quæ ſequitur de Armenorum conuerſione.

Ad Armeniæ Principem.

Nil pietate præſtantius, nil humano generi cõducibilius inueniri poteſt; tunc enim demum rite, & ex maiorum præſcripto colitur Deus, cum hæc altius radices egerit, & inualuerit. Dei autem cultus quid non boni affert, quid non mali abigit, ſi non aliunde incolumitas priuatim vnicuique noſtrum, non publice familijs, vrbibus, ipſis denique populis promanat? hinc fit, vt magna inter mortales concertatio omni ævo fuerit, dum vnuſquiſque opinionem, quam de Religione vel ipſe concepit ſemel, vel aliorum traditione hauſit, tueri aduerſus diuersa ſentientes cupit: adeo opinioni receptæ aſſueuiſſe multum eſt. Idem plane dices nobis euenire, quod veteri panno; quem vbi coloris ſuccus altius infecerit, diſcerpſeris citius, quam eluas; niſi opem afferat Deus gratiæ ſuæ face mentibus prælucens. Ille quidem ſuaſit Catholico viro, de quo ſcribis, vt ad vos diuerteret, populumq. orthodoxos edoceret ritus: ille vobis auctor fuit, vt priſco agnito errore ab optimo Imperatore noſtro, cui omni obſequij genere coniuncti eſſe vultis, ne in his quidem, quæ ſunt Fidei, diſſideatis. Illius denique impulſu eſt effectum, vt aliquem e cœtu veſtro mittere velitis, quem nos ea prius, quæ ad religionem faciunt, edoctum in veſtrum Antiſtitem proueheremus. Quod mirum eſt, quanta animi gratulatione exceperimus, memoria repetentes Phocij præſtantiſſimi prædeceſſoris noſtri in eodem agone irritos conatus, dum vir ille

ſacer

Universidad de Deusto
Biblioteca

facer omnem lapidem mouens disceptationibus, alloquijs, Legatorum missione vrget opus. quod Deum arcano prouidentiæ suæ consilio in hunc diem Ecclesiæ vniuersæ, Armenijsq. omnibus, si bona sua norint, longe optatissimum distulisse crediderim, vt inclytam nobilitatem tuam maiori cælestium donorum cumulo ditaret, sibi arctiori beneficij vinculo obstringeret. Tu modo fac, vt promissa extent; omnem rumpe moram; virum illum a te, primoribusq. vestræ ecclesiæ electum itineri accingi iube; breui eum ad vos mysterijs initiatum orthodoxis, Armenijs quidem hactenus ignotis, & sacris nobiscum Catholico more operatum remittemus. Deus te, tuosq. omnes ab humana & spiritali nequitia defendat.] hæc ad Armeniæ Principem de Armenis ipsis ex hæresibus, quibus innumeris a perfidis Seuerianis & Manichæis infecti erant, ad Fidem Catholicam reuocatis. Ac videamus quæ idem scripserit ad Principem Sarracenorum de crudelitate ipsorum, qua miserrimos exagitarent Christianos, cum tamen ipsi Sarraceni, qui degerent Constantinopoli, etiam libero perfrui Oratorio sinerentur benignitate Imperatoris. epistola sic se habet:

Principi Sarracenorum.

Qui populos imperio regit, quantum reliquos homines potestate supereminet, tantundem virtute anteire debet. Quæ a me non ideo dicuntur, quod te, potentissime Princeps, imparem oneri, aut non ex æquo præstare censeam animi, ac fortunæ bonis, (non ignota mihi est tua sermone omnium celebrata laus) sed quia sinister quidam rumor hic percrebuit, te in nos esse animo infestiore, quorumdam fraude inductum, qui tibi falso nuntiarunt, Sarracenorum Oratorium, quod in hac regia vrbe extat, homines nostros demolitos esse, nonnullosq. tuæ gentis per vim, & metum adegisse, vt patrio abiurato ritu nomina Christianæ religioni darent. Hanc delationem ab hoste humani generis, omnis mendacij parente ortam occasionem tibi præbuisse aiunt iusionis, qua indixisti omnia Christianorum sub tuo imperio degentium templa deuastari. Atrox sane & horrendi carminis edictum, tuaq. per tot bella conquisita gloria plane indignum, quod neque facti inquisitio præcesit vlla, nec direxit consultatio. Atqui decebat tot victorijs auctum, tam solertis ingenij ducem rem tantæ molis cunctanter & serio indagasse prius; inuenisses enim (quod & inuenies vti spero breui) fabulam hanc totam per summum scelus a maleuolis, & a Christiani nominis calumniatoribus effictam. Cui enim ignota est Imperij Romani ab vltima vsque origine clementia? cuius non ad aures peruenit Augustorum nostrorum quasi tradita per manus pietas, & animi moderatio in victos? quibus, si patriam excipis, & suorum conspectum, nihil fere deest ex earum rerum genere, quæ ad vitam recte & commode degendam faciunt. argumento sit vel hoc ipsum, de quo lis est, Sarracenorum oratorium, quod iam olim Imperatorum indulgentia exædificatum, sartum tectumq. non aliter ac si apud vos esset, hactenus seruatur. Interroga postliminio reuersos, discces extra aciem ciuem & hostem nullo discrimine apud nos haberi. Confer nunc hos mores cum Sarracenorum sæuitia aduersus Christianos, qui apud eos seruitutem seruiunt, quos, quasi parum esset in ergastulis rerum omnium egentes asseruari, nonnumquam in medium productos per iocum & ludum iugulant, aut arbori appensos lapidibus, ac telis petunt, cum hic truncatio capitis grauissima omnium etiam in scelere immani sit animaduersio. Quod vero attinet ad vim, qua doles ad Christianismũ impulsos Sarracenos tuos: procul abest ab huius dedecoris suspicione Imperator noster; procul tota purpuratorum cohors, & quicumque demum nobilitate, aut industria in hac luce hominum refulgent. Verum permittamus obscuræ aliquem notæ, pœnas mox luiturum, si innotuerit, scelus perpetrasse; quid tot meruere Christianorum millia? cur vnius ob noxam innocens natio affligitur, sacrisq. patrijs arcetur? reclamante communi Gentium iure, ipsiusq. prophetæ vestri sanctione, qua ille Christianorum, modo iugum non detrectent, incolumitati, ac religioni satis cauit. Hæc nos ad te paucis perscripsimus muneri nostro quidem consentanea, quod non tam Christiani gregis amplectitur curam, quam tuæ, omniumq. salutis procurationem. plura nuntiabunt visores tui, & ij, quos illis itineris comites adiunximus. Quibus te, vt sedulo animum intendas, etiam atque etiam rogamus, simulq. vt des te ad lenitatem; sic enim & ij, qui tibi nunc subijciuntur, imperij tui moderationem laudibus extollent, & mansuetudinis memoriam omnis excipiet posteritas. Vale Sarracenicæ gentis

gentis eximium decus atque ornamentum.] hactenus Nicolaus Patriarcha ad Sarracenorum Principem. Quæ autem sequitur epistola ad Episcopos data, ad tempus spectat, quo electus in exilium, nullum ex ijs defensorem inuenerit, immo & proditores eosdem passus fuerit.

Episcopis extra communionem existentibus.

Sane ita est, vt cælesti illo ore Paulus affirmat, hominibus imponi potest, Deo autem reuelantur omnia nostra, atque innotescũt. Hæc pauca vobis sit satis dixisse, quos ego, vt mitissime dicam, infelici satu Ecclesiæ, mihiq. genui. quidni enim vos sic appellem, qui me, quem etiam merito damnatum defendere debueratis, vt par erat filios parentem, nullius affinem culpæ, immo per summam iniuriam solio electum, quasi parum fuerit deseruisse, prodidistis? hæc animo reuoluite, iram Domini scelerum vltricem expectantes.] huic ista subiecta legitur:

Duci Longobardiæ.

Christi hostes te vicisse gratulor, vel eo potissimum nomine, quod expectationem de te meam minime fefelleris, qua tua hæc egregia facta & præsagiebam multo ante, & prædicabam. Meminisse enim potes, cum te pene inuitum, atque restitantem, vt id munus susciperes, impellebamus, in prouinciam ablegantes, tunc quidem omnium miserrimam, nunc autem tuo beneficio florentem. vnde non tam sperabam rediturum te summa, quam iam pridem es adeptus gloria, quam amplissimis, virtuti tuæ condignis præmijs ornatum. Verum posteaquam, vt sunt res humanæ, aliter omnino accidit, ad vota est nobis recurrendum, quibus a Deo tibi deprecamur in hoc quidem sæculo incolumitatem, in futuro autem æternam beatitudinem.] hanc sequitur alia isto titulo:

Principi Amalphitano.

Amorem in nos tuum singularem, effusissimumq. in ecclesiam, quæ nobis credita est, studium, & antea quidem fama ipsa tuas litteras præuertens nuntiarat, & nunc eæ ipsæ amantissime ad nos perscriptæ retulerunt. plurimum igitur tibi hoc nomine debemus, soluturi numquam nisi votis, quibus fausta tibi omnia precamur a Deo. Nam quidquid nostræ euigilare curæ, aut eniti vires vmquam poterunt, & peteximus sane est, & tibi antea ob præclara tua in nos beneficia obstrictum. Negotium tuum de redemptione captiuorum explicuimus aliqua ex parte: totum confici, quæ rerum, ac temporum difficultas est, haud sane potuit. Aderit, vt speramus, breui manus Domini, egregios istos conatus tuos promotura, quam neque Agarena immanitas, nec vlla omnino vis contra niti potest. tu modo, quod facis, sedulo incumbe operi, & in id libram auri expende, quam tibi mittimus. Diuinatione quadam præsagit animus breui fore, vt Deus nobis præbeat occasionem, liberatis fratribus, summas ei gratias agendi. Incolumem te Christus, tuosq. omnes seruet, illæsumq. a visibili, & inuisibili hoste.] —

Anno Christi 923. Eodem quoque anno Martij mensis die vigesimosexto — *corrige* — die decimosexto —

Anno Christi 932. in fine ipsius post vltima illa verba — in horrea Annalium infert — *adde quæ sequuntur* — sed locupletatur auctario, nempe Concilio Erpesfurt, alias Erfordiæ, hoc ipso anno celebrato, quod post cusum hunc Tomum accepimus: sic se habet:

Anno ab incarnatione Domini nostri IESV Christi DCCCCXXXII. anno etiam Domini * H. Regis Christianissimi XIIII. Indictione V. sub die Kalendarum Iuniarum congregata est apud Erpesfurt sancta & vniuersalis Synodus, vt Rex sapientissimus cum consilio primatum suorum decreuit, inspirante omnium Saluatoris clementia, pro vtilitate & statu sanctæ matris Ecclesiæ. Cuius Regis solertiam prudentissimi viri Hildiberti Archiepiscopi * gubernabat: Confidentibus religiosissimis sacerdotibus, id est * R. sanctæ Treuerensis ecclesiæ Archiepiscopo, Vnni sanctæ Hamaburgensis ecclesiæ Episcopo, Adalguardo * Fardunensis ecclesiæ Episcopo, Ricuino Argentinæ ciuitatis Episcopo, Nodingo Constantiæ ecclesiæ Episcopo, Vnuuano Paderbrunnensis ecclesiæ Episcopo, Berhardo Halueraſtadiensis ecclesiæ Episcopo, Othilrico Augustudunensis ecclesiæ Episcopo, Burchardo Vuirtziburgensis ecclesiæ Episcopo, Duodone Osneburgensis ecclesiæ Episcopo, Rumaldo * Memigernafurdensis ecclesiæ Episcopo, Eburgiso * Mimidonensis ecclesiæ Episcopo, necnon & Abbati-

* Henrici
* *deest* aliquid.
* Ruitgero, qui anno 914 obiit
* Virdunensis hodie in Gallia, sed malim de Germania capi. Nam *Leuci* Germaniæ populi, qui *f.* Tacito Suardones.
* Monasteriensis
* Antonino Mimidunum vulgo Milden

Universidad de Deusto
Biblioteca

batibus, alijsq. sacri ordinis viris. Porro cum eorum vnanimitate ac primum Deo fauente capitula infra notata *, quam pro populi Christiani correctione collecta sunt.

* deest hic membrū præcedens, tam, vt insinuat sequens particula, quam.

Caput Primum.

Vt deinceps natalitia XII. Apostolorum summa veneratione solemniter celebrentur; & in vigilijs antiquitus statutis atque hactenus ab antecessoribus nostris seruatis ieiuniorum vota omni diligentia persoluere decernimus: quia quos cælitus sublimioris meriti scimus, hos & amplioris dignitate honoris a nobis colendos esse non dubitamus.

Caput Secundum.

Burch. lib. 13. cap. 21. Ino p. 4. c. 53. Decret. 15. q. 4. cap. placita.

Placita sæcularia Dominicis, vel alijs festis diebus, seu etiam in quibus legitima ieiunia celebrantur secundum canonicam institutionē, minime fieri volumus. Insuper quoque glorioſissimus Rex ad augmentum Christianæ religionis concessit, vt nulla iudiciaria potestas licentiam habeat Christianos sua auctoritate ad placitum bannire vij. diebus ante Natale Domini, & a Quinquagesima vsque ad Octauas Paschæ, & vij. diebus ante natiuitatem S. Ioannis Baptistæ, quatenus adeundi ecclesiam orationibusq. vacandi liberius habeatur facultas.

Caput Tertium.

Burch. lib. 13. cap. 22. Ino p. 4. c. 60.

Præcipimus namque, vt nullus Christianus ecclesiam pro reuerentia petendo, ibiq. manendo, indeq. reuertendo, alicuius publicæ potestatis banno ibidem constringatur, ne forte, dum ad ecclesiam causa orationum properat, per bannum impediatur pro salute animæ deuote insistere.

Caput Quartum.

Similia quædā in Concilio Agathensi c. 4. apud Ino p. 6. c. 220 a

Si quis presbyter, aut diaconus negligens vitæ suæ, mala de se suspicari permiserit, & eius infamia coram Episcopo canonice denotatur, admoneatur ab Episcopo semel, bis, ac tertio, vt vel prodendo reatum culpabilem se esse cognoscat, & sic iustæ correptionis sententiam excipiat; aut adhibitis secum collegis iuramento se expurgando innocentem se esse demonstret.

Caput Quintum.

Burch. lib. 13. cap. 27. Ino p. 4. c. 19.

Vt nemo nisi consentiente proprio Episcopo, aut eius Misso, ieiunium sub obtentu religionis sibi imponat, vnum præ alijs excipiendo, omni modo interdicimus. Quod & factum displicet, & in futurum fieri prohibemus, quia plus causa ariolandi esse cognoscitur, quam supplementum legis Catholicæ.] hactenus quæ accepimus —

Anno Christi 933. §. Hic mirari non desino — *ibi* — Rhemensi Archiepiscopo — *corrige* — Rhemensis Archiepiscopus —

Anno Christi 936. §. Eodem quoque anno moritur intrusus — *ibi* — ex quo necesse est erroris arguas — *sic corrige* — secundum eorum sententiam —

Anno Christi 950. §. vlt. — *ibi* — annos decem & nouem — *corrige* — vigintiduos —

Anno Christi 951. §. vlt. — *ibi* — Eadmundus — *corrige* — Eadredus — *sic & in fine.*

Anno Christi 954. §. At non hic finis — *ibi* — pulsus est — *corrige* — qui pulsus iam antea fuerat —

Anno Christi 955. in principio ibi — annos decem, menses & dies decem — *corrige* — annos nouem, menses septem, dies decem —

Anno Christi 964. §. Sed quod in his — *ibi* — sexagesimaquarta — *corrige* — sexagesimatertia —

Anno Christi 965. §. Leo autem — *in fine* — & quodam — *dele hæc verba.*

Anno Christi 967. §. vlt. — *ibi* — annos decē & septem — *corrige* — annos duodecim —

Anno Christi 968. §. Sed cur — *ibi* — non — *corrige* — nunc —

Anno Christi 975. §. Quod ad res — *ibi* — annos sex — *corrige* — annos quinque, vel si sex (vt alij volunt) in sequentem annum reijciendus eius est obitus —

Anno Christi 981. in principio ibi — sponte se abdicauit — *corrige* — qui sponte se abdicarat, moritur —

Anno Christi 984. §. CONSTAT NIMIRVM — *in fine post illa verba* — sed mendose nonnihil — *adde* — vt manifeste appareat loco anni octogesimiquarti, legendum octogesimiquinti, & loco Indictionis duodecimæ, legendum, decimætertiæ, vt conuenire Ioannis Papæ sedis tempori possit. — Eodem anno —

Anno Christi 986. §. Hoc eodem anno Aligernus — *ibi* — mentio habetur — *adde* —

ita

ita quidem in cuso codice; in antiquitus autem scripto Cassinensis monasterij ista leguntur eodem libro secundo capite duodecimo: Manso vigesimusoctauus Abbas sedit annos vndecim. Iste fuit consobrinus Pandulphi Principis, qui cum eo tempore, quo Aligernus Abbas defunctus est, monasterio sancti Magni iuxta Fundanam ciuitatem posito præesset, propinquorum Principum fretus auxilio, Abbas Cassinensis a pluribus Fratribus subrogatur: non enim omnium huius loci monachorum consensu cœnobij huius Abbatiam adeptus est. Vnde factum est, vt nonnulli de prioribus huius monasterij Fratribus potius hinc egredi, quam manere sub illo eligerent. E quibus Ioannes Beneuentanus, qui postmodum Abbas extitit, vnus fuit, alter vero Theobaldus nihilominus postea Abbas effectus. Domnus etiam Lutius de religiosis huius loci monachis ac prioribus vnus: necnon & quinque alij, quorum nomina non recoluntur. Ex quibus omnibus tres priores Hierosolymam, quinque vero alij in Lombardiam profecti sunt. Quos cum ob maximam huius loci reuerentiam Hugo Marchio nimis honorifice suscepisset, ex eius largitione & concessione quinque monasteria in illis partibus construxerunt; ibiq. iuxta traditionem huius monasterij monasticum ordinem instituerunt. Ex cuius etiam Marchionis dono duæ hic argenteæ coronæ habentur.] Porro de Hugone isto inferius eius obitus tempore plura dicturi sumus. Manso autem quas dederit pœnas —

Anno Christi 990. §. Eodem anno celebratur in Gal — *ibi* — Gisleberti — *corrige* — Adalgerij. —

Anno Christi 991. §. Hoc ipso anno qui numeratur — *ibi* — Poloniæ — *corrige* — Bohemiæ. —

Anno Christi 995. §. Hic spectare licet — *ibi prope finem* — proxime dicturi sumus — *his hæc addas* — At hic recitanda est eiusdem Gerberti epistola, quæ hoc ipso tempore esse scripta cognoscitur, nempe post adiudicatam a Leone Apostolicæ Sedis Legato Rhemensem sedem Arnulpho. Accepimus eam Parisijs missam a nostri amantissimo Nicolao Fabro, ex qua etiam colligitur eius testificatione, eumdem Gerbertum post Leonis sententiam, ad Synodum prouocasse, cuius adhuc iudicium sibi expectandum esset. Ex eadem quoque intelliges, quibus se artibus insinuaret Ottoni Imp. & Adelaidi Augg. soceris Roberti Regis Francorum, cuius magister ipse fuisset. Scripta est epistola ad Adelaidem Imperatricem, his verbis:

Dominæ & glorioſæ Adelaidi Reginæ semper Augustæ Gerbertus Dei gratia Rhemensis Episcopus * & omnibus suis Coepiscopis Rhemorum diœceseos, bene valere in Christo. * cum omnibus

Epistola vestri nominis læta principia prætulit, monita salubria habuit, sed tristi fine concluſa. suauem quippe animi vestri affectum circa me ostendit: vt ad propriam sedem reditum maturarem admonuit. Sed quid sibi voluit tam acerba conclusio? Ita enim se habet: Cognoscite, quia si modo huiusce monita paruipendimus: vtemur nostrorum & rebus & consilijs absque crimine nostri. Me vrbi Rhemorum præsidente, quando non licuit, licet, & licebit vti & consilijs & rebus mihi commissis? An melius licuit, Arnulpho eam obtinente? Sed ille eam nobis dolo & fraude abstulit: ego contra multorum dolos & fraudes vobis eam multis vigilijs, multoq. labore conseruaui. Mirum nimis est, vos vestrorum hostium non sentire insidias. Qui enim Arnulphum ad regni vestri confusionem restituere quærunt, nec sibi hoc tutum fore putant, nisi prius me qualibet occasione perdant. Quod multum verisimile esse, duplici capimus argumento: & quia & me Rhemis nuper posito, eum absoluere decreuistis, & quia Leo Romanus Abbas, vt absoluatur, obtinuit, ad confirmandum Senioris mei Roberti Regis coniugium, vt mihi a Rhemensibus per litteras significatum est. Accedit ad hoc discrimen sedes a præsentibus, certe a Gebuino peruasa. Infinitus credo villarum numerus erat, nec ad possidendum sufficere poterant Rhemenses, nisi ad colonias obtinendas inuitarentur Catalonenses. Quid ergo, si Arnulphus absoluendus est, vel si G. aut alius quilibet in mea sede inthronizandus est, reditum sine capitis mei periculo non est intelligere. Quod ita esse, si vos minus, aduertere non debeo? Noui enim studia vestra omnibus mortalibus prædicanda. Noui animi vestri dulcissimos affectus circa me, quibus si respondere nequeo meritis, respondebo votis. Quocirca vt mea vobis minus ingeram, deq. me omnino taceam, quem diuina gratia pe-

Universidad de Deusto
Biblioteca

riculorum immensitate liberat, & in quantum ad me solum attinet, omni felicitate disponit, & conseruat: per terribile nomen omnipotentis Dei oro & deprecor, vt Rhemensi ecclesiæ desolatæ & attritæ, si quolibet modo valetis, subueniatis. Quæ quoniã regni Francorum est caput, si deperierit, vt membra sequantur, necesse est. At quomodo nõ deperierit, quæ sub nomine duorum quasi inter malleum & incudinẽ disposita, dum eorum neutrũ rectorem approbat, velut inter vndas maris sine remige fluctuat? Quid porro fieri putatis, si tertius sine iudicio ecclesiæ ad numerum accesserit? Neque vero hæc loquor quasi augur, aut diuinus. Memini etiam meos conspirasse non solum milites, sed etiam clericos, vt nemo mecum comederet, neque sacris interesset. Taceo de vilitate atque contemptu; nihil dico de grauissimis iniurijs sæpe mihi a pluribus illatis: ad hæc vt redeam, prouocatis, & vt grauiora patiar, minas superaddit epistola. Quid diuina Maiestas, adeo me infatuatum, & a te abalienatum putant, vt gladios minitantes non videam, & ecclesiam tuam schismate confundam? Ego vero improborum versutias acute conspicio, & contra omnia schismata vnitatem Ecclesiæ, si sic decretum est, morte mea defendo. Peto ergo o domina semper Augusta, item a fratribus meis, qui pro causa traditoris Arnulphi siue iuste, siue iniuste sub anathemate positi sunt, vt me iudicium Ecclesiæ expectantem patienter ferant. Neque enim ecclesiam, quam Episcoporum iudicio regendam accepi, sine Episcoporum iudicio relinquere volo. Nec rursus contra Episcoporum iudicium, vbi maior auctoritas adsit, eam quasi per vim retinere dispono. Quæ iudicia dum expecto, exilium, quod a multis felix putatur, non sine multo dolore tolero. Occurrit enim Senioris mei Regis Roberti clara facies, lætus aspectus, vsitata colloquia, sermones vestri sapientia & grauitate pleni; tum Principum & Episcoporum grata affabilitas: quæ dum mihi eripiuntur, ipsa quodammodo vita onerosa. Sola mihi solatio est clarissimi Cæsaris Ottonis pietas, beneuolentia, liberalitas, qui tanto amore vos vestraq. diligit, vt dies noctesq. mecum sermonem conferat, vbi & quando vos familiariter videre possit, coæuum sibi & studijs consimilem Seniorem meum Regem Robertum alloqui & amplexari. Si ergo Romanum iter, quod causa plurium Synodi me detinet, hoc tempore ibi lapsum fuerit: circa Nouembris Kalendas me expectabitis, & harum rerum interpretem fidissimum, & per omnia vobis obedientem.] hucusque Gerberti epistola, in Italiam cum Ottone iter meditantis, ille quidem, vt a Ioanne Papa Imperij coronam acciperet. Porro ex ipsis synodalibus——

† Fuerant iste inserenda superius, vbi agitur de additamentis ad Tomum Pontificum, sed post illa cuncta in nostras deuenerunt manus. In nouæ editione Typographus sua loco ponat.

† *Anno Christi 1049. pag. 167. vers. 10. ibi* — Synodum magnam Rhemis cum Galliarum Episcopis habuit — *hæc adde* — Hic siste gradum, Lector. Contigit enim post hæc causa, sed cum Typographus adhuc laboraret in editione Indicis, ad nos perferri ex Rhemensi ecclesia ipsius Rhemensis Concilij integra Acta, ab auctore eius temporis, qui vidit, quam fidelissime scripta, quæ præcedunt Gesta pontificia, ante Synodum in dedicatione solemni Rhemensis illius ecclesiæ, in quam venerandum sancti Remigij Francorum apostoli corpus est delatum atque reconditum, per eumdem Leonem Papam, ea de causa potissimum ex Italia in Gallias redeuntem, feliciter habita. Omissis igitur quæ præfatur auctor & pluribus narrat de eadem basilica sæpius restituta, a creatione Leonis Papæ, quam obiter tangit, reliqua hic reddimus. Defuncto, inquit, Papa Damaso, qui in ciuitate Brixenorum, quæ est in prouincia Hystriæ, fuerat Episcopus, & in Apostolica Sede inthronizatus triginta solummodo ibi vixerat diebus, Romani legatione de eius obitu ad Imperatorem Henricum directa petierunt, vt Ecclesiæ Pastore viduatæ ab eo subrogaretur alius.

LEONIS PAPAE IX. PONTIFICATVS PRIMORDIA.

Qui super hoc negotio Episcoporum & optimatum Imperij sui quærens consilium, inuenit inter ceteros domnum Brunonem Tullensem Præsulem ad idem officium subeundem esse idoneum, vtpote qui ætatis maturitate, morumq. & scientiæ claritudine videbatur conspicuus, sibiq. sanguinis affinitate proximus. Vnde Apostolicæ dignitatis ei adiudicata sunt insignia, iussumq. ab Augusto, vt ad hæc secundum ecclesiasticas sanctiones susciperida Romana inuiseret mœnia. Sed quia solemnia imminebant Natiuitatis Dominicæ, hæc cum Clero, cuius fuerat pastor, disposuit celebrare, eisq. celebratis, quo erat præceptum, abire. Huius itaque Pontificis notitiam in colloquio, a præfato Imperatore & Francorum Rege de pacis & amicitiæ confirmandæ gratia ante non multum tempus habito, memoratus Abbas Herimarus fuerat consequutus

sequutus, a quo etiam promissum acceperat, quod in proximo quadragesimali ieiunio beati Remigij sepulchrum absque equi solatio foret expetiturus, quia cum eorumdem Regum aliquando familiaria ad inuicem perferens mandata per contiguam regionem transierit, ipsius sancti locum orationis gratia inuisere neglexerit. Quod idem Abbas sagacitet recolens animo, sua dirigens scripta illi suggerit, vt quoniam pro delegato sibi Apostolici primatus officio Romam ire disponit, si quando ad cognatos fines certo Ecclesiæ reuocetur emolumento, non fiat irrita Francorum apostolo ab eo facta promissio. Mittit vero ei in munere vas ad bibendum idoneum, intus & exterius auro decentissime decoratum, † insinuans illi de ipsius sancti ecclesia dedicanda suum cum petitione desiderium. Ad hæc idem Episcopus benigne refert, quia etsi alia nulla se reuocet Ecclesiæ vtilitas, vel pro solo amore sancti Remigij reuersurum ad Gallias, & eius basilicam dedicaturum, si diuina annuerit benignitas.

† Est lignum fuisse asseritur a Desiderio Abbate Casin. eodem. Victore Papa III.

IN VRBEM PROFECTIO QVANDO.

Celebratis ergo in sede ciuitatis Leucorum duobus Dominicæ natiuitatis diebus, in tertio Clero suo valefaciens iter carpere Romam ducens aggreditur. Quo perueniens, cum fauore totius populi honorabiliter excipitur, Apostolicæq. dignitatis insulis insignitus in Hypapanti Domini in cathedra beati Petri inthronizatur, & Leo Papa Romano more nuncupatur. Hic digne administrans quæ sui sunt officij, instanterq. disponens, quæq. videntur accommoda diuinæ religioni, quadragesimalis temporis explet ieiunia, succedentiaq. Dominicæ resurrectionis ibi celebrat solemnia. Quibus elapsis Synodum conuocat Episcoporum Italiæ, & ibi quælibet peruersa in eorum Episcopijs pululantia aut corrigit, aut hortatur corrigere.

Aliquanti autem temporis interlabente curriculo, Gallicum reuisere solum tam beato Remigio facta promissio, quam orthodoxæ Fidei in illis partibus adeo tepefactæ persuadet intentio. Vnde a Romanis experita licentia per quasdam Latij vrbes iter agens, in eis multa disponit ecclesiasticæ honestati congrua, tandemq. adit Imperatorem Henricum in regione commorantem Saxonica.

Interea memoratus Abbas desiderij sui compotem se futurum ex ipsius Papæ certus pollicitatione, Regi Francorum Laudunum venienti occurrit in Pentecostes solemnitate, eiusq. consilium & fauorem expetit de præfato templo Apostolica conferando benedictione: monens & postulans, vt his agendis suam præsentiam exhibeat, & Episcopos regniq. sui Principes secum interesse faciat. Cui idem Rex ad præsens mente benigna annuit, seq. nisi alicuius impedimenti intercesserit casus, tantæ festiuitati affuturum asserit. Ex quo promisso Abbas lætificatus reuertitur, indeq. Papæ Coloniam Agrippinam cum Imperatore aduenienti in Apostolorum Petri & Pauli natalitio fit obuius, a quo aduentus sui ad Rhemense solum, gerendarumq. ibi rerum tempus & ordinem inuestigat diligentius. Ille vero sibi notificans pandit, quomodo prius deliberasset, vt octaua die ab ipsius Sancti festiuitate, quæ in Kalendis Octobris habetur celeberrima, illo veniret, & ipsius monasterium dedicans, postea ibidem ex Episcopis Galliæ congregatam Synodum celebraret. Qua sententia mutata, ad eumdem locum in solemnitate sancti Michaelis Archangeli se venturum, & in ecclesia beatæ Mariæ Rhemis, Missarum sacra in eadem die memorat celebraturum, festum vero glorioſi patris Remigij pretioſi corporis eius eleuationi, & subsequentem basilicæ consecrationi, ceteros deinde tres Synodi deputat celebrationi. Quibus auditis ad suum cœnobium redijt Abbas, suaq. scripta per Franciam eiq. contiguas direxit prouincias, inuitans sanctæ Ecclesiæ fideles, vt ad tanti gaudij participationem concurrant mente promptissima, tam pro amore, & veneratione eiusdem Patroni sui, quam vt benedictione muniri mererentur Apostolica.

A LEONE PAPA INDICITVR SYNODVS RHEM.

Ceterum Papa Colonia digressus Tullum in Exaltatione Dominicæ Crucis venit, indeq. circumiacentium regionum Episcopis & Abbatibus litteris suæ auctoritatis mandari præcepit, vt in præfixa die sibi occurrerent ad Synodum celebrandam in basilica præfati Francorum apostoli. Vt per quem orthodoxæ Fidei initiati sunt rudimentis, in eius præsentia consequerentur reparationem tepefactæ in se diuinæ religionis. Huiusmodi mandatis gratulatur pia fidelium deuotio, præparans se studioſe ad implendum, quod ex Apostolicæ dignitatis sibi promulgatur edicto. Venenatus autem serpens, qui ab exordio mundi ad humani generis inhiat præcipitium, tam salutari proposito commenti sui nititur opponere obstaculum. Ad complendam enim

Universidad de Deusto
Biblioteca

perfidiæ ſuæ voluntatem quoſdam potentes laicos excitat, qui inceſtis coniugijs operam dando, & aliorum criminum nefarijs vſibus ſe implicando violatores erant honeſtatis eccleſiaſticæ; ideoq. verebantur reatuum ſuorum latebras in lucem prodere. Sed & nonnullos Epiſcopos, & Abbates illis adiungit, qui in ouile Dominicum aliunde non per oſtium irruperant, & in eccleſijs ſuis Catholicorum Patrum ſanctionibus contraria quædam pullulare permiſerant, quæ conditæ Synodi examinatione reſecanda manifeſtari metuebant. Vt enim ſcriptum eſt: Omnis qui male agit, odit lucem, & idcirco peccatis ſuis magis magisq. occultationis adhibet obnubilationem. Tantæ itaque peruerſitatis viri incentoris ſui callida ſuggeſtione inſtructi, Regi Francorum ſuggerunt, regni ſui decus annihilari, ſi in eo Romani Pontificis auctoritatem dominari permitteret, vel ſi eidem, vt decreuerat, occurrens præſentiæ ſuæ fauorem ad cogendum Concilium exhiberet. Addunt etiam, quod nullus anteceſſorum eius id reperiatur aliquando conceſſiſſe, vt ob ſimilem cauſam in Franciæ vrbes ingreſſus pateret alicui Papæ. His vero agendis pacis & tranquillitatis congrua ſunt tempora; regni autem eius ſtatus ſit in perturbatione non modica, quibuſdam viris potentibus dominationis eius iugum detrectantibus, terrasq. & caſtella quælibet ab ipſius ditione abalienantibus. Quapropter regiæ dignitati ſerunt congruere, vtilitati Reipublicæ ſuæ ſapienter conſulere potius quam Synodis intendere: Principes ſuos, & totius exercitus ſui potentiâ in rebelles commouere. Ipſos etiam Epiſcopos, & Abbates, penes quos maxima pars facultatum regni eſt, cenſent immunes huius expeditionis eſſe non debere, ante alios Abbatem ſancti Remigij, quem quaſi de rerum ſuarũ abundantia præſumentem pro vanæ gloriæ amore ad monaſterium ſuum conſecrandum calumniabantur Romanæ Vrbis Pontificem euocaſſe.

REX FRVSTRA SYNODVM IMPEDIRE CONATVR.

Hac igitur verſipelli perſuaſione Rex emollitus, & ab honeſto propoſito ad ſeductionis deuia flexus, Papæ per Siluanectenſem mandat Epiſcopũ, ſe ſuosq. pontifices cum Abbatibus cogi ad comprimendam peruicaciam ſibi reſiſtentium, ideoq. non poſſe occurrere illi in præfixo termino ad peragendum Concilium. vnde aduentum ſuum in Franciam in aliud tempus differat, quo abſolutis huiuſmodi negotijs eum debito cum honore ſuſcipiat. Ad hæc Papa remandat, promiſſionem beato factam Remigio nequire ſe irritam facere, ſed ad baſilicam eius dedicandam proculdubio venturum, vbi ſi qui diuinæ religionis amatores conuenerint, cum eis Synodi rationẽ ſe fatetur habiturum. Cuius mandati ad Regem relatione perlata, ipſe tamen in rebelles iter aggreditur, coacta in vnum ingenti exercitus ſui militia; ſed & Epiſcopis, & pleriſque Abbatibus contrà voluntatem ſuam illo euntibus, illis etiam peruerſis eccleſiarum rectoribus ad id negotium vltro ſe ingerentibus, qui vt ſummi Paſtoris Vicarium actus eorum examinare venientem poſſent effugere, eamdem expeditionem exitiali techna elaborauerant ſtruere. Abducitur cum eis & memoratus Abbas ſancti Remigij mæſtus admodum & gemens, quaſi non eſſet viſurus effectum deſiderij ſui. Sed diuinæ conſolationis eius mœrori non defuit potentia. Vix enim vnius diei & dimidij itinere confecto indulta eſt illi redeundi licentia. Qui reuerſus celerrime, Romanum Antiſtitem adhuc Tulli remorantem expetit, eumq. pro regijs mandatis iam diu conceptum propoſitum non permutaſſe cognoſcens, gratulabundus ad monaſterium redijt, inſtanter præparare ſatagens, quæ tanti Patris confluentiumq. filiorum ſanctæ Eccleſiæ forent neceſſaria conuentui. Iam quippe dierum prope erat terminus, qui ſupradictæ diſpoſitionis completioni fuerat attributus.

VENIT RHEMOS LEO PAPA.

Denique domnus Papa a Leucorum vrbe digreſſus, iter ad Rhemenſem ducens vrbẽ arripuit, & in opportunis locis ſingulis quibuſque noctibus manſione accepta, in vigilia feſtiuitatis ſancti Michaelis ad Curmolenſem Villam venit, cui præfatus Abbas ibidem obuius factus, quæcumque neceſſarius expetit vſus, illi omniq. comitatui eius affluenter ſuppeditauit. Die vero ſequenti ad ſanctum peruenit Remigium, Archiepiſcopis tribus comitatus, Treuirenſi videlicet, Lugdunenſi Veſontionenſi, alijsq. viris honorabilibus, inter quos erat Ioannes Epiſcopus Portuenſis, & Petrus Eccleſiæ Romanæ diaconus, & ipſius Vrbis Præfectus. Hic protinus conglobatur in vnum tota Fratrum congregatio, & cunctis Abbatum, monachorum, clericorum, qui iam ex multis confluxerant partibus, numeroſa concio. Ex quibus omnibus in atrio baſilicæ diſponitur decentiſſima proceſſio, Epiſcopis tribus, Siluanectenſi videlicet, Andegauenſi,

gauenſi, Niuèrnenſi longe digeſtos ordines antecedentibus, Textumq. Euangelij cum aqua benedicta, & aromatum odore ferentibus. Sic ergo diſpoſiti Papam aduenientem ſuſcipiunt, cui eccleſiam introeunti reſponſorium, Lætentur cæli, cum digna modulatione concinunt, & dum ante altare ſanctæ Crucis orat, aliud reſponſorium, Summæ Trinitati videlicet, concinentes finiunt. Progreſſio autem eo vſque ad altare ſancti Chriſtophori, & ante venerandi Francorum apoſtoli ſepulchrum orationem explente, iterum hymnum, Te Deum laudamus, conſona vocum iubilant vociferatione. Qui tandem in ſede ſibi decenter apparata paululum reſidens, aſtantes lætificauit benedictione Apoſtolica, & exinde egreſſus ab eiſdem pſallentium choris cum diuinis laudibus deducitur vſque ad ciuitatis mœnia.

QVOMODO SVSCEPTVS A CLERO LEO PAPA.

Qui Rhemenſis Clerus cum Archiepiſcopo ſuo, alijsq. quibuſdam obuiam procedens Epiſcopis, perſpicuæ proceſſionis numeroſos diſponit ordines in atrio ſancti Dionyſij martyris. Vbi ad tanti Pontificis ſuſceptionem competentia concinens cantica, vſque ad eccleſiam ſanctæ Mariæ illum comitatur cum maximæ iubilationis gloria. Illic vero ante ſanctæ Crucis & eiuſdem Dei Genitricis altaria completa oratione in Archiepiſcopali aliquantulum reſedit ſede, Archipræſule Rhemenſi ad eius dexterã, Treuerenſi autem reſidente ad ſiniſtram. Deinde miniſtris altaris præparatis quibusq. pro officiorum congruentia, & ipſe ſacerdotalibus redimitus inſignibus proceſſit ad Miſſarum celebranda ſolemnia. Quibus expletis, & aſtante populo Apoſtolica benedictione munito, prædicto Rhemorum Archiepiſcopo ſibi ſuisq. neceſſarios ſumptus ſuppeditante, refectionem percepit in maiori palatio iuxta eccleſiam ſito.

Die autem ſubſequenti metuens ne præpediretur frequentia circumfluentium populorum, duobus tantũ comitatus capellanis, dum nocturnæ a Fratribus explerentur vigiliæ, ad ſanctum remeauit Remigium, factoq. ſibi balneo lotus & tonſus eſt, vtpote, qui imminentem tanti Patris ſolemnitatem in craſtino celebraturus transferre diſponebat tam preciоſæ gemmæ venerabile pignus, & præparata ſibi quadã domo contigua eccleſiæ illic ſecretum remorandi expetijt, quia metuebat ad publicum procedere. Ad ſepulchrum enim Sancti quaſi ex toto orbe excita tanta hominum confluebat numeroſitas, vt introeuntibus ſpacioſi templi vix ſufficeret capacitas. Aduolabant enim tam ex vicinis, quam ex longinquis regionibus promiſcui ſexus innumerabiles, effundebat aſpera Francia ad honorem glorioſi apoſtoli ſui villanos, oppidanos, & ciues, ſed & Gallia pene ex omnibus ſuis partibus huc tranſmittebat populorum millia, inter quos accelerabant Epiſcoporum, Abbatum, monachorum, clericorum generoſa agmina. Ignobilis, nobili, aut inops cedere neſciebat diuiti, ſed omnes vna conglobati concurrebant intentione deuota, buſtoq. cæleſtem margaritam continenti dulcia imprimentes oſcula, oblationũ ſuarum quiſque pro poſſe offerebant donaria. Qui vero conſtipatorum violentia repulſi propius accedere non valebant, heu quantum gementes ſe deſiderij ſui priuari effectu, de longe proiectis muneribus, quæ attulerant, quaſi lapidibus Sancti ſepulchrum pia tamen deuotione obruebant.

Eſt autem ante fores ipſius baſilicæ quoddam ſpacioſum atrium, in quo quotiens denſitatem ſui perpeti non poterat frequentia tantorũ explicabat cœtuum, eo ducta auiditate cernendi ipſum beati Petri Vicarium. poſt beati enim Remigij captatum ſuffragium ad huius ſummopere inhiabat conſpectum. Qui vt magnanimo deſiderantium ſatisfaceret affectui, eminentius ſolarium domus, in qua remorabatur, petens, vnde & aſtantes contueri & ab eiſdem conſpici, & loquens poſſet audiri, Apoſtolica eos benedictione lætificauit. Hisq. recedentibus & alijs ſubinde atque alijs illud atriũ cæteruatim replentibus, ter in eadem die ſuæ exhortationis monita impertiens ſalubria, liquido patefecit, quæ vitanda quæq. ad ſalutem animarum ſuarum ſibi forent expetibilia. In eadem denique domo ſacra myſteria ſibi fecit celebrari, quia non dabatur vſpiam locus opportunus eccleſiam introeundi, nec ipſi Fratres præ importunitate plebium ſolitum illic penſum diuini valebant perſoluere officij.

AD PERVIGILIVM PAPA CVNCTA DISPONIT

Adueniente interea nocte, nec tamen confluentium rareſcente, ſed magis magisq. crebreſcente copia: domnus Papa metuens ne in ſacris vigilijs Deo famulantes importunitate plebis præpedirentur exequi diuinæ ſeruitutis ſolemnia, tum etiã ne ſibi pretioſi corporis Sancti ipſius transferendi, eccleſiæq. dedicandæ inhiberetur copia, de-

Universidad de Deusto
Biblioteca

legatis clericis suis eiusdē loci memorato Abbati, spaciositatē templi præcepit penitus euacuari, obseratisq. diligenter foribus omnibus intercludi facultatē introeundi. Præcepit etiam ex sua parte hoc populis enuntiari, vt ad horam secederent, & absque vlla sui impetus inquietudine solemnes illius noctis excubias cum digna deuotione a Deo militantibus celebrari sinerent, se proculdubio die subsequenti eorum desiderijs promittit satisfacturum, & thesaurum desiderabilem, quem quærebant, illorum conspectibus expositurum. Si vero mandatis detrectarent annuere, infecto negotio propter quod aduenissent, recessurum fore. Quod cum tandem maxima difficultate fuisset obtentum, pleraque tamen numerositas populorum cum copiosis luminaribus deforis excubans, eiusdem pollicitationis præstolaretur effectum, cereorum vbertate quasi multiplici siderum splendore interius irradiata ecclesia, Deo seruientium chori in canticis spiritualibus decentissime illius noctis exegerunt spacia.

DE S. REMIGII CORPORIS ELEVATIONE.

Mane autem facto susceptus est a domno Papa intra ecclesiam sanctus martyr Cornelius, quem cum alijs Sanctorum pignoribus compedientes clerici illo detulerāt pro multis violentijs, quas ecclesia sua patiebatur a quibusdam malefactoribus. Circa horam deinde tertiam redimitus idem Apostolicus infulis sacerdotalibus, ad glorioſi patris Remigij sepulchrū procedit cum thymiamaterijs & crucibus, sociatis sibi Archiepiscopis quatuor, Rhemensi videlicet, Treuerensi, Lugdunensi, Vesontionensi, cum quibusdam alijs, sed & ipsius loci Abbate, domnoq. Hugone venerabili Patre cœnobij Cluniacensis, & illius ordinis plurimis, cum quibus Litania facta & super sanctum corpus non modica thymiamatum accensa fragrantia, cecinit responsorium, Dirigatur oratio mea. Quo cum versu expleto, feretrum Sancti, vt præparatis instrumentis aptatum ad portandum redderetur habile, a suo loco paululum remouit, & antiphonam, Confessor domini Remigij, decantauit. At vbi competenter, prout res exigebat, dispositum fuit, ipse ante alios cum præfatis Archiepiscopis, & Abbatibus suppositis humeris illud deuote lacrymans extulit, & responsorium, Iste est de sublimibus, inchoauit. Cuius vocem subsequentes chori psallentium ouantes erumpunt in iubilationis tripudium, præq. alacritate cordis: O quantorum ora manantium rigauit redundantia fletuū, quantorumve mentes ad tanti Patris captanda suffragia sunt compunctæ in suspiria, beatorum gemituum. Tradens autem domnus Papa eumdem pretiosum thesaurum se vltro ingerentium *vobis ab inquietudine turbarum secessit. in Oratorium sanctæ Trinitatis, quod ad meridianam plagam infra ambitum ipsius ecclesiæ decenter constructum erat, Harduini cuiusdam illius loci cœnobitæ studio continens Dominicum sepulchrum eleganter imaginatum instar illius Hierosolymitani, in quo nostra requieuit saluatio. hoc igitur Treuerensem Archiepiscopum in sui præsentia eadem die consecrare fecit ex consensu præfati Rhemorum Archipræsulis, multorum ibi Sanctorum collocatis reliquijs.

LEO PAPA SVPOSVIT HVMEROS AD PORTANDVM.

*f. votis

CONCVRSVS AD VENERATIONEM CORPORIS S. REMIGII.

Denique monasterij foribus patefactis, vbi illa cælestis gemma desiderantium populorum est expositа obtutibus, tum vero cerneres promiscuum vulgus præ nimia exultatione manibus plaudere, innumeros in diuinas laudes gratulabūda vociferatione erumpere, potentes, impotentes, nobiles, ignobiles, quemque pro suis viribus summopere niti, vt tam optata gaudia propius mereretur contingere. Magna fides magno procul dubio remuneranda præmio, quæ ne tanti reddatur expers emolumenti, nec imminentis mortis reuocatur periculo. Quidam enim præ nimia desiderij sui festinatione præcipites dum inter constipatos cuneos corruunt, non valentes resurgere, suffocati & conculcati intereunt. Rapitur & iactatur potius quam portatur pretiosi corporis theca tot millium vndique propellente frequentia, velut nauis æquoreorum fluctuum hac & illac agitata violentia, nunc hi, nunc illi extorquendo sibi felicia vendicant dona. Et vt paucis multa concludantur, nec longis ambagibus legentium deficiat intentio, toto interstitio, quod ciuitatem & castellum ipsius Sancti interiacet, tam iucunda agitatur contentio. Adest Rhemensis Clerus cum ciuium multitudine, apostolum suum ad propriæ vrbis mœnia elaborat deuehere. Quem vix ab huiusmodi impetus densitate auulsum sanctæ Dei Genitricis infert ecclesiæ, vt cui viuens in corpore dignis laboribus vitæ præsentis multa comparauerat commoda, Catholicæq. religionis competentia addiderat insignia, huic vel vnius noctis morula exultationem simul & sanctificationem suorum ossium exhiberet præsentia. Collocato

cato ergo eo super sanctæ Crucis altare, Archiepiscopus Vesontionensis ad altare beatæ Mariæ procedens, Missarum solemnia cum eodem Clero de ipsius glorioſi Patris celebrauit festiuitate.

His autem expletis, dum concurrentium deuotio magis & magis agglomeratur, dici interea elapso curriculo nox subsequitur, cuius tamen caligine basilicæ illius adyta nullo modo fiunt obscura; tot gratulabundi conuentus suum quodammodo diem præferentia vndique micant luminaria. Monachi autem ibidem circa patronum suum lætis inuigilant excubijs, & matutinalem explent cursum cum duodecim lectionibus, & responsorijs suis. Post quos easdem vigilias solemniter peragendas canonici suscipiunt, & cum nouem Lectionibus Matutinorum officia consummantes vsque ad lucem protrahunt. Qui facto mane, Primam, Tertiam, Missamq. cum Sexta hora ante solita decantantes tempora, venerabile corpus cum diuinis laudibus efferunt a beata Dei Genitricis ecclesia, quod in circuitu ciuitatis cum iucunditate deportantes, congruas stationes per præfixa faciunt spacia. Cumq. ad eum locum ventum esset, vbi quondam fuerat porta antiquo, Patens, nuncupata vocabulo, per quam idem Sanctus hostem humani generis in eadem vrbe visibilibus ignium debacchantem exterminijs adhuc in carne viuens orationibus expulit, illic eosdem pretiosos artus deponunt, & ipsius miraculi memoriam digna deuotione & canticis spiritualibus agūt; ad cuius facti memoriale ibidem basilica moderno est constructa tempore, quam quidam seruus Dei Constantius nomine, suis impensis eleganter composuit, & Dei famulos ad eius obsequium quot potuit, dum viueret, aggregauit, & in honore sanctæ Mariæ Magdalenæ sanctiq Remigij consecrari fecit.

DISPONITVR ECCLESIAE DEDICATIO.

Dum itaque agitur illa circuitio extra ciuitatis mœnia, domnus Papa conuocatis Episcopis intra dedicandi monasterij abdita, singulis singula ad consecrandum delegauit altaria: Rhemensem vero Archiepiscopum cum Lisoiensi Episcopo ternam circuitionem cum crucibus & Sanctorum reliquijs, secundum ecclesiasticum ordinem, exterius constituit agere, ibiq. consecrationis officium adimplere: ipse vero cum sibi necessarijs remanens interius diuini tabernaculi sanctificationem strenue diligenterq. exequitur. Postquam igitur eo ventum est, vbi secundum orthodoxorum Patrum decreta pignora Sanctorum, & sacra quæque debent intra dedicatā ecclesiam recipi, præfati canonici (vt dictum est) deportato corpore beati Remigij per gyrum vrbis & castelli, eiq. adiacentis municipij, peruenerunt cum eo vsque ad portas monasterij, vbi tot millium excreuerat frequentia, vt præ eorum densitate eidem glorioſo Patri domum sibi præparatam introeundi intercluderetur licentia. Ipse namque Papa eadem ianuas vetuerat reserari, ne impetus cum eodem Sancto introeuntium & sibi diſcrimini, & impedimento cœptæ dedicationis foret consummationi. Quocirca aliquod diuerticulum, quo valeat intromitti, perquiritur, tandemq. vix a turbarum inquietudine abstractus per feneſtram, quæ est super sanctæ Trinitatis Oratorium, demittitur, quem domnus Apostolicus cum maxima deuotione, & canticis spiritualibus receptū non ad præsens in proprio loco reposuit, sed super principale altare, quod in honore Apostolorum Petri & Pauli, Clementisq. & Christophori martyrum, & beati Remigij consecrarat, collocauit. Et cuius rei gratia hoc facere decreuerit, dignam memoria rationis sententiam subintulit, videlicet, vt euidens & conspicuus omnium appareret oculis in celebranda Synodo, in qua si quis erroneus aliquid frivolum, vel ecclesiasticæ religioni aduersum asserere præsumeret, erga hunc vir Dei illius virtutis potentiam per sui corporis præsentiam exhiberet, quam adhuc in mundo viuens erga Arrianum hæreticum exhibuit, cui in conuentu Episcoporum Catholicæ Fidei lucem nebuloſi dogmatis vmbra obnubilare molienti, ad aduentum suum diuina virtute officium vocis extorsit: sed paulo post cum humili satisfactione reatum suum agnoscentem, animæ corporisq. eumdem sanitate donatum ad filios adoptionis transtulit. Quæ perorantis Papæ intentio ex superno instinctu procedens effectu nullo modo caruit, velut hoc opusculum suo loco declarabit.

Hac ergo de causa sic locato beati Remigij corpore, vniuersis agminibus Episcoporum, Abbatum, monachorum, clericorum per choros decentissime dispositis, Missarum solemnia idem Pontifex ex dedicationis celebrauit festiuitate, lecto Euangelio pulpitum conscendens exhortationis sermonem fecit ad circumstantem populum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui plurimus monasterij (vt dictum est) foribus obseratis per fenestras irrumpendo sibi fecerat aditum. Ad quem multa ex ipsius templi sanctificatione concionatus vtilia, diem illam celebrem esse præcepit per Rhemensis Episcopij confinia, anathematis pœna damnans omnes illos, qui ad eumdem locum huius solemnitatis gratia per singulos annos confluentibus vel inde redeuntibus alicuius impedimenti irrogarent incommoda. Constituit etiam, vt ad altare, quod (vt præfatum est) in honore Apostolorum Petri, & Pauli, & Clementis, & Christophori martyrum, glorioſiq. Confessoris Remigij consecrauerat, non indiscrete a quibusque, sicut hactenus, sacrosancta mysteria agerentur, sed secundum morem Romanæ Ecclesiæ septem tantummodo sacerdotes, qui in illa Congregatione digniores haberentur, ad hoc officium deputarentur, soli Rhemensi Archiepiscopo, ipsiusq. cœnobij Abbati ibidem Missas agendi potestate collata, & cui idem Abbas daret licentiam, certæ interdum rationis exigente gratia, nec non Clero Rhemensi bis in anno, feria videlicet secunda Paschalis festi, & vigilia Ascensionis Dominicæ, quando solemnes illic stationes ex antiqua faciunt traditione. Hæc decreta ne aliquando irrita fierent antiquitate temporis, litteris mandari, easq; signari sigillo suæ præcepit auctoritatis. Deinde memoratum populum secundum institutionis eius verba publicam de peccatis suis confessionem agentem absoluit, explicitisq. diuinis officijs Apostolica benedictione sanctificans illum dimisit. Pontifices autem cœnobiorumq. rectores & ceteros sacri ordinis ministros, qui ibi aderant, ad eumdem locum in crastino iussit reuerti, vt cum illis haberet rationem quam condixerat Synodi.

DISPONITVR CONSESSVS IVNIOR AB IPSO PAPA.

Die vero altera quæ est quinto Nonas Octobris, congregati sunt in memorata basilica Episcopi videlicet numero viginti, cum quinquaginta fere Abbatibus & alijs ecclesiastici ordinis quamplurimis, vbi statim vetus querela inter Rhemensis, ac Treuerensis Archiepiscopi clericos est renouata, his astruentibus, quia Rhemensis Primas esset in Gallia; ideoq. illi dispositio competeret synodica: e contra vero illi Archiepiscopo Treuerensi eamdem dignitatem conabantur adscribere, primamq. Sedem post Romanæ Ecclesiæ Præsulem in celebrando Concilio acquirere. Domnus autem Papa non arbitratus opportunum tempus, quo his rationibus imponi valeret congruus finis, scilicet potius metuens huiusmodi controuersiam prorumpere ad scandalum contentionis, in modum coronæ sedilia Episcoporum disponi, & in medio eorum suæ sedis suggestum præcepit locari, cuius ordinationis modum ex arbitrio Rhemensis Archipræsulis sanxit administrari. Qui conuocatis Archidiaconis & quibusque Cleri sui præcipuis, cum eorum consilio in modum (vt dictum est) coronæ pontificum sedilia, & in medio eius Apostolicæ Sedis apparari fecit insignia. His ita dispositis, domnus Papa sacerdotalibus quasi ad celebrandam Missam infulis redimitus processit ex Oratorio sanctæ Trinitatis cum Cruce & Euangelij libro, antecedentibus eum sacri ordinis ministris, sexq. alij coram eo procedentes ante sanctum altare, ex integro cantauerunt antiphonam, Exaudi nos Domine. Qua expleta cum psalmo, & Gloria, Archiepiscopus Treuerensis Litaniam fecit, eaq. finita conuentum diaconus, vt ad Deum preces effunderet, admonuit, & sic tempori congruentem domno Apostolico orationem dicente, lectum est Euangelium: Dixit Simoni Petro IESVS: Si peccauerit in te frater tuus. Post hæc consederunt omnes ordine quo Rhemensis Archipræsul disposuit. Domnus quidem Papa in medio (vt dictum est) chori verso vultu ad sepulchrum beati Remigij, ante oculos autem eius ad orientalem plagam Rhemensis in dextera, Treuerensis vero in parte resedit siniſtra. Post Rhemensem deinde secundum subnotatum ordinem resederunt Beroldus Suessionensis, Trogo Morinensis, Frollandus Siluanectensis, Adalbero Metensis: ad meridianam autem plagam Aylenardus Archiepiscopus Lugdunensis. Hugo Lingonensis, Iosfridus Constantiensis, Iuo Sagensis, Herbertus Lisoiensis, Hugo Baiogarensis, Hugo Auringensis, Theodericus Virdunensis. Ad septemtrionalem vero plagam Hugo Archiepiscopus Vesontionensis, Hugo Niuernensis, Eusebius Andegauensis, Pudicus Namnetensis Episcopus Anglorum, & Ioannes Portuensis. Post quorum terga in modum similiter coronæ resederunt Abbates hoc ordine: domnus scilicet Abbas sancti Remigij Herimarus, domnus Hugo Cluniacensis, Sigefridus Gorziensis, Folco Corbeiensis, Rotbertus Pemniensis, Rainoldus sancti Medardi, Giruinus sancti Richarij, Gotfridus Verzelliacensis, Arnoldus

dus Pultariensis, Rudolphus Mosomensis, Oylardus Catalaunensis, Milo Dernensis, Nozgaudus Altuillarensis, Albertus sancti Theoderici, Stephanus sancti Vrbani, Vulricus sancti Augustini Cantuariensis, Aluuinus sancti Benedicti de terra Anglorum. Deinde ceteri, qui (vt superius relatum est) simul fuerunt numero fere quinquaginta.

Quibus ita residentibus, imperato silentio ex præcepto domni Papæ, surrexit Petrus sanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconus, expedito sermone proponens de quibus in eadem Synodo sermo esset habendus, de multis videlicet illicitis, quæ contra canonum instituta in Gallicis finibus exercebantur, ideſt de simoniaca hæresi; de ministerijs ecclesiasticis & altaribus, quæ a laicis tenebantur; de prauis consuetudinibus, quæ ab eis in atrijs ecclesiarum accipiebantur; de incestis coniugijs, & eis qui legitimas relinquentes vxores adulterinis iterum nuptijs implicabantur; de monachis & clericis, a sancto proposito & habitu recedentibus; item de clericis mundali militiæ studentibus; de rapinis, pauperumq. iniustis captionibus; de Sodomitico vitio, & quibusdam hæresibus quæ in eisdem pullulauerant partibus. Quibus propositis, admonuit omnes qui aderant, vt inde secum prudenti deliberatione, tractarent, consiliumq. cum opportuno adiutorio domno Papæ præberent, quomodo hæc zizania diuinæ segetis semen suffocantia extirpari valerent. Post hæc ad Episcopos sermone conuerso commonuit illos sub anathemate Apostolicæ auctoritatis, vt si quis eorum ad sacros ordines per simoniacam hæresim peruenisset, vel præmio quemlibet ad eamdem dignitatem promouisset, publica confessione patefaceret.

DE HIS QVAE IN SYNODO TRACTANDA ESSENT.

Primus ergo Treuerensis Archiepiscopus ad hæc verba surrexit, seq. nec aliquid dedisse vel promisisse pro adepto Episcopatu, neque alicui sacros ordines vendidisse respondit. Deinde Lugdunensis & Vesontionensis surgentes, ab huiusmodi culpa professi sunt esse immunes. Tunc præfatus diaconus ad Rhemensem Archiepiscopum se conuertit, & quid de his, ex quibus a ceteris facta fuerat purgatio, ediceret, requisiuit. At ille surgens inducias petijt vsque in crastinum, dicens se velle priuatim loqui ad domnum Apostolicum. Cumq. datæ fuissent, ceteri omnes surrexerunt in ordine secundum verba priorum, purgantes se ab huiusmodi suspicione, quatuor tantummodo exceptis, Lingonensi videlicet, Niuernensi, Constantiensi, Namnetensi, quorum causa eo die ad discutiendum relicta, diaconus sermonis cursum ad Abbates qui aderant vertit, eosque, ne forte & ipsi in ouile Dominicum aliunde non per ostium introissent, confiteri admonuit. Primus sancti Remigij Abbas Herimarus surrexit, seq. ab huiusmodi culpa congrua responsione purgauit. Deinde domnus Hugo Cluniacensis subsequutus hanc purgationis suæ rationem subintulit, dicens: Pro adipiscendo Abbatiæ honore, Deo teste, nihil dedi vel promisi, quod quidem caro voluit, sed mens & ratio repugnauit. Post hunc se quidam congrue excusare studuerunt, alij vero nihil respondentes reatum suum occulere, quam patefacere maluerunt. Tunc Lingonensis Episcopus surgens, super Abbate Pultariensi diœcesaneo suo plurimum est conquestus, quod videlicet, in fetore luxuriæ viuens pluribus flagitijs inseruiebat, beato quoque Petro, eiusq. Vicario, Romanæ scilicet Ecclesiæ Pontifici, cuius Abbatia illa erat, debitum censum quotannis persoluere detrectauerat, & inde excommunicatus, Missarum sacramenta celebrare præsumpserat, excommunicationiq. adhuc subiacens eidem Synodo intererat. Qui discussus, nec ab obiectis se valens purgare criminibus, ab honoris sui est dignitate depositus. His ita definitis, edictum est sub anathomate auctoritatis Apostolicæ, vt si quis assidentium quempiam vniuersalis Ecclesiæ Primatem, præter Romanæ Sedis Antistitem esse assereret, ibidem publica satisfactione patefaceret. Cumq. adhæc vniuersi reticerent, lectis sententijs super hac re olim promulgatis ab orthodoxis Patribus, declaratum est, quod solus Romanæ Sedis Pontifex vniuersalis Ecclesiæ Primas esset & Apostolicus. Post hæc domnus Papa sub excommunicatione prohibuit, ne quis absque sui licentia recederet, antequam tertia lux consummaretur in celebratione Concilij; sicq. iam nocte propinquante conuentum dimisit.

INCIPIT IVDICIVM A DOMO DEI IN PRIMA SESSIONE.

SECVNDA SESSIO.

Sequenti autem die ad memoratam basilicam cum Abbatibus & Clero conuenientibus Episcopis, domnus Papa cum quibusdam eorum secessit in Oratorium sanctæ Trinitatis, vbi dum cum eo confessionis suæ priuatum colloquium Rhemensis habuisset Archiepiscopus, & de ecclesiasticæ religionis profectu tractatum esset diutius eo

ordine

Universidad de Deusto
Biblioteca

ordine,quo & transacta die, Apostolicus inde processit,dictaq. antiphona, & Litania facta,a Treuerensi Archipræsule,Euangelium, Omnis arbor bona, diaconus legit vniuersis. Deinde suo loco residentibus,Rhemensem Archiepiscopum, vt de simoniaca hæresi,de qua hesternas obtinuerat inducias,rationem redderet,præfatus annuit Cancellarius, imperens eum etiam de multis, quæ se fama vulgante comperisse asserebat, criminibus. Ad hæc Archiepiscopus surgens,vt sibi consiliandi facultas concederetur expetijt. Qua impetrata,Vesontionensem,Suessionensem,Andegauensem, Niuernensem, Siluanectensem, Morinensem Episcopos conuocans,cum eis mysterium habuit consilij sui, indeq. reuersus, causam suam vt Siluanectensis peroraret, a domno Papa obtinuit. Surgens autem Episcopus Siluanectensis,eumdem Archiepiscopum respondit non esse reum simoniacæ hæresis. His auditis Apostolicus præcepit,vt hæc ita esse sacramento comprobaret Archiepiscopus: mandans etiam recitari sententiam, qua Maximum Salonitanum Episcopum ex simili culpa notatum pari modo se inde purgare beatus Papa sanxit Gregorius. At ille canonicas inducias inde postulauit, seq. post earum expletionem, quod ratio purgationis posceret, peracturum spopondit. Quibus ei concessis, statutum est, vt medio Aprili mense Concilio, quod Romæ celebrandum erat,interesset. Cetera vero quæ ei obiecta sunt,quia legitimi accusatoris vicebantur delatione carere,decretum est ad præsens indiscussa remanere.

Sic igitur huiusmodi definito negotio, super Abbatia Dernensi domnus Papa conquestus est,quæ a Tullensi subtracta fuerat Episcopio, & hanc ad ipsius pertinere ecclesiæ possessionem,per priuilegiorum,quæ inde habebat,demonstrauit recitationem. Econtra Rhemensis Archiepiscopus Abbatiam illam respondit sui iuris potius esse,& hoc antiquioribus priuilegijs ecclesiæ suæ se rectificari valere. Papa vero,quia in præsenti non erant eadem scripta, ex quorum lectione valeret hæc controuersia finiri, iussit ea interim in archiuis Rhemensis ecclesiæ perquisita in crastino in medium afferri. Tunc Turonenses clerici per Lugdunensem Archiepiscopum querelam intulerunt super Dolensi Episcopo Britanniæ qui se cum septem Suffraganeis a Turonensi Archiepiscopo subtraxerat,sibiq. Archipræsulis nomen contra fas vendicauerat. Qui statim ex auctoritate Apostolica vocatus est ad Concilium, quod (vt præfatum est) medio mense Aprili Romæ erat celebrandum, vt ibi rationis huius agitaretur iudicium.

LINGONENSIS EPISC. ACCVSATVR.

Post hæc memoratus diaconus in Episcopum Lingonensem inuehitur, eumq. Episcopalem dignitatem per simoniacam hæresim obtinuisse, sacros ordines vendidisse, bellica arma contra fas ferendo homicidia perpetrasse, alieni matrimonij iura violasse,in clericos suos tyrannidem exercuisse,Sodomitico etiam flagitio pollutum esse,criminatur. Quibus verbis fidem præbebant plurimi delatores qui aderant, inter quos quidam clericus asseruit, quod sibi adhuc laico coniugem suam violenter abstulerat, & post perpetratum cum ea adulterium monacham fecerat. Affuit & presbyter quidam,se ab eodem Episcopo conquerens captum,& satellitum eius fuisse protestati traditum, qui eum multis supplicijs excruciantes. quod scelestius est, clauis acutissimis genitalia eius confixerant,taliq. violentia ab eo decem libras denariorum extorserant. His auditis, Episcopus consiliandi licentiam petit: qua impetrata, Archiepiscopos Vesontionensem & Lugdunensem accersit, eisq. credens arcanum consilij sui, petit, vt sibi sint causidici. Sed qui,cum tantis flagitijs foret implicitus, in oculis alterius magis quam in suis trabem videns, fratrem quamuis culpabilem in hesterna Synodo criminatus fuerat, eiusq. ad damnationem & ipse merito damnandus aspirauerat, non solum se ab obiectis nequit excusare criminibus, sed etiam eius causidico, ne ad sui defensionem quidquam proferre valeat,linguæ motus adimitur diuinitus. Vesontionensis quippe Episcopus dum susceptum eius negotium perorare, & ad excusationem criminosi incongrua quædam decerneret proponere, insperato sibi suffragium vocis diuino sensit denegari numine. Proculdubio magnus pater Remigius ob hoc ipsum (vt prædictum est) ante conspectum Synodi expositus a beatæ Fidei Papa,etiam hic eiusdem virtutis enituit potentia, qua olim dum adhuc peregrinaretur in terris,Arriani illius exinaniuit molimina. Tunc enim hæreticum aduersus Catholicam Fidem blasphemias deliberantem garrire,ne conata perageret, sed potius respiciendo fidelis fieret, silentio condemnauit: nunc autem virum licet fidelem, ne sceleratum defendendo delinqueret,vsu loquendi priuauit. Et reuera diuinæ sublimitatis incom-

incomprehensibilis virtus in vtroque facto mirabiliter enituit, quæ & ibi glorioſæ animæ licet adhuc inuolucris septæ tantum potestatis contulit, & quanta eam iam beatificauerit gloria,nunc circa eius exanime corpus patenter ostendit. Postquam ergo præfatus Vesontionensis Episcopus a suo conatu tali miraculo se prohiberi cognouit: Lugdunensi,vt sui vice fratris causam peroraret,innuit. Qui surgens ait eumdem Lingonensem Episcopum confiteri, quod sacros ordines vendiderit, & memoratam pecuniam ab illo presbytero extorserit, sed supplicijs, quibus asserebat, eum excruciari non fecerit: cetera vero quæ sibi fuerant obiecta,hunc penitus denegare asseruit. His dictis domnus Papa videns eadem die non posse ad plenum huiusmodi negotium ventilari,iam enim nox instabat, quid in canonibus de sacrorum ordinum venditoribus sit decretum, iussit tantummodo recitari, lectaq. sententia ad præceptum eius ex Concilio Chalcedonensi,capitulo videlicet secundo,soluta est Synodus, dilato vsque in crastinum huius rationis iudicio.

TERTIA SESSIO.

Mane autem facto iterum ad eumdem locum Episcopi conuenere cum Abbatibus & ceteris ecclesiæ ordinibus: ad quos domno Papa procedente non est cantata antiphona, Exaudi nos Domine, sicut heri, & nudiustertius; sed ad eius aduentum Clerus decentissime cecinit hymnum: Veni Creator Spiritus. Quo completo cum antiphona de sancto Remigio, Litania facta est a Vesontionensi Archiepiscopo,postquam de Spiritu sancto collectam dixit domnus Apostolicus. Sicq. lectum est Euangelium: Ego sum pastor bonus. Cumq. vniuersi consueto resedissent ordine, supradictus Ecclesiæ Romanæ diaconus ait consequens esse,vt vbi hesterna Synodus fuerat terminata,ibi rationis suæ iteraret initia,a Lingonensis videlicet causa. Qui requisitus, & a synodica examinatione se subduxisse repertus, ex parte Dei & beati Petri Apostolorum principis,eiusq. Vicarij,qui præsens aderat,ab eodem diacono tertio est vocatus. Directi sunt etiam Episcopi Siluanectensis & Andegauensis ad illius hospitium,vt si forte eum ibi reperirent,reuocarent ad Concilium. Qui dum imperata accelerant peragere, ipsius Referendarij allocutio fit ad illos, qui nondū se a simoniaca hæresi debita purgauerant responsione. At Niuernensis Episcopus surgens, pro suo Episcopio plurimum pecuniæ confessus est a parentibus datum fuisse,se tamen ignorante,eoq. adepto nonnulla ecclesiasticæ religioni contraria commisisse, vnde se asserebat diuinæ vltionis vindictam pertimescere. Ideoq. si domno Papæ & præsenti conuentui dignū videretur,idem officium velle dimittere potius, quam in eius retentione animam suā pessum dare. quæ vbi dixit,pastorale pedum ante pedes ipsius Apostolici posuit. Ille vero tanti viri flexus deuotione, fauente Synodo, eumdem, quod absque suo consensu eadem pecunia data fuerit, sacramento comprobare fecit, sicq. illi per aliud pedum ministerium Episcopale reddidit.

NIVERNENSIS EPISCOPVS ABDICAT SE SPONTE.

Interea allatum est coram priuilegium Rhemensis ecclesiæ de Abbatia de Ruensi, ex cuius lectione comprobatum est, eam pertinere ad ius Rhemensis Archiepiscopi. Redeuntes denique qui missi fuerant ad reuocandum Lingonensem Episcopum,nuntiauerunt eum facinorum suorum metuentem discussionem, fugæ arripuisse præsidium. Tunc ex præcepto ipsius Papæ lectæ sunt sententiæ super huiusce modi re promulgatæ ab orthodoxis Patribus, sicq. vniuersi Concilij iudicio excommunicationis est pœna damnatus. Quod audiens Archiepiscopus Vesontionensis,surrexit,& quomodo eumdem reum excusare nitens, ex diuina virtute per beati Remigij merita silentio condemnatus sit patefecit, coram eodem conuentu satis deuote veniam petens,quod eiusdem miraculi nouitatem eo vsque negligenter celarit. Hic ex pia deuotione & alacritate cordis domnus Papa in lacrymas compunctus sic ait: Adhuc viuit beatus Remigius. Tunc ex præcepto eius omnes surrexerunt, & cum eo ante eiusdem Sancti sepulchrum prostrati antiphonam sancti Remigij ex integro deuotissime cecinerunt.

LINGONENSIS EPISCOPVS CONDEMNATVS.

Post hæc surgens Constantinienſis Episcopus, confessus est se ignorante a quodam fratre suo emptum sibi Episcopium fuisse,quod cum resciisset, ne contra fas ordinationem illam susciperet, voluisse aufugere, sed ab eodem violenter captum Episcopali contra voluntatem suam esse dignitate donatum. Quod sacramento comprobare iussus,nec renuens, sic iudicatus est simoniacæ hæresis non incurrisse facinus. Accedens denique Namnetensis confessus est, genitorem suum Episcopum fuisse suæ ciuitatis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

tatis,& in eius vita donum Episcopij se percepisse, mortuoq. illi subrogatum per largitionem pecuniæ. Quapropter iudicio Synodi sublato anulo & pastorali pedo, priuatus est pontificali ministerio,condonato ei interuenientibus Episcopis tantummodo presbyteratus officio.

DE PLVRIVM EPISCOPORVM DAMNATIONE.

Horum igitur causa tali modo terminata, commonuit domnus Papa Archiepiscopos qui erant in præsentia,vt si quem Suffraganeorum suorum simoniacæ pestis esse reum scirent,coram omnibus notificare non renuerent. Quibus id omnino se scire denegantibus,habitus est sermo de Episcopis,qui inuitati ad eamdem Synodum venire noluerant, nec aliquod inde suæ excusationis scriptum transmiserant illo. Vnde competentibus ad hæc Patrum recitatis sententijs, pœna damnati sunt excommunicationis cum omnibus illis, qui ipsius Papæ formidantes aduentum,hac de re profecti erant in expeditionem Regis. Nominatim vero Senonensis Archiepiscopus,Bellouacensis,& Ambianensis Episcopus, sed & Abbas sancti Medardi, quia absque licentia recesserat a conuentu Concilij. Excommunicatus est etiam sancti Iacobi Archiepiscopus Gallicensis, quia contra fas sibi vendicaret culmen Apostolici nominis. Post hæc petentibus eis,qui sanctæ religionis amatores ibi aderant,plurima sanctorum Patrum decreta,quæ iam per incuriam pro nihilo habebantur,præcepto suæ auctoritatis renouauit,& multa quæ in Gallicana ecclesia exercebantur illicita,ne fierent vlterius, sub anathemate prohibuit,videlicet:

CANONES RENOVATI.

Ne quis sine electione Cleri & populi ad regimen ecclesiasticum proueheretur.

Ne quis sacros ordines,aut ministeria ecclesiastica, vel altaria emeret,aut venderet. & si quis clericorum quidlibet eorum emisset, id cum digna satisfactione suo Episcopo redderet.

Ne quis laicorum ecclesiasticum ministerium vel altaria teneret,nec Episcoporum quibus consentirent.

Ne quis in atrijs ecclesiarum præter Episcopum & eius ministrum quaslibet consuetudines exigere præsumeret.

Ne quis pro sepultura,vel baptismo,siue pro Eucharistia, aut infirmorum visitatione quidquam exigeret.

Ne quis clericorum arma militaria gestaret,aut mundanæ militiæ deseruiret.

Ne quis clericus vel laicus vsuras exerceret.

Ne quis monachus, vel clericus a suo gradu apostataret.

Ne quis cum aliquibus sacri ordinis iter agentibus violentiã vllam inferre auderet.

Ne quis pauperes homines rapinis vel captionibus vexaret.

Ne quis incestuosæ coniunctioni se copularet.

Ne quis legitima vxore derelicta aliam duceret.

Et quia noui hæretici iñ Gallicanis partibus emerserant, eos excommunicauit, illis additis qui ab eis aliquod munus vel seruitium acciperent,aut quodlibet defensionis patrocinium illis impenderent.

Pari modo damnauit & Sodomitas.

EXCOMMVNICATI PRINCIPES.

Excommunicauit etiam Comites Engelrai & Eustacium propter incestum, & Hugonem de Braina,quia legitimam vxorem dimiserat, & aliam sibi in matrimonio sociauerat. Interdixit & Balduino Comiti Flandrensi,ne filiam suam Vuillelmo Northmanno nuptui daret, & illi,ne eam acciperet. Vocauit etiam Comitem Tetbaldum, quoniam suam dimiserat vxorem.

Vocauit & Gozfridum Andegauensem vsque ad Synodum futuram Moguntiæ, ibi excommunicandum nisi relaxaret quem captum tenebat domnum Geruasium, qui tunc erat Præsul sedis Cenomanicæ: postea vero ab eiusdem tyranni potestate exemptus,Vuidone Archiepiscopo defuncto, a Rege Francorum Henrico subrogatus est ad regimen Rhemensis ecclesiæ.

Excommunicauit denique illos,de quibus proclamationẽ fecerant Compendienses clerici,propter quorum iniustitiã illuc detulerant corpus sancti martyris Cornelij. Eos quoque,qui ab eadem Synodo redeuntibus aliquid inferrent impedimenti.

Priuilegium autem quod fecerat sancto Remigio, ibidem in conspectu omnium recitatum confirmauit,& constituit omni tempore sicut scriptum continebatur, inuiolabiliter conseruari, sicq; benedictione data Concilium soluit.

Huius-

adde — ita quidem esse oportuit, si vnus idemq. tantum (quod putauimus) Theuzo fuerit. At vero ferunt,eodẽ tempore duos fuisse celebres eiusdem nominis monachos, quorum alter anachoreticam vitam duxerit Florentiæ in monasterio sanctæ Mariæ ordinis monachorum sancti Benedicti Congregationis Cassinensis; ad huncq. scripsisse Petrum Damiani, cuius litteris meliori frugi redditus, tandem confectus senio, sancto fine quieuerit circa annum Salutis millesimum septuagesimum, cuius & corpus asseruari asserunt sub altari primario, vbi & huiusmodi legitur epitaphium exaratum:

Theuzonis monachi venerabilis ossa quiescunt
Præsenti in tumulo, sancta qui vixit in ade
Quinquaginta annis eremi velut incola feruens, &c.]

Alter vero traditur ab ijsdem, fuisse monachus Vallambrosianus,discipulus S.Ioannis Gualberti, idemq. Abbas Razolensis in monasterio S. Pauli, non longe a Florentina ciuitate, obijsseq. circa annum Domini millesimum nonagesimumquintum, quem & Vallambrosiani monachi venerari dicuntur. hæc de his ad euitandam in æquiuocis confusionem, atque seligendos ipsos ab inuicem, dando vnicuique ipsorum, quod suum est. Profecerunt pariter ex Petri ——

Anno Christi 1006. §. Hoc ipso anno Alexander — *ibi* — annos vigintitres,menses sex, dies vigintiseprem — *corrige* — annos vigintiduos & menses nouem. Quod autem omnes ferme numerent annos vigintiquatuor regni eius: a tempore forte electionis eos numerasse oportuit. Hic autem a tempore coronationis anni regni eius enumerantur ——

Anno Christi 1070. §. Cum autem de Archiepiscopatu — *ibi* — pro pallio accipiendo — *hæc addas* — cui cum derogatum fuisset a Ioanne Papa Vigesimo, anno Redemptoris millesimo vigesimoseptimo, tamen contrarijs decretis reuocatam fuisse pristinam consuetudinem, docent litteræ Hildebrandi. Nam cum ob ——

Anno Christi 1074. §. Porro de eodem Roberto — *ipsum totum dele, quoniam est inferius repetitum* — Vt autem ——

Anno Christi 1077. §. Gregorius igitur Pontifex — *ibi* — Romam peruenit — *adde* — (prout apparet ex ipsius litteris) mense Septembris.ex quibus iure redarguas erroris Domnizonem, dum ait, ipsum Romam peruenisse mense Maij, Mathilde antecommonita ——

Anno Christi 1079. in fine ibi — oportuit accidisse — *adde ista* — sed secundum statutam a nobis superius chronologiam,auctoritate Scriptorum eius temporis roboratam, qua diximus accidisse eius obitum anno Christi millesimo trigesimooctauo: vtique quatuor ex his minuas necesse est annos. Quomodo ——

Anno Christi 1083. §. Inter hæc autem cum — *ibi* — idem Leo Ostiensis — *adde* — enarrat. Sed prius de rebus gestis aduersus Northmannos habet ista — Hoc audito — *quæ media intercedunt verba hucusque,deleto.*

Quæ ex recognitione facta ad superiores Tomos spectare noscuntur additiones atque correctiones.

Ex Tomo Secundo.

Anno Christi 104. prope finem. §. Ceterum tantum abfuit — *ibi post illa verba* — in stuporem magnum adduxerit — *adde quæ sequuntur* — Nisi fortasse ante Plinij Proconsulatum id quis accidisse contendat, velitq. Arrium Antoninum,de quo ibi loquitur Tertullianus, maternum Pij Aug. auum fuisse, quem idem Plinius alio loco, proconsulatum Asiæ ante hæc tempora, in quibus versamur, gessisse docet.[a] Sed de his suo loco ——

[a] *Plin. lib. 4. epist. 3.*

Anno Christi 111. in exordio ibi — Traiani vero duodecimus — *hæc adde* — Contigit nos in prima editione Annalium ponere Consules Messalam atque Pedonem, fidem secutos[b] Euagrij,numerantis annos prioris terræmotus Antiocheni sub Traiano vsque ad posteriorem terræmotum sub Leone Imp.Sed quod vetus inscriptio reperta, non sinat suo loco in Fastis positum Consulatum Pedonis moueri, consignatum ipsum certo anno ab Vrbe condita, calculus ipse potius Euagrij mendacij arguendus, quo nos ductos, cum ipso pariter errasse contigit, vt hic eius auctoritate Consulatum Pe-

[b] *Euagr. lib. 2. cap. 21.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

donis, & recensitum sub eius Consulatu terræmotum Antiochenum posuerimus, restituendum ipsum sub ipso Consulatu Pedonis post sex annos suo loco. Venia tamen dignus error, cum Cassiodori Fastis per hæc Traiani & Hadriani tempora nihil sit perturbatius, vt in his de Consulatu Pedonis illapsus error ex Euagrio potuerit existimari. Sed re comperta, ponatur hic Consulatus Palmæ iterum & Caluisij Tullis inter suffectos autem T. Aelius Hadrianus is, qui Imperium postea, Traiani adoptione, cuius spem certam in hoc ei magistratu factam ferunt, [a] consecutus est. Tertius enim hic annus erat ab eius Prætura, quam Seruiano II. Consule ab eo gestam, notat Spartianus. Ceterum ab hoc anno ad annum secundum Leonis Augusti, quo terræmotus ille contigit, qui ciuitatem Antiochenam grauissime afflixit, numerantur anni trecentum quadragintaseptem, quot scilicet Euagrius Scholasticus interlapsos tradit ab altero eiusdem ciuitatis terræmotu, qui Traiani temporibus acciderat. Vnde si calculum eius sequamur (vt fecimus) priorem hanc cladem Antiochenam, hoc ipso anno, & his, quos dixi, Consulibus adscribi oportebit. Sed cum ex Dione constet, illam Pedone Consule, quem in ipso terræmotu Antiochiæ oppressum affirmat, contigisse, Consulatusq. Pedonis, vt certissima nota demonstrabitur, non ante sextum ab hinc annum collocari queat: ad id tempus necessario reijciendus erit hic terræmotus; ac docendum, fidem dandam Dionis narrationi, ipsum vero Euagrium potius in numeri sui computatione lapsum esse. —— *hic finis præsentis anni 111. nam quæ sequuntur collocanda in anno Christi 117. eo modo quo tunc suo loco dicetur.*

[a] *Spart. in Hadriano.*

Anno Christi 112. in principio post illa verba — Pisonem & Hastã, alij — *adde* — quod certius est, Crispum & Orfitum — *& paulo inferius ibi* — valeat definiri — *adde* — siquidem, vt superius dictum est, his Traiani, siue Hadriani temporibus, Cassiodori Fasti mendosissimi inueniuntur. —

Anno Christi 117. in principio sic lege — Annus Christi centesimus decimusseptimus, qui est Traiani decimusoctauus, non vt in prima editione posuimus ex Cassiodoro, Hadrianum & Salinatorem Consules habuit, sed magis L. Vipstanum Messalam & M. Vergilianum Pedonem. Sic enim in antiquis lapidibus eorum nomina describuntur, adiecta etiam in vno eorum nota numeri annorum ab Vrbe condita, quæ illos hoc anno Christi fuisse Consules, dubitari non sinat, totamq. chronologiæ nostræ rationem mirifice confirmet. sic igitur habet eius inscriptionis pars, quæ ad annum hunc facit,

D. IVNIVS CARVS COOPT.
L. VIPSTANO MESSALA M. PEDONE VERGILIANO COSS.
P. R. C. ANN. DCCCLXVII. idest. Post Romam conditam anno octingentesimo sexagesimoseptimo. Sane si ad annum Vrbis septingentesimum quinquagesimumprimum, in quem Christi Domini ortum secundum carnem incidisse docuimus, annos centum & septemdecim, qui ad hos vsque Consules numerati sunt, adijcias: eamdem ipsam annorum Vrbis summam conficies, octingentos scilicet atque sexagintaseptem siue octo, quod vtrumque verum est: quia cum anni Vrbis a Palilibus, Aprili mense inciperent, quemlibet annum ordinarium in duos Vrbis annos, siue in duas illorum partes incurrisse, certum est. Quare huiusce Christi anni centesimi decimiseptimi prior pars a Ianuario ineunte, vsque ad 11. Kalend. Maias, quo die Vrbs condita fuit, octingentesimo sexagesimoseptimo illius anno, reliqua deinceps sexagesimooctauo respondeat.

Ex his ergo certa atque fixa Consulatus Pedonis sede constituta, sequitur, vt dirum illum terræmotum, quo ciuitas Antiochena concussa atque prostrata est, cum in ea esset Imperator in hibernis, & Pedo ipse Consul, Dione teste, interijt: non alio, quam hoc ipso anno, contigisse intelligamus. Res autem atrox & luctuosa, prout se habuit, pluribus enarranda, quam [b] Dio idem his verbis præclare admodum describit — *hic describas, quæ habentur superius anno Domini centesimo vndecimo, post eius exordium, ab illis verbis.* — Dum vero Antiochiæ Traianus ageret — *vsque ad illa verba* — quonam potissimum anno — *quibus sublatis, cum his quæ sequuntur vsque ad finem, loco ipsorum subijcias ista.* — Ceterum cum ex Pedonis Consulatu, tamquam certissimo indicio, demonstratum sit, præsenti anno, idest Traiani decimooctauo contigisse terræmotum Antiochenum: ab hoc autem anno vsque ad secundum Leonis Augusti, quo alteram ingentem ac plane mirandam ex terræmotu cladem Antiochiæ itidem accidisse, commemo-

[b] *Dio in Traiano.*

memorat [a] Euagrius, non plures quam trecenti quadraginta & vnus anni reperiantur, quod male calculos idem subduxerit, necesse est affirmare, cuius & nos error fecit errare, dum inter vtrumque terræmotum trecentos quadragintaseptem annos enumerault. Propius ad verum accessit Eusebius in Chronico, dum eamdem cladem decimosexto Traiani anno collocat, & fortasse (nisi quod innumeris eius locis euenisse constat, vt rerum ordo a librarijs perturbaretur, id huic etiam accidisset) suo prorsus anno, hoc est, octauo decimo Traiani legeretur. Sub finem plane Imperij Traiani rem gestam id confirmat, quod Traianum post hæc statim Antiochia profectum, trans Euphratem copias duxisse, Dio testatur, in eaq. expeditione, quod suo loco dicetur, diem clausisse. Atque hæc de his satis. — *tum subijcienda erunt, quæ anno 117. post exordium habentur, ab illis verbis* — Iudæis in Mesopotamia rebellantibus — *& quæ sequuntur vsque ad finem.*

[a] *Euagr. lib. 3. cap. 12.*

Anno Christi 120. in principio post verba illa — Catilium & Fuluum — *vsque ad illa verba proxime sequentia* — secundo factus est Consul — *inclusiue, dele, quorum loco subijcias ista* — Hadrianus vero non Consul factus hoc anno; sed in sequentem est designatus secũdo Consul. Sic enim intelligendum, quod de hoc anno loquens Spartianus, ait in Hadriano, ipsum fauore Plotinæ secundo Consulem esse factum. De anno quidem sequenti loqui Spartianum, ex eo patet, quod Hadrianus, quo tempore mortuo Traiano successit, idest Augusto mense huius anni, Consul secundo designatus tantum erat. Id enim docet antiqua veterum nummorum inscriptio, quæ sic habet: [b]
IMP. CAES. DIVI TRA. F. DIVI NERVAE N. TRAIANO HADRIANO AVG. P. M. TR. P. COS. DES. II. his ergo dictis anni huius Consulibus, Hadrianus Consul designatus, & statim adoptatus, Imperium post Traian — *& quæ sequuntur.*

[b] *Hub. Golt. in Thesauro.*

Eodem anno prope finem, vbi legitur — hæc omnia pluribus Spartianus — *dele vsque ad illa verba* — certe quidem ——

Eodem anno vltimo versu, verba illa — simul collata — *dele.*

Anno Christi 120. ipso exordio, vbi incipit — Sequens annus — *vsque ad cusa numismata dele, quorum loco ista subijcias* — Sequentis anni Consules fuerunt Hadrianus Augustus secundum, qui vt ex Spartiano & vetere nummo vidimus, viuente adhuc Traiano designatus fuerat, & Fuscus Salinator. Quo anno Hadrianus in Vrbem ex Syria per Illyricum reuersus est. Sub secundo suo Consulatu ipsum hoc anno venisse Romam, antiqui nummi inscriptio docet, quæ cum habeat ex altera parte secundum eius Consulatum [c], ex altera primum eius in Vrbem aduentum notat hoc modo —

[c] *Apud Sebast. Erizium.*



Confirmat autem & altera vetus marmorea inscriptio, quam cum a S. P. Q. R. in gratiam beneficij, de quo mox dicendum, paulo post quam in Vrbem aduenit, collati, Hadriano positam fuisse constet: necesse est dicamus, ipsum secundo, qui in ea notatur, Consulatu aduenisse. ea est huiusmodi.

S. P. Q. R.
IMP. CAESARI DIVI TRAIANI PARTHICI F. DIVI NERVAE NEP. TRAIANO HADRIANO AVG. PONT. MAX. TR. POT. II. COS. II. (VIES QVOD VNVS OMNIVM PRINCIPVM ET SOLVS REMITTENDO HS. NOMILLIES CENTENA MILLIA N. DEBITVM FISCIS NON PRAESENTES TANTVM CIVES SVOS SED ET POSTEROS EORVM PRAESTITIT HAC LIBERALITATE SECVROS.

Quæ vero sequuntur impressæ pariter nummorum imagines non præsentis anni, sed magis sequentis indicant eiusdem Hadriani in Vrbem reditum, cum iam tertio gereret Tribunitiam potestatem, quo eadem Principis liberalitate (vt vides in vna ex ipsis inscriptum) RELIQVA VETERA HS. NOVIES MILLIA ABROGATA fuerunt per eumdem Imperatorem. Romam igitur — & quæ sequuntur — *vsque ad ea verba* — tertium Consule — *corrige* — secundum Consule — *& sequenti versu ibi* — tertium Consulatum gessisse cum tertia Tribunitia potestate — *sic corrige* — secundũ Consulatum gessisse cum secunda Tribunitia potestate, sed (vt dictum est ex alia for-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ma insculpti nummi) eius liberalitas propagata est in annum sequentem, quo cum tertio Consulatu tertiam gessit Tribunitiam potestatem. siquidem, vt Dio scribit in Hadriano, vigintiduas myriadas — *& quæ sequuntur vt in textu habentur.*

Anno Christi 121. Ab eius principio vsque ad illa verba — Hoc igitur anno Euaristus — *dele, quorum loca ista ponas.* — Christi Redemptoris anno centesimo vigesimoprimo, qui est secundus Hadriani, in Fastis Græcis, alijsq. recentioribus recte notantur Consules, Hadrianus ipse tertium & Iunius Rusticus, licet mendose Græci Hadrianum Consulem secundo, pro tertio scriptum habeant. Reuera enim, vt superius probatum est, secundum Consulatum superiore anno, collega Salinatore gesserat. Cassiodori autem, siue Mariani Scoti, qui ex illius codice iam deprauato sumpsit, nulla per hos Hadriani annos habenda est ratio.

Hoc igitur anno Euaristus, &c. —

Anno Christi 122. ab exordio vsque ad ea verba — meminit huius Consulatus — *dele, quorum loco ista decentius ponas*: Anno Christi centesimo vigesimosecundo Consulatum inierunt Cæcilius Seuerus & Aurelius Fuluus, qui postea dictus est Antoninus Pius Imperator — Meminit huius Cons. &c. —

Anno Christi 123. in principio ibi — Annium Verum & Augurē — *adde* — quod magis verū probatur, quam quod Cassiodori Chronicon deprauatū habet, quo Hadrian. —

Eodem anno §. Hoc eodem anno Aurelius — *ibi* — dum res ab eo gestas describit — *adde quæ sequuntur* — functus olim fuerat, Domitiani, vt opinor, temporibus, eodem magistratu maternus Pij auus Arrius alter Antoninus, ad quem post gestum Asiæ proconsulatum scriptæ extant litteræ [a] Plinij Iunioris. Ad hunc ipsum —

a Plin. lib. 4. epist. 3.

Eodem §. *post illa verba* — litteris datis inculcat — *adde* — vt dubitari iam possit, & quæri, vter horum fuerit ille Asiæ proconsul Arrius Antoninus. Sed quorsum, &c. —

Eodem anno §. Recitat hæc Tertullianus — *post illa verba* — Pius est dictus — *adde* — sed & tertius alius postea fuit, ad quem referri hæc posse videantur, Arrius Antoninus idemq. proconsul. &c. —

Et inferius eodem §. — *ibi* — fuit occisus — *adde* — de quolibet autem trium horum Antonino Tertulliani verba interpretemur: ex his certe palam fit, magnas olim in Christianos persecutiones excitatas fuisse. Nam si qui omnium &c. —

Anno Christi 124. in exordio, ibi — Auiola & Pansa — *adde* — quos magis sequimur, cum tam a Græcis quam a recentioribus nostris approbentur. Quo anno &c. —

Anno Christi 131. ibi — licet causam non afferat — *adde* — cum multæ esse potuerint commouisse tamen &c. —

Anno Christi 163. §. Ante igitur quam Lucius Verus — *post illa verba* — adscribi præceperunt — *adde* — hæc ipse cum scribat Capitolinus de frumentaria Marci largitione erga pueros & puellas nouorum hominum, idest nouorum ciuium, qui in Vrbem nuper adscripti, frumentationum iure hactenus caruerant: mirum sane videri debeat, neque illum, neque alium quemquam horum temporum ethnicum Scriptorem memorandæ alterius Marci liberalitatis meminisse, qua ob præclaram ab Abercio Episcopo rem gestam, ter mille modios frumenti Hierapolitanis in Phrygia ciuibus, qui Christiani omnes erant, in perpetuum præstandos præscripsit — *dele quæ sequuntur vsque ad ea verba* — facilis est sententia — *inclusiue.*

Eodem anno. §. Ad hæc autem elucidanda — *ibi in fine* — sub Seuero — *corrige* — sub Alexandro —

Eodem anno. §. Quod ergo ad rem propositam spectat — *quæ sequuntur vsque ad illa verba* — hæc autem quomodo se habuerint — *exclusiue dele, quorum loco sic describas* — Quod ergo ad rem propositam spectat, hæc quæ de frumento Hieropolitanis in Abercij Episcopi gratiam concesso significauimus, quomodo se habuerint, &c. —

Anno Christi 164. §. Rursum vero quod Christiani — *post illa verba* — quod ille purgauit — *quæ sequuntur vsque ad illa verba exclusiue* — nam eos Marcus Aurelius — *dele, quorum loco ista pone* — Hæc sane si de Christianis in primis dicta velimus, quippe qui sanctitudine morum, veram philosophiam præseferebant, minime fuerit absurdum. Sed & de Ethnicis quoque qui Romæ, Principis ingenio abusi, magno numero inanē philosophiam ostentantes Remp. varijs modis vexabant, intelligi possunt: nam vere philosophos Marcus Aurel. —

Anno Christi 182. prope principium, ibi — die decimaseptima Aprilis — *sic corrige* — die decimaseptima mensis Martij —

& paulo post ibi — die decimaoctaua mensis Aprilis — *corrige* — die decimaoctaua mensis Martij —

& paulo inferius ibi — minus mensibus quatuor — *corrige* — mensibus tribus & diebus tredecim, &c. —

Anno Christi 189. §. Quod autem idem Apollonius — *ibi* — & licet ex ijs quæ scripsit — *vsque ad illa verba* — & Christianæ religionis — *exclusiue, sic corrige* — & licet ex ijs quæ [a] Epiphanius docet, Apollonium Antonini amicum, quo tempore Bardesani Syro, ne se Christianum profiteretur, suadebat: ethnicū & Christianæ religionis &c. —

a Epiph. hæres. 66.

Anno Christi 199. §. Ponitur ab Eusebio — *ibi* — Sarmaticum — *corrige* — Samariticum —

Anno Christi 205. §. Interim vero — *ibi* — adoptatum fuisse — *corrige* — domi exceptum fuisse —

Anno Christi 211. §. His ipsis temporibus — *ibi* — porro Cæcilium — *adde* — Rhetorem, qui apud Minutium interloquitur, Christianam religionem vehementer impugnans, quod is tandem ab Octauio persuasus, visus sit manus dedisse &c. — *dele autem quæ ab vtroque termino interponuntur.*

Anno Christi 219. in principio, ibi — vixisseq. annos quadragintatres — *adde* — variant enim de eius vitæ annis Scriptores, vt & de matre ipsius, dum alij Iuliæ secundæ Seueri vxoris, alij Martiæ prioris coniugis filium faciunt. quod qui sentiunt, vt Spartianus, longiorem Antonini huius vitam asserant necesse est, cum a Martiæ excessu ad Antonini cædem anni fluxerint supra quadraginta. Hic tamen omnium &c. — *dele autem quæ inter vtrumque terminum interposita leguntur.*

Anno Christi 237. §. Fuisse post obitum — *sic perge* — inter deos relatum Alexandrum, Lampridius est auctor, vana scilicet atque stulta superstitionis consuetudine. sed quid mirum Romanos hunc suum Imperatorem in deorum numerum collocasse, cum externum eiusdem nominis Principem, Alexandrum Macedonem pari Apotheoseos honore dignati sint? Qua de re agens Ioannes Chrysostomus de huiusce modi Romanorum stultitia egregie philosophatus, sic inquit &c. — *dele numerum xxvi. in margine notatum.*

Anno Christi 246. §. Non imus inficias — *ibi* — diceretur Philippus Augustus — *dele qui sequuntur tres versus vsque ibi* — De nobili præfectura Augustali — *exclusiue.*

Anno Christi 248. §. De aduentu autem — *ibi* — qui aderat — *dele.*

Anno Christi 249. in fine. §. At nec prætermittendum — *ibi* — post Sabellij — *corrige* — ante Sabellij —

Anno Christi 262. §. Sed quid his primis — *ibi* — eos Centuriones fieri aiunt — *sic perge* — Eusebius honorem militarem κλῆμα vocari ait: quia κλῆμα, Græcis vitem significat, seu sermentum. Vitis autem insigne erat Centurionum, vt notum est ex Lucano, [b] qui de Scæua Cæsaris Centurione agens, sic eius gradum designat:

b Luc. lib. 6.

Sanguine multo Promotus, Latiam longo gerit ordine vitem.

Vnde & pro Centurionatu ipso sumebatur, ita vt vitem dare, idem esset ac Centurionem facere: Quo sensu Spartianus in Hadriano Imp. scribit, ipsum nulli vitem nisi robusto & bonæ famæ dare solitum, idest, nulli Centurionatum conferre. Sed plura de vite & Centurionatu notata inferius [c] inuenies, cum agitur de glorioso agone Marcelli Centurionis martyris, qui ne militaret cum impietate: Ecce, inquit, proijcio vitem & cingulum] manifesti autem erroris arguuntur, qui hæc duo distinguenda putant. Sed cœpram historiam &c. — *quæ interposita legebantur, his positis, deleantur.*

c Anno Christi 298. 5. Quod vero hic.

Anno Christi 269. §. Conspirasse simul — *ibi* — in gratiam Constantij — *sic perge* — Cæsaris, qui pater fuit Constantini Augusti, volumen scribens, quo profitetur, ex Claudij stemmate ipsum Claudium esse progenitum. Nuntiatam &c. —

Anno eodem, & paragrapho ibi — duos priores — *corrige* — ex eis Claudium — *absque.*

Anno Christi 278. §. Sed ad Aurelianum — *ibi* — septimo Kalendas Aprilis — *sic corrige* — mense Ianuarij, cum dicat Vopiscus milites retulisse in Senatum de Imperato-

Universidad de Deusto
Biblioteca

re eligendo, Senatum ea de re primo conueniſſe tertio Nonas Februarij. Sicq. colligas non ſex aut ſeptem menſes tantum, vt ipſe & Victor aſſerunt, ſed octo menſes integros — occiſo ſeueriſſimo —

Anno Chriſti 283. §. At quoniam — *ibi* — quo item anno — *vſque ibi* — Caſſiodorus — *ſic corrige* — Oroſius cum dicat Carum imperare cœpiſſe anno ab Vrbe condita milleſimo triceſimonono, ea ratione dicendum eſſet, Imperium Cari inchoatum anno Chriſti ducenteſimo octogeſimooctauo, quod non recipitur — Caſſiodorus — *in marg. corrig.* Oroſ. lib. 7. c. 24.

Anno Chriſti 302. §. Quod vero ſpectat — *ibi* — in Marcello — *corrige* — in Marcellino. —

Anno Chriſti 304. §. Eorum vero qui — *ibi* — Apameæ — *corrige* Amaſeæ in Ponto. —

Ex Tomo Tertio.

Anno Chriſti 306. §. poſtquam autem — *ibi* — ſeptimo Kalendas Octobr. — *corrige* — octauo Kalend. Octobr.

Anno Chriſti 309. §. Quibus Conſulibus — *ibi* — annos quinque — *corrige* — annos quatuor. —

Anno Chriſti 322. §. Propter Criſpi — *ibi* — magis apparet — *hæc adde*, — nempe Criſpum & Helenam licet diuerſo partu, & diuerſis matribus natos, tamen vno eodemq. recurrente die editos eſſe, atque ita vnum eumdemq. etiam amborum diem natalitium celebrari, vel dicas — Criſpum & Helenam —

Anno Chriſti 337. §. Iam ad nouos Imperatores — *ibi in fine* — ita Zonaras — *adde iſta* — Sane quidem cum auitam ſortem Conſtantino primogenito ſuo tradidiſſe Conſtantinum patrem, Euſebius qui hæc optime noſſe potuit, diſerte teſtetur: erroris quidem arguuntur qui dixerunt, Italiam & Africam eidem a patre traditas: nam eas prouincias Conſtantius auus ceſſerat Galerio Maximiano; vt ſuo loco ſuperius dictum eſt. Ipſum vero in Gallijs, & Britannijs imperaſſe, hancq. partem auitam a Conſtantino Magno Conſtantino filio traditam Euſebius affirmat, confirmat etiam
[a] Theodoretus, qui hæc ait de ipſo: Quo quidem tempore Conſtantinus filius Conſtantini Magni antea maximus, qui Galliæ verſus Occidentem Imperium obtinuit, litteras ſcripſit &c. — Conſtantius autem cum —

[a] *Theodor lib. 2. cap. 1.*

Ex Tomo Quarto.

Anno Chriſti 362. §. Quod ad tempus reditus Meletij — *ibi* — affirmare neceſſe eſt — *quæ poſt hæc ſequuntur vſque ad illa verba* — ſed iam Luciferum — *dele, quorum loco hæc reſtitue* — Iam ante Valentis Imperium, eum Antiochiam redijſſe, a quo inde pulſus eſt, cum imperare cœpiſſet; ſicq. ſub Iouiano Imperatore reuerſum, ſub quo anno ſequenti liquet Synodum Antiochiæ celebraſſe, vt ſuo loco dicetur — Iam ad Luciferum —

Anno Chriſti 363. §. Iſta quidem de hæreticis — *poſt illa verba* — & Macedonianum dogma reiecerunt] — *hæc adde* — poſt hæc edita miſſam ab amico doctiſſimo Frontone Ducæo hanc quam ſubijcimus, accepimus ſchedam de germana lectione & reſtitutione textus S. Hieronymi, qua ſic inquit: At in codice manuſcripto S. Victoris ad muros Pariſienſis vrbis, & in alijs pluribus ita legitur: In qua homouſio, anomœoq. reiecto, medium inter hæc homœuſion receperunt, & Macedonianum dogma vindicauerunt.] pergit: Quæ lectio plane vera eſt & legitima: nam ὁμοούσιος dicitur Chriſtus, ideſt eiuſdē ſubſtantiæ cum Patre a Catholicis, ab Arrianis vero ἀνόμοιος, ideſt diſſimilis ſubſtantiæ, Meletiani vero intermedium quid meditati, τὸ ὁμοιούσιον adinuenerunt, ideſt vt dicerent, non eiuſdē, ſed ſimilis ſubſtantiæ eſſe Filium, atque ita diſcrimen erat vnius litteræ, ideſt τῷ ὁμοιουσίῳ inſertæ. Sane quidem apud Socratem lib. 3. c. 21. & apud Sozomen. lib. 6 c. 4. plane fallax & inſidioſa videtur afferri, τῷ ὁμοιουσίῳ interpretatio a Meletianis: ſic enim loquuntur, Filium ex Patris ſubſtantia genitū, Patri ſecundum ſubſtantiam ſimilem. at eorum dolos retegit ſanctiſsimus Athanaſius in refutatione hypocriſis Meletij, Euſebij, & Pauli Samoſatenſis, ſiue quis alius ab Athanaſio tom. 3. Qui enim inquit, Filio adimit, ne ſit conſubſtantialis Patri, ſed ſimilem eum ſtatuit, Deum eum eſſe negat] hucuſque in ſcheda. At ex ea primo dicendum, huiuſmodi lectione veteres omnes mendacij arguendos eſſe, qui dixere, ab eiſdem Arrianis comprobatam eſſe Nicænā fidem: attamen poſt Socratem, & Suidam ſuperius citatos, qui proxime recitandus eſt Marcellinus & alij, aſſerunt, dictos Arrianos in hoc Concilio Nicænam

nam fidem eſſe profeſſos. At ſi aſſeruiſſent Patri Filio ſimilem, non conſubſtantialem, non vtique Nicænam fidem profeſſi eſſent, ſed magis Macedonianam perfidiā, qua negabatur conſubſtantialitas, & aſſerebatur Filij cum Patre ſimilitudo. Sed nec negari poteſt ſubſcripſiſſe eoſdem Arrianos Nicænæ fidei, cuius Symbolum in ſua ipſorum ſynodali epiſtola ad Iouianum Imp. intexuerunt, vt nuper eſt proditum, ſecundum quam ipſorum ſubſcriptionem Marcellinus ipſe licet ſchiſmaticus — *& quæ ſequuntur vſque ad illa verba* — ad Theodoſiū ſcripſit — *quibus addas quæ ſequuntur* — Quin Socrates, vt vidimus, teſtatur expreſsius, Arrianos in hoc ipſo Concilio conſubſtantialitati Filij cum Patre aſſenſos eſſe, adeo vt non Arrianus tantum error, ſed & Macedonianus videri poſsit in hac Synodo eſſe damnatus. Ex horum igitur firmiſsima aſſertione dicentium, receptam in hac Synodo ab Arrianis Nicænam Synodum, cum voce conſubſtantiali, facta eſt recitata ſuperius reſtitutio textus S. Hieronymi. Verumtamen quod intelligi poſsit ex ſua ipſorum epiſtola ad Iouianum Aug. Arrianos non ſimpliciter vocē recepiſſe conſubſtantialis, neque abſolute Nicænum Symbolum profeſſos eſſe, ſed appoſita ſua ipſorum interpretatione, qua dicerent, ita Patres in Nicæno Concilio vſos eſſe ea conſubſtantialitatis voce, vt ſignificarent, Filium Patri ſimilem ſecundum ſubſtantiam: vt quoquo modo dicta lectio codicis ſancti Victoris ſubſiſtere poterit, ita dicendum, noniſi ad fallendum, & circumueniendum nouum Imperatorem, nominibus Nicæni Concilij & conſubſtantialis, eſſe vſos hæreticos Arrianos, id tantum lucratos, vt ex Arrianis euaſerint Semiarriani, non autem penitus orthodoxi. Sicq. non expreſse, vt ponitur in codice S. Victoris, reiecerint verbum conſubſtantialis (nec enim id potuit ſenſiſſe & ſcripſiſſe S. Hieronymus) cum intexuerint illi ſuæ ipſorum epiſtolæ ſynodali Nicænum Symbolum, cui & ſubſcripſerint; ſed quod (vt dictum eſt) per dolum malum, captioſam fallaciam, atque ſubdolam interpretationem videri voluerunt orthodoxi Nicænæ fidei profeſſores, qui re ipſa eſſent Semiarriani, cum Macedonianis ſentientes. — Qui autem in hæreſi Arriana —

Anno Chriſti 373. §. Quod autem ad huius anni — *ibi* — nec fuerit — *corrige* — vt vix fuerit aliquando audita — Erant —

Anno Chriſti 375. §. Eo defuncto Gratianus — *ibi* — ratum habuit — *adde*. Quod autem Ammianus eum quadrimum fuiſſe teſtetur, haud probari poteſt: aduerſatur enim Socrates, qui cum natum affirmat Conſſ. Gratiano & Dagalaipho, hac ratione hoc anno nouennem fuiſſe, aſſerere oportet. confirmant & Tabulæ conſulares, dum anno Chriſti trecenteſimo ſexageſimonono habent Conſules Valentinianum nobilem puerum & Aurelium Victorem. —

Anno Chriſti 383. §. Quod in primis occurrit — *ibi* — agens octauum — *corrige* — agens ſextum. —

Anno Chriſti 392. §. Metuo ne & tu — *ibi* — vigeſimum primum — *corrige* — vigeſimum ſeptimum inchoatum: ſiquidem ſub Gratiani & Dagalaiphi Conſulatu natum vidimus: ſententiam autem Ammiani, qua eum fuiſſe quadrimum teſtatur anno trecenteſimo ſeptuageſimoquinto, ſecundum quam dicendus eſſet obiiſſe annum ætatis agentem vigeſimum primum, ſuperius confutauimus — Sic igitur —

Anno Chriſti 395. §. Ceterum quod ait ipſe Ambroſius — *ibi* — annos natus viginti — *corrige* — annos natus decem & octo — Honorius —

Ex Tomo Quinto.

Anno Chriſti 403. §. Qui autem tanti — *ibi* — Tam trigeſimus — *corrige* — Nondum trigeſimus agebatur —

Et paulo inferius ibi — Sane quidem — *vſque ad illud* — At quod ad Alaricum ſpectat — *dele atque iſta reſtitue* — dixit Claudianus: Trigeſima currit bruma fere. Satis indicans, nondum fuiſſe annos triginta ab egreſſu Gothorum, quem cum contigiſſe dixerimus ſub Conſulatu Valentis quinti, & Valentiniani Iunioris anno Chriſti trecenteſimo ſeptuageſimoſexto: hic annus numerandus erit vigeſimuſeptimus ab eorum ingreſſu — Quod ad Alaricum ſpectat —

Ex Tomo Sexto.

Anno Chriſti 425. §. Priuilegia eccleſiarum omnium — *poſt ea verba* — Subdantur arbitrio &c. — *hæc adde quæ ſequuntur* — quæ deſunt reliqua cōſtitutionis huius in codice Theodoſiano iam cuſo, ex ſcripto antiquo volumine ita ſupplentur —: Itaque au-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctoritas tua in omni æuo manſura in prouinciarum miſſa notitiam, præcipiat, etiam ſub pœna ſacrilegij, cuſtodiri. Specialiter id inluſtribus comprehenſura præceptis, vt in omnibus circa eccleſiaſtica veterum Principum ſtatuta ſeruentur. Diuerſos vero Epiſcopos nefarium Pelagiani & Cæleſtiani dogmatis errorem ſequentes, per * Patroclum ſacræ legis Antiſtitem præcipimus conueniri. Quos quia confidimus emendari: niſi intra viginti dies a conuentionis tempore, intra quos deliberandi tribuimus facultatem, errata correxerint, ſeſeq. Catholicorum Fidei reddiderint: Gallicanis regionibus expelli, atque in eorum locum ſacerdotium fidelius ſubrogari; quatenus præſentis erroris macula de populorum animis tergatur, & futuræ bonum diſciplinæ iuſſionis inſtituat. Sane quia religioſos populos nullis decet ſuperſtitionibus deprauari, Manichæos &c. prout inferius ex eodem cuſo codice Theodoſiano deſcripta leges — *& poſt hæc quæ ſequuntur* — Iudæis quoque vel Paganis cauſas agendi, vel militandi licentiam denegamus, quibus Chriſtianæ legis nolumus ſeruire perſonas, ne occaſione dominorum vitam venerandæ religionis immutent. Omnes igitur perſonas erroris infauſti iubemus excludi, niſi his emendatio matura ſubuenerit. Datum octauo idus Iulij Aquileiæ. Conſpl. domino Theodoſio Aug. XI. & Valentiniano Cæſ. Coſſ. — *In cuſo autem codice ſic* — Dat. octauo idus Octobris —

Anno Chriſti 470. In principio anni in fine primi §. *poſt illa verba* — idem Suidas meminit — *illa addas* — Quod ad tempus, quo Suidas vixerit ſpectat: etſi ex his optime pateat, his eum vixiſſe temporibus: tamen cum alibi idem ipſe inſinuet, ſe vixiſſe ſub Philippo Imp. qui imperauit anno Domini ſeptingenteſimo duodecimo: inſuper & cũ in verbo, Adam, chronologiam mundi extendat vſque ad annum nongenteſimum ſeptuageſimum ſextum, quo obijt Ioannes Tzimiſis Imp. vt affirmemus nos inducit, volumen ipſum vtique a Suida conſcriptum, aliorum diuerſorum auctorum eſſe locupletatum additamentis, vt in alijs Lexicis nouimus contigiſſe — Hoc autem anno —

Anno Chriſti 509. §. Certum eſt enim — *ibi* — Longobardos tandem — *adde* — immiſit in Vrbis diuturnã obſidionem, factumq. vt intẽtis mœnibus ciuibus, exoleuerint Circenſes ludi, iamq. friguerit ardens libido illa parandorum ſpectaculorum; ſicq. factum, vt huiuſmodi officinæ dæmonum penitus vacuæ redderentur, vt non eſſet amplius ——

Ex Tomo Septimo.

Anno Chriſti 526. §. Quod autem attinet — *ibi* — Alaricum — *corrige* — Amalaricum — *id ipſum inferius eodem* §. *ſic reſtituas.*

Anno Chriſti 530. §. At non hic finis — *ibi* — anno vigeſimoquinto — *corrige* — anno decimo quinto. —

Anno Chriſti 534. in principio ibi — Iuniorem — *dele.*

Anno Chriſti 536. §. Qui minus — *ibi* — ſeuerum illum — *corrige* — ſeuerus ille —

Anno Chriſti 537. §. Quonam menſe — *in fine* — anno trigeſimo quarto — *corrige* — quadrageſimo quarto —

Eodem anno 537. §. Et poſt hæc — *ibi* — poſt annos ſex — *corrige* — poſt annos tredecim —

Anno Chriſti 539. §. Sed quid poſt — *ibi* — quod qui menſe Iunio — *ſic reſtituas* — quod qui octauo Kalen. Iulij (vt dictum eſt) in Vigilium litteras anathematis dedit; & tam ex Anaſtaſio quam ex Romano Martyrologio, duodecimo Kalen. Iulij obijſſe legitur: non hoc vtique anno, ſed ſequenti —

Anno Chriſti 541. §. Hoc eodem anno qui poſt Conſ — *ibi* — Theodoberti — *corrige* — Childeberti — *& paulo poſt ibi* — patet — *adde* — Theodoberti vero poſt obitum patris regnantis, anno vndecimo — Aruernij —

Anno Chriſti 542. §. Verum certum eſt — *ibi* — quarto Concilio — *corrige* — quinto Concilio — *& paulo poſt ibi* — Simplicius — *corrige* — Saphoracus — *& paulo poſt ibidem* — quem ſanctus Germanus — *adde* — quem poſt depoſitum & ſubſtitutum Euſebium — ſanctus Germ ——

Anno Chriſti 545. §. Licet fraternitati veſtræ — *ibi* — Turonenſis — *addas* — Verum alium a Prætextato Rothomagenſi hunc exiſtimo: nam ille non ſpectat ad tempora Vigilij Papæ: quamobrem intelligendum exiſtimo de Prætextato Epiſcopo Aptenſis ciuitatis, quæ eſt in Gallia Narbonenſi, qui ſubſcriptus reperitur Concilijs Epaunenſi & Aurelianenſi quarto — Sed quas —

Anno

Anno Chriſti 546. §. Quinam autem — *ibi* — Paſchali diac. — *corrige* — Pelagio diac. —

Eodem anno inferiu. §. Hoc anno Ephræm — *ibi* — decem & octo — *corrige* — ferme viginti —

Anno Chriſti 548. §. Hoc anno Theudis — *ibi* — annos ſeptemdecim — *corrige* — annos ſexdecim & menſes quinque, licet deprauate legatur apud eum, anno Iuſtiniani Imp. —

Anno Chriſti 553. §. Sed vt ab eiuſdem — *ibi* — centum ſexaginta — *corrige* — centum ſexagintaquinque —

Anno Chriſti 559. §. Ad poſtremum — *ibi in fine* — menſis Iulij — *corrige* — menſis Iunij —

Eodem anno 559. ſequenti §. Quod autem — *ibi* — ſexageſimoquarto — *corrige* — ſexageſimoquinto —

Anno Chriſti 561. in principio — *ibi* — reſtitutum — *corrige* — reſtituti —

Anno Chriſti 563. §. Erat vtraque pars — *ibi* — ſiue Gaianitarum, altera vero — *ſic corrige* — altera vero Gaianitarum, ſiue Aphthard —

Anno Chriſti 564. vltimo verſu vbi dicitur — miſſos ad ſuperos colit — *hæc adde* — Porro qui vna eadem die nati gemini dicuntur Medardus, & Gildardus in reliquis, vt qui vna item die fuerint Epiſcopi conſecrati, & vna pariter die mortui dicuntur, vtique ad eumdem quoque annum referri cum minime poſſint: neceſſe eſt, ea eſſe facta diuerſis annis, ſed vna eademq. die. Nam ecce in Concilio primo Aurelianenſi legitur interfuiſſe Gildardus Epiſcopus Rothomagenſis, Nouiomẽſis vero Eccleſiæ non Medardus, ſed Sophronius; quibus appareat eos non eodem quoque anno ſicut vna die eſſe creatos Epiſcopos; ſic etiam neque eodem anno eſſe defunctos. Nam quomodo ad hunc annum, quo Medardus defunctus aſſeritur, Gildardus potuit perueniſſe: ſi ante præſentem annum legimus eccleſiæ Rothomagenſi præfuiſſe poſt Gildardum Flauium, & poſt Flauium, Prætextatum, quorum prior ſubſcriptus reperitur Concilijs Aurelianenſibus ſecundo, tertio, & quarto, poſterior autem adhuc ſuperſtes plures annos poſt præſentem annum, quo Medardus aſſeritur obiiſſe? Quæ igitur facta vna die dicuntur de conſecratione, & obitu: ea quidem etſi eadem die, diuerſis tamen intercurrentibus annis contigiſſe, neceſſe eſt affirmare. At —

Anno Chriſti 573. §. *vltimo ibi* — Gregorius ſuo proſecutus eſt ſtylo — *adde* — At vero iſta de S. Galli obitus tempore in priori editione ex chronologia ab inguinaria peſte vti certa deprompta iam denuo ad incudem reuocata, non poſſe ſubſiſtere, ſunt inuenta, quæ magis ad anteriora tempora ſint reducenda, cum alias idem morbus peruaſit Gallias. Quod autem ad hæc tempora Gallus non potuerit perueniſſe, in euidens deducitur argumentum. Cum enim ipſum annos tantum viginti ſeptem dicat ſediſſe Epiſcopum Aruernenſem, idemq. reperiatur interfuiſſe Concilio Aurelianenſi ſecundo anno Chriſti 536. & Aruernenſi anno 541. quomodo potuit ad hæc tempora perueniſſe? Accedit ad hæc, quod cum Galli Epiſcopi ſucceſſorẽ Cautinum idem Gregorius eius nepos rerum ab ipſo geſtarum teſtis fidelis referat ad tempus Theodebaldi Regis, quem conſtat regnare cœpiſſe anno Chriſti 552. licet poſitum ſit anno 555. tenuiſſeq. tantum annos ſeptem: vtique prohibetur omnino ad hunc annum peruenire potuiſſe. hæc de tempore eius obitus dicta ſunto — *reliquos tres verſus vſque ad finem ſequentes deleas.*

Anno Chriſti 577. in principio ibi — menſem vnum dies vigintiocto — *corrige* — menſes duos dies quindecim —

Anno Chriſti 583. §. Hoc item anno teſte Greg — *ibi* — Sigeberti — *corrige* — Childeberti — *& in fine item loco* — Sigeberti — *repone* — Childeberti —

Anno Chriſti 587. §. Hoc ipſo anno a Ioanne — *ibi in fine* — vigeſimoſexto — *corrige* — vigeſimoquinto — *& quod ſequitur* — vſque in hunc annum — *adde* — vel potius ſuperiorem (ſi anni exacti non numerentur, quo magis concordat epiſtolæ Pelagij Papæ, vt ante Synodum ſcripta dici poſſit) — vſque —

Eodem anno §. Cum hæc autem — *ibi* — (vt dictum eſt) — *dele* —

Eodem anno 587. §. Hoc item anno, qui ſecundus — *in fine poſt illa verba* — Sigeberti Regis — *adde quæ ſequuntur* — ceterum in chronographia regni Reccaredi nos ſecuti

Acta

Universidad de Deusto
Biblioteca

Acta Toletani tertij Concilij, impegimus in mendosam Eram, ex qua posuimus hoc anno eiusdem regni annum secundum, & quidem male: quem errorem a nobis examinatum & emendatum inuenies inferius anno Redemptoris quingentesimo nonagesimoprimo. §. Sed hic rogo siste gradum. Quod vero attinet ad Baddam & Clodosuindam, de quibus hic habetur mentio, cum ex eodem Gregorio constet, anno post hunc quinto, nimirum Childeberti Francorum Regis decimoquarto, Reccaredum duxisse Clodosuindam eiusdem Childeberti Regis sororem: dicendum omnino videtur, Baddam illam, quæ subscripta reperitur Concilio Toletano, biennio post has nuptias celebrato, ex vera supputatione inferius declarata eamdem esse cum ista Clodosuinda, eo modo, Baddam, mutato nomine, dictam; vel eiusmodi additum ipsi cognomen. Quod vero attinet ad filiam Chilperici, quam primo Leouigildus Reccaredo filio obtinuerat, cum ex Gregorio constet, ipsam inuitissimam in Hispaniam deductam esse: verisimile est, eam breui mærore consumptam, viuere desisse. Demum (vt ad Baddam redeamus) si negetur, Clodosuindam eamdem esse cum ipsa; tunc omnino dicendum erit, Baddam tertiam fuisse vxorem Reccaredi quam duxerit post obitum Clodosuindæ — Verum non Baddam —

Anno Christi 590. §. Hoc eodem anno pridie Nonas — *ibi* — ad Pelagium — *corrige* — ad Pegasium Episcopum Astigitanum, & non Pelagium (vt scriptus codex habet, ex quo Pelagius pro Pegasio irrepsit in textum) direxerunt: inter quæ —

Ex Tomo Octauo.

Eodem anno Christi 590. §. Ista præsentiens Germanus — *ibi in fine* — *addas* — nisi interpunctio vitiosa irrepsit, vt legendum sit: Præfectus vrbis Germanus eius anticipauit nuntium. quæ lectio magis placet, eo quod apud neminem auctorum legerim Gregorio fuisse germanum — Degebat —

Eodem anno §. Hoc eodem anno contigit Francorum — *in fine aut post ea verba* — omnes affirmant — *adde* — Porro quod Gregorius Turonensis Agilulphum vocat Paulum, respexit ad nomen, quod postea sumpsit a baptismo, vt suo loco dicetur inferius —

Eodem anno §. Quorum verborum — *ibi* — Iustiniano hæresim promulgare satagenti — *corrige* — Iustino calumniam passum —

Anno Christi 591. §. Qui igitur monachos — *ibi* — septimo Mauritij anno — *corrige* — sexto —

Anno Christi 592. in principio ibi — septimus finiens — *corrige* — sextus finiens —

Anno Christi 593. §. Gratias ago — *ibi in fine* — suo loco — *corrige* — suo loco collocata — *& infra* — reponenda — *corrige* — recitanda —

Anno Christi 594. in principio ibi — nonus absoluitur — *corrige* — octauus absoluitur —

Eodem anno. §. Moritur hoc anno — *adde* — seu potius ex correctione superiore, Mauritij Imp. anno sequenti. —

Eodem §. vbi dicitur — affirmat Euagrius — *adde* — id factum intelligas anno sequenti, tot enim anni reperiuntur ab anno 572. vsque ad annum 595. quo & finem imponit historiæ, nam subdit — Hoc loco hist. — *&* —

§. sequenti vbi dicitur — Etenim præsenti — *dicas* — Etenim sequenti anno, quo —

Anno Christi 596. in principio ibi — ex hac vita decessit — *hæc adde* — Verum non nisi annos decem sedisse reperies, nempe ab anno 586. vsque ad præsentem annum 596. tantummodo inchoatum. pergit vero Nicephorus: Qui quod —

Anno Christi 597. §. Sed quoniam vere — *ibi* — hactenus de his Gregorius ad Eulogium — *adde* — At vero, quod superius dicitur, Germaniarum, puto corrigendum textum, vt dicat, Galliarum, sicut legisse noscitur Beda: & ratio persuadet, cum noscatur id factum in Gallijs, per quas idem Augustinus transijt iturus in Angliam; sed ex nuper dictis in eo corrigas Bedam —

Anno Christi 610. §. Quod vero pertinet — *ibi* — mense Martio — *corrige* — mense Februario —

Anno Christi 613. §. Accedit præterea — *ibi* — coniunx condita est — *adde* — At licet hunc annum Redemptoris consignet Beda obitus Edilberti Regis; tamen in eiusdē Bedæ epitome annus obitus ipsius Regis ponitur sexcēteſimus decimusſextus.

Rursus

Rursus vero, cum idē (vt vidisti) iterato affirmet, vigesimoprimo anno, ex quo Fidem Christianam accepisset, esse mortuum: si numeres ab anno quingentesimo nonagesimo septimo, quo Fidem Christianam ipsum recepisse, idem ipse testatur in epitome, & liquet ex ipsius historiæ libro primo capite 23. & sequenti de quo dubitandi nullus est locus, cum id pareat & S. Gregorij Papæ litteris tunc datis: plane dicendum erit, ipsum Regem defunctum esse anno Redemptoris sexcentesimo decimooctauo. De quo pergit Beda: Qui inter euntem bona —

Anno Christi 614. in principio — *ibi* — sit argumento — *adde ista* — Verum alia est lectio ab hac diuersa, vt dicat, filius Stephani subdiaconi — Sed & omissis —

Anno Christi 615. §. Accessit autem — *ibi* — post quadriennium — *corrige* — post biennium —

Anno Christi 627. primo versu — *ibi* — Indict. decima — *corrige* — decimaquinta —

Eodem anno. §. Etenim cum Cosrhoes — *ibi* — Hemelium — *corrige* — Heracliū —

Anno Christi 633. §. Hoc anno qui numeratur tertius — *ibi* — sexagintaduo — *corrige* — septuaginta — *& paulo inferius ibi* — septuaginta capita — *corrige* — septuaginta quatuor —

Anno Christi 651. §. Hoc ipso anno, tertio Kalen. Septembris — *corrige* — decimotertio Kalen —

Anno Christi 654. in principio ibi — annos sex menses tres, dies duodecim — *corrige* — annos quinque, menses quatuor, dies duodecim —

Anno Christi 655. §. Vacasse autem — *ibi* — Signinum — *adde* — Est autem Anastasij alia lectio, quæ dicit vacasse sedem dies vigintitres, ex qua dicendum esset, creatum die vigesimaquinta Augusti —

Anno Christi 657. §. Hoc eodem anno, qui & numeratur nonus — *ibi* — sexcentesimo quadragesimo octauo — *corrige* — sexcentesimo quadragesimonono —

Anno eodem. §. Sollicite omnis congregatio — *in fine post illa verba* — fuerit consecutus — *hæc adde* — Post hæc autem cusa admoniti sumus, in ecclesia Toletana haud receptam esse Iuliani assertionem de tempore Apparitionis Dei genitricis, ad S. Ildephonsum cum præclaro munere descendentis, quā ipse dicit factam tempore Assumptionis eiusdem Dei genitricis Mariæ. Magis autem esse ibi antiqua traditione probatū, vsuq. retentum in sacris ritibus, id fieri contigisse die decimaoctaua Decembris, qua solemnitas Expectationis eiusdem sanctissimæ Dei genitricis Mariæ ibidem celebrari consueuit; quod & sacris lectionibus antiquitus receptis in eadem ecclesia recitari publice consuetum, asseritur — Hoc anno —

Anno Christi 663. §. Hæc eadem cum — *ibi* — Rhotaris — *corrige* — Ariperti —

Anno Christi 667. §. vlt. ibi — hucusque auctor — *adde* — Verum Romanū Martyrologium eius ad Deum transitum celebrat non sequenti die (vt ait hic auctor) Kalend. Februariarum, sed decimo Kalendas Februarij — Dolemus —

Eodem anno in fine ipsius hæc adde — Porro dies Natalis eiusdem Sancti agitur in Romano Martyrologio die vigesimatertia mensis Ianuarij, qua ibi de ipso in Notis egimus —

Anno Christi 668. §. Hoc eodem anno Clotarius — *ibi* — Chilpericus — *& iterum* — Chilpericus — *corrige* — Childericus —

Anno Christi 669. in principio — *ibi* — annos quatuordecim — *corrige* — annos tredecim —

Anno Christi 672. §. Hoc eodem anno, mense Septembris — *ibi* — quinto Kalendas Mart. — *corrige* — decimoquinto Kalen. Mart. —

Eodem anno. §. Eodem anno Recceſuinthus — *ibi* — annos duodecim — *corrige* — annos viginti duos —

Anno Christi 675. in principio — *ibi* — septimo Idus Septembris — *corrige* — septimo Idus Nouembris —

Anno Christi 678. §. His temporibus eccles. Rauen. — *ibi* — quæ eius — *corrige* — qui eius — *& paulo post* — quam pestilentia — *corrige* — quem pestilentia —

Eodem anno. §. Hoc eodem anno vndecimo Iustiniani — *corrige* — Constantini Imp. —

Anno Christi 680. §. Sessio autem ita disposita — *ibi* — Hierosolymorū Episcopi —

corrige

Universidad de Deusto
Biblioteca

corrige — locumtenentis Hierosolymorum Episcopi. — *& paulo post* — denominatus est Episcopus — *corrige* — Vicarius Episcopi, vacāte adhuc sede ipsa — missus ponitur —

Anno Christi 681. §. Reperitur ad finem — *ibi* — decimæseptimæ — *corrige* decimæoctauæ —

Anno Christi 682. §. Porro de causa — *ibi* — dies octo — *corrige* — dies decem & septem⌣. —

Anno Christi 695. in principio ibi — duorum fratrum — *dicas* — duorum Eualdorum — martyrium. —

Anno Christi 699. primo versu ibi — Indictione vndecima — *corrige* — Indictione duodecima⌣. —

Ex Tomo Nono.

Anno Christi 714. §. Cum autem post — *ibi* — dies quadraginta — *adde* — duos —

Anno Christi 717. in principio — *ibi* — triennio — *adde* — siue biennio. —

Anno Christi 730. §. Septimo Idus Ianuarij — *ibi* & diebus septem] — *adde* — immo annos quindecim, vt dictum est superius. —

Anno Christi 741. in principio — *ibi* — annis vigintiquatuor — *corrige* — vigintiquinque⌣. —

Eodem anno. §. Vbi autem — *in fine ibi* — sedere cœpisse — *adde* — seu potius annos quindecim sedisse vsque ad annum septingentesimum trigesimum, quo priuatum constat. —

Anno Christi 745. §. Quæ autem ista — *ibi* — quinquagesimo — *corrige* — quadragesimo —

Anno Christi 756. §. Hoc anno qui numeratur quartus — *adde* — absolutus, & quintus inchoatus — Pipini —

Anno Christi 762. §. Ambo igitur — *ibi* — Ciuilianum — *adde* — Si autem coniectura res agenda est, fortasse vox illa, Vitelius, deducta est, a βυθος, quod significat igneū gurgitem, vnde βιθιος, qui est in profundo, sicq. ea voce significatum, Constantinum in profundum impietatis decidisse, iuxta illud: Peccator cum in profundum venerit, contemnit] & vox Ciuilianus, a Græco pariter κυβηλισης, quod significat improbum, maleficum, securi dignum. —

Anno Christi 766. §. Hoc pariter anno Abdallam — *ibi* — hæc ipse — *adde* — verum magis certum est ipsum vixisse Abdallam vsque ad annum Christi septingentesimum septuagesimumquintum, vt suo loco dicetur. —

Anno Christi 770. §. Interea res Christianorum — *ibi* — anno octingentesimo — *corrige* — anno septingentesimo. —

Anno Christi 771. §. Quod ad res Occid. — *in fine post illa verba* — Caroli scripsit — *hæc adde* — Verum ex reperto epitaphio Hildegardis Reginæ euidenter apparet, eam non nuptam Carolo antequam Italia potitus est cum Vrbe Roma, sicq. eius connubiū non ante annū Christi 774. contingere potuisse. porro eius epitaphium recitabitur inferius eo anno quo obijt, septingentesimo octogesimosexto. — Ceterum quid interceserit. —

Anno Christi 775. in principio ibi — totidem ferme — *corrige* — decem ipse amplius annis quam — pater. —

Ibidem sequenti linea — *vbi legitur* — pariter trigintaquatuor — *corrige* — non nisi vigintiquatuor. —

Eodem anno. §. Defunctus igitur — *ibi* — vt suo loco dicetur — *corrige* — vt asseritur a Græcis in Menologio. —

Anno Christi 779. in fine ipsius hæc adde — De prœlijs Caroli Magni aduersus Saxones sæpius iteratis agit Petrus Damiani in epistola ad Mainardum Episcopum Vrbinatē, hæcq. ait inter alia: Godefredus plane clarissimus Dux & Marchio mihi perhibuit in propriæ regionis, nempe Lotharingiæ historia contineri, quoniā Carolus Imp. quindecim vicibus cum Rege Saxonum, qui Gentilitatis adhuc detinebatur errore, bellum commisit. & post hæc: Aliquando sane, dum Carolus idem excelsa, vt assolet, inthronizatus sede discumberet, pauperes vero quos alebat, solo tenus ignobiliter residerent: Rex Saxonum qui tenebatur captiuus, & remota procul ab Imperatore mensa prandebat, talia per nuntium legata direxit: Dum vester, inquit, Christus sese perhibeat in pauperibus recipi, qua fronte persuadetis nostra illi colla submitti,

quem

Huiusmodi ergo ordine B. patris Remigij deuotus Romanæ Sedis Pontifex quartā celebrauit translationem, & feliciter sexto Nonas Octobris consummauit diuinæ domus sanctificationem, quam etiam (vt declaratum est) trium dierum continuatione, insigniuit celebratione Synodi, millesimo & quadragesimonono anno felicissimæ Incarnationis Domini nostri IESV Christi. Quapropter vt deliberauerat, ex diuina⌣ dispositione compos effectus desiderij sui, die subsequenti post expletionem synodicam, venit in Capitulum Fratrum, seq. eis innotuit suum velle accelerare reditum⌣. Vnde spiritualibus illos demulcens colloquijs, societatem eorum & deuote petijt & accepit, suamq. eis humiliter petentibus ipse largitus est, & prostratos ad publicam confessionem absoluit, & ex ordine omnes deosculatos Apostolica benedictione sanctificauit. SOCIETATEM MONACH. PETIIT PAPA ET ACCEPIT.

Post hæc egressus, Episcopos, & Abbates, ceterosq. ecclesiastici ordinis, qui nondum recesserant, conuocauit, & cum eis ecclesiam ingressus, Missarum solemnia celebrari fecit. Quibus expletis, ad Sancti sepulchrum, quod (vt dictum est) super altare B. Christophori post basilicæ dedicationem collocauerat, cum humili deuotione accessit: ibiq. oratione completa, illud deuote suppositis humeris inde extulit, & in statione sibi decenter apparata cum diuinis laudibus reposuit. Vbi iterum atque iterum cum lacrymis se prosternens, tandem in viam suam exijt, & vsque ad castelli aditum comitatus cum canticis spiritualibus a Fratribus & numeroso conuentu populi, omnibus valedicens recessit. ITERVM PAPA SVPPONIT HVMEROS SACRAE SARCINAE.

Accedens autem, inde ad sui laboris recompensationem retulit fructū magnæ mercedis, in arcano scilicet deuoti pectoris ignem præcipuæ dilectionis, quo ab illo tempore erga eumdem gloriosum patrem Remigium magnopere dignoscitur flagrasse, vt idem ipse fatetur in quadam epistola directa postmodum Episcopis Franciæ, quam⌣ suo loco in subsequentibus curabimus ponere⌣.

Ex qua gratia etiam alterius gratiæ adeptus est emolumentum, cum ei diuina⌣ virtus de quibusdam, qui ei impedimentum aduenienti in Gallias conati erant inferre, vltionem præstitit per ipsius Sancti, cui fuerat famulatus, meritum. Nam vt multos prætermittamus, qui illi fuere contrarij, Gebuinus Laudunensis Episcopus, & Hugo de Bra[illegible] castello, qui inter eius derogatores quasi signifieri extiterunt, eodem⌣ anno ignominiosa morte vitam finierunt. Ille enim, quia exitialem technam, vt Apostolicam deuitaret præsentiam, Regi suggessit, & hanc maxima parte Cleri sui deuote expetente, ipse a sua sede longe aufugit, nec Dominici corporis viatico a malitia sua sanctificatus, nec ab eodem Clero suo consolatione visitationis in extremis refocillatus, diuino iudicio extra fines Episcopij sui solus obijt quasi peregrinus. Alter vero, quia caput ministri Christi se abscissurum fuerat minitatus, ore sacrilego, quo impia verba protulerat, hostilis gladij abscissione est mutilatus. DIVINA SECVTA EST VLTIO HOSTES LEONIS PAPAE.

Dignum est ad * posterum memoriam aliud miraculum supradictis addere, quod diuina potentia in manibus huius Pontificis operata est, ex ea qua erga patronum nostrum flagrabat deuotione. † Anno enim secundo post expletionem eorum, quæ præmissa sunt, cum Romæ moraretur, casu accidente per pincernæ incuriam vas illud fractū est, quod sibi datum esse a præfato Abbate Herimaro in primordijs huius opusculi memoratum est. quod vbi pro certo agnouit, aliquantum grauiter tulit. Licet enim multa haberet pluris pretij, præ ceteris tamen illud diligebat, quia in initio Apostolatus sui ex parte sancti Remigij sibi missum asserebat, ideoq. ad bibendum supra⌣ cetera quæ erant in obsequio eius, illi delectabilius esse solebat. Dum ergo cum spiritualibus quibusdam viris, qui ei præsentes erant, placido (vt semper erat) vultu ex eodem damno conquereretur, & aurifex peritus reficiendi huiusmodi fracturam ab eo perquiri præciperetur: quidam eorum alludentes seria & alacri responsione dixerunt, quod Sanctus hic, in cuius illud tantopere amplectebatur deuotione, tanti esset apud Dominum meriti, vt ei idem vas integrum sua reformaret intercessione. At ille nihil inde se diffidere cum spirituali iucunditate respondens, eiusq. virtutes multiplici sermone exaggerans, vas fractum sibi deferri præcepit. Quo delato, auulsam inde particulam suo loco reposuit, & quasi aurifici ad reficiendum reseruaretur, signum tamen Crucis (vt fertur) ei caute imprimens, recondi iussit. Quod in crastino velut causa reficiendi coram delatum, ita operatione diuina integrum est inuentum, vt nul- *al.* posterorum

† narratur ibidem [illegible] inferius ex Desiderio Abb. Cassinen. qui & Victor Papa III.

Universidad de Deusto
Biblioteca

lum in eo fracturæ posset reperiri vestigium. Hoc itaque videns venerabilis Papa, Dei omnipotentiam collaudauit, & huius miraculi nouitatem meritis beati Remigij adscripsit, per cuius interuentum fidei eius efficacia id obtinere meruit. Ne autem ex hac relatione arguamur mendacij, ideoq. friuolum habeatur huius scripti memoriale, proferimus tres idoneos testes, quorum indicio id nobis postmodum contigit agnoscere, Hugonem videlicet Niuernensem Episcopum, & Hugonem Rhemensis ecclesiæ diaconum, & quemdam clericum Aylenardi quondam Lugdunensis Archiepiscopi capellanum nomine Benedictum. Quorum duo primi Concilio, ab eodem Papa, vt moris illi erat, quintodecimo die post Dominicam Resurrectionem Romæ habito interfuerunt; & quod retulimus, ab his qui præsentes viderunt, id vere factum esse didicerunt. Tertius vero cum domino suo præsens interfuit, & quod videndo compererit, nobis post aliquot annos scisciantibus indicauit.

Vir denique venerabilis sæpedictum apostolum nostrum eo magis feruenti excolens dilectione, cumq. summopere desiderans honorare, & illius monasterium sua auctoritate nobilitare: epistolam eius laude refertam direxit sanctæ Ecclesiæ filijs in Francia constitutis, qua decreuit apud eos haberi celebrem ipsius Sancti festiuitatem, quæ recolitur Kalendis Octobris. Plurima etiam ad ecclesiasticam vtilitatem pertinentia, quæ in præfata Synodo in eius basilica habita tractauerat, iussit apud eos capitulatim digeri, & inter orthodoxos canones numerari. Cuius epistolæ textum, quia ordo narrationis videtur exigere, huic operi dignum iudicauimus inserere. eius vero exemplar huiusmodi est:

S. LEONIS PAPAE IX. EPISTOLA AD FRANCOS.

Leo Episcopus seruus seruorum Dei fratribus & filijs Catholicis per vniuersum regnum Francorum constitutis salutem & Apostolicam benedictionem.

Compertum charitati vestræ credimus, quod post consecrationem nostram, illam videlicet, qua benignitas Dei humilitatem nostram sanctæ Romanæ Ecclesiæ præesse voluit, Germaniam, Galliamq. visitauimus, ac Rhemorum vrbem adeuntes, maximo voto, & summa deuotione ecclesiam beati Remigij (vt longe ante desiderauimus) Deo annuente, & eiusdem sanctissimi viri patrocinantibus meritis, cum magna gloria dedicauimus, atque post consecrationem ecclesiæ in eadem Synodum celebrantes plurima ad vtilitatem Christianæ religionis necessaria consilio Coepiscoporum * suorum, assensu etiam & laude Cleri & populi, quorum innumera multitudo ad tantæ deuotionis celebritatem confluxerat, statuendo confirmauimus. Quæ omnia capitulis digesta inter canones haberi præcipimus, & postea in omnibus Synodis quæ habuimus, idipsum confirmare curauimus. Et quoniam beatissimum Remigium gentis Francorum prædicatorem & apostolum scimus, venerari & honorare illum, quem Dominus in terris & in cœlo mirificauit, prout possumus, debemus, præsertim cum semper in nostro pectore inde ipsius amor feructius ardeat, quod pretiosissimum corpus ipsius sanctissimi viri proprijs manibus transferentes in locum sibi præparatum, miraq. pulchritudine exquisiti operis decoratum reposuimus. Vnde vestram admonere volumus dilectionem, vt sicut nos in eius obsequijs perpenditis gratulari, ita & vos causa nostri amoris, maximeq. ex debito paterni honoris solemnitatem eius, quæ est Kalendis Octobris, celebrem habeatis. quia etsi alijs non est apostolus, tamen vobis est: nam primitiæ apostolatus eius vos estis in Domino. Hunc itaque honorem Patri & apostolo vestro exhibete, vt iuxta promissum Domini longæui super terram viuere, & eiusdem Patris precibus æternæ beatitudinis felicitatem mereamini possidere. Valete.] hucusque epistola, finisq. libelli. sequitur fides describentis ex autographo Rhemensis ecclesiæ.

* f. nostrorum

Hoc describi curauit D. Ioannes Gaultier ecclesiastes metropolis ecclesiæ Rhemensis iuxta exemplar originalis quod habetur in bibliotheca eiusdem ecclesiæ] pergit vero Hermannus commemorare quæ sunt reliqua peregrinationis & rerum gestarum anni huius ipsius sanctissimi Papæ Leonis post absolutum ab eo Rhemense Concilium — Indeq. Moguntiacum —

INDEX
IN TOMVM VNDECIMVM
ANNALIVM ECCLESIASTICORVM.

A

Abbas quidam pretio obtinens Abbatiæ inuestituræ a Henrico II. Imp. eamdem deponere & postea a dextera Saluatoris recipere iubetur. pag. 155.b
Abbas quidam in Gallia cum monachis contra armatos hostes pugnaturus, eosdem solo aspectu vincit. 190.c
Abbas Herueldensis impeditus minis Henrici Regis ne Sedem Apostolicam appellet, eumdem arbitrum eligit inter se & Archiepiscopum Moguntinum. 415.e. quas & quantas decimas dare cogatur. ibid. prohibetur a Rege ne Romani Pontificis iudicium expetat. 416.b
Abbas Fuldensis, victo Herueldensi Abbate tandem in decimas consentit. 416.a. prohibetur a Rege ne Romani Pontificis iudicium inuocet. ibid.b
Abbas S. Aegidij excommunicatur a Gregorio VII. 484.e
Abbas Farfensis citatur peremptorie ab eodē. 520.a
Abbas Panormitanus pro fundanda Monarchia Siculæ adductus explicatur ab Auctore. 685.e. & seq.
Abbates Fuldensis & Herueldensis quam superbum accipiant responsum in conciliabulo Erphurdensi ab Archiepiscopo Moguntino. 415.b.& seq.
Abbatum Cluniacensium series & successio. 17.e
Abbatiæ Vrbis Romæ vigintiduæ & quænam. 235.e. & seq. earumq. nomina. 236.a
Abbo Floriacensis refutat errorem de aduentu Antichristi futuro, anno millesimoprimo. 2.a.& seq. ad eumdem supprimendum hortatur Robertum Frācorum Regem. ibid. de differentia inter Gallorū & Anglorum ecclesiam in recitando & cantādo Symbolo conqueritur. ibid.b. differentiam in celebrando Aduentu per Concilium tollendā suadet. ibid.d. martyrio coronatur. 18.a. miraculis coruscat. ibid.b
Abbatia Bensе monasterium in Bohemia conuersatione & obitu S. Guntheri eremitæ nobile. 149.e
Abiuratio hæresis Berengarij solemnibus verbis concepta. 224.a.251.d.e.& seq. 527.a
Abiuratio simoniæ Guidonis Archiepiscopi Mediolanensis. 262.e. & seq. item hæreseos Nicolaitarum. 263.d. 264.a.b
Abotriti vel Obotriti boreales ecclesias vastant. 61.b
Absolutio Beneuentanorum per Leonem Nonum. 173.d. Gregorij Vercellensis Episcopi per eumdem. 178.a. Northmannorum per Nicolaum Secundū. 249.a.b. 267.e. Guarnerij Argentinensis Episcopi per Gregorium VII. 461.e. Episcoporum & laicorum schismaticorum Germaniæ per eumdem. 498.e. Henrici Germaniæ Regis per eumdem, & quibus conditionibus. 499.d.e. 501.e. & seq. Roberti Guiscardi Northmannorum Ducis. 546.a.b. schismaticorum iussu eiusdem per S. Anselmum Lucensem. 580.e. item Alexij Comneni Imp. 613.a. item Philippi Francorū Regis. 669.e
Abstinentia mira ciborum in Agnete Imperatrice. 322.b.c. item in Anselmo II. Lucensi Episcopo. 431.e
Abundantia frugum post sterilitatem maxima per quinquennium in Gallijs. 115.b.& seq.
Accilinus Episcopus cum quinque Coepiscopis suscipit conuersionem Suedorum. 383.d
Accitanum in Hispania Concilium eiusq. Acta. 275.d
Accusatio delictorum Henrici Regis Germaniæ ab ipsomet facta apud Gregorium VII. 426.e. 490.d
Accusatio sui ipsius apud Deum salutis initium. 441.a
Accusationes Episcoporum possunt a minoribus clericis fieri. 366.e
*Acta Concilij Legionensis in Hispania. 43.b. & seq. Salegunstadiensis in Germania. 74.e. Lemouicensis primi in Gallia. 98.c. & seq. item Lemouicensis secundi. ibid.d. 109.b. & seq. 117.d. & seqq. aliorum plurium Conciliorum in Gallys habitorum. 115.d. a Gerardo Cameracensi Episcopo improbantur. 116.b. Romani sub Leone Nono Papa contra Berengarium. 173.d. & seq. item Concilij Vercellensis contra eumdem. 174.b.c. item Coyacensis in Hispania. ibid.d. & seq. Romani alterius sub eodem Leone. 177.e. & 178.a. Florentini sub Victore Secundo. 217.e. & seq. Lugdunensis sub eodem. 221.d. & seq. Tolosani. 229.a. & seqq. Compostellani nonnulla. 230.e. Romani sub Nicolao Secūdo. 251.d. & seqq. 255.a. & seq. Amalphitani. 268.a. & seq. Parisiensis. 269.e. & seq. Accitani. 275.d. Lateranensis sub Alexandro II. Papa. 337.e. & seqq. Vuintoniensis sub eodem. 391.e.& seq. Romani sub Gregorio VII. 451.d.& seqq. alterius sub eodem. 463.e. & seq. 468.a. Londonensis in Anglia. 475.b. & seq. conciliabuli Vuormatiensis. 479.e. & seq. Romani. 481.b. & seqq. Synodi Dalmaticæ sub Gregorio VII. 494.e. Concilij Romani sub eodem. 518.e. alterius ibidem sub eodem. 522.e.& seq. alterius ibidem sub eodem. 526.d.& seqq. alterius ibidem. 537.e.& seqq. Lugdunensis. 556.e. Auenionensis & Meldensis. 557. e.d. Romani. 558.a.b. item alterius. 573.e. & seq. Quintelineburgensis. 585.a. item pseudosynodi Moguntinæ. 586.a. & seq. Beneuentani sub Victore III. 597.e. & seq. item Nemetensium Comitiorū. 600.a. item Concilij generalis Romani sub Vrbano II. 611.e.& seq. Troiani primi sub eodem. 614.d. Tolosani. 617.d. Melphitani. ibid.e. Constantiensis sub Gebehardo Legato Apostolico. 644.d. Ostoniensis in Gallia sub Hugone Lugdunensi Sedis Apostolicæ Legato. 648.a.b. Placentini. 653.e. & seq. Claramontensis in Gallia. 655.d.659.e. & seq. Anglicani. 667.d. & seq. Turonensis sub Vrbano

Universidad de Deusto
Biblioteca

no.669.b. & seq. Romani sub eodem. 714.c. & seq.
Acta Gregorij VII. Papæ diuinitus comprobantur, & quomodo. 579.b. & seq.
Actio gratiarum Auctoris ad Deum & B. Virginem pro auxilio sibi impenso in conficiendo Vndecimo Annalium Tomo. 730.c. & seq.
Actio Mediolanensis subdiaconus confirmat iuramentum sui Archiepiscopi de tollenda simoniaca & Nicolaitarum hæresi. 264.a
Adala Guillelmi Aquitaniæ Ducis mater cum filio cœnobium Burgoliense construit. 85.a
Adalbero Rhemorum Archiepiscopus. 15.a
Adalbero Vltraiectinus Episcopus vitæ Henrici Primi Imp. scriptor. 82.c
Adalbero Vuirceburgensis Episcopus fauet Saxonibus contra Henricum III. Germaniæ Regem coniurantibus. 405.b. vocatur ad Concilium Romanum a Gregorio VII. 463.b. renuit subscribere sententiæ a schismaticis Episcopis in conciliabulo Vuormatiensi contra Gregorium VII. prolatæ. 480.b proficiscitur ad Comitia Triburiæ indicta. 490.a. moritur. 618.c
Adalbertus Vuormatiensis Episcopus fauet Saxonibus contra Henricum III. Germaniæ Regem coniurantibus. 405.b. proficiscitur ad Comitia Triburiæ indicta. 490.a
Adalbertus pius Angliæ Rex. 582.b
Adalbertus Marchio schismaticus moritur. 586.c
Adalbertus schismaticus Cardinalis cum collegis emittit synodalem contra Catholicos epistolã. 716.c
Adalberus Basiliensis Episcopus subscriptione confirmat priuilegium de iuribus & bonis Romanæ Ecclesiæ. 50.c
Adalmannus Episcopus Brixiensis collaclaneus Berengarij, quid de eius tyrocinio scribat. 21.c. & seq. commendauit frustra Paulino Primicerio Metensi eius correctionem. 22.a. sollicite laborat eum ab hæresi reuocare. ibid. & seq. 126.d
Adaluardus clericus Bremensis Adalberti Hamburgensis Archiepiscopi in Sueoniam Legatus, ab Emundo impio Rege ejicitur. 177.a. gentem Virnilanorum Christo lucratur, & miracula operatur. ibidem.
Adaluardus Episcopus Sictoniensis inuadit Scarensem ecclesiam. 383.c
Adaluardus alius Episcopus cum quinque Coepiscopis pro cõuersione gentium in Suediam ablegatur. ibid.d. alius item eiusdem nominis ad eamdem gentem. ibid.
Adam historicus sæpius citatur. commendatur plurimum propter sinceritatem & veritatem historicam. 384.c
Adam sanctissimæ vitæ monachus iurat se per visionem cognouisse, corpus S. Benedicti in monte Casino requiescere. 73.b
Adam monachus & custos ecclesiæ Casinensis resistit fortiter Aldegisio volenti bona monasterij auferre. 130.b
Adam subdiaconus Mediolanensis subscriptione confirmat Archiepiscopi sui iuramentum de delenda hæresi simoniaca & Nicolaitarum. 264.a
Adela Roberti Flandriæ Comitis vxor. 497.a
Adelais Alpium Cottiarum Marchionissa donat reliquias S. Annonis Archiepiscopo Coloniensi. 389.c moritur. 631.d
